image
not
available





image
not
available

image
not
available

GALLIA CHRISTIANA,

IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTA;

IN QUA SERIES ET HISTORIA

ARCHIEPISCOPORUM, EPISCOPORUM ET ABBATUM


REGIONUM OMNIUM QUAS VETUS GALLIA complectebatur, ab origine Ecclesiarum ad nostra tempora deducitur, & probatur ex authenticis Instrumentis ad calcem appositis.

Operâ & studio Monachorum Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti.

TOMUS UNDECIMUS:

DE PROVINCIA ROTOMAGENSI,

Ejusque metropoli ac suffraganeis Bajocensi, Abrincensi, Ebroicensi, Sagiensi, Lexoviensi ac Constantiensi ecclesiis.





PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DCCLIX.

MONITUM.


VIX dum completum erat volumen istud, etenim sub prælo sudabat, cum repentina & immatura morte extinctus est hujus & proxime superiorum ex magna parte indefessus fabricator domnus Stephanus-Gabriel *Brice*, post totos 24 annos in laboriosa implicatissimi operis compositione exactos. Natus is honestis parentibus Lutetiæ Parisiorum mense Junio anni 1697, iisque a teneris orbatus sub tutoris patrui germani *Brice*, qui Parisiorum descriptionem promulgavit, custodia & regimine educatus fuerat. Humanis litteris operam dedit in collegio Mazarinæo, tumque Philosophiæ, cujus curriculo nondum penitus emenso, sanctioris vitæ apud Carthusianos Parisienses tirocinium posuit, apud quos annum cum dimidio mansit. Non adoptato sibi strictiori illo vitæ instituto, de alio haud valde dissimili experiundo paulo post cogitavit; eaque de causa S. Lucianum Bellovacensem petiit mense Januario 1716, annos natus 18, menses 6, ubi post servatas adamussim per integrum tirocinii annum regulæ leges & sancita, solenni votorum nuncupatione in Benedictinam S. Mauri Congregationem adscriptus est anno 1717. Variis quibus in illo sodalitio per 7 aut 8 annos recens auctorati more solito instituuntur, exercitationibus non sine felici futurorum omine perfunctus & presbyter ordinatus, totum se in ecclesiastica antiquitate investiganda consecravit, sibique hunc in usum Græcas litteras, quarum rudimenta jam in scholis attigerat, familiariores pertinaci studio effecit. Hinc ut genio suo simul & utilitati publicæ indulgeret, epistolas S. Basilii e Græco in Gallicum sermonem vertit, quas cur in lucem non ediderit candide fatemur nescire nos, nisi forte ad aliud munus vocatus, ita se novo labori tradendum judicavit, ut interpretationem suam recognoscere ac mendis purgare per tempus non potuerit. Et certe anno 1731 novæ Galliæ Christianæ continuationi a superioribus destinatus Lutetiam Parisiorum advenit, & in monasterio S. Germani a Pratis sedem fixit, ubi cum aliis ejusdem laboris consortibus integrum se operi condendo mancipavit ad finem usque vitæ 13 Novembris 1755. Quanta autem assiduitate quantoque studio injunctam sibi provinciam obierit norunt omnes qui consuetudine ejus usi sunt. Ejus curis ac vigiliis multa debent Narbonensis, Parisiensis, Remensis & Rotomagensis metropoles quæ jam prodierunt, necnon Senonensis quæ mox lucem conspectura est.

Socios habuit & adjutores (ut alios interim taceam qui vel præsentes & post navatam qualemcumque opellam cœptis non institerunt, vel absentes & tam e nostris quam ex quolibet virorum ordine suam quique symbolam conferre voluerunt, quosque vel recensere longum foret) domnum Felicem *Hodin*, domnum Tussanum *Duplessis* & domnum Jacobum *Taschereau*, quorum prior ab ipso totius operis duce, quem appellasse laudare est, R. P. domno Dionysio *de Sainte-Marthe* Galliæ Christianæ ab adolescentia addictus, ecclesiarum & antistitum, monasteriorum abbatumque originibus & rebus gestis perquirendis, atque catalogis contexendis insenuit, fato functus in monasterio S. Germani a Pratis 16 Septembris 1755, annos natus circiter 76. Plessæus vero superstes & historiis Cociaca & Meldensi, geographica & topographica diœcesis Rotomagensis descriptione, annalibus Parisiensibus aliisque

lucubrationibus reipublicæ litterariæ jamdudum notus, post plures exantlatos labores optimamque operam metropolibus Parisiensi, Remensi & Rotomagensi, quarum historiam pro virili sua parte contexuit, impensam, aliquot jam abhinc annis Galliæ nostræ Christianæ valedixit, ut valetudinis infirmitati serviret. Perstat D. Jacobus *Taschereau* qui, quam a septem circiter annis adjutricem operi manum admovet, libenter & qua poterit diligentia & assiduitate, una cum novo socio D. Petro *Henry* in locum defuncti D. *Brice* suffecto, paratus est in posterum adhibere.

His potissimum artificibus doctis utique & laboriosis, tribusque aliis domno Bartholomæo *Pétis de la Croix*, D. Johanne *Thiroux* & D. Josepho *du Clou* doctissimis itidem & religiosissimis viris, mortalitatem diversis temporibus consecutis, quos in suscepti laboris societatem accersiverat D. Dionysius *de Sainte-Marthe*, conflata est nova Galliæ Christianæ historia, crevitque ad Tomum XI qui nunc prostat, & ecclesiasticam Normanniæ historiam complectitur. Supersunt nobis octo metropoles tractandæ Senonensis, Tarantasiensis, Tolosana, Trevirensis, Turonensis, Vesonticensis, Viennensis & Ultrajectina ad Mosam, quarum priores duas exhibebit volumen proximè secuturum; cæteræ, Deo juvante, suo quæque ordine prodibunt.

Antequam hoc monitum claudamus, liceat nobis eo loci sententiam recudere numquam satis memorandam, qua Sammarthani Fratres præfationem suam ad lectorem finiunt in hæc verba: *Universos historiæ ecclesiasticæ studiosos enixe hortamur, quandoquidem hoc opus spectat ad religionis totiusque cleri commendationem & nominis Francici gloriam, publico commodo & nobis conferant, si quæ arcana recondunt; benignius autem excusent, si quid* (ut certe plura sunt) *humanitus est erratum.*



HOC IN TOMO CONTINENTUR,

ABBATIÆ, PRIORATUS, &c.

ordine alphabetico digefta.

image
not
available

INDEX VETERUM MONASTERIORUM
AD HANC PROVINCIAM SPECTANTIUM.




image
not
available



GA
LUG
PROVI
Abbatisvilla
Cæsaris Burgus
Valoniæ
Constantia
Grandisvilla
S. Michael
D I Œ C E S I S
A B R I N
C E N S I S
P R O V I N
T U R O N
C I Æ
I S
Normanniæ
10
49

GALLIA CHRISTIANA

IN PROVINCIAS DISTRIBUTA.

PROVINCIA ROTOMAGENSIS

SEU LUGDUNENSIS SECUNDA,

CUJUS METROPOLIS ROTOMAGUS.

ERANT ætate C. Julii Cæsaris in Gallia Belgica ultimi versus occidentem & mare, Caleti *seu* Caletes, sic dicti a voce Gallica *Kalt* seu *Kelt*, quæ frigus aut frigore concretum significat, unde & ipsi Galli maximam partem appellati sunt Celtæ, & universa eorum regio, quæ frigidissima est, Galliæ Celticæ nomen desumsit: *Hiemem* enim *Gallicam* pro acerrimo frigore dixit Petronius ille inverecundiæ potius quam elegantiarum arbiter. Urbs autem Caletum primaria dicebatur *Ilæ* seu *Ellæbonna*, id est ultimus Ila seu finis amniculi Ilæ qui eam alluebat, paulo inferius in Sequanam effusus. Hanc Ptolemæus *Juliobonam* appellavit; sed nos primævum nomen l'*Islebonne* retinuimus.

Erant similiter in Gallia Celtica ultimi versus septentrionem, Caletorumque finitimi *Velocasses* seu *Bellocasses*, ita dicti ab his duabus vocibus *Belg* & *Cass*, quæ simul junctæ, si conjectare licet, significant Belgas eo loci transportatos, aut forte Belgas mercatores. Urbs eorum primaria, quam præter Sequanam irrigabant fluvioli tres, *Rot* dictus recentioribus *Rotobecus* aut *Rodobeccus*[a], *Albula* seu *Albeta*[b], & *Marrona*[c], dicta est Rotomagus aut Rotomagum ab eodem rivo *Rot* & voce Celtica *Mag*, quod est emporium; posita enim erat in ipso fere Sequanæ & amniculi illius confluente. Postea tamen ab infimæ Latinitatis scriptoribus appellari cœpit, sive *Rodomi*, *Rotumi*, *Rodomæ* aut *Rotomæ*, sive *Rodomaci*, *Rotumagi* aut *Rotumagum*, sive aliis hujuscemodi, quibus immorari non vacat, adulteratis deturpatisque nominibus. Sed ex voce illa *Rotomum* aut *Rotmum*, derivatum est pagi *Rotmensis* nomen, vernacule *le Roumois* aut *le Rommois*, quod majores nostri præcipue sub Carlovingis regibus indiderunt regiunculæ illi, quæ urbem ad utramque fluminis Sequanæ ripam propius attingit, & ex qua conflatus est major ecclesiæ Rotomagensis archidiaconatus.

[a] le Robec.
[b] l'Aubene.
[c] la Renelle.

Caletes a Belgis disjunctos Octavianus Cæsar Augustus Celticæ, quam vocavit Lugdunensem, adjecit. Nihil tunc forte de Caletorum urbe primaria supererat præter rudera aut vicum ignobilem. Sed stabat, adeoque reliquo tempore crevit urbs Velocassium caput Rotomagus, ut Lugdunensi primum, forte sub Diocletiano in duas Lugdunenses divisa, illa non solum Caletorum, sed & totius Lugdunensis secundæ metropolis esse cœperit; deinde cum sub Valentiniano primo imperatore, vel forte sub Gratiano ejus filio, secta est Lugdunensis secunda in duas alias Lugdunenses, secundam videlicet, cujus primatum Rotomagus obtinere perrexit, & quartam quæ metropolim agnovit Cæsarodunum Turonum, de tanta provinciæ imminutione nihil senserit urbs illa princeps; imo amplificaverit sese in dies, celeberrimisque Galliarum urbibus tandem exæquata sit.

Paululum quidem accrevit ad finem usque noni seculi. Verum sub Rollone Normannorum duce, filioque ejus Guillelmo, *Longa-spata* dicto, majora cœpit incrementa capere. Auctior

deinde facta sub ducibus eorum successoribus, novis adhuc accessionibus propagata est primo sub Philippo Augusto rege, deinde sub sancto Ludovico, ac demum sub Valesiis regibus: adeo ut in præsentia suburbiis additis quatuor millia passuum longitudinis habeat ab Euronoto ad Caurum, tria millia latitudinis ab Africo ad Cæciam. In ea autem comprehenduntur palatia regia, seu arces vetustæ tres: palatium aliud recens, juri dicundo ab Ludovico XII rege dicatum constructumque, præter basilicam civium, seu urbis curatorum, ædesque tam publicanorum quam omnis generis magistratuum proprias. Illic etiam extant horreum salarium sumtuosæ magnificentiæ; scholæ non ignobiles; xenodochia seu nosocomia, aut valetudinaria novem; fora rerum venalium plurima, in his unum longe pulcherrimum; agger lapideus ad dextram Sequanæ ripam maxime spectabilis; pons in ipso flumine olim lapideus, nunc naviculis simul junctis mirum in modum instructus; ambulacra supra urbem ad utramque fluminis ripam duo amœnissima, arboribus hinc inde omni industria consita; fontes publici in urbe fere quadraginta ex variis scatebris deducti; cœmeteria publica duo, alterum in urbe, alterum extra urbis pomeria; tribunalia seu fora judiciaria quatuordecim regia, quæ sunt Parlamentum, olim Scacarii nomine donatum, camera computorum & curia subsidiorum, in unam nunc computorum ac subsidiorum curiam simul junctæ; quæstores seu thesaurarii Franciæ; electio seu tributorum ac vectigalium descriptores; tabula marmorea, tam rebus maritimis quam aquis & silvis præfectorum; monetarum arbitri, salarii judices, magister portuum, balliviatus ac sedes præsidialis, vicecomitatus forensis; vicecomitatus aquæ, forum municipale, consules, consessus negotiatorum; præterea tribunalia feodalia quædam, quales sunt archiepiscopi, abbatiæ Fiscannensis, abbatiæ Montivillarensis, aliorumque privatorum sellæ; tribunalia quoque ecclesiastica duo, quæ sunt officialitates diœcesana ac metropolitana; ecclesiæ denique de quibus præcipue nobis dicendum superest, fere centum.

Uterque populus Caletorum & Velocassium densissima erant idololatriæ nube obvoluti, quando beatus Nicasius ad eos accessit Jesum crucifixum edocendos; ipse tamen nec Caletes unquam, nec Velocassium urbem primariam invisit; sed qui post eum in illis Galliarum finibus religionem christianam annunciavere evangelii præcones, Rotomago primum, ceterisque Velocassibus ad Christum adductis, Caletes postea eidem jugo submittere colla feliciter coëgere. Atque hinc & Caletis & Velocassibus coaluit sensim amplissima illa diœcesis, cujus caput Rotomagus, ecclesiastica item metropolis universæ, quaqua patuit primum Lugdunensis secundæ, deinde ejusdem Lugdun. angustioribus limitibus circumscriptæ, quæ postquam aliquandiu sub prima regum nostrorum dynastia pars fuit regni Neustriæ, altera tandem dynastia jam inclinata, Normanniæ nomen quod adhuc retinet, assumsit, ac præter archiepiscopatum Rotomagensem, episcopatus alios sex complectitur, Bajocensem videlicet, Abrincensem, Ebroicensem, Sagiensem, Lexoviensem & Constantiensem. Paruerunt olim archiepiscopo illi Canadæi, & quotquot in America ditioni Francorum subjecti sunt christiani ad erectum usque, imo & aliquanto post erectum episcopatum Quebecensem. Plurimi enim evangelistæ, qui ad Americanos mittebantur, cum solverent plerumque e portubus Normanniæ superioris, literas vicariatus ab archiepiscopis Rotomagensibus exposcebant, in trajiciendo tantum æquore valituras. Eorum vero nonnullos vicariatum illum in Americam ipsam extendere voluisse constat: sed nisi a summo pontifice delegati essent, quem etiam nunc episcopus Quebecensis superiorem proximum, nullo alio intercedente, agnoscit, recusati sunt semper ab Americanis.

Archiepiscopus ille Primas totius Normanniæ dicitur, quod quamvis ad veterem Lugdunensem pertineat metropolis Rotomagensis, primatiamque in provinciam etiam Rotomagensem Gebuino Lugdunensi archiepiscopo concesserit Gregorius VII bullis duabus anni 1079, non Lugdunensem tamen, aut alium quemlibet primatem, sed solum pontificem Romanum superiorem proximum agnoscat, tam ex sententia Dominici Capranicæ cardinalis a summo pontifice delegati, lata 12 Novembris 1455, quam ex ipsiusmet Callisti III duabus bullis annorum 1457 & 1458. Ut autem a primatiæ Lugdunensis origine ad annum circiter 1430 nullum in provinciam Rotomagensem jurisdictionis actum exercuerat Lugdunensis archiepiscopus, ita post confirmatam a Callisto III cardinalis sanctæ Crucis sententiam, nihil ab ipso Lugdunensi archiepiscopo, aut ejus officiali ante annum 1677, attentatum fuisse ostendit Jacobus-Nicolaus *Colbert* Rotomagensis archiepiscopus in suis ad regem supplicibus libellis. Unde post agitatam diu inter utrumque archiepiscopum de primatia controversiam, e sanctiori regis consilio prodiit 12 Maii 1702 peremptorium edictum, quo declaratum ecclesiam Rotomagensem Lugdunensi nullo, nedum primatiali, jure, solique sanctæ sedi apostolicæ immediate subjectam existere. Sex illa instrumenta habes in conciliis Normanniæ, parte prima, a pagina 259 ad 267.

Rotomagensis archiepiscopus gaudet adhuc ex sedis suæ prærogativa *deportus* seu *deportationis* jure, hoc est reditibus seu proventibus beneficiorum suæ diœcesis bene multorum, præsertim parochiarum, per annum integrum ab ipso vacationis die: quod cum vel de recentioris privilegii vitio, vel etiam de simoniæ crimine accusarent nonnulli theologi & canonistæ, argumentis plurimis tueri ac propugnare aggressus est Adrianus Behotius archidiaconus Rotomagensis in libro, quem vernacule edidit inscriptum *du droit de Deport & de son origine*. Fruitur præterea archiepiscopus Rotomagensis una ecclesiæ suæ cathedralis præbenda; & omnes capituli, tam dignitates quam præbendas, excepto decanatu, confert pleno jure.

Clerus ecclesiæ illius habet illud singulare privilegium, ut anno quolibet in die Ascensionis Dominicæ vinctum unum capitis reum a morte liberet; qua de re legenda Descriptio superioris Normanniæ, tom. 2, pagg. 31 & 32. Constat vero præter archiepiscopum dignitatibus decem, nimirum decano, qui eligitur a capitulo & confirmatur ab archiepiscopo; cantore, qui præbendam unam tenet; thesaurario, qui similiter præbendam unam possidet; archidiacono majore; archidiacono Augi; archidiacono *Majoris-Caleti*, hoc est inferiorum Caletum; archidiacono *Vulcassini Francici*, hoc est Velocassium Franciæ, archidiacono *Vulcassini Normanni*, id est Velocassium Normanniæ; archidiacono *Minoris-Caleti*, id est Caletum superiorum; & cancellario: aliis denique quadraginta septem canonicis seu præbendatis, quorum tres officia exercent succentoris, theologi & pœnitentiarii. His quadraginta novem canonicis constat capitulum ecclesiæ Rotomagensis, quod immune est a jurisdictione archiepiscopali.

Sunt præterea in eadem ecclesia clerici seu capellani circiter centum, varias in classes distributi, quorum septuageni beneficiis seu capellaniarum titulis gaudent, dicunturque vel præbendati quindecim marcharum, fundati anno 1190 a Johanne, postea Anglorum rege; vel præbendati quindecim librarum, fundati, ut creditur, eodem anno ab Angliæ rege Richardo primo: vel clerici Communis, *de la Commune*, qui beneficiis potiuntur, capellanorumque hujus ecclesiæ creduntur antiquissimi: vel capellani absque beneficiis, quales sunt Darnestallenses, fundati ineunte circiter decimo tertio seculo; Albanenses, fundati anno 1245 a Petro secundo archiepiscopo Rotomagensi; Flavacurienses, dicti etiam capellani sancti Spiritus, fundati anno 1305 a Guillelmo secundo item archiepiscopo Rotomagensi; Clementini denique fundati anno 1349 a Clemente quinto papa: ceteri enim capellani honorariis tantum fruuntur, quemadmodum & pueri duodecim choro addicti.

Universa diœcesis dispertita est in triginta decanatus rurales, suo quemque archidiaconatui subjectos, quibus comprehendebantur anno 1740, abbatiæ superstites in urbe quatuor, in reliqua diœcesi triginta: videlicet Benedictinorum undecim, quarum una monachis nunc destituta abbatem tamen commendatarium usque adhuc agnoscit; Benedictinarum vero quatuor: canonicorum regularium duæ; Cistercienfium monachorum quatuor; Cisterciensium monialium septem; ordinis Præmonstratensis quatuor; Clarissarum denique duæ: monasteria alia, seu prioratus conventuales, Benedictinorum unus in urbe, alter in reliqua diœcesi; Benedictinarum duodecim, id est in urbe quinque, in reliqua diœcesi septem; canonicorum regularium decem, id est in urbe aut prope urbem tres, in reliqua diœcesi septem; canonissarum regularium in urbe duo, in reliqua diœcesi quatuor, omnino sex; monialium Cisterciensium duo; Cartusianorum juxta urbem unus; Cælestinorum alter in urbe, alter in reliqua diœcesi; ordinis Fontis-ebraldi unus; Grandis-montis prope urbem unus; Fuliensium in urbe alter, alter in reliqua diœcesi; ordinis sancti Antonii unus in urbe; ordinis sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captivorum in urbe unus, in reliqua diœcesi tres; ordinis sancti Dominici in urbe, virorum unus, feminarum duo, in reliqua diœcesi feminarum unus; ordinis sancti Francisci sex in urbe, triginta quinque in reliqua diœcesi; nempe Fratrum Minorum quatuor, Sororum Minorum tres; Pœnitentium Tertii ordinis decem; Sororum sanctæ Elisabeth unus; Capucinorum quatuordecim; Recollectorum quatuor; Annunciatarum quinque; ordinis Carmelitarum septem, hoc est virorum tres, feminarum quatuor; Eremitarum sancti Augustini duo; aliorum, qui se sub regula sancti Augustini militare profitentur, duodeviginti; videlicet Ursulinarum decem, Sororum Congregationis tres, Sororum Visitationis seu S. Mariæ tres, Sororum sancti Josephi unus, Sororum Refugii unus; religiosorum Minimorum duo; Fratrum Caritatis unus; Jesuitarum quinque; Fratrum denique scholarum christianarum unus. Quæ monasteria abbatiis addita summam conficiunt centum quinquaginta sex monasteriorum.

Aliæ sunt insuper congregationes seu sodalitates, tam clericorum quam feminarum secularium, numero fere quadraginta; videlicet collegiatæ tres in urbe, decem in reliqua diœcesi; congregationis Oratorii domus tres; Eudistarum, qui majori seminario præsunt, una; seminarium minus; sodalitas sancti Patricii; seminarium S. Ludovici; Sorores Providentiæ; Sorores Neophytarum seu recens Catholicarum; Sorores Boni-pastoris; Sorores scholarum christianarum; Sorores sancti Thomæ de Villa-nova; Sorores Misericordiæ; Sorores denique sancti Vincentii a Paula.

His omnibus adde mille quadringentas ac triginta aut circiter parochias, præter ecclesias parochiarum quarumdam subsidiarias, ac sacella aut ædiculas longe plurimas, quas longum esset ac supervacaneum recensere, ecclesias numerabis in universa diœcesi plusquam mille & septingentas.

De universa Rotomagensi ecclesia nemo hactenus, præter Sammarthanos, scripsit; sunt qui archiepiscopos duntaxat, aut abbatias aliquot tractavere; sunt qui de rebus, sive urbis, sive diœcesis, sive etiam totius Normanniæ, multo magis politicis quam ecclesiasticis libros confecere. Nec desunt qui varias ediderint de quibusdam historiæ hujus partibus disquisitiones, omnia simul in unum veluti corpus redigere non ausi. Illud igitur laboris nostri fuit, ut quæcumque hæc disjuncta connecteremus, quæ vel fusius, vel contractius, vel etiam confidentius dicta resarciremus; lacunosa denique ut plurimum suppleremus: qua in re utrum bene an male data sit opera, æqui lectoris judicio relinquendum est.



ARCHIEPISCOPI ROTOMAGENSES.

I. S. Nicasius.

Diu creditus est martyr ille sanctissimus episcoporum Rotomagensium fuisse primus; & in plurimis quidem præsulum illorum catalogis primarium locum obtinet. Contra tamen opponunt nonnulli: 1.° Nicasii nomen in aliis catalogis prætermitti: 2.° ipsum ad urbem Rotomagum nunquam accessisse: 3.° apud Usuardum *presbyteri* tantum, non episcopi nomine appellari. In his enim omnino tribus versantur quæcumque ad elevandum Nicasii episcopatum hucusque proposita sunt. Sed ad secundum quod attinet, Rotomagum viderit necne sanctus Nicasius, quid refert? dum ille ad Velocasses, quorum urbs primaria Rotomagus, Christo submittendos ordinatus sit episcopus? dum Velocassibus Christum annuntiaverit primus apud eos evangelii præco? dum in ipsis apostolorum muniis obeundis christianam fidem sanguine suo obsignaverit? atqui ordinatum esse episcopum a majoribus traditum est, qui illum per continuas seculorum plurimorum ætates ut martyrem pontificem coluere. Quid quod sanctissimo martyri & ejus acta quædam & martyrologium Romanum socios adjungunt evangelicæ prædicationis ultimique agonis, presbyterum unum, cui nomen Quirino, diaconum similiter unum nomine Scubiculum. Illud enim non parum confert ad probandum ejus episcopatum. Dionysius Parisiensis & ille quidem, nemine contradicente, episcopis annumeratus, presbyterum itidem diaconumque socios habuisse perhibetur; quod & narratum est de beato Luciano Bellovacensi, sancto Peregrino Autissiodorensi, sancto Martiale Lemovicensi, aliisque plurimis: hic enim assiduus fuit retroactis illis temporibus episcoporum comitatus. Unde concludendum est evangelicos præcones illos, quibus consociati fuisse dicuntur, vel presbyter una cum diacono, vel etiam duo presbyteri, ad episcopos certo evectos fuisse. Neque est quod in plerisque comitatibus illis nonnihil fabulæ suspiceris aut commenti. Esto enim in historia sancti Nicasii adventitii sint Quirinus & Scubiculus (quod tamen nisi demonstretur, pernegandum est); illud inde nihilominus colliges, ideo confictam esse fabulam, quod quo tempore, & illo quidem remotissimo adinventa est, persuasum sibi haberent majores nostri, sanctum Nicasium episcopali charactere fuisse insignitum. Credidisse autem illos quod a patribus suis acceperant, credendum est & nobis, nisi ostendantur aut fabulam ipsi finxisse, aut fabula quadam recentiori esse decepti.

At, inquiunt, Usuardus, actorum S. martyris scriptoribus antiquior, beatum Nicasium non episcopum appellat, sed *presbyterum* tantum. Ego vero repono sanctum Laurentium similiter Sixto II papæ non episcopi, sed sacerdotis duntaxat nomen dedisse: *Quò sacerdos sancte*, aiebat ille, A *sine ministro properas!* Sixtus vero ipse ad Laurentium: *Post triduum me sequeris sacerdotem levita.* Illud enimvero usu receptum fuit prioribus seculis, ut & ipsi plerumque episcopi non alio quam sacerdotum aut presbyterorum nomine donarentur; neque aliud Johannes ipse Evangelista in fronte epistolarum suarum nomen affectavit: *Senior*, inquiebat, *Electæ dominæ: Senior Gaio carissimo.* Ad fidem igitur authenticorum suorum scribens Usuardus, ne nomen quidem *presbyteri* quod in illis legerat, immutare voluit: sed nomen illud non episcopum minus, quam merum sacerdotem priscis temporibus designasse B in confesso est apud eruditos.

AN. CHR.

Nicasius videtur ordinatus esse episcopus a beato Dionysio Parisiorum apostolo; atque hinc ad Velocasses mitti non potuit nisi anno circiter 250. Martyrium & ille & ambo socii ejus passi sunt ante exitum ejusdem seculi, anno incomperto, sed ut credere est, sub Diocletiano imperatore; corpora autem eorum Vadiniaci[a] sepulta sunt ad Ittam fluvium ab religiosa quadam femina, nomine Pientia, quæ & ipsa non ita multo post martyrii coronam adepta est. Medio circiter nono seculo duo corpora sanctorum Nicasii & Scubiculi propter metum Normannorum e C Vadiniaco ad insulam Mellenti[b] transportata sunt, ubi postea ædificata est basilica, quæ & nomen & exuvias sancti Nicasii usque adhuc retinet; corpus vero sancti Quirini eodem fere tempore ad Malmundarium[c] diœcesis Leodiens. delatum est: pars denique corporis S. Scubiculi e Mellento in ecclesiam S. Aniani Aurelianensis translata sub rege Roberto. Pauca hæc, quibus fides denegari posse non videtur, excerpsimus ex intricatissima sancti martyris historia, cujus qui in salebris hærere voluerit, legat Franciscum *Pommeraye*, hist. archiepiscoporum Rotomag. pag. 1 & seqq. Arturum *du Monstier*, Neustriæ D piæ pag. 331 & seqq. ac Tillemontium, hist. eccles. tom. IV, pag. 485 & 728.

Circ. 250.

[a] Gan[illegible]
[b] Mell[illegible]
[c] Malm[illegible]

Nicasius una cum sancto Mellone proximo successore suo colitur in ecclesia Rotomagensi dominica prima Octobris ab hisce nuperis diebus, quibus & retractatum est, & denuo typis mandatum ejusdem ecclesiæ breviarium. Colebatur antea solitarius III idus Octobris.

II. S. Mello.

A Mellone, qui & Mellonus, & Mallonus & Melanius dictus est, nonnulli indices exordium ducunt episcoporum Rotomag. non quod ille E præsulum illorum antesignanus fuerit, sed quod ecclesiam cathedralem fundasse credatur; ita enim legimus in ejus vita: *Quia in illo loco* (id est Rotomagi) *nondum erat aliqua ecclesia constructa, construxit novam in honore sanctæ Trinitatis & sanctæ Dei genitricis Mariæ;* vel forte, quod a Nicasio ad Mellonem intermissi aliquo intervallo episcopi propter ethnicorum vexationes, a

Mellone deinceps ad nostra usque tempora non A cessaverint. Aiunt Mellonem in Gallias missum fuisse a *Stephano* I papa; quod si verum est, Nicasius martyrium passus est longe ante Diocletianum. Sed verosimilius videtur a Marcellino, aut ab aliquo ex ejus proximis successoribus missus; traditur enim sub Eusebio & Melchiade floruisse: apposite quidem, si reipsa ecclesiam cathedralem fundaverit; quod quomodo facile executus est, nisi sub Constantino magno, Eusebii ac Melchiadis æquali? Obiit Mello morte sua ante annum 314, sepultusque est in suburbio Rotomagensi ad sanctum Gervasium in crypta subterranea, sed postea corpus ejus translatum Pontisaram depositum est in ecclesia quæ nomen ejus assumsit. De translatione & ecclesia illa B dicemus infra in veteribus diœcesis hujus abbatiis. Colebatur sanctissimus præsul x calendas Novembris ante recusum recens ecclesiæ Rotomagensis breviarium; nunc vero colitur Dominica prima Octobris, una cum decessore suo sancto Nicasio.

III. Avitianus.

Concilio Arelatensi adfuit anno 314 Avitianus *seu* Avidianus, qui ad sanctum Gervasium sepultus est prope Mellonem decessorem suum.

IV. Severus.

Ordericus Vitalis, qui priorum XLVII episcoporum Rotomagens. catalogum texuit lib. v, pagg. 558 & seqq. in Severo primum explicare aggreditur quot quisque annos sederit. Credere est autem ipsum hac in re usum fuisse veteribus quibusdam, quæ jamdudum periere, seu monumentis, seu commentariis: at illa fidem omnem mereri non omnes sibi facile persuadent. Enimvero, quamvis Ordericus Petrum I sedisse affirmet annis undeviginti, contendit tamen Pommerayus noster historiæ archiepiscoporum Rotomag. pag. 56, sedisse annos duntaxat decem; nos vero ostendemus infra non semel, Orderico, D ubi de priscis temporibus disserit, non semper credendum. Præterea multum ille sudavit in componendis archiepiscoporum suorum cum summorum pontificum, imperatorum regumque Francorum annis; qua in re sæpius a vero aberrasse nemo non videt: quanquam, si plerumque fingantur anni non expleti, sed inchoati tantum, chronologia illa non semper peccat. In martyrologio quod edidit Rotomagi anno 1507, Nicolaus Normannus, Franciscanus, hæc leguntur: *kal. Februarii S. Severi episcopi & confessoris,* E *cujus corpus in basilica metropoli B. Mariæ Rotomagensis in capsa venerabili conditur, & hac die venerater ostenditur.* At Severus ille non Rotomagensis episcopus fuit, sed Abrincensis. Severo tamen Rotomagensi, quemadmodum & Avitiano ejus decessori, & Innocentio, qui nono loco sequetur, Bessinus in catalogo suo archiepiscoporum Rotomagens. aliique nonnulli, nomen sancti benigne ac liberaliter tribuunt; sed nemo illorum publico cultu in ecclesia honestatur.

ANNI CHRISTI

V. Eusebius.

Reperitur Eusebii nomen in subscriptionibus, tam concilii Coloniensis adversus Euphratam anno 346, quam concilii Sardicensis anno 347. 346. 347.

VI. Marcellinus.

VII. Petrus I.

De utroque nil nisi nomen superest. Sed sub eorum alterutro, aut saltem sub Victricio eorum successore rursus immutata est rerum ecclesiasticarum facies in diœcesi Rotomagensi. Nempe Lugdunensis provincia, cujus metropolis Lugdunum, secta fuerat ætate, ut creditur, B Diocletiani imperatoris in duas Lugdunenses, quarum secundæ metropolis Rotomagus. Verum sub Valentiniano I, aut forte sub Gratiano ejus filio, secunda illa Lugdunensis iterum secta est in duas alias, secundam nimirum, cujus Rotomagus metropolis esse perrexit, & quartam cujus metropolis Cæsarodunum Turonum.

VIII. S. Victricius.

Magnum Victricii nomen in ecclesia Rotomagensi, quam & sanctitatis fama & miraculis insignibus, & administratione vere apostolica, & plurimorum utriusque sexus, tam intra urbem C quam extra urbis pomeria monasteriorum fundatione, mirum in modum illustravit. Natus ille ex sancti Paulini Nolani epistola XVIII, *in remotissimo Nervici litoris tractu,* quem nunc Brabantiam dicimus, militiæ primum seculari nomen dedit. Cum vero seipse sacramento militari solvisset, ut Christo adhæreret totus, *concitato in furias tribuno, districtus in verbera, & vastis fustibus fractus est;* ac demum capite damnatus. Sed carnifex, ubi primum ad collum sancti confessoris manum admovit, *excussis ilico oculis, cæcitate percussus est;* ipse vero vinculis solutus liber evasit. Eum propterea idem Paulinus D *martyrem* vivum appellat, docetque Morinorum ac Nerviorum gentes indomitas ad religionem christianam perduxisse; quod antequam ad episcopos eveheretur contigisse credunt nonnulli, reclamantibus ceteris. Ecclesiæ Rotomagensi jam præpositus erat anno 383, ex nupera sancti 383. Paulini historia pagg. 16 & 154, cum & eumdem Paulinum & sanctum Martinum miracula patrantem vidit Augustæ Trevirorum, eosdem postea allocutus Viennæ Allobrogum anno 388. 388. Perrexit anno 394, aut 395, in Angliam, a 394. præsulibus regni illius invitatus, pacis conciliandæ E ergo, quam nova Pelagianorum hæresis turbabat. Morinos ac Nervios anno circiter 397 Christum edocuit. Sanctus Paulinus, nondum episcopus, scripsit ad eum anno 399 epistolam illam quam 399. modo laudavimus, sane pulcherrimam, & tam ecclesiæ Rotomagensi quam ipsi Victricio honorificentissimam, in qua Victricium commendat ab instituto apud Rotomagenses quotidiano psallentium concentu per frequentes ecclesias & monasteria. Exeunte anno 403 Victricius, 403. quod Apollinaristis favere accusaretur, Romam

perrexit purgandi se causa. Redux vero in suam diœcesim, alteras anno sequenti ab eodem Paulino literas accepit; quo etiam anno scripsit ad eum Innocentius I papa epistolam, quæ cum plurima complectatur disciplinæ ecclesiasticæ capita, *Liber regularis* dictus est. Postremæ illæ Paulini literæ videntur eruditis Bollandistis Aug. tom. 2, pag. 193, non esse scriptæ, nisi postquam episcopatum ille Nolanum adeptus esset. Etenim, inquiunt, priores ejus literæ anni 399, inscriptæ sunt beatissimo *patri* Victricio; posteriores autem anni 404, unanimo *fratri* Victricio: sed vox illa frater levis est momenti apud Paulinum. Scribebat ille annis 394 & 395, longe antequam episcopus esset, epistolas quartam & sextam, utramque Augustino *fratri*. Certe ad episcopos non est evectus Paulinus nisi anno 409, quo quidem anno ad sanctum Augustinum scribens, præstantissimos ecclesiæ Gallicanæ episcopos tunc viventes recenset, Exuperium videlicet Tolosanum, Simplicium Viennensem, Amandum Burdegalensem, Diogenianum Albigensem, Dynamium Engolismensem, Venerandum Arvernensem, Alithium Cadurcensem, Pegasium denique Petracoriensem; de Victricio autem silet: unde videtur sanctus antistes Rotomagensis tunc vivere desiisse.

Verum hic non prætermittendum quod observavit eruditissimus N. *Lebeuf*, canonicus & succentor ecclesiæ Autissiodorensis, adscribendam esse sancto præsuli lucubrationem *de laude Sanctorum*, quam ille vulgavit tom. II, pagg. 14 & seqq. opusculorum suorum, quibus titulum præfixit: *Recueil de divers écrits, pour servir d'éclaircissemens à l'histoire de France, & de supplément à la notice des Gaules.* Nempe ecclesia Rotomagensis ditata jam fuerat quibusdam sanctorum Joannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Gervasii, Protasii, Agricolæ, &c. reliquiis ex Italia asportatis: anno vero circiter 396, alias ab Ambrosio Mediolanensi, aliisque Italiæ episcopis sanctorum reliquias Victricius acceperat, quæ lucubrationi, seu libro illi locum dedere.

Colitur sanctus pontifex in ecclesia Rotomag. VII idus Augusti. Corpus vero ejus, quod nono ut creditur, seculo Branam delatum fuerat, depositumque in ecclesia tunc S. Remigii, nunc sancti Evodii dicta, in cineres redactum est ex eruditis Bollandianis anno 1561, a furentibus Calvinistis. Melius dicendum fuisset, an. 1562. « At rumor iste, inquit N. *Lebeuf*, sup. pag. 12, qui & de reliquiis aliquorum sanctorum Galliæ circumfertur, falso nititur fundamento quoad sancti Victricii corpus integrum. Quinque nimirum inter grandiora ossa corporis sancti præsulis apud Branam sub altari ecclesiæ parochialis sancti Nicolai, etiam a bellorum istorum temporibus asservata sunt in sarcophago ligneo, scilicet os femoris, os tibiæ, os illud quod *peronée* vocant, item *omoplate* & coxis (id est coxa aut coxendix). Quædam etiam de eodem sacro corpore in ecclesia abbatiali sancti Evodii ipsius oppidi conservabantur, non vero totum corpus, ut putaverat Balletius. His adde brachium, quod jam ab initio duodecimi seculi ad monasterium Caritatis supra Ligerim delatum fuerat, ex chronico manuscripto Richardi monachi Cluniacens. Ossa autem quinque superius dicta solenniter illata sunt die 5 Maii anni 1733 in novam capsam manibus reverendi in Christo patris domini Francisci *le Febvre de Laubriere* episcopi Suessionensis, qui, ut didici ex processu verbali, statuit in posterum hanc translationem ritu semiduplici in jam dicta ecclesia S. Nicolai singulis annis recolendam. »

IX. Innocentius.

Sanctorum numero adscribunt Innocentium antiquissimi indices; ipse vero medius collocatur Evodium inter & Silvestrum in vetusto Gemeticensis abbatiæ chronico.

X. S. Evodius*.

Quinto vixisse seculo Evodium, qui & Evodus dictus est, perhibent omnes notitiæ veteres, omnes catalogi, monumenta ecclesiæ Rotomag. antiquissima omnia, in quibus fere omnibus ille locum habet medius Innocentium inter & Silvestrum. Catalogorum autem illorum unus undecimo seculo scriptus est ab anonymo quodam monasterii S. Audoëni Rotomagensis monacho, ex Mabillonio Analect. tom. II, pagg. 429 & 456. Alter, qui in abbatia S. Vandregisili asservatur, certo ante episcopatum Riculfi, hoc est ante exitum noni seculi descriptus est, cum desinat in Adelardo Riculfi decessore proximo. Sammarthani tamen, Pommerayus, aliique docti viri Evodium in sextum seculum rejiciunt proxime ante Prætextatum, hoc uno nixi fundamento, quod ex actis sancti præsulis coævus ille fuerit Clotarii I regis; quasi vero acta sancti Evodii fidem aliquam apud eruditos mereantur! At enim, si credimus actis illis, Evodius in archiepiscopum Rotomagensem electus est consentiente Clotario: ergo anno quam citius 558, cum Childebertus, qui in urbem Rotomagum & in universam Neustriam regnabat, non ante hunc annum obierit. Atqui palam fiet infra sanctum Prætextatum sedi Rotomag. præfuisse ab anno saltem 557, ad annum 585 & ultra. Unde merito colligas Evodium, si proxime Prætextatum antecessit, sedisse non sub Clotario, sed sub Childeberto. Atque hinc quam falsa sint acta illa, nemo non videt. Sancti præsulis dies festus agitur IV idus Octob. Dicitur functus Andilegi & elatus ad sepulturam in ædem sanctæ Mariæ Rotomagensis, inde vero postea Branam traductus in ecclesiam, quæ tunc S. Remigii, nunc suo ipsius nomine sancti Evodii dicitur, paretque sub titulo abbatiali canonicis Præmonstratensibus.

XI. Silvester.

XII. Malso *seu* Malsonus.

De his duobus nil præter nuda nomina.

XIII. Germanus.

Interfuit Germanus concilio Turon. primo, anno 461. 461.

XIV. Crescentius.

De quo solum nomen superest.

XV. S. Gildardus*.

Primus e gente Francorum videtur Gildardus sedem Rotomagensem occupasse, qui, ut observavimus tomo IX, col. 979, frater sancti Medardi Noviomensis episcopi fuisse creditur. Adfuit anno 511 concilio Aurelianensi primo; S. Laudum Constantiensem episcopum ordinavit, coliturque in ecclesia Rotomagensi, quemadmodum & sanctus Medardus, VI idus Junii. Fabellam hanc de utroque fratre narraverunt, quod uno eodemque die nati sint gemelli, eodem similiter die consecrati episcopi, eodem denique die commortui sint; sed rejecta fabula, quæ in chronologiam enormiter peccat, nil officit quominus traditioni majorum insistentes, utrumque sanctissimum præsulem agnoscamus fuisse fratres. Sepultus est sanctus Gildardus extra urbem in sacello quodam beatæ Mariæ, quod postea & nomine suo appellari cœpit, & extenso pomerio parochiis urbis adnumeratum est; sed inde Ludovico pio regnante asportatus creditur in abbatiam sancti Medardi Suessionensis.

XVI. Flavius*.

Adfuit Flavius, quem nonnulli sanctis accensent, annis 533, 538 & 541 conciliis II, III & IV Aurelianensibus.

XVII. S. Prætextatus.

Per longa ille temporum spatia honoratus est in ecclesia Rotomag. ut pontifex martyr, non quod pro christiana fide sanguinem suum fuderit, sed quod ab impia regina, cujus & effrænam libidinem & scelesta facinora redarguebat intrepidus, jussus fuerit atrociter ad ipsas aras trucidari. Ita vero & sanctus Leodegarius Augustodunensis, & sanctus Thomas Cantuariensis, & alii plurimi, honores martyrum in universa ecclesia adepti sunt, quamvis duntaxat passi vel pro morum sanctitate, vel pro disciplinæ integritate tuenda. Verumtamen hodie non colitur sanctus præsul in ecclesia Rotomagensi, nisi ut confessor pontifex. Merovechum Chilperici I filium de sacro fonte suscepit Prætextatus, eumdemque cum Brunechilde post mortem Sigeberti I, matrimonio conjunxit. Adfuit anno 557 concilio tertio Parisiensi, & anno 566 concilio II Turonensi; exauctoratus postea, cum seipse reum homicidii in Chilpericum mentitus esset, in alio Parisiensi concilio anni 577, instigante Fredegunde, nefaria illa regina, jubente Chilperico I, uxorio ejus marito, & in insulam dictam *Jersay* ablegatus est; Melantius autem, de quo mox dicemus, in locum ejus suffectus. Qua de re legendus Gregorius Turonensis lib. V, cap. 19. Discimus ex archivo S. Luciani Bellovacensis habitum Rotomagi conventum generalem III nonas Maii anno 22 Chilperici regis, quo perempto anno 584, Prætextatus in integrum

A restitutus est, ex Gregorio Turonensi lib. VII, cap. 16, adfuitque anno 585 concilio II Matisconensi. Rexit, si fides adhibenda est Orderico Vitali, annos 42, quod Cointius, tom. I, pag. 680, & tom. II, pag. 302, aliique docti extendunt ab anno 545 ad annum 586. Asserit Gregorius Turonensis histor. Franc. lib. VIII, cap. 31, sanctum præsulem occisum esse ipso Dominicæ Resurrectionis die; quod si intelligitur de anno 586, cadere videtur in diem XVIII calend. Maii, qui quidem dies anno 586, erat dies Paschatis. At sæpius apud scriptores ecclesiasticos, ipsumque Gregorium Turonensem B dies Resurrectionis Dominicæ usurpatur pro die qualibet Dominica. Et vero Baronius in notis ad martyrologium Romanum, antiquis, ut credere est, monumentis fultus, obitum S. Prætextati consignavit ad diem VI calend. Martii, qui dies a Paschate longissime abest; sed tamen anno 586 cadebat reipsa in diem Dominicam. Adde quod in ecclesia Rotomagensi traditur Prætextatus in æde sancti Gildardi interfectus esse. Hinc enim, cum divina Paschatis officia non alibi quam in ipsa sua cathedrali ecclesia celebrare debuerit, si revera interiit anno 586 in ecclesia sancti Gildardi, dicendus est obiisse C non die Paschatis XVIII calend. Maii, sed alia Dominica, quæ incidebat in diem VI cal. Martii.

ANNI CHRISTI 585.

Sed & anno illo 586 occisum esse Prætextatum, aut exordium episcopatus sumsisse anno 545, nullo argumento firmo evincitur. Interiit certe aut anno 588, quo Guntrannus rex Burgundionum cædem ejus ulcisci voluit, ex Gregorio Turonensi lib. IX, cap. 20, aut paulo ante hunc annum. Sed cum concilio V Aurelianensi anni 549, cui interfuere, sive per seipsi, sive per procuratores, Rotomag. provinciæ episcopi omnes, archiepiscopus Rotomagensis neque per seipse, neque per procuratorem interfuerit, hinc D non immerito colligas hoc ipso anno 549, sedem Rotomagensem vacavisse, & electum esse Prætextatum vel anno duntaxat 549, vel saltem anno 550. Sunt quidem ab anno 550 ad annum 588, anni omnino 38, quod longe abest ab annis 42, quibus ille ex Orderico præfuit ecclesiæ Rotomagensi. Sed observavimus supra in Severo chronologiam Orderici non esse suis omnibus numeris absolutam. Orationes quasdam scripserat in exilio suo Prætextatus, ex Gregorio Turon. lib. VIII, cap. 20, quæ periere.

XVIII. Melantius.

E Occiso Prætextato, Melantius, qui jam sedem ejus occupaverat ab anno 572 ad annum 584, ut modo observavimus, rursus ad infulas Rotomagenses evectus est, licet sanguinis Prætextati effusi vehementer suspectus, sed favore Fredegundis reginæ subnixus, rexitque, si Orderico credimus, duodecim annis. Gregorius Magnus papa ei quos in majorem Britanniam mittebat verbi Dei præcones commendavit anno 601: unde necesse est ipsum hoc eodem anno adhuc sedisse, initia autem episcopatus ejus ad annum

Gregor. M. lib. IX. epist. 48 & seqq. 601.

circiter 589 revocanda esse. Quod si verum est, A admittendum & erit ex his tribus unum: aut S. Prætextatum non obiisse ante annum 588, aut si obiit anno 586, Rotomagensem sedem vacasse duos ad minimum annos Prætextatum inter & Melantium; aut Ordericum denique falsum esse. At si falsus est Ordericus, quid, quæso, restat argumenti, ut mortem Prætextati illigemus anno 586?

XIX. Hidulfus.

De Hidulfo nihil compertum habemus. Rexit ex Orderico annos 28, Romanus vero successor ejus annos 13, ambo igitur annos 41: ergo si B sanctus Audoënus Romani successor consecratus est an. 640, necesse est Melantius obierit ante annum 600. Atqui illud ipsum falsissimum est, cum sedisse adhuc anno 601 supra ostenderimus.

XX. S. Romanus.

Referendarius fuisse, aut annulum Clotarii II regis gestasse dicitur in actis suis S. Romanus, qui summa veneratione colitur in ecclesia Rotomagensi, quod nempe reliquias idololatriæ in diœcesi sua, maxime vero apud ultimos Caletes, repullulantis radicitus tandem exstirpaverit. Quod autem tam præclaram a diabolo reportarit victo- C riam, defertur quotannis Rotomagi in supplicatione publica ipso die Ascensionis Dominicæ Draconis ingentis simulacrum, quasi imago idololatriæ prostratæ; (a) eodem vero die, de speciali regum nostrorum gratia, canonici ecclesiæ cathedralis eligant unum vinctum capitis reum, cui ad eorum nutum supremi judices pœnam remittunt. Sed & celeberrimæ civibus concessæ sunt nundinæ ad diem x calendas Novembris, qui sancto Romano festus est in universa diœcesi, & depositionis ejus dies esse creditur. Obiisse illum putamus anno 638, ut annus integer & aliquot menses effluxerint inter obitum ejus & D consecrationem sancti Audoëni. Sepultus fuerat sanctus pontifex in ecclesia sancti Gildardi, ubi visitur adhuc ejus sepulcrum; sed anno 1036 translatus est prope ecclesiam cathedralem, in sacellum nunc dirutum viæ, quæ adhuc sancti Romani nomen retinet: paulo post vero a Guillelmo *Bonne-ame* archiepiscopo in ipsam cathedralem ecclesiam, & postea anno 1179 in augustiorem thecam repositus. Verum anno 1562 impie combustus est a sacrilegis Novatoribus. Vitam ejus ab auctore antiquo metro conscriptam edidit Martenius Anecdot. tom. III, col. 1653. Alias duas soluta oratione depinxere E Gerardus decanus sancti Medardi Suessionensis post medium seculum x, & Fulbertus ex archidiacono Rotomagensi monachus sancti Audoëni seculo XII. Hanc ultimam luce donavit Nicolaus Rigaltius.

(a) Nil curamus fabulam veri draconis a sancto præsule devicti, quam transcribere integram Sammarthanos non piguit. In dracone sancti Romani, quemadmodum in dracone sancti Marcelli Parisiensis, in ipso sanctæ Margaritæ dracone & in aliis similibus draconibus, nil videmus præter idololatriam subactam proculcatamque.

XXI. S. Audoenus.

Præsul ille sanctissimus, cui primum nomen Dado, & quatuor olim dies festi in ecclesia Rotomagensi, natus erat Sanciaci in Suessionibus, beatis Authario & Aiga parentibus, fratremque natu majorem habuit venerabilem Adonem, de quo nos supra tom. VIII, coll. 1671 & 1708. In aula educatus ab adolescentia sua, ad episcopos tandem post gestum aliquandiu sub Dagoberto I & sub Clotario II regibus referendarii munus, evectus est. Quonam vero anno? ipse nos docet in vita sancti Eligii, Spicil. tom. V, pag. 194, his verbis: *Convenientes igitur in unum* (ego scilicet & Eligius) *in civitatem Rotomagensem quartodecimo die mensis tertii, tertio anno Clodovei, juvenculi adhuc regis, die Dominica ante Litanias . . . . . . consecrati sumus gratis ab episcopis pariter episcopi, ego Rodomo, ille Noviomo.* Certe ab anno 635, qui, quoquo modo computes annos Dagoberti I, ad regnum ejus pertinet, usque ad annum 668, longe post mortem Clodovei II, Dominica quæ proxime præcedit Litanias seu Rogationes, non incidit in diem XIV mensis Maii nisi anno 646. Ergo, aiunt plurimi, anno Christi 646 currebat annus tertius Clodovei II; ergo die XIV Maii ejusdem anni consecrati sunt episcopi & sanctus Eligius Noviomensis, & sanctus Audoënus Rotomag. Veruntamen doctissimi viri post Adrianum Valesium, qui epocham illam cum aliis chronologicis notis conciliare non potuere, aliam computandi viam aggressi sunt. Dagobertus I, inquiunt, regnavit annis VI in Austrasia, vivente patre; illi autem sex anni e numero sunt annorum XVI quos in universum regnasse perhibetur; ergo decem duntaxat restant computandi a morte Clotarii II; ergo obiit anno 638; ergo Clodoveus II eodem anno 638 regnare cœpit; ergo annus tertius regni ejus currebat cum anno 640; 640.
ergo non anno 646, sed anno 640, Eligius & Audoënus consecrati sunt episcopi. Quod si objicitur sanctos præsules ex ipso S. Audoëno consecratos esse pridie idus Maii Dominica ante Litanias, quæ duo in annum 640 cadere non possunt, respondet Cointius Annal. eccles. t. II, pag. 104 & seqq. Dominicam illam apud S. Audoënum significare non diem consecrationis, sed diem adventus amborum præsulum in urbem Rotomagum. Venerunt quidem, inquit, Rotomagum pridie idus Maii, sed consecrati sunt XII calendas Junii, qui revera dies cadebat anno 640, in Dominicam quæ antecedit Litanias. Mabillonius autem, cui solutio illa maxime arridet, quoniam & ipse pugnat pro anno 640, nihili facit veterrimi ecclesiæ Noviomensis calendarii auctoritatem, quod S. Eligii ordinationem rejicit ad diem XIV Maii, utpote quæ post annos forte centum, imo & ducentos ecclesiæ ejus fastis adscripta fuerit, vultque eos, qui *hanc ordinationem primi ecclesiæ suæ calendariis inscripserunt, ex loco Audoëni, obvio quidem sensu, sed non bene intellecto, eam reposuisse pridie idus, seu XIV die mensis Maii, quæ XXI die reponenda erat.* *Annal. Bened. tom. I, pag. 377.*

Promiseramus

Promiseramus non semel in superiori volumine, argumentum illud a nobis diligentius inquisitum iri in ecclesia Rotomagensi, ubi ventum esset ad sanctum Audoënum. Sed quæ jam a Valesio, Cointio, Pagio, Mabillonio & aliis tam erudite tractata sunt, ne nos iterare dicendo frustra videremur, nihil novi de nostro addituri, candidum lectorem admonemus, non aliam fere hic chronologiam in iis quæ ad annos regum Francorum prioris dynastiæ pertinent adhibitum iri ab illa, cui consulte adhæsere novissimæ historicorum Francorum collectionis auctores.

Obiit sanctus Audoënus IX calend. Septemb. post annos 43 regiminis, ex eo auctore qui vitam ejus scripsit, Fridegodus nonnullis dictus, & ex Orderico Vitali, anno itaque 683, in villa Clippiaco prope Luteciam Parisiorum, unde corpus ejus relatum est Rotomagum in basilicam seu monasterium sancti Petri, quod a multis retro seculis non alio jam, quam ipsius sancti præsulis nomine appellatur.

Vitam ejus scripsere auctores duo anonymi, quos habes apud Bollandistas mense Augusto, tom. IV, pagg. 805 & seqq. Ex his porro & quibusdam analectis, quæ ibidem collegere doctissimi hagiographi, hæc selecta accipe. Benedictus est puerulus a sancto Columbano abbate in domo paterna apud Vulciacum seu Ussiacum villam pagi Brigentis. Dum adhuc in aula versaretur, hæresim Monothelitarum, quæ ex Oriente in Gallias prorepserat, fortiter confutavit; simoniam pro viribus adortus est; multum adjuvit Adonem fratrem in fundando Jotrensi diœcesis Meldensis monasterio, & ipse in eadem diœcesi fundavit Resbacense an. 634. Electus episcopus non statim consecrari se permisit; sed sacerdos ab episcopo Matisconensi Deodato ordinatus, peregrinationem in Hispaniam suscepit, qua in regione & verbum Dei disseminare non cessavit & terram nimia siccitate laborantem recreavit copiosis imbribus a Deo impetratis. In Gallias redux, factusque, ut jam diximus, anno 640 episcopus, baptisavit Amalbertum filium sancti Geremari; sanctum Vandregisilum primo subdiaconum, deinde diaconum ordinavit; sanctum Geremarum ad presbyteros evexit; interfuit concilio III Cabilonensi; sanctum Filibertum abbatem Gemeticensem deceptus ab Ebroino tyranno ac falsis testibus mancipavit carceri, quicum postea, agnito suo errore, reconciliatus est amicitiamque renovavit; eumdem sanctum abbatem ac sanctum Vandregisilum invicem diffidentes ad concordiam reduxit; reliquias sancti Marculfi transtulit, Ragnobertum ab imminente cæde liberavit, & ab Ebroino latam adversus eum mortis sententiam in exilium commutavit. Subscripsit privilegio Chlodovei regis pro sancto Dionysio anno 653, privilegio Emmonis Senonensis archiepiscopi pro monasteriis S. Columbæ & S. Petri Vivi 658, privilegio Bertefridi Ambianensis episcopi pro Corbeia 663, & privilegio Drausii Suessionensis episcopi pro parthenone B. Mariæ 666. Præsens fuit morti S. Vandregisili anno 667. Circa id tempus S. Angadrismam postea Oratorii abbatissam velavit. Childerici funus curavit an. 673. Insigne privilegium a Theoderico III rege obtinuit; Gislemarum patri suo insidiantem redarguit fortiter, eique vindictam divinam postea secutam prædixit; Waningo illustri ac potenti viro persuasit, ut monasterium Fiscannense fundaret; fulgentem vidit in aëre crucem eo loci, ubi postea constructum est monasterium, primo Crux sancti Audoëni, deinde Crux sancti Leufredi dictum; alia ipse monasteria, ecclesiasque plurimas & xenodochia vel fundavit, vel fategit ut fundarentur. Romam perrexit ad limina Apostolorum salutanda. Redux in diœcesim suam, pacem inter Austrasios & Neustrasios componere aggressus, Coloniam petiit, unde ad suos iterum rediens, pie obdormivit in Domino apud villam Clippiacum, IX calendas Septembris, anno, ut jam dictum est, 683, multis & ante & post obitum clarus miraculis. Quæ fere omnia hic promiscue recensita, suis in decursu hujus voluminis, quantum fieri poterit, chronologicis notis distinguere tentabimus.

Corpus sancti pontificis relatum in urbem suam, conditum est in basilica sancti Petri, quæ nunc suo nomine *sancti Audoëni* dicitur, *in loco quem ipse præparaverat;* sed post annos tres & menses novem translatum est a sancto Ansberto successore suo in locum editiorem ejusdem basilicæ *ad orientalem plagam* altaris sancti Petri apostoli, ubi 165, forte 185 annis requievit; tum Normannorum metu asportatum est primo Vadiniacum, deinde varia in loca, ac demum in Vallem monachorum diœcesis Trevirensis; sed Rotomagum paulo post baptisatum Rollonem, in basilicam sui nominis relatum, & a Richardo I duce ornatissimo feretro donatum decimo seculo. Medio fere undecimo, dum nova basilicæ illius fabrica erigebatur, per provincias circumvectum est ad colligendas fidelium in hoc opus eleemosynas. Verum anno 1562, impii Calvinistæ & monasterium expilarunt, & corpus sancti præsulis cum plerisque sanctorum aliorum exuviis igne consumserunt. Supersunt tamen nonnullæ Rotomagensis antistitis, quæ vel sacrilegas hagiomachorum illorum manus evasere, vel antea variis ecclesiis donatæ fuerant reliquiæ. Paucis post ejus obitum annis monasteria ejus in honorem construxere Herlemundus Cenomannorum episcopus, & Leutfredus.

De vita sancti Eligii, quam scripsit sanctus Audoënus, diximus supra tom. IX in ipso sancto Eligio; dixerunt fusius sodales nostri in historia literaria Franciæ tom. III, pagg. 626 & seqq. Scripsisse adhuc creditur sanctissimus præsul vitam sancti Remigii, quam apud Helvetios in abbatia sancti Galli asservari dicunt. Præterea epistolam, quam scripsit ad sanctum Desiderium Cadurcensem episcopum, habes apud Canisium tom. V Antiq. lectionum, pag. 542; sed merito illi abjudicantur ab eruditis, & tres illi versus

de SS. Medardo & Gildardo, quos Sammarthani in ipso sancto Gildardo transcripsere, & ridicula quædam de anima Dagoberti regis charta, de qua monachus Sandionysianus apud Quercetanum tom. I, & Aimoinus lib. IV, cap. 34.

XXII. S. Ansbertus.

Ex abbate Fontanellensi seu S. Vandregisili electus anno 683, ut sancto Audoëno, a quo designatum volunt, succederet Ansbertus, apud Clippiacum, post diversa effugia, coram Theoderico III rege, cui erat a confessionibus & consiliis, præsulibus optimatibusque plurimis consecratus est a sancto Lamberto archiepiscopo Lugdunensi anno 684, quem tom. IV, col. 49 diximus annum 689, annis Audoëni ab anno 646 inchoatis. Natus erat ille Calceii * apud Velocasses nobilibus parentibus, abbatiamque sancti Vandregisili, in qua de eo recurret sermo, ad mortem usque tenuit cum archiepiscopatu Rotomagensi. Concilium celebravit anno 689, episcopatus sui quinto in urbe sua metropolitana. Accusatus nefandorum consiliorum apud Pipinum Heristalliensem, Majorem domus, exulare jussus est apud Altum-montem, monasterium pagi Hannoniensis, atque ibi tradente chronographo Fontanellensi, *Quæstionum ad Sivinum reclausum* volumen edidit; dum vero aliquanto post innocentia ejus recognita, permittitur redire ad sedem suam, obdormivit ibidem in Domino feliciter v idus Febr. an. 693 aut 695, cum de reditu ad sedem suam cogitaret, uti tom. III, col. 115, diximus. At corpus ejus, paucis interjectis diebus, e terra levatum, ad monasterium sancti Vandregisili cum ingenti pompa deportatum est ab Halidulfo Alti-montis abbate, conditumque in ædicula sancti Pauli, unde post annos novem aut undecim translatum est in majorem basilicam pridie calend. Aprilis anno 704, feria secunda post Pascha.

Annos *novem aut undecim* dicimus quasi dubitanter; chronographus enim Fontanellensis, qui decidere de controversia posset ex omnibus unus, rem tamen videtur in medio relinquere, quanquam hinc pendet chronologia obitus sancti Ansberti. Si enim annos duntaxat novem requievit corpus sancti præsulis in æde S. Pauli, quod asserit chronographus Spicil. tom. III, pag. 198, obiit ille 695; si vero annos undecim, quod asserit ibidem pag. 250, obiisse dicendus est anno 693, cui chronologiæ adhæsit chronographus Burgi sancti Petri, inter historiæ Anglicanæ scriptores varios Londini editos. Hic autem monitum volumus eruditum lectorem, 1.° vetustissimum quod superest alicubi terrarum chronici Fontanellensis exemplar asservari in bibliotheca sancti Vandregisili: 2.° in chronico illo scriptum esse prima manu, corpus sancti Ansberti quievisse in æde sancti Pauli annis *novem*, corpus vero S. Vulfranni annis *undecim*: 3.° emendatum esse textum illud posteriori, sed coætanea, aut fere coætanea manu; ut intelligantur e contrario sanctus Ansbertus jacuisse illic annis *undecim*, & sanctus Vulfrannus annis *novem*. Huic emendationi consentanea est vetustissima ejusdem chronici appendix, ibidem pag. 250. Chronici ejusdem variantes lectiones nec paucas, nec spernendas ex ipso Fontanellensi autographo cudi curavimus ad calcem hujus voluminis. *Instr. col. 1*

Vitam sancti Ansberti auctore Aigrado, Fontanellensi monacho fere æquali, habes apud Bollandistas Februarii tom. II, pag. 347, & Mabillonium Act. SS. Bened. tom. II, p. 1048. Reliquias sancti præsulis primus loco movisse fertur Bainus abbas Fontanellensis ineunte seculo octavo; eædem metu Normannorum in Pontivum, deinde ad Blandinium Gandavense monasterium delatæ, ibidem hactenus requiescunt.

XXIII. Grippo, *seu* Gripho.

Privilegio quod Agirardus episcopus Carnotensis concessit monasterio cuidam ignoto pridie nonas Martii anno secundo Childeberti III regis, ex Diplomatica lib. VI, num. 23, id est an. 696, subscripsit inter alios præsules Grippo, 696
qui cujus sedis episcopus fuerit non additur; ille tamen fuisse creditur ab eruditis, qui præfuit ecclesiæ Rotomagensi.

XXIV. Radilandus, *seu* Rolandus.

Quem diverse appellatum legimus Rotolandum, Rotlandum, Radilandum aut Raginlandum existimavit Mabillonius Act. Sanctorum Bened. secul. III, part. 1, pag. 360, non esse distinguendum a Raginfredo, qui paulo infra sequetur. Sed doctissimi viri sententiæ suffragari non possumus; vetera enim omnia monumenta, quæ laudavimus supra in Evodio, Radilandum a Raginfredo diserte secernunt, locumque dant illi Gripponem inter & Hugonem, huic Grimonem inter & Remigium. Cetera de principio aut fine ejus episcopatus nil certi definiri potest; at ex iis, quæ mox dicemus, patet illum sedere potuisse Rotomagi anno 713.

XXV. S. Hugo I.

De sancto Hugone & ejus prosapia jam diximus in episcopis Parisiensibus tom. VII, col. 28, ubi post Mabillonium asseruimus illum ex chronico Fontanellensi, ecclesiæ Rotomag. præfectum fuisse anno 722; ex illo tamen chronico id unum colligi potest factum fuisse archiepiscopum inter annos 713 & 723: anno enim 713, *dum adhuc laicus foret*, dicitur dedisse Vierlaicum villam monasterio Fontanellensi; anno autem 723 dicitur archiepiscopus, quando eamdem abbatiam obtinuit. Sed ex ejus diplomate, quod habes apud Bollandistas Aprilis tom. I, pag. 844, sacerdos jam erat & primicerius ecclesiæ Metensis VIII calend. Julii anno quinto Dagoberti junioris regis, hoc est anno Christi 715. In chronico autem Rotomagensi apud Labbeum biblioth. tom. I, pagina 365, obtinuisse dicitur anno 722 episcopatus Paris. & Bajocensem, abbatiasque Gemeticensem &

Fontanellensem, cum jam esset archiepiscopus Rotomagensis. Obiit Gemetici sanctus pontifex ex eodem chronico ibidem, VI idus Aprilis anno 730, *vir nobilis genere, sed non inferior religione;* conditusque est apud Gemeticum, unde corpus ejus nono seculo delatum est in prioratum Hasprensem diœcesis Cameracensis, tunc eidem Gemetico obnoxium.

Colitur meritissimus præsul V idus Aprilis in ecclesia Rotomagensi, quæ tamen ex Sammarthanis festum ejus celebrare cœpit anno tantum 1309. Acta ejus, quæ ex codice MS. Gemeticensi collegisse Baldricum Dolensem diximus tomo VII ibidem, descripsere etiam Sammarthani in archiepiscopis Rotomagensibus; sed cum tot fabulis scateant, ut ea referre non ausi sint, nisi demonstrarent simul fictitia esse ac supposititia, nos in iis immorari & inutile & fastidiosum esse existimamus. Legat potius eruditus lector commentarium historicum Bollandistarum de sancto præsule, Aprilis tom. I, pag. 843. De eo recurret sermo hoc in volumine in abbatibus Gemetici & Fontanellæ, & in episcopis Bajocensibus.

XXVI. Ratbertus.

Quæ gesserit, quando sedere vel cœperit, vel desierit Ratbertus, penitus ignoramus; videtur tamen electus esse anno 730 post obitum Hugonis. Eum nonnulli Sanctorum catalogo sub nomine Roberti inscripsere, quod observatum est a Bollandistis Januarii tom. II, pag. 235, sed nec Rotomagi, neque uspiam alibi cultu publico honoratur.

XXVII. Grimo.

Ratberto mortuo non videtur statim suffectus esse Grimo: vergente enim ad interitum prima regum nostrorum dynastia, pleræque sive Francorum, sive Germanorum ecclesiæ episcopis destitutæ cedebant aut militibus in stipendium, aut conductoribus & publicanis in pecuniæ suæ repræsentationem; adeo ut veros legitimosque pastores recuperare non cœperint nisi anno circiter 742, in ea imperii Francici parte quæ Carlomanno regi parebat; anno vero circiter 743 in reliquis provinciis, quæ dominationem Pipini agnoscebant. Eam fuisse tunc ecclesiæ Rotomagensis conditionem omnino verisimile est: Bonifacius enim præsul Moguntinus, quem Zacharias papa ecclesiarum Francicarum reformationi præposuerat, constituto in episcopum apud Rotomagenses Grimone, summum pontificem exoravit anno 743, ut ille *pallio* donaretur; qua de re legesis in Abele Remensi archiepiscopo tom. IX, col. 28. Atque hinc, si fides adhibenda est veteribus catalogis, qui quatuor tantum annos regiminis tribuunt Ratberto Grimonis decessori, vacare debuit ecclesia Rotomagensis annos novem, ab anno nimirum 734 quo obiisse dicendus est Ratbertus, ad annum 743 quo consecratus est Grimo, palliove decoratus. Hic porro ex actis archiepiscoporum Rotomagensium apud Mabillonium Analector. tom. II, pag. 433, *vir magnæ nobilitatis & probitatis extitit, populumque sibi creditum, tam bonorum operum exemplis quam prædicationibus optime gubernavit; ecclesiamque sanctæ Dei genitricis Mariæ . . . . . . propriis prædiis ac pluribus beneficiis augmentavit: Fontanas enim super fluvium Itonam sitas cum omnibus suis appenditiis dedit.* Dicitur tamen *ignarus* fuisse *literarum* in chronico Fontanellensi, Spicil. tom. III, pag. 216. Obiisse Grimonem anno 746 diximus olim tomo III, col. 830, sed profecto mendose ex mox dicendis.

ANNI CHRISTI

XXVIII. Raginfredus.

Nominatur Raginfredus primo loco in epistola undecima Zachariæ papæ missa anno circiter 745 ad episcopos Galliæ; unde necesse est Grimonem decessorem ejus paulisper admodum sedisse. Præsul ille, qui in chronico Fontanellensi, Spicil. tom. III, pag. 216, damnatur inscitiæ & tyrannidis, in actis vero modo laudatis prædicatur ut *literarum studiis imbutus,* & in ecclesiam Rotomagensem liberalis, quippe qui dederit ei *in territorio Vilcassino villam, quæ dicitur Cramisiacum* & alia *quamplurima beneficia,* natus erat nobilissimo loco, filiumque Pipini regis e sacro fonte susceperat, factus an. 739 abbas S. Vandregisili, ex chronico Fontanell. Spicil. tom. III, pag. 216. At pessima rerum administratione, si fides chronographo, odium monachorum in se concitavit, exauctoratusque est, consentiente rege anno 742. Paulo post ad infulas Rotomagenses assumtus, clericos de pravo suo regimine indignantes non minus quam monachos expertus est, turpiterque iterum e sede sua ejectus anno 754 ex chronico Rotomag. apud Labbeum, biblioth. tomo I, pag. 365. Verum ei *causa misericordiæ,* inquit chronographus pag. 218, *aliquæ villæ de eodem Rotomag. episcopio attributæ fuerunt, de quibus una erat Clovialus super alveo Sequanæ constituta, in qua etiam post aliquod tempus ejectionis suæ, morbo correptus vitam finivit.* Porro neque ad ripam Sequanæ, neque in universa diœcesi Rotomag. ullum locum novimus nomine *Clovialum;* sed certe *Clovialus* errore Amanuensis hic appositus est pro *Chonialo* aut *Conialo,* vernacule *Connelle,* qui vicus dexteræ fluminis illius ripæ insidet supra ostium Andellæ, atque etiamnum numeratur inter possessiones ecclesiæ Rotomagensis. Addit chronographus corpus Raginfredi delatum esse illinc Rotomagum, id est ad ecclesiam cathedralem, ibidemque sepulturæ traditum.

Circiter 745.

754.

XXIX. S. Remigius.

Caroli Martelli filius, sive legitimo, sive non legitimo thoro natus Remigius, a quibusdam vocitatus est Egidius, sed vero nomine dicebatur, quemadmodum celeberrimus ille archiepiscopus Remensis, Remigius, aut Remedius. Ad cathedram Rotomagensem assumtus anno 755, ex utroque chronico Fontanellensi & 755.

Uticensi, postquam Lingonensis ecclesiæ bonis A aliquandiu potitus esset, missus est a Pipino rege fratre suo ut sancti Benedicti exuvias Floriaco Casinum revehi curaret; sed impeditus divinitus ne corpus integrum auferret, aliquas tamen reliquias obtinuit, quas Pipinus Casinensibus misit. Ad Desiderium regem Longobardorum legatus deinde est ab eodem rege fratre, ut eum hortaretur ad restituenda ecclesiæ Romanæ patrimonia; unde gratias egit Pipino Paulus primus pontifex epistola tertia anno 760 data, in qua archiepiscopus Rotomagensis vocatur *Deo amabilis Remedius*. Postea & cantum & ritus Romanos præsul ille introduxit in Gallias, missis ea de re Romam B monachis, jussu ejusdem papæ institutis. Nomen ejus subscriptum legitur in conventu Attiniacensi anni 765, hoc modo: *Remedius vocatus episcopus civitatis Rodomæ*. Obiit sanctus pontifex anno 772, ordinationis suæ 17, XIV cal. Februarii, quo etiam die honoratius colitur in ecclesia Rotomagensi. Corpus ejus in sua cathedrali conditum, delatum est postea ad S. Medardum Suessionensem, & anno 1090, ad suos Rotomagenses in basilicam sancti Audoëni relatum; sed anno 1562, cum plurimis aliis sanctorum pignoribus a neotericis in cineres redactum. De sancto præsule diximus tom. IV, col. 525. Lege C etiam commentarium historicum Bollandistarum, Januarii tom. II, pag. 235, & vitam ejus apud Martenium, Anecdot. tom. III, col 1666.

XXX. Magenardus.

Meinardus *seu* Meginhardus jam anno 772, archiepiscopus, ex chronico Rotomagensi apud Labbeum, tomo primo, pag. 365, missus erat dominicus sub Carolo Magno, tam in Cenomannis, quam in universa metropoli sua, ex Quercetano hist. Franc. tomo II, pag. 186. Adfuit anno 794, concilio Francofordiensi, annis vero 798 & 799, dedicationi ecclesiarum D monasterii Centulensis. Unus est ex episcopis, quibus Carolus magnus scripsit epistolam de gratia septiformis Spiritus, quam habes Analect. Mabillonii tomo quarto, pagina 312.

XXXI. Willebertus *seu* Gilbertus.

Fuit primum Willebertus nondum archiepiscopus Ludovico pio nondum imperatori, sed Aquitaniæ regi, a secretis, ex Quercetano hist. Franc. tom. II, pag. 289. Fallit ergo chronicon Rotomagense apud Labbeum, tomo I, pagina 365, cum anno 780 Guillebertum dicit archiepiscopum. Sed archiepiscopus postea factus, E ejusdem imperatoris missus est dominicus anno 823 in metropoli, aut saltem in diœcesi sua, ex Capitul. regum Franciæ, tom. I, col 641. Terram accepit a Ludovico pio, conterminam *monasterio*, id est ecclesiæ cathedrali, *ad amplificanda & dilatanda claustra canonicorum suorum*, ex charta II novi Alphabeti Tironiani, pag. 49.

XXXII. Ragnoardus.

Anno 828, episcopatum Rotomagensem accepit Ragnoardus, ex chronico Rotomagensi apud Labbeum tomo I Manuscript. pag. 365. A CH
Eodem anno Ludovicus pius ex Capitular. reg. Franc. col. 653, concilium indixit Lutetiam Parisiorum, quo convenire debebat Ragnoardus *seu* Rainowardus, qui revera eidem interfuit anno sequenti. Huic Ansegisus abbas Fontanellensis 82.
testamento condito 831 libras X legavit, quas 83
quinque presbyteris totidemque pauperibus erogaret. Adfuit anno 833, concilio Senonensi, 83
& anno 835 alteri concilio apud Theodonis- 83
villam.

XXXIII. Guntbaldus.

Perperam appellatur Guivildidus præsul ille in chronico Rotomagensi apud Labb. biblioth. tom. I, pag. 365, qui vero nomine appellari debuit Guntbaldus aut Guntboldus. Erat ille nobili prosapia ortus, ex actis archiepiscoporum Rotomagensium apud Mabillonium Analect. t. II, pag. 436. Ex monacho S. Medardi Suessionensis, inquiunt, archiepiscopatum Rotomag.
accepit anno 838, ex chronico Rotomagensi 838
apud Labb. tomo I Manuscript. pag. 365.
Adfuit anno 843 conventui episcoporum Ger- 843.
miniaci congregatorum, ubi datum privilegium
Corbionensi monasterio; anno 846, conventui 846.
Sparnacensi, & anno 847, synodo, quam ipse 847.
ex mandato tam regis quam papæ indixerat Lutetiæ pro instaurando judicio Ebonis archiepiscopi Remensis. Vide Flodoardum, libro tertio,
cap. 2. Obiisse legitur nonis Januarii 848, in 848.
chronico Fontanellensi.

5 In subscriptionibus privilegii monasterio S. Remigii Senonensis concessi, hæc leguntur: *Ruricus Rotomagensis vocatus archiepiscopus subscripsi.* Acherius noster, qui privilegium illud vulgavit Spicileg. tom. II, pag. 586, apposuit in capite annum 852; sed annus ille repugnat chronologiæ omnium fere episcoporum qui huic privilegio subscripsere, & anno 852 jam decesserant, aut locum fecerant successoribus suis. Monumentum illud & nos olim data opera perpendimus tom. IV, col. 363, dum ageremus de Alteo episcopo Augustodunensi, qui illud similiter subscriptione sua roboravit: tunc autem rejecimus illud in annum circiter 845, cui convenire videtur, vel anno 846, ad quem quin referendum esset Mabillonius non dubitavit, Annal. tom. II, pag. 668. Solis enim his annis duobus simul vivebant subscripti præsules. Atqui constat ex dictis ante & post hos annos duos Rotomagi sedisse Guntbaldum. Numquid duo simul erant archiepiscopi Rotomagenses, Guntbaldus & Ruricus? sed Rurici nomen nulli præferunt catalogi. Quod si recentiores tantum haberemus indices, quantacumque illi diligentia scripti essent, Ruricum tamen in eis prætermissum esse concedi posset. Sed vetustissimos consideramus catalogos, chronicon videlicet Rotomagense scriptum decimo quarto seculo, historiam Orderici Vitalis qui vivebat duodecimo, catalogum abbatiæ sancti Audoëni scriptum undecimo, catalogum denique monasterii Fontanell. scriptum

decimo. In iis autem omnibus nulla Rurici mentio, qui si revera cathedram Rotomagensem tenuit, quomodo ignorari potuit ab auctore catalogi Fontanellensis, qui eum & videre & cognoscere debuit? nisi forte juris aliquid in ecclesiam Rotomag. habuerit Ruricus, Guntbaldique competitor, & causa victus, archiepiscopi titulum retinuerit, quo nomine privilegio subscripsit. Aliam iniit viam Mabillonius, quem secuti sunt eruditi nonnulli. Subdubitavit an Ruricus idem foret qui Paulus Guntbaldi successor, cui privilegium postea subscribendum oblatum fuerit; sed difficultatibus non caret hæc ratio.

XXXIV. Paulus.

Archiepiscopus ordinatus est Paulus VIII idus Januarii anno 849, ex fragmento chronici Fontanellensis. Subscripsit anno eodem epistolæ synodi Parisiens. ad Nomenoïum ducem Britanniæ. Adfuit an. 853, concilio Suessionensi, eodemque anno nominatus est missus dominicus in pagis Rotomagensi, Talogiensi, Viminensi, Pontivo & Ambianensi. Anno denum 855. adfuit conventui Bonogilensi, eodemque obiit, ex chronicis Rotomagensi & Fontanellensi. Libellum translationis sancti Regnoberti episcopi Bajocensis ad ejus preces scripsit *Joseph* sacerdos *olim studiis cum ipso sub conditione Almarici Turonensis archiepiscopi eruditus*. Vide Quercetanum hist. Franc. tomo tertio, pag. 417, aut Spicil. tomo XII, pagina 621.

XXXV. Wenilo.

Ambianensis clericus Wenilo Ragenarium præsulem suum secutus fuerat anno 849 in conventu Carisiacensi adversus Gotescalcum. Ordinatus archiepiscopus anno 855, missus est a synodo Metensi ad Ludovicum anno 859, adfuitque eodem anno concilio Tullensi apud Saponarias, anno 860 conciliis Aquisgranensi, & alteri Tullensi apud Tusiacum villam; anno 862 concilio Pistensi, anno 863 concilio Vermeriensi, anno 866 concilio Suessionensi III, anno 867 concilio Trecensi, anno 868 examinationi Willeberti episcopi Catalaunensis; denique anno 869 conciliis Vermeriensi & Pistensi. Exstat in cœnobio S. Audoëni diploma Caroli Calvi, datum Germerigia palatio IV nonas Novembr. regni ejus 24, hoc est anno Christi 863, quo res confirmat sanctæ sedis Rotomagensis, in honore Dei genitricis semper virginis Mariæ, sanctique Petri apostolorum principis, almique Audoëni, ceterorumque sanctorum ibidem quiescentium fundatæ, petente eodem Wenilone, cum tunc ecclesiæ instrumenta penitus incendiis deperiissent, & asportatione seu assumtione perditionis consumta fuissent, Normannica scilicet vastatione, quod in eodem præcepto continetur. Obiisse Wenilonem aiunt Sammarthani, anno 871, mense Septembri, quod conciliari nequit cum chronologia Adelardi ejus successoris. Habes concil. Normanniæ part. II, pag. 14, epistolam quam scripsit ad eum Liutadus Vinciensis episcopus, cujus & nos meminimus tom. III, col. 1215, quamque retulimus inter instrumenta ejusdem tomi, ch. I, col 193.

XXXVI. Adelardus.

Ex actis archiepiscoporum Rotomagensium apud Mabillonium Analect. tom II, pag. 436, *Waniloni successit Adalardus nepos Gumbaldi archiepiscopi, qui religiosus in cunctis operibus fuit*. & adstitit anno 871, mense Aug. celebri concilio 871.
Duziacensi primo. Sedebat adhuc VIII idus Martii 872, quo die presbyterum ordinavit 872.
chronici Fontanellensis scriptorem anonymum, ex Quercetano hist. Franc. tom. II. pag. 387.

XXXVII. Riculfus.

Adalardo, ex iisdem actis, *successit Riculfus, vir nobilis & multis dives prædiis, quibus ecclesiam sibi commissam hereditavit*. De eo Sammarth. hæc habent: Riculfus abbas item S. Audoëni, in cujus monasterii chartophylacio, ubi cœnobiarcham se inscribit, vetustissimum asservatur documentum cum subscriptionibus ipsius Riculfi, Sicbardi episcopi, abbatum, canonicorum, monachorum, fideliumque laïcorum, ac Flodegisii notarii, quo testatur ad limina sanctorum Audoëni, Nicasii, Quirini, Scuviculi & Pientiæ, quorum corpora apud Vadiniacum Normannorum metu tunc exulabant, orationis causa se contulisse anno ordinationis suæ primo, XVI cal. Decemb. ac postridie inspecto S. Audoëni corpore, detractisque ex eo quibusdam reliquiis, ad conciliandam sibi sancti confessoris gratiam duos mansellos in Bidolido cum mancipiis Bertuino, Winetrude, Gumberga & ceteris adjacentiis de villa Rumiliaco, ad ejus luminaria perpetuo fovenda prædicto cœnobio assignasse. Chartam habes apud Pommerayum hist. sancti Audoëni, pag. 399. Idem Riculfus, pergunt Sammarthani, obtinuit a Carolo Calvo confirmationem rerum quas ipse & decessores sui canonicis sanctæ Mariæ Rotomagensis dederant, quibus ipse adjecit multa diplomate propter ea concesso, cujus exemplum visitur in tabulariis archivi capitularis, sine anno & indictione, designato duntaxat die festivitatis sanctarum virginum Perpetuæ & Felicitatis, id est 7 Martii. Hucusque Sammarthani, qui rem videntur doctius intellexisse quam scriptor actorum archiepiscoporum Rotomagensium, de quibus supra, & auctor chronici sancti Audoëni, qui in Neustria Pia pag. 6, ait corpus sancti Audoëni elevatum esse an. 842 a Riculfo archiepiscopo, & inde ad Vadiniacum esse transportatum. Hic enim episcopatum Riculfi perperam rejicit in primos Caroli Calvi regnantis annos, ille vero nihilo diligentior, diploma de quo loquitur, attribuit non Carolo Calvo cursum vitæ fere conficienti, sed Carolo Simplici *patri*, inquit, *Ludovici regis, cujus fuit filius rex Lotharius, in quo progenies Caroli Magni e regno funditus exstirpatur*. Longe enim obierat, aut successorem habuerat Riculfus, antequam Carolus Simplex regnum Francorum adipisceretur; longe

etiam absunt initia pontificatus ejus a primis A Caroli Calvi annis.

XXXVIII. Johannes I.

Impetravit Johannes VII calendas Junii a
875. Carolo Calvo anno regni 36, privilegium pro rebus S. Audoëni, datum apud *Bazju* palatium imperiale, cujus gemina hodieque visuntur exemplaria, & in eorum altero sigillum perantiquum cum imperatoris effigie; alterum sine sigillo exstat apud Pommerayum hist. abbatiæ sancti Audoëni, pagg. 401 & seqq. Adfuit concilio
876. Pontigonensi anni 876; celebravit quoque synodum generalem in urbe aut diœcesi sua anno B incerto. Scripsit ad eum Johannes VIII papa & ad diversarum sedium episcopos epist. 99, datam IV idus Junii, indict. XI, hoc est anno
878. 878, qua eos ad concilium quoddam invitabat. Ex epistola autem 305 ejusdem summi ponti-
882. ficis data anno 882, quam retulimus in Frotario archiepisc. Bituricensi, tom. II, coll. 32 & 33, patet Johannem archiepiscopum in odium papæ tunc temporis incurrisse; sed qua de causa non liquet. *Johanni archiepiscopo Rotomagensi* (scripsit Marinus papa) *præcipiens ut* (Erminfridum) *admoneret ab sacrarum rerum pervasione cessare; quod si facere nollet, canonicam subiret ultionem.* Sed C cum Johannes de die in diem procrastinasset, Fulco archiepiscopus Remensis Stephanum papam efflagitavit, ut eidem præciperet, ne ullam in eumdem (Erminfridum) *excommunicando afferret amplius dilationem*, ex Flodoardo lib. IV, cap. 1.
888. Synodo Moguntinæ adfuit Johannes anno 888, ejusque solenni decreto pro Corbeiensibus & Herisordiensibus monasteriis subscripsit.

¶ Johannem inter & Wittonem qui sequitur, nonnulli post Sammarthanos Leonem quemdam cum titulo Sancti interseruere, sola notum narratiuncula, quam Pommerayus ipse hist. archiepiscoporum Rotomagensium, pag. 226, intel- D lexit admitti non posse, nisi & subvertantur characteres chronologici, & actorum seu personarum nomina immutentur. Certe de sancto Leone illo ne verbum quidem ullum faciunt sive scriptores, sive catalogi, sive monumenta quævis fide digna. Neque est quod Leonis & Vittonis duo nomina uni eidemque archiepiscopo Rotomagensi imposita fuisse tibi persuadeas cum Denyaldo in Rollone suo Normanno-Britannico, cap. IX, pag. 96; quæ enim de Leone narrantur, longe dissimilia sunt ab his quæ de Vittone tradita sunt. Franciscus tamen Harlæus hujus cognominis primus archipræsul Rotoma- E gensis Leonem non solum in decessorum suorum numerum retulit anno 1633, sed & ipsi diem festum in sua diœcesi indixit calendis Martii. At qui novo illius ecclesiæ breviario concinnando insudarunt, nullum ei sive in calendario, sive in litaniis locum dedere. Quasdam ea de re literas lege, si vacat, apud Pommerayum concil. Rotomag. pagg. 37 & seqq. Lege etiam quæ de Leone illo diximus in ecclesia Baïonensi, tom. I, coll. 1309 & 1310.

XXXIX. Vitto, *seu* Witto, *aut* Wido.

Unus est e judicibus Wido, qui in placito Vermeriensi cellam *Alsa* dictam monasterio Adremarensi adjudicarunt pridie cal. Oct. 892. 892.
Adfuit idem anno 900 inaugurationi Hervei 900.
Remensis archiepiscopi, ac sententiæ excommunicationis latæ apud Remos in homines Balduini Flandriæ comitis, ob cædem Fulconis archiepiscopi Remensis. Præsens quoque anno 909 909.
concilio Trosleiano, multum in paganorum Normannicæ gentis conversione adlaboravit. Hujus ad petitionem, teste Flodoardo lib. IV, cap. 14, Herveus Remensis archiepiscopus collecta ex diversis auctoritatibus sanctorum Patrum XXIII capitula, qualiter ipsi Nordmanni tractari deberent, eidem archiepiscopo delegavit. Capitula illa habes in collectione conciliorum Labbeana, tom. IX, pagg. 484 & seqq. sub hoc titulo: *Herivei Remensis archiepiscopi ad Widonem Rotomagensem archiepiscopum epistola, sive libellus, qualis pœnitentia debet injungi non baptisatis gentilibus, & baptisatis, & rebaptisatis, & postea more paganico ecclesias devastantibus, & christianitatem deludentibus, ex sententiis patrum, & canonibus & decretalibus pontificum Romanorum.* Inscriptio autem sic se habet: *Reverentissimo ac dilectissimo fratri & coarchiepiscopo Witoni Heriveus Remorum archiepiscopus, plurimam in omnium Salvatore salutem, æternæque beatitudinis felicitatem.*

XL. Franco.

Rollonem Normannorum principem ac primum Normanniæ ducem baptisavit Franco anno 912, cui notæ chronologicæ adhærendum esse, 912.
plurimis probavit eruditus N. *des Thuillerie*s in libro, cui titulum fecit: *Dissertation sur la Mouvance de Bretagne*, pagg. 44 & seqq. Multa ille molitus erat, ut ferum illum grassatorem ad pacem cum Francis ineundam, veramque religionem amplectendam adduceret. Vide Dudonem lib. II, pagg. 79 & seqq. Obiit anno 919, ex chronico Rotomagensi apud Labbeum 919.
biblioth. tom. I, pag. 366.

XLI. Gonthardus, *seu* Gunthardus.

Franconem excepit anno 919 Gunthardus, qui Gunhardus dicitur in eodem chronico, & apud Ordericum Vitalem lib. V, pag. 565, ex quibus colligere est obiisse illum anno 942. 942.

XLII. Hugo II.

Hic fuit prosapia clarus, sed ignobilis cunctis operibus, ex actis archiepiscoporum Rotomag. apud Mabillonium Analect. tom. II, pag. 437. *Monachus enim apud sanctum Dionysium erat, quando Willelmus filius Rollonis dux Normannorum ei episcopatum tradidit* anno 942, ante diem XV calend. Januarii. *Sed postpositis sanctæ regulæ institutis, carnis petulantiæ se omnino contulit: filios enim quamplures procreavit; ecclesiam & res ecclesiæ destruxit; Todiniacum enim, qui in dominicatu archiepiscopi erat, cum omnibus appenditiis suis fratri*

suo Radulpho potentissimo viro, filio Hugonis de Calvacamp dedit, & ita a dominicatu archiepiscopatus usque in præsens alienavit. Succinit Ordericus Vitalis lib. v, pag. 565, his verbis: *Hic 47 annis præsulatu functus est*, nempe in annum 989: *sed a nullo scriptorum, qui de illo sive episcopatu ejus locuti sunt, laudatus est. Palam memoratur, quod habitu, non opere monachus fuerit.* Conjicit Pommerayus concil. Rotomag. pag. 137, huic nuncupatam fuisse anno 950, aut circiter, a Gerardo quodam monacho sancti Medardi Suessionensis vitam, quam ille stricta oratione scripserat, sancti Romani episcopi Rotomagensis. Scribebat enim Gerardus ille eo tempore, quo castrum Branæ dominio ecclesiæ Rotomagensis subjectum erat: anno autem 950, ex chronico Flodoardi, *homines Ragenoldi comitis quamdam munitionem Rodomensis ecclesiæ super fluvium Vidulam sitam, quam vocant Brainam, furtivo capiunt ingressu; unde iratus Hugo princeps ad regem mittit, & rex illò profectus eosdem invasores expellit.* Adstitit Hugo præsul translationi corporis sancti Audoëni in novam capsam. Meminit Hugonis archiepiscopi necrologium ecclesiæ cathedralis, IV idus Novembris.

5 Rodulfum quemdam in quadripartita Galliæ christianæ editione intruserunt Sammarthani Hugonem inter & Robertum qui sequitur, delusi instrumento quodam ex historia comitum Pertici desumto, cujus in subscriptionibus nomen Rodulfi Rotomagensis archiepiscopi legerunt: sed haud dubie in autographo nomen præsulis illius litera tantum initiali R. designari debet, quæ non Rodulfum, sed Robertum significat.

XLIII. Robertus I.

Richardi I, Normanniæ ducis ex Gunnoride filius Robertus, archiepiscopatum Rotomagensem simul & comitatum Ebroicensem tenuit 48 annis, ex Orderico Vitali lib. v, pag. 566, hoc est ab anno 989, ad annum 1037. Nunc enim ad Orderici calculum paulo attentius respicimus; 1.° quod ab ipsius Roberti ejusque successoris ætate non longe vixerit; 2.° quod præsules illi e sanguine ducum suorum prognati essent, quorum notior semper vita, quam pri-
990. vatorum hominum. Robertus anno 990, ecclesiam Fiscannensem consecravit; donatum a Waltero comite Crespeiensi monachis S. Arnulfi
1008. anno 1008 burgum in suburbio castri situm
Chart. I. confirmavit. Testis fuit fundationis prioratus
Longæ-villæ anno 1012; subscripsit diploma-
1012. tibus Richardi Normann. principis pro sancto
Quintino anno 1015, & pro Fontanella anno
1015. 1024. Cum Roberto duce ipsius nepote ecclesiæ
Rotomag. possessiones confirmavit, ablatasque
restituit anno 1025. Condedi anachoretæ corpus
1025. cum corpore Eremberti episcopi Tolosani uno
1027. in loculo reposuit an. 1027. Adstitit fundationi
1030. & dedicavit an. 1030 ecclesiam SS. Trinitatis
Chart. V. prope Rotomagum. Reliquiis sancti Nicasii e
Vambasio Rotomagum translatis cum universo
1032. clero obviam ivit anno exeunte 1032, & anno

A sequenti ecclesiam Fontanellensem consecravit, pluribus interea chartis in gratiam monachorum sancti Audoëni, Gemetici, Fontanellæ, &c. subscriptione sua firmatis. Circa id tempus Gualterius toparcha Gornacensis, filius Reginaldi & Alberadæ collegiatam fundavit apud Firmitatem in Braio, cujus canonici seculo, ut credere est, sequenti regulares effecti, ad sanctum Laurentium in Leonibus, ut vulgo dicitur, commigrarunt paulo post eversam an. 1151 Firmitatis arcem, ibique hactenus degunt reformationi Friardelli addicti. Sed ad Robertum archipræsulem quod propius spectat: *Mundanis opibus*, verba sunt ANNI CHRISTI 1033.
B Orderici Vitalis lib. v, pag. 566, *affatim abundavit, secularibus negotiis oppido intentus exstitit, & a carnalibus illecebris non, ut pontificem decuisset, abstinuit; nam conjugem nomine Herlevam ut comes habuit, ex qua tres filios Ricardum, Radulfum & Guillelmum genuit, quibus Ebroicensem comitatum & alios honores amplissimos secundum jus seculi distribuit. In senectute tandem errorum memor suorum pænituit, & pro reatibus multis magnisque multum timuit. Magnas igitur & multas eleemosynas pauperibus erogavit, ecclesiamque metropolitanam in urbe Rotomagensi sanctæ Dei genitrici a fundamentis inchoavit, quam magna ex parte consummavit.*

C Discordia non levis ipsi & Roberto duci fratris sui filio incesserat, quam sic perstringit Guillelmus Gemeticensis lib. VI, cap. 3. *In primordiis suorum actuum Robertus dux suspectum habens Robertum archipræsulem, hostili obsidione Ebroicam giravit urbem. Ejus igitur efferos impetus archipræsul cupiens declinare, intra urbis mœnia cum militari manu obstruxit se. Novissime vero datis dextris ab ea secedendi, Robertum regem Francorum cum suis exul adiit, & Normanniam pontificali anathemate percussit. Robertus ergo dux recompensata improborum astutia, & perpendens se inconsulte egisse omnia, archiepiscopum a Francia revocavit, & in pristinum*
D *honorem restituit. Postea mali pœnitens facti, suis, ut tantum virum decebat, ascivit consiliis, in reliquum illi persistens fidelis.* Unde & Fulbertus Carnotensis episcopus ad eum antistitem scribens epist. LV, sic eum affatur: *Compatior tibi, sancte pater, super adversis, quæ indigne passus es, præsertim ab eo, qui & se & sua tuæ fidelitati debuerat. Super illo quoque debeo* vehementer, fratre & coepiscopo nostro, dum staret, in tanta nunc flagitiorum atque facinorum præcipitia lapso . . . . Habes enim ex Dei gratia, charitatem, qua ipsum errantem revoces, frenum canonicæ districtionis, quo detrectantem coerceas, virgam qua ferias. His utere*
E *competenter.* In quo contextu quempiam ex episcopis provinciæ Rotomagensis significari suspicamur, qui dum amborum vigeret discordia principum, in metropolitam suum turpiter insurrexerit. Postea tamen Robertus magnam sedavit discordiam, quæ eidem duci erat cum Alano Britanniæ duce, ex eodem Gemeticensi, ibidem cap. 11, pag. 266. Obiit præsul anteactæ vitæ gemebundus an. 1036, ex chronico Rotomag. apud Labb. biblioth. tom. I, pag. 366, aut anno 1037, ex ejus epitaphio, diciturque 1037.

* l. doleo.

ANNI CHRISTI

Vide t. VIII. instrum. eccl. Carnot. chart. XIII col. 298.

a nonnullis tumulatus in ecclesia S. Petri in valle Carnotensi, cui revera, dum viveret, plurima bona contulerat. Ea est certe seu traditio, seu opinio monasterii illius, cujus monachi anno, inquiunt, 1710, tumulum ejus in suæ basilicæ facello, sancti Laurentii dicto, hac epigraphe donarunt: *Hic jacet Robertus filius Richardi primi, ducis Normanniæ, primus comes Ebroicensis, & archipræsul Rotomagensis ecclesiæ, quam a fundamentis magnifice exstruxit. Obiit anno 1037, de quo Ordericus Vitalis:*

Insignis præsul, claris natalibus ortus,
Robertus felix devoto fine quievit.

Lege adhuc, si lubet, historiam genealogicam magnatum Franciæ, tom. II, pag. 477, in qua nonnulla reperies, quæ nobis non satis comperta esse visa sunt.

DE NORMANDIE.

XLIV. Malgerius.

Richardi II Normanniæ ducis, ex Papia, secunda conjuge filius Malgerius patruum excepit, antea monachus Fiscannensis, *qui quia non electione meriti*, inquiunt pag. 439, acta archiepiscoporum Rotomagensium sæpius laudata, *sed carnali parentum amore & adulatorum suffragio in pueritia sedem adeptus est pontificalem omni destitutus tutela, potius adquievit carni & sanguini, quam divinis mandatis. Voluptatem enim per omnia sequens, ornamenta ecclesiæ ceteraque beneficia pueriliter erogavit. Et ideo auctore papa Leone, Willelmus dux Normannorum, postea effectus rex Anglorum, assistente præfati papæ legato, scilicet Hermenfrido Sedunensi episcopo, ceterisque comprovincialibus episcopis in Lexoviensi ecclesia ab episcopatu eum destituit, deditque postea illi quandam insulam in Constantiensi pago in mari sitam, in qua pluribus annis non quidem, ut decuit, vixit, postea vero, quo autem divino judicio ignoratur, in mari submersus est.* Guillelmus Gemeticensis concinit fere lib. VII, cap. 24, his verbis: *Malgerius archipræsul Rotomag. desipere cœpit, & insipientia ductus archipræsulatum duci reddidit; dux autem Malgerium in insula, quæ dicitur Ghernervia, retrusit, & synodi decreto metropolitanam sedem Maurilio Fiscannensi monacho multis virtutibus excellenti tradidit.* Concinit & Ordericus Vitalis lib. V, pag. 566, ubi ait: *Hic .... sine apostolica benedictione & pallio Rodomensibus dominatus est; voluptatibus carnis, mundanisque curis indecenter inhæsit, filiumque nomine Michaëlem, probum militem & legitimum genuit, quem in Anglia jam senem rex Henricus honorat ac diligit.*

At audiendus potissimum Guillelmus Pictav. Lexoviorum archidiaconus apud Quercetanum, hist. Normann. pag. 194: *Is*, inquit de Malgerio loquens, *Richardi II filius, sacra dignitate abutebatur, veluti natalium jure, sua; pallio tamen nunquam est insignitus, quod principale ac mysticum archipræsulatus insigne manus Romani pontificis mittere solita, ei denegavit, ut minus idoneo. Scripturarum arcana intelligentiæ literalis oculo colligere non indoctus fuit, sed quo præcipiunt moderamine, neque subjectorum, neque propriam vitam gubernare studuit. Quam pietas plurimorum ornando ditavit, ille spoliando attenuavit ecclesiam, non sponsus ejus, vel pater dicendus, sed rapacissimus prædo. Mensas equidem nimium sufficientes, nimium nitidas præbere, largiendo laudem emere amabat, specie liberalitatis prodigus: sæpenumero monitus atque castigatus privatim atque publice domini sui juvenis & laici sapiente diligentia, pergere malebat eadem pravitatis via. Nec enim modum posuit largitioni, donec sedes metropolitana omni fere ornamento caruit & thesauro .... Præterea molestus infamiæ ejus odor diffundebatur ob alia crimina ...... Læsit insuper injuria non levi ecclesiam universalem, cujus unicum primatem ..... non qua decuit obedientia veneratus est; nam apostolici mandato sæpius ad Romanum concilium accitus, renuit ire ..... Princeps igitur animadvertens jam non monitis agi oportere in causa præcipue gravitatis, ne ultra patiendo, superni judicis iram irritaret in se, deposuit patruum in publico sanctæ synodi, apostolici vicario cunctisque Normanniæ episcopis juxta canonum auctoritatem sententiam dantibus unanimi consensu. Maurilium vero cathedræ liberatæ providit, ex Italia, ubi supra ceteros abbates emicuit eximius, reductum, dignissimum summo omnium archipræsulatu, merito generis, personæ, virtutum, doctrinæ.*

Audiendus & Guillelmus Malmesburiensis, qui libro III, folio 61 verso, apud rerum Anglicarum scriptores Londini editos anno 1596, de Guillelmo notho agens, hæc narrat: *Pene puer & maturiora ætate sapiens, patruum suum Malgerium ab archiepiscopatu Rotomagensi removit. Is erat literis quidem non mediocriter cultus, sed pro natalium conscientia professionis oblitus, venationibus & avium certaminibus sæpius justo intendebat, & gazas ecclesiasticas conviviis profusioribus insumebat; cujus rei fama crebrescente, tota vita pallii usu caruit, quod negaret sedes apostolica honoris hujusce privilegium homini, qui sacratum negligebat officium. Unde crebro conventus, expostulante nepote patruelis offensas, cum nihilo reverentius se ageret, cogente ultima necessitate, degradatus est. Ferunt quidam arcanam esse depositionis causam Matildem, quam Willielmus acceperat, proximam sibi sanguine fuisse; id christianæ fidei zelo Malgerium non tulisse ut consanguineo cubili fruerentur, sed in nepotem & comparem excommunicationis jaculum intentasse: ita cum iræ adolescentis uxoriæ querelæ accederent, excogitatas occasiones quibus persecutor peccati sede pelleretur; sed postmodum provectioribus annis, pro expiatione sceleris, illum sancto Stephano Cadonis monasterium ædificasse, illam beatæ Trinitati in eodem vico idem fecisse, utroque pro suo sexu personas inhabitantium eligente.*

Malgerius concilium habuit in urbe sua ante annum 1049. Villam *Periers* monachis sancti Audoëni confirmavit anno 1050, subscripsitque 1050.
circa 1052 fundationi abbatiæ *de Siggi* & ejus Ch. VI
traditioni abbatiæ sancti Audoëni. Concilium col. 11.
vero Lexoviense in quo exauctoratus est, celebratum est circa mensem Maium anni 1055. 1055.

Sepultum

Sepultum fuisse apud Cæsaris-burgum tradit Molinæus hist. Normann. lib. VII, pag. 149; quod etiam legitur in Dictionario geographico Thomæ Cornelii : at nulla nunc sepulturæ hujus vestigia supersunt. Habes apud Sammarthanos fratres & hic in appendice chartam, qua census telonei, quod apud Andilegum percipiebat, monachis sancti Petri Carnotensis concessit. Meminit hujus præsulis necrologium sancti Georgii calendis Julii.

XLV. B. Maurilius.

Malgerio destituto, inquiunt vetera acta archiepiscoporum Rotomagensium apud Mabillonium Analect. tom. II, pag. 439, *elegit dux Willelmus quemdam monachum nomine Maurilium, qui nobili prosapia ex Remensi pago exortus, & in ejusdem civitatis ecclesia educatus, inde in Leodicensi ecclesia omni liberalium artium peritia imbutus, Halverstatensis ecclesiæ scholasticus effectus est, qui locus in Saxonia ditissimus habetur, in quo pluribus annis honorifice vixit. Postea vero succensus amore cælestis patriæ, cuncta quæ mundi sunt fastidiens, monasticam vitam appetiit, sicque Fiscannense cœnobium adiens, monachus ibi effectus est, in quo sancte multo tempore vixit, ceterisque exemplum sanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæstuans, acriorem vitam eligens, licentia ab abbate qui ecclesiæ præerat, accepta, Italiam petiit, eremique cultor solitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque abbate Florentinensis ecclesiæ, quæ in honore B. Mariæ semper virginis constructa est, elegit eum marchio Bonefacius vir nobilis & potentissimus; & ita licet invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus superatus, abbas ejusdem loci ordinatus est, ubi multo tempore subditos pro posse suo sancte & regulariter rexit. Sed quia vita justorum est detrimentum pessimorum, monachi, qui tempore prædecessoris sui indisciplinate vixerant, constantiam regulæ patris Benedicti, qua eos regulariter constrinxerat, ferre nolentes, sed in omnibus bonis operibus sibi resistentes, detrimentum vitæ ei machinati sunt; & quia pluribus annis in hoc laborans, nullo modo se in eis vidit proficere, saluti propriæ prospiciens, abbatiam deseruit, & ad proprium locum, scilicet Fiscannum rediit, in quo sancte, usquequo in episcopatu inthronisatus est, vixit* (consecratus circiter mensem Septembrem anni 1055.) *Hic ecclesiam a Roberto archiepiscopo inceptam complevit, & adstante Willelmo Normannorum duce, postea Anglorum rege, cum omnibus suffraganeis suis, concilium in Rotomagensi ecclesia de castitate conservanda & ceteris sanctorum patrum institutionibus, pastorum incuria negligenter postpositis, viriliter restituendis religiose celebravit* ipso eodem anno 1055. *Postea perfecta ecclesia dedicavit eam, adstante Willelmo Normannorum duce anno 1063 Dominicæ Incarnationis, regnante Henrico* * *nobilissimo rege Francorum, adstantibus etiam comprovincialibus episcopis, scilicet Odone Bajocensi, Johanne Abrincensi, Hugone Lexoviensi, Guillelmo Ebroacensi, Ivone Sagiensi, Gaufrido Constantiniensi, ceterisque venerabilibus abbatibus.* Nempe celebratum est A dedicationis illius ergo concilium, in quo, aut altero condita creditur adversus Berengarium formula de fide sanctissimæ Eucharistiæ, quam legesis in conciliis Rotomagensibus, parte prima, pag. 49. Sed & inter ipsa dedicationis solennia Maurilius archiepiscopus corpora ducum Rollonis & Guillelmi in novam basilicam transtulit, Rollonemque ad ostium australe, Guillelmum vero ad aquilonare tumulavit, ex Orderico Vitali, pag. 567. De ejus consilio fundatum Ulterioris-portus monasterium anno 1059. Subscripsit fundationi sancti Salvatoris Ebroicensis anno 1060. Adfuit concilio Cadomensi anno 1061, B & Juliobonensibus comitiis pro expeditione Anglicana 1066. Eodem adstitit dedicationi sanctissimæ Trinitatis Cadomensis, & subscripsit literis Willelmi ducis & Mathildis pro hoc parthenone. Anno 1067, calendis Maii, dedicavit ecclesiam Divensem, & calendis Julii Gemeticensem, præsente Guillelmo duce, tunc regibus Angliæ adscripto, ex eodem Orderico, pag. 507. Obiit meritissimus præsul V idus Augusti anni ejusdem. Refert Albericus in chronico, Maurilium in extremo agone positum, dimidia fere die pro mortuo habitum, dum in ecclesiam jamjam deferendus esset, ad se rever- C sum, adstantibus dixisse se a dæmonibus territum fuisse, quod veniales culpas confessione non diluisset, hisque dictis spiritum emisisse. Sepultus est in ecclesiæ suæ navi ante crucifixum; qui licet in Sanctorum album solenni ritu haud quaquam relatus fuerit, invaluit tamen apud majores nostros, ut ejus sepulcrum miraculo, ut aiunt, divino tribus pedibus supra terram elevatum, ex Alberico, *Tumba sancti Maurilii* diceretur, clero Rotomagensi veneranda, quam statis diebus thurificare consuevit. Subjungunt Sammarthani epitaphium ejus cupreæ tabulæ inscriptum, quod Richardus, Herluini filius, D ejusdem ecclesiæ canonicus, composuit in hunc modum:

Humani cives, lachrymam nolite negare
Vestro pontifici Maurilio monacho.
Hunc Remis genuit, studiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte philosophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad unguem,
Lætitia magna fecit & encenia.
Cum tibi, Laurenti, vigilat plebs sobria Christi,
Transit, & in cælis laurea festa colit.

E Elogium ejus inseruit Mabillonius Act. sanctorum Bened. tom. IX, pagg. 222 & seqq. Exstat apud Pommerayum concil. Rotomag. pag. 73 epistola, quam scripsit ad eum Johannes successor ejus, dum adhuc esset episcopus Abrincensis.

XLVI. Johannes II. De Bayeux,

Mortuo Maurilio, clerus Rotomagensis Lanfrancum Cadomensem abbatem sibi archiepiscopum elegit, qui, teste Orderico Vitali, pag. 507,

Anni Christi — Chart. x. col. 13. 1059. Chart. III. col. 127. 1060. Concil. Norman. part. I, pagg. 48 & 49. 1061. 1066. Charta I. col. 59. 1067.

* Phil.

recusavit, totisque fategit viribus & apud eumdem clerum, & apud Normannorum ducem Guillelmum, & apud summum pontificem Alexandrum II, ut ecclesiæ viduæ præficeretur Johannes episcopus Abrincensis, quod & assecutus est, Romam ordinationis hujus licentiam petendi causa a duce missus, unde pallium cum licentia deportavit. Ita enim ad Johannem scripsit Alexander II, ex actis archiepiscoporum Rotomag. sæpius laudatis, pag. 443: *Alexander episcopus, servus servorum Dei, Johanni Abrincensium venerabili episcopo, salutem & apostolicam benedictionem. Destituta Rotomagensi ecclesia pastore, comperimus Sedunensis episcopi & Lanfranci abbatis* B *relatione, te ex electione principis tui, dilectissimi filii nostri Guillelmi regis Anglorum, ob vitæ & morum probitatem ad majorem sedem promovendum, si ex auctoritate sedis apostolicæ fuerit assensus, cui, Deo auctore, præsidemus. Nos igitur moti illorum precibus, ob salutem illius ecclesiæ & omnium in tuis partibus, volumus, atque dilectioni tuæ apostolica auctoritate præcipimus, ut quod divina dispensatio de te providit non contradicas, & electioni te obedientem exhibeas. Admonemus itaque fraternitatem dulcedinis tuæ, ut si in modico fuisti fidelis, in majori bene operari non desinas, populum divini verbi pabulo reficias, ut merearis audire illam be-* C *nignam vocem Domini dicentis:* Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. *De cetero secretiorem animi nostri voluntatem planius audies per nostrorum legatorum veridicam relationem.*

« Johannes vero episcopus apostolica legatione » recepta, & omnium comprovincialium episcopo- » rum, cunctorumque etiam ejusdem ecclesiæ ca- » nonicorum electione communi consensu facta, metropolitanam adeptus est sedem, » quemadmodum legitur in actis prædictis, pag. 444. Transiit igitur a sede Abrincensi, unde & plerumque *Johannis Abrincensis* nomen sortitus est, ad sedem D Rotomagensem Johannes, filius Radulfi comitis Baïocarum & Ibreii, fratris uterini Richardi I Normanniæ ducis, cujus archiepiscopi in curiam » XIII calendas Martii 1070, tracta est causa de cella sancti Audoëni de Gisortio inter monachos sancti Leutfredi & Majoris monasterii. Anno » 1072 in majori basilica sua concilium habuit cum suis suffraganeis pro restituenda ecclesiastica disciplina. « Hic vero, ex actis archiepisco- » porum Rotomag. pag. 444, fuit vir progenie » nobilis, liberalibus imbutus disciplinis: is alias » satis strenuus, animi fuit impatientissimus. Cru- » descebat in eo hic morbus; &, ut ita dixerim, E » exaggerabatur tum carnis nobilitate, tum præ- » lationis dignitate . . . . Evenit autem » aliquando, ut hi tales non pastores, sed crudeles » exactores, occulto Dei judicio coram ipsis, quos » injuste vexaverunt, corripiantur: quatinus exem- » plariter correpti, & posteris sibi similibus sint » terrori, & parvulis spei. Quod totum in hoc, » de quo agitur, Johanne archiepiscopo, divina » censura exhibuit in eo quem is adversus sancti » Audoëni cœnobitas inconsulte tumultum exer-

A cuit. Quod non derogatorie, non insultatorie, sed consultorie censuimus scribere: primo, quia insolitum, incredibile & quasi monstro simile, « tantum tumultum, tantam turbam eo die sine « sanguine accidisse: secundo, ut loco nobilissimo « & ab omni jure seu consuetudine archipræsulum « hujus urbis, privilegio Caroli Magni, libero sit « memoriale, quo se probent nec in magnis ex- « cessibus ipsorum aliquid justitiæ debere. Causa « erat qua Guillelmus Normannorum comes & « Anglorum rex gloriosus Cinomannis cum expe- « ditione sua morabatur. Aderant ei inter reliquos « proceres iste Johannes sedis hujus archiepiscopus, « ut vir excellentis ingenii & non mediocris con- « silii, Nicolaus quoque reverendus abbas supra- « dicti cœnobii. Imminebat celeberrima, totisque « votis excipienda sanctissimi Audoëni dies nata- « litia; & quia moris est ut archiepiscopus ipsa « die inibi missarum solemnia celebret, non pro « ulla quidem vel ipsius jentaculi vicissitudine, « sed quasi in recompensationem consecrationis « suæ, quam nonnisi in præfata ecclesia cuivis « sedis memoratæ licet accipere; missione a rege « petita, redibat concite, abbate prænominato « interim ad occupatoria remanente. Quid plura? « Adest dies veneranda, clerici majoris ecclesiæ « solito eo conveniunt, & quia præmisso nuncio « venturum se mandaverat, solemne missarum « interim differtur. Post aliquandiu vero e com- « muni consilio, ne quid tantæ diei subtraheretur, « dum veniat, initiatur. Tanta vero morositate, « tanta id factum est devotione, ut non mirum « totis animis hostem humani generis ad hanc « lætitiam turbandam exarsisse . . . . . Finito « itaque *Kyrie* cum duobus rythmis, exacto *Gloria* « *in excelsis Deo*, quod inceptum ab abbate Ri- « cardo Sagiensi chorus celeberrime fuerat exse- « cutus cum laudibus suis; (id vero totum expen- « debatur in præstolatione archipræsulis) ecce ac- « currit ut turbo tempestatis omnem confundens « gratiam illius celebritatis. Hic namque totam « mentis indignationem animo concipiens, quod « non usquequaque fuisset exspectatus, torvis oculis, « ore furibundo, cunctis maledixit, conversusque « ad ipsos monachos excommunicavit, ex aucto- « ritate Dei & sua, officium præsens interdicens « cessare fecit, abbatem ab altari evellens, divini « officium ministerii prohibuit. Mœroris erat « plenum & stuporis cernere tantæ festum lætitiæ, « tot & tantas voces eam præconantes in subitum « silentium obmutuisse. Ipse ad complendum offi- « cium se præparat; clericis suis ut a loco incœpto « pergerent, imperat. Nihil hic reticendum fore « censemus, quod dum alteri parti favendo dissi- « mulamus, alteri totum derogando imputare « videamur. Verum falsi adstipulatione non indi- « get. Fratres, etsi decorem sibi tanti gaudii « præripi dolentes, pontificali tamen auctoritati « cedunt, festivis se ornatibus exuunt, satis cum « tumultu ecclesiam egrediuntur, huc quidam, pars « illo, alii alio succedunt, invicem & ad suos super « suo pudore mœrentes conqueruntur; cum subito « quidam mœroris impatiens, dubium quidem, «

AN CHRI

m ex ipsis vel eorum famulis, plus furoris, minus consilii animo colligens, turrim properat, majus ecclesiæ signum pulsat. Hinc forum ocior advolat, archiepiscopum sancti Audoëni glebam ad majorem ecclesiam asportare velle proclamat. Prosiliunt omnes e domibus, alius gladium, hic bipennem, diversi quod primum manibus occurrerat, arripiunt, ecclesiam cum furore irrumpunt. Quidam curiositate acti, celata monasterii conscendunt, quædam ex tabulatis auferunt; quid sic furens populus agere vellet, rimantur. Plurimi ejus intentionis erant, ut quia eis tantæ continuationem lætitiæ interrupisset, nec sibi perficere liceret. Archiepiscopus circum circa furentium se turmis appeti expavescens, plus tamen desuper imminentes metuens, ab altari ad valvas monasterii fugam arripuit; vix elapsus infra ambitum earum, ipsis prius clausis, se recepit: undique circum se sedilia & formas aggerari fecit. Nonnulli tamen partis ipsius arreptis candelabris, cereis & perticis, in monachos efferati, sed ab eis non segniter excepti; pudet dicere, quam fœdo exemplo res eo die debuit determinari. Constitit satis ipso die meritum Sancti omnibus affuisse, qui hinc sævientium manus comprimendo, hinc archiepiscopum cum suis eo periculo eximendo, tantum nefas non parvo cunctis miraculo potuit avertere. Nam tanta subito nubis caligo id spatium sanctuarii, quo loculi Sanctorum continebantur, obtinuit, ut vix vel a curiosis oculorum acie corripi potuerit . . . . . . Igitur vicecomes civitatis archiepiscopum sic circumventum ut audivit, veritus ne quid inconsultius adversus ipsum ageretur, & ipse post noxæ argueretur, militarem manum cogit, regis bannum omnibus prætendit, suppetias accurrit; jam nil reluctantem, immo sibi penitus diffidentem periculo eximit. Iis tumultuum dementiis exacta est dies tantæ celebritatis . . . . Fratres in crastinum de suis eligunt, per quos abbati suo quod factum fuerat innotesceret, & regem super hoc suggesturus adiret; sed archiepiscopi nuncius præcesserat, invidiam omnem in monachos retorserat. Sic infecto negotio reditum est. Rex licet post ipsius archiepiscopi & quorumdam aulicorum instinctu, animo in monachos motus, rem tamen ex æquo pensans, hinc immoderatam arrogantiam, hinc inconsultum tumultum justis librationibus præponderat. Jubet igitur statim ecclesiam ab archiepiscopo reconciliari; quod cum satis irato & reluctanti animo abnueret, rex Michaëli episcopo Abrincatensi loci reconciliationem injunxit; pudorem vero suum, in futuro vindictam prætendens dissimulavit. Quatuor igitur monachos loci, quos & factionis auctores audierat, totidem aliorum cœnobiorum abbatibus commisit (in concilio Rotomagi habito anno
1073. 1073) quatenus & archiepiscopo satisfaceret, & illi in peregrinatione sua luerent, quod minus consulte peccassent. Non multo post tamen & rationis consideratione & petitu abbatis ipsorum flexus, in præsentiam sui eos revocavit, & ecclesiæ reconciliatos reddidit. In his omnibus semper apud ipsum cautum exstitit ne quid sibi archiepiscopus quasi sub ecclesiastico vigore in causis hujus ecclesiæ insolenter arrogaverit. Immo postquam gemino fratrum eorumdem exsilio satisfecit, rem in consilium ponit, concilium cogit: quod abbatiam suam irato & tumultuanti animo intrasset, quod totius turbæ causa & materia exstitisset, quod loci reconciliationem sibi denegasset, judicio primatum suorum trecentas libras exegit. Delicti satis hæc vindicta exsolvisset, si intime facti pœnituisset, Dominique patientiam non negligendam putasset. Sed animi rancorem nec tunc primum adversus sancti Audoëni cœnobitas occœperat, & hoc modo potuit potius exaggerari, quam leniri. Trium annorum spatium evolutum erat, & semper repulsam sui dolore continuo secum corrodebat . . . . . . cum post id temporis, redeunte eadem festivitate, paucis ante mensibus paralysi percussus, sed ab hac infirmitate jam respirans, ad solemnitatem venit; & quia per se missam celebrare non potuit, Gisleberto Ebroacensi episcopo vices suas commisit, ipse in medio cantorum specie præcentoris stetit. Ut vero evangelium cœpit legi, horribile dictu! sic ab intimis humoribus in secretiorem meatum profluentibus est subito angustiatus, ut raptim urina procurrens, lineam usque superpellicialem indumentum omne infecerit; pavimentum etiam quo stabat perquam humectaverit. Hinc post fidelium oblationes, cum amplius dissimulare non posset, ecclesiam egressus, pudore non oportet dici quantum & mœrore confusus, ad sua reversus est. Quod ut primum ad aures populi percrebuit, quis æstimare, quis dicere suffecerit in quas & quantas voces se de repente sparserit! Omnes tamen in commune Domini magnificentiam sanctique Audoëni meritum personabant: jure hunc ab integritate præsentis lætitiæ sic ignominiose repulsum, quam olim indigne nimis perturbaverat, acclamabant. Nemo nobis succensere habet, si vera dicimus . . . . . . Verum per alios tres annos adeo ipso incommodo laboravit, ut neque jam administrationis insulis deservire potuerit. Cum tandem regia auctoritate, immo consultu omnium pulsatus, episcopatu cedit & ad quamdam patrimonii sui villam, sancti Philiberti dictam, secedit, ubi & aliquantisper supervixit. Duodecimo vero sui præsulatus anno viam universæ carnis ingressus, hominem exuit. Inde tamen ad propriam sedem refertur. »

Hactenus scriptor ille, quem, si minus circumspecte, verbisque asperioribus præsulem tractavit, tantum abest ut laudemus; ubi vero in incommodo naturali miraculum videre sibi visus est absque revelatione, non possumus non reprehendere. Sed quo nomine afficiendi sunt editores historiæ Matthæi *Paris*, qui tam in utraque editione Londoniensi annorum 1571 & 1640, quam in editione Parisiensi anni 1644, hanc notulam scripsere in margine: *Monachi sancti Audoëni Johannem archiepiscopum Rotomagensem*

occidunt! Scripserat minus inconsiderate ipse A Matthæus ad annum 1073: *Invaserunt monachi sancti Audoëni Johannem archiepiscopum Rotomagensem missam celebrantem in festivitate ejusdem sancti, cum armata manu virorum.* Sed ad ultimos præsulis annos quod spectat, tradit Ordericus Vitalis pagina 550, illum subita passione percussum, turba spectante, ad terram dejectum esse, & biennio quo supervixit, elinguem extitisse.

Johannes decorem domus Dei impense coluerat, cujus egregium hodieque superest monumentum in libello divinorum officiorum ad usum metropolitanæ ecclesiæ, Maurilio decessori suo oblato. Plura etiam concilia celebravit; B primum anno 1072, de quo jam diximus, aliud anno 1074, in quo prioratus S. Victoris apud Caletes ad abbatias evectus; ipse vero quod presbyteris suis concubinas prohibuisset, lapidibus petitus est, fugaque saluti consulere coactus; qua de re Ordericus Vitalis pag. 507. Subscripsit anno 1074 diplomati Willelmi regis pro ecclesia Bajocensi. Anno 1075 Ceciliam virginem, filiam Guillelmi nothi, Deo sacravit in basilica Fiscannensi. Adfuit anno 1077 dedicationi basilicarum sancti Stephani Cadomensis, & beatæ Mariæ Beccensis. Eodem anno jussus a Guillelmo rege noluit sepelire Hugonem Lexoviensem C episcopum. Denique ad finem, tam episcopatus quam vitæ ejus quod spectat, abdicare coactus est, tam propter offensam regis, quam propter paralysim, aut urinæ incontinentiam. Ad id vero exsequendum Gregorius VII papa Hubertum legatum ad regem Anglorum miserat pridie non. Aprilis, indictione prima, quæ cadit in annum 1078, ut inquireret an ille pro sua ægritudine episcopale onus sustinere posset; quod si tanto oneri impar reperiretur, alius in ejus locum canonice eligeretur. Successorem tamen non habuit, nisi mense Julio anni sequentis, *duobus ante obitum ejus mensibus*, ex actis archiepisco- D porum Rotomag. quæ cum duodecimo præsulatus anno mortem illam consignent, initium episcopatus ab ipsa decessoris morte computent necesse est; quando e contrario Ordericus Vitalis, qui sibi constare non videtur, illud modo in annum 1069, pag. 568, rejicit, modo in annum 1072, pag. 551, ubi tumulatum esse ait in baptisterio basilicæ suæ ad Aquilonem v idus Sept. Trinas ad eum Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus, unas vero Hildebertus Cenomannensis episcopus literas scripsere, quas post Acherium & Bibliothecam patrum vulgavit Pommerayus concil. Rotomag. pagg. 78 & seqq. & Bessinus E parte secunda, pagg. 15 & seqq. Hoc epitaphium ejus recitat Ordericus:

Metropolita tuus jacet hic, urbs Rotomagensis,
Culmine de summo, quo moriente ruis,
Ecclesiæ minuuntur opes, sacer ordo tepescit,
Provida relligio quem sua constituit.
Hic neglecta diu canonum decreta reformans,
Instituit caste vivere presbyteros,
Dona Dei sub eo venalia nulla fuere;
Huic & opes largas contulit ecclesiæ.
Lingua diserta, genus, sapientia, sobria vita
Huic fuit, exiguus quem tegit iste lapis.
Nona dies Septembris erat, cum carne Johannes
Exspoliatus obit; sit sibi vera quies.

XLVII. Guillelmus I.

Huberto ecclesiæ Romanæ subdiacono scribebat IX calendas Octobris, indictione III, hoc est anno 1079, Gregorius VII papa, in hæc verba: *Audivimus Rotomagensem archiepiscopum sacerdotis filium esse; quod si verum deprehenditur, noveris promotioni illius nos assensum nequaquam tribuere.* Enimvero Guillelmus, quem hic respicere aiunt summum pontificem, dicitur filius fuisse Radbodi, qui, defuncta uxore sua, in clerum adscitus, factus est postea episcopus Sagiensis; ejus autem subinde promotio, ait Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 141, ab eodem pontifice probata est, sive quod Guillelmus Radbodi ex legitimo ante episcopatum conjugio filius fuerit, sive quod cum eo Gregorius de hac irregularitate dispensaverit. Certe Guillelmum Radbodi filium fuisse, testantur & auctor vitæ sancti Lanfranci, qui cap. IV. ait: *Egregius & venerabilis Willelmus Radbodi filius, qui post Lanfrancum Cadomensi ecclesiæ præfuit, & postea Rothomagensis archiepiscopus extitit;* & Ordericus Vitalis, qui lib. III, pag. 475, scripsit: *Willelmus clericus, cognomento Bona-anima, Raotbodi Sagiensis episcopi filius;* & Guillelmus Gemeticensis, cujus lib. VII, cap. XXVI, pag. 282, hæc sunt verba: *Post Lanfrancum Willelmus monachus, Ratbodi Sagiensis episcopi filius, Cadomensis ecclesiæ regimen tenuit, qui & ipse post Johannem metropolitam Rotomagensem archiepiscopatum suscepit;* quanquam caput illud Gemeticensis integrum, quemadmodum & plurima alia ejusdem scriptoris historiæ assuta fuisse ab interpolatoribus, monuit eruditus Criticus in Mercurio Gallico mensis Novembris anni 1723. Forte tamen de Guitmundo archiepiscopo Aversano intelligenda est epistola Gregorii VII. Ita enim Ordericus lib. IV, pag. 526: *Defuncto Johanne Rotomagensium archiepiscopo, rex & alii plures Guitmundum* (monachum Crucis S. Leutfredi) *ad archiepiscopatum elegerunt; sed æmuli ejus, quos idem vituperaverat, ne archipræsul fieret, quantum potuerunt impedierunt. In tanto viro nil objiciendum invenerunt, nisi quod filius esset presbyteri. Ille autem ab omni avaritia purgari volens, & inter exteros paupertate premi, quam inter suos dissensiones fovere malens, Odilonem monasterii sui abbatem reverenter adiit, & humiliter ab eo licentiam peregrinandi petiit & accepit. Porro illiteratus abbas metiri nesciebat, quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat. Ideo desiderabilem philosophum de monasterio suo facile dimisit: quem Gregorius VII papa venientem ad se gaudens suscepit, cardinalem sanctæ Romanæ ecclesiæ præfecit, & Urbanus papa jam probatum in multis*

metropolitanum *Adversis urbis solemniter ordinavit.* A Sed obstare videtur, quod literæ Gregorii VII scriptæ sint exeunte mense Septembri anni 1079, tribus ad minimum mensibus, postquam Guitmundus repulsam passus Guillelmo jam locum fecerat. Quidquid vero de ea re sentiendum est, nonnihil singulare videbitur, duos eodem tempore monachos ad eumdem archiepiscopatum successive electos, presbyterorum filios fuisse.

Guillelmus ex canonico & archidiacono Rotomagensi monachus Cadomensis effectus, a Guillelmo Angliæ domitore Lanfranco abbati, postea in archiepiscopum Cantuariens. assumto, B successor datus fuerat. Ad infulas Rotomagenses evectus, consecratus est in ecclesia sua a Gisleberto Ebroicensi episcopo. « Hic bonus & jocondus, ac mansuetus extitit, inquit Ordericus Vitalis pagina 551, gregemque sibi divinitus commissum triginta duobus annis custodivit: matricem basilicam omnimodis ornatibus cultui divino necessariis affatim locupletavit, & claustrum episcopii domosque convenientes a fundamentis eleganter renovavit: corpus S. Romani præsulis de propria æde in metropolitanam basilicam gloriose transtulit, & in scrinio auro argentoque cum pretiosis lapidibus operose coo- C perto reverenter locavit: solennitatem quoque ejus x cal. Novembris per totam diœcesim suam festive celebrari constituit, & generali edicto festivam stationem ad sancti pontificis corpus extra urbem singulis annis fieri decrevit; ad quam parrochianos pene omnes monitis & absolutionibus atque benedictionibus invitavit: monachis & clericis, omnibusque sibi subjectis, ut dulcis pater blandiens profuit: psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, sacrisque mysteriis indesinenter sese mancipavit. Omnis ab illo fraus & amaritudo procul fuerunt: nullum quærebat lædere, sed quibusque indigentibus, prout ratio D habebat, succurrere. Cantor peritissimus erat, aptissimamque ad canendum vocem habebat. In usu ecclesiastico doctissime instructus erat, & ad prædicandum indoctis verbum Dei clara idoneaque locutione vigebat. Patientia & benignitate cunctos secum coessentes mulcebat, magnamque partem oneris sui decanis & archipresbyteris sine invidia distribuebat, bonosque nihilominus ad participationem honoris avide asciscebat. » Hæc Ordericus de laudibus Guillelmi: unde nil mirum, si præsul amabilissimus *Bonæ-animæ* cognomen sortitus sit.

Correptus est tamen a Gregorio VII papa, E lib. IX, epist. prima, quod pallium a sede apostolica non postulasset, nec ipse ejusque suffraganei ad Apostolorum limina venissent, legatosve apostolicos adiissent. Quare vetuit summus pontifex, ne deinceps episcopum aut presbyterum ordinaret, ecclesiasve consecraret, usquedum impetrasset pallium; quod tandem a sede apostolica petiisse

1080. omnino credibile est. Præfuit anno 1080, in festo Pentecostes, concilio Juliobonensi. Circa id tempus Beccensi ecclesiæ & Anselmo abbati insigne privilegium indulsit. Adfuit anno 1082, nonis Septembris, celebri apud Oxellum conventui, in quo asserta est libertas ecclesiarum sancti Michaëlis Fontanellensis, Caldebecci, sanctæ Gertrudis & Resentii *, a monasterio Fontanellensi pendentium. Eodem anno subscripsit donationi ecclesiæ B. Mariæ de Rocheto factæ monachis Majoris monasterii, & chartis pro cœnobiis sanctæ Trinitatis & sancti Stephani Cadomensis. Gravem habuit eodem anno controversiam cum Gerberto abbate Fontanellensi, super exemtione monasterii, quæ Rotomagi coram Guillelmo rege, episcopis, &c. discussa fuit in gratiam monachorum. Eamdem immunitatem postea concessit Beccensibus. Anno 1083 tumulavit in cœnobio sanctæ Trinitatis Cadomensis, corpus Mathildis reginæ, & anno 1087, in ecclesia sancti Stephani ejusdem urbis, corpus Guillelmi nothi ejus mariti; interimque anno 1085 ordinavit Rotomagi Hoëllum episcopum Cenomannensem XI cal. Maii, assensu Radulfi Turonensis archiepiscopi. Anno 1091 concilium coëgit Rotomagi, in quo Serlonem Uticensem abbatem elegit & consecravit episcopum Sagiensem. Eodem quoque anno dicitur accepisse a Philippo I Francorum rege, tam pro se quam pro successoribus suis, abbatiam sancti Mellonis Pontisarensis; sed chartam hujus donationis, quam typis mandavit Denyaldus in cathedra Rotomagensi, pagg. 21 & 22, nonnihil elevare tentavit auctor descriptionis superioris Normanniæ, tom. II, pagg. 175, 176, 285 & 286. Anno 1093, ex chronico Fiscannensi apud Labbeum biblioth. tom. I, pag. 326, fundatus est prioratus Longæ-villæ in Caletis, monasterio Cluniacensi obnoxius, a Gualtero Giffardo loci comite. Anno 1096, mense Februario, Guillelmus aliud concilium celebravit Rotomagi, in quo confirmata sunt decreta concilii Claromontensis anni superioris. Eodem anno confirmavit donatam monachis sancti Luciani Bellovacensis ecclesiam S. Martini de Alciaco. Eodem, ex chronico Rotomagensi, fuit interfectio Judæorum apud urbem Rotomagensem. Monachis Beccensibus Guillelmus dedit ecclesiam sancti Petri de Ponte Isaræ, quam eis confirmavit Paschalis II anno 1104. Fulcherium anno 1101, & Johannem anno 1107, consecravit in episcopos Lexovienses. Ejus in camera & præsentia terminata anno 1106 lis inter Fiscannenses & Taurinenses monachos, de subjectione. Anno 1107 Fiscannensis monasterii basilicam cum aliis quatuor præsulibus dedicavit, & Rogerium abbatem consecravit. Anno 1108 concilium habuit Rotomagi, eodemque subscripsit chartæ Henrici I Anglorum regis, pro sancto Petro supra Divam.

Sed inter hæc durius habitus, imo & suspensus fuerat a Paschali II papa: qua de causa? non satis liquet. Ait Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 101, post Guillelmum Malmesburiensem, lib. V, de gestis regum Anglorum, fol. 90, ideo castigatum esse a pontifice, quod incestis

ANNI CHRISTI 1082.
* Rençon.
Chart. v. col 72. & Chart. vi. col. 74.
1083.
1085.
1091.
1093.
1096.
Ch. xv, col. 19.
1101.
Chart. iv. col. 127.
1106.
1107.
1108.
Charta v. col. 157.

Philippi I nuptiis cum Bertrada pellice benedictionem impertierat, sed falsus esse Malmesburiensis ex hoc solo deprehenditur, quod diutius post tam enorme facinus Paschalis II cathedram sancti Petri conscenderit. Praeterea vero certum est, ex Orderico Vitali, lib. VIII, pag. 699, criminis illius accusandum esse non Guillelmum Rotomagensem, sed Odonem Bajocensem: *Odo*, inquit ille, *Bajocensis episcopus, execrandam desponsationem fecit, idoneoque dono mœchi regis pro recompensatione infausti famulatus ecclesias Modanti oppidi aliquandiu habuit.* Quid igitur causae est, cur in praesulem tam laudabilis vitae succensus fuerit summus pontifex? nisi forte quod legato apostolico non semper morem gereret, aut ad obsequia minus promptus esset; forte etiam quod concessae in concilio Claromontano legato illi, tanquam archiepiscopo Lugdunensi primatus praerogativae in quatuor Lugdunenses provincias refragaretur, honoris sui tenacior: qua in re tamen de successoribus suis quantum meritus est! Credunt Fiscannenses monachi ideo Guillelmum iram pontificis incurrisse, quod monasterium suum soli Romano pontifici obnoxium anathemate tamen percussisset, postquam de amisso Gifortio dolens Normanniam omnem subjecisset interdicto; qua de re chartam hic habes in appendice; sed ea in aliud tempus rejicienda. Ut ut res se habuit, Paschalis ad preces S. Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, promisit tandem se Guillelmo indulturum quidquid ipse indulgeret, ea tamen lege, *ut malos consiliarios, quorum instinctu*, aiebat pontifex, *multas pravitates incurrerat, a sua familiaritate repelleret.* Vide ejusdem epistolam CI.

Obiit Guillelmus, ex Orderico Vitali, pag. 839, V idus Februarii anno 1110, hoc ipsius epitaphio testante:

Relligio tua, larga manus, meditatio sancta
Nos, Guillelme, tuum flere monent obitum.
Quod pius antistes fueris, clerique benignus,
Interiora docent, exteriora probant.
Ecclesiae lumen, decus & defensio cleri,
Circumspectus eras, promptus ad omne bonum.
Fratribus hanc aedem cum claustro composuisti;
Nec tua pauperibus janua clausa fuit.
Contulit ad victum tua munificentia fratrum,
Ecclesias, decimas, rura, tributa, domos;
Exemploque tuo subjectos dedocuisti
Verba pudenda loqui, turpia facta sequi.
Fine bono felix biduo ter solveris ante
Quam pisces solis consequeretur iter.

Sepultus est autem in capitulo canonicorum, quod aedificaverat. Sed de annis praesulatus ejus variat ipse Ordericus, dum eadem pagina 839, & pag. 551, ait sedisse 32 annis; pagina vero 475, fere 36 annis. Epistolam quam scripsit ad Anselmum Cantuariensem archiepiscop. literas vero, quas ad eum scripsere, tam idem Anselmus

A quam Ivo Carnotensis, in unum collegit Pommerayus Concil. Rotomag. pagg. 120 & seqq. ANNI CHRI[STI]

Ejus, ut videtur, temporibus, ante exitum undecimi seculi, canonici qui apud Braii-monasterium substituti fuerant monachis, translati sunt Gornacum, ubi Hugo I loci dominus, corpus sancti Hildeverti Meldensis episcopi noviter retinuerat. Constat hodie collegiata illa decano uno & octo aliis canonicis.

XLVIII. Gaufridus.

Anno ab Incarnatione Domini 1111, indictione IV, inquit Ordericus Vitalis lib. XII, pag. 1111.
B 840, *Goiffredus Brito Cenomannorum decanus, a rege Henrico in Angliam accitus est, & Rotomagensibus pontifex constitutus est. Hic eloquentia & eruditione pollens, clerum & populum catholice docuit, ecclesiaeque Dei XVII annis utiliter praefuit.* Frater erat Judicaelis Aletensis episcopi, & ad episcopatum Cenomannensem aspirarat, fretus auctoritate Heliae Cenomannensis comitis, teste eodem Orderico lib. X, pag. 770. Sed repulsam passus, ecclesiae tandem Rotomagensi melioribus fatis, inquit Pommerayus Concil. Rotom. pag. 125, praefectus est. *In pontificatu varius & inaequalis*, pergit ille, *quaedam opportune, quaedam*
C *inauspicato gessit*; quod quam recte pronunciaverit, patebit ex subsequentibus. Annus 1112 1112.
dicitur tertius archipraesulatus Gaufredi in charta Chart. 1
anthentica fundationis Savigniensis monasterii. col. 111.
Anno 1116, quo quidem, ex chronico Roto- 1116.
magensi Labbeano, urbs Rotomagi pene tota combusta est igne exorto a vico Judaeorum, dedicavit die festo SS. Innocentium basilicam abbatiae sancti Albani protomartyris in Anglia, ut auctor est Matthaeus *Paris* ad hunc annum.
Deinde anno 1118, nonis Octobris, concilium 1118.
celebravit in urbe sua, adstantibus Henrico rege, Charta 2
Radulfo Cantuariensi archiepiscopo, aliisque col. 111.
D baronibus & suffraganeis Normanniae; cui synodo, ut conjicitur ex Orderico, lib. XII, pag. 846: *praesedit Conradus clericus, Gelasii papae legatus.* Eodem circiter anno Gaufridus probavit recentem canonicorum regularium fundationem apud Salicosam, non longe ab urbe Vernone, intra fines parochiae Tilliaci. Interfuit quoque
anno 1119 concilio Remensi, quo peracto, teste 1119.
Orderico ibidem pag. 866, tertia Novembris hebdomada ejusdem anni synodum habuit, in qua *presbyteris suae diaecesis omne consortium feminarum penitus interdixit, & in transgressores terribilem anathematis sententiam vibravit. Cumque presbyteri*,
E ut ille prosequitur, *tam grave pondus nimium abhorrerent, & inter se pro corporum & animarum discrimine conquerentes mussitarent, archiepiscopus Albertum quemdam eloquentem, quia nescio quid fari coeperat, jussit comprehendi & mox in ergastulo carceris retrudi. Praefatus enim praesul erat Brito, in multis indiscretus, tenax & iracundus, vultu gestuque severus, in increpatione austerus, procax & verbositate plenus.* Cetera, quae quam gravis inde orta sit seditio & pugna ostendunt, nolumus hic potius quam apud ipsum Ordericum legi. Ab Ivone

tamen Carnot. antistite Gaufridus commendatus A fuerat in epist. CCLIV, ad Paschalem pontificem: *Rogamus*, aiebat ille, *discretionem vestram pro Gaufrido Rotomagensi archiepiscopo, qui tunc tandem impetravit a principe suo rege Anglorum, ut posset in propria persona sedem apostolicam visitare, quam tamen non distulit visitare suis temporibus in persona aliena. Non ergo existimamus imputandum contemptui sedis apostolicæ, quod necessitas imperavit, non torpor dissuasit, non neglectus retinuit. Pro eo enim secure intercedimus, quia personam utilem & honestam ab adolescentia sua & ab aliis didicimus, & per nos experti sumus. Quia ergo ad altiorem locum in mensa Domini sui vocatus est,* B *gratias Deo referimus, & eum ut columnam immobilem in domo Dei confirmari præoptamus.* Eodem anno 1119, Gaufridus confirmavit quæcumque monachi Majoris-monasterii possidebant in sua diœcesi. Eodem institutionem canonicorum regularium Augensis ecclesiæ ab Henrico Augi comite factam confirmavit diplomate, quod hic in appendice recudi curavimus. Ad eumdem denique annum revocat Ordericus, lib. XII, pag. 849, dissensionem quæ inter ipsum & Ascelinum quemdam exarsit; unde evenit, ut Ludovicus rex, occupato Andilego, provinciam omnem

1120. circumjacentem sibi acquireret. Anno 1120, in C dedicatione ecclesiæ Cenomannensis, in octavis *Paschæ*, consecravit altare sepulcri sancti Juliani

1123. in honorem ejusdem. Anno 1123 ecclesiam sancti Martini de Nogento super Andelam monachis Majoris-monasterii confirmavit, iterumque, IV idus Martii anni sequentis, tempore

1124. concilii Carnotensis. Anno 1124 Bosonem Beccensem abbatem Rotomagi ordinavit, & subscripsit chartæ Henrici Anglorum regis pro sancto

1125. Petro supra Divam. Subscripsit 1125 chartæ

1126. fundationis monasterii Readingensis. An. 1126, XII calendas Aprilis, cathedralem ecclesiam Sagiensem, & XVI calendas Novemb. basilicam D Sancti Audoëni Rotomag. dedicavit. Anno 1127 litem compescuit inter Johannem episcopum Sagiensem & Odonem Majoris-monasterii abbatem, ortam de juribus ecclesiæ sancti Leonardi Belismensis. Cum suffraganeis testis fuit in diplomate Henrici Anglorum regis pro S. Ebrulfo,

1128. anno 1128. Demum diuturna ægritudine afflictatus præsul in Salicosanum prioratum beneficus migravit e vita anno 1128, VII cal. Decembr. ex Orderico ibidem, pag. 888, IV autem calend. ejusdem mensis, ex necrologiis ecclesiæ suæ cathedralis, in qua sepultus est, & Salicosæ. Interea vero dum ægrotaret, morti proximus, celebratum E est Rotomagi concilium mense Octobri, a Matthæo Albanensi episcopo, apostolicæ sedis legato.

5 Sub ejus præsulatu Callistus II papa confirmavit episcopo Lexoviensi decanatum ecclesiæ collegiatæ S. Candidi veteris in urbe Rotomago, & alias tres ecclesias parochiales diœcesis Rotomagensis, quibus constat exemptio illa, quæ dicitur S. Candidi. De ea Richardus I Anglorum rex ita scripsisse perhibetur in Descriptione superioris Normanniæ, tom. II, pag. 121: *Sciatis, quod ecclesia S. Candidi Rotomagensis super ripam, & ecclesiæ de Corulmo minore, & de Sotevilla* (supra Rotomagum) *& de S. Stephano* (Roboreti) *in manu & custodia nostra sunt, tanquam dominica capellania nostra Normanniæ. Quare præcipimus vobis, quatenus nullo modo patiamini aliquam molestiam seu gravamen inferri Lucæ canonico sancti Candidi, nec aliis clericis prædictæ capellaniæ nostræ, qui cum episcopo Lexoviensi sunt; nec de rebus aut possessionibus eorum per Rotomagensem archiepiscopum, aut per alium*, &c. Constat hodie collegiata illa S. Candidi quatuor canonicis, qui parochiæ ejusdem loci sua quisque hebdomada deserviunt.

XLIX. Hugo III. D'AMIENS.

Si credimus Orderico Vitali, lib. XII, pag. 889, Hugo non ante annum 1130 factus est archiepiscopus Rotomagensis, sed mox patebit, electum fuisse vivente Honorio II papa, quod cadere debet vel in finem anni 1128 paulo post mortem decessoris sui, vel saltem in annum

1129. Conjicit eruditus auctor Annalium Bened. 1129.
tom. VI, pag. 160, illi fratrem germanum fuisse celebrem illum Matthæum episcopum Albanensem; rectius probat utrumque natum esse in Laudunensi solo, literisque operam navasse in schola Anselmi Laudunensis; ad ultimum tandem nescire se profitetur unde Hugoni cognomen *Ambianensis*, tam apud Ordericum quam apud Gaufridum Vosiensem. Ut ut est de cognominis illius origine, quam quidam inde esse deductam existimant, quod Hugo fuerit de genere comitum Ambianensium, Hugo Cluniaci primum monasticen professus, factus est an. 1115 prior sancti Martialis Lemovicensis, deinde S. Pancratii in Anglia, diœc. Cicestrensis, tum Radingensis novi monasterii abbas. In eum post obitum Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi, ubi ad electionem ventum est, suffragia convenere; electio autem probata, tam ab Henrico Anglorum rege, quam ab episcopo Salesberiensi, in cujus diœcesi Radingia sita erat. Verum cum electioni acquiescere nollet Hugo, clerus Rotomagensis epistolam scripsit ad Honorium papam, ut eum ad subeundum archiepiscopatum compelleret. Eam subjicimus depromtam ex Spicilegii tom. III, pag. 151: *Domino papæ universali Honorio, Rotomagensis ecclesia omnem in Christo obedientiam. Elegimus electione communi filium nostrum Hugonem abbatem Radingensem nobis in pontificem. Super hoc quæsivimus assensum domini nostri Henrici regis Anglorum, & obtinuimus. Ab episcopo quidem Salesberiensi, sub cujus manu abbatis officio fungebatur, nobis eum reddi liberum & absolutum quæsivimus, & cum libertate suscepimus. Sed quia, ipso revelante, percepimus, quod sine auctoritatis vestræ assensu eum habere non poteramus, cum & hoc in literis vestris prædicto regi Anglorum directis ita scriptum legimus:* Ipsum itaque sub primo jure absque dominio nostro tanquam specialem beati Petri & sanctæ Romanæ ecclesiæ clericum retinemus; *eapropter donari eum nobis a sublimitate vestra requirimus, quem tanto cariorem habebimus, quanto a vestra*

celsitudinis sede nobis donatum lætabimur. Quem A
humili supplicatione ita donari a vestra gratia quærimus, ut sub nullius unquam jure vel potestate, nisi sub vestra tantummodo pia protectione eum persistere gaudeamus. carissime pater & domine.

Hugo a pontifice dimissus, consecratus est anno 1130, ex appendice Roberti de Monte, in qua hæc leguntur: *Rex Angliæ Henricus ad Nativitatem sanctæ Mariæ fuit Becci, & adduxit secum Hugonem noviter electum Rotomagensem, qui fuerat abbas Radingi, qui etiam sacratus est in festo Exaltationis sanctæ Crucis die Dominica, quem consecravit Richardus Bajocensis cum coëpiscopis suis in ecclesia S. Audoëni.* Eodem anno ecclesiam B
sancti Martini Alciensis in abbatiam Albæ-marlæ erexit. Anno sequenti Innocentius II Francis contra Anacletum pseudo-pontificem probatus, Rotomagum venit mense Maio pro pace, ut videtur, componenda inter archipræsulem & cives; nonnihil enim jurgii inter eos tunc viguisse indicat S. Bernardus ad ipsum archiepiscopum scribens epistol. xxv. Dum pontifex Rotomagi demoraretur, Hugo calculo suo comprobavit donationem centum marcharum argenti, quas Henricus rex Cluniaco contulerat in teloniis Londinensi & Lincolniensi, ad sustentationem fratrum. Eodem anno Innocentius II concilium C
celebravit mense Octobri apud Remos, quo & Hugo perrexit literas Henrici Anglorum regis deferens filialis obedientiæ indices. Adfuit quoque Hugo consecrationi majoris xenodochii sancti Johannis Bruxellensis a summo pontifice factæ, qui eodem rursus anno, pridie nonas Octobris, in ejus gratiam confirmavit jura ecclesiæ Rotomagensis, & scripsit ei VII calendas Augusti 1132, ut varia in diœcesi sua flagitia contra ecclesiasticam disciplinam coërceret. Hoc circiter anno, cum ad eumdem pontificem querelas detulisset rex Angliæ, quod Hugo ducatum Normanniæ turbaret, professionem & obedien- D
tiam a quibusdam abbatibus suscipiendo, epistola, quam lege integram in Spicil. tom. II, p. 457, aut apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 133, scripsit Hugoni pontifex epistolam XVI, ut aliquid pro bono pacis de jure ecclesiastico regi cederet. Anno 1133 dedit, aut confirmavit archipræsul monachis Tironiensibus prioratum Baschevillæ, cujus ecclesiam eis dimiserant monachi Pini; qua de re chartam legesis apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 147. Adfuit eodem anno concilio Jotrensi, cujus confirmationem cum ab Innocentio II postulasset Petrus Venerabilis lib. III, epist. XVII, de Hu- E
gone hæc subdit: *De cetero quam reverendæ vitæ sit, quamque fidelis apostolatui vestro domnus Rotomagensis archiepiscopus fuerit, quamque pro pace vestra laboraverit, non est necesse vos instrui, quem plene de his omnibus instructum credimus. Supplicamus igitur paternitati vestræ, ut ita paci ejus & justitiæ provideatis, quatenus & Deo possit reddere quod Dei est, & Cæsari quod Cæsaris; ut si fieri potest, & divinæ censuræ non displiceat, & majestatem regiam non offendat.*

Ex quibus verbis non obscure intelligitur,
fuisse adhuc tunc temporis dissidia quædam
Hugonem inter & cives Rotomagenses, aut
ipsum etiam Anglorum regem. Diximus tomo I,
col. 713, ipsum anno 1134 solenni ritu ab- 113
solvisse Guigonem Delphinum. Adfuit eodem
anno, ut apostolicæ sedis legatus, concilio apud
Montem-Pessulanum celebrato, scripsitque Innocentio papæ de rebus eo in consessu gestis
epistolam, quam habes tom. VI Annal. Bened.
pag. 666. Anno 1135 dedicavit ecclesiam 113
Omnium sanctorum Belencumbris. Eodem *Monast. Anglic. to. ... pag. ...*
anno Richardum Glocestriæ comitis filium post
longam dilationem consecravit in episcopum
Bajocensem, & concilio Pisis habito adesse voluit. Finita autem synodo, in Italia pro rebus
sedis apostolicæ juvandis demoratus est; unde
curis apostolicæ servitutis occupatus, ait Ordericus
lib. XIII, pag. 900, *curas proprii præsulatus aliquandiu intermisit, & diutius in Ausoniæ partibus demoratus, aliorum negotia solerter expedivit, quod regi vehementer displicuit.* Sed adveniente eodem
anno Henrici I Anglorum regis morte, simultas
hæc sopita est, dum hic pie humiliterque veniam
ab archiepiscopo deprecatus, absolutionem promeruit. Legenda apud Willelmum Malmesburiensem Historiæ novellæ lib. I, fol. 100, aut
apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 135,
epistola, quam de christiana regis hujus morte,
cui ad extremum usque spiritum adhæserat,
scripsit ipse Hugo Innocentio papæ. An. 1136 1136
subscripsit chartæ Stephani Anglorum regis, pro
fundatione monasterii canonicorum regularium
Doverensis; & chartam ab eodem rege accepit
de his qui treviam Dei infringebant: charta autem
illa, quam publici juris fecit Pommerayus Conc.
Rotomag. pag. 145, confirmabantur *omnibus episcopis Normanniæ jura omnia spiritualia & synodalia.* Sed eodem anno urbs Rotomagus
repentino igne succensa est mense Septembri,
ex Orderico lib. XIII, pag. 905. Anno sequenti 1137
litem diremit Hugo inter canonicos S. Ebrulfi
& monachos Moritonienses, de jure sepulturæ
oppidanorum. Exortum etiam grave dissidium
inter comitem Boloniensem & Robertum Glocestriæ comitem compescuit, teste Malmesburiensi, fol. 102. Theobaldo quoque abbati Becci
benedictionis munus impendit. Mortuum-mare
ordini Cisterciensi eodem anno 1137 adscripsit.
Confirmavit anno 1138 fundationem Ardenæ 1138.
diœc. Bajocensis. Eodem anno quædam largitus Chart. IX
est Serloni abbati sancti Luciani, & Joscelino col. 78.
abbati Augi. Anno 1139 alio oborto jurgio 1139.
inter Angliæ episcopos & ipsum regem, rem
totam *amplioribus rationibus & sermonibus agebat Hugo archiepiscopus Rotomagi, quantum ille facundia poterat, maximus regis propugnator,* inquit
idem Malmesburiensis, fol. 103, contra Henricum Vintoniensem episcopum, sedis apostolicæ
legatum, regisque ipsius fratrem. Certe Hugo
regis partibus addictissimus erat, cujus fratrem
Theobaldum, cum ille bello fusus, victus, captusque esset apud Lincolniam anno 1141, adiit 1141.
cum

…a *Normannis,* ipsi *regnum Angliæ & ducatum Normanniæ offerens,* ex Orderico lib. XIII, pag. 923. Eodem anno Arnulfum consecravit in episcopum Lexoviensem; sed anno 1139 Rotrodum similiter episcopum Ebroicensem consecraverat, & anno 1140 a Sugerio abbate sancti Dionysii in Francia invitatus, partem basilicæ Dionysianæ inferiorem dedicaverat cum Bellovacensi, Meldensi & Silvanectensi episcopis, ut observavimus tomo VII, col. 372. Anno 1141, eo consentiente, fundati sunt apud Ulteriorem-portum milites Templarii; & ipse Beccensis monasterii privilegium Anselmo abbati a Willelmo quondam archipræsule indultum renovavit. Anno 1143 canonicis regularibus confirmavit ecclesiam B. Mariæ de Cornevilla. Eodem anno fundationem Burgi-Achardi anno præcedenti factam sub jure & imperio priorum Falesiæ confirmavit. Sed postea cum Falesiani canonici institutum Præmonstratensium amplexi essent, canonici regulares Burgi-Achardi sui juris esse cœpere, & anno demum 1685, mense Septembri, reformationi, quæ dicitur *Friardelli* nomen dedere. In eo monasterio, quod sub nomine sancti Laudi consecratum est, reformationis hujus superiores generales sedem suam figere consuevere.

Anno 1144 Hugo Letardo abbati Beccensi immunitatem telonei concessit, adfuitque dedicationi basilicæ integræ sancti Dionysii ab abbate Sugerio tandem perfectæ, & consecravit aram beatæ Mariæ. Anno 1145 ecclesiam abbatiæ Calvi-montis apud Velocasses Sugerio abbati traditæ a rege Francorum, & in prioratum duodecim monachorum conversæ consecravit, uti diximus tom. VII, col. 373. Eodem circiter anno fundationem probavit & monialium Fontis-ebraldi apud Clarum-rivulum prope Gosleni-fontem, & monialium Præmonstratensium apud Bellum-montem; quæ postremæ anno 1185 extinctæ sunt. Monachis Majoris monasterii ecclesias aliaque confirmavit anno 1146. Dedicavit 1147, die 3 Sept. ecclesiam Cornevillæ. Eodem anno Cadomenses monachos & canonicos Bajocenses conciliavit. Adfuit 1148 concilio Remensi. Anno 1149 Rogerium benedixit in abbatem Becci. Anno 1150 sequester pacis electus est inter Philippum Bajocensem episcopum & monachos Clarevallenses. Circa id tempus 16 Fiscannensis monasterii parochias, in diœcesi Rotomagensi sitas, ab omni jure episcopali absolvit. Anno 1151 adfuit concilio Balgenciacensi, ubi actum est de divortio Ludovici VII regis & Leonoræ Aquitanicæ. Decimas plurium ecclesiarum confirmavit 1152, monachis Verliaci. Anno 1153, V nonas Maii, in ecclesiam sancti Martini Pontisarensis convenit cum Parisiensi ac Silvanectensi episcopis, ad elevandas sancti Gualterii, olim ejusdem loci piissimi abbatis reliquias. Eodem anno ecclesiam sancti Sidonii a longo tempore desolatam, de *manu* castri domini extraxit, & Rogero abbati Fontanell. ordinandam tradidit. Eodem circiter

ANNI CHRISTI

tempore gravis contentio inter monachos Fontanellæ & S. Stephani Cadomensis vigebat, de qua Johannes Tusculanus episcopus & apostolicæ sedis legatus, Hugoni scripsit, ut cum Rotrodo Ebroicensi & Gerardo Sagiensi episcopis huic dissensioni finem imponeret: cujus mandatis paruisse Hugonem ex literis, quibus transactionem initam inter utrumque monasterium confirmavit, satis constat. Anno 1154, XIV cal. 1154.
Januarii, præsens fuit coronationi Henrici II regis Angliæ, apud Westmonasterium a Theobaldo Cantuariensi antistite peractæ. Eodem circiter anno jura & prædia Rotomagensis ecclesiæ confirmavit Adrianus IV bulla Hugoni data, qui translationem sancti Guillelmi Firmati apud Moretonium anno 1156, in octavis Pen- 1156.
tecostes celebravit. Tunicam Dominicam visitavit eodem anno in monasterio Argentoliensi; qua de re instrumentum confecit, quod legesis apud Pommerayum Concil. Rotom. pag. 149, firmavitque abbatiæ sancti Dionysii in Francia, omnes ecclesias quas illa in sua diœcesi possidebat. Confirmaverat biennio antea eidem monasterio nundinas cujuslibet feriæ sextæ apud Castrum novum prope sanctum Clarum. Anno eodem 1156, Henricus II prioratum ordinis Grandimontensis fundavit in silva Roboreti, quem paulo post in vivarium suum prope Rotomagum transtulit ad sinistram fluminis Sequanæ ripam; unde locus ille nomen sumsit beatæ Mariæ de Vivario: sed hujus mensa prioralis sub Henrico IV Franciæ & Navarræ rege collegio patrum Societatis Jesu Rotomagensi addicta est. Anno 1157 idem archipræsul confirmavit 1157.
monachis sancti Dionysii in Francia, ecclesiam Cergiaci, in qua illi prioratum instituerunt omnimodæ jurisdictioni suæ cum ipsa ecclesia obnoxium. Anno 1158 monachis S. Audoëni 1158.
confirmavit ecclesiam *Ros* in diœcesi Bajocensi sitam, a jure episcopali liberam, & anno 1159 1159.
monachis beatæ Mariæ de Valle, quidquid in ipsius diœcesi possidebant. Circa id tempus jussus ab H. Anglorum rege Roberto abbati Chart. XV. col. 114.
sancti Michaëlis licentiam fecit divina celebrandi in ecclesiis de Ponte-Ursonis. Anno 1160, vel, 1160.
ut aliis placet, 1161, mense Julio, annuente Anglorum rege, congregatum est concilium provinciale apud Novum-mercatum in Normannia, ubi omnes consenserunt Alexandro III papæ, reprobato Victore antipapa. Eodem circiter anno fundati sunt Rotomagi milites Templarii eo in loco, ubi postea ædificata est domus consularis. An. 1162 Hugo confirmavit omnes 1162.
possessiones abbatiæ de Voto, & beneficia prioratus Montis-leprosorum prope Rotomagum; & eodem circiter tempore scripsit ad regem Angliæ de institutione filii sui Henrici, ut simul & mores & literas ab optimis pædagogis addisceret, ut colligitur ex epistola LXVII Petri Blesensis. Ecclesiam *de Sorene* Gerardo abbati Flaviacensi donavit anno 1163. Hugoni abbati 1163.
S. Vincentii Silvanectensis confirmavit sitas in sua diœcesi ecclesias, VII idus Maii 1164. 1164.

Multa reliquit eruditionis suæ monumenta, A quorum unum est Tractatus de rebus theologicis Matthæo Albanensi dicatus, quem lege apud Martenium tom. V Anecdot. alterum vero, Tractatus super hæresibus in Armorico solo natis, Alberico Ostiensi episcopo nuncupatus, & ad calcem operum Guiberti Novigentensis editus. Scripsit etiam libros tres de Memoria, & Tractatum de fide catholica & oratione Dominica, editos apud Marten. Ampliss. Collectionis tom. IX, & epistolam ad Theodericum Ambianensem episcopum de hominibus, qui vice jumentorum trahebant carpenta ad ædificandas ecclesias, scriptam anno 1145, B quam lege Annalium Bened. tom. VI, pag. 392. Nonnullas quoque Ludovico VII regi scripsit epistolas, quas vulgavit Pommerayus Concil. Rotomag. pagg. 139 & 142. Item alias Sugerio abbati sancti Dionysii in Francia editas Anecd. tom. I, coll. 417 & seqq. Rainardo quoque abbati Cisterciensi, & comiti Tolosano, quas legesis apud eumdem Pommerayum, ibidem pagg. 140 & seqq. Denique duas in quibus se apostolicæ sedis legatum dicit, in appendice & Anecdot. tom. I, col. 380. Scripsere vero ad eum Arnulfus Lexoviensis episcopus epistol. XV, editam apud Pommerayum Concil. Rotomag. C pag. 138, ac Petrus Venerabilis epistolam IV libri primi & epistolam XXXII libri sexti.

Obiit meritissimus præsul tertio idus Novemb. anno 1164, ex ejus epitaphio quod hic transcribere post Sammarthanos non pigebit:

Inter pontifices speciali dignus honore
Hic nostræ carnis Hugo resignat onus.
Consignata brevi clauduntur membra sepulcro.
Non tamen acta viri claudit uterque polus.
Quidquid dispensat & compartitur in omnes,
Gratia contulerat, præstiteratque viro.
Fæcundos igitur virtutum copia fructus
Fecit & ultra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ,
Sustulit emeritum flebilis hora senem.
Par, Martine, tibi consorsque futurus eamdem
Sortitus tecum est commoriendo diem.

L. Rotrodus, *seu* Rotrocus.

Erat ille, inquiunt Sammarthani, « Henrici comitis Warvicensis in Anglia & Margaritæ, Rotroci comitis Perticensis sororis filius, nepos Rogeri Bellimontis in Normannia domini, frater E autem Rogerii comitis Warvicensis & Roberti de Novo-burgo. » Fuit primum Gilberti Porretani Pictavensis episcopi discipulus cum Ivone (occurrit sæpius in instrumentis hujus temporis nomen Ivonis cujusdam archidiaconi Rotomag.) tum & ipse Rotomagensis archidiaconus, deinde post Audinum præsul Ebroicensis consecratus ab Hugone archipræsule anno 1139, ad ecclesiam Rotomagensem transfertur anno 1164, ut prodwww Albericus & scriptor chronicorum Normanniæ, & eodem anno quædam bona firmavit parthenoni Villarcellorum, quæ domus ab abbatia S. Cyrici, diœcesis Carnotensis pendens, sed monialibus, procedente tempore destituta, instaurari cœpit anno 1548, pristino autem suo splendori restituta est ineunte decimo septimo seculo. Rotrocum fuisse constat, inquit Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 150, « virum religiosum, bonis ornatum moribus, & ab omnibus dilectum, cujus eximiam prudentiam commendant summa operosaque negotia, quæ occupatis suis temporibus gessit, præsertim in illa gravi diuturnaque controversia, quæ inter B. Thomam Cantuariensem antistitem & Henricum II Angliæ regem oborta est: nam versutissimi hominis recrudescentibus in dies vere an dissimulanter odiis, per plures annos sapientissimus pontifex (quem unicum fere utriusque partis amicum reconciliandæ pacis idoneum avebant boni omnes) legationibus, colloquiis, tractatibus, ultro citroque datis epistolis, mirum quantum desudarit. Tandem post acerbissimam sancti antistitis Cantuariensis cædem, pro rege & regno ad Alexandrum III iter arripuit, etsi, cogente infirmitate, illud perficere non potuit, » teste Rogero de Hoveden, fol. 301. Sed de universo hoc negotio legendi idem Rogerus & Baronius. Rotrocus anno 1168, donationem fecit Mortuo-mari, 116 & confirmavit omnes possessiones monasterii Ch. col. 2 de Voto; permutavitque 1169 cum monachis 116 sancti Audoëni. Dedit anno 1170 S. Martino 117 Pontisarensi ecclesias *de Chars & d'Aronville*, confirmavitque bona sancti Stephani Cadomensis literis, quas habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 167. Scripsit etiam gravem & pastoralem epistolam Henrico novo regi Anglorum, inter quem & patrem contentio movebatur; qua de re lege literas 33, 153 & 154, Petri Blesensis, ubi tamen initio epistolæ archipræsulis, D non Rotroci, sed Hugonis nomen perperam præmittitur: quod satis liquet ex ratione chronologica. Attamen recusavit ferre sententiam Anecdot. coll. 55. 569. interdicti in terram Cismarinam regis Angliæ, quam jusserat Alexander III, ob necem Thomæ Cantuariensis archiepiscopi. Anno 1172, post 117 concilium Abrincatense, cui præfuit mense Sept. datus est comes eidem Henrico juniori e Normannia in Angliam transfretanti, eumque cum uxore sua Margarita, filia Ludovici VII Francorum regis, coronavit Wintoniæ in ecclesia sancti Swithuni, VI calendas Septembris anno 1173, ac postea rediit in Normanniam, ex 1173 Rogero de Hoveden, fol. 302. Eodem anno, ex chronico Rotomagensi apud Labbeum, *ignis in civitate exortus est, qui tredecim parochias cum ipsis ecclesiis ex toto combussit; multi etiam homines in ipso igne combusti sunt.* Eodem rursus anno data est militibus Templi Rotomagensibus domus, seu vivarium sanctæ Walburgis ad dexteram Sequanæ ripam, duabus leucis infra Rotomagum, quæ postea transiit ad milites sancti Johannis Jerosolymitani. Sub iisdem temporibus monachi Caritatis supra Ligerim ad Rotrocum

miserunt, ut spiritualis consolationis captandæ causa monasterium suum dignaretur pie visitare, simulque omnes sua præsentia recreare: verum petitionibus eorum cum annuere non posset, scripsit epistolam, quæ est 155, apud Blesensem. Anno 1174, post obsessum frustra a Francis Rotomagum, præsens adfuit cum aliis præsulibus concordiæ initæ inter regem Angliæ & filios suos, teste Rymero tom. I, pag. 37. Novam & veterem apud Longuessam ecclesias monachis S. Germani Parisiensis confirmavit anno 1175, sicut Hugo decessor. Anno eodem, & 1176, delectus est arbiter a consilio regis Angliæ, pro componendo dissidio inter archiepiscopos Eboracensem & Cantuariensem, legatus similiter a summo pontifice ad eorumdem causam definiendam, ex Sarisberiensi, epist. 288. Anno 1177 confirmavit bona abbatiæ Augensis charta, quam habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 167. Anno 1178, XIII calend. Aprilis, id est anno 1179, dedicavit ecclesiam sanctæ Mariæ Beccensis, præsentibus Angliæ regibus, ac Bajocensi, Abrincensi & Ebroicensi episcopis. Eodem anno corpus sancti Romani decessoris sui transtulit in augustiorem thecam, præsentibus Arnulfo Lexoviensi, Rogerio Sagiensi, & Augustino Waldresfordiensi episcopis; cujus rei instrumentum vulgavit Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 162. Eodem anno, sede Ebroicensi vacante, jus integrum in ecclesiam sancti Albini monachis sancti Leufredi reddidit idibus Januarii 1179. Dedicata est ecclesia beatæ Mariæ de Voto ab Henrico Bajocensi episcopo III non. Martii anno 1181, Rotrodi Rotomagensis archiepiscopi anno XVI, qui episcopum rogaverat. Anno 1183 corpus Henrici Junioris regis ab ecclesia sancti Juliani Cenomannensis translatum in ecclesiam Rotomagensem cum aliis prælatis honorifice suscepit, ibique prope altare beatæ Mariæ sepulturæ tradidit. Eodem anno vivere desiit VII cal. Decembris, ex Alberico. Lege apud Pommerayum Concil. Rotomag. pagg. 158 & seqq. varias quas ad eum scripsit epistolas Alexander III papa, aut scripsit ipse sive ad clerum suum, & ad suffraganeos suos, atque abbates, sive ad Guillelmum Senonensem archiepiscopum, aut ad Eleonoram Angliæ reginam. Laudavit in eo Petrus Blesensis epistola XXX, majestatem quamdam veneratione dignam, quam præferebat in oculis eum intuentium; sed maxime prædicandus, quod & decimas Becci-Moritonii apud Caletes dederit ecclesiæ suæ, plurimaque sanxerit pro bono canonicorum, clericorumve suorum regimine, inter quæ hæc notanda ex archivo domestico apud Dadræum: *Cum canonici vita jam functis succedentes nil percipiant in communi, respectu autem præbendarum aliquid plus minusve nonnunquam accipiant; ut servata æqualitate omnis cesset dissensio, determinatum fuit in capitulo & a nobis confirmatum, quod canonici morientes potestatem habebunt disponendi circa fructus suarum præbendarum, simulque pecora ac redditus communitatis usque ad finem anni. Quod*

A *si canonicus morte præventus haud disponere possit, hujusmodi dispositio per capitulum adimplebitur respectu fructuum præbendæ, ac redditus communitatis.* Ejus forte temporibus, aut saltem sub Walterio successore suo, dum adhuc regnaret in Anglia Henricus II, fundatus est prope Bolbeccum in Caletis prioratus Vallis ægrorum, cujus nunc canonici regulares reformationi Friardelli addicti sunt.

ANNI CHRISTI

LI. WALTERIUS. DE COUTANCES.

Patre Rainfredo natus Walterius, & matre Gonilla, quam ex regio gentis suæ genere pro- B gnatam ferunt, ait Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 168, natione Britannus erat, ex eodem Pommerayo ibidem & Sammarthanis, quanquam Constantia, cujus agnomen habuit, urbs est non Britanniæ, sed Normanniæ. Is canonicus primum Rotomagensis, utriusque Henrici regum Angliæ clericus, capellanus Bliæ in Anglia, archidiaconus Oxoniensis, quo nomine scripsit ad Bartholomæum Oxoniensem episcopum epistolam, quæ est LXXXIII, apud Petrum Blesensem; ac post Radulfum de Warnevilla Rotomagensis ecclesiæ thesaurarius, ad episcopatum Lincolniensem assumtus est anno 1183, con- C secratus Andegavi ab archiepiscopo Cantuariensi,
ex Godwino pag. 344, unde anno sequenti 1184.
ad ecclesiam Rotomagensem voluntate ac pre- Ch. XXIV, col. 26.
cibus Henrici regis translatus est a Lucio III papa, XV calendas Decembris, assentientibus tandem canonicis, qui Robertum de Novo-burgo primùm elegerant, palliumque simul recepit ab
Hubaldo subdiacono, & anno 1185 solenniter 1185.
exceptus est in ecclesia Rotomagensi die festo sancti Mathiæ, cognomen *Magnifici* sortitus ob rerum gestarum magnitudinem. Eum Godwinus ibidem, ac Neubrigensis lib. III, cap. VIII, occasione hujus translationis avaritiæ & ambi- D tionis nota insimulavere, sed falso, ut credere est, atque inconsiderate, quippe qui sicut nobili erat stirpe progenitus, ita vir probus, civilis ac modestus, cujus eximias dotes ad amussim delineavit testis oculatus Petrus Blesensis epistola ad Johannem de Constantiis ex decano Rotomag. Wigorniensem episcopum, in bibliotheca patrum tom. XII, part. II, pag. 941. Illum eodem anno in conventu Londoniensi crucem accepisse scribit Hovedenus fol. 358.

Anno 1186, ex eodem Hovedeno fol. 361, 1186.
missus est ad Philippum regem Franciæ cum Willelmo de Mandevilla comite Albæ-marlæ, & E Rannulfo de Glanvilla justitiario Angliæ, *ad quorum instantiam rex Franciæ treugas dedit, & pacem tenere promisit usque ad festum sancti Hilarii proximo venturi.*

Eodem vero tempore, ait Robertus de Monte,
impetravit a domino Henrico rege Anglorum, ut Ch. XXIV. col. 150.
abbatia S. Elisii, quæ est in insula Grisolii, jungeretur abbatiæ de Voto, quæ est juxta Cæsarisburgum. Prædictus vero archiepiscopus, pergit ille, *fecit in eadem abbatia abbatem suum capellanum.*
Circa id tempus subscripsit diplomati Henrici II Chart. XIX. col. 84.
regis Anglorum pro Longis.

image
not
available

unquam exhibere. Sed cum tam a nobis, quam a dilecto filio prædicto Rotomagensi decano sæpe & sæpius fuissent admoniti, id emendare penitus contempserunt. Vos autem, sicut ex literis vestris agnovimus, auctoritate & assensu venerabilis fratris nostri Rotomagensis archiepiscopi, in eos excommunicationis sententiam protulistis. Sed ipsi, iniquitatis spiritu suadente, in majorem insolentiam prorumpentes, in sacra majori hebdomada ante festum Resurrectionis Dominicæ, manus profanas in sacerdotes Domini immittentes, quosdam ex eis occiderunt, & quosdam contumelia affectos membris genitalibus turpiter & nefarie detruncarunt, ac in ipso die Resurrectionis Dominicæ domos canonicorum Rotomagensis ecclesiæ ex parte diruerunt, & ex parte incendio consumserunt, virgulta eorum nihilominus radicitus amputantes. Tandem post multas admonitiones, & carissimi in Christo filii nostri Richardi illustris regis Angliæ sæpius iterata mandata, tactis sanctis evangeliis, omnes pariter juraverunt se fore super omnibus, quæ superscripta sunt, super judicio ecclesiæ absque omni diffugio parituros. Ceterum cum vos vocati postmodum ad civitatem venissetis prædictam, & judicium juxta præstitum ab eis juramentum vestra discretio injungeret observandum, ascitis vobiscum viris prudentibus & discretis de assensu & auctoritate præfati archiepiscopi, firmiter decrevistis, ut communia civitatis ejusdem ad damnorum restitutionem integram teneretur, & ut murum atrii ipsius ecclesiæ a communia ipsa destructum cum appenditiis & pertinentiis suis sine difficultate aliqua restauraret, domos quoque canonicorum & clericorum Rotomagensium per eamdem dirutas & combustas restituere non differret: illi vero de communia, qui in canonicos vel clericos manus violentas ausu temerario injecerunt, passis injuriam congrue satisfactis, ad sedem apostolicam properarent pro absolutionis beneficio obtinendo. Quoniam igitur non est licitum aliquibus temere contra præstitum juramentum venire, eisdem civibus per scripta nostra mandamus & districte præcipimus, ut juxta quod promiserunt, & exinde tenentur juramento astricti, curent taliter satisfacere, quod Deo & ecclesiæ, quos offenderunt, sit plenarie satisfactum.... Quod si forte præceptum vestrum adimplere distulerint, &c. . . . . Datum Laterani v idus Octobris, pontificatus nostri anno IV.

Eodem ferme tempore Walterius censuris omnes regis Angliæ ministros percussit, provinciamque omnem subjecit interdicto, propterea quod rex castrum in insula Andilegi super loco, qui ad ecclesiam Rotomagensem pertinebat, construxisset. Quare velut exul e Normannia discedere coactus est ad summum pontificem. Ad id vero temporis referri possunt epistolæ CXXIV & CXXV Petri Blesensis, quibus eum ad constantiam & ad quærendum in sacris literis solatium hortatur; nam in iis jam observatum est legendum esse Walterium pro Willelmo. In ea autem peregrinatione, cum Cameraci substitisset, altare de Bova canonicis sancti Auberti concessit, quod eis confirmavit Innocentius III, calendis Aprilis, pontificatus XIV, epistola quam Baluzius edidit tom. II, pagina 522. Ibidem Walterius anno 1196 societatem iniit cum ecclesia Cameracensi, quam retulit Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 189, & cujus synopsim retulere Sammarthani in proœmio archiepiscoporum Rotomagensium his verbis: « Johannes episcopus Cameracensis, inquiunt, cum assensu capituli decrevit domos episcopales archiepiscopis Rotomagensibus, ex quacumque causa ad sedem Cameracensem declinarent, vel in ea morari vellent, cum omnibus bonis episcopalibus, pro tempore pensatis ecclesiæ suæ facultatibus, esse cedendas, ita etiam ut archiepiscopi Rotomagenses in ecclesia Cameracensi majorem locum obtinerent & in divinis officiis dignitatem: si quando vero Cameracensis antistes ex quacumque causa Rotomagensem ecclesiam adiret, eum in domo sua secum colligere & honeste vice versa de bonis episcopalibus pro suo & sui capituli arbitrio ei teneri exhibere; ita ut post archiepiscopum, primum in ecclesia locum haberet, & obtineret dignitatem (salva suffraganeorum suorum debita & observata dignitate) & in divinis officiis vice capellani in majoribus solennitatibus ipsi archipræsuli assistere & ministrare teneretur. Præterea idem Johannes, præpositus, decanus & capitulum Cameracense sanxerunt, ut quoties fratres ambarum ecclesiarum se vellent ad invicem visitare, singuli in choro secundum gradus prærogativam, vel pro sui dignitate ordinis admitterentur, excepto duntaxat capitulo, & in cunctis opportunitatibus & necessitatibus suis mutuum sibi auxilium & consilium fideliter & bona fide præstarent; nec possent debitis unicuique pro eminentia honoris secundum utriusque ecclesiæ consuetudinem stipendiis defraudari. Quæ confœderatio, addunt illi, etiamnum perseverat. » Sed gravissima illa, quam inter ipsum & Angliæ regem castrum Andilegi pepererat querela ita suæ ipsius successorumque suorum utilitati cessit, ut hoc eodem anno Richardus pro uno Andilego dederit ei molendina omnia, quæ habebat Rotomagi cum villis Deppa, Locovere, Alacri-monte & Butila, diplomate, quod post Quercetanum hist. Normann. pagg. 1052 & 1053, Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 191, & Sammarthanos hic recudi curavimus in appendice; quodque Innocentius III papa, lib. 1, epistola CVIII, data VI calend. Maii anno 1198, ut legitur apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 190, & Johannes rex Angliæ altero diplomate anni 1200 confirmavere. Ceterum de celebri hac commutatione circumferuntur ex Sammarthanis hi versus crucibus per urbem in rei memoriam olim insculpti, paulo aliter tamen, sed incuriosius ab aliis excerpti:

Vicisti, Galtere: tui sunt signa triumphi
Deppa [a], *Locoveris* [b], *Alacris-mons* [c], *Butila* [d], *Molta* [e].
Deppa maris portus, Alacris-mons locus amœnus,
Villa Locoveris, rus Butila, molta per urbem.
Hactenus hæc regis Richardi jura fuere;
Hæc rex sancivit, hac papa, tibique tuere.

ANNI CHRISTI 1196.

Ch. XXVI. col. 27.

Ch. XXIX. col. 30.

[a] Dieppe. [b] Louviers. [c] Alihermont. [d] Bouteilles. [e] les Moulins de Rouen.

Novis autem possessionibus illis tam feliciter
comparatis, episcopos Lexoviensem & Ebroi-
censem, qui partes regis tam apud Romanam
curiam secuti, quam in Normannia ipsi adver-
sati fuerant, benigne ad osculum pacis, publice
id ac pie deposcentes excepit. Ita enim commen-
tarii quidam ecclesiæ Rotomagensis manuscripti :
*Walterus episcopus excambium pro Andeliaco rece-
pit, & episcopi, qui prius inobedientes fuerant
suspensi, venerunt ad pedes ejus prostrati in pro-
cessione solenni in festo Conceptionis beatæ Mariæ
virginis, mitris & baculis pastoralibus redditis in
manu ipsius, & ipse misericordia motus eis gratiam
suam & officium suum reddidit.* Atque ita rebus
pacificatis congratulatus est ei Petrus Blesensis
epistola CXXXVIII, qui non multo post ejus in
re domestica adversus quemdam e clero suo
favorem & auxilium suum deprecatus est.

Anno 1197 Guillelmum de Chamiliaco ele-
ctum & confirmatum Abrincensem postulatum-
que ad ecclesiam Andegavensem a sede Abrin-
censi absolvit, inconsulto summo pontifice, quæ
res ita Innocentio III displicuit, ut a confirma-
tione & consecratione pontificum eum suspen-
derit V calendas Maii 1198, quem tamen ob
necessitatem ecclesiæ Andegavensis absolvit III
non. Decembris. Eodem anno 1198 Walterius
quædam statuta edidit ad parochiam Pirorum
spectantia; subscripsit fundationi abbatiæ Bello-
sannæ, probavitque fundationem Hambeiæ. Eo-
dem anno contulit capitulo suo decimam partem
de omni proventu & reddita, quos in Deppa &
Botellis, eorumque pertinentiis percipiebat, ut
quos passionum suarum socios habuerat cano-
nicos, ubi litigandum fuerat cum duce, eosdem
participes efficeret consolationum. Retinuit tamen
sibi & successoribus suis collationem quatuor
præbendarum illarum, quæ dicuntur *præbendæ
quindecim librarum* cum centum sterlingis pro
clericis chori, & centum solidis in usus paupe-
rum distribuendis. Vide chartam in appendice
ad opera Petri Blesensis, pag. 777. Eodem
circiter anno probavit fundationem parthenonis
Fontium-Guerardi. Anno 1199, postquam tu-
mulasset apud Fontem-Ebraldi Henricum II
Angliæ regem, Johanni novo regi ensem ac
pileum ducalem imposuit, ab eoque privilegium
obtinuit, quo ecclesiæ Rotomagensis possessiones
omnes confirmabantur. Eodem anno inter Ver-
nonem & Andilegum habitus est conventus
procerum & episcoporum pro pace inter utrum-
que regem Franciæ & Angliæ sancienda; & ipse
delectus est a sede apostolica, ut diuturnæ alter-
cationi inter archiepiscopum Turonensem &
episcopum Dolensem ultimum finem imponeret,
epistola, quæ est LXXXI in literis Innocentii III,
lib. II. Anno 1200, mense Januario Bello-
sannæ bona confirmavit. Eodem, Johannes rex
Angliæ, pro salute animarum *Henrici regis patris
nostri & fratris nostri Henrici regis junioris, qui
in ecclesia Rotomagensi habent sepulturam*, ad preces
Alienoræ Anglorum reginæ concessit Waltero
& successoribus capellaniam de Blia cum per-
A tinentiis in Anglia. Eodem anno in finibus
parochiæ Bosci-episcopi fundatus est prioratus
Belli-loci a Johanne *de Preaux*, qui canonicis
regularibus, quos ibi posuit, e monasterio sancti
Laudi Rotomag. accitis patronatum dedit om-
nium ecclesiarum, quibus præsentabat, tam in
Anglia quam in Francia; cautumque est ipsis
fundatoris literis, ne cedente aut decedente
priore novus prior aliunde assumeretur, quam e
gremio sancti Laudi : quod postea nonnullis
exceptionibus temperatum est, ut videre est
apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 199.
At cum in illo sancti Laudi prioratu episcopus
B Constantiensis jurisdictionem episcopalem sibi
vindicaret, nihilominus in nova colonia archi-
episcopo Rotomagensi asserta sunt omnia epi-
scopalia jura, ex hoc statuto : *Sciendum est quod
episcopus Constantiensis nihil juris sibi in ecclesia
Belli-loci poterit unquam vindicare, vel canonicos
ipsos, vel ecclesiam suam sub interdicto concludere,
aut excommunicare priorem.* Eodem anno fundatus
est prioratus sancti Albini prope Gornacum,
pro monialibus Cisterciensibus, ab Hugone III
toparcha Gornacensi. Eodem rursus anno extitisse
videtur Alisiaci monasterium, quod postea ad
montem Duorum-Amantium translatum est,
C paretque ab anno 1652 canonicis regularibus
congregationis Gallicanæ. Eodem circiter anno
fundati sunt apud Uvillam canonici regulares,
quorum domus transiit anno 1602 ad mona-
chos Fulienses. Eodem rursus anno, *IV idus
Aprilis, in nocte Paschæ*, ex chronico Rotoma-
gensi apud Labbeum, id est anno 1201, com- 1201
busta est tota ecclesia Rotomagensis cum om-
nibus campanis, libris & ornamentis ecclesiæ,
& maxima pars civitatis, & multæ ecclesiæ.
Eodem anno Galterus dissidium composuit inter
camerarium Tancardivillæ & abbatiam Vallis-
Azonis, cui multa deinde largitus est. Anno
D eodem 1201, decimas molendinorum Rotoma-
gensium, quas abbati S. Audoëni disputabat,
discusso abbatis jure, liberas eidem dimisit. Dedit
etiam Pontiniacensibus monachis amicis suis,
decem millia halecum in portu Deppæ, quot-
annis reddendorum. Eodem adhuc anno, XVI
calendas Februarii, hoc est anno 1202, confir- 1202
mavit novam fundationem ecclesiæ collegiatæ
Saxonis-villæ, quæ constat hodie decano uno,
qui parochus est loci, & quatuor aut quinque
aliis canonicis. Anno 1203, VIII idus Nov. fun- 1203
dationem approbavit prioratus canonicorum regu-
larium apud Geraldi-villam, a Guillelmo Maleto
E Geraldi-villæ domino factam : quibus canonicis
e domo S. Barbaræ in Algia assumtis dederat
ecclesiam S. Salvatoris in Campania anno 1260.

Anno 1204 Normannia omnis Philippo 1204
Augusto Francorum regi subditur, ducentis
nonaginta duobus annis postquam Rolloni Nor-
mannorum duci concessa fuisset in feodum;
unde novum regem in æde metropolitana so-
lenni apparatu ducalibus induit armis atque
insignibus; & eodem anno conditæ sunt leges
nonnullæ de interceptionibus clericorum adversus

regiam jurisdictionem, quas habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 176. Anno 1206 Willelmus *de Boëles* miles in manu Walterii resignavit jus omne in ecclesia de Arnulfimonte. Eodem anno canonicis S. Laudi dedit ecclesiam *de Criquebauf.* Eodem anno quadringentas libras Turonenses soluturum se promisit regi in compensationem eorum, quæ rex sibi vindicare poterat in Andilego, Deppa & Locovere, ex thesauro chartarum regiarum. Eodem anno apud Duos-Amantes intra fines parochiæ Anfredi-villæ subtus montes, jam degebant canonici, ut credimus, regulares, hinc forte paulo antea translati ex ecclesia vicina Alisiaci, quæ anno adhuc 1200 monasterii nomine insigniebatur.

Anno 1207 Galterus cum ceteris Normanniæ episcopis ad Philippum regem dedit literas de modo dirimendi lites circa præsentationes beneficiorum, quem rex approbavit mense Octobri. Literas prælatorum habes Spicil. tom. VI, pag. 483, iterumque tom. IX, pag. 154, & Philippi regis Anecdot. tom. I, col. 803. Eodem anno Walterius ecclesiæ Rotomagensi dedit ecclesiam *de Saxetot* ad opus cujusdam cerei perpetuo diu noctuque ardentis ante corpus Domini & ante majus altare prædictæ ecclesiæ. Eodem anno dedicavit ecclesiam abbatiæ Insulæ-Dei, eodemque XVI calendas Decembris, vitam pariter & munificentiam clausit, sepulturam nactus apud ædem cathedralem in sacello sanctorum Petri & Pauli, ubi marmoreo tumulo sumtuosissime cohonestatus est. Complures ille fundavit obitus, quorum unus celebratur mense Februario; imo & mater ejus dedit terram Estigniaci, centumque solidos annui reditus super ecclesia Burdini-villæ ad ejusdem obitum singulis annis recolendum. Scripsit super negotiis juris librum unum; epistolarum ad diversos librum unum; ad Ranulfum de decreto librum unum; de peregrinatione regis Richardi librum unum; nonnulla denique de B. Adjutore Vernonensi patrono. Sæpius etiam de diversis negotiis scripsere ad eum Alexander III, Urbanus III, Cœlestinus III summi pontifices, sed maxime Innocentius III, ut canonicos Rotomagenses ad residentiam per censuram ecclesiasticam compelleret; ut de instauranda ecclesiæ suæ fabrica decretum obtineret majoris & sanioris partis capituli sui; ut audacter sua jurisdictione uteretur, nec regum minas pertimesceret, ei etiam inhibens, ne iniquæ illi principum conventioni (de quatuor clericis eligendis, ad quos pertineret judicare de sententiis ab archiepiscopo in terras vel homines regum ipsorum latis) auctoritatem, assensumve præberet, ut nullus posset se ad personatum alicujus ecclesiæ præsentare, quantumcumque esset idoneus, & quibuscumque studiis ac meritis instructus esset; ut cum in diœcesim suam protulisset sententiam interdicti, omnes ei lege diœcesana subjecti eam tenerentur inviolabiliter servare, nisi per speciale privilegium, vel alias legitime ad id se ostenderent non teneri; ut excommunicationis & interdicti sententia, quam ille in quosdam clericos & laïcos suæ diœcesis, ipsorum exigentibus meritis, promulgaverat, qui adhuc in suæ iniquitatis intentione contumaces persistebant, inviolabiliter sine appellationis remedio observaretur. Quæ omnia, aliave minoris momenti, quæ brevitatis studio prætermittimus, in ipsis pontificum literis aut rescriptis legenda.

5 *Sede vacante*, ex chronico Rotomagensi MS. & ex alio chronico apud Labbeum, *magnum exortum est dissidium in civitate Rotomagensi anno 1207*, seu 1208, juxta recentiorem calculum, *& XI calendas Aprilis positum fuit interdictum in ecclesia Rotomagensi & in omnibus ecclesiis civitatis, pro homine magistri Guillelmi de Marleis, seu de* Marliz, *canonici, quem cepit major pro quadam nescea facta in civitate, & detinuit usque ad diem lunæ VII calendas Aprilis.*

LII. ROBERTUS II.

POULAIN, *seu potius* LE BAUBE.

Sublato e vivis Walterio, *magnum exinde*, inquit idem chronographus, *nascitur jurgium inter canonicos, ita ut mandato papæ electus fuerit coram judicibus ad id deputatis magister Robertus Pullus, qui tunc erat omnium ecclesiæ canonicorum pauperrimus, sed vir bonus & simplex.* Pullus ille longe alius est a Roberto *Pullo* Anglo, cardinali, & celeberrimo theologo, cujus opera e tenebris eruit anno 1655 noster Hugo Matholdus. Pullani etiam nomine quandoque appellatus reperitur archiepiscopus Rotomagensis; sed sive *Pulli*, sive *Pullani* nomen fictitium fuit: vero enim nomine, quod probant chartæ monasterii Albæ-marlæ, dicebatur *le Baube*, & consanguineum videtur habuisse R. Balbum archidiaconum Rotomagensem, quem anno 1211 vixisse mox patebit. Robertus electus X calend. Septembris, anno 1208, quo tempore sancitæ sunt consti- 1208.
tutiones Gallonis cardinalis, quas habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 209, confirmavit capitulo Rotomagensi datam a Willelmo *Rollant* 18 Septembris ecclesiam sancti Martini *de Oissel.* Sacræ militiæ nomen dedit anno 1209, ex Sammarthanis, contra Albigenses 1209.
hæreticos, & ad id bellum profectus est cum aliis episcopis anno 1212, ex Petro Vallis-Cernaii cap. XLIX, cujus etiam caput LXIII legendum est. Rogerium abbatem Beccensem benedixit calendis Octobris 1211, in ecclesia metropoli- 1211.
tana. Possessiones Fonti-Gomeri datas, quarum Ch. XXXII. col. 32.
testis fuerat an. 1209, confirmavit 1212 pridie 1212.
nonas Aprilis. Cum remissius se ageret in solvendis decimis Deppæ & Burdini-villæ, quas Walterius decessor suus capitulo ecclesiæ suæ contulerat, gravis inter ipsum & canonicos anno præcedenti orta erat simultas; unde chronographus Rotomagensis MS. ad eumdem annum in hæc verba: *Cum capitulum Rotomagense*, inquit, *peteret a domno Roberto archiepiscopo decimam quorumdam proventuum de Dieppa, & ipse diu solvere, aut capitulo respondere distulisset, capitulum super ipsum cathedralem ecclesiam interdixit in crastino octavarum Nativitatis beatæ Mariæ virginis, & fuit interdicta usque in diem sancti Michaëlis.*

Et tunc domino Luca Ebroicensi episcopo mediante, solvit capitulum interdictum; & in crastino dominus archiepiscopus & capitulum compromiserunt in arbitres, scilicet abbatem Belli-beci, magistrum N. de Aquila decanum Abrincensem, Theobaldum thesaurarium, & magistrum R. Balbum archidiaconum Rotomagensem, quod eorum starent arbitrio, &c. Anno 1214, ineunte mense Decembri, Robertus degebat Romæ, ubi sanxit abbati & monachis S. Taurini ea, quæ per chartam Richardi regis ad monasterium suum pertinebant in minerio & foresta Locoveris. Anno 1217 confirmavit fundationem Bellæ-stellæ, literasque dedit quibus pollicebatur ballivos regios neque a se, neque ab officialibus suis deinceps excommunicandos, rege antea non requisito. Eodem anno, VI calendas Aprilis, hoc est anno 1218, scripsit ad Philippum regem, cui concessit, ut ad postulatum ballivorum suorum, decani cum quatuor presbyteris sisterent se ad jurandas recognitiones ecclesiarum, de quarum patronatu esset controversia aut dubitatio, atque ut placita Judæorum agerentur in villa Deppæ, quemadmodum fieri consueverat tempore Walterii decessoris sui. Chartam vero, quam ea de re vulgaverunt Sammarthani, mancam & anno 1207, pro 1217, pessime subnotatam habes diligentius excusam in Spicil. tom. VI, pag. 470. Confirmavit concessam indulgentiam ab episcopis, qui ecclesiam de Savigneio dedicaverant 1220. Anno denique 1221, IV nonas Maii, vivere desiit, & nonis ejusdem mensis tumulatus est in monasterio Mortui-maris, memoratus variis diebus variis in necrologiis, Cornevillæ, Silleii, Crucis sancti Leufredi, Montis-Dei, &c. & hoc elogio decoratus a veteri quodam poëta:

Isti (Walterio) *successit præsul Robertus, egenos*
Vestie, cibis recreans, cleri defensor, amator
Juris, in ecclesiis devotus, atroxque tyrannis.

Scripserat ei Innocentius III papa an. 1210, de variis articulis juris; anno 1212 in gratiam abbatiæ Vindocinensis; anno 1213 pro futuro concilio Lateranensi celebrando: & Honorius III ne canonicus admitteretur in sua ecclesia, nisi esset legitimo thoro natus. Sub ejus præsulatu anno circiter 1220 fundati sunt in suburbio sancti Severi Rotomagensi fratres Prædicatores, quos postea anno 1247 S. Ludovicus transtulit ad sanctum Jacobum, in aliud urbis suburbium versus occidentem.

LIII. Theobaldus.

Dicitur a Sammarthanis Theobaldus patria fuisse & cognomine Ambianensis, sed male; natus enim erat Falesiæ, unde vocatur *de Falesio* in necrologio Lexoviensi: *Ambianensis* tamen propter diuturnam Ambiani moram appellatus est. Thesaurarius erat ecclesiæ Rotomagensis, quando electus est archiepiscopus ante XV cal. Junii anni 1222; atque hinc corrige quæ de eo diximus tom. VIII, col. 1227, sed alii

A similiter a nonnullis electi sunt; unde Honorius A
papa scripsit episcopo Sagiensi, majori archidia- CII
cono Remensi, decanoque Ambianensi, ut inquirerent de electione Theobaldi, literas, quas typis mandavit Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 211. Vicit Theobaldus, qui consecratus est pridie nonas Septembris ejusdem anni, anno vero sequenti pallium recepit IV cal. Februarii, 12
conciliumque celebravit Rotomagi VI calendas Aprilis. Eodem anno Richardum consecravit episcopum Ebroicensem; Henricum benedixit in abbatem Becci; statuta condidit pro refor- A.
matione monasterii sancti Michaëlis in periculo tom. 911
B maris. Adfuit eodem anno exequiis Philippi Augusti regis; literasque accepit a Conrado Portuensi episcopo, atque in partibus Bulgarorum sedis apostolicæ legato, ut Senonas pergeret cum suffraganeis suis episcopis ad componendum tumultum Bartholomæi Albigensium antipapæ;
quas literas hic in appendice post Matthæum Ch. x
Parisium, Pommerayum, Sammarthanos & Mar- col. 3
tenium recudi curavimus. His autem adjecit suas VI idus Julii, quibus suffraganeos Senonas Av
invitat. Abbatissam S. Amandi cum canonicis tom 901.
Belli-loci conciliavit an. 1224, & anno 1225, 122
Dominica qua cantatur *Circumdederunt me*, Wil- 122
C lelmo Abrincensi episcopo significavit mandatum Romani legati, quo excommunicat omnes regno & regi Franciæ adversus Albigenses Cruce signato Ib.
molestiam inferentes, eique decimam bonorum 931.
ecclesiasticorum concedit, & episcopos ad sumendam Crucem invitat. Roberto comiti Drocensi & A. uxori facultatem concessit capellam ædificandi in manerio S. Albini, ad exhibendum eis & familiæ divinum officium 1225. Eodem anno corpus sancti Laurentii Dublinensis archiepiscopi in ecclesiam B. Mariæ Aucensis transtulit
mense Maio. Anno 1227 multæ gravesque 122
controversiæ inter ipsum & sanctum Ludovicum
D regem exortæ sunt; qua de causa, *Rex per consilium baronum suorum consiscavit omnes archiepiscopi possessiones seculares; unde archiepiscopus habito tractatu cum episcopis suis, omnia dominia & castella, quæ rex habebat in archiepiscopatu suo, interdicto conclusit, exceptis tantummodo civitatibus, & inde exulavit ad curiam Romanam profecturus.* Sed hanc discordiam composuit Romanus apostolicæ Ampl.
sedis legatus, bonaque archiepiscopo restituit coll. tom col. 12..
XII calendas Novembris 1228. De ea autem 1222
legendum est in Spicil. tom. II, pagg. 819 & 820, aut apud Labbeum, ipsum Rotomagense chronicon, ex quo hæc paucula desumta sunt.
E Huc procul dubio allusit Guillelmus Brito, dum Philippidos suæ lib. XII, cecinit in hunc modum:

Et qui Rotomago Theobaldus præsidet urbi,
Vir precibus vix flexibilis, nimiique rigoris.

Obiit ille, ex Alberico, VII calend. Octobris
anno 1229, seu, ut prodit chronicon Rotoma- 1229.
gense apud Labbeum, *in festo sancti Firmini, quod ipse de assensu capituli triplici festo statuerat celebrari . . . . . in confinio diei & noctis,* post inductos in urbem suam, ex Sammarthanis,

Patres

Patres Dominicanos & Franciscanos; & compositionem pactam anno 1228 inter ipsum & abbatem Albæ-marlæ, quam lege apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 215. Sed de Dominicanis, seu Fratribus Prædicatoribus, modo diximus in Roberto decessore suo, quanquam nil vetat illos Rotomagi sub ipso Theobaldo fundatos fuisse. Ad Franciscanos quod spectat, excepti sunt illi anno 1228 prope urbem intra septa sancti Marci: sed anno 1246 translati sunt ab Odone Rigaldo archipræsule in locum quem nunc occupant prope vetus Rollonis-castrum; & anno 1249 data est eis vicina sancti Clementis ecclesia, quam postea multum amplificaverunt.

LIV. Mauritius.

Theobaldo mortuo magna exoritur contentio in capitulo Rotomagensi pro electione futuri antistitis, quæ ultra annum protracta est. Nam Thomas *de Freauville* decanus ab aliis electus est, ab aliis autem repudiatus, quia post concilium generale Lateranense archidiaconatum Ambianensem adeptus, hunc cum pluribus ecclesiis parochialibus, quas ante concilium obtinuerat,
1231. eoque dimisso, ecclesias retinuerat. Itaque *anno 1231, mense Maio, constitutus in curia Romana, in præsentia fratrum renunciavit electioni de se factæ in manu domini papæ*, ex chronico Rotomag. Spicil. tom. II, pag. 820, *ad cujus resignationem dominus papa dedit ecclesiæ Rotomagensi dominum Mauritium episcopum Cenomannensem in archiepiscopum & pastorem, qui receptus fuit in eadem ecclesia die Dominica ante festum B. Mariæ Magdalenæ;* & anno sequenti eumdem Thomam *de Freauville* ordinavit episcopum Bajocensem. Anno 1231 concilium habuit Rotomagi de disciplina ecclesiastica & morum reformatione, & decretum tulit de canonicis qui ad monasteria convolarent, ut licitum eis foret post vota emissa, fructus præbendæ suæ ad finem anni percipere,
1232. ut canonici decedentes. Anno 1232 rogatus a monachis sancti Audoëni ut abbatem ipsis sufficeret, scripto contestatus est nihil exinde circa electionem abbatum juris acquisitum velle. Eodem anno, cum post mortem abbatissæ Montis-villaris aliam elegisset, huicque contradixissent
1233. moniales, illas excommunicavit. Anno 1233, ex chronico Rotomag. laudato pag. 821, *saisivit dominus rex Ludovicus junior* (id est S. Ludovicus) *regalia domini Rotomagensis archiepiscopi propter causas, quæ expressæ sunt superius in tempore Theobaldi archiepiscopi, & propter quasdam alias causas, propter quas dominus archiepiscopus Rotomagensis Mauritius supposuit totam diœcesim Rotomagensem interdicto: & incœpit interdictum a vigilia sancti Michaëlis, & duravit usque ad festum sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani anno revoluto, quia tunc ei reddita fuerunt bona sua cum omnibus quæ recepta inde fuerant tempore intermedio.* Sedebat adhuc pius archipræsul anno
1234. 1234, mense Septembri, ex tabulario sancti Georgii de Balcheri-villa, unde quod legitur in eodem chronico Rotomagensi ibidem, obiisse eodem anno in octava Epiphaniorum apud Salicosam, & conditus fuisse in ecclesia sua cathedrali, intelligendum est de anno 1235, juxta recentiorem calculum. (ANNI CHRISTI 1235.) Sed ad diem obitus quod spectat, illum consignant obituaria ipsa, tam Salicosæ quam ecclesiæ Rotomagensis, ad III idus Januarii.

Allegarunt Sammarthani in laudem Mauritii insignem hunc locum Johannis Cantipratensis ex libro primo Apum desumtum: *Mirum valde in ipso archiepiscopo videri potuit, quod sibi tam parcus, & pauperibus tam largus fuerit. Dicebat enim œconomis, cum annuos redditus ad duodecim librarum millia computarent: duo aut tria millia ad victum familiæ nostræ conservate; in reliquis omnibus nihil habeo, pauperum enim sunt & in pauperes dispensate. Illis autem quæ mihi manent, dispensatoris utar loco, non domini.* Exstant quinque præsulis hujus epistolæ ad decanos suos, Spicil. tom. II, pagg. 520 & seqq. & apud Pommerayum Concil. Rotomag. pagg. 218 & seqq. in quarum tertia illud notatu dignum est, quod ad levandam aliquo modo injuriam beatæ Virgini Dei-paræ illatam a rege ob spoliatam bonis ecclesiam Rotomagensem sub beatæ Mariæ patrocinio consecratam, jubeat, ut in singulis ecclesiis deponantur ejusdem Dei-paræ imagines, & non ad terram nudam, sed super cathedram aliquam, sedem aut sellam collocentur spinis immediate circumdatæ. De eodem præsule legitur in chronico Mortui-maris Anecdot. tom. III, col. 1444: *M. CCXXXIV, pridie idus Januarii, obiit apud Salicosam piæ memoriæ Mauricius Rotomagensis archiepiscopus, de sede Cenomannensi a domno papa Rotomagensi ecclesiæ prærogatus, qui fervens zelo, nullam in terris accipiebat personam, non regem, non principem, non tyrannum, non divitem. Sacerdotes fornicarios vehementer exsecrabatur, dejiciebat eos de ecclesiis, & ad sedem apostolicam eos absolvendos mittebat. Doctores honestæ vitæ venerabatur & magnis beneficiis ditabat.*

LV. Petrus II. (De Colmieu.)

Sedes Rotomagensis vacavit per annum & amplius ob dissensionem inter canonicos exsurgentem, quorum major pars W . . . . . de Dunelmo elegerat, ceteris contradicentibus; quare Guillelmus negotium omne remisit apostolicæ definitioni: nova autem electione a pontifice concessa, electus est pridie nonas Aprilis, anno 1236, Petrus de Colle-medio, sic (1236.) dictus a vico ejusdem nominis in Campania, ut fertur, aut Bria posito, unde oriundus erat, quanquam volunt Sammarthani Campaniam illam Italiæ esse, non Franciæ. Hic prius Honorii III ac Gregorii IX pontificum capellanus, scholasticus Cameracensis, canonicus item Morinensis, ac præpositus sancti Audomari, regularium canonicorum institutum amplexus fuerat, ex Sammarthanis, in abbatia Montis S. Eligii, Atrebatensis diœcesis, quando post recusatas Turonensem, Morinensem, aliasque pontificales

infulas, ad ecclesiam Rotomagensem assumtus A
est, quam tamen non statim apprehendit; imo
omni conatu oblatam sibi dignitatem tandiu
respuit, quoad usque summus pontifex ad enixas
preces capituli præceperit ei non solum ut ele-
ctioni suæ assensum præberet, verum etiam ut
Romam citius proficisceretur, ibi consecrandus.
Exstant in Spicil. tom. III, pagg. 172 & 173,
epistolæ duæ Gregorii IX papæ, ad eum ut
apostolicæ sedis legatum scriptæ anno 1230,
prima ut inquireret an comes Tolosanus ante
obitum indicia pœnitentiæ exhibuisset, altera
ut Raimundo comiti Tolosano terminus solu-
tionis decem millium marcharum argenti, atque B
itineris Jerosolymitani prorogaretur: sed non-
dum tunc Petrus ad episcopos evectus erat.
Eodem anno, XII calendas Aprilis, id est
anno 1237, Petrus adhuc electus & Hugo Sa-
giensis episcopus arbitros elegerunt, qui ortam
inter Mauricium Petri decessorem & Hugonem
de jure archiepiscopi in visitationibus suis con-
troversiam dirimerent. Chartam habes apud
Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 247.

Jussus a summo pontifice ut electioni suæ
assentiretur, acquievit tandem, dispensationeque
obtenta, ne Romam adiret, consecratus est in
ecclesia sua metropolitana v idus Augusti 1237, C
in vigilia sancti Laurentii, ab W. episcopo
Abrincensi, multis præsentibus episcopis, nec-
non præsente comite Montis-fortis, plurimis-
que optimatibus ac nobilibus viris, tam ex
Francia quam ex Normannia & Flandria. Pal-
lium deinde accepit eodem die in æde sancti
Audoëni, atque inde reversus in ecclesiam suam,
ibidem honorifice receptus est, ex chronico
Rotomagensi apud Labbeum pag. 377. Iisdem
anno dieque, quo consecratus est Petrus,
absolutis monialibus Montis-Villaris, quæ a
Mauricio decessore fuerant excommunicatæ,
de consensu partium abbatissam renunciavit & D
benedixit in capella sua Margaretam *de Guerres*.
Eodem anno Petrus arbiter & judex electus
est ad litem sopiendam inter episcopum Novio-
mensem Nicolaum de Roya, ac capitulum
sancti Quintini, acerbamque contentionem con-
sulto judicio composuit, quod ab Innocentio
IV papa post septem annos confirmatum est.
Eodem rursus anno confessi sunt canonici sancti
Mellonis Pontisarensis subesse se in omnibus
archiepiscopo Rotomagensi, tanquam diœcesano
proprio; qua de re instrumenta quædam vul-
gavit idem Pommerayus ibidem, pagg. 245 &
seq. atque Acherius Spicil. tom. XI, pag. 370. E
Anno sequenti Gregorius IX Guillelmo de
Tancarvilla cancellario Parisiensi & Odoni de
S. Dionysio canonico S. Audomari sopiendam
commisit XV calendas Februarii litem, quæ orta
erat inter archiepiscopum Rotomagensem &
episcopum Lexoviensem, de jurisdictione in
quasdam parochias & villas sitas infra fines diœ-
cesis Rotomagensis. Eodem anno, ex chronico
Rotomagensi Labbeano, combusta est Rotoma-
gus a vico Judæorum ad fontem *Gaalor*, in
crastino sanctorum Gervasii & Protasii; & eodem
anno, mense Februario, id est anno 1239, in CI
compensationem 106 jugerum terræ, quæ a I
rege acceperat, Petrus cessit ipsi regi usuagium,
quod habebat in silva Rollonis-Maræ, charta
quam habes apud eumdem Pommerayum, ibid.
p. 249. Eodem anno, feria III post Pascha, iter
arripuit versus curiam Romanam, ad indictum
generale concilium; sed a filio notho Friderici
Barberossæ, in odium Romani pontificis, cui
plurimum infensus erat imperator, interceptus est,
nec nisi anno 1241 Ludovici Francorum regis 12
minacibus literis libertatem recuperavit. Anno
1243 bullam accepit ab Innocentio IV papa, 12
de visitatione provinciæ suæ, quæ exstat apud
eumdem Pommerayum, ibid. p. 250. Tractatum
habuit cum episcopis Sagiensi & Constantiensi
super jurisdictione; & episcopum Ebroicensem
nominavit, provisione illius ecclesiæ ad se de-
voluta, ut videre est apud eumdem Pomme-
rayum, pag. 249. Anno demum 1244 ab 12.
Innocentio IV cardinalis creatus, ab ecclesia
Rotomagensi ad Albanensem translatus est; &
anno sequenti fundavit in ecclesia Rotomagensi
collegium decem capellanorum Albanense di-
ctum, quibus præter hospitium assignavit 120
libras Turonenses annui reditus inter eos disper-
tiendas, ea lege, ut singulis diebus interessent
matutinis, majori sacro & vesperis. Instituta
synodalia sub nomine Præceptorum ediderat,
cum antiqua, de quibus consule eumdem Pom-
merayum ibid. pagg. 241 & 242; tum etiam
nova, quæ omnia habes apud eumdem auctorem
pagg. 223 & seqq. obiitque VIII calend. Junii,
anno 1253. Qui plura de cardinale illo scire
voluerit, legat Ciaconium, Bzovium, Sigonium,
Frizonem, Cæsarem-Alexium & Ferdinandum
Ughellum.

LVI. ODO I. CLEM

De Odone jam diximus plura tom. VII in
abbatia sancti Dionysii in Francia, ex qua
assumtus est ab Innocentio IV ad regendam
Rotomagensem ecclesiam bulla data III calend.
Aprilis, pontificatus sui anno secundo, hoc est
anno 1245, post recusatos Petrum *de Colmieu* 124
Albanensem episcopum ab aliis canonicis postu- *Concil.*
latum, & Odonem de S. Dionysio canonicum *...mat. pars*
ejusdem ecclesiæ ab aliis electum. Contendunt *pag. 77*
nonnulli Odonem *Clement* vero ac gentilitio
nomine dictum fuisse *Odonem Coutier*, progna-
tumque esse ex antiqua domo, quæ nuperis
temporibus ex Anglia rediit in Franciam, ex
qua oriunda erat, quippe quæ in Burgundia flo-
ruerit sub ultimis ducibus, Nicolaumque archi-
episcopum dederit ecclesiæ Vesontionensi anno
1228, aut 1229. Consecratus ab ipso papa
& pallii honore decoratus, recipitur novus
præsul in ecclesia sua, Dominica IV post Pascha.
Adfuit eodem anno concilio Lugdunensi; fidem
suam regi obstrinxit apud Devillam Dominica
ante festum S. Michaëlis. Ecclesiam collegiatam
Andilegi, quam, ut ipse testatur, deformatam

omnino in spiritualibus & temporalibus inveniat, atque omni prorsus consilio & auxilio destitutam, in meliorem statum redegit charta, quæ exstat apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 257, ac post synodum hiemalem præcepta seu statuta decanis suis constituit, quæ exstant ibid. pag. 252 & seqq. Anno 1246 Fratres Minoritæ, qui jam ab anno 1228 Rotomagi considebant in claustro & ecclesia sancti Marci, ubi vitam vivebant bonis moribus & exemplis virtutum prælucentem, translati sunt ex illo claustro ad locum, ubi nunc resident, non ab Odone *Rigaud* archiepiscopo, ut legitur in Descriptione superioris Normanniæ, tom. II, pag. 62; sed ab ipso Odone *Clement.* « Hic conventus, aiunt Sammarth. ab Observantibus Franciscanis ad patres ejusdem instituti conventuales devolutus est anno 1460, sed anno 1501, ex mandato Alexandri VI summi pontificis opera Georgii ab Ambasia sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, archiepiscopi Rotomagensis & apostolicæ sedis legati, ad eosdem Observantes, annuente Ludovico XII rege, rediit. Ex eo autem conventu prodiere Odo Rigaudus, qui post Odonem *Clement* propter egregias virtutes ad archiepiscopatum evectus est, & vir doctus Franciscus Lotharingus Sidoniensis episcopus. »

Odo *Clement* vitam cum morte commutavit
1247. III nonas Maii anno 1247, post relictas canonicis suis pro anniversario suo libras septem in molendino Devillæ percipiendas, & clericis de choro solidos triginta. Sic autem de ejus morte scripsit Matthæus *Paris* in vita Henrici III Anglorum regis: *Odo archiepiscopus Rotomagensis quondam abbas sancti Dionysii, divino, ut creditur percussus judicio, subito obiit, cum jam vix per annum sophistice sedi archiepiscopali præsidens nomen tantum & officium sibi temere usurpasset, & Petro suo antecessori fructus archiepiscopatus distribuisset. Ipse enim Anglicus natione, abbas exstiterat sancti Dionysii: quem ambitio & superbia adeo ad archiepiscopatus dignitatem infeliciter attraxerant, ut domum suam irremediabiliter ære alieno obligatam dereliquit, & dignitatem prætextatam simoniace in suam perniciem consequebatur.* At Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 252, criminationem hanc atrocem repellere conatur, quod *Odo*, inquit, *in monasterio suo multa pie præclareque gesserit æque ac in pontificatu*; & adstipulatur necrologium sancti Dionysii his verbis: *III nonas Maii obiit Odo Clementis bonæ memoriæ, qui istam ecclesiam XVI annis rexit feliciter; & eam in spiritualibus & temporalibus multipliciter amplavit, & postea exigentibus moribus & scientia, Rotomagensis factus est archiepiscopus.*

LVII. ODO II.

Ordini sancti Francisci nomen dederat Odo, ex Sammarthanis, anno 1242, in quo & moribus claruit, & magister in theologia effectus est, magnique nominis concionator. Lugduni consecratus ab Innocentio IV papa mense Martio

ANNI CHRISTI

A exeuntis anni 1247, id est ineuntis 1248, 1248.
exceptus est solenni pompa in ecclesia sua ipso Paschatis die, & anno sequenti in Angliam 1249.
trajecit, ut reditus ad ecclesiam Rotomagensem pertinentes Henrici regis gratia impetraret; quod cum obtinuisset, homagium fecit propter illos reditus, & in Franciam reversus est. Eodem anno, IX calend. Octob. ex codice visitationum suarum, sepulturæ tradidit in choro ecclesiæ Parisiensis corpus Galterii ejusdem ecclesiæ episcopi. Eodem rursus anno, III cal. Martii, hoc est anno 1250, pepigit cum Blancha Fran- 1250.
corum regina, de jure patronatus ecclesiæ Walteri-villæ in archidiaconatu Augi, ex instrumento, quod ex Camera computorum Parisiensi erutum
B recudi curavimus post Sammarthanos ad calcem Ch. XXXIV. col. 33.
hujus voluminis; & XVII cal. Aprilis sequentis cessionem recepit Guillelmi episcopi Lexov. cui assignavit 600 libras annuæ pensionis. Eodem anno, VII calendas Maii, significavit episcopo Ebroicensi se quamprimum diœcesim ejus visitaturum. Deinde pridie calendas Junii pepigit cum Willelmo abbate Ulterioris portus, de patronatu duarum ecclesiarum: VI cal. Julii consecravit Rotomagi Fulconem in episcopum Lexovjensem; postea XIII cal. Augusti dedicavit ecclesiam Fratrum Minorum Falesiæ. Eodem circiter anno Innocentius IV papa scripsit ei
C epistolam valde luctuosam, quæ est XVII, ut oraret pro christianissimo Francorum rege a Saracenis capto. Eodem rursus anno, III cal. Febr. id est anno 1251, benedixit Rotomagi Guillel- 1251.
mum abbatem Gemeticensem: deinde III cal. Martii consecravit in eadem urbe Johannem de Esseyo in episcopum Constantiensem; & V non. ejusdem mensis appellavit a suffraganeis suis ad summum pontificem; tum in nativitate sancti Johannis Baptistæ benedixit abbatem Belli-loci apud sanctum Victorem in Caletis; & eodem mense nonnulla statuit de archidiaconatu Pontisarensi. Eodem anno, XII calendas Februarii,
D hoc est anno 1252, dedicavit majus altare 1252.
Gemeticense; & postridie concilium provinciale celebravit, sedentibus ad dexteram suam Bajocensi, Ebroicensi & Lexoviensi, ad sinistram vero, Abrincensi, Sagiensi & Constantiensi episcopis. Eodem anno, III calendas Decembris, adfuit apud Malodunum sepulturæ Blanchæ Francorum reginæ. Anno 1253, XIII calendas 1253.
Augusti, benedixit primam abbatissam Fontium-Guerardi. Eodem anno contulit præbendam unam ecclesiæ suæ Adamo *Rigaud* fratris sui filio; frater autem ille erat Petrus *Rigaud* miles,
E qui tunc temporis commorabatur apud *Courquetaines* in Picardia versus Monasteriolum. Sub finem anni, hoc est, ut videtur, ineunte anno sequenti 1254. Romam profectus pedes pon- 1254.
tificis osculatus est IV idus Martii, & ab eo bullam obtinuit V idus Julii, qua fertur judicium inter archiepiscopum & suffraganeos de jurisdictione. Hanc habes in conciliis Normanniæ parte prima, pag. 144. Eodem anno, VII idus Decembris, Anglorum regi Luteciam

venienti obviam ivit, & XIII calendas Aprilis A
ejusdem anni, qui nunc est 1255, assignavit
abbati sancti Victoris apud Caletes diem Lunæ
post Dominicam *Jubilate*, ad respondendum in
forma judicii de incontinentia. Eodem anno,
mense Martio, reformavit canonicos B. Mariæ
Rotundæ apud Rotomagum quoad præbendas
& residentiam, cujus rei chartam habes apud
Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 261, &
hic in appendice aliam anni 1267. Constat
hodie collegiata illa decano uno, qui simul
parochus est totius loci, & tribus aliis canonicis,
præter quatuor vicarios perpetuos. Odo deinde
eodem anno, VIII idus Aprilis, celebravit Me- B
loduni nuptias filiæ regis Francorum cum rege
Navarræ; postea vero misit Pontisaram archi-
diaconum, seu vicarium, qui tractaret res ad
forum ecclesiasticum pertinentes in illo archi-
diaconatu, quem sanctus Ludovicus ecclesiæ
Rotomagensi dederat eodem anno, charta quam
vulgavit Pommerayus ibid. pag. 264. Sed reser-
vavit sibi aut officiali suo Rotomag. judicanda
crimina, tam hæreseos quam falsi, ex alia charta
quam post Sammarthanos damus in appendice.
Eodem anno, feria V ante festum S. Barnabæ,
quotidianum in ecclesia Rotomagensi officium
de beata Virgine instituit, & 13 modios bladi C
annui reditus, quos a Guillelmo de Gisortio
acquisierat, concessit canonicis qui dicto officio
interessent. Eodem anno, ex thesauro chartarum
regiarum, abbati sancti Vandregisili, quem III
nonas Novembris confirmaverat, regalia dimitti
petiit a rege. Eodem rursus anno, die lunæ post
festum sancti Vincentii, id est anno 1256, ad
petitionem Johannis abbatis Sagiensis, remisit
procurationem in prioratu *de Brées;* tum mense
Februario sequenti ipse cum Fulcone Lexoviensi
episcopo compromisit in archidiaconos super
jurisdictione, de qua contendebant, & die lunæ
post Nativitatem sancti Johannis Baptistæ amice D
composuit eadem de re cum eodem Lexoviensi
& cum Constantiensi ac Bajocensi episcopis.
Eodem anno, in vigilia sancti Andreæ, ex
Sammarthanis, ordinationem edidit pro Domo-
Dei Vernonensi, quam cum sanctus Ludovicus
restaurare in animo haberet, Odo, assensu capi-
tuli sui, bona quædam alterius Domus-Dei ædi-
ficatæ super ponte Vernonis in eam transtulit.

Anno sequenti 1257, pridie idus Sept. Odo
concilium provinciale habuit apud Pontem-
Audomari, sedentibus suffraganeis, quemadmo-
dum sederant in concilio anni 1252, excepto
Ebroicensi episcopo; & XIII cal. Novembris E
dedicavit sacellum regis in castello Vernonensi.
Eodem anno composuit cum episcopo Abrin-
censi, cujus compositionis chartam habes apud
Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 265.
Anno 1258 bullam accepit ab Alexandro IV
papa, de jurisdictione in Crucesignatos, quæ
exstat in appendice hujus voluminis. Eodem
judex a summo pontifice datus aperuit & visi-
tavit capsam in qua corpus sancti Eligii Novio-
mensis requiescere ferebatur. Eodem, VI idus
Septembris, benedixit abbatissam Monasterii-
villaris in ecclesia beatæ Mariæ apud Alacrem-
montem, & IV nonas Februarii ejusdem anni,
hoc est anni 1259, Hugonem abbatem Bello- 12
sannæ. Subscripsit anno eodem literis episco-
porum, qui sancto Ludovico concedebant, ut
quæ incognitis restituere non poterat, in pia
opera impenderet; deinde cum illo obviam ivit
regi Angliæ apud sanctum Dionysium VIII cal.
Decembris, & idibus ejusdem mensis benedixit
Simonem abbatem Marchasii-Radulsi; tum V
calendas Januarii eodem anno, concilium pro-
vinciale celebravit apud Pontem-Audomari in
ecclesia sancti Aniani, ubi sederunt suffraganei
eodem ordine, quo in conciliis annorum 1252
& 1257, excepto Bajocensi episcopo, qui non
aderat. Dein mense Junio anni 1260, literas 121
dedit una cum episcopis Parisiensi & Ebroicensi,
super dotalitio reginæ Margaritæ: tum V idus
Augusti adfuit baptisationi Agnetis filiæ regis
ab episcopo Parisiensi peractæ; postea idibus
Septembris colloquium habuit Falesiæ apud san-
ctum Johannem cum episcopis Lexoviensi,
Abrincensi, Constantiensi & Sagiensi, super ne-
gotio Crucesignatorum, & clericorum uxorato-
rum. Eodem anno, VII calend. Februarii, id est
an. 1261, aliud concilium habuit apud Pontem- 126
Audomari: arbiter electus est XIV cal. Martii a
capitulo Noviomensis ecclesiæ & ab abbate &
monachis S. Eligii, pronunciavitque eos qui possi-
debant reliquias sancti præsulis, servaturos illas
& veneraturos, capitulum vero Noviomense de
immutatione capsæ, vel reliquiarum translatione
nihil per decennium attentaturum. Eodem vero
mense, ex Sammarthanis, Pintervillam prope
Locoverem in diœcesi Ebroicensi comparavit
tribus millibus librarum ecclesiæ suæ a Petro de
Mellento regis pincerna, & uxore ejus Ligarda.
Mense Maio sequenti aliud concilium habuit in
suburbio urbis Meduntæ, quod erat suæ diœcesis.
Mense Junio pepigit cum rege super villa Pin-
tervillæ: arbiter electus est calendis Julii cum
Ebroicensi episcopo ab episcopo Autissiodorensi,
comite Nivernensi, ac priore Prati: dedicavit
XIV cal. Octobris ecclesiam Fratrum Minorum
Rotomagensium; & V cal. Novemb. benedixit
Johannam abbatissam sancti Amandi. Eodem
anno accepit a rege vivarium Martini-villæ pro
hospitio S. Matthæi, in quo paulo post rex con-
stituit religiosas mulieres ex ordine S. Dominici,
quæ vernacule dictæ sunt *les Emmurées.* Anno
1262, feria nempe secunda post Dominicam 1262
Reminiscere, electus est mediator inter regem &
archiepiscopum Remensem quæstionis motæ de
custodia vacantis abbatiæ S. Remigii Remensis.
Eodem anno, V calend. Junii, desponsavit apud
Clarum-montem in Arvernia Philippum Auda-
cem primogenitum regis Franciæ, cum Isabelli
filia regis Arragonum; & pridie nonas Junii
apud Devillam instituit, benedixitque Thomam
abbatem Augi: deinde mense Julio acquisivit a
rege villam & castrum Gallionis, vivario &
molendinis, quæ habebat apud Rotomagum, in

compensationem datis, ex duabus chartis, quarum A alteram habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 266, alteram apud Sammarthanos, quam hic in appendice post eos, sed longe accuratiorem recudi curavimus. Adfuit mense Augusto concilio Parisiensi; benedixitque IV idus Septembris Nicolaum abbatem Cornevillæ. Circa id tempus mandatum apostolicum de colligenda centesima in regno Franciæ per quinquennium pro subsidio Terræ sanctæ exsequi contemsit. Anno 1263, in festo sancti Johannis Baptistæ, celebravit benedictionem sanctimonialium Nemosii: deinde in octavis B. Mariæ Magdalenæ consecravit in ecclesia sua Odonem episcopum B Bajocensem & Radulfum Ebroicensem: tum III calend. Septembris desponsavit in sacello suo Gaufridum filium Juliani de Perona, cum Petronilla de Pontisara: postea calend. Decembris desponsavit apud *Vileines* Petrum *Rigaud* militem, cum Nazarea filia Viarii Autissiodorensis. Eodem anno, IV calendas Februarii, id est anno
1264. 1264, celebravit concilium Vernone apud Fratres Minores, assistentibus omnibus suffra-
1265. ganeis suis. Dedicavit anno 1265 ecclesiam
1266. Insulæ-Dei. Anno 1266, mense Junio, thesaurariam sancti Mellonis in decanatum erexit, huncque illi substituit. Eodem anno, XII calend. C Septembris, Guidonem de Merula antea cantorem Rotomagensem consecravit in episcopum Lexoviensem; & IV nonas ejusdem mensis concilium habuit apud Pontem-Audomari in ecclesia S. Audoëni, assistentibus omnibus suffraganeis suis. Eodem anno a Guidone *de Mello* episcopo Autissiodorensi dictus est testamenti sui exsecutor. Eodem anno, XIX calendas Januarii, interfuit benedictioni nuptiarum Johannis filii regis & filiæ comitis Nivernensis. Anno eodem Johannem abbatem Becci benedixit in festo sancti Johannis Evangelistæ apud Devillam; tum IV calendas Octobris sequentis subscripsit D pactis matrimonii inter Blancham filiam Ludovici regis & Fernandum filium regis Castellæ,
1267. ex Spicil. tom. XII, pag. 593. Anno 1267, in festo Pentecostes, ex Sammarthanis, Crucesignatus est cum aliis episcopis & principibus: tum III cal. Septembris concilium celebravit apud Pontem-Audomari, cum suffraganeis suis, excepto episcopo Ebroicensi, qui se excusaverat; & XVII calendas Januarii considebat Cameraci propter concilium quinque diœceseon, Camerensis, Leodiensis, Tullensis, Metensis ac Virdunensis. Eodem anno, IV calend. Februarii,
1268. id est anno 1268, adfuit concilio Bituricensi. E
1269. Anno sequenti, nonis Maii, pernoctavit apud Motellam in domo Amalrici de Musiaco armigeri nepotis sui; & VII cal. Octobris concilium habuit apud Pontem-Audomari in ecclesia sancti Aniani: atque illud decimum est ab Odone Rigaldo celebratum, ex ejusdem visitationum codice, quorum tamen, exceptis conciliis annorum 1257 & 1267, nulla mentio in conciliis Normanniæ. Eodem anno 1269 Odo petiit a rege, ut Philippo Ebroicensi electo & Radulfo

A Abrincensi electo, utrique a se confirmato regalium copia fieret. Eodem anno, ex permutatione facta cum Odone, Ludovicus rex cessit locum de S. Matthæo pro monialibus ordinis S. Dominici. ANNI CHRISTI *Monastic. Anglic. tom. III. pag. 1016.*
Anno 1270, mense Julio, nominatus est curator testamenti S. Ludovici, & paulo post, ineunte mense Octobri, in ipsis juxta Carthaginem castris, Philippus III rex eumdem Petro fratri suo, quem regni sui administrum instituerat, socium dedit ac consiliarium literis quas ad calcem hujus voluminis post Sammarthanos recudimus. Anno sequenti ex Apulia & Sicilia redux, exceptus est solenni pompa in ecclesia B sua in festo sanctissimæ Trinitatis; & mense Junio præsens adfuit homagio, quod Henricus rex Navarræ præstitit Philippo Audaci regi. 1270. Chart. XL. col. 37. 1271.
Anno 1272 abbatibus Gemetici & S. Catharinæ de Monte a se confirmatis regalia dimitti postulavit; & anno 1273 benedixit Petrum de Caniba abbatem Becci. Anno 1274 regem rogavit, ut Gregorio de Neapoli electo Lexoviensi, a se confirmato, regalium copiam faceret; confirmavit abbatem sancti Audoëni, & adfuit concilio Lugdunensi. Anno demum 1275, post edita statuta quæ habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 259, obiit VI nonas C Julii, & sepultus est in majori sacello B. Mariæ virginis in ecclesia sua metropolitana, cui, dum viveret, multa bona contulerat: in his crucem omnino auream, cum basi sua etiam aurea, pondere marcharum sexdecim & unciarum quatuor cum dimidia, in qua recondita erat pars magna ligni sanctæ Crucis, cum multis aliis sanctorum reliquiis, ornatam nonaginta sex gemmis pretiosis, præter sexdecim grossiores gemmas, totidemque lapillos & octoginta parvas sapphiros, sexque exiguis ad basim lapillis. 1272. 1273. 1274. 1275.

Scripserat Odo in quatuor sententiarum libros; item sermones de Tempore, seu Regulam D vivendi; tractatum de modo visitandi parochias suæ diœcesis, aliaque opuscula. Vivendi tamen Regula a quibusdam attribuitur Raimundo Rigaldo, qui & ipse Minorita fuit & lector sacri palatii. Varia quoque a summis pontificibus, sed maxime ab Innocentio IV impetravit diplomata, quorum summaria Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 260, ex tabulario archiepiscopali exhibuit in hunc modum:

De usu pallii extra provinciam. Datum Lugduni V idus Aprilis, pontificatus anno 5.

Ut ecclesiarum rectores ad sacerdotium promoveri cogerentur. Datum nonis Octobris, E pontificatus anno 6.

Ne quis ad thesaurariam Rotomag. ecclesiæ deinceps admitteretur, nisi vellet & posset in ea personalis residentiæ munus adimplere, & archiepiscopo atque ecclesiæ debita in sacerdotali ordine obsequia exhibere. Datum eodem die.

Ne quis ad illam præbendam, cui annexa est ecclesia S. Eligii Rotomagensis admitteretur, nisi & ipse assidue Rotomagi commoraretur. Datum eodem die.

De alienatione quarumdam possessionum ad

ecclesiam Rotomagensem spectantium. Datum iv idus Octobris ejusdem anni. A

Ut quotiescumque ad regis aut reginæ Franciæ, vel summi pontificis aut legatorum ejus curiam vocatus accessisset, jam inceptæ visitationis officio interrupto, redire posset ad locum in quo cessasset, ut eam consummaret. Datum idibus ejusdem mensis anno 7.

Ut nulli deinceps in Rotomagensi ecclesia de dignitate aliqua vel præbenda, auctoritate literarum sedis apostolicæ vel legatorum ejus impetratarum, vel etiam impetrandarum, provideri posset, nisi is cui de dignitate provideretur aut præbenda, eo ipso die quo sibi denunciatum esset, sponderet residentiam personalem. Datum eodem anno. B

Ut si post visitationem ecclesiæ sancti Laudi Rotomagensis, quæ, ut aiebant, pertinebat quoad quædam jura Constantiensi episcopo, ad alias ecclesias suæ diœcesis visitandas accederet, posset ad Constantiensem diœcesim causa visitationis accedere, quamvis ipse aut decessores sui ecclesiam S. Laudi visitare non consuessent, nisi peracta prius ipsa diœcesis Rotomagensis visitatione. Datum Lugduni idibus Novembris, pontificatus anno 8.

C Ut postquam civitatem, diœcesim ac provinciam suam visitasset, posset denuo, concilio celebrato, eamdem provinciam, prout expedire videret, visitare. Datum anno incerto.

De metropolitana jurisdictione inter ipsum & suffraganeos ejus. Datum Anagniæ v idus Julii, pontificatus anno 12. Excerptum ultimæ hujus bullæ dedit idem Pommerayus ibid. pag. 265.

Eo sedente, fundati sunt anno 1248 Pontisaræ Fratres Minores: anno circiter 1250 Rotomagi milites Templarii, id est altera militum illorum domus, in vico Eremitarum: anno 1259 apud Roboretum Patres sanctissimæ Trinitatis seu Redemptionis captivorum: anno D 1260 Rotomagi in suburbio sancti Severi Patres Carmelitæ, translati postea anno 1336 ad sacellum S. Apolloniæ, prope portam Bellovacensem: anno 1261 in nosocomio Pontisarensi canonissæ regulares: anno denique 1263 in suburbio S. Severi Rotomagensi moniales sancti Dominici, e parthenone Montis-argivi a sancto Ludovico eductæ, & Intramuranæ appellatæ.

LVIII. Guillelmus II.

Sublato e vivis Odone Rigaldo, electus est v idus Sept. 1275, post licentiam eligendi petitam, *Guillelmus de Saana*, canonicus ac thesaurarius Rotomagensis, sed quia thesaurariam detinebat, pluresque alias dignitates antea detinuerat sine dispensatione, persuasit ei summus pontifex, ut electioni suæ valediceret. Ille est Guillelmus de Saana, qui & Luteciæ collegium *Thesaurarii* dictum fundavit, & Rotomagi anno 1278 xenodochium, quod primo *Thesaurarii* similiter, deinde *Regis* nomine appellatum est, ac postea transiit ad sacerdotes Oratorii D. Jesu, qui inibi hodie domicilium habent. Cedente igitur

thesaurario, & summo pontifice, ut ad aliam AN. CHR.
electionem procederent canonici, concedente,
electus est feria secunda ante *Lætare Jerusalem*,
anno 1277, id est 1278, Guillelmus de Fla- 127[8]
vacuria, ex nobilibus dynastis Flavacuriæ in pago
Velocassino, Guillelmi de Flavacuria, inquiunt
Sammarthani, & Julianæ filius, archidiaconus
minoris Caleti in ecclesia Rotomagensi, canonicus Rotomagensis simul & Parisiensis, cancellariusque comitis Marchiæ: deinde confirmata
est electio vii idus Maii sequentis a Nicolao III
papa, qui & novum præsulem consecravit ipse
Romæ eodem anno xi calend. Junii, Dominica
ante Ascensionem, & triduo post ei pallium
concessit. Redux in Franciam Guillelmus concessit eodem anno, die Veneris ante festum
sancti Dionysii indulgentias ecclesiæ Gornacensi
literis, quas videsis apud Pommerayum Concil.
Rotomag. pag. 283. Concilium celebravit anno
1279 apud Pontem-Audomari, regemque 127[9]
oravit eodem anno, ut abbati sanctæ Catharinæ
regalia dimitteret. Adstitit anno eodem translationi corporis S. Firmini episcopi Ambianensis.
Anno 1281 Nicolao electo Ebroicensi regalia 128[1]
dimitti postulavit, & Ymerium de S. Ymerio
abbatem Becci benedixit. An. 1282, in octava 128[2]
Ascensionis Domini, ex chronico Rotomag. MS.
fusa est campana illa ecclesiæ cathedralis, quæ
Rigaldi archiepiscopi nomine appellatur, propterea quod ærarium ille ad id opus destinaverat.
Eodem anno Guillelmus inquisivit cum Guillelmo episcopo Autissiodorensi, de futura canonisatione S. Ludovici. Scripsit eodem anno cum
Guillelmo episcopo Ambian. ad archiepiscopos
Remensem, Senonensem & Turonensem, de
convocandis conciliis provincialibus occasione
potestatis prædicandi, &c. quam Fratres Minores
& Prædicatores a summo pontifice obtinuerant.
An. 1283 in judicio de comitatu Pictaviæ sedit 1283
in Parlamento regio. Eodem, mense Mart. obtinuit a rege Philippo seu jura quædam, seu jurium
illorum confirmationem, quæ habebat in villa
Poleti prope Deppam diplomate, quod legesis Chart. col. 285
in appendice. Postulavit regem anno 1284, ut 1284
abbati Cerasiaci regalium copiam faceret, &
eadem anno sequenti dimitti petiit Guillelmo 1285
Lexoviensi recens electo. Anno eodem 1285,
revocavit datam a se Fratribus Minoribus licentiam convocandi parochias & plebes in sua
diœcesi, & indulgentias eis concedendi. Anno
1286, ex Marloto hist. metropolis Remensis, 1286
tom. II, pag. 579, significavit abbatibus, capitulis, prioribus, decanis ac parochis suæ diœcesis,
se a religiosis Mendicantibus, quod illi potestate
sibi concessa male abuterentur, licentiam convocandi parochias, indulgentias publicandi &
absolvendi a casibus reservatis revocasse, sola
ipsis facultate relicta audiendi confessiones, ad
modum simplicium presbyterorum: qua etiam
de re epistolam ejus habes ad Senonensem &
Turonensem archiepiscopos apud eumdem Marlotum ibidem. Anno 1289 arbiter electus est 1289
inter Radulfum de Haricuria archidiaconum

Augi, & monachos abbatemque sancti Taurini A Ebroicensis. Sedit anno 1290 in consilio regis, ex Tillio. Duas capellas fundavit in ecclesia de Flavacuria, uti testatur instrumento dato apud Clarum-montem die Veneris post festum sancti Martini. Anno 1292 confirmavit electum abbatem Gemeticensem; delegatusque est a pontifice maximo, ex Sammarthanis, una cum G. Autissiod. episc. in collecta decimæ regi Francorum concessæ, apud Senonensem provinciam, pro subsidio negotii regnorum Arragoniæ & Valentiæ. Anno sequenti Gaufrido electo Abrincensi regalia dimitti postulavit. Anno 1294 discordiam de decimis ecclesiæ de Henonvilla B arbiter sedavit. Anno 1296 adstitit synodo totius nationis Parisiis convocatæ mense Junio a Simone episcopo Prænestino cardinale. Eodem anno, die festo sanctorum Petri & Pauli, una cum Hugone episcopo Bethleemitano transtulit Pontisaræ in novam capsam corpus S. Mellonis; & die Veneris post festum S. Martini hiemalis, approbavit in eadem urbe permutationem factam inter abbatem & conventum sancti Victoris Parisiensis ex una parte, & rectores seu parochos duarum portionum Amblevillæ ex altera. Anno 1297 cum aliis episcopis in episcopali palatio congregatis diebus 3 & 4 Aprilis Philippo regi C concessit decimam pro subsidio defensionis intrinsecæ regni sui. Anno 1299, feria v post octavam Pentecostes, concilium celebravit Rotomagi in prioratu beatæ Mariæ de Prato, seu de Bono-nuncio. Anno 1303, feria vi ante festum sancti Bartholomæi, dedit Monasteriovillari centum libras ad fundum comparandum pro suo obitu. Adversa tunc valetudine afflictabatur: quare episcopo Constantiensi vices suas commisit, ut Guidonem electum Lexoviensem consecraret; sed literas simul dedit episcopo Abrincensi, quibus profitebatur, *intentionis suæ non fuisse, quod per hoc juri Abrincensis episcopi D & ipsius Abrincensis ecclesiæ in consecratione episcoporum præjudicium aliquod generaretur, aut ecclesia Rotomagensis jus novum aliquod acquireret.* Eas lege, si lubet, apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 286. Anno 1304 concilium habuit apud Devillam. Cum vero annonæ caritas adeo crevisset, *ut summa bladi valeret octo libras, octo solidos, & melior decem libras,* inquit chronographus Rotomagensis apud Labbeum, *archiepiscopus Guillermus quotidie erogavit pauperibus in pane & argento usque ad trecentas libras, & multo plus volebat erogare, sed gentes ejus nullatenus permittebant.* Eodem anno, feria iii post E festum sanctæ Agathæ, hoc est anno 1305, aliud concilium celebravit apud Pintarvillam, cui cum illo interfuerunt episcopi Abrincensis, Ebroicensis & Sagiensis, absentibus Bajocensi, Lexoviensi & Constantiensi. In eo autem præsules admisere protestationem abbatis Fiscannensis, qua, ex eo quod requisitus ab ipsis concilio illi interfuisset, ob eam rem significabat ad alia concilia seu convocationes quascumque se sistere non posse compelli. Eodem anno concilium habuit apud Pontem-Audomari die lunæ ante festum sancti Dionysii. Anno adhuc eodem fundavit in ecclesia sua cathedrali collegium sex capellanorum, sancti Spiritus aut Flavacuriæ dictum, quorum beneficia confert capitulum ab anno 1529, ea lege, ut musicis chori dumtaxat attribuantur, ex Descriptione superioris Normanniæ, tom. II, pag. 734. Eodem quoque anno Patres Augustiniani, qui non longe ab urbe sedem posuerant, translati sunt a Philippo Pulchro rege in eam ipsius urbis domum, quam antea Fratres Saccati occupaverant. Obiit Guillelmus nonis Aprilis, anno 1305, id est 1306, ex ejus epitaphio, sepultus marmoreo tumulo in majori sacello beatæ Mariæ a sinistris, & quatriduo post, decanus capitulumque Rotomagense petiere ab rege, ut pro sua consueta benignitate illis copiam faceret novi præsulis eligendi, epistola, quam hic in appendice post Sammarthanos denuo cudi curavimus.

ANNI CHRISTI
Concil. Norman. part. I. pag. 169.
1306.
Ch. VII. col. 288.

LIX. BERNARDUS.

DE FARGES.

De Bernardo jam diximus in episcopis Aginnensibus, tomo II, col. 923, & in archiepiscopis Narbonensibus, tomo VI, col. 87. Transiit enim ab ecclesia Aginnensi ad Rotomagensem, & a Rotomagensi ad Narbonensem. Factus autem archiepiscopus Rotomagensis pridie nonas Junii, cameræ apostolicæ solita solvit onera 23 Junii 1306. Eodem anno obtinuit a canonicis suis feria iv post festum sancti Michaëlis, ut nemora ecclesiæ suæ succideret, venderetque ad summam usque quadraginta millium florenorum, quibus æs alienum dissolvere posset; qua de re chartam legesis apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 287. Anno 1310, ex chronico MS. Rotomagensi, concilium habuit, seu apud Pontem-arcæ seu apud Pontisaram, in quo Templarii igne cremandi judicati sunt; sed de hoc concilio ne verbum quidem fecit Pommerayus. Eodem anno, die Sabbati ante festum S. Luciæ, abbatissam & moniales S. Amandi Rotomagensis, recognovit immunes a jure procurationum ratione visitationum, quia videlicet loco ipsarum procurationum aliud servitium exhibebant, nempe quod archiepiscopo Rotomag. rebus humanis exemto, dum funus ipsius a monasterio sancti Audoëni Rotomagensis deferebatur ad ecclesiam cathedralem, dictæ moniales exeuntes dicto funeri solenniter occurrebant, & illud comitantes intra suum introducebant monasterium, & quandiu missa ibi celebrabatur, pro ipso præsentialiter assistentes, tot cereos de suo proprio ministrabant, quot annis defunctus archiepiscopus ipse tunc existens antea vitam duxerat in humanis. Anno 1311 translatus est Bernardus ad archiepiscopatum Narbonensem iii nonas Maii Ita autem de ea translatione loquitur, qui prosecutus est chronicon Guillelmi Nangii ad annum 1310, in Spicil. tom. XI, pag. 638. « Hoc eodem anno facta est mutatio inter archiepiscopum « Narbonensem & Rotomagensem: nam cum « Rotomagensis archiepiscopus, Bernardus nomine, «

1310.
1311.

'nepos Clementis papæ, propter juventutis suæ insolentiam, cum Normannis nobilibus pacem bonam non haberet, eo translato ad archiepiscopatum Narbonensem, Ægidium pro tunc Narbonensem, præcipuum regis consiliarium, prudentem in agibilibus, & utroque jure peritum, ad Rotomagensis archiepiscopi (papa) transtulit dignitatem.»

Bernardi temporibus, aut saltem regnante Philippo Pulchro, fundati sunt ad Pontem-Audomari in suburbio S. Aniani, Patres Carmelitæ; sed illi anno 1593, post eversam suam domum, secesserunt in ipsam urbem, quæ est diœcesis Lexov.

LX. Ægidius.

Pluribus jam prolocuti sumus tomo VI, coll. 82 & seqq. de Ægidio qui ab ecclesia Narbonensi, ut modo dicebamus, translatus ad Rotomagensem III nonas Maii anno 1311, possessionem hujus apprehendit per procuratorem pridie idus Junii ejusdem anni, & sequenti mense vicarii ejus generales ad concilium Viennense invitarunt; ipsemet vero per se IV cal. Septembris anni sequentis, accepit possessionem, cum pridie pernoctasset de more apud sanctum Audoënum. Eodem anno fidei sacramentum regi præstitit, eodemque delegatus est a summo C pontifice una cum episcopo Constantiensi, ut Philippum principem Tarentinum, dissolutis nonnullis impedimentis, cum filia Caroli Valesiorum ducis & Catharinæ imperatricis Constantinopolitanæ matrimonio jungerent. An. 1313 concilium celebravit in monasterio beatæ Mariæ de Prato, seu de Bono-nuncio Rotomagensi. Anno 1314, ex Sammarthanis, fundavit Luteciæ Parisiorum collegium Montis-acuti. Circa id tempus adstitit dedicationi ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ de Escoyaco. Anno 1315 aliud concilium habuit Rotomagi, in quo quædam statuta sunt de *servitio* seu de *commemoratione* D beatæ Mariæ virginis; vocatusque ad synodum Silvanectensem, in qua examinanda erat causa Petri de Latiliaco episcopi Catalaunensis, excusavit se literis ad Ludovicum regem scriptis, quæ exstant in Spicil. tom IV, pag. 270. Anno 1317 concilium habuit in monasterio sancti Martini apud Pontisaram 17 Novembris, die Veneris in octavis sancti Martini, supra negotio Templariorum, ubi sola auctoritate apostolica convenisse se protestatus est abbas Fiscannensis. Eodem anno festum sanctissimi Sacramenti in cathedrali sua instituit; & arbiter electus est cum episcopo Carnotensi super homagiis Cam- E paniæ & Briæ, inter Philippum V regem & Odonem Burgundiæ ducem aliosque nobiles. Anno demum 1318, IX calend. Julii, migravit ex hac vita. Habes apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 291, duas epistolas, quas vel ipsi vel in gratiam ipsius scripsere Philippus IV & Ludovicus X reges.

LXI. Guillelmus III.

Jam diximus tomo I, col. 169, & tomo IV, A col. 616, de Guillelmo, qui ab ecclesia Lingonensi translatus ad Rotomagensem an. 1319, cameræ apostolicæ promisit 19 Martii. Interfuit anno 1329 celebri disputationi contra Petrum de Cuneriis; & obiit VIII calendas Decembris anno 1330, sepultus in ecclesia sua IV calend. ejusdem mensis.

Hujus tempore Nicolaus *de Freauville*, dictus corrupte *de Farinula*, patria Rotomagensis, religione Dominicanus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & Philippo regi a confessionibus, diem clausit Lugduni anno 1323, & tumulatus est Rotom. anno seq. apud Fratres Prædicatores.

B Eodem quoque anno, mense Octobri, fundatum est Rotomagi hospitium tredecim pauperum, quod religiosi quidam *Billettæ* dicti, quibus commissum fuerat, cesserunt an. 1393 religiosis sancti Antonii, qui inibi etiamnum degunt.

LXII. Petrus III.

Patriam, parentes & primos Petri annos prosecuti sumus tomo III, col. 336, in episcopis Atrebatensibus, usque dum ad infulas Senonenses eveheretur. Aiunt Sammarth. fuisse illum regiis scrinio ac sigillo præfectum; quod Ciaconius videtur dixisse primus: sed nulla, quæ id doceant, supersunt vetera instrumenta. Fuit tamen consiliarius Philippi regis, ut ostendit Johannes Dubravius in commentario de vita Caroli IV. Bohemiæ regis, postea imperatoris.

Ab ecclesia Senonensi translatus ad Rotomagensem pridie idus Decembris anno 1330, adfuit VII calendas Augusti anno 1333, publico 133
papæ consistorio apud Avenionem cum aliis regis Franciæ legatis, qui ejus nomine juraverunt omnes aut ipsum, aut Johannem ejus filium, ad subsidium Terræ sanctæ ultra mare profecturum. Deinde eodem anno, Luteciæ in Prato Clericorum concionem habuit ad omnes prælatos Franciæ super illa expeditione, in qua rex ipse de manibus ejus Crucem assumsit. Delegatus est eodem anno ad conciliandam pacem inter Francorum & Anglorum reges; & Dominica IV Adventus in ædibus Vicennarum cum aliis theologiæ magistris, coram rege & proceribus sententiam suam de statu animarum sanctorum a corporibus exutarum protulit, quam in die sancti Johannis Evangelistæ Parisiis congregati scripto redegerunt. Eodem adhuc anno, die Veneris post festum Resurrectionis, eodemque delegati a sede apostolica nomine recognovit bullam Johannis papæ XXII patronatum ecclesiæ parochialis beatæ Mariæ *de Fermetot* a patrono rege Philippo translatum in jus abbatiæ *de Josaphat* eidem unientis, ob ejusdem abbatiæ facultatum exiguitatem. Anno 1335 concilium celebravit 1335.
Rotomagi apud beatam Mariam de Prato, seu *Concil. A*
de Bono-nuncio, & nominatus est curator testa- *mer. part. pag. 171*
menti Petri de Mortuo-mari cardinalis. Pepigit anno sequenti cum capitulo suo super jurisdi- 1336.
ctione canonicorum & capellanorum. Circa id tempus cum episcopis Bajocensi & Abrincensi, aliisque optimatibus, negotium privilegiorum Normanniæ

Normanniæ viriliter prosecutus est, quo feliciter absoluto anno 1339, Petro jam facto cardinali, assignatæ sunt 6000 libræ annuæ reditus ad vitam a provinciæ ordinibus. Anno enim 1338, XIV calend. Januarii, creatus est Petrus a Benedicto XII papa cardinalis tituli sanctorum Nerei & Achillei; eoque pontifice mortuo an. 1342, pontificatus maximi culmen ascendit nonis Maii ejusdem anni, sumto nomine Clementis VI, & coronatus est in ecclesia Fratrum Prædicatorum Avenione ipso die Pentecostes, adstantibus plurimis principibus nobilibusque viris.

Eum Franciscus Petrarcha, qui tunc vivebat, literatissimum pontificem nuncupat, eumdemque tam potentis tenacisque memoriæ fuisse ait, ut quidquid semel legisset, oblivisci, etiamsi vellet, non posset; hanc vero memoriam, quod admirere, magno quodam capitis ictu, cujus ingens supremo vertice cicatrix remanserat, ei provenisse. Plura scripsit opuscula, quæ a Trithemio, Possevino & aliis laudantur. Vide Vadingum ad annum 1333; sed fallitur ille ubi eum asserit Johannis XXII opinioni de visione beatifica adhæsisse, cum e contrario constet ipsum una cum Petro Paludensi eximio theologo, Guillelmo cancellario Paris. Johanne Polenciaco archidiacono Rotomagensi, & aliis insudasse, ut pontifex ab illa opinione discederet. In fastigio pontificatus positus, non est propterea oblitus ecclesiæ suæ Rotomagensis, in qua fundavit anno 1349, ad collationem capituli, collegium sexdecim capellanorum, qui Clementini appellantur, datis hanc in rem 2400 libris, sed qui anno 1656 ad novenarium numerum redacti erant. Dicitur etiam indulgentias concessisse, unde ecclesia collegii Sorbonici ædificata est apud Parisios: quapropter exstat adhuc ejus imago in prima fenestra ad ingressum hujus domus depicta, cum hac inscriptione:

Clemens papa sextus provisor hujus domus.

LXIII. Aimericus.

Evecto ad cardinales Petro Rogerio, Aimericus patria Turonensis, qui & cognomen habet Aimerici *de Durefort* in tabulis ecclesiæ Rotomagensis, ad hanc ecclesiam translatus est ab Autissiodorensi XV calend. Martii anno 1339 a Benedicto XII papa, & possessionem iniit per vicarios suos Sabbato sancto sequenti. Electus confirmatus sigillum apposuit 26 April. ejusdem anni sententiæ arbitrorum super jurisdictione canonicorum Tortariorum ecclesiæ Autissiodor. & 22 Augusti alias dedit literas pro eadem ecclesia. Utrasque habes hist. Autissiod. tom. II, Pr. pagg. 103 & 299. Dedit anno 1340, die lunæ post Pascha, chartam de amissis reliquiis ecclesiæ sancti Salvatoris de Campania. Habitum est 14 Decembris 1342 in capella archiepisc. concilium provinciale ab J. Abrincensi episcopo vices gerente Aimerici archiepiscopi absentis, necnon a suffraganeis G. Sagiensi, G. Lexoviensi, ac procuratoribus G. Bajocensis, R. Ebroicensis, & G. Constantiensis episcoporum. Illud

A legesis Amplissimæ Collectionis tom. VII, col. 414. Aimericus anno sequenti obiit Pintarvillæ XVI calend. Februarii, & corpus ejus quatriduo post Rotomagum delatum, primo ad sanctum Paulum subtus Montem S. Catharinæ, deinde ad sanctum Audoënum, denique in ædem metropolitanam, ibidem tumulatum est prope Odonem Rigaldum decessorem suum, ad introitum majoris sacelli B. Mariæ virginis, exsequias solemni ritu prosequente episcopo Ebroicensi.

ANNI CHRISTI 1343.

LXIV. Nicolaus I.

ROGERII

Clementis VI papæ, antea Rotomagensis B archiepiscopi, patruus Nicolaus, abbas erat beatæ Mariæ Crassensis in diœcesi Carcassonensi, uti observavimus tom. VI, col. 957, quando assumtus est 6 Februarii 1342, id est 1343, ab ipso Clemente VI ad archiepiscopatum Rotomagensem, quem diu non tenuit, exstinctus Avenione anno 1347, feria III post Pascha, III nonas Aprilis. 1347. Ita omnia ecclesiæ Rotomagensis documenta. Perperam itaque diximus in abbatibus Crassensibus supra, superstitem illum adhuc fuisse anno 1349, cum donatus fuisset purpura a summo pontifice. Non enim Nicolaus Rogerii, sed Nicolaus de Bessia ejus neptis filius, a Clemente C VI avunculo cardinalis factus est anno 1344. Exstant apud Baluzium tom. II vitarum Pap. Avenionensium, col. 679, literæ commissionis cujusdam datæ per Nicolaum Rogerii archiepiscopum Rotomag. factæ magistro Martino *la Chapolia* suo in spiritualibus & temporalibus vicario, & nobili viro Matthæo *Campion* militi, senescallo temporalitatis suæ & ecclesiæ Rotomag. super homagiis recipiendis virtute gratiæ regiæ eidem archiepiscopo factæ & concessæ. Data est commissio die 4 Februarii 1345, qui nunc 1346, quo anno habentur ibid. col. 686, literæ Clementis VI papæ ad Philippum VI regem, D pro eodem præsule; quem demum Avenione tumulatum fuisse vult Pommerayus in historia archiepiscoporum Rotomag. pag. 509, sed non probat: longe verisimilius est sepulturæ traditum esse in ipsa Casæ-Dei basilica ad pedes Clementis VI nepotis sui; neque enim de alio interpretari licet quod legitur in veteri necrologio hujus monasterii: *Dominus Nicolaus archiepiscopus in medio chori vigiliam habet.* Neque tamen diffitemur potuisse statim post obitum condi in aliqua Avenionis ecclesia, sed inde asportatum postea credimus ad Casæ-Dei basilicam.

Sub ejus præsulatu, anno 1346, fundati sunt E Andilegi Patres Tertii ordinis sancti Francisci, & quæ dicebantur Rotomagi Filiæ-Dei institutum canonissarum regularium amplexatæ sunt.

LXV. Johannes III.

DE MARIGNY.

Eodem anno 1347, quo Nicolaus Rogerius obiit, Johannes *de Marigny*, de quo diximus in episcopis Bellovacensibus tomo IX, col. 751, translatus est a sede Bellovacensi ad sedem Rotomagensem pridie idus Maii, cujus possessionem apprehendit XIV calendas Decembris ejusdem

F

anni. Cameræ apostolicæ solvit prima Januarii & 4 Februarii 1349, quo anno 17 Martii, seu 1350, seipse dicit locum tenentem regis ac ducis Normanniæ & Aquitaniæ. Diem supremum obiit VII calend. Januarii anno 1351, ex epitaphio suo, quod sic habet: A

Post Natale Dei, Martis sub luce diei,
In quinquageno primo, C. ter atque C. deno,
Orcis Christum, quod patrem collocet istum
In cæli sede feliciter & sine cede.

Funus ejus celebratum est in ecclesia metropolitana, corpus vero conditum sub tumulo nigri & albi marmoris, in sanctuario, ad murum ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ Escoyensis, cum famoso Ingelranno *de Marigny*, qui collegiatam hanc fundaverat anno 1311, constantem canonicis duodecim, quorum præbendas confert hodie toparcha Pontis sancti Petri, tanquam dominus feodorum Marigniaci & Plexiaci: qua de re lege Descriptionem superioris Normanniæ tom. II, pagg. 336 & 337. Literas fundationis hujusmodi post Sammarthanos damus in appendice, quemadmodum & alias Clementis VI papæ eamdem approbantis. B

Eo sedente, fundatum est anno 1349 xenodochium apud Gosleni-fontem; anno 1350 Rotomagi xenodochium sancti Viviani; & anno 1351 ecclesia collegiata Ivetoti: celebre est oppidum illud in Caletis, propter commentitiam regni prærogativam; qua de re legenda est eadem superioris Normanniæ Descriptio tomo primo, pag. 173 & seqq. C

LXVI. Petrus IV.

Diximus jam de Petro in episcopis Tornacensibus tom. III, col. 227, & Parisiensibus tom. VII, col. 133. Ad ecclesiam Rotomagensem translatus cameræ apostolicæ promisit 27 Februarii 1352, solvitque 30 Octobris & 22 Decembris 1353. Acquisivit nobile prædium *de la Loupelaude* in pago Cenomannensi, quod ut possidere posset, nobilitate donatus est literis regiis datis mense Octobri anni 1354, quamvis a pluribus jam annis esset cancellarius. Eodem anno missus est Avenionem cum duce Borbonio, uterque cum summa potestate, ut de pace inter Francos & Anglos concilianda tractarent; ratamque habuit fundationem quatuor præbendarum in ecclesia sancti Sepulchri Rotomag. factam a Maria *du Chatel.* Anno sequenti, quo Carolus Delphinus receptus est in ducem Normanniæ, auctor fuit Petrus ut comitia regni generalia Luteciam convocarentur pro pecunia conferenda ad bellum contra eosdem Anglos sustinendum. Anno 1356, X calendas Januarii, cardinalis presbyter tituli basilicæ XII Apostolorum creatus est ab Innocentio VI papa, qui & ei pileum transmisit Burdegalam, ubi tunc degebat pro pace inter Franciæ & Angliæ reges componenda. Obiit lethali peste correptus V calendas Julii 1361, Avenione apud Villamnovam, ubi cor ejus sepultum est, corpus autem allatum in ecclesiam cathedralem Cenomannensem, conditum est a latere altaris S. Fiacrii intra chorum, sub tumulo marmoreo. Plura de eo, quæ instituti nostri non sunt, legesis in historia genealogica Magnatum Franciæ, tom. VI, pag. 330. D E CI

LXVII. Guillelmus IV. DE VAC

Alterum hunc ejusdem nominis & cognominis e gente Flavacuriæ, patre similiter Guillelmo, nacta est ecclesia Rotomagensis præsulem anno 1356, quo decessor ejus purpura cardinalitia donatus est, postquam ipse ab ecclesia Vivariensi ad Carcassonensem & e Carcassonensi ad Auscienfem transiisset, quemadmodum diximus tom. VI, col. 895, & tomo primo, col. 994, dicemusque postea, ubi ventum erit ad ecclesiam Vivariensem. Obtinuit anno sequenti, mense Jan. id est anno 1358, a Carolo V rege, 135
tunc Delphino tantum ac duce Normanniæ, diploma pro nemoribus Devillæ, quod exstat apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 299, & eodem anno fundatum est Rotomagi collegium Bonorum-puerorum, quod postea transiit ad Patres Fulienses; ipse vero Guillelmus obiit anno 1359, mense Maio, hoc est (nam discor- 135
dant inter se necrologia) vel ipsis calend. Maii, ut in obituario ecclesiæ cathedralis, vel III idus ejusdem mensis, aut XIII calendas Junii, ut in aliis obituariis.

LXVIII. Philippus. D'ALEN

Translatus anno 1359 Philippus ab ecclesia Bellovacensi ad Rotomagensem, ut diximus tomo IX, col. 752, obtinuit eodem anno a Carolo Delphino confirmationem omnium privilegiorum ecclesiæ Rotomagensis, quæ octo abhinc annis impugnata fuerant. Seipse Philippus eodem anno, mense Aprili, seu 1360, dicit 1360
electum confirmatum Rotomagensem, locum tenentem regis & proregis Normanniæ ducis & Delphini Viennensis in tractibus Neustriæ & Bellovacorum, & usque ad fluvium Somonam. Possessionem iniit ecclesiæ Rotomag. 9 Maii 1362; & adfuit Luteciæ idibus Decembris 1362.
anno 1366, hominio regi præstito a Johanne 1366.
duce Britanniæ. Pepigit anno 1371, mense 1371.
Septemb. cum Arnaldo abbate sancti Audoëni, de patronatu duarum capellaniarum; quarum unius collatio mansit archiepiscopo, & alterius abbati. Ecclesiasticam libertatem insigni plane fortitudine propugnavit. « Cum enim, inquiunt Sammarthani, Carolus V rex clericum quemdam « ipsi commendasset, ut eum vacanti beneficio « cathedralis ecclesiæ præficeret, & ipsum hujus « dignitatis incapacem sensisset Philippus, huic « postulationi consentire recusavit: qua re offensus « rex temporale dominium sedis Rotomagensis « suæ manui commisit. Quamobrem antistes, cum « regem flectere non potuisset, tuendis juribus « cathedræ suæ factus ferventior, interdicti sententiam pronunciavit; qua vehementer commotus «

ANNI CHRISTI

Carolus est. Cujus ut iram declinaret Philippus, Romam secedere cogitur. A pontifice ergo « Hierosolymitanus patriarcha instituitur, deinde Aquileïensis. » Sed huic historiæ, quam dubiam censet, Baluzius aliam substituit erutam ex veteri chronico Normanniæ MS. in codice 1424 bibliothecæ Colbertinæ. Ibi autem legitur a rege missum fuisse anno 1371 Rotomagum quemdam ballivum, nomine Odoardum de Attenvilla, ecclesiastico ordini per quam infensum; cujus audaciam cum coërcere ac frangere vellet Philippus, eo progressa est discordia, ut amici archiepiscopi de interficiendo ballivo cogitarint. At ille persuasit regi res suas periclitari in Normannia, quandiu Philippus Rotomagensi ecclesiæ præsideret. Quamobrem Carolus rogavit pontificem, ut eum ab illa sede avocaret; cui ut gratum faceret, Philippum eumdem creavit patriarcham Jerosolymitanum. Vide Baluzium in notis ad vitas Paparum Avenionensium, pagg. 1244 & seqq.

Sed nec Sammarthani, nec Baluzius rem attigisse videntur; discimus enim ex antiquis senatus Parisiensis consultis, Guillelmum Ausselini ballivum Rotomagensem ab archiepiscopo Rotomagensi fuisse excommunicatum, eo quod Nicolaum *d'Avirchier* clericum, conjugatum quidem & in habitu radiato cepisset, carceri mancipasset, & ad patibulum tradidisset, eumque absolvendum a senatu sub pœna detentionis temporalium denunciatum esse archiepiscopo, decreto dato 14 Maii 1370, cui cum in sententia sua pertinax non obedivisset archiepiscopus, altero 6 Augusti 1373 decreto, bonis omnibus spoliatus est, quæ publice detenta sunt. Vide Probationes libertatum Gallicanarum tomo primo, pagg. 169 & seqq.

Ad hæc Philippum fuisse patriarcham Aquileïensem dubitant nonnulli: scripserat quidem, inquiunt, Carolus V rex ad Gregorium XI papam, ut facto cardinali archiepiscopo Aquileïensi seu Gradensi, Philippum in ejus locum subrogaret; sed respondit papa idibus Decemb. anno 1377, se minime cogitare de creandis cardinalibus, & multo minus de Aquileïensi patriarcha ad eam dignitatem promovendo. At nihilominus patriarchatum illum consecutus est, ut mox ostendemus.

« Cum vero, pergunt Sammarthani, Utinenses, « Carni & Forojulienses nobiles ipsi se subjicere « recusarent, nec paterentur hujusmodi dignitatem « commendæ nomine occupari, Philippus ponti« ficis & Ludovici Hungariæ regis agnati sui armis « & auctoritate fretus, detrectantes ad obedientiam « coëgit. Cum autem schisma motum esset in Ur« banum VI papam, & ipse timeret ne Carolus rex « sibi adversaretur, ejus ut captaret benevolen« tiam, Alenconium inter purpuratos patres nomi« navit cum titulo S. Mariæ trans Tiberim, XIV « cal. Octobr. anno 1378 . . . . Nihilominus « antipapæ Clementi VII Carolo favente, suspectus « inde factus Urbano Philippus, ut qui Gallus « esset & regis consanguineus, sive, ut volunt alii, quod Aquileïenses rebelles adhuc armis & censuris acrius urgeret, quamvis ab eodem Urbano « moneretur, ut ageret clementius, sive, ut vult « Ciaconius, pontifici austero rebellis factus, ipsius « venia non petita, cum ab eo recessisset, omnem « illi concessam potestatem data bulla revocavit, « purpura & beneficiis etiam privavit; quibus « tamen, mortuo Urbano, restitutus est a Bonifacio « IX, qui ipsum Ostiensem episcopum constituit anno 1392. » Hucusque Sammarthani. Sed neque de ira pontificis, neque de spoliatione illa purpuræ ac beneficiorum constat. Philippus administrationem ecclesiæ Auscensis acceperat à Gregorio XI papa, V calendas Octobris anno 1374, uti observavimus tomo primo, col. 997. Baluzius vero, qui probavit sup. pag. 1247, ipsum adhuc fuisse in curia Romana an. 1391, & adfuisse canonisationi S. Brigidæ ex Suecia, contendit e contrario pag. 1243, Clementem, VII hujus nominis dictum in obedientia sua, infensum fuisse Philippo, qui eum propterea privavit administratione & commenda archiepiscopatus Auscensis, quod videlicet Urbano VI æmulo suo adhæreret.

Dum in remotis ageret Philippus, vicarii ejus generales Henrico *de Villamorien* eremitæ concesserunt facultatem capellæ ædificandæ in parochia sancti Martini de Garenna die lunæ post festum sancti Barnabæ 1374. Exstat in archivo Cameræ computorum Divionensis, titulo: *Confessions des Navarrois qui furent décapités à Paris en 1378*, instrumentum quoddam, quo constat Philippum hoc eodem anno fuisse patriarcham Aquileïensem simul & archiepiscopum Auscensem, accusatumque fuisse a Navarræis illis, quod anno 1374, cum exularet ob amissam regis gratiam, adhuc archiepiscopus Rotomagensis, degeretque in quodam prioratu prope Avenionem, fœdus iniisset cum Navarræo, regis videlicet hoste. 1374.

Obiit Romæ longævus XVIII cal. Septembris anno 1397, non sine sanctitatis & miraculorum opinione inquiunt nonnulli, imo cum magna, aiunt Sammarthani, sanctitatis & miraculorum opinione, quiescitque ibidem in ecclesia sanctæ Mariæ trans Tiberim, sub insigni marmoreo tumulo, cum hac inscriptione, quam tomo I, col. 997, polliciti eramus, nonnihil vero mendose tomo V, col. 536, transcripsimus in præpositis ecclesiæ Moguntinæ.

Francorum genitus regia de stirpe Philippus
Alenconiades, Ostiæ titulatus ab urbe,
Ecclesiæ cardo, tanta virtute reluxit,
Ut sua supplicibus cumulentur marmora votis.
Anno milleno cum C quater, abde sed I ter,
Occubuit qua luce Dei pia Virgoque mater.

Epistolas tres Philippus scripsit Universitati Parisiensi, quæ exstare dicuntur in bibliotheca Victorina, codice 842, & quarum responsiones editæ sunt tom. IV hist. ejusdem Universitatis, pagg. 701, 725 & 785.

AN. CHRI.

LXIX. Petrus V.

A

Ex Narbonensi ecclesia, quam pluribus annis rexerat, translatus est VI calendas Septembris, anno 1375, ad ecclesiam Rotomagensem Petrus *de la Jugie*, quem etiam cognominatum reperimus *de la Montre*, & die crastina de regalia Rotomagensi scripsit summus pontifex bullam, quam post Sammarthanos edidimus ad calcem hujus voluminis. Cum autem abesset Petrus a comitatu regis Francorum, Carolus V ex peculiari gratia ei concessit, ut juramentum fidelitatis per procuratorem præstaret. Recipitur in capitulo, salvis juribus cathedralis, per vica- B rium Petrum Begonem, VII idus Octobris: sed eodem anno, XIII calendas Januarii, Petrus cardinalis factus locum fecit sequenti; & obiit Pisis anno sequenti in vigilia sanctæ Ceciliæ virginis, ex iisdem Sammarthanis. Lege quæ de eo fusius diximus in archiepiscopis Narbonensibus, tomo VI, coll. 91 & seqq.

LXX. Guillelmus V.

Lemovix patria & apostolicæ sedis nuncius Guillelmus, metropoli Rotomagensi præfectus est XI calendas Januarii anno 1375, sed nondum consecratus erat mense Julio anni sequentis, C quo prope Meduntam fundati sunt a rege Carolo V monachi Cœlestini. Adfuit anno 1378, mensibus Maio & Decembri Parlamento Parisiensi; & ineunte anno sequenti tractatum habuit Brugis in Flandria cum archiepiscopo Ravennate de pace stabilienda inter Franciæ & Angliæ reges. Eodem anno, mense Martio, seu 1380, concordiam iniit cum abbatissa Montisvillaris. Post hæc, inquiunt Sammarthani, inter sanctioris consilii Caroli regis senatores assumtus, eo munere fungebatur anno 1381, ex veteribus documentis Cameræ rationum regiarum. Anno 1384, III idus Octobris, fundavit Cartusiam D Rosæ non longe a Rotomago, cujus ædificia anno tantum 1392, perfecta sunt post ejus mortem, sed quæ solo tenus æquata est anno 1703, postquam anno 1682 alteri Cartusiæ Rotomagensi unita fuisset. Anno 1386, XVI cal. Novembris, baptisavit Carolum Delphinum.

Sub eo pontifice cor Caroli V regis in ecclesiam metropolitanam illatum, conditum est sub marmoreo tumulo in medio chori. Excessit e vivis Guillelmus apud Gallionem V idus Martii anno 1388, id est 1389. Corpus ejus aliquanto post Rotomagum asportatum est, ut inde ad Cartusiam suam tumulandum deferretur; sed E cum justis de more persolvendis ad ecclesiam sancti Audoëni efferri non posset propter putredinem, canonici pro vero corpore quamdam corporis repræsentationem detulerunt. Hæc ipsi in suburbana Cartusia sanctæ Mariæ de Rosa apposita est inscriptio:

Hic jacet reverendus in Christo pater & dominus Guillelmus de l'Estrange, *diœcesis Lemovicensis, archiepiscopus Rotomagensis, fundator a primo lapide istius domus, qui obiit in Gallione M.CCC. XXCVIII.*

LXXI. Guillelmus VI.

D VILE

De præsule illo jam egimus in episcopis Augustodunensibus tomo IV, col. 417, & Bellovacensibus tomo IX, col. 755, itemque tomo IV in abbatibus sancti Sequani, col. 700. Ad ecclesiam Rotomagensem translatus IV calendas Aprilis anno 1388, id est 1389, a Clemente VII papa Avenionensi, Elisabetham Bavaram Caroli VI uxorem unxit coronavitque eodem anno in Sacra capella Parisiensi; quo etiam anno, mense Septembri, ratam habuit fundationem Pœnitentium Tertii ordinis S. Francisci apud Novum-castellum in Braio. Anno 1392 1392
interfuit translationi S. Ludovici. Rotomagum primo solenniterque intravit die Dominica ante Nativitatem beatæ Mariæ 1393, qua literas 1393
remissionis obtinuit. Dedit anno eodem licentiam eligendi prioris apud Gravillam, & anno 1399 Guillelmum abbatem Becci benedixit 3 1399
Augusti, & V calendas Septembris visitavit monasterium Gerardi-villæ. Anno 1401, XIV cal. 1401
Octobris, aderat Avenione, quando Benedictus XIII pseudopapa transtulit corpus Clementis VII decessoris sui, ab ecclesia beatæ Mariæ ad novam Cœlestinorum ecclesiam ejusdem urbis. Anno 1402, III calendas Julii assensum præbuit, ut 1402
ecclesia sanctæ Catharinæ apud Caroli-mansionile in Caletis ad collegiatas eveheretur. Avenione redux eodem anno, die penultima Octobris, Mathildem *Gouieul*, dictam *de Rouville*, benedixit abbatissam sancti Amandi Rotomag. Dedicavit an. 1406 ecclesiam S. Magdalenæ Vernonensis. 1406.
Mense Januario ejusdem anni, qui nunc 1407, 1407.
Luteciam perrexit ad cœtum cleri Gallicani, super unione ecclesiæ comprobanda habitum; & XII calend. Martii sequentis, aut paulo post diem supremum obiit in eadem urbe, post confectum eodem die testamentum, cujus fragmentum hic post Sammarthanos recudi curavimus Ch. XLI col. 40.
inter instrumenta.

§ Ejus tempore Johannes *de Betencourt* Rotomagensis insulas Fortunatas seu Canarias, primus comperisse dicitur.

LXXII. Ludovicus I.

DE HARCOUR.

Johannis VI comitis Haricuriæ & Albæ-marlæ, ex Catharina Borbonia, sorore Johannæ conjugis Caroli V Francorum regis, filius Ludovicus, frater vero Johannis VII comitis Haricuriæ & Blanchæ abbatissæ Fontis-ebraldi, natus erat ex antiqua & nobili prosapia Haricuriæ in vigilia Natalis Domini anno 1382; fuitque vicecomes Castri-Airaldi in Pictonibus, ac dominus Arscoti in Brabantia, Maceriarum in Brenna, atque insulæ Savariacæ, quo vicecomitis titulo adfuit Luteciæ partes sustinens ducis Aurelianensis pro liberatione Delphini, quem dux Burgundiæ secum adduxerat anno 1406. Eodem anno, XV calendas Aprilis, seu feria VI ante Ramos Palmarum, id est anno 1407, postulatus est in archiepiscopum a capitulo Rotomagensi, Ch. XLV col. 41.
propter natalium splendorem; & instrumentum

postulationis præsentatum Petro de Luna, qui tunc in Galliis sub nomine Benedicti XIII habebatur ut summus pontifex. Sed Benedictus primo rem in medio reliquit, electo nec recusato, nec confirmato; postea tamen non solum non confirmavit illum, sed & de sede vacante providit Johannem Armaniacensem archiepiscopum Auxitanum. Dum res procrastinatur, utriusque papæ imperium detractat ecclesia Gallicana; canonici vero Rotomagenses Electum suum præsentant confirmandum, 1.° archiepiscopo Lugdunensi XIII calendas Augusti anni
1408. 1408; 2.° celebri illi ecclesiæ Gallicanæ conventui Luteciæ habito a V idus Augusti ejusdem anni ad nonas Novembris sequentis. Præsul Lugdunensis per judiciorum formulas rem produxit, quemadmodum observavimus tomo IV, col. 173. Interea vero concilium admissa postulatione, & submoto, tanquam Petri de Luna fautore, archiepiscopo Auxitano, ut videre est in historia Caroli VI regis tom. II, pag. 650, ecclesiam Rotomagensem Ludovico Haricuriensi regendam committit VII cal. Octobr. Intercessit eodem die Lugdunensis, non quod Petro de Luna adhæreret, aut Ludovicum vellet causa cadere; sed quod, ut aiebat, sui juris esset hujusmodi electos, aut postulatos intra fines quatuor Lugdunensium confirmare, quod & reipsa perfecit XI
1409. cal. Aprilis ejusdem anni, hoc est anni 1409, uti diximus tomo IV, col. 174. At Ludovicus a concilio confirmatus, jam receptus fuerat in ecclesia sua per procuratorem, XVII cal. Februarii.

In actis concilii Pisani, celebrati ab exeunte mense Mart. anni ejusdem ad mensem Augustum ineuntem, annumeratur iis archipræsulibus qui procuratores miserunt ad illud concilium, ut videre est in Spicilegii tom. VI, pag. 362.
1414. Anno 1414, III idus Martii, una cum episcopo Lexoviensi juravit & chirographo suo firmavit pactum Atrebatense. Anno eodem Constantiensi episcopo inhibuit, ne ecclesiam suam ingrederetur, antequam ei & ecclesiæ Rotomag. solitum præstitisset juramentum, certumque clericis fe-
1415. cisset pastum. Anno 1415, VI cal. Septembris, literas accepit a Patribus synodi Constantiensis ipsi & suffraganeis directas de subsidio concedendo ad dictum concilium deputatis. Has habes Anecdot. tom. II, col. 1541. Eodem anno, III idus Octobris, admissus est solenni pompa in ecclesia sua, præsente & manu ducente ipso Fran-
1416. corum rege. Anno 1416, cum plebs Rotomagensis seditione orta, occidisset Radulfum *de Gaucourt* urbis ballivum, moxque rex Carolus ea de causa Rotomagum contendisset, in sceleris auctores animadversurus, Ludovicus præsul pro sua reverentia, gradu & fama, veniam supplex
1417. ab rege obtinuit anno sequenti pro suis ovibus, vehementi oratione ostendens facinus illud perpetratum esse ob ingentia gravamina, quibus urbs
1422. tota premebatur. Obiit anno 1422, sedesque Rotomagensis vacare declarata est XIII calendas Decembris ejusdem anni. Aiunt Sammarthani conditum fuisse in æde Franciscanorum Castri-

A Airaldi, cum Aëlide Brabantina ejus abavia, cui ecclesiæ varia ornamenta largitus erat. Plurima videsis de eo instrumenta in historia gentis Haricuriæ tom. III, pagg. 427 & seqq.

Sub ejus præsulatu, anno 1408, fundatum Strepiniaci xenodochium; rex vero Angliæ Henricus V Rotomagum indefessa sex mensium obsidione domuit anno 1418, universamque fere Normanniam occupavit.

ANNI CHRISTI

LXXIII. JOHANNES IV.

DE LA ROCHE-TAILLÉE.

Quædam de præsule illo jam prælibavimus in episcopis Parisiensibus tomo VII, col. 145,
B ubi tamen observare prætermisimus, ipsum antequam ad ecclesiam Parisiensem assumeretur, factum fuisse episcopum S. Papuli. Post datam 26 Decembris 1422 ab Henrico VI Angliæ rege eligendi licentiam, Johannes electus in archiepiscopum Rotomagensem III nonas Febr. anno 1423, parte capituli in eum consentiente, 1423.
quibusdam tamen canonicis Nicolaum *de Venderes* archidiaconum Augensem eligentibus, receptus est per procuratorem V cal. Octobris sequentis, solenniter autem per se ipse XI cal. Novembris ejusdem anni; quo etiam anno præsedit nationi Gallicanæ in concilio Senensi. Anno sequenti 1424.
C nominatur præsens in dispensatione concessa a summo pontifice, pro contrahendo matrimonio inter Philippum ducem Burgundiæ & Bonnam antea uxorem comitis Nivernensis. An. 1426, 1426.
IX calend. Junii, creatus est cardinalis a Martino V papa. In bullis autem hujus creationis ita ab ecclesia Rotomagensi absolutus est, ut administrationem tamen ejusdem ecclesiæ, tam in spiritualibus quam in temporalibus retineret. Hanc porro reservationem voluit ab Anglorum rege Henrico, qui tunc Luteciam obsidebat, sibi confirmari, quod & obtinuit V calendas Julii. Tum literas pontificis cum rescripto regis in Camera
D computorum Parisiensi Johanni Luxemburgensi, episcopo Tarvannensi & cancellario Franciæ, episcopo Bellovacensi, & primo præside curiæ Parlamenti, qui tunc ibidem aderant, cum libello supplici porrexit, protestatus ecclesiam Rotomagensem non vacare, nec locum esse vel novo sacramento fidei, vel regalium perceptioni. Re disceptata, inquisitum est, num ecclesia Rotomagensis, aut alia sedes metropolitana, a cardinalibus regio nomine fuisset aliquando retenta. Ostendit autem Johannes non unum fuisse ejus rei exemplum; & VII cal. Septembris decretum est, ut beneficio summi pontificis regisque
E consensu, archiepiscopatu simul cum cardinalitia dignitate frueretur.

At capitulum Rotomagense huic sese decreto viriliter opposuit calendis Februarii sequentis, Ch. XLVIII. col. 50
ut colligere est ex instrumento, quod legesis ad Ch. XLIX. col. 52.
calcem hujus voluminis. Atque hinc exortæ lites, quæ tandem utcumque sopitæ sunt, pacta V cal. Martii compositione inter præsulem & canonicos, quam ibidem transcripsimus. « Hoc vero peracto (ut legimus in codice MS. æquali vel «
suppari) præfatus dominus archiepiscopus adiens «

cancellarium Franciæ, coram ipso & ceteris gen- A
tibus regiæ curiæ declaravit significavitque se
extunc acceptare cardinalitiam dignitatem. Quare
sequenti die, 26 Februarii, decantata fuit solen-
niter Missa apud ecclesiam Parisiensem, in ho-
norem beatæ Mariæ virginis, cui interfuerunt
præfati cancellarius, consiliarii regis, multique
prælati, ad cujus offertorium solus ipse archi-
episcopus processit. Finita autem missa, pergunt
omnes ad domum seu hospitale regis, ubi D.
cancellarius accipiens capellum rubeum, qui
durante missa prædicta super altare extiterat,
jamque illic remanserat duobus vel tribus men-
sibus, post quædam ab eo locuta, ipsum capiti B
archiepiscopo genuflexo imposuit. Quibus ex-
pletis, equos ascenderunt & perrexerunt ad
prandium in domum ipsius cancellarii. » Addunt
vero Sammarthani Johannem exceptum esse Ro-
tomagi ut cardinalem, v idus Aprilis sequentis,
consentiente capitulo.

Sed archiepiscopatum illum diu non retinuit,
mense enim Octobri anni 1429, in consistorio
pontificio renunciatus est archiepiscopus Bison-
tinus. Quod ubi canonicis declaratum est, in-
quiunt Sammarthani, auditis, expensisque testi-
moniis, capitulum decrevit & censuit Rotoma-
gensem sedem vacare, & processit ad electionem. C
Caruit tamen cathedra pontifice usque ad an-
num 1431.

LXXIV. Hugo IV.

Translatus Hugo a Martino V papa xiv
calendas Februarii anno 1430, id est 1431,
ab ecclesia Cabilonensi, in qua de eo diximus
tomo IV, col. 929, ad Rotomagensem, receptus
est in capitulo per procuratorem pridie idus
Aprilis sequentis; deinde solenni pompa per se
ipse xi calendas Septembris anni 1432. Regi
fidem præstiterat eodem anno iii calend. Julii.
Quin & evocatus fuerat ad concilium Basileense D
a Juliano sancti Angeli diacono cardinali, sedis-
que apostolicæ in Germania legato, cum man-
dato ut suffraganeos convocaret, literis datis
Basileæ idibus Novemb. anno 1431. Ibi, cum
ob non solutam integram annatam, pallium ab
Eugenio IV obtinere nequivisset, Patres concilii
Basileensis Amedeo Lugdunensi primati manda-
runt pridie idus Oct. 1435, ut a censuris, quas,
non soluta pecunia, incurrerat, eum absolveret,
a solutione residuæ eximeret, palliumque ei tra-
deret. Diem supremum ibidem obiit, durante
synodo, xiv calendas Septembris anno 1436,
sepulturam nactus in eadem urbe apud sanctum E
Petrum. Ejus orationis funebris, qua in eodem
concilio commendatus est, fragmentum, quod
ex codice MS. publici juris fecere Sammarthani,
rejecimus hic ad calcem inter instrumenta.

5 Sedente Hugone, Johannes dux Bedfordiæ,
qui tunc pro rege Anglo Francis imperitabat,
obiit in castro Rotomagensi anno 1435, die
Exaltationis S. Crucis, & sepultus est in majore
basilica, pridie calend. Octobris, in chori parte
sinistra, ad pedes Henrici III Anglorum regis,

LXXV. Ludovicus II.

Johannis Luxemburgensis & Margaritæ *d'En-
ghien* filius Ludovicus fraterque Petri comitis
sancti Pauli ac Briennæ, & regni Francici sub
Henrico VI Angliæ rege cancellarius, postulatus
xiv cal. Novemb. anno 1436, ab Eugenio IV,
translatus est ix cal. Nov. ab ecclesia Morinensi,
in qua de eo diximus tomo X, col. 1564, ad
Rotomagensem, cujus antea fuerat canonicus:
receptusque est in capitulo iii idus Aprilis anni
1437, per Paschasium episcopum Meldensem, 14
procuratorem suum; ac demum ecclesiam suam
v idus Augusti sequentis solenni ritu ingressus
est. Concilium habuit in capella sua die Mercurii *Nouv*
secunda Aprilis ante Pascha, anni, quem nunc *pag.*
dicimus 1438, de translatione concilii Basileensis 14
ad civitatem Ferrariensem. Promotus inde ad
purpuram cardinalitiam ab Eugenio IV papa,
xv calendas Januarii anno 1439, protestatus est 14.
recusaturum se hanc dignitatem, nisi accederet
regis Henrici consensus, ecclesiamque Rotoma-
gensem cum Eliensi, quam in Anglia jure com-
mendæ possidebat, retinere posset. Accessit regis
consensus literis datis apud Westmonasterium
vi idus Februarii anno 1440, paucis post 144
promotionem diebus. Insequenti anno 1441, 144
cum Petro Lexoviensi episcopo convenit 7
Maii de arbitris jurisdictionis in quinque paro-
chiis, sancti Candidi, de Estrepagniaco, Parva-
corona, Sotevilla, & S. Stephani juxta Robo-
retum. Anno 1442 creatus est episcopus Tus- 144
culanus, sed anno 1443, xiv calend. Octobris, 144
obiit Harfeldiæ in Anglia, post testamentum,
anno 1438, vernacula lingua conditum Roto-
magi, quod subjicimus inter instrumenta, tumu- *Chart*
latus in basilica Eliensi. *col. 56.*

LXXVI. Radulfus.

Rous

Ecclesiæ Rotomagensis canonicus ac thesau-
rarius Radulfus, libellorumque supplicum magi-
ster, ex oppido Vernone in Normannia oriundus,
renunciatur archiepiscopus pridie non. Decemb.
anno 1443, receptusque per procuratorem pridie
calendas Julii, consecratus est anno sequenti vii 1444
calendas Augusti in basilica sancti Audoëni,
atque eodem die cathedralem ædem consueta
inaugurationis pompa ingressus est. An. sequenti, 1445
mense Decembri, concilium provinciale cele- *Concil. ?*
bravit Rotomagi. Ut tolleretur omnis materia *mar. part* *pag. 18.*
litis, qua decessores archiepiscopi cum canonicis
diutissime disceptarant, plures graves & eruditos
viros delegere, qui 27 Martii anni 1446, sin- 1446
gula controversiarum eorum capita definierunt.
Eodem anno Radulfus Johannem de Rotomago
Beccensem abbatem benedixit. Ejus imprimis
opera urbs Rotomagensis Carolo VII Francorum
regi, suoque legitimo domino dedita est xiv
calendas Novembris anno 1449, & ipse post 1449.
dies octo eidem regi fidem juravit. Extremum
diem clausit, ex epitaphio suo, pridie calendas
Novembris, aut Dominica pridie cal. Januarii,
ex Sammarthanis anno 1452, tumulatus in me- 1452.
tropolis suæ sacello B. Mariæ, secunda Januarii

die, post nominatum testamenti sui curatorem Carolum *Roussel* canonicum Rotomagensem ac scacarii consiliarium, & legata ecclesiæ suæ vasa multa argentea, ornamentaque pretiosissima.

Ejus temporibus Beguinæ, quas S. Ludovicus Rotomagi fundaverat prope palatium vetus, translatæ sunt anno 1444 in vicum S. Vigoris; sed iis anno 1631, substitutæ sunt moniales Benedictinæ, quarum domus transportata anno 1676 ad Rubram-maram, S. Ludovici nomen assumsit. Anno etiam 1445 fundati sunt Rotomagi Patres Cœlestini.

Radulfo sublato, post concessam a Carolo VII rege canonicis eligendi licentiam anno 1452, cum ad successorem renunciandum suffragia canonicorum bifariam divisa fuissent, aliis *Philippum de Rosa* thesaurarium, aliis *Richardum Olivierium* archidiaconum Augi eligentibus, orta est inter utrumque contentio, de qua legesis Tallepedium in Antiquitatibus Rotomagensibus. Sed uterque juri suo renunciasse dicitur in gratiam sequentis.

LXXVII. GUILLELMUS VII.

Nobilissima Normanniæ familia natus Guillelmus, parentes habuit Johannem II dominum *d'Estouteville & de Valmont*, summum Franciæ buticularium, ac Margaritam Haricuriensem, fratrem vero Ludovicum *d'Estouteville* magnum item Franciæ buticularium, proavum Adrianæ ducissæ *d'Estouteville*, quæ nupsit Francisco Borbonio comiti S. Pauli. Guillelmus ex monacho Benedictino, ac priore sancti Martini de Campis Parisiensis & Grandi-montis prope Rotomagum, renunciatus ab Eugenio IV papa, V idus Augusti anno 1437, presbyter cardinalis SS. Silvestri & Martini in Montibus, episcopus quoque Maurianensis factus fuerat, Diniensisque, ut diximus tomo III, col. 1129, &c. quando nominatus est, ob canonicorum in electione discordiam, a
1453. Nicolao V, pridie calend. Maii, anno 1453, ad ecclesiam Rotomagensem, in qua receptus est VII idus Julii per Ludovicum archiepisc. Narbonensem ejus procuratorem, canonicis contestato denunciantibus translationem cardinalis ecclesiæ Rotomagensi non obfuturam, quibus XVI calend. Decembris anni ejusdem indulsit Nicolaus V, ut post obitum Guillelmi libere possent eligere quemcumque vellent. Anno eodem Guillelmus
145[illegible] creatus est episcopus Portuensis. Insequenti, V cal. Augusti, ecclesiam Rotomagensem solenni ritu ingressus est, quam postea multis, pretiosissimisque donariis locupletavit, ac præcipue anno 1470 mitra & baculo pastorali, campanis etiam duabus, quarum major, quæ dicitur *Maria Estotevillæa*, conflata est anno 1467. Eo quoque sedente, chorus elegantissimis sedilibus ornatus est, cathedraque archiepiscopalis suis sumtibus, ac bibliotheca cum contiguo vestibulo exstructa. Instituit in provincia Rotomagensi festum beatæ Mariæ de Nive die 5 Augusti, & a Nicolao V indulgentias obtinuit illud celebrantibus, nonis Aprilis. Eodem anno reverenter in monasterio

ANNI CHRISTI

A Fiscannensi 28 Aug. receptus est, salvis abbatiæ juribus; ac die 4 Octobris concessit facultatem monachis S. Michaëlis in periculo maris missas celebrandi coram ægrotis, intra septa monasterii. Ecclesiam prioratus sancti Laudi dedicavit 28 Maii anno 1455. Regi fidem obstrinxit 1455.
anno 1457, pridie nonas Julii, & bullas obtinuit 1457.
XII calendas Julii, a Callisto III summo Chart. Litt. col. 58.
pontifice, pro prioratu sancti Martini a Campis, & V idus Julii pro primatia ecclesiæ Rotomag. quas vide apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 312. Lege etiam quæ de ea re diximus tomo IV, coll. 177 & 178. Anno 1459 de- 1459.
B lectus est a Pio II papa, ut ipsum comitaretur usque Mantuam, quo pergebat pontifex ad celebrandum conventum pro bello adversus Turcas suscipiendo; inibique de mandato ejusdem summi pontificis, Milonem electum & confirmatum ecclesiæ Carnotensis consecravit in ecclesia parochiali sancti Jacobi, assistentibus Tristando Conseranensi, & Isnardo Grassensi episcopis, anno prædicto 1459, indictione VII, die Sabbati 8 Septembris. Anno 1461 evasit episcopus 1461.
Ostiensis, eodemque circiter anno palatium archiepiscopale inchoavit Rotomagi, ac magna ex parte ædificavit; castrum quoque Gallionis in-
C choavit. Ratam habuit anno 1472 fundationem 1472.
Pœnitentium Tertii ordinis sancti Francisci, ad sanctam Barbaram, non longe a Rotomago. Vicarii ejus generales in synodo anni 1476 1476.
statutum edidere adversus ecclesiasticos, qui concubinas, focarias & suspectas mulieres secum tenebant; ipse vero anno 1477 instauravit Pon- 1477.
tisarensem archiepiscopi domum; quo etiam anno factus est sanctæ Romanæ ecclesiæ camerarius. Cum ille & virtute & doctrina excelleret, tamque præclaris dotibus non mediocrem rerum usum adjunxisset, hinc apud omnes sui temporis principes plurimum valebat. Præcipuus religionis
D cultor templum Romæ sancto Augustino erexit magnificentissime a fundamentis cal. Novembr. anno 1479, basilicam quoque S. Mariæ Majoris, 1479.
in qua archipresbyteratus dignitate fungebatur, pretiosis ad cultum divinum decoravit ornamentis; chorum etiam S. Michaëlis in periculo maris, cujus abbatiam obtinebat, exstruendum curavit, plurimaque munera monasterio sancti Audoëni impertitus est.

Multas tandem legationes pro sede apostolica obivit, missus a Nicolao V ad Carolum regem in Franciam anno 1453, post captam Constantinopolim, ut pace inter reges christianos com-
E posita ad Turcarum bellum hortaretur; quod Monstreletus, Guaguinus, Paulus Æmilius, aliique rerum Francicarum scriptores fuse narrant. Ea legatione fultus & auctoritate regia, Academiam Parisiensem optimis legibus ab eo constitutis instaurasse dicitur calendis Junii ejusdem anni, ipsoque præsidente, congregatus est ejusdem mandato conventus magnus præsulum Gallicanorum apud Biturigas, in quo disputatum est de observatione Pragmaticæ-sanctionis, &, eo præsente, electi sunt anno 1458 Pius II, anno

vero 1471 Sixtus IV, in summos pontifices. Vicarium habuit generalem, tam in archiepiscopatu quam in abbatia S. Audoëni, Guillelmum *Mesart* licentiatum in decretis, decanum ecclesiæ beatæ Mariæ-rotundæ apud Rotomagum, anno 1475, 15 Junii. Guillelmi meminit cum laude cardinalis Papiensis, qui ipsi commentarios dedicavit, nuncupavitque epistolas LXVIII & CXXIII. Eum vero celebrat, quod Callisto III recens ad Petri cathedram evecto, generoso animo renuerit præstare obsequium nomine regis christianissimi, cujus erat legatus, cum diceret parum decere cardinalem, si præter summum pontificem pro alio principe legationis munere fungeretur. Ad eumdem etiam Franciscus Philelphus vir literatorum sui temporis facile princeps, plures epistolas scripsit, quales sunt epistola XV libri XXIII, & epistola L libri XXXI, in quibus ipsum columnam & columen sanctæ Romanæ ecclesiæ nuncupat.

Obiit Romæ cardinalium sacri collegii decanus, & octogenario major, X calendas Februarii anno 1482, id est 1483, abbas item sancti Audoëni ab anno 1462; & corpus ejus in ecclesia Eremitarum sancti Augustini, quam ædificaverat, conditum est: cor vero in Gallias relatum, in navi ecclesiæ Rotomagensis positum est pridie idus Aprilis, eo in loco, ubi quondam Maurilius basilicæ dedicator tumulatus fuerat. Habet præsul ille in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris inscriptionem, quam reperies in episcopis Ostiensibus tomo primo Italiæ sacræ apud Ughellum, qui ubertim ejus elogium tractavit, & præterea Onuphrius, Ciaconius, aliique plurima de ejus vita scripsere. Sed ante hos centum annos Romæ Patres Augustiniani prope sacrarium ecclesiæ suæ, famosi hujus viri beneficiorum memores, sub ejusdem effigie Pario marmori insculpta, hoc elogium nonnihil a Sammarthanis deformatum ad perennem posteritatem erexere.

DEO OPT. MAX.

Domino Guillelmo de Estoutevilla, Normando, Gallo, episcopo Ostiensi, cardinali Rotomagensi, sanctæ Romanæ ecclesiæ camerario, ex congregatione Cluniacensi ordinis sancti Benedicti assumto, qui apud sanctam sedem apostolicam hujus ordinis protectorem agens, templum hoc a fundamentis construxit, amplissimis dotibus locupletavit. Altare majus Deiparæ virginis imagine a divo Luca depicta exornandum curavit, sacrarium pretiosissimis vestibus ditavit, conventum in ampliorem & commodiorem formam redegit. Totum ordinem singularibus beneficiis cumulavit; plura & majora collaturus, nisi mortis invidia præpedivisset. Præsuli amplissimo, tam doctrina, moribus, virtutibus, quam sanguine, opibus, honoribus conspicuo, patrono beneficentissimo, M. Fr. Hippolytus Montius generalis prior, ac patres hujus cœnobii, æternum grati animi monumentum PP. anno sal. M. DC. XXVII.

Duos ex matrona quadam Romana reliquerat Guillelmus filios nothos, Hieronymum & Augustinum *d'Estouteville*, quorum nepotes etiamnum permanere dicuntur cum honore in regno Neapolitano, ex Historia genealogica Magnatum Franciæ, tom. VIII, pag. 91.

LXXVIII. ROBERTUS III.

Guillelmi *de Croismare* domini *des Alleurs*, præsidis in scacario Rotomagensi, & Petronillæ *Roussel* tertiæ uxoris, sororis aut neptis Radulfi archiepiscopi, filius Robertus, origine Caletensis, prior Grandi-montis prope Rotomagum, ex canonico Rotomagensi & archidiacono Majoris Caleti, eligitur absens XIII calend. Aprilis anno 1482, id est 1483, possessionem adeptus per procuratorem III idus Maii sequentis, præsens vero solenni ritu VIII idus Septembris ejusdem anni; quo etiam anno transegit cum Johanne *Balue* cardinali & administratore abbatiæ Fiscannensis, super exemtione ejusdem monasterii. Anno 1485, XVIII calendas Maii, regem Carolum VIII Rotomagum primo advenientem excepit. Fœdus iniit cum canonicis suis, quo cessit illis administratio fabricæ ecclesiæ cathedralis, cujus curam archiepiscopi hactenus gesserant. Sub eo præsule data est licentia ab Innocentio VIII in diœcesibus Rotomagensi & Ebroïcensi, vescendi butyro tempore Quadragesimæ, ea tamen conditione, ut erogarentur eleemosynæ in usus & emolumentum fabricæ, ex quibus emolumentis constructa est turris illa, quæ vulgo *butyracea* dicitur, cujus primarium lapidem, IV idus Novembris anno 1487 posuit Robertus archiepiscopus. Anno 1491, XVII cal. Novembris, dedicavit, præsentibus episcopo Ebroicensi, ac Johanne *Masselin* decano & officiali Rotomagensi, ecclesiam collegiatam Blainvillæ, a Johanne *d'Estouteville* domino Torciaci & Blainvillæ, fundatam mense Januario anni præcedentis in honorem S. Michaëlis Archangeli, & constantem nunc ab anno 1684 thesaurario uno, quatuorque aliis præbendatis. Ejusdem præsulis admirandum opus sunt organa pneumatica ecclesiæ cathedralis, quæ anno 1493 tentari cœperunt. Obiit eodem anno meritissimus præsul, XV calend. Augusti, elatus de more post mortem ad basilicam sancti Audoëni, deinde ad sanctum Amandum, postea in ecclesiam suam relatus, ubi conditus est retro chorum in sacello beatæ Mariæ.

5 Ejus temporibus institutum est Rotomagi certamen poëseos, quod etiamnum perseverat, in quo singulis annis Deiparæ Conceptio laudibus celebratur.

LXXIX. GEORGIUS I.

Georgii genus & ecclesiasticas dignitates prosecuti sumus tomo VI, coll. 106 & 108. Unanimi canonicorum omnium consensu electus XI calendas Septembris 1493, ex ecclesia Narbonensi translatus est XII calendas Julii 1494, ab Alexandro VI papa, ad Rotomagensem, per cessionem Frederici de S. Severino cardinalis, ad eamdem ecclesiam promoti per obitum Roberti. Ecclesiæ suæ novæ possessionem iniit eodem

eodem anno, VII idus Augusti, per Gaufridum episcopum Constantiensem procuratorem suum, & solenniter per se ipse XI cal. Octob. sequentis. Urbem egregiis fontibus & ædificiis ornavit, palatium archiepiscopale, castrumque Gallionis, utrumque a Guillelmo VII decessore suo inchoatum mirifice perfecit. Campanam ecclesiæ maximam 36000 librarum pondo etiamnum suo nomine appellatam, multaque alia pretiosissima cathedrali suæ ornamenta, vestesque sacras largitus est. Anno 1498, pridie idus Septembris, creatus est cardinalis titulo S. Sixti, ab eodem Alexandro VI, Cæsare Borgia cardinali ac duce Valentinensi pileum deferente, quem ipsi imposuit Luteciæ cardinalis sancti Petri ad Vincula, in Galliis tunc agens, moxque sub nomine Julii II papa eligendus. Anno 1499, ejus consilio, scacarium Rotomagense, quod est totius gentis Normannicæ supremum forum, in curiam perpetuam Ludovicus XII rex erexit, non ita multo post a Francisco I rege Parlamenti nomine donandam. Ejus item curis & munificentia palatium, quo curiæ hujus Patres conscripti juri dicundo convenire deberent, constructum. Normanniæ autem ipse & Mediolanensis ducatus gubernator factus, principatum hunc cum Ludovico Tremolliæ domino recuperavit anno 1500, rebusque compositis summo cum imperio agens, rerum Italicarum bello paceque arbiter fuit, ut tradunt historici, eique concessum est a pontifice anno sequenti, ut totius Franciæ legationem, excepta Britannia, sesquianno exerceret; quæ anno 1502. XVI calend. Novembr. ac diversis deinceps prorogationibus ampliata, & a Julio II confirmata, propria reddita est, dum vita mansit, addita etiam anno 1503, uti diximus tomo I, col. 842, legatione ecclesiastica Avenionensi. Insuper accessit illi apud regem Ludovicum XII tanta auctoritas, ut propter longum rerum usum, virtutem & prudentiam, omnium rerum regni sui administrationem ei permiserit. Hunc etiam rebus in arduis rex præcipue consulebat, ut nunquam fere ab ejus sententia discederet.

Interea, anno 1500 bullam Alexandri papæ publicaverat, qua ab ecclesiis sanctorum Petri & Pauli Romæ visitandis pro jubilæo Franci omnes dispensabantur, sub conditione quartæ partis impensarum ad Romanum iter necessariarum, in crucis ac fidei catholicæ fulcimentum impendendæ; quam tamen conditionem cardinalis ad impensas trium dierum hujus itineris temperavit. Obtinuit etiam ab eodem pontifice nonis Aprilis anno 1501, facultatem uniendi simul beneficia, quæ unienda judicaret, ob ecclesiarum & ecclesiasticorum calamitates. Sacerdotibus indulsit 5 Februarii 1502, ut missas circa lucis crepusculum celebrare possent; ac priori Alborum-mantellorum Parisiis, ut duodecim e fratribus suis, ubi ætatis annum 21 attigerint, ad sacrum presbyteratus ordinem promovere posset, anno eodem. Privilegia & indulgentias easdem congregationi Carmelitarum Albiensium concessit anno eodem, quibus Mantuana fruebatur, hujusque conservatores instituit episcopos Albienses; & eodem anno privilegia, statuta & libertates capituli Albiensis confirmavit. Anno sequenti privilegia quædam ordini Fratrum Prædicatorum reformato concessit. 1504. Adfuit eodem anno consistoriis, in quibus electi sunt Pius III & Julius II in summos pontifices, eidemque Julio, inquiunt Sammarthani, concilii Pisani turba furente aculeos injecit. Postea, VII idus Aprilis, anno 1505, investituram ducatus Mediolanensis accepit Haganoæ, nomine Ludovici XII regis a Maximiliano I imperatore. 1505. Anno 1506 celebravit sponsalia Francisci comitis Engolismensis, postea regis hujus nominis primi, cum Claudia Francica. 1506. Eodem anno, V calendas Martii, hoc est anno 1507, pontificatus Julii II quarto, Cadurcensem, Vaurensem ac Montalbanensem episcopos delegavit, 1507. ut prioratum beatæ Mariæ Fargensis, fundatum a Beraldo episcopo in diœcesi sua Albiensi, erigerent in conventum ordinis monialium Annunciatarum, recens ad preces Johannæ ducissæ Bituricensis instituti. Assensit etiam ut moniales Franciscanæ fundarentur apud Novum-castellum in Braio. Inde præcipuus regis legatus, cum Maximiliano imperatore fœdus Cameracense contra Venetos confecit. Curam sollicitam egit, ut auctoritate summi pontificis quatuor ordines Mendicantium reformarentur. Impense etiam favit ordini religiosorum Minimorum, uti discimus ex diversis ad eum sancti Francisci de Paula literis, quem summopere diligebat ac reverebatur.

Denique, pridie calendas Novembris, anno 1509, testamentum condidit, 1509. quo inter cetera pauperes heredes suos instituit, voluitque perfrui omnibus quæ ex bonis ecclesiæ apud se reperirentur. Ceterum Belcarius rerum Gallicarum lib. XII, auctor est Georgium trecenta aureorum millia testamento legasse, quæ cum Julius papa prætenderet, quasi legari jure non potuissent, negavit rex pontificias leges de privatorum bonis extra Romanam ditionem valere. Obiit Lugduni in monasterio Cœlestinorum, VIII calend. Junii, anno 1510, ætatis suæ quinquagesimo; 1510. exequiis vero ejus summa pompa celebratis in eadem ecclesia adstitit Ludovicus rex, omniaque ab eo gesta laudavit, quem unice tanquam fidum regni administrum dilexerat. *Qua morte*, inquit cardinalis Bembus, *lætus papa Julius, ut qui jam sui pontificatus securior factus, Georgio mortuo, a quo deturbari sede semper metuerat.* Corde & visceribus Lugduni apud eosdem Cœlestinos depositis, corpus regio funere & magnifico sumtu Rotomagum translatum est, justisque de more, tam apud S. Audoënum quam apud sanctum Amandum persolutis, conditum XII calendas Julii in ecclesiæ metropolis sacello B. Mariæ, sub insigni mausoleo, hoc addito epitaphio:

Pastor eram cleri, populi pater, aurea sese
Lilia subdebant, Quercus & ipsa mihi.
Mortuus en jaceo, morte extinguuntur honores;
At virtus mortis nescia morte viget.

Ubi per Quercum intelligendus Julius ipse papa, ex familia Roborea, quæ Quercum, sive Robur pro insignibus gerit.

Inter hujus cardinalis eximias dotes illa non minima, quod in tanta potentia & auctoritate, qua constantem principis gratiam expertus est, unico Rotomagensi sacerdotio absque ullis abbatiis contentus vixerit. Plurimas alias verasque sapientissimi antistitis virtutes videre est apud scriptores. Hujus enim meminere Guichardinus in historia sua, eum *Ludovici oraculum & auctoritatem* vocitans; Claudius Seyssèlius Massiliensis episcopus in historia Ludovici XII, auctor ille qui scripsit historiam equitis Bayardi cap. XLI, Sangelasius, Buchetus in Annalibus Aquitaniæ, Onuphrius, Ciaconius, Spondanus, Genebrardus, Frizonius, Hilarion Costæus, Auberius, plurimique alii : unde aperte intelligitur deceptos esse illos, qui epistolam CXXIII Jacobi cardinalis Papiensis, datam anno 1465 ad G. cardinalem Rotomagensem, eidem Georgio Ambasiano scriptam fuisse volunt, cum ille tunc puer sexennis esset, si quinquagenarius diem suum obiit. Scriptam autem esse ad Guillelmum Stotevillæum, item cardinalem & archiepiscopum Rotomagensem, nullum dubium est, uti supra retulimus.

Inter octo ipsius Georgii fratres, quatuor alii infulis episcopalibus fuere insigniti; Johannes episcopus Lingonensis, Ludovicus Albiensis, Petrus Pictaviensis, & Jacobus Claromontensis. Hujus autem vetustæ ac generosæ stirpis primarius toparcha erat ætate Sammarthanorum Franciscus-Jacobus *d'Amboise* comes *d'Aubijoux*, in Occitania regius progubernator. Sed ille, ex Historia genealogica Magnatum Franc. tom. VII, pag. 129, obiit anno 1656, ultimus sui generis ac nominis.

LXXX. Georgius II.

Patruum excepit alter Georgius baro *de Bussy* & *de Vauvray*, filius Johannis *d'Amboise* domini *de Bussy*, & Catharinæ *de Saint-Belin*. In studiis ille institutus est puer a Philippo Decio celeberrimo jurisconsulto, qui commentarios suos de Rescriptis eidem postea canonico, deinde thesaurario, tum majori archidiacono Rotomagensi dicavit. Electione celebrata per canonicos 44, ultimus postulatur a capitulo III calendas Augusti anno 1510, defuncto patruo, ex dispensatione legati apostolici, in presbyteratu tunc constitutus, ætatis, in cujus anno tantum 23 erat, defectum patiens. Admissus in consistorio pontificio VI idus Augusti anno 1511, possessionem adeptus est per procuratorem X calendas Decembris sequentis; tum consecratus Gallione III idus Decemb. anno 1513, exceptus est octavo post die solenni pompa in metropolitana sua. Postea, XII calendas Augusti, anno 1515, delegatus a rege Francisco I, ut universæ Normanniæ in absentia ducis Alenconiensis, sua auctoritate & industria præesset, eo nomine exceptus est in Parlamento ipsis calend. ejusdem

A mensis. Adstitit translationi corporis S. Audoëni AN
1517. Anno 1522, III idus Maii, concilium CHR
provinciale celebravit Rotomagi; & aliud eodem 151
anno, X calendas Martii, id est anno 1523. 152 Concil
Nonnullas festivitates e fastis expunxit anno man. p
1526. Fundatæ sunt, eo assentiente, an. 1535, pag.
moniales Franciscanæ apud Gornacum. Anno 152
circiter 1540, abbatia Burgidolensi donatus est, 152
quo etiam anno chorum ecclesiæ suæ plumbeis 153
laminis texit, tectumque ipsum equestri beati 154
Georgii statua decoravit. Anno sequenti ora- 154
torium maximum sanctæ Dei genitricis ad
caput basilicæ simili metallo cooperuit. Anno
B 1544 summum campanile, quod una cum 154
odei tecto IV nonas Octobris anno 1514 for-
tuito incendio absumtum fuerat, in augustiorem
pyramidis formam, stupendamque altitudinem,
Roberto Becqueto, Rotomagensi, insigni archi-
tecto opus procurante, munificentissime restituit.
Anno 1545 ratam habuit fundationem Patrum 154
Capucinorum Andilegi. Anno 1546, XVI cal. 154
Januarii, ornatus purpura a Paulo III papa,
titulum consecutus presbyteri sanctæ Susannæ
de Urbe, pileum cardinalitium recepit in ec-
clesia majore Bituricensi; & anno 1547 inter- 154
fuit exequiis Francisci I regis. Anno 1549 154
C probavit fundationem monialium Tertii ordinis
sancti Dominici apud Albam-marlam. Obiit
Vigniaci in sua diœcesi VIII calend. Septembr.
anno 1550, ibidemque in æde parochiali jacent 155
ejus viscera : sed cor Pontisaram in Franciscanorum cœnobium, corpus vero Rotomagum in exquisiti operis sepulcrum, quo patrui sui cineres texerat, illatum est XIII cal. Octobris sequentis.

LXXXI. Carolus I. DE BOURB

Patre Carolo Borbonio duce Vindocino, matre vero Francisca Alenconiensi, Renati ducis Alenconii & Margaritæ Lotharingæ filia,
D progenitus Carolus, fratrem habuit Antonium Borbonium Navarræ regem; natusque est XI calend. Januarii anno 1523, in castro Firmitatis subtus Jotrum. Sacris ab ineunte ætate deditus, ac Luteciæ una cum Carolo Lotharingo, qui postea Remensis archiepiscopus & cardinalis fuit, liberalibus disciplinis eruditus, varios summosque in ecclesia processu temporis honores adeptus est. Primum videlicet episcopus Nivernensis factus est, deinde Santonensis; tum VI calend. Augusti anno 1547, cardinalis S. Sixti creatus a Paulo III papa, Vindociuensis nomen assumsit, Ludovico cardinale Borbonio patruo superstite. In locum
E vero Georgii Ambasii cardinalis, primus ad regis nominationem suffectus archiepiscopus Rotomagensis anno 1550, diplomatibus Julii III datis XII calendas Octob. & V nonas ejusdem mensis, in possessionem sedis eodem anno semel atque iterum inductus est per procuratorem VII idus
Octobris & XIV cal. Decembris. Anno sequenti, 1551.
III idus Aprilis, Rotomagum ingressus, solenni apparatu postridie in æde primaria de more majorum susceptus est. Sub ipso autem in urbem ingressu, cum metropolitanam ecclesiam recenti

decessoris munificentia augustius fulgentem conspiceret, dixisse fertur *Ambasium exterius ecclesiam inaurasse, daturum se operam, ut intus inauraretur.* Sed longe aliis distentus est curis optimus princeps. An. 1555 Romæ adfuit electioni Pauli IV papæ. Anno 1558, VIII calend. Maii, sponsalia Francisci Delphini, postea regis eo nomine secundi, cum Maria Stuarta, celebravit in majori ecclesia Parisiensi, episcopo ejusdem civitatis missam decantante. Anno 1559 archipresbyter cardinalium presbyterorum evasit titulo sancti Chrysogoni, quem sibi ascivit defuncto cardinale Antonio *de Meudon.* Eodem anno, x calendas Julii, præerat urbi Luteciæ gubernandæ, quando connubio junxit in ecclesia cathedrali Elisabetham primogenitam Henrici II Francorum regis, cum Philippo II Hispaniarum rege, illius vices
60. gerente Albæ duce. Anno sequenti eamdem Elisabetham comitatus est ad extremos regni limites in Hispaniam, quo in itinere magnum pietatis exemplum ministrando pauperibus apud Roncam-vallem in saltu Pyreneo exhibuit. Inde rediens adfuit eodem anno comitiis Aurelianen-
61. sibus, & anno 1561 colloquio Pisciacensi.

Tunc vero cœpit civitas, diœcesis, universaque provincia lamentabilem in modum conflictari, sævientibus ob religionis dissidia plusquam civilibus bellis, quorum injuria & disciplinæ ecclesiasticæ & sacrorum nitor exolevit, & cleri jura tandem haud parum imminuta sunt. Nempe succrescentibus in Normannia passim errorum zizaniis, eo res devenerant, ut post Henrici II obitum Calviniani conventicula sua non jam furtim sed palam inirent, primum in suburbiis, mox in ipsa urbe. Frustra instigante ipso archipræsule, ad metum ceteris incutiendum, Johannes *Cottin* hæreticorum minister combustus fuerat vivus VI calendas Aprilis anno 1559, id est 1560, decreto Parlamenti Rotomagensis, duoque ejus discipuli suspendio multati; novas secta illa in dies acquirebat vires, nec nisi tempus opportunum exspectabat, ut furori, quem animo jam diu conceperat, faceret satis. Itaque cum
62. sub initia anni 1562 princeps Condæus segregum illorum animos sub specie regiæ captivitatis concitasset ad arma, Rotomagenses rebellandi occasionem arripiunt; & XVI calend. Maii nocte intempesta quingenti numero armati ædes adoriuntur, occupant, armaque paulo antea regis auctoritate comportata invadunt, in Cœlestinorum domum involant, ecclesiam polluunt & expilant: postero die arx obsessa & ante meridiem ad deditionem compulsa, Johanne Stotevillæo, qui eidem præerat, ejecto; veteri quoque palatio & brevi tota urbe Novatores potiti sunt. Paucis post diebus S. Catharinæ monasterium occupatum: deinde idibus Maii in singulas urbis basilicas omni licentiæ genere grassatum, templa omnia pervasa, ipsaque cathedralis impie occupatur, in quam biduo sævitum est, pessumdata sacra, direptæ opes, catholicæ demum religionis cultus in urbe per sesquiannum abolitus. Sed cum Claudius Albæ-marlæ dux tentata semel

ANNI CHRISTI

A urbe nihil profecisset, sub finem Septembris regius tandem eos exercitus aggressus est. Itaque intra paucos dies interceptum sanctæ Catharinæ munimentum pridie nonas Octobris, tum VII calendas Novembris expugnata civitas, mox aperta templa, & instaurata sacra. Eo die Carolus rex celebri supplicatione ex abbatia S. Audoëni ad primariam ædem progressus, a canonicis qui pauci aderant, exceptus est. Conversis inde totis ad resarcienda basilicæ damna studiis, altaria, ceteraque divino cultui necessaria, a Roberto Apamiensi episcopo consecrata sunt.

Carolus autem Borbonius sopitis utcumque
B turbis, instaurandæ cleri disciplinæ, propagandæque fidei animum adjecit; atque interea legationibus tribus, Witerbiensi, Patrimonii sancti Petri, & Avenionensi sub Pio IV papa honorifice perfunctus est, adfuitque annis 1566 & 1566.
1567, comitiis regni Molinensibus. Postea 1567.
Caroli IX regis cum Elisabetha Austriaca nuptias
solenniter peregit anno 1570, apud Macerias; 1570.
& anno sequenti, VIII calend. Aprilis, eamdem 1571.
reginam coronavit apud sanctum Dionysium.
Anno 1572, post Odonis Castellionei mortem, 1572.
episcopatus Bellovacensis possessionem apprehendit, quem simul cum archiepiscopatu Roto-
C magensi aliquandiu tenuit, multorum præterea cœnobiorum abbas commendatarius, seu perpetuus administrator, Gemetici videlicet, Fontanellæ, S. Germani a Pratis, Corbeiæ, Vindocini, sancti Luciani, sancti Michaëlis in Eremo, sancti Petri de Cultura, S. Geremari, Castellariarum, Frigidi-montis, sancti Stephani Divionensis, Montis-burgi, Validi-montis, Signiaci, Ursicampi, Persenniarum, &c. Anno 1573 adfuit 1573.
Luteciæ comitiis cleri Gallicani; & anno sequenti 1574.
probavit translationem monialium ordinis sancti Francisci ex Tria-castello in urbem Gisortium, primusque præsulum ordini regio adscriptus est
D ab Henrico III rege in primis hujusce ordinis
comitiis anno 1579 habitis: quo etiam anno 1579.
Eremitæ Pontisarenses ordini SS. Trinitatis ac Redemtionis captivorum adscripti sunt. Hinc Meloduni congregato ecclesiæ Gallicanæ clero præses datus est eodem anno & sequenti; quo etiam anno fundavit in urbe Deppa Patres Minimos: mensibus vero Septembri & Octobri
concilium provinciale indixit, illudque celebravit *Concil. Norman. part. I, pagg. 195, & seqq.*
ipse anno sequenti IX calendas Maii, quod a
Gregorio XIII confirmatum est 19 Martii
1582. Carolus vero ad suffraganeos mandatum 1581.
dedit calendis Septembris, de promulgando & 1582.
E observando concilio. Eodem fere tempore Car- *Ibid. pag. 245.*
tusiam prope Gallionem ædificavit sub titulo beatæ Mariæ Bonæ-spei, quæ & ab ejus nomine Borbonia dicta est. Fundatum ab Henrico Guisiæ duce collegium in urbe Augo, Patribusque Societatis Jesu attributum probavit anno 1582,
tum Patres Capucinos, & anno 1583 eosdem 1583.
Patres Societatis Jesu induxit Rotomagum, qui juventutem imbuerent liberalioribus disciplinis; eosdem Patres Luteciæ collocavit in vico sancti Antonii: palatium abbatiæ suæ sancti Germani

a Pratis Parisiensis exædificavit, miro artificio A cardinalitia causa in appendice tecti collocata; decimas quas habebat in silva vulgo Leonum dicta, dedit in incrementum puerorum choralium suæ metropolitanæ; ecclesiam denique illam, quemadmodum & monasterium sancti Audoëni, variis donis munificentissime prosecutus est.

Ceterum sub finem vitæ, ut erat ingenio facili, a fœderatis specioso primi e regio sanguine principis, regnique heredis titulo delusus, congressu habito apud Joinvillam anno 1584, in eorum partes adductus, palam protestatus est se legitimum regni heredem, excluso videlicet Navarro, tam propter hæresim quam ob proxi- B miorem consanguinitatis gradum, uti præsumebat, quo patruus fratris filio præferri deberet, qua de re scripti eo tempore utrimque contrarii libelli. Has tamen molitiones clandestinas contra regiam auctoritatem Henricus edicto generali prohibuit. Sed Carolus scriptum publicavit Peronæ anno sequenti, quo inter alia ostendere nitebatur, rege nullos ex se genitos liberos habente, a fide etiam catholica deficiente, primum se esse regiæ stirpis principem, ad quem jura regni proxime pertinerent. Dum lactatur spe illa præfidentior princeps, ad comitia Blesensia accedit, ubi post Guisiorum necem compre- C hensus, in arce Chinonia primum, deinde Fontenaii Pictonum custodiæ committitur, & post aliquot menses a morte Henrici III fœderatorum ludibrio rex declaratur anno 1589, Carolus X nuncupatus, cujus nomine moneta aurea argenteaque in primariis Franciæ urbibus cusa est. At postquam ejus ingenio ad propriæ gentis Borboniæ, Francicique imperii perniciem diu abusi fuissent Guisii, & ipse tanquam larva populis insanientibus specioso titulo regis ostentatus esset, uti scripsere gravissimi historici, tandem Fontenaii, ubi detinebatur, extremum diem clausit calculi doloribus oppressus, VII idus D Maii anno 1590, supergressus annum ætatis sexagesimum sextum. Corpus ad Gallionem in Cartusia, quam ædificaverat anno 1563, sepulturæ illatum est, cor vero in æde suburbana sancti Nicolai apud ipsum Fontenaium.

De cetero fuit Borbonius cardinalis, ut asserit Thuanus, *liberalis & ad mathematicorum prædictiones nimia credulitate pronior, qui spem regni adeo certam sibi fecerat, ut ab ea nunquam divelli potuerit.* Literas etiam summopere excoluit, virisque doctis favit semper. Atque hinc diversa ipsi opera dicata reperiuntur, inter quæ Nicolai versio Oratorii religiosorum ex Italico idiomate, E in cujus epistola liminari præcipuas cardinalis hujus virtutes heroïcas graphice perstringit. Habebat pro emblemate duos ramos e lauro intertextos cum hoc lemmate *folium ejus non defluet.* De eo legendi Spondanus, Thuanus, Johannes-Antonius Petramellarius, Ughellus in Analectis ad Ciaconium, Jacobus Brolius sancti Germani Parisiensis monachus, & Sammarthani tom. II, lib. XXV, Historiæ genealogicæ domus Franciæ. Vide quoque Galliam hanc nostram tomo VII, col. 467.

LXXXII. Carolus II.

Ludovici I principis Condæi & Leonoræ Royensis filius Carolus, Gandalupi natus est in diœcesi Meldensi III calendas Aprilis anno 1562. A prima ætate in omni virtutum & disciplinarum genere educatus cura patrui decessoris, ejus tam pontificiæ dignitatis, quam amplissimarum abbatiarum successor, huic in archiepiscopatu coadjutor datus fuerat diplomate Gregorii XIII papæ, calendis Augusti anno 1582, tum anno sequenti in cardinalium collegium cooptatus pridie idus Decembris, cardinalis primum Vindocinensis dictus, postea cardinalis Borbonius junior, ut a patruo distingueretur. Receptus fuerat in metropolitana sua per Johannem *de Lesselie* episcopum Rossensem, procuratorem patrui sui & vicarium generalem, V idus Octobris ejusdem anni. Sed in custodia detento patruo, tum mortuo successurus anno 1590, occlusa civilibus bellis ad cathedram via, nudum præsulis titulum toto quadriennio gessit. Is licet inter hæreses natus, pietate & literis excultus, propugnatorem catholicæ religionis se semper acerrimum præbuit; & Henrico III acceptus, summa cum laude consistorio præfectus est turbulentissimis hisce temporibus, quibus Gallia jactabatur. Tum fatis functo Henrico, successoris gratiam consecutus, eximii in sedem apostolicam obsequii exemplum dedit. Cum enim Henricus IV ab ecclesiæ gremio adhuc alienus, & fœderatorum pertinacia motus, patriarcham in Gallia creare in animo haberet, jamque res deliberationi proxima esset, & multi propterea ex proceribus, atque inter eos potentiores hæretici convenissent, Carolus, ubi extremum religionis periculum advertit, tanta animi contentione insectatus est propositum, ut plerique ex Novatoribus qui aderant, consilio regis se subduxerint. Præclare autem omnino de Henrico promeruerat, nisi tertianæ illius factionis principem se exhibuisset, qua & ad regnum sibi viam parari posse obtendebat. Dedita tamen legitimo regi urbe Rotomago, rebusque in Normannia compositis, rege catholicam religionem professo, & Luteciam adveniente, Borbonius cardinalis lætitiæ publicæ ut participaret, Gallione ad Parisios in ædes Sangermanenses deportatus, nuper a patruo summa magnificentia exstructas & adornatas, aliquantum post tempus diuturna tabe confectus, antequam infulas sedemque Rotomagensem attigisset, interiit, uti diximus tomo VII, col. 469, in eodem cœnobio sancti Germani, annos tantum natus triginta duos ex aqua intercute, III calend. Augusti anno 1594, 1594. & corpus ejus Gallione IV idus Octob. sequentis in Cartusia Borbonia juxta patruum sepulturæ traditum est.

Mortuum laudaverunt Arnaldus *Sorbin* episcopus Nivernensis, & in ipsis exequiis Julianus *de Saint Germain* doctor theologus, episcopusque Cæsariensis. Eum etiam tali elogio commendavit præses Thuanus Historiæ suæ lib. 110.

A CHI Bot

« Princeps læto comique ingenio, ac summa dicendi facilitate prædítus, propenso in literas & literatos amore, & infesto adversus Protestantes odio, qui quandiu bonis consultoribus usus est, rectum animi servavit, sed insita levitate, postquam ab adulatoribus afflari cœpit, facile depravatus, tertiaæ factioni nomen dedit; cumque eventus expectationi non responderet, a suis proditus, in lethalem mœrorem incidit, ut olim Galliæ ornamento natus, sic meliore publicæ tranquillitatis, quam ille, ut multis persuasum fuit, nunquam vexare desiisset, fato vivis exemtus: amplissima & maxime toto regno opima quæ possidebat sacerdotia, in plures dispersa, ne quis unus esset, qui tot opibus fretus diram adeo tempestivo ejus obitu intermortuam factionem renovaret. »

Cardinalis hujus temporibus fundati sunt apud Portum-gratiæ anno 1590 Patres Capucini; acciti sunt etiam Rotomagum anno 1592 Patres Societatis Jesu, quos jam ab annis 1569 & 1583 fundaverat Carolus I, iisque tandem post diutinas obfirmatasque difficultates, collegium urbis creditum ab ipsis civitatis primoribus.

LXXXIII. Carolus III.

Antonii regis Navarræ & Ludovicæ *de la Beraudiere* filius nothus Carolus, ad ecclesiam Convenensem primo, deinde ad Lactorensem promotus est, ex qua ut Remensem adipisceretur, cum frustra tentatum esset, ut monuimus tom. IX, col. 156, transiit denique ad Rotomagensem literis regiis, idibus Novemb. anno 1594 datis, & placito majoris consilii XIV calend. Decembris sequentis exhibito, receptus est per procuratorem eodem anno IX calendas Januarii. Sed cum postea, IV calendas Junii anno 1596, declarata fuisset vacatio cathedræ, obtinuit tandem bullas a Clemente VIII papa, VII calend. Aprilis anno 1597, multum satagente Henrico IV fratre suo, ut eas gratis acciperet, quod negotium imprimis commendaverat cardinali Ossatio tunc episcopo Redonensi. Eodem anno, VIII calendas Julii, in possessionem archiepiscopatus missus est per procuratorem suum Jacobum Saussayum sanctæ Virtutis apud Lingones priorem. Cum vero tunc in diaconatu tantum esset constitutus, presbyter initiatus est VI calendas Januarii sequentis, & postridie episcopus consecratus Luteciæ apud sanctum Victorem a cardinale Gondio, assistentibus Ambianensi & Abrincensi episcopis; tum IV idus Januarii anni 1599 apud S. Germanum in Laya nuptias celebravit inter Henricum Barri ducis comitem & Catharinam Borboniam regis sororem. Eodem anno, IX calendas Junii, urbem suam solenniter ingressus, postridie de more antecessorum in æde primaria exceptus est, comitantibus Carolo Noviomensi & Jacobo Ebroicensi episcopis, atque Henrico Borbonio Montis-penserii duce ac Normanniæ prorege, cum omnium ordinum alacritate. Quibus lætitiæ argumentis permotus magnas capitulo gratias egit, nihilque antiquius habuit deinceps, quam ut civium animos sibi devinciret, ob hoc clero & populo gratissimus. Eodem anno factus est regiorum ordinum cancellarius. Anno 1600 religiosorum Minimorum, quos anno 1593 decessor suus in urbe exceperat, ædes construi permisit, eosque magna caritate complexus est. Pastorale onus in aliquot annos protraxit, abdicatisque anno 1604 infulis, aut potius commutatis cum Francisco qui sequitur, sacerdotiis, in otio secessit, ad annum usque 1610 superstes, quo obiit in abbatia Majoris monasterii, magnum sui apud Rotomagenses desiderium relinquens. De eo diximus tomo I, coll. 1086 & 1107.

ANNI CHRISTI 1600. 1604.

Eo sedente, fundati sunt anno 1599 ad Calloëtum, non longe a Calvo-monte in Velocassibus, Patres ordinis sanctissimæ Trinitatis ac Redemtionis captivorum, & anno 1600 Patres Capucini Rotomago ad Sotevillam translati.

LXXXIV. Franciscus I.

DE JOYEUSE.

De præsule illo jam diximus tomo VI, col. 117, in ecclesia Narbonensi, quam pluribus annis tenuit, quemadmodum & Tolosanam; sed ibi multa incogitanter prætermisimus, quæ de illo Sammarthani extra ordinem quidem observaverant in archiepiscopis Rotomagensibus. Illa autem sunt hujusmodi:

« Franciscus adolescens liberalibus disciplinis institutus, Tolosæ primum Theodoro Marcilio professore, deinde Luteciæ in collegio Navarræo, institutore Andrea Guijonio, postea vicario generali, philosophicis studiis; tum Aureliani juri civili & canonico animum feliciter applicuit. Interim cum honestissimæ indolis specimina exhibuisset, ecclesiastico ordini addictus, ad primarias cleri dignitates sibi gradum fecit. Nam ab Henrico III in regiam accersitus fit particeps arcanorum inter consiliarios allectus, eo favore, ut optimi principis beneficio annos solum natus 24 metropolim Narbonensem fuerit consecutus anno 1582. Cardinalis postea creatus, Galliæ protector apud summum pontificem designatus est ab ipso Francorum rege post obitum cardinalis Estensis. Unde Romam profectus est anno 1587, multis præsulibus & viris doctrina conspicuis, proceribusque comitatus, & assumto Ossato (qui postea & ipse cardinalis evasit) a secretis epistolis, jura christianissimi regis fortiter tutatus est, cum in sacra apotheosi S. Didaci Complutensis, quæ Hispaniarum regis sumtibus conficiebatur, Hispanus orator tota arte & industria in id incubuisset, ut supra Franciæ legatum primas haberet, conatus ejus ea prudentia & animo fregit, ut pro more antiquo Gallus principem locum obtineret. Interea cum intestinis bellis Francia vexaretur, & odio laboraret Henricus III apud Romanam sedem factione Hispanorum, quasi hæreticorum partibus faveret, calumniam illam a pontificis Sixti V animo gravissimis orationibus amovere tentavit Franciscus; sed papa nihilominus prævalentibus apud eum Henrici hostibus, regem excommunicationis pœna plectere meditante, ille apud Venetos

recessit anno 1589, quo gentis hujus benevolentiam sibi primum conciliavit. Ad Tolosanam tunc cathedram evectus Gallias repetiit; tum anno 1590 collapsam partim bellorum, partim segregum vitio, ecclesiæ disciplinam, synodo coacta restituit; & quantum ferebat horum temporum calamitas, clericos seu seculares, seu regulares, monialesque ad vitæ sanctioris normam revocavit. Mortuo autem Sixto V, & post eum Urbano VII, cum huic Gregorius XIV suffectus esset, luxque aliqua affulgeret pacis instaurandæ, Romam rursus tetendit. Re tamen infecta regressus, iterum rediit defunctis Gregorio & Innocentio IX, ut futuræ promotioni adesset Clementis VIII, cujus animi virtutes spem augebant ipsum facilius regis reconciliationem admissurum. Sed paulo post Francisci parente e vivis ademto, ipse in patriam redire compulsus est. Mox anno 1593 Italiam repetiit, atque utilitati publicæ consulens, ipsum regem in pontificis communionem recipi adnisus est; nec tamen illud assequi potuit Henricus IV, nisi anno 1595, cui cum significatum esset, ita compositum tunc Clementis animum, ut si a rege iterum cum Romana sede unio deposceretur & ei exhiberetur obsequium, petitionem obtineret; mox Henricus Perronem & Ossatum, viros animi laude dignos delegavit, eam rem ut ad exitum perducerent; cum quibus Franciscus collatis consiliis, & auctoritate maxima, qua apud sacrum cardinalium consistorium valebat, prospere rem absolvit. Inde per aliquot annos Romæ commoratus, Galliam anno 1600 revisit, & Mariam Mediceam Massiliæ excepit, Henrici IV futuram uxorem, superiori anno constitutus a papa cum aliis præsulibus pro dissolvendo ejusdem Henrici matrimonio cum Margarita Valesia. Pontificis item nomine legatus a latere specialiter destinatur an. 1601, qui Ludovicum Delphinum, postea regem hujus nominis XIII, e sacro baptismi fonte levaret. Anno vero 1604, calendis Decembris, pro Majoris monasterii & S. Florentii abbatiarum commutatione Carolo III successit in archiepiscopatu Rotomagensi. »

Atque hæc sunt, quæ de Francisco tam Narbonensi, quam Tolosano archipræsule scripserant Sammarthani: nunc ad ea pergendum quæ eumdem respiciunt in cathedra Rotomagensi constitutum.

Franciscus bullis eodem anno impetratis, possessionem novæ sedis apprehendit pridie idus Martii anni sequentis, procurante Johanne Berterio Rivensi episcopo, cum per id tempus pro ecclesiæ regnique rebus Romæ ageret, ubi electioni Leonis XI, tum Pauli V summorum pontificum, quos ipse potissimum promovit, adfuit. Inde vero reversus in Franciam, summo omnium applausu ob recentem bene gestorum memoriam exceptus, confestim ad metropolis sibi commissæ gubernationem oculos convertit, nulloque apparatu perquam modeste urbem ingredi voluit IV nonas Novembris ejusdem anni; postridie vero in primariam ædem admissus est, comitante Henrico Borbonio Montis-penserii duce, qui Henricam-Catharinam *de Joyeuse* fratris sui filiam in conjugem acceperat. Rotomagensibus infulis per decennium potitus, diœcesim, cui propter summa reipublicæ christianæ negotia præsens assidue subvenire non poterat, egregiorum virorum laboribus excoluit, imprimisque Andreæ Guijonii, Ædui, vicarii generalis, doctrina & pietate insignis, qui ecclesiam illam in optimo statu constituit. Interim ille Pauli V papæ vices gerens, Delphino Ludovici nomen imposuit anno 1606, Eleonora Medicea Vincentii Mantuæ ducis conjuge ac reginæ sorore, matrinæ munere defungente. Cum vero & Pontifici & Venetis maxime gratus esset, rursus ab Henrico IV in Italiam destinatus est, ut innata prudentia & moderatione componeret motam illam gravissimam controversiam super interdicto a pontifice in Venetos lato ob leges a senatu promulgatas in ecclesiasticum ordinem, quibus potestatem sibi in puniendis quorumvis delictis vindicabant Veneti, prædiaque & alia bona ecclesiis addici, aut sacras ædes ædificari absque senatus consensu vetuissent. Tanta igitur humanitate apud utrosque egit, ut ex omnium votis & summo ecclesiæ bono conditiones propositæ exciperentur, pontifex interdictum revocaret, & pax cum Republica sanciretur. Difficillimo itaque negotio expedito interventu christianissimi regis, famam ille immortalem una cum Perrone cardinali apud Italos reliquit. De eo dissidio feliciter composito plura diserte Thuanus histor. lib. 137, necnon apposite cecinit vir clarissimus Philippus Berterius in Parlamento Tolosano præses, cardinalem alloquens in hunc modum:

Mauricis Ausonii splendor, qui ducis ab alto
Principibus nostris cognatam sanguine gentem,
Cujus consilio sceptri moderator aviti
Henricus divisam odiis, armisque frementem
Italiam placidæ revocavit ad otia pacis.

In Galliis vero præclara fere omnia gessit, quæ magnum præsulem decent; nam præter omnia quæ retulimus, cogitavit anno 1609 de visitanda ecclesia sua metropolitana; quod & perfecit calendis Junii, quo die statuta multa edidit ad officium divinum imprimis, & ad ecclesiasticam disciplinam reformandam. Iis tamen statutis opposuerunt sese decanus & canonici eodem anno pridie nonas Novembris, sed consulto regio anni 1610, jussi sunt ut morem gererent; cumque appellassent ab abusu, rejecti a consilio regio, iterum damnati sunt X calend. Octobris ejusdem anni; quo etiam anno Mariam Mediceam reginam solenni apparatu Franciscus coronavit apud S. Dionysium, & VI cal. Nov. Ludovicum XIII regem inauguravit, quem pridie oleo confirmationis unxerat, cardinali Guisio Remensi archipræsule, ad quem inauguratio illa spectabat, necdum sacris ordinibus initiato. In generalibus deinde regni comitiis ecclesiastico ordini præfuit anno 1614, regisque 1614

fratrem e sacro fonte suscepit, cui Gastonis A nomen indidit, dignus sane tantarum cœremoniarum antistes.

Anno sequenti, cum in gravem morbum incidisset, quo exstinctus est, votum emisit ad beatam Virginem Montis-ferrati, & quanquam infirmitate laborabat, itineri se accinxit ut vota persolveret. Reversus Avenionem, grassante febri, extremum vitæ diem impendere agnoscens, testamentum condidit, quo in largitiones, ecclesias, domos religiosas, aliosque pios usus, supra ducenta aureorum millia liberalissime impendit. Ecclesiæ Narbonensi quinque millia, totidem Tolosanæ, Lauretanæ ædi sacræ sex millia; B Avenionensis collegii Societatis Jesu Patribus quatuor millia, ut pro salute animæ suæ preces funderent, necnon bibliothecam & vasorum sacrorum divitem supellectilem; ac loco funebris pompæ tredecim millia, ut octo canonici apud Joyosam fundarentur, legavit. Multas igitur pie constituit moriens erga religionis domicilia eleemosynas, quamvis & plurimas eisdem vivens contulisset. Nam an. 1614, & Patres Societatis Jesu apud Pontisaram, & sacerdotes Oratorii apud Deppam fundaverat, & in eadem urbe Pontisara, non Rotomagi, ut male apud Sammarthanos legitur, sodalitium illud virginum, C quæ paulo post sub beatæ Ursulæ patrocinio vota nuncupavere, dotaverat, attributis fundationis nomine viginti quatuor librarum millibus, ea conditione ut puellis erudiendis operam darent; anno etiam 1615 in ipsa urbe Rotomago seminarium illud triginta clericorum posuerat, quod suo nomine seminarium Joyosæ dicitur, & a Patribus Societatis Jesu administratur. Sane videtur eminentissimus pontifex Patres illos amantissime fovisse, cum sub ejus præsulatu & amica ejus opera acquisierint illi apud Rotomagum anno 1605, novam domum, quæ Noviciatus dicitur, anno 1607, restitutionem collegii Au- D gensis, & unionem mensæ prioralis Duorum-Amantium collegio suo Rotomag. anno etiam 1610 unionem prioratus sancti Ægidii eidem collegio, & anno 1615 rudera castri Andeliacensis in commodum ejusdem domus; obtinuerint denique anno 1614, ut regina Maria Medicea primum ecclesiæ collegii hujus lapidem poneret.

Eo etiam sedente & consentiente, Sorores Deppæ Hospitales anno circiter 1600 institutis canonissarum regularium se addixere; fundatæ sunt anno 1605 apud Pontisaram moniales Carmeli, quarum ipse ecclesiam dedicavit idibus E Aprilis anni 1610. Posita sunt etiam Rotomagi anno 1609 monasteria duo, alterum monialium ejusdem instituti, alterum Pœnitentium Tertii ordinis sancti Francisci; anno 1610 fundati apud Gisortium tam Patres ordinis sanctissimæ Trinitatis ac Redemptionis captivorum, quam Patres Recollecti; an. 1611 apud Triamcastellum iidem Recollecti, & apud Burnetotum monachi Fulienses; anno 1614 Patres Capucini denuo in urbe Rotomago fundati, atque etiam Deppæ constituti; anno denique 1615 moniales Carmeli in eadem urbe positæ; sacerdotes Oratorii Monte-forti ad Riselam fundati, & apud Meduntam Patres Capucini. Addunt Sammarthani Franciscum archipræsulem excitasse monasterium Eremitarum beati Basilii in insula arida ad Narbonam. Legitur autem in nupera Descriptione superioris Normanniæ tomo primo, pag. 139, Patres Societatis Jesu fundatos esse anno 1619 Deppæ ab eodem cardinali; sed ille ante annos quatuor mortalitatem expleverat.

ANNI CHRISTI

Obiit enim Avenione x calendas Septembris anno 1615, sacri tandem collegii decanus, regnique Francici apud sedem apostolicam protector, corde in collegio Societatis Jesu ejusdem urbis relicto, corpore autem in sacellum eorumdem Patrum Pontisaram deportato; ex quibus Gaspar Seguiranus regi a sacris confessionibus, ipsum oratione funebri commendavit, quemadmodum Hieronymus Beneventanus apud Biturigas quæstor Franciæ & Johannes Monstrolius in Parlamento Parisiensi advocatus. Horum duorum elogia typis excusa sunt Luteciæ; sed referre juvat epitaphium, quod tanto viro posuit morosus nimium ipse Monstrolius:

Hic Joyosa jacet, claro quem stemmate gaudet
Francia læta suum se peperisse decus,
Quo se diva parens ecclesia jactat alumno,
Quo viguit cleri principe verus honor;
Vix pubescentem teneris quem vestiit annis,
Romanos inter purpura sancta Patres;
Bello exemta truci cui tellus Itala debet,
Sanguine quod mærens non madet ipsa suo:
Cui deberet idem sua patria, sed tua, Galle,
Hunc scelera ante diem surripuere tibi.

LXXXV. FRANCISCUS II. DE HARLAY

Sancti Victoris apud Luteciam abbas Franciscus ab anno 1603, uti observavimus tomo VII, col. 692, natus parentibus Jacobo *de Harlay* toparcha *de Chamvallon* & *de Breval*, ducisque Lotharingiæ cambellano, & Catharina *de la Marck* filia Roberti ducis Bullionii, principis Sedanensis ac Franciæ equitum tribuni, oriundus erat ex familia Harlæorum Parisiensium, quam Scævola Sammarthanus in elogiis dicit non virtute minus quam sanguine illustrem, belli togæque studiis floruisse, & in maximis Galliæ rebus enituisse; quippe quæ præclara illa Parlamenti Parisiensis lumina Christophorum & Achillem supremos præsides, Sanciosque barones, ac Cesios comites protulerit. A teneris Franciscus annis tanto studio literis incubuit, ac potissimum theologicis, ut etiam primo flore juventæ doctoratus Sorbonici palmam consequeretur, cum ingenti omnium admiratione de universa Angelici Doctoris theologia respondisset. Postquam vero assiduo labore sacris musis invigilasset, in celebri Meduntæ conventu habito contra hæreticorum antesignanos, delectus est

ut pertinacissimos homines ingenii pondere, ac vi argumentorum profligaret; ex quo ei tantum nomen adcrevit, ut cardinalis Joyosa ipsum sibi coadjutorem deposceret, & Paulus V pontifex anno 1613, titulo Augustopolitani episcopi non tantum admiserit, literis datis v idus Septemb. sed & gratuito munere bullas per Robertum Ubaldinum apostolicum nuncium concesserit; unde a capitulo Rotomagensi anno 1614, idibus Augusti, exceptus est.

Mortuo decessore, obtinuit VIII idus Octob. anno 1615, procuratoris nomine possessionem sedis, in quam honorifice postmodum inductus, Rotomagum anno sequenti, v idus Januarii, solenni apparatu intravit. Multoties cleri nomine comitiis Parisiensibus præfuit, conventibus etiam notabilium Rotomagi & Luteciæ adfuit, ac summa cum laude omnibus ordinibus cleri comitatus apud Ludovicum XIII orationem habuit. Bono itaque publico cum in regis consistorio, tum in cœtibus regni generalibus studuit; ecclesiæ vero non mediocriter, cujus se jurium exhibuit fidissimum doctissimumque defensorem, cum restituta in pago Benearnensi fide catholica, tantum opus & manu & verbo promoverit; cum synodos complures convocaverit, quarum statuta typis edita sunt in Concil. Normanniæ, parte II, pagg. 114 & seqq. cum officia ecclesiastica ritusque curaverit edi; cum denique diœcesim annua visitatione lustraverit. Literatis etiam omnibus profuit, dum Academiam duplicem Luteciæ, alteram apud sanctum Victorem, alteram apud Augustinianos exercendæ eloquentiæ christianæ gratia instituit, necnon Rotomagi, ubi palatium suum in scholam episcopalem commutavit, admissis Oratorii Jesu publicis professoribus. Dicitur & ipse apud Charonem Histor. Franciæ, cap. 153, Græco idiomate solennia Luteciæ celebrasse in pontificalibus apud Franciscanos anno 1620, Dominica in Albis, ac præclare concionatus esse Grece. Ne quid vero deesset non tantum utilitati publicæ sed & ornamento, Gallionem nobile archiepiscopatus castrum ac palatium novo opere passim decoravit, atque epigraphe, quam interiori arcis vestibulo literis aureis inscripsit, ejus incrementa varia delineavit. Eam porro hîc apposuisse post Sammarthanos non inutile videbitur. Sed huic addi poterit aliquando, Ludovicum XIV regem christianissimum, cum lustratis variis imperii sui provinciis tumultus intestinos, quibus miserrime agitabatur Francia, componeret, in ea arce ab eodem archipræsule receptum fuisse x calend. Februarii anno 1650.

Memoriæ, posteritati, honori sacrum.

Gallio & origine, & usu, & loci majestate regius, regum Galliæ olim patrimonium, ecclesiæ & pietatis Gallicanæ atque Neustriacæ provinciæ dignitatis, tam unum quam æternum monumentum, a sancto Ludovico, Odoni Rigaltio Rotomagensi archiepiscopo commutatione traditus, a cardinale de Estouteville hoc primo castri vestibulo solide munitus, a legato de Ambasia Ludovici XII munificentia regia, ex rebellantis Genuæ tributo, superba ædificiorum mole per juga montis ductus atque exstructus, stupendo fonte marmoreo ex Venetorum munere illustratus, templis, donariis ac sanctorum reliquiis, non minus magnifice quam religiose ornatus, cardinalium a Borbonio diligentia auctus, insigni Carthusia nobilitatus, cardinalis a Joyeusa sumtu partim ex incendio instauratus; nunc demum successoris ejus a manu viva Francisci de Harlayo viva manu decoratus, viva effigie avunculi sui Ambasii ejusque depictis, sed adhuc spirantibus triumphis donatus, fontibus per inferiores hortos deductis, in exultantis speciem conversus, vario passim opere novatus, pastorali carmine decantatus, sacrarum musarum studiis & a se institutæ Pauli Academiæ in doctorum virorum usum dicatus, consecratus anno Christiani orbis M. DC. XXXII.

Sacravit Franciscus die festo sancti Johannis Baptistæ anno 1624 Emericum *de Bragelongne* episcopum Lucionensem. An. 1627, 18 Martii, Parisiis existens Jacobo *Helot* seu *Hellot*, cui Franciscus *de Joyeuse* decessor in sua cathedrali ecclesia tonsuram clericalem contulerat anno 1609, die Sabbato Quatuor Temporum post Pentecosten 13 Junii, permisit, cum jam esset acolythus & sancti Audoëni monachus, ut a quocumque antistite catholico & orthodoxo ad sacros subdiaconatus & diaconatus ordines promoveri posset, eidemque antistiti licentiam dedit eos illi conferendi. Anno 1634, die Mercurii prima Martii, Petrum *Caradas* presbyterum, monachum & præcentorem abbatiæ S. Audoëni fecit vicarium suum in spiritualibus & temporalibus generalem, tam in sua metropoli quam in diœcesi. Instauravit quoque & publici juris fecit Rotomagensis basilicæ bibliothecam, cui initium dederat an. 1633 Petrus *Acarie* canonicus, ecclesiastes, pœnitentiarius & officialis, librorum suorum non mediocri largitione, hortante imprimis ipso Harlæo, remque exemplo suo promovente, assignato trecentarum librarum pro libris comparandis, totidemque ad bibliothecarii stipendia censu annuo, ex archiepiscopali ditione petendo. Sic vero de omnibus optime meritus Franciscus etiam posteris prodesse curavit, multis in lucem editis operibus varia doctrina refertis. Nam & de historia ecclesiastica quædam protulit; nempe de ecclesiæ regimine per axiomata politica ecclesiasticasque regulas, in epistolas Pauli commentarios, paraphrasim in eam quæ ad Romanos scripta est · egregiam & nunquam satis laudandam apologiam pro catholicis editam anno 1625 Francico idiomate, adversus Britanniæ regem, jubente Ludovico XIII, Disquisitiones de sacramento altaris; controversiarum Catechismum, sermonesque doctos de sacrificio missæ. Ecclesiasticum quoque officium recognovit, & breviarium suæ diœcesis correctius fecit; acta ecclesiæ Rotomagensis, mandata synodorum, logicos discursus, varias ad Urbanum VIII papam, Richeliumque & Magalottum cardinales epistolas, poëmata nonnulla, denique manuale

manuale Rotomagense duobus libris de doctrina & disciplina ecclesiastica conscripsit, vir omnimodis literis instructus. Leoni tamen cuidam, quem in decessorum suorum numerum retulerat, diem festum minus caute assignavit, ut supra observavimus Johannem I inter & Vittonem col. 24.

Plurimos abbates & episcopos consecravit, ut suis passim locis adnotatur in Gallia Christiana.

Sub ejus præsulatu & eo promovente, fundati sunt anno 1616 Rotomagi monachi Fulienses & sacerdotes Oratorii; Pontisaræ vero & Augi moniales sanctæ Ursulæ; collegium item Deppæ constitutum: anno 1617, in oppido Vetulis, vulgo *Veules*, Patres Tertii ordinis sancti Francisci; anno 1618, in vico Marinis, sacerdotes Oratorii : anno 1619, Deppæ Patres Societatis Jesu, & Rotomagi moniales sanctæ Ursulæ: anno 1620, apud Caldebeccum Patres Capucini: anno 1621, Fiscanni & Augi iidem Patres; Gisortii moniales sanctæ Ursulæ: anno 1622, Magniaci Franciscani; Gisortii Annunciatæ; apud sanctam Mariam ad Nives prope Hareflotum Capucini; anno 1623, in oppido sancti Walarici Caletorum, Patres Tertii ordinis S. Francisci: anno 1624, Rotomagi Eremitæ sancti Pauli, Patres Recollecti & Carmelitæ Discalceati; Leonibus Franciscani; apud Portum Gratiæ moniales S. Benedicti; Deppæ moniales sanctæ Ursulæ; anno 1625, Gornaci virgines S. Josephi: anno 1627, apud Portum Gratiæ moniales sanctæ Ursulæ, in loco ubi paulo antea positus fuerat prioratus Monasterio-Villari obnoxius: anno 1630, Rotomagi moniales Visitationis beatæ Mariæ, & Gornaci moniales sanctæ Ursulæ. Eodem circiter anno, apud Aquas-Forgias Patres Capucini: anno 1631, Rotomagi moniales Benedictinæ sancti Ludovici & Patres Augustiniani Discalceati; Gisortii moniales Carmeli: anno 1634, apud Novum-castellum in Braio virgines Misericordiæ: anno 1635, Andilegi moniales Benedictinæ sancti Johannis: anno 1636, apud Arcas moniales Cistercienses: anno 1637, Calvomonte in Velocassibus Patres Recollecti: anno 1638, Elboti ad Sequanam moniales Benedictinæ, & ad sanctum Michaëlem Maltevillæ ecclesia collegiata: anno 1639, apud Caldebeccum moniales Congregationis; Meulenti ac Monteforti ad Riselam moniales Annunciatæ, & Magniaci moniales sancti Benedicti & sanctæ Ursulæ: anno 1640, Rotomagi Patres Minimi; Andilegi canonissæ regulares, quæ præessent xenodochio regio; Deppæ moniales Visitationis beatæ Mariæ: anno 1641, Andilegi moniales sanctæ Ursulæ, & apud Hareflotum Patres Capucini loco Billettarum, qui ibidem ineunte decimo quarto seculo existebant: anno 1642. Rotomagi moniales Benedictinæ Bellifontis, & posteriores moniales Visitationis beatæ Mariæ; Brioniæ moniales Benedictinæ, Gornaci Patres Capucini; Albæ-marlæ Patres Tertii ordinis sancti Francisci: anno 1643, Rotomagi Puellæ Pœnitentes, quarum postea domus Refugii nomine appellata est: anno 1644, Strepiniaci moniales Benedictinæ, Rotomagi moniales Annunciatæ; Meulenti Patres Tertii ordinis sancti Francisci, Calvomonte in Velocassibus moniales sancti Francisci; anno 1645, Rotom. moniales Benedictinæ Vallis-gratiæ, ex urbe Elboto huc translatæ: anno 1647, Rotomagi moniales Congregationis : anno 1648, Fiscanni moniales Annunciatæ; Elboti ad Sequanam moniales sanctæ Ursulæ: anno 1649, Deppæ Virgines laboriosæ: anno 1651, ibidem Carmelitæ Discalceati.

ANNI CHRISTI

Sed eodem anno 1651, postquam per triginta octo aut circiter annos ecclesiam Rotomagensem gubernasset Franciscus, abdicavit se pontificatu in gratiam filii fratris sui, ac demum Gallione obiit XI calendas Aprilis anno 1653, fere septuagenarius, atque ex vicina Bonæ-spei Cartusia, ubi relictum cor, IV nonas Aprilis sequentis corpus ejus in basilicam Rotomagensem translatum, ab universo clero magna pompa exceptum est; postridie vero exequias celebravit successor ejus, assistentibus Podiensi, Arausicano, Condomiensi & Oloronensi episcopis, laudesque defuncti prosequente eloquentissimo verbi divini præcone Guillelmo *le Boux* Oratorii Jesu sacerdote; atque inde corpus tumulo avito cardinalium Ambasiæ terræ mandatum est, ad quos maternam originem cognationis vinculo referebat, ut qui aviam habuerat Mariam Ambasiam Georgii I sororem. 1651.

LXXXVI. Franciscus III. DE HARLAY.

Achillis Harlæi marchionis *de Breval* & *de Chanvallon* filius & Eduardæ *de Vaudetar de Persan*, a prima juventute dignum se Francisci archipræsulis patrui sui heredem demonstravit. Doctoratus ergo laurea in alma facultate Sorbonica insignitus, & Gemeticensi abbatiæ præfectus, cum ille archiepiscopatum sponte abdicaret, nominatus est a rege christianissimo mense Maio anni 1651, qui ei succederet: admissus deinde ab Innocentio X papa in consistorio Romano VI calendas Octobris ejusdem anni, tandem V calendas Januarii sequentis in Cartusia Parisiensi consecratus est a Nicolao e comitibus Balnei, sedis apostolicæ apud regem nuncio, assistentibus Constantiensi & Bajocensi episcopis, suffraganeis suis, cum paulo antea in comitiis cleri Gallicani Luteciæ habitis legatus adfuisset e provincia Normanniæ. Inde ad Pictavos se contulit, regique sacramentum fidelitatis juravit pridie idus Jan. anni sequentis; & confestim ad urbem metropolitanam profectus, possessionem adeptus est calendis Februarii, neglecta tamen ordinaria pompa, quæ in ingressu archiepiscoporum ab universis ordinibus civitatis adhibetur. Postero die sacra fecit in majori ecclesia, & e suggestu concionem habuit ad populum, tum vero diœcesis perlustrationem aggressus est. 1652.

Sub ejus præsulatu, anno 1652, fundatæ sunt Leonibus moniales Benedictinæ: anno 1653, Virgines sancti Josephi, quæ degebant Gornaci, institutum monialium Congregationis amplexatæ sunt: an. 1654, fundatæ apud Novum-castrum 1653. 1654.

ANNI CHRISTI

in Braio moniales Benedictinæ & Rotomagi A Virgines sancti Josephi, constituta etiam nosocomia duo, alterum generale apud Pontem-Isaræ, alterum Rotomagi pro peste laborantibus:
1655. anno 1655, fundatæ in urbe Augo canonissæ regulares, quæ præessent nosocomio urbis: anno
1657. 1657, Rotomagi moniales Refugii & Yvetoti moniales Cistercienses; positum etiam Gisortii
1658. xenodochium: an. 1658, Rotomagi seminarium majus ædificatum, & fundatæ moniales sancti Dominici a Sanguine pretioso nuncupatæ: anno
1659. 1659, fundati apud Ingovillam prope Hareflotum Patres Tertii ordinis sancti Francisci: anno
1660. 1660 Franciscus synodum episcoporum provin- B ciæ suæ habuit apud Pontisaram pro excipiendis bullis Innocentii X & Alexandri VII. Eodem anno erectum in Portu-gratiæ seminarium: anno
1661. 1661 fundati Rotomagi Patres SS. Trinitatis ac Redemtionis captivorum, monialesque sancti Francisci & sanctæ Elisabeth, quæ nosocomium ibi posuerunt pro ægrotis insanabilibus: anno
1663. 1663, Rotomagi moniales sancti Benedicti, Crispinæ dictæ, & sodalitas presbyterorum sancti
1665. Patricii: anno 1665, erectum Gornaci Hospi-
1666. tium pauperum generale: anno 1666 fundatæ Rotomagi Sorores Providentiæ, & apud Ulte-
1667. riorem-Portum Sorores Caritatis: anno 1667, C Deppæ moniales Benedictinæ, & prope Roto-
1668. magum Cartusia-nova: anno 1668, in eadem urbe Puellæ recens catholicæ, & Deppæ Hospi-
1669. tium pauperum generale: anno denique 1669, Rotomagi Sorores Caritatis, Griseæ dictæ.

Idem præsul anno 1659, pridie idus Januarii, censura notaverat librum, cui titulus, *Apologia Casuistarum contra calumnias Jansenistarum*. Plurima etiam in synodis statuta condiderat, quæ typis mandata sunt in Concil. Normann. part. II,
1671. pagg. 144 & seqq. Sed anno 1671 ad ecclesiam Parisiensem translatus est. Quæ autem de D illo post adeptum novum hunc archiepiscopatum dicenda supererant, prosecuti sumus tomo VII, col. 184.

ROUXEL DE MEDAVI.

LXXXVII. FRANCISCUS IV.

Ex antiqua Granceyorum comitum familia oriundus Franciscus, e militia castrensi, in qua juveniles annos feliciter exercuerat, ad ecclesiasticam transiit, abbasque primum sancti Andreæ in Gofferno, dein Cormeliarum effectus est. Anno 1651 ad Sagiensem sedem nominatus, designatus est postea ad Lingonensem; sed ante bullas acceptas transiit anno 1671 ad Rotomagensem, cujus in possessionem missus est per E procuratorem eodem anno, mense Decembri, per se autem ipse solenni apparatu XVII cal. Febr.
1672. anni sequentis. Diœcesim suam quotannis cum ingenti fructu perlustravit, deviantes ab officio clericos summo animi vigore prælatus æqui amantissimus in ordinem redigens, largas egentibus eleemosynas liberalissime impertiens, præsertim occulta paupertate oppressis; longe plura in ecclesiæ suæ bonum peracturus, nisi hominem præstantis ingenii ac profundioris sapientiæ & ad altiora quæque natum rex christianissimus ad se evocasset, cui administrationis publicæ curas ac sollicitudines partiretur, dum eum suis sanctioribus jussit interesse consiliis.

Eo sedente, fundatæ sunt Rotomagi anno 1677 moniales Benedictinæ SS. Sacramenti: 16
anno 1680, in eadem urbe erectum seminarium 16
minus: anno 1681, ibidem Hospitium paupe- 16
rum generale constitutum: anno 1682 fundatæ 16
Fiscanni Sorores Providentiæ; Rotomagi vero utraque Cartusia in unam coalita: anno 1685 16
positum Credolii xenodochium: anno 1688 16
collegium Pontisarense denuo fundatum. Sed plura dum peraguntur, vitæ finem implet meritissimus præsul non longe a Matiscone, IV cal. Februarii anno 1691, ætatis 86. 16

COL

LXXXVIII. JACOBUS-NICOLAUS.

Johannis-Baptistæ *Colbert* præfecti ærario & regni administri, ac Mariæ *Charon* filius Jacobus-Nicolaus, doctor sociusque Sorbonicus, abbas Becci ac prior Caritatis supra Ligerim, a rege renunciatus IV nonas Februarii 1680 & commendatus, a summo pontifice datus est præcedenti adjutor 13 Aprilis, gratuitisque donatus bullis, a Francisco *Rouxel* consecrationem suscepit sub titulo archiepiscopi Carthaginensis, pridie nonas Augusti sequentis, Lutecię in ecclesia Sorbonæ, assistentibus Bajocensi & Lexoviensi episcopis. Ejus tempore cum orta esset controversia inter ecclesias Lugdunensem & Rotomagensem de primatia, quam Rotomagensi utpote sibi subjectæ denegabat Lugdunensis, judicium litis hujus demandatum est supremo regis consilio, cujus decreto ac senatusconsulto Rotomagensi, ecclesiam Rotomagensem sui juris esse, nullique alteri, excepta Romana, obnoxiam esse pronunciatum est anno 1702. Sub eo etiam, anno 1693, senatus Parisiensis consulto 169
archiepiscopis Rotomagensibus asserta est 13 Concil. norm. II. p.
Junii omnimoda jurisdictio in urbem Pontisaram & Velocassinum Francicum. Eodem anno instaurata est, aut potius instituta, ecclesia collegiata Burgi-Turoldi, constans decano uno & quatuor aliis canonicis. Anno 1695 erectum 1695
Fiscanni xenodochium, & fundati apud Malleraiam Patres Capucini: anno circiter 1698 1698
fundatæ Rotomagi Puellæ Pœnitentes Bonipastoris. Synodum habuit Jacobus-Nicolaus provinciæ suæ 30 Junii 1699 apud Gallionem, 1699
in qua damnatus liber archiepiscopi Cameracensis, cui titulus, *Maximes des Saints*, & publicavit literas summi pontificis eadem de re 24 Septembris. Alias adhuc celebravit synodos, mandataque & statuta condidit, quæ plurima habes collecta in Conciliis Normann. part. II,
a pag. 153 ad 220. Anno 1701 acciti Pauliacum monachi Benedictini: fundati anno 1704 1701. 1704
apud Grainvillam Fratres Caritatis, iisque nosodochium concreditum. Plurima largitus est seminario minori Rotomagensi munificus præsul, extinctus Lutecię IV idus Decemb. anno 1707, 1707.
& sepultus ibidem ad sanctum Eustachium in paterno sepulcro.

LXXXIX. Claudius-Maurus.

Ex ecclesia Noviomensi, in qua de eo diximus tomo IX, col. 1030, translatus ad Rotomagensem IX cal. Januarii anno 1707, Claudius-Maurus post obsequium regi præstitum IV idus
…8. Aprilis 1708, possessionem per procuratorem adeptus est 28 April. & pompa solenni deductus in ecclesiam suam novam VI idus Julii. Obiit
…19. Rotomagi anno 1719, mense Aprili, & pro corpore ejus, quod quidam canonici clanculum tumulaverant in sepulcro Ambasiorum, antequam ex avita consuetudine ad sanctum Audoënum deferretur, cor ejus Parlamenti consulto jussum eodem solenni pompa asportandum.

XC. Armandus.

De præsule illo diximus tomo primo, col. 1171, in episcopis Adurensibus, tomo II, col. 856, in archiepiscopis Burdegalensibus, & tomo VI, col. 970, in abbatibus Crassensibus. Ecclesiæ Rotomag. possessionem iniit per procuratorem XVIII calend. Januarii anno 1719, per se autem
…20. ipse idibus Januarii anno 1720. Eo sedente,
…21. moniales constitutæ sunt an. 1721 in nosocomio Fiscannensi, quæ biennio post regulam sancti Benedicti professæ sunt. Obiit Gallione eodem anno VIII idus Octobris, & corpus ejus Lutetiam asportatum, sepulturæ traditum est in ecclesia sanctorum Cosmæ & Damiani.

XCI. Ludovicus III.

Ex episcopo Nannetensi & primo eleemosy-
A nario Philippi ducis Aurelianensis, designatus est Ludovicus archiepiscopus Rotomag. exeunte ANNI CHRISTI
tantum anno 1723, & mense Maio anni se- 1723.
quentis bullas obtinuit; tum pallium accepit ab 1724.
episcopo Silvanect. 12 Julii, & solenni pompa urbem ingressus est IV idus Decembris ejusdem anni. Ejus potissimum curis fundatum est Rotomagi anno 1726 seminarium, seu potius Hos- 1726.
pitium S. Ludovici. Eo etiam sedente, fundatæ sunt anno 1728 Sorores sancti Thomæ de 1728.
Villa-nova in nosocomio Portus-gratiæ; & anno 1732 constitutum Rotomagi Hospitium pro 1732.
redemptis e manibus barbarorum captivis. Sed
B & anno 1723, antequam Rotomagum transferretur, positæ fuerant in xenodochio Escotarum Sorores instituti Nivernensis. Humanissimus præsul, abbas item Longi-pontis, Bonæ-vallis & beatæ Mariæ de Pietate, obiit Gallione XIV calendas Maii anno 1733, & ibidem apud 1733.
Cartusianos tumulatus est.

XCII. Nicolaus II.

DE SAULX-TAVANNES.

Ab ecclesia Catalaunensi, in qua de eo diximus tomo IX, col. 901, transiit Nicolaus reginæ christianissimæ primus eleemosynarius ad Rotomagensem anno 1733, mense Septembri.
C Pallio donatus eodem anno XVI calendas Januarii, urbem suam solenni apparatu ingressus est anno sequenti, X. calendas Junii, factus postea 1734.
anno 1745 abbas S. Stephani Cadomensis, & 1745.
XII calendas Aprilis anno 1747, ordinis sancti 1747.
Spiritus commendator.

DECANI ROTOMAGENSES.

PRimam post archiepiscopum in ecclesia D Rotomagensi dignitatem obtinet decanus, a capitulo electus, confirmatus ab archiepiscopo, qui nisi præbendam cum decanatu teneat, neque ulla in choro munia implere potest, neque in capitulo præsidere. Decimo tertio seculo electum suum canonici negabant archiepiscopo præsentandum; sed secundum præsulem judicatum est ab arbitris VI calendas Aprilis anno 1238: anno vero 1266*, mense Aprili, confessi sunt illi instrumento publico, juris esse archiepiscopi electionem decani sui confirmare; quanquam aliquando postea jus illud lacessere moliti sunt. Decanorum seriem ex instrumentis undecumque E oblatis exhibemus in hunc modum.

Decanorum Index.

I. HEnricus I presbyter & decanus, qui subscripsit anno 1024 chartæ Roberti archiepiscopi, quam legesis tomo VIII, col. 297, inter instrumenta ecclesiæ Carnotensis, videtur fuisse decanus Rotomagensis.

II. Osbernus præerat sub Malgerio archiepiscopo, id est anno circiter 1045, ex tabulario sancti Petri Carnotensis.

III. Johannes I capitulo præsidebat anno 1093, ex tabulis Fiscannensibus.

IV. Guillelmus I canonice electus in episcopum Wintoniensem, cum *consecrationem ab iis a quibus eam, sicut offerebatur, recipere non debebat, respuisset*, inquit Anselmus Cantuariensis, *de Anglia expulsus est*, & in Normanniam rediit anno circiter 1100, ad Guillelmum Bonam-animam archiepiscopum suum. Vide literas Anselmi Cantuariensis, aut Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 122.

V. Fulbertus decanus simul & archidiaconus, imminente morte *monachile schema devotus suscepit* tempore Ragenfredi abbatis sancti Audoëni, ex Orderico Vitali lib. VIII, pag. 710, hoc est anno circiter 1128. *Defunctus autem, in claustro sancti Audoëni ante capitulum tumulatus est, & albo lapide decenter coopertus*, cum hoc epitaphio:

Gloria metropolis, cleri decus & diadema,
Morte tua, Fulberte, ruit; ruit illa profunda
Fontis inexhausti sapientia, lingua diserta.
Metropolitanus fuit archidiaconus iste,
Canonicus primum, postremo cœnobialis.
Quarta dies erat ante diem quo claruit orbi
Virgine de sacra Christus, cum tanta columna
Decidit ecclesiæ: nulli pietate secundus.

VI. Gaufridus I, Gaufridi archiepisc. nepos, A occurrit 1123, in charta Majoris-monasterii, ubi & legitur concilio Carnotensi adfuisse IV idus Martii anno eodem exeunte.

VII. Nicolaus I decanus, subcripsit chartæ Hugonis pro abbatia Albæ-marlæ anno 1130.

VIII. Gaufridus II una cum capitulo statutum edidit anno 1131 contra absentes canonicos ab ecclesia. Præfuit ad annum 1135, ex tabulis Dionysianis.

IX. Vaussius Rotomagensis decanus subscripsit chartæ Hugonis archiepiscopi pro canonicis sancti Mellonis Pontisarensis, anno 1138.

X. Waleramnus ab anno 1139, ex Sammar- B thanis, ad annum 1144, quo cum archidiaconis ecclesiæ Rotomagensis subscripsit privilegio Hugonis archiepiscopi, pro teloneo concesso Beccensibus monachis sub abbate Letardo. Occurrit adhuc anno 1146 in chartis Beccensibus, & iterum eodem anno, V idus Julii, in charta Majoris-monasterii, ubi & anno 1152 memoratur. Monachum postea induit in abbatia sancti Georgii, ex tabulario ejusdem monasterii.

XI. Gaufridus III decanus & archidiaconus ex tabulario Fiscanni, præerat IV calendas Julii anno 1148, ex charta Mortui-maris, 1153 ex charta Fontanellæ, annis 1158 & 1159 ex C chartis beatæ Mariæ de Valle, & anno 1175 ex charta Burgi-Achardi.

XII. Robertus I *de Caltot* præerat 1175 ex chartis Salicosæ, & anno 1177 ex tabulis sancti Laudi Rotomagensis.

XIII. Robertus II *de Neubourg*, cujus cognominis familia antiqua floruit in Normannia, filius Roberti *de Neubourg*, ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis, decanus erat simul & parochus Brioniæ anno circiter 1180, ex tabulis sancti Vandregisili. Laudatur in chartis beatæ Mariæ de Valle anno 1183. Scripsit ad eum Lucius III, VIII calendas Maii 1184, de procuranda con- D secratione episcopi Constantiensis. Ad eumdem scripsit Petrus Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, de amovendo a quodam parthenone presbytero, qui minus caste se gerebat. Epistola est LXIX inter epistolas Stephani Tornacensis. Sedit Robertus ad annum 1188, ex chartis Belli-becci, & obiit XVI calendas Octobris ex necrologio capituli.

XIV. Johannes II *de Coutances* Walteri archiepiscopi ex fratre nepos, præerat anno 1189 ex Sammarthanis, factus ex iisdem anno 1196 episcopus Wigorniensis in Anglia. Ecclesiam Rotomagensem, absente Waltero archiepiscopo, E procurabat anno 1190, quo tempore sopita est discordia inter dictam ecclesiam & Willelmum senescallum Normanniæ. Ad eum antistitem exstat epistola Petri Blesensis, de instructione episcopalis officii, & alia epistola, quæ est CXXI, de vindicanda ecclesiastica libertate. Obiit, ex iisdem Sammarthanis, anno 1198, ejusque obitus dies notatur in veteri necrologio VIII cal. Octobris. Dedisse capitulo dicitur ecclesias Calleville ac Theodonis-villæ.

XV. Richardus I occurrit in tabulis ecclesiæ Rotomagensis VI calend. Octobris anno 1199.

XVI. Rogerus I *le Normand* reperitur in iisdem tabulis anno 1199, & in tabulis Belli-loci anno 1200.

XVII. Richardus I *de Malpalud* sedebat anno 1200, ex tabulario Gerardi-villæ, & VIII idus Novembris anno 1203. Hic enim est, non Tuardus, ut male Sammarthani legerunt, qui recensetur in donatione Willelmi *Malet* domini Gerardi-villæ, facta hoc ipso die ecclesiæ Gerardi-villæ. Meminit ejusdem anno 1201 tabularium sancti Audoëni; imo occurrit adhuc Ric. . . . . in tabulario ecclesiæ Rotomag. nonis Octob. & IV nonas Februarii anno 1206.

XVIII. Rogerius II *de Foucarmont* occurrit pridie idus Novembris anno 1210, in tabulis Bellosannæ, & perrexisse videtur anno 1213 cum Roberto archiepiscopo ad concilium Lateranense. Sedebat adhuc, ex Sammarthanis, anno 1228, mense Februario, id est 1229. Rogeriorum alter obiit IX calendas Septembris, alter pridie idus Septemb. ex necrologio capituli.

XIX. Thomas *de Freauville* filius Rogonis *de Freauville* & Berthæ, ex Sammarthanis, electus est archiepiscopus anno 1229 post mortem Theobaldi; sed huic electioni renunciavit in curia Romana anno 1231, factus eodem anno episcopus Bajocensis & consecratus Rotomagi ab archiepiscopo Mauricio V cal. Aprilis anno 1231, id est 1232, vacavitque post eum decanatus per annum & amplius.

XX. Stephanus *de Chateaudun* creatur anno 1233, ex chronico Rotomag. Spicil. tom. II, pag. 821, a Mauricio archiepiscopo, in quem capitulum compromiserat. Factus postea monachus Cisterciensis, electus est abbas Belli-becci.

XXI. R. . . . . præerat anno 1239, ex tabulario Vallis-ægrorum.

XXII. Hugo I *de Maldeflour*, al. *de Maudetour*, nominatur in charta quadam tabularii ecclesiæ Rotomagensis data contra Mendicantes, XVII calendas Septembris anno 1245, ex iisdem Sammarthanis. Obitus ejus notatur 26 Martii in obituario veteri MS.

XXIII. Hugo II *de Pise* sedebat anno 1247, ex tabulis Beccensibus. Scripsit, ex Sammarth. ad sanctum Ludovicum pro jure communitatis, factus postea archiepiscopus Nicosiensis, ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis.

XXIV. Guido *de Bourbon* filius Archembaldi domini Burboniensis, ex Sammarthanis, fidem obstrinxit suam Odoni Rigaldo archiepiscopo, Assisii in Italia IV cal. Junii anno 1254, ex codice visitationum ejusdem præsulis. Pepigit idem XVII calendas Septembris anno 1276, ex Sammarthanis, cum Johanne filio ducis Burgundiæ, de villis & patrimonio quæ possidebat in baronia Burboniensi. Obiit pridie cal. Septembris anno 1279, ex chronico Rotomag. Labbeano. Testamenti curatorem instituit Drogonem fratrem & canonicum ecclesiæ Carnot. ex Sammarthanis.

XXV. Philippus *d'Amblevillle* electus per viam compromissi VII calendas Januarii anno 1279, ex eodem chronico, sedebat adhuc anno 1290, ex tabulario Fontium-Guerardi.

XXVI. Robertus III *Malet* præerat anno 1290, ex tabulario ecclesiæ Rotomag. in cujus necrologio nomen ejus consignatur XVI calend. Martii, quanquam in schedis Mortui-maris dicitur obiisse XIV calendas ejusdem mensis.

XXVII. Adamus I *Rigaud*, dictus etiam *de Berneau*, ut legimus, seu *de Verneau*, uti legerunt Sammarthani, reperitur anno 1299, & mense Februario anni 1304, id est 1305, in tabulis ecclesiæ Rotomagensis.

XXVIII. Arnaldus cardinalis presbyter sancti Marcelli, decanatum obtinebat an. 1308, & mense Novembri anni 1311, ex tabulis Beccensibus.

XXIX. Petrus Arquerii, seu Augerii, & quibusdam vernacule dictus *l'Archer*, præerat XV calendas Februarii anno 1320, id est 1321. Delegatus ab Johanne XXII summo pontifice in causa inter sancti Audoëni Rotomag. & sancti Victoris in Caleto monasteria, eam concordia terminandam duxit. Occurrit anno 1330, IV calendas Decembris, quo etiam anno 14 Decembris, diem 9 Februarii 1331 præfixit ad eligendum novum præsulem, post obitum ultimi. Reperitur & nonis Januarii anno 1349, id est 1350, uti observavimus tomo VI, col. 1058, quem & anno 1351 abbatem S. Hilarii diœcesis Carcassonensis diximus ibidem col. 1014.

XXX. Gerardus *de Blanchelone*, al. *de Brantome*, doctor in decretis, decanatum gerebat annis 1353, 1356 & 1359, ex Sammarthanis, adhucque III idus Martii anno 1362, ex tabulario sancti Amandi. Obiit 15 Aprilis 1363.

XXXI. Nicolaus II *Oresme* doctor theologus facultatis Parisiensis, electus anno 1355 superior collegii Navarræ, erat ex archidiacono Bajocensi decanus ecclesiæ Rotomagensis anno 1366, ex tabulis Gemeticensibus. Fuit etiam thesaurarius Sacræ capellæ Parisiensis, ac didascalus Caroli principis, qui postea regnavit sub nomine Caroli V. Evectus demum anno 1377 ad episcopos Lexovienses, juravit in verba ecclesiæ Rotomagensis IV idus Julii anno 1378, ex tabulis ejusdem ecclesiæ.

XXXII. Hugo III *le Renvoisie* creatus decanus a summo pontifice, occurrit pridie cal. Augusti anno 1378, in chartis Monasterii-villaris, possessionem adeptus anno sequenti idibus Augusti. Nominatus est non. Augusti anno 1407, curator testamenti Guillelmi *de Vienne* archiepiscopi Rotomagensis. Stipatus ille multis aliis doctoribus Universitatis Parisiensis commoverat an. 1388, regem Carolum VI ac populum adversus Fratres Prædicatores, quos multorum contra fidem errorum arguebat; qua de re lege Baluzium not. ad vitas Paparum Avenion. pag. 1373 & seqq. Obiit VIII idus Aprilis anno 1413.

XXXIII. Guillelmus II *Entrant* in utroque jure licentiatus, nominatus est a summo pontifice, possessionemque iniit III calendas Junii anno 1414. Obiit, ex Sammarthanis, anno 1434.

XXXIV. Ægidius *Deschamps* licentiatus in legibus, Ægidii episcopi Constantiensis ex fratre nepos, theologiam edocebat in Universitate Parisiensi an. 1414 ineunte. Electus est decanus VII idus Martii anno 1434, ex Sammarthanis, id est 1435, possessionemque apprehendit III calendas Aprilis sequentis. Obiit pridie calendas Novembris anno 1438, sepultus in ecclesia cathedrali prope patruum.

XXXV. Guillelmus III *Erard*, electus V idus Decembris anno 1438, statim a canonicis præsentatus est summo pontifici, qui electionem confirmaret.

XXXVI. Johannes II *le Guillois* per obitum præcedentis, inquiunt Sammarthani, recipitur VIII calendas Aprilis anno 1440, id est 1441.

§ Vacabat decanatus pridie calendas Aprilis anno 1442, id est 1443, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XXXVII. Nicolaus III *Dubosc* præerat IV nonas Maii anno 1445, & XVIII cal. Decemb. anno 1482, ex eodem tabulario. Ipse est qui contra translationem Guillelmi cardinalis protestatus est 9 Julii 1453; fuit interim hoc anno & 1466, parochus sancti Viviani Rotomagensis, ex tabulis Scacarii Normanniæ, cui anno 1453 interfuit. Decanatum transcripsit sequenti, ex Sammarthanis.

XXXVIII. Ludovicus I *Blosset* dicitur a Sammarthanis renunciatus esse decanus anno 1455, errore, ni fallimur, typographico, pro 1485.

XXXIX. Johannes III *Masselin* juris utriusque doctor, electus XIII calendas Januarii anno 1488, confirmatusque ab archiepiscopo V cal. Maii anni sequentis, vicarius generalis archiepiscopi confirmavit electum Renatum *de Prie* episcopum Bajocensem anno 1498. Obiit, ex Sammarthanis, VI calendas Junii anno 1500, sed in tabulis ecclesiæ Rotomagensis occurrit adhuc annis 1501 & 1502. Dedit eidem ecclesiæ anno 1500, tabulam argenteam inauratam 372 marcharum pondo, quæ anno 1501 reposita est super majus altare.

Ch. XLV. col. 101.

XL. Guillelmus IV *le Gras* male dicitur a Sammarthanis electus anno 1500, ex supra dictis, præerat XVII cal. Octobris anno 1504, ex tabulis Scacarii Rotomagensis, obiitque XIII calendas Aprilis anno 1535, id est 1536, post resignatum in gratiam sequentis decanatum, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XLI. Johannes IV *le Lieur* possessionem iniit pridie cal. Martii an. 1522, id est 1523. Obiit III idus Septemb. anno 1536, ex iisdem tabulis.

XLII. Bertrandus *de Marsillac*, ex præcentore electus decanus VII calendas Julii anno 1537, æmulum nactus est Claudium *Chappuis* a rege nominatum & a summo pontifice confirmatum; sed eum summovit. Obiit pridie cal. Januarii anno 1541.

XLIII. Johannes V *de Marsillac* filius Francisci *de Marsillac* protopræsidis in Parlamento Normanniæ, regiam nominationem adeptus, confirmatusque bullis pontificiis, possessionem adiit VIII calendas Novembris anno 1543. Vivebat adhuc pridie nonas Febr. anno 1552, id est 1553, sed resignaverat sequenti.

XLIV. Antonius *de Marsillac* competitorem habuit Michaëlem *Petit* electum a capitulo, sed fatis functum VIII cal. Augusti anno 1550, antequam electio ejus confirmaretur. Antonius post bullas a summo pontifice impetratas, in possessionem missus est pridie nonas Februarii anno 1551, id est 1552. Decanatum transcripsit sequenti.

XLV. Nicolaus IV *le Roux* abbas Albæmarlæ, possessionem decanatus iniit III idus Maii anno 1559, denatus III idus Septembris anno 1561. Resignaverat Johanni, qui brevi sequetur.

XLVI. Adamus II *Sequart* electus VI calend. Novembris anno 1561, confirmatus est ab archiepiscopo IV nonas Novembris sequentis.

XLVII. Johannes VI *Jubert* decanatum adeptus est X calendas Maii anno 1566, vigore senatusconsulti Parisiensis, inquiunt Sammarthani, post concordiam initam cum Adamo. Transcripsit sequenti, qui vicissim ei resignavit prioratum Salicosæ.

XLVIII. Ludovicus II *Marguerie* in possessionem inductus V idus Julii anno 1567, obiit V calend. Aprilis anno 1602, sed antea resignaverat sequenti.

XLIX. Guillelmus V *Pericard* consiliarius in Parlamento Normanniæ & abbas S. Taurini, possessionem decanatus iniit VI calendas Martii anno 1594, factus postea episcopus Ebroicensis.

L. Franciscus *Pericard* post resignationem patrui missus est in possessionem VI non. Octob. anno 1610, factus & ipse postea episcopus Ebroicensis.

LI. Henricus II *Boivin* thesaurarius Ebroicensis, post resignationem præcedentis, possessionem apprehendit IV calendas Aprilis anno 1614, factus postea episcopus Tarsensis & coadjutor Abrincensis. Transcripsit sequenti.

LII. Claudius I *du Rosel* consiliarius in Parlamento Normanniæ, in possessionem missus est idibus Junii anno 1618. Permutavit cum sequenti.

LIII. Ludovicus III *Bretel* dominus Osbertibosci, abbas beatæ Mariæ Alnetensis & sancti Victoris in Caletis, consiliarius denique in Parlamento Normanniæ, decanatum Lexoviensem cessit præcedenti pro decanatu Rotomagensi, cujus possessionem adiit III idus Julii anno 1624. Factus autem anno 1630 archiepiscopus Aquensis, resignavit sequenti.

LIV. Claudius II *Bretel de Gremonville* præcedentis ex fratre nepos, bullis impetratis pridie nonas Junii anno 1631, possessionem adeptus est III nonas Novembris sequentis. Adstitit anno 1645 comitiis cleri generalibus.

LV. Radulfus *Bretel de Gremonville* præcedentis frater, diaconus, decanatus adiit possessionem 17 Maii 1649. Permutavit anno 1686 cum sequenti.

LVI. Harduinus *Rouxel de Medavy* antea major archidiaconus, ex permutatione decanatus accepit possessionem 30 Octobris 1686.

LVII. Simon-Franciscus *Mouret* decanatus cepit possessionem die 27 Augusti 1691; defunctus 1694.

LVIII. Ægidius *du Four* Parlamenti senator, ex thesaurario electus decanus III non. Novemb. eodemque die confirmatus ab archiepiscopo, possessionem die crastina nactus est; decessit anno 1715.

LIX. Johannes VII *Hüe de la Roque* ex thesaurario electus decanus 27 Octobris 1715, eodemque die ab archiepiscopo confirmatus, possessionem iniit. Obiit anno 1729.

LX. Bartholomæus *le Cordier de Bigars* Parlamenti senator, decanatus cepit possessionem 23 Decembris 1729.

LXI. Franciscus-Christophorus *Terrisse* decanatus possessionem cepit 21 Martii 1750.

DE VETERIBUS ECCLESIÆ ROTOMAGENSIS MONASTERIIS.

PENTALE. Anno circiter 550 Childebertus I Francorum rex, in gratiam sancti Sansonis episcopi Dolensis in Britannia inferiore abbatiam hanc fundaverat, non longe a confluentibus fluviorum Sequanæ ac Riselæ. Huic centum circiter post annos sanctus Audoënus Rotomagensis archiepisc. sanctum Geremarum abbatem præfecerat, ibique adhuc anno 833 degebant monachi; sed susdeque versi a Normannis, ut creditur, monasterii nulla hodie supersunt vestigia, nisi forte excipias ecclesiam parochialem sancti Sansonis dictam, cui deserviunt præter parochum tres alii non canonici, sed præbendarii tamen, sub omnimoda jurisdictione episcopi Dolensis, quemadmodum & aliæ duæ Rupis ac Paludis Warnerii parochiæ. Valesius in sua Galliarum notitia, verbo *Pentale* omnia miscuit.

II. *Duroclarum.* Tribus circiter leucis infra Rotomagum, ad dextram Sequanæ fluminis ripam positum est Duroclarum, ubi septimo seculo exstabat abbatia quædam, S. Dionysio Francorum apostolo nuncupata, & ab abbate Lidoaldo gubernata, de qua illud unum occurrit dicendum, quod observabimus infra in S. Lamberto abbate Fontanellensi.

III. *Belcinacum.* Fere e regione monasterii Fontanellensis erat in alveo Sequanæ insula Belcinacum dicta, nunc a longo tempore undis mersa. Eam Theodericus rex Clodovei II filius, sancto

Condedo monacho Fontanellensi dono dedit, qui postquam ibi monasterium cum tribus ecclesiis condidisset, illud non solum, sed & insulam integram abbatiæ Fontanellensi transcripsit anno 676, unde in prioratum evasisse videtur Belcinacum, sub fundatore tantum suo abbatiæ titulo decoratum.

Sanctus Sidonius. Una circiter leuca ab eo loco, ubi scaturit fluvius Varenna, S. Sidonius, vernacule *saint Saëns,* monachus Gemeticensis ac discipulus sancti Filiberti, monasterium anno circiter 675, sedem concedente Theoderico III rege, posuerat, quod suo postea nomine appellatum est. Ibi sub ipso fundatore ac primo loci abbate sanctus Leufredus, qui paulo post aliud monasterium condidit in diœcesi Ebroicensi, aliquandiu conversatus est; sed nono seculo Normannis omnia vastantibus dirutum est & sancti Sidonii asceterium cum infinitis propemodum aliis sanctorum domiciliis & a laïcis occupatum, quod cum de manu ipsius castri domini extraxisset Hugo Rotomagensis archiepiscopus, illud Rogero abbati Fontanellensi concessit anno 1153, ut in eo religionis ecclesiasticæ statum reformaret.

V. *Portus-Mauri.* In finibus Velocassium ad Sequanam, sesquileuca supra Andilegum, vicus exstat vernacule *Port-mort* dictus, ad quem corpus sancti Ethbini diaconi & monachi ex Hibernia translatum fuisse dicitur tom. II Martyrologii Gallicani pag. 758, atque ibi forte positum erat monasterium, de quo charta Vandemiris sub annum XVII Theoderici III regis apud Mabillonium Annal. Bened. tom. I, pag. 594, & Diplomat. pag. 472, in hæc verba: *Donamus . . . . . ad monasterio Port-Mauro, ubi vir venerabilis Amalcarius abba præesse veditur, baello cognomenante Alticio in pago Maceracius.*

VI. *Vintlana.* Exstitere olim monachi apud Vintlanam, qui locus postea videtur dictus esse Braii monasterium supra Novum-castellum. At monachis illis substituti sunt decimo circiter seculo canonici seculares, quos in urbem Gornacum ante exitum undecimi seculi translatos fuisse supra diximus in Guillelmo I archiepiscopo.

VII. *Sanctus Salvius.* Positum erat monasterium illud eo loci, ubi nunc exstat non longe a Novo-castro parochia ejusdem nominis, patronumque agnoscebat sanctum Salvium Albiensem episcopum, qui vernacule appellatur hic *saint Sauve*, illic *saint Salvi*, in diœcesi vero Rotomagensi *saint Saire;* quo tempore, quibusve fundatoribus consurrexerit domus illa ignoratur. Exstabat adhuc anno 831, quo sanctus Ansegisus legavit ad *sanctum Salvium in Brago* solidos decem, ex chronico Fontanellensi, Spi[illegible]l. tom. III, pag. 243. Hic enim de S. Sal[illegible] diœcesis Rotomag. si non de sancto Salv[illegible] Brietio, agitur, non de sancto Salvio dic[illegible] Ambian. ut credidere Mabillonius Annal. Bened. tom. II, pag. 542, & Valesius Notit. Galliarum in voce *Monasteriolum.* Sed paulo post Normannis Neustriam omnem face & ferro devastantibus, quod superfuit de facultatibus suis attributum esse videtur ecclesiæ Rotomagensi, unde conflata est præbenda *sancti Salvii* dicta.

Floriacum. De veteri monasterio illo, quod situm erat in Velocassibus, quodque regebat nono seculo Rimbertus abbas, qui subscripsit anno 862 concilio Suessionensi, ex Diplomatica pag. 452 hæc habet chronicon Fontanellense, cap. 2, non quale exhibuimus illud in appendice Instrum. I, col. 1; sed quale vulgatum est in Spicilegio Acheriano tom. III, pag. 195, nam quæ sequuntur omnia desunt in ipso exemplari Fontanellensi. Sic igitur exemplar Acherianum: « Pipinus gloriosissimus dux Floriacum cœnobium una cum nobili conjuge sua Plectrude ædificat, quod situm est in pago Veliocassino, anno nono Hiliberti, qui erat exharcatus sui annus vigesimus tertius, Dominicæ autem Incarnationis septingentesimus octavus, ipsumque Bainum (abbatem Fontanellensem) rectorem ibi præfecit, plurimamque turbam monachorum adunavit: ipsum autem monasterium huic cœnobio contradidit . . . . Hic . . . . locus possessio fuerat antea cujusdam illustris viri, cui nomen erat Fraëricus, qui ipsum Floriacum licet modico opere in suo proprio a fundamentis construxit . . . . . & xenodochium decem pauperum ibi constituit . . . . . quod actum esse constat sub anno quinto regnante Theoderico rege. Sequenti quoque tempore, dum Pipinus princeps singularem Francorum principatum obtinuisset, superato Theoderico rege, & Berthario majore domus, sæpe dictus Fraëricus prædictum Floriacum eidem contradidit, ea videlicet ratione, ut in majori elegantia ipsum locum sublimaret, ac monachorum congregationem ibidem constitueret; quod & ita factum est. Denique evocatum ipsum venerabilem patrem idem princeps hoc cœnobium ædificare jussit, rectoremque constituit, sicut in largitione quam de ipso locello huic monasterio edidit, scriptum fore constat. Sic enim inter cetera insertum illic reperitur: » *Ubi constituimus virum strenuum & Dei cultorem domnum Bainum ipsum rectorem monasterii Fontinellensis, ea videlicet conditione, ut ex præfato monasterio Fontinella post recessum ejusdem Baini, ipsi monachi in ipso Floriaco cœnobio consistentes omni tempore rectores & gubernatores habeant, & sub eorum ditione nostris & futuris temporibus permaneant, & sub nostra ac heredum nostrorum defensione ipsa loca peremniter tuenda consistant. Actum est anno duodecimo, regnante Hildeberto rege;* pro quo Hildeberto Acherius substituendum vult Hildericum. Porro tria sunt apud Velocasses loca, quæ Floriaci nomine appellantur: primum super Andellam fluvium, alterum in silva quæ vulgo dicitur Leonum, tertium prope Fraxinum Agullionis. In quonam vero illorum positum fuerit monasterium illud, quod jam a longo tempore excisum est, definiri non potest. Qua de re lege nuperam Descriptionem superioris Normanniæ tom. II, pagg. 271 & 272. VIII.

Sanctus Gervasius. In suburbio Rotomagi A occidentali exstat ecclesia perantiqua S. Gervasii martyris, in qua tumulati sunt sanctus Mello archiepiscopus Rotomagensis, & Avitianus ejus successor. Ibi etiam progrediente ætate fundata fuit abbatia, quam Richardus II Normannorum dux ablatam a monachis S. Petri Carnotensis, quibus illam dederat anno 1012 aut 1015, transcripsit monachis Fiscannensibus, qui exeunte adhuc duodecimo seculo ibidem degebant. Restat eo loci ecclesia solummodo parochialis, sub jurisdictione abbatiæ Fiscannensis.

Avanglia. Exstat in veteri chartulario abbatiæ sancti Petri Carnotensis, instrumentum III cal. B Octobris, anno primo Ludovici inertis regis, hoc est anno Christi 986, in quo hæc leguntur: *In pago Vilcasino abbatia beatæ semper virginis Mariæ, quam illius loci incolæ Avangliam dicunt, in loco qui dicitur Altera-villa.* Duo autem hæc nomina *Avanglia* & *Altera-villa*, multum affinitatis habent cum nomine parochiæ, quam nunc vernacule dicimus *Travailles;* imo etiam cum parochia vicina, quam appellamus *Panilleuse.* Cum vero ad utramque parochiam illam præsentet canonicus ille ecclesiæ Rotomagensis, cui cessit præbenda Paniliosæ dicta, hinc merito colliges, veterem Avangliæ abbatiam attributam C esse olim in usus & commoda capituli Rotomagensis, atque inde potissimum creatam esse Paniliosæ præbendam.

Evrardi-ecclesia. Duæ erant in Caletis ecclesiæ, altera hujus nominis, abbatiæ olim titulo insignita, altera apud Sotevillam supra mare: quas Richardus I Normannorum dux, postquam dedisset in beneficium Dudoni canonico sancti Quintini apud Veromanduos, qui de rebus Normannicis scripsit; postea ad preces ejusdem Dudonis ipsi Quintinopolitanæ ecclesiæ dedit anno 1015 in feodum, præsentibus Gunnoride Richardi matre, Juditha ejus uxore, Richardo D ejus filio, Roberto archiepiscopo Rotomagensi, Hugone Bajocensi, Hugone Ebroicensi, Rogerio Lexoviensi episcopis, aliisque optimatibus viris. Pendebat tum ab abbatia Evrardi-ecclesiæ capella ad Dunum, non longe a Burgo-Duni sita, quemadmodum ab altera Sotevillæ ecclesia pendebat ecclesia sancti Nicolai, vulgo de Vetulis, seu potius de Fontibus aut de Puteis dicta; unde etiamnum canonicorum sancti Quintini est ad illas tres parochias præsentare. Longe igitur ante annum 1015 jam excisa erat Evrardi-ecclesiæ abbatia, quæ forte a Normannis adhuc idololatris destructa est. E

Sanctissima Trinitas, seu *sancta Catharina in monte prope Rotomagum.* Natales suos debebat monasterium illud, quemadmodum & parthenon sancti Amandi Rotomagensis, Goscelino atque ejus uxori Emmelinæ. Erat Goscelinus vicecomes Rotomagensis & Archensis, patruus Godefridi patris Willelmi Archensis, qui Mathildem Willelmi Tancarvillæi camerarii uxorem procreavit. Erat item Roberto duci familiarissimus & addictissimus, quippe qui ei initio principatus Rotomagum urbem, in qua multa auctoritate pollebat, tradidisse perhibetur, ob id ejusdem urbis vicecomes ab eo institutus. Monasterium vero, cujus ædificandæ fabricæ præpositus fuerat Gradulfus, postea abbas Fontanellensis, dedicatum est a Roberto archiepiscopo in honorem sanctissimæ Trinitatis, XVII calendas Septembris anno 1030, qui erat, ut creditur, a primo lapide posito sextus; & eodem anno Robertus Normannorum dux privilegium monasterio concessit, quod post Neustriam piam, pag. 412, recudi curavimus in appendice. Sed cum illic depositæ fuissent sanctæ Catharinæ reliquiæ, quas Simeon quidam monachus Sinaita secum allatas Goscelino dederat, nomen sanctæ martyris locus sensim assumsit. Illic non solum filius vicecomitis Hugo monasticen professus est, & in sancto proposito vitam finivit, sed & vicecomes ipse Goscelinus, spreto seculo, vestem militarem pro monastica abjecit, imitatricemque habuit conjugem Emmelinam, quæ in sancti Amandi parthenone sanctimonialis effecta est. Plurimi etiam conspicui doctrina & sanctimonia monachi eumdem locum sub primis abbatibus incoluere, aut inde assumti sunt ut aliis præficerentur ecclesiis; atque in his Durandus scriptor ille celebris, postmodum Troarnensis abbas, qui insignem librum de Corpore & Sanguine Domini composuit; Guitmundus, qui multa sanctorum divina officia composuit, cantuque illustravit, Einardus *seu* Ainardus abbas monasterii Divensis; Osbernus *seu* Osbertus abbas Uticensis, qui & monasterium Cormeliense condidit, &c.

Perseveravit cœnobium illud sub abbatibus ad annum usque 1597, quo mensa abbatialis attributa est Cartusiæ Gallionensi diœcesis Ebroicensis, diplomate pontificio dato III non. Maii ejusdem anni, literisque regiis patentibus datis pridie nonas Januarii sequentis; simul monasterium dirutum, & monachi anno 1600 translati ad alterum urbis latus in elephantiacorum valetudinarium tunc inhospitum, S. Juliani dictum. Sed illi anno 1667 Rotomagensibus Rosæ Cartusianis loco cesserunt, neque amplius post hæc de nova sede quærenda cogitavere. Habes apud Pommerayum in historia hujus monasterii, pag. 43 & seqq. literas quas modo laudavimus, tam regias quam pontificias. Habes etiam apud eumdem scriptorem, & in Neustria pia pag. 408 & seqq. catalogum abbatum qui rexere hanc domum. Sed præterquam quod catalogi illi non parum sunt inter se dissimiles, in aliis etiam bene multis peccant. Guillelmus *Forestier* ejusdem loci monachus, metricum elogium 14 primorum abbatum scripsit sub annum 1304. Illud habes Annal. Benedict. tom. V, pag. 630 & seqq.

I. Isembertus, natione Teutonicus, monachum induerat in cœnobio sancti Audoëni Rotomagensis, ubi dux Robertus Nicolaum fratris sui Richardi filium literis imbuendum ei tradiderat, qui postea ejusdem cœnobii abbas factus est. Assumtus ut præesset monasterio sanctæ

Catharinæ,

Catharinæ, abbatis benedictionem consecutus est apud Fontanellam inter missarum solennia anno 1033, eo ipso die quo basilica Fontanellensis dedicata est; obiitque anno regiminis 21, ut legitur in libello metrico, quem modo laudavimus. Huic, inquit Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag. 529, rythmo lugubri parentavit quidam illius temporis monachus, a quo vocatur rivus sapientum, patriæ consilium, cleri decus ac monachorum singulare speculum. Idem auctor testatur ex eodem Mabillonio ibid. « Isembertum » velut aurum in camino, diutino languore pro- » batum fuisse, & imminente obitu se in capitulum » perduci jussisse, datisque fratribus piis monitis » se nudum a singulis cædi: dein sacram Eucha- » ristiam percepisse dicitur; tum adorata cruce, » oleo sacro unctus fuisse, suisque mutuam cari- » tatem commendasse: ac demum in domum » infirmorum reportatus obiisse postridie Omnium » sanctorum, cum fratres horam primam decantassent, sepultus ante aram beatæ Mariæ. » Dicitur Orderico Vitali, pag. 460, *Vir sapientia & religione pollens;* scriptori autem anonymo Fontanellensi apud Mabillonium ibid. pag. 369, *Vir optimus & in omni liberalium disciplinarum experientia probatissimus, cujus urbs Rotomagensis scientia ac bonitate frui meruit, sed pauciori tempore quam expedierat sibi:* sed scriptor ille sane recentior Isembertum credidit ex monasterio suo Fontanellensi prodiisse; qua in re hallucinatum esse constat.

II. Rainerius, ex decano ecclesiæ Rotomag. factus S. Catharinæ monachus, jejuniis corpus suum macerasse, & tanquam eremita inter fratres simplex ac modestus vixisse traditur in libello metrico supra laudato, cui loco annis quatuor & viginti præfuit. Is ad condendum Cormeliense monasterium, unum e suis monachum nomine Osbernum misit, qui postea abbas Uticensis factus est; primos etiam Ulterioris-portus monachos e sua familia suppeditavit. Obiit anno 1077 in festo S. Pudentianæ, ex chronico domestico, memoratus VIII calend. Februarii in necrologio, & sepultus est in capitulo.

§ Rainerium inter & Galterum qui sequitur, collocandus esset *Hugo*, de quo Hugo Flaviniacensis in chronico suo apud Labbeum biblioth. tom. I, pag. 191, nisi obstaret auctoritas poëtæ domestici. Forte irrepsit mendum aliquod apud Flaviniacensem; forte etiam contendit Hugo de abbatia, quam dimittere coactus est.

III. Galterus I, ex Caletis oriundus, assumtus est ex Fontanellensi S. Vandregisili monasterio, ubi cantoris officio functus fuerat. Hic multa virtute & prudentia præditus fuisse dicitur in carmine superius laudato, & majorem ecclesiam fere integram extruxisse & ornasse; annos denique quadraginta vel amplius monasterio præfuisse. Anno 1080 concilio apud Juliobonam & obsequiis Willelmi Anglorum regis anno 1087 adstitit, parthenonem Pauliaci a Danis ante ducentos aut amplius annos eversum, & ad hoc usque tempus ruinis consepultum, cum restruere vellet Thomas miles, ejus loci dominus, Galterum abbatem impulit ad id exsequendum, qui anno circiter 1090 monachos quatuor ibidem loco monialium constituit sub priore, rem probante Willelmo archiepiscopo. Prioratus ille, cui nomen inditum fuerat *sanctæ Austrebertæ*, postquam aliquandiu ad simplices prioratus redactus fuisset, quatuor denuo monachos excepit in sinu suo anno 1701, ex abbatia Corneliensi assumtos, assentiente archipræsule. Sed qui eos accersierat toparcha Pauliacensis, eosdem ipse expulit anno 1713, conventione pacta cum Cartusianis Rotomagensibus, qua titulo monasterii rescisso omnes ejus proventus in horumce commodum cederent; quod & postea comprobatum est, tam Parlamenti consulto an. 1714, quam decreto archiepiscopi anno 1716, & literis regiis anno 1720. Subscripsit Galterus compositioni Fiscanuenses inter & Taurinenses monachos factæ anno 1106, pro electione abbatis sancti Taurini. Obiit anno 1120 VII calendas Septembris, ex necrologio domestico. Chart. IV, col. 127.

IV. Helias, ex priore abbas, in novam monasterii sui basilicam corpus Goscelini fundatoris transtulisse dicitur anno 1130; sedit ex elogio supra laudato annos undeviginti. Obiit III non. Januar. ex necrologio domestico, sepultus in navi.

V. Galterus II ex eodem elogio rexit annos viginti quatuor. Decessit ex necrologio domestico XVIII cal. Februarii, tumulatus in capitulo.

VI. Drogo, ex monacho sancti Stephani Cadomensis factus abbas, rexit ex eodem elogio viginti duobus annis. Obiit IV idus Septembris ex necrologio domestico.

§ Drogonem inter & Rogerum qui sequitur, necrologus domesticus locum septimum dedit *Remigio* cuidam, cujus obitum consignat XIV calendas Julii. Ejusdem Remigii meminere & Pommerayus pag. 26, & Sammarthani, & auctor Neustriæ piæ pag. 411, qui eum vel octavo, vel etiam nono loco reponunt. Alios etiam suo interseruere catalogo abbates, videlicet Guillelmum *d'Espreville* & Radulfum, poëtæ jam laudato, qui scribebat anno 1304, omnino incognitos. Sed quomodo scriptori hujus ætatis ac domestico fidem denegabimus?

VII. Rogerus subscripsit anno 1196 chartæ Ricardi I Anglorum regis; sedebat adhuc anno 1200 ex chartis Gemeticensibus. Obiisse legitur anno 1204, huicque successisse Robertus ejusdem ecclesiæ prior in chronico domestico. Sed longe huic anno superstitem fuisse Rogerum probat quod mox dicemus in Adamo ejus successore. Obiit XIV calendas Maii ex necrologio domestico. Ch. XXVI. col. 27.

VIII. Adam *Bacon* ortus ex Hardinvilla, proxime successit Rogero ex carmine supra laudato, seditque annum duntaxat unum, translatus ad abbatiam sancti Audoëni, quam post annum similiter dimisit, reversus ad sanctam Catharinam, ubi sponte se in cellula undequaque clausa abscondidit, dictus ideo, quamvis sat barbare, Adam *reclusus*. Porro Adam ille

præfectus est cœnobio sancti Audoëni anno, ut ostendemus infra, 1232. Sanctæ igitur Catharinæ regimen assumsit anno duntaxat 1231, unde dicendus est Rogerus decessor ejus ad hunc circiter annum pervenisse. Certe hoc eodem anno prior & conventus S. Catharinæ licentiam eligendi abbatis petiere a rege.

IX. Guillelmus I *Vastel*, ex libello metrico jam sæpius laudato, cellarium, majorem aulam novaque monasterii mœnia construxit, argento etiam cooperuit lipsanothecam sancti Boniti; sed *tenuit plures magnas ad prandia gentes, & bibit & comedit, multum sibi læte fecit.* Repentina morte oppressus est post annos regiminis decem & septem, anno 1248, in festo S. Catharinæ, cujus majus sacrum celebrarat, & sepultus est ante altare beatæ Mariæ. Hujus meminit necrologium domesticum ad diem v cal. Decembris.

X. Johannes I *de Soteville*, cujus nomen novimus ex necrologio domestico & ex tabulario monasterii, cognomen vero ex poëta supra laudato, qui eum cecinit in hunc modum:

Soto-villæ demus abbas noster fuit ortus.
Atrox, crudelis fuit is, sed corde fidelis;
Et tamen iste locus fuit ejus tempore plenus
Divitiis & equis, potibus atque cibis.
Vivus erat dives, post mortem nos locupletes
Dimisit, gazis & loca plena nimis.
Condidit hic aulam simul & grangiam prope portam,
Atque refectorium reparavit tempore multum,
. . . .
Ecclesiam cappis, casulis ornavit & albis.
Condidit ille cruces . . . . . nobiliores,
Argentique crucem fecit pernobilitatam
Ornari gemmis, clavis multum pretiosis;
Et calices multo decorans condidit auro.
Fecit vas ubi sunt & sanctorum requiescunt
Reliquiæ caris & resplendentibus auris.
Ille tegi pariter tempore nobiliter
Templi majora fecit fieri duo signa,
Quæ fere pulsata debent ad maxima festa,
Cœnobiique viros hic cum sex octo per annos
Rexit; scriptura testificatur ita.
Illius in navi corpus jacet, &c.

Obiit anno 1262 in festo S. Paterni apud *Bisy*, ex chronico domestico, hujusque meminit necrologium ad diem VIII cal. Novembris.

XI. Robertus *de Plain-bosc*, ex priore abbas, confirmatus ab Odone Rigaldo archiepiscopo v idus Octobris anno 1262, & ab eodem benedictus v calendas Novembris sequentis, ex codice visitationum ejusdem præsulis, rexit ex poëta domestico novem annos, & obiit anno 1271 in vigilia sancti Georgii, sepultus in navi. Hujus meminit necrologium domesticum ad diem IX cal. Junii. Pergit autem poëta in hunc modum:

De Plano-nemore Robertus . . . . . .
. . . .
A *Abbas undecimus loca rexit nostra Robertus,*
Temporibus nostrum qui fecit nobile claustrum:
Infirmitorium fuit ejus tempore factum:
Ille super portam condidit atque casam:
Prædia de Monte bonus abbas condidit ille;
Muros & portas condidit & cameras;
Temporibusque suis hic redditibus loca multis
Abbas ditavit; terras, census satis emit,
Nummos, gallinas, capones emit hic abbas.
. . . .
Hic manifestavit, & fratribus hic benedixit,
Quod quadraginta monachos sanctæ domus ista
Debet de jure Katerinæ semper habere.
B . . . .
Quatuor & quinque fuit annis pastor in æde.
Ille suum navi corpus jussit sepeliri, &c.

XII. Richardus *de Gausevïlle*, ille est haud dubie de quo diximus supra col. 71, Odonem Rigaldum archipræsulem, qui electionem ejus confirmaverat, petiisse ab rege anno 1272, ut regalia ipsi dimitterentur. De eo poëta domesticus in hæc verba:

Abbas Richardus fuit numero duodenus.
. . . .
C *Is fuit ille locis abbas bis quatuor annis.*
Capella sancti tumulatur Bartholomæi.

Obiit igitur anno 1279, consignatus in necrologio domestico ad diem XIV cal. Novembr.

XIII. Johannes II *de Cantepie* factus est abbas post licentiam eligendi a rege petitam anno 1279, mense Septembri. Huic multum improperat poëta, quod bona monasterii plurima abalienaverit, dederitque consanguineis suis. Sedit ex illo annos tredecim; unde colligitur obiisse anno 1292. Hujus meminit necrologus domesticus ad diem VIII calendas Novembris.

D XIV. Willelmus II *de Genestis*, ex priore abbas, sedebat anno 1304, quando poëta supra laudatus elogia sua scribebat. Obiisse dicitur VII calend. Januarii anno circiter 1330.

XV. Johannes III *Celles* præerat, ex Pommerayo, anno 1336. Obiisse dicitur circiter annum 1360.

XVI. Johannes IV *Bellet*, dictus etiam *de Saint-Mor*, tabulam monasterii argenteam divendidit, ut se ac suos ab infestatione Anglorum redimeret. Sedebat adhuc anno 1390. Obiisse creditur anno sequenti.

E XVII. Guillelmus III *le Meslé* sedebat ante annum 1402, & jus canonicum prælegebat Lutetiæ Parisiorum anno 1418. Decennio post de abbatia sancti Audoëni contendebat cum Johanne *Richard*, ut observabimus suo loco. Tunc vero omnino abdicavit.

XVIII. Guillelmus IV *de Conti* ex monacho Corbeiæ abbas S. Trinitatis, moras obtinuit anno 1428 ad præstandam fidem regi. Sedebat adhuc anno 1437, & VII cal. Martii anno 1449, id

est 1450. Obiit an. 1452, sepultus in ecclesia; an idem qui abbas Latiniacensis?

XIX. Johannes V *le François* fidem juravit Carolo VII regi VI cal. Julii. Occurrit adhuc IV idus Aprilis anno 1453, in tabulis Cameræ computorum Parisiensis. Obiit anno 1465.

XX. Johannes VI *du Mesnil* decretorum doctor & vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, abbatiam primus obtinuit in commendam, occurritque in tabulis ab anno 1466. Nominatus est a rege anno 1469, ut sederet consiliarius in scacario autumnali. Exstinctus dicitur anno 1473, postquam anno superiore pepigisset cum sequenti de abdicanda abbatia.

XXI. Johannes VII *de Laitre* monachus Fiscannensis, abbatiam adeptus, in ejus possessionem missus est IX calendas Aprilis anno 1473; & eodem anno, idibus Decemb. fidem juravit regi. Obiit pridie idus Junii anno 1486.

XXII. Johannes VIII *de Tilques* superioris nepos, electus a capitulo, obedientiam pollicitus est ecclesiæ Rotomagensi V calendas Julii anno 1486. Obiisse dicitur calendis Novembris anno 1515, quanquam obitus ejus notatur in necrologio domestico ad diem VII idus Februarii.

XXIII. Alexander *de Marconnay* electus a capitulo anno 1515, prædia monasterii censuit V idus Maii anno 1518 in Camera computorum Parisiensi, obiitque eodem anno ultimus regularium.

XXIV. Antonius *de la Barre* abbatiam obtinuit in commendam anno 1518, factus postea episcopus Engolismensis, deinde archiepiscopus Turonensis. Morte sublatus est anno 1546.

XXV. Johannes IX *Monadier*, dictus *de Brynes*, seu *de Brives*, regi, cui erat ab eleemosynis, fidem juravit calend. Junii anno 1547, & clientelam vovit ecclesiæ Rotomagensi pridie nonas Decembris anno sequenti. Obiit VIII idus Maii anno 1577.

XXVI. Henricus d'*Escoubleau de Sourdis* episcopus Malleacensis, abbatiam quam tenebat ab anno 1577, permutavit cum sequenti X cal. Julii anno 1594, pro abbatia sancti Jovini de Marnis. Vide tom. II, col. 1376.

XXVII. Carolus I *de Bourbon* archiepiscopus Rotomagensis, hujus nominis secundus, obiit anno 1594.

XXVIII. Carolus II *de Bourbon* archiepiscopus Rotomagensis, hujus nominis tertius, abbatia quam obtinuerat VII calend. Martii anno 1595, cessit idibus Aprilis ejusdem anni in gratiam Cartusiæ Gallionensis, quemadmodum observavimus in prologo.

IIII. *Sigeium.* Positum est Sigeium intra fines majoris archidiaconatus, in decanatu Rivorum. Ibi Hugo quidam abbatiam exstruxit in honorem sanctorum Martini & Wlganii, dotavitque liberaliter, & eam S. Audoëni monasterio subjectam esse voluit; ita ut mortuo Sigeiensi abbati ex sancti Audoëni monasterio alter subrogaretur. Instrumento ea de re confecto, quod damus in appendice, subscripsere Malgerus archiepiscopus

A Rotomagensis, Nicolaus abbas sancti Audoëni & Willelmus nothus, dux Normannorum. Illud autem ad ann. 1052 refert Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag. 536. Sed jam diu est ex quo abbatia illa & monachis & abbatibus destituta, transiit in prioratum, ut vocant, simplicem.

Bellus-mons-Petrosus. De monasterio illo quæ dicenda occurrunt, legesis infra in abbatia Mortui-maris. XIV.

Calvus-mons. In supercilio montis hujus, quem alluit Druna fluviolus, posita olim erat abbatia, sancti Petri dicta, quam Ludovicus VII rex, *& antecessores ejus longo tempore in dominicatura* B *habuerant.* Hujus tum jurisdictioni spirituali parebat universa civitas; unde idem Ludovicus, ut videre est apud Luvetium Antiq. Bellovac. tom. II, pag. 55, scribebat aliquando Calvimontensibus, in hæc verba: *Mandamus vobis, & auctoritate regia prohibemus, ne citra antiquam ecclesiæ vestræ dignitatem archiepiscopo Rotomagensi vel ministris suis ullatenus obediatis . . . . . . Quod si feceritis, iram majestatis nostræ vos incurrere ne dubitetis.* Anno 1145, ut diximus tomo VII, col. 373, princeps ille christianissimus abbatiam S. Petri, cui tunc deserviebant canonici, tradidit Sugerio abbati S. Dionysii in Francia, C Hugone archiepiscopo Rotomagensi nihilominus donum confirmante. Abbas vero rescissis præbendis, abbatiam convertit in prioratum duodecim monachorum, quem nunc unicus prior tenet absque conventu, sed jurisdictio ejus firmata est anno 1604 supremi consilii decreto, tum Parlamenti consulto mense Febr. anni 1654. XV.

Callevilla. Apud Callevillam in Caletis duæ sunt ecclesiæ, quarum altera majoris, altera minoris monasterii nomen retinuit; atque hoc unum superest hodie veteris cujusdam cœnobii vestigium, de cujus vel ordine, vel fundatoribus, vel etiam fundationis anno, nihil omnino di- D cendum occurrit. XVI.

Andilegum. Sex leucis ab urbe Rotomago, Euronotum versus, ad dexteram fluminis Sequanæ ripam, positum est Andilegum, ubi sancta Clotildis, Clodovei magni regis uxor, puellarum cœnobium condidit in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ. De hoc parthenone agit venerabilis Beda in historia sua lib. III, cap. 8, ubi scribit, « Seculo septimo, cum pauca essent in regione Anglorum monasteria, hunc morem « in illa gente fuisse, ut multi ex Britannia mo- « nasticæ conversationis gratia Francorum mona- « steria adirent, sed & filias suas eisdem erudiendas « E ac sponso cœlesti copulandas mitterent, maxime « in Brigensi seu S. Faræ monasterio, & in Calensi, « *& in Andilegum monasterio.* » Cœnobium illud, cui Ansegisus Fontanellensis abbas legavit testamento solidos duodecim, ex Spicil. tom. III, pag. 243, perstabat adhuc anno 884, ut videre est in Annalibus Benedictinis, tom. III, pag. 248; sed jamdudum excisum est, crediturque eversum fuisse anno circiter 900, a Normannis idololatris. Ejus autem loco surrexit processu temporis ecclesia collegiata decano uno & sex aliis præbendatis XVII.

constans, quam anno 1634 Franciscus Harlæus archiepiscopus Rotomag. hujus nominis primus, inter collegiatas suæ diœcesis primum locum tenere pronunciavit. Sunt præterea eodem loci parthenones duo, alter Benedictinarum fundatus anno 1635, sub nomine sancti Johannis; alter canonissarum regularium fundatus anno 1640, sub nomine sancti Jacobi: sed neuter abbatiæ titulo decoratus.

Fiscannum. Vetus parthenon, de quo vide infra novam ejusdem nominis abbatiam.

Pauliacum. Post varias vicissitudines parthenon ille, qui fundatus fuerat a S. Filiberto Gemeticensi abbate quatuor leucis ab urbe Rotomago, Caurum versus, translatus est circiter annum 1000 in urbem Monasteriolum supra mare diœcesis Ambianensis. Vide quæ de eo diximus tomo IX, col. 1318.

Monasterium-Villare. De veteri illo parthenone lege quæ dicemus infra in nova ejusdem nominis abbatia.

Varenna. Super fluvium Varennam positus erat ætate sanctorum Audoëni & Leufredi parthenon ejusdem nominis, ex vita ejusdem sancti Leufredi in Actis SS. Bened. tom. III, p. 585, ibique ex chronico Fontanellensi cap. IX, pag. 212, conditum fuerat corpus sancti Ricberti. Sed asserit Valesius in sua Galliarum Notitia, voce *Tellau*, parthenonem illum temporibus Caroli Calvi jam cessisse in usus ecclesiæ Rotomagensis. Suspicatur Plessæus in Descriptione superioris Normanniæ tom. I, positum fuisse, ubi nunc visitur pagus Monasterium Hooleri seu Odelerii dictus.

Logium. Eo loci ubi nunc visitur villula vernacule dicta *Caudebequet*, prope monasterium sancti Vandregisili, positus erat parthenon hujus nominis, cui sancta Bathildis dona quædam contulisse perhibetur ante exitum septimi seculi, & cui paulo post præerat Wissa abbatissa, mater sancti cujusdam monachi Fontanellensis, cui nomen Miloni, ex chronico ejusdem cœnobii, Spicil. tom. III, pag. 200. Huic parthenoni, adulto jam nono seculo, sanctus Ansegisus abbas Fontanellensis legavit unam libram, ex eodem chronico pag. 242. Sed ille non multo post ceterorum fere monasteriorum Neustriæ sortem sub Normannica calamitate expertus est.

Septem-molæ. Anno 751, ex Mabillonii Diplomatica, pag. 490, Pipinus rex, antequam solium conscenderet, confirmavit abbatiæ sancti Dionysii in Francia villam Talogiensis pagi, Curborium dictam, illam forte quæ nunc vernacule dicitur *Criel*, adversus Raganam Septemmolarum abbatissam, qui parthenon forte septimo seculo conditus, sed sæviente postea Normannorum furore ad nihilum redactus est.

XX. *Sanctus Mello.* Translatum nono, ut fertur, seculo exeunte ab urbe Rotomago ad Pontem-Isaræ sancti Mellonis Rotomagensis archiepiscopi corpus, nomen suum facile cum ecclesia in qua depositum est communicavit, quæ ejus in honorem fundata & canonicis secularibus attributa fuit. Abhinc cum beata Maria de Stampis, beata Maria de Corbolio, beata Maria de Medunta, & beata Maria de Pissiaco, abbatiis secularibus ecclesiisque regalibus, quas reges fundaverunt vel fundatas acquisierunt annumeratur. Abbatiam sancti Mellonis ad exaltandam Rotomagensem ecclesiam Willelmo archiepiscopo in feudum donavit Philippus I anno 1091 diplomate quod habes apud Denyaldum & in commentario Gallionensi. Ecclesiæ hujus præbendarum annualia anno 1125 canonicis sancti Victoris Parisiensis inter alia concessit Ludovicus VI rex, charta quam edidit Gerardus *du Bois* Hist. eccles. Paris. tom. II, p. 80. Abbatiæ denique illi seu ecclesiæ regali variis subinde nominibus præfuere seculares clerici abbates; anno 1125 *Henricus* Ludovici VI regis filius; anno 1138 *Philippus* Henrici frater; anno 1196 *Henricus* alter, qui una cum canonicis cessit regi eodem anno in saltu Henonisvillæ territorium ad ædificandum pagum, qui primo dictus est Villa-nova S. Mellonis, deinde Villa-nova regis; annis 1199, 1200, 1209 & 1220, iterum *Henricus*, sive idem, sive alter, cognomine *Pica*, filius Rogerii militis, frater vero Simonis & Nicolai militum, ac Vincentii ejusdem ecclesiæ canonici. Abbatibus hujuscemodi successere decani; hodieque constat collegiata illa decano uno & octo aliis canonicis præbendatis præter vicarios sex canonicis subjectos, quorum duo duntaxat semipræbenda una potiuntur, horum vero alter capicerius dicitur. Plura de ecclesia illa conjecta legesis in Descriptione superioris Normanniæ, tom. II, pagg. 174 & seqq.

Sancta Birgitta. Anno circiter 1580 moniales quædam regulæ sancti Augustini addictæ, & ab Elisabetha regina ex Anglia pulsæ, constitere Rotomagi non longe ab ecclesia sancti Laudi, ibique unam ex suis abbatissam elegere anno 1594; sed cum Henrico IV regi infensissimæ essent, fœderatorum sequaces, eradicatæ sunt paulo post, & e conspectu subductæ. XXV.

Bellus-mons. De parthenone illo ordinis Præmonstratensis nihil aliud dicendum occurrit præter paucula, quæ videsis infra in abbatia Marchasii-Radulfi. XXVI.



ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero tres supra triginta; quibus accedit monasterium unum, caput ordinis, Fratrum laïcorum.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

Sanctus Audoënus, *Saint Ouën.*
Fontanella, seu S. Vandregisilus, *S. Vandrille.*
Gemeticum, seu Gemeticus, *Jumiège.*
Fiscannum, *Fécan.*
Beccum, *le Bec.*
Appendix de priorato beatæ Mariæ de Prato, seu Boni-nuncii Rotomagensis, *Bonne-nouvelle de Rouen.*
Ulterior-portus, *le Tréport.*
Sanctus Martinus Pontisarensis, *Saint Martin de Pontoise.*
Sanctus Victor apud Caletes, *S. Victor en Caux.*
Sanctus Georgius de Balcheri-villa, *S. Georges de Bocherville.*
Alciacum, seu Alba-marla, *S. Martin d'Aumale.*
Validus-mons, aut Vallis-mons, seu potius Walonis-mons, *Valmont.*

Feminarum.

Monasterium-villare, *Montivillier.*
S. Amandus Rotomagensis, *S. Amand de Rouen.*
Gratia-Dei apud Pontisaram, *la Grace-Dieu,* monialium Angligenarum.
Appendix de Novo-castro in Braio, *Neuf-chatel en Brai.*

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

Augum, seu sanctus Laurentius, aut B. Maria Augensis, *Notre-Dame d'Eu.*
Cornevilla, *Corneville.*

Ordinis Cisterciensis.

Virorum.

Bellus-beccus, *Beaubec.*
Fulcardi-mons, *Foucarmont.*
Mortuum-mare, *Mortemer.*
Valassia, seu potius Vallis-ascii, aut Vallis-azonis, *le Valasse.*

Feminarum.

Bivallis, *Bival.*
Bondevilla, *Bondeville.*
Fontes-Guerardi, *Fontaine-Guerard.*
Gomeri-fons, *Gomer-fontaine.*
Sanctus Sidonius, *Saint Saëns.*
Thesaurus beatæ Mariæ, *le Trésor.*
Arcæ, *Arques.*

Ordinis Præmonstratensis.

Marchasium-Radulfi, *Marché-Raoul.*
Bellosanna, *Bellosanne.*
Ressonium, *Ressons.*
Insula-Dei, *l'Isle-Dieu.*

A

Ordinis S. Claræ.

S. Clara Rotomagensis, *Sainte Claire de Rouen.*
Graveningæ in eadem urbe, *les Gravelines,* moniales Angligenæ.

Ordinis S. Yonii.

S. Yonius, caput ordinis, Fratrum laïcorum, *Saint Yon.*

S. AUDOENUS. S. Ouen.

Sancti Audoëni monasterium, in suburbio quondam Rotomagensi contra orientalem B plagam, nunc in ipsa urbe positum, B. Petro Apostolorum principi primitus sacratum est. Verum sepulto ibidem Audoëno pontifice, commune sortitum est nomen sanctorum Petri & Audoëni. Tandem unico S. Audoëni nomine locus innotuit. Ejus originem ad Clotarium I Francorum regem refert Fridegodus in libello de vita sancti Audoëni Rotomagensis episcopi, atque annosa suffragatur traditio, variis quæ supersunt instrumentis antiquis suffulta. Qui tamen primos loci natales ad sancti Victricii Rotomagensium episcopi tempora proferret, næ ille rem Paulini & Innocentii papæ literis haud C dissentaneam profiteretur. Et certe in vita sanctæ Clotildis Act. SS. Bened. tom. I, pag. 102, dicitur regina illa *renovasse ab ipsis fundamentis quoddam miræ magnitudinis monasterium, quod in suburbio Rotomagensis civitatis prope muros ejusdem urbis tempore beati Dionysii ibi ædificatum fuit, & ab eodem apostolico viro dedicatum in nomine duodecim Apostolorum die calend. Septembris, sicut in quadam petra quæ erat in fundamento altaris reposita sculptum erat,* atque eodem loci *adgregasse non modicam congregationem clericorum* (id est, ut probat Mabillonius, monachorum) *Deo servientium.* Monasterium autem illud non aliud est D ab illo quod nunc S. Audoëni nomine appellatur. Quamvis autem Fridegodus originem ejus Clotario seniori tribuat, nil vetat quominus Clotildis ejus parens eidem operi collaboraverit. Sed quod in sanctæ reginæ vita dicitur ædificatum primo fuisse illud tempore B. Dionysii Francorum apostoli, merito falsi arguitur ab eruditis, multoque potiori jure ad ætatem Victricii referri debet, qui revera ante Clotildis Clotariique tempora ecclesiæ Rotomag. præerat. Conjecturæ favet admodum Paulinus, epist. XVIII, ad eumdem Victricium, ubi eum laudat quod in sua urbe, uti & in oriente, *Apostolorum quoque præsentiam adduxerit,* E *qui peregrinam memoriis suis urbem, affectu sanctorum spirituum, & effectu operum divinorum sedibus suis comparant,* quibus verbis novam tum Apostolorum apud Rotomagum basilicam videtur designare. Sane idem Paulinus ibidem Victricium

commendat ab instituto apud Rotomagenses A quotidiano psallentium concentu *per frequentes ecclesias & monasteria*; quod etiam S. Audoëni monasterio non sine fundamento aptari potest. Favet denique epistola Innocentii I papæ ad eumdem Victricium scripta, quæ cum nonnulla præscribat de monachis & monialibus, seu virginibus sacris, satis ostendit floruisse tempore Victricii utriusque sexus monasteria in diœcesi Rotomagensi. Sed de hoc sancti Petri seu sancti Audoëni monasterio nihil ulterius comperti habemus ad annum 683, quo sancti præsulis corpus eo delatum est, ut observavimus supra col. 14.

Anno 841 Normanni Sequanam ingressi, B advectique Rotomagum, urbem vicinumque sancti Audoëni asceterium ferro flammisque depopulati sunt. Dum vero Neustriæ spoliis ditati prædam ac bellum alio agunt, monasterii ruinas utcunque student excitare monachi, beneficosque hac in re sentiunt, tam archiepiscopos quam Francorum reges, plurimosque provinciæ dynastas, qui hoc pium opus suis sumtibus liberaliter promovere. Non ædificiorum modo damna pepererat Normannorum furor, sed regularis maxime dispendia disciplinæ. Verum ubi salutaribus baptismi undis intincti posuere ferociam, tum Richardi ducis auspicio vocatus e sancti Benigni C Divionensi asceterio Guillelmus abbas piissimus, regulæ normam ibidem restituit. Mox successit ædificiorum quoque reparatio. Sed illis (uti fere tumultuaria opera) cito labascentibus, meliorem fabricam anno circiter 1066, cœpit innovare Nicolaus abbas, jecitque fundamenta novæ basilicæ, quæ a duobus proxime succedentibus abbatibus fuit absoluta, & a Gaufrido archiepiscopo dedicata XVI cal. Octobris anno 1126, subinde Raginfredo peristylium, seu claustrum, aliaque loca perficiente. Vix decem abhinc anni effluxerant, cum tota fabrica voracibus flammis anno 1136 absumta est. Hæc vero Richardi regis An- D glorum, Mathildis imperatricis, necnon & aliorum optimatum munificentia, satagente potissimum Fraterno abbate, postea reparata, miserabili quoque incendio anno 1201 iterum deformata est. Denique anno 1248 monasterium tertio sic conflagravit, ut consumtis igne cunctis ædibus, alias sedes monachi quærere compulsi sint. Tot cladibus minime fracti abbatum animi; ac præcipue Hugonis indefesso labore, dormitorium & refectorium instaurantur, eriguntur muri cœnobium claudentes; ac paulo post productis urbis pomœriis, intra eorum ambitum & ipsa continentur regularia loca, in quibus nihil fere ad E splendorem & elegantiam desideres.

Anno 1319 Johannes III abbas, Caroli Valesiorum comitis consiliorum particeps, superbæ quæ nunc exstat basilicæ jecit fundamenta, & intra triginta ac septem annos, quibus ille monasterio præfuit, stupendum hoc opus ad transversam usque crucem perduxit. Absolverunt ecclesiæ crucem, coronam & navis partem dimidiam decem qui Johanni successerunt abbates: quos inter maxime elucet Guillelmus III cardinalis, qui præter cetera elegantissimo odeo templum decoravit. Cardinalis autem Bohierii cura & impensis absoluta ecclesiæ navi, anteriorem illius atrii faciem aggressus est Innocentius Cibo, & ipse cardinalis, hactenus incompletam. Protenditur basilica illa a muro sacelli beatæ Virginis retro chorum ad majorem portam in longitudinem pedum fere 417; a latere dextro ad sinistrum in latitudinem pedum 78; a pavimento ad fornicem in altitudinem pedum 100. Illustratur 125 fenestris, quæ continent vitrea tympana majora 4300, minora 300, præter rosas tres miri ac singularis artificii; tanta superbit elegantia, teneritate ac concinnitate, ut mirum sit illam post tot annorum curricula ventis & tempestatibus, quæ ædificiorum moles longe crassiores humilioresve quotidie subruunt, contra astare potuisse.

Basilicæ sive hujus postremæ, sive prioris quam Clotarius condiderat, dedicationes silent vetera monumenta. Illi vero cui Guillelmus I abbas coronidem imposuit, consecrationis impendit beneficium Gaufridus Rotomagensis archiepiscopus calendis Novembris anno 1126. Dedicationis celebritatem auxit corporis sancti Audoëni ceterorumque pignorum translatio, quæ nobili pompa, magnoque apparatu in novam basilicam transportata, decenti loco honorifice reposita sunt. Horum omnium etsi Novatorum furore nuda pene superant nomina, visum est, ne omnino pereant indicem seræ posteritatis memoriæ commendare. Anno igitur 1562 sancti Audoëni basilicam hostiliter ingressi Calvinistæ furentes, chori subsellia, altare majus, aliasque subvertunt aras, dejiciunt sanctorum imagines, odeum miro elaboratum opere, multaque alia demoliuntur, aut deturpant, tum invadentes sacrarium, pretiosas quasque vestes & ornamenta, receptaculum sanctissimi Sacramenti, cruces octo, textus evangelicos septem, calices duodecim, thuribula cum naviculis quatuor, candelabra duodecim, totidem cum pelvibus urceolos, pedum abbatis, infulas & annulos pastorales, insignes sanctorum corporum thecas duodecim, alia propemodum innumera sacrarum reliquiarum fercula gemmis, auro argentoque spectabilia; denique ceteram sanctuarii supellectilem impie deprædantur, ac suos in usus sacrilege convertunt. Accensa insuper in ipsomet templo ex eversis monachorum stallis cancellisque ecclesiæ ingenti pyra, venerabiles eorumdem corporum exuvias suppositis flammis comburunt, maxime vero ipsum corpus sancti Audoëni tot a seculis illibatum, reliquias apostolorum Petri & Pauli, SS. Nicasii Rotomagensium apostoli ac sociorum martyrum, S. Romani Rotomagensis archiepiscopi, sancti Leufredi abbatis, sancti Vulganii, sancti Remigii Rotomagensis archiepiscopi, & sanctæ Agnetis virginis & martyris; quorum omnium sacrata pignora in duodecim infusis auro argentove ferculis condita, religiose asservabantur. Alia item sanctæ Agnetis, sancti Faronis Meldensis episcopi, S. Leufredi, sanctæ

Scaribergæ, sancti Remigii, &c. ossa in quinque argenteis vasis totidem capitum figuram referentibus recondita, idem consumsit incendium. Ejusdem ignis vim quoque experti sunt radii brachiorum sanctorum Andreæ, Jacobi Majoris & Bartholomæi apostolorum, sancti Arnulfi martyris, sanctorum Juliani, Nicasii, Sebastiani, Gregorii, &c. quorum ossa veneranda figuræ undecim auro argentoque illitæ, & ad brachii speciem conformatæ continebant. Queruntur insuper monachi eadem sorte deperditos intemeratæ virginis Mariæ capillos, quos exhibebat argentea angeli effigies, sancti Bartholomæi mandibulam, ossa sanctorum Marci, Lucæ & Matthæi, sanctorum Cosmæ & Damiani, sancti Stephani, sancti Georgii, S. Clementis, sancti Vincentii, sancti Leodegarii, S. Eligii, sancti Martini, sancti Agili & aliorum. Divino tamen favente numine impiorum plus quam barbaro furori subducta sunt officula quædam sancti Audoëni ac sancti Romani, reliquiæ unius e sancti Dionysii sociis, item auro vestita Crux, in qua Dominicæ Crucis portio quædam asservatur.

Incumbentia regno bella, monasterii repetitæ conflagrationes, variique eventus concussam non semel labefactarant regularis observantiæ disciplinam, quam abbatum, qui tum præfuere monasterio vigilantia, nonnullorumque monachorum studium restituit in melius, uti factum *Hildeberti* & Guillelmi Divionensis ætate. Verum rebus in pejora vergentibus, congregationis sancti Mauri Patres anno 1660 locum subiere primævum fervorem revocaturi. Toties autem redintegratam monasticæ disciplinæ observantiam æquo passu subsecuta est literarum professio; quantumque in earum studio variis temporibus profecerint sancti Audoëni ascetæ, argumento sunt tam varia monumenta, quæ manuscriptis codicibus plurimis consignata sunt, quam insignes scientia viri, qui ex illo scholarum ludo prodiere. Exhibet monasterii tabularium Gregorii papæ IX diploma, quo abbati monachisque S. Audoëni potestatem facit renovandæ certis diebus statisque horis, uti prius mos erat, lectionis theologicæ. Apertum item in asceterio aut prope asceterium, humaniorum literarum gymnasium probat orta olim canonicos inter & monachos contentio, qua illi publicam earum exercitationem monachis volebant interdicere. Nunc ad privilegia immunitatesque monasterii transeundum.

Consumtis Normannico incendio ipsius documentis, nulla superest privilegiorum antiquorum memoria, quæ antecedat annum 996, quo Gregorius V papa omnium libertatum ac jurium, quibus olim concessione regum ac principum gaudebant monachi, libertatem confirmavit. Sed plenior habetur privilegiorum notitia ex charta Hugonis III antistitis, qua confirmat anno 1130 omnes consuetudines, quibus tempore Gaufridi decessoris sui potiebatur monasterium; atque in primis declarat inaugurandos in ejus basilica Rotomagenses archipræsules, nec servandum in

A ea interdictum, nisi quando in ecclesia cathedrali continget observari: omnimodam quoque in parochiam S. Audoëni firmat jurisdictionem, & alia quæ fuse ibidem enumerantur. Idem jus monasterio competit in multas alias ecclesias, ac præcipue in eas, quæ dynastiæ *de Roz* diœcesis Bajocensis subduntur, in quibus jus dicunt instituti ab abbate vicarius major, officialis, promotor & ceteri ecclesiastici fori judices. In celebri olim Normanniæ scacario primas inter ceteros provinciæ abbates habuit abbas sancti Audoëni, qui in supremo Rotomagensi Parlamento, quod priori illi curiæ substitutum

B est, sedet etiamnum consiliarius, hac honoraria dignitate Ludovici XII Francorum regis benevolentia insignitus. Abbatis item & monachorum est singulare privilegium, electum recens archiepiscopum, ubi primum ab inauguratione metropolitanam urbem solenni apparatu ingreditur, deducere ad cathedralem ecclesiam, & offerre canonicis; ejusdem funus, ubi diem extremum clauserit, ad sancti Audoëni basilicam eodem quo supra, sed lugubri ritu relaturis. Præterea monasterium sancti Audoëni hanc semper libertatem & potestatem in ecclesiis sancti Victoris Caletensis ac sancti Leufredi de Cruce habuit a

C principio, quod earum abbatibus viam universæ carnis ingressis, abbas & monachi S. Audoëni alios e cœtu suo ab illis conventibus electos in locum eorum subrogarent; quod postea jus, quamvis ab Alexandro III & IV pontificibus confirmatum, impugnavit præpostere sane hisce nuperis diebus sancti Victoris in Caletis abbas commendatarius, sed a monachis sancti Audoëni viriliter defensatum est. Quo vero loco apud archiepiscopos clerumque Rotomagensem olim fuerint monasterii hujus ascetæ, testatur sancti Maurilii statutum, quo in celebranda quotannis a canonicis simul & monachis beati Audoëni

D solennitate, sinistram his, dexteram illis chori partem assignat. Neque minori studio idem asceterium prosecuti sunt Romani pontifices, e quibus Alexander IV anno 1256 insignia pontificalia abbati concessit, eique potestatem fecit conferendi primam tonsuram ac minores ordines; multis denique diplomatibus benevolum se probavit monasterio, cujus omnes immunitates, jura, prærogativas, honores & cetera voluit esse illibata. Missas facio ceteras eorumdem pontificum in monasterii commodum bullas, variaque diplomata Anastasii IV, Urbani III, Honorii III, Gregorii IX, Clementis IV, Nicolai III, Cœ-

E lestini V & aliorum, qui literis suis quantum sibi cordi esset cœnobii tutela testatum voluerunt. Multiplices quoque sunt regum Franciæ & Angliæ, ducum Normanniæ, atque aliorum optimatum authenticæ literæ, quibus asserta volunt omnia monasterii privilegia; sed eas legere est in fusiore ipsius historia vernacule a Pommerayo nostro edita; maxime vero literas Richardi II ducis, pag. 403 & seqq. Nunc de singulis abbatibus ex ordine dicendum.

Catalogus Abbatum.

Hic cogimur ab erudito Pommerayo, historiæ monasterii scriptore omnino discedere, qui cum violatis injuria temporum antiquis instrumentis, nihil de prioribus abbatibus, uno excepto Riculfo, resciret, nullos fuisse proprios per multa secula loci abbates, sed quos Rotomagensis ecclesia in pastores haberet, eosdem quoque sancti Audoëni monasterium rexisse conjectavit pag. 232 & seqq. atque id perperam, meo quidem judicio cogitatum. Cum enim aliquot seculis non alio, quam S. Petri nomine locus hic diceretur, & plurima alia loca eumdem præferrent sancti Petri titulum, non est cur mirere si mediæ ætatis scriptores nullos sancti Audoëni cœnobio proprios abbates asserere vel discernere ab aliis potuerint. Unum excipimus Hilduinum abbatem sancti Dionysii, sancti Medardi & sancti Germani, qui adiens limina Apostolorum, per voluntatem Ludovici imperatoris privilegium obtinuit ab Eugenio II papa pro ecclesia sancti Petri, cui præerat, in partibus Neustriæ a Chlotario constructa, ubi sanctissimus Audoënus requiescebat in corpore circa 824. Præterea quem amabo jam habemus Rotomagensium rerum, quæ ad illius ecclesiæ historiam pertinent, scriptorem antiquum? quis præerat illi Rotomagensi forte sancti Petri monasterio, Victricii archiepiscopi ætate, cui Paulinus Nolanus cum Innocentio pontifice tam luculentum testimonium exhibuit? Sint igitur ignota priorum sancti Audoëni abbatum ad Riculfum usque gesta pariter ac nomina. Sed absit ut eorum accedamus sententiæ, qui munus abbatis eo in loco cum dignitate pontificali fuisse conjunctum ad medium seculum decimum pronunciant, se ipsis auctoribus simul ac testibus. Fieri quidem potuit ut nonnulli archipræsules, quales Hugo *multorum cœnobiorum pater*, & Riculfus, abbatiam S. Audoëni rebus addixerint suis. At illud singulare fuit, nec certa lege, multo minus majorum exemplis firmatum. His præfatis, exordium sumet sequens catalogus ab iis duntaxat abbatibus, qui rexere post instauratam in monasterio disciplinam a Guillelmo Divionensi, de quo jam fusius diximus tomo IV, col. 675 & seqq. prætermisso etiam Riculfo, quem vide supra in archiepiscopis Rotomagensibus col. 23.

I. Hildebertus a Guillelmo Divionensi, ut credere est, institutus, utrique Richardo Normannorum duci carus fuit, eorumque usus beneficiis impigre incubuit reparandis tam ædificiorum quam morum dispendiis. Sub eo, inquit scriptor miraculorum sancti Audoëni, *multitudo monachorum arduam regularis militiæ vitam agebat.* Obiit anno 1006 ex veteri chronico, quod laudavit auctor Neustriæ piæ pag. 21; sed quod addit ille Hildebertum sedisse ad S. Audoënum annis 46, quomodo constabit cum historia Guillelmi decessoris sui, qui abbatiam Divionensem non est adeptus nisi anno circiter 990?

II. Henricus ducum & optimatum Norman-
A norum adjutus opibus, monasterii instaurationem feliciter prosecutus est. Sedebat certe an. 1011, quo memoratur in charta Rodulphi comitis Ebroicensis data in gratiam monasterii apud Mabillonium Annal. Bened. tom. IV, pag. 221, & apud Pommerayum Hist. abbat. S. Audoëni, pagg. 422 & 423. Subscripsit chartæ Roberti archiepiscopi de ecclesia Fontaneti pro monasterio S. Petri Carnotensis circa 1024. Corpora sanctorum Nicasii & sociorum e loco cui nomen Wambasium, quo barbarorum metu translata fuerant, in reparatam sancti Audoëni basilicam curavit reducenda anno 1032. Obiisse creditur
B Henricus anno 1033.

Instru eccl. C tom. chart. col. 23.

III. Herfastus seu Herefastus rexisse dicitur annos circiter decem, & obiisse anno 1042, de qua chronologia vide Nicolaum qui sequitur.

IV. Nicolaus I filius, forte nothus, Richardi III Normannorum ducis, a pueritia in cœnobio sancti Audoëni educatus literisque eruditus, monasticam ibidem vitam professus est, postea que abbatis officium gessit per annos fere quinquaginta, extinctus anno 1092 mense Februario, ex Willelmo Gemeticensi lib. VI, cap. 2, unde Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag. 343, concludit falsum esse Ordericum Vitalem, qui pag. 710 asserit
C Nicolaum in abbatia Fiscannensi monachum induisse, tum abbatem exstitisse per 56 annos, supremumque diem obiisse IV cal. Martii anno 1094. Enimvero si obiit anno 1094 post 56 annos regiminis, necesse est eum sedere cœpisse anno 1038. Herfasti vero decennium incipiet ab anno 1028. At qui non solum an. 1028, sed & anno 1032 sedebat adhuc Henricus Herfasti decessor, ut modo probavimus. Ergo revera, inquies cum Mabillonio, hallucinatus est Ordericus. Sed unde habemus Herfastum rexisse decem annos? Obiit certe Henricus anno quamprimum 1032, Herfastus post eum regere potuit annis duntaxat
D quinque ad annum 1038; Nicolaus denique ab anno 1038 ad annum 1094. Verumtamen ad defensionem Gemeticensis accedere videtur epitaphium ipsius Nicolai, quod & auctor Neustriæ piæ pag. 24, & Pommerayus in historia abbatiæ sancti Audoëni pag. 256, retulere in hæc verba: *Hic jacet Nicolaus abbas hujus cœnobii, filius Richardi comitis Normanniæ junioris, & frater Roberti comitis, qui rediens ex Hierosolymis apud Nicæam urbem mortuus est & sepultus. Hic autem Nicolaus cœnobium istud quinquaginta annis rexit prior noster eximius. Obiit autem anno Incarnationis Dominicæ 1092, III cal. Martii.* Sed præter-
E quam quod epitaphium illud, ut nempe nævos quosdam corrigeret, paulo aliter descripsit Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 295, posteriori etiam ævo confectum esse ex hoc uno patet, quod in eo Nicolaus abbas dicatur filius Richardi II, non Richardi III, quod chronicis & scriptoribus omnibus repugnat. Ad ipsum denique Gemeticensem quod spectat, nullius esse ponderis argumentum quod ex ipso desumitur, in promtu est ostendere. Interpolatum esse illum in multis, maxime vero eo loci de quo agitur, probavit eruditus

eruditus auctor dissertationis, quam legesis integram in Mercurio Francico anni 1723, mensis Decembris tom. II, pag. 1292 & seqq. Inde etiam intelliges Orderico credendum, ubi ait Nicolaum puerum Roberto duce patruo suo compellente tyrocinium vitæ monasticæ posuisse Fiscanni sub Johanne abbate, potius quam Willelmo Gemeticensi, tyrocinium illud ad monasterium sancti Audoëni rejicienti. Neque tamen Ordericum omnibus hic suis numeris absolutum esse contendimus, qui Nicolaum ad quartum annum post mortem Guillelmi nothi asserit pervenisse, simulque anno Christi 1094 obiisse, nisi dicas, quod omnino verisimilius est, ipsum sub anno quidem 1094 de Nicolao quæ narrare in animo habebat narrasse, de anno tamen obitus ejus mentem suam satis aperuisse, dum ait Guillelmo regi superstitem fuisse quatuor annis; cui quadriennio si adjicias quinque aut sex duntaxat menses, qui effluxere a die v idus Septembris anni 1087. qui fuit dies obitus Guillelmi nothi ad diem III vel IV calend. Martii anni 1092, quo die vel saltem quo mense Nicolaus obiit ex interpolatore Willelmi Gemeticensis, nihil jam discriminis erit inter utrumque scriptorem, nisi de numero annorum quibus ille præfuit monasterio sancti Audoëni: sed discrimen illud tollere, nisi aliunde lux quædam affulgeat, non tentabimus. Henricus sedebat adhuc anno 1032, Nicolaus vero obiit anno 1092. Si rexit 56 annos, regere cœpit anno 1036; Hersastus autem decessor ejus sedere non potuit nisi tres aut quatuor annos. Si rexit annos duntaxat 50, regere cœpit anno 1042; Hersastus autem sedere potuit annos decem.

Nicolaus, ex Orderico, *multa benignitate & caritate, aliisque virtutibus floruit, in regimine vero positus subjectis intus externisque magis prodesse, quam præesse studuit.* Sub ejus præfectura, anno 1050, Guillelmus Archiensis comes, fraterque ejus Malgerius archiepiscopus villam Pirorum tradiderunt monasterio. Hugo fundavit abbatiam *de Siggi* circa 1052, quam S. Audoëno tradidit. Guillelmus dux Normannorum confirmavit donatam eidem monasterio ecclesiam S. Victoris de Caleto anno 1055. Idem confirmavit anno 1060 donationem Silvæ-viridis, quam pater ejus Robertus dux concesserat, & eodem circiter tempore nundinas dedit, ante majorem domus abbatialis portam agendas, cum omni privilegio & jure consuetudinario super omnes res pretio comparatas. Anno 1066 Nicolaus adfuit dedicationi Cadomensis parthenonis, & eodem circiter anno, *tempore Guillelmi inclyti regis,* ut legitur in veteri codice MS. sancti Audoëni, novam monasterii sui basilicam ædificare aggressus est. Certe, ex Orderico, dedicata est illa an. 1126, post annos sexaginta ab instauratione sua, ut observabimus infra in Guillelmo I abbate. De ingenti tumultu, qui in ejus absentia excitatus est anno 1073 in ecclesia illa, diximus sup. col. 33. Subscripsit anno 1074 diplomati Willelmi regis Angliæ & Normanniæ ducis, pro fundando cœnobio canonicorum regularium in diœcesi Bajocensi ex bonis Grimoldi, qui reus conspirationis in hunc principem, capite plexus fuerat, omnibus bonis ecclesiæ Bajocensi addictis. Eodem anno cellam sancti Victoris apud Caletes, monasterio suo obnoxiam, ad abbatias evehendam concessit in concilio provinciali. Adfuit anno 1080 concilio Juliobonensi, & anno 1087 exequiis Guillelmi nothi. Denique *adorato in Jerusalem*, inquit Ordericus, *sepulchro Domini*, reversus ad suos obiit III aut IV calend. Martii, anno, ut diximus, 1092, conditusque est, ex eodem Orderico, ante altare beatæ Mariæ; quod chronicon MS. ejusdem loci sic explicat, ut intelligatur primo sepultum esse medio in choro, deinde die Jovis, in festo sancti Urbani, anno 1319 (melius 1318) translatum esse in sacellum beatæ Virginis ad lævam. Super tumulum autem *structura de lignis pulchre depictis condita nitescit,* ait Ordericus, *cujus in culmine Mauricius cœnobita hujusmodi epitaphium literis aureis eleganter inseruit:*

Hic amor & pietas, monachorum flos & honestas,
Deponens artus Domino vivit Nicolaus.
Rexit amore gregem; quam cernis condidit ædem.
Hac lux occubuit, dum Pisces Phœbus adurit.

Abbas ille curaverat complures vitas Sanctorum describi, eorum maxime, quorum sacræ exuviæ asservabantur in suo monasterio; ipsi vero Theodericus monachus, qui vitam sancti Audoëni metrice scripsit, opus suum dedicaverat. Sub ejus præfectura Odo Bajocensis episcopus iteratis litibus contendit ecclesiam *Roz* dictam in sua diœcesi sitam, sed a jure episcopali liberam, sibi subjici debere. Verum cum postea animadvertisset hanc immunitatem ab ipso sancto Audoëno olim assertam fuisse, non modo ob tanti pontificis reverentiam a cœptis destitit, sed etiam successores suos adjuravit ne quid unquam contra hoc privilegium molirentur. Charta ea de re ab eo edita, quam vulgavit Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 650, caret chronicis notis; non tamen ultra annum 1092 differri potest ob Nicolai abbatis hoc ipso anno defuncti mentionem.

V. Helgotus, seu Hilgotus, « Cadomensis prior, inquit Ordericus supra, eruditione & virtutum exercitio pollens, venerabili Nicolao subrogatus est, & gubernaculo abbatiæ S. Audoëni fere viginti annis potitus est. Cujus tempore conventus ejusdem ecclesiæ numero & religione laudabiliter auctus est. Tunc Gislebertus quidam laïcus de Hierusalem Rotomagum venit, & a præfato patre ad monachatum susceptus, ecclesiæ suæ digniter profecit. Opus enim basilicæ, quod jamdudum admiranda magnitudine intermissum fuerat, assumsit, ibique pecuniam Alberadæ grossæ, dominæ suæ, quæ in via Dei moriens thesaurum ei suum commendaverat, largiter distraxit, & inde aliorum quoque fidelium subsidiis adjutus, insigne opus perficere sategit. » Subscripsit anno 1096 chartis Roberti ducis

Ch. XII. col. 16.

Normanniæ pro ecclesia metropolitana, & Stephani comitis de Alba-marla pro sancto Luciano Bellovacensi. Adfuit anno 1106 compositioni actæ inter Fiscannenses & Ebroicenses sancti Taurini monachos, quo etiam anno nonnulli capilli beatæ Mariæ, qui ex urbe Jerosolyma asportati fuerant, ad sanctum Audoënum allati sunt. Ipsi vero anno sequenti aut circiter scripsit Anselmus Cantuariensis epistolam quæ est CXXIX, libri 3. Obiit, ex eodem Orderico ibidem, XII calendas Decembris anno 1112, sepultusque est ante altare S. Stephani protomartyris, quod tunc in vestibulo ad Aquilonarem plagam positum erat.

VI. Guillelmus I, dictus Orderico Balotensis, vernacule autem *Balot*, seu *Ballot*, « ejusdem ecclesiæ (verba sunt Orderici) a pueritia monachus, in ordine regiminis per annos fere XIV subsecutus est. Ipsius quidem tempore basilica ingens olim a Nicolao cœpta vix in annis LX consummata est, & a Goisfredo archiepiscopo cum aliis pluribus prælatis & subditis, XVI cal. Novembris dedicata est. Eodem anno Guillelmus abbas obiit. » Hucusque Ordericus, atque hinc merito colligas, ipsum non in annum 1094, sed in annum 1092 mortem Nicolai abbatis rejecisse. Si enim anno 1092 adjicias annos 20 quos ille Helgoto, & annos 14 quos Guillelmo Balotensi tribuit, incides in annum Christi 1126, quo revera dedicata est ecclesia S. Audoëni, ipso eodem Orderico teste lib. 12, pagg. 883 & 884, in hæc verba: *Anno ab Incarnat. Domini 1126 ..... mense Octobri, basilica S. Petri apostoli in suburbio Rotomagi dedicata est, ubi corpus sancti Audoëni archiepiscopi & confessoris honeste conditum est.* Adfuerat Guillelmus anno 1119 concilio Remensi, & mutuam precum cum pluribus monasteriis societatem inierat.

VII. Raginfredus ejusdem cœnobii monachus, Guillelmo successit. Hujus tempore, ait Ordericus sup. pag. 710, claustrum cum aliis monachorum officinis consummatum specialiter emicuit; Fulbertus autem decanus & archidiaconus ecclesiæ Rotomagensis, de quo diximus sup. col. 115, in extremis positus monasticum habitum suscepit. Adfuit Raginfredus an. 1128 concilio Rotomagensi, & obtinuit anno 1130 ab Hugone III archipræsule privilegium illud, cujus meminimus in prologo: « Anno 1136, tertia septimana Septembris, ait Ordericus pag. 905, repentino Rotomagus igne combusta est, & ingens damnum fidelibus populis divino judicio illatum est. Nobile cœnobium sancti Audoëni flammis edacibus absumtum est; quod vix ad perfectum per 80 annos multorum labore perductum est. Pari quoque infortunio monasterium sanctimonialium desolatum est, quod in honore sancti Amandi episcopi & confessoris constructum est. » Ex iis tamen, quæ modo ex eodem Orderico excerpsimus in Guillelmo Raginfredi decessore, non annos 80 steterat basilica illa quando succensa est anno 1136, sed annos tantum 70. Ceterum Raginfredus cum affectæ valetudinis esset, abbatiam sponte

A abdicavit anno 1141, aut 1142, ut produnt schedæ omnes, secessitque ad cellam S. Michaëlis in Monte prope Rotomagum, sancto Audoëno obnoxiam; cujus loci prior factus est, superstes adhuc anno 1150.

5 Laudatur in Descriptione superioris Normanniæ, tom. II, pag. 316, vetus quidam abbatiæ Mortui-maris, diœcesis Rotomag. codex, in quo Serlo abbas S. Audoëni dicitur arbiter electus fuisse anno 1138 inter abbatem Pinus & archiepiscopum Rotomagensem. Quod si verum est, abdicare debuit Raginfredus ante annum 1142. Sed de Serlone illo ne verbum B quidem in instrumentis, in schedis, in catalogis, in documentis denique cujusvis generis. Præterea auctor Neustriæ piæ, pag. 28, & Pommerayus Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 452, chartam descripsere ex tabulario ejusdem monasterii anno 1150 confectam, in qua annus ille illigatur cum nono mediante anno ordinationis D. Fraterni, qui proxime Raginfredo successit. Irrepsit igitur in codice Mortui-maris nomen Serlonis pro nomine Fraterni, vel nomen sancti Audoëni pro nomine aliûs monasterii, S. Luciani forte in diœcesi Bellovacensi, aut Savigniaci in diœc. Abrincensi.

C VIII. Fraternus, seu Freherus, ex monacho Cluniacensi substitutus abbas, subscripsit idibus Octobris anno 1142, chartæ Hugonis archiepiscopi pro monasterio Burgi-Achardi, & anno 1144 aliis ejusdem præsulis literis pro monasterio Beccensi. Quem & ipse beneficum expertus est 1145, datis nonnullis infirmariæ sancti Audoëni, quæ postea idem archiepiscopus confirmavit 1161 Rogero successori. Memor beneficiorum, quæ Raginfredus decessor ejus, & eorum maxime quæ dimissa præfectura, tum prior sancti Michaëlis in Monte Rotomagensi, monasterio sancti Audoëni contulerat, solenne D anniversarium pro animabus ejusdem loci abbatum, monachorum, propinquorum ac benefactorum, communi capituli decreto instituit, postero die sancti Romani episcopi celebrandum; eodemque die festivum epulum fratribus in refectorio exhiberi voluit: insuper ejusdem Raginfredi anniversarias preces ipso die quo ejus obitus accideret fieri statuit anno 1150. Ex ipsa constitutionis hujus charta, quam legesis in Neustria pia pag. 28, vertebatur tunc annus nonus Fraterni, qui & ipse propter infirmitatem abdicavit anno 1157.

IX. Rogerius I *de l'Aigle* monachus Cluniac. E ut legitur in Annal. Bened. tom. VI, pag. 337, non Cadomensis, ut legitur ibid. pag. 567, appellatur a Roberto de Monte *vir summæ religionis, vir religiosus ac timens Deum.* Suffectus ille anno 1157, Fraterno abdicanti, concordiam iniit hoc ipso anno cum Mathilde abbatissa Almanesciensi super quibusdam juribus. Ab Hugone antistite Rotomagensi confirmari curavit anno 1161, donationem quam idem antistes Fraterno contulerat. Obiit exeunte anno 1167, id est forte ineunte an. 1168, post impetratum,

ut creditur, ab Alexandro III papa diploma, quo ecclesiæ monasterio obnoxiæ, libertatesque & jura omnia ejusdem confirmantur, ac præcipue jurisdictio in abbatias sancti Leufredi & sancti Victoris in Caletis. Nil tamen vetat quominus diploma illud quod vulgavit Pommerayus Hist. abbat. S. Audoëni, pagg. 406 & 407 concessum fuerit in gratiam vel Aimerici, vel Richardi successorum suorum; caret enim notis chronologicis.

X. Aimericus, de quo Robertus de Monte ad annum 1167 in hæc verba: *Ante Quadragesimam rex Angliæ Henricus II venit Rotomagum; & mortuo Rogerio abbate sancti Audoëni, viro summæ religionis, eamdem abbatiam dedit Haimerico cellerario Becci.* Subscripsit anno 1168, III cal. Augusti, literis Rotrodi Rotomagensis archiepiscopi pro monasterio Mortui-maris. Cum eodem archiepiscopo transegit anno sequenti, mense Aprili. Obiit anno 1171, ex Roberto de Monte.

XI. Richardus adfuit anno 1179 translationi sancti Romani, obiitque v calend. Januarii anno 1181.

XII. Sanson, ex priore S. Stephani Cadomensis factus abbas ineunte anno 1182, consanguineus erat Walterii archiepiscopi, quo conciliatore pepigit cum Guillelmo abbate Mortui-maris. Beneficos etiam sensit Urbanum VIII papam & Philippum Augustum regem. Terras de Sanceio, ex cultura sancti Audoëni, concessit Theobaldo abbati sancti Crispini in Cavea, ea conventione ut singulis annis persolverentur sancto Audoëno de singulis segetum manipulis tres fasces in universis culturis. Obiit an. 1190, ex omnibus catalogis; attamen in chartulario sancti Salvatoris legitur inquisitio per eum facta de mandato Cœlestini III, pontificatus anno 3, hic est 1193.

XIII. Gaufridus occurrit in instrumentis mense Februario anni 1190, id est 1191. Quædam permutavit cum Richardo I Anglorum rege; & prioratum Meresaii in Anglia ecclesiæ suæ obnoxium elocavit anno 1205, Guillelmo episcopo Londoniensi, charta quam legesis apud Pommerayum Hist. abbat. sancti Audoëni pag. 483 & seqq. Litem habuit cum monachis Crucis sancti Leufredi; sed a causa excidit anno 1199 sententia Innocentii III, uti constat ex ejus epist. LXXVIII, lib. 2. Sed dum monasterii spirituali temporalique augmento studiose incumbit, illud videt anno 1201 lugubri rursus deformatum incendio. Reparatis impigre per septem annos ruinis extinguitur ipse anno 1208.

§ Hîc auctor Neustriæ piæ, pag. 30, interserit Henricum II, cujus perperam ait meminisse chartularia monasterii anno 1207, mense Nov.

XIV. Tostanus, seu Tustinus, reperitur anno 1208, mense Augusto. Ecclesiam cathedralem sanguinis effusione pollutam vocatus a vicariis generalibus reconciliavit anno, ut præferunt quædam schedæ, 1211. Obiit anno 1212.

XV. Rogerius II, quem auctor Neustriæ piæ, pag. 30, ait occurrere in instrumentis an. 1210,

A mense Augusto, electus est ex Pommerayo Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 271, anno duntaxat 1212, die festo translationis S. Thomæ. Pepigit anno 1216 cum Reginaldo *du Bosc*, Philippo Augusto rege pactum confirmante, qui & anno 1220 fossata monasterii ad ejusdem dilatandos hortos concessit. Is unus cum sanctæ Catharinæ abbate juxta Rotomagum, suoque priore mandatum accepit anno 1222 a Gervasio episcopo Sagiensi, aliisque ab Honorio III papa delegatis ad confirmandam electionem Theobaldi archiepiscopi, ut inquireret de illa electione: tum anno 1228 subscripsit literis quibus septum
B sancti Marci, quod tunc positum erat extra murum urbis, concedebatur Fratribus Minoribus, & societatem renovavit cum abbate Resbacensi. Obiit eodem anno post impetratam a Gregorio IX papa facultatem renovandæ in monasterio suo theologicæ lectionis.

XVI. Reginaldus I occurrit anno 1231 in crastino Exaltationis sanctæ Crucis. Obiit anno 1232.

XVII. Adamus *Bacon*, dictus Reclusus, ex abbate sanctæ Catharinæ prope Rotomagum, nominatus est abbas sancti Audoëni cal. Julii anno 1232, a Mauricio archiepiscopo, in quem
C monachi compromiserant, ut videre est in instrumento hac de re confecto, quod habes apud Pommerayum Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 439. Diximus supra col. 127, in abbatibus sanctæ Catharinæ, ipsum abdicata anno 1233 dignitate repetiisse cœnobium illud, ubi se vivum quasi sepelivit in cella ab omni parte occlusa; quod genus vitæ per annos 24 traxit. Defunctus 8 Octobris 1256, sepultus est in majori ecclesia ante altare sanctæ Crucis.

XVIII. Hugo *de Comte-moulins* dissentientibus de eligendo abbate monachis, ab ipso summo pontifice Gregorio IX abbas renunciatus
D est anno 1234, obtinuitque anno 1244 ab Innocentio IV papa diploma de juribus & possessionibus monasterii, quod edidit Pommerayus Histor. abbat. S. Audoëni, pag. 408 & seqq. Eum inter & archidiaconum Rotomagensem litem exortam sopivit anno 1246 episcopus Sagiensis. Sub ejus præfectura, anno 1248, miserandum abbatia iterato passa est incendium, quod ex veteri chronico Rotomagensi MS. sic describit auctor Neustriæ piæ, pag. 31: « Hoc anno, inquit, cœpit ignis juxta portam Belvacensem, qui combussit ecclesias sancti Laurentii « & sancti Gildardi, & totam abbatiam sancti «
E Audoëni. Tantum enim invaluit impetus ignis, « ut omnia ædificia brevi consumserit campanasque liquefecerit, & abbatem cum monachis « exinde fugere compulerit in extera eorum domicilia de *Bihorel* & *Plain-bosc*, quo secum exinde « asportarunt ornamenta, calices, literas, scripturas, « reliquias, & quidquid de re supellectili edacibus « flammis subripi potuit. Postea vero rediens Hugo « abbas ad pristinum locum, animo consternatus « haud extitit ob diruta circumquaque ædificia, « imo præsenti occurrendum necessitati, si viribus «

quantumvis diminutis robur adderet ex collecta A pecunia optime judicavit. Quare dormitorium inprimis atque refectorium curavit extruendum. Muros etiam totius abbatiæ magnis sumtibus refecit, non tamen sine molestia & contradictione tum ex parte populi, qui quod latomi per diem extruxerant, de nocte evertebat, ut propterea milites in sui præsidium aggregare illi opus fuerit quousque muri ad suprema conscenderent; tumque a parte Majoris & Parium civitatis, tale opus impedientium, non tamen aperte, sed velut indirecte, ne noxam regi postea notam mulcta diluerent. » Pergit ille: « Multa quoque passus est ab adversariis, falsoque sæpe B est calumniatus, quorum collatam in se criminationem facile diluit apud regem, archiepiscop. & summum pontificem. Demum pie decessit e vita anno 1251, sepultusque est in suæ abbatiæ æde, ex qua postea ad novam est translatus ecclesiam anno 1335 circa festum sancti Nicolai hiemalis & in capella S. Andreæ tumulatus. »

XIX. Nicolaus II *de Beauvais* unanimi fratrum suffragio electus est post licentiam eligendi a Blancha regina petitam literis III idus Augusti ejusdem anni scriptis, quas vide in Neustria pia, pag. 32. Vir fuit amantissimus pacis & ab omni fastu alienus. Usum tamen pontificalium insi- C gnium concessit ei Alexander IV papa anno 1256, ut observavimus in prologo. Excusavit se hoc eodem anno 1256, quod ad synodum non venisset celebratam in festo Omnium sanctorum & emendavit. Pepigit anno 1257 cum Odone Rigaldo archiepiscopo, cujus rei chartam habes apud Pommerayum Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 440 & seqq. Interfuit anno 1261 translationi sanctorum martyrum Luciani & sociorum, quam fecit Guillelmus episcopus Bellovacensis. Sedebat adhuc anno 1272, ex auctore Neustriæ piæ, pag. 33. Contendit tamen Pommerayus Hist. abbat. sancti Audoëni, pagg. D 281 & 282 scriptorem illum errasse in duobus Nicolais, altero alterius proximo successore, priorique attribuisse multa, quæ spectant ad posteriorem; illum denique non excessisse annum 1260, quo sponte abdicavit. At Pommerayus ipse falsus est. Constat enim Nicolaum *de Beauvais* sedisse adhuc apud S. Audoënum anno 1266, quo Gillebertum monachum suum nominavit abbatem sancti Victoris in Caletis. Auctor vero Neustriæ piæ nihilo erravit minus, dum regimen Nicolai illius produxit in annum 1272: ex variis enim documentis comperimus abdicare illum debuisse anno circiter 1267. Obiit anno E 1282 prior Sigeii, sepultus ibidem, ex Neustria pia, pag. 32, coram altari beatæ Mariæ ad latus chori sinistrum.

XX. Nicolaus III *de Godarville* antea prior Belli-montis in Algia, cujus monasterii ecclesiam a fundamentis extruxerat cum ecclesia parochiali ejusdem loci, electus abbas anno circiter 1267, optimo regimine gubernavit, oppressumque multo ære alieno monasterium suum liberavit. Extinctus anno 1273, conditus est in sacello sancti Johannis, sed nova postea æde constructa, translatus in sacellum S. Stephani, epitaphioque donatus, quod legesis in Neustria pia, pag. 33, aut apud Pommerayum sup. pag. 283.

XXI. Johannes I *de Fontaines* ballivus monasterii & quondam prior Vadiniaci, partitis inter ipsum & Thomam *de Bruyeres*, qui anno 1266 abbatiam sancti Victoris recusaverat, fratrum suffragiis, ab Odone Rigaldo archiepiscopo, quem conventus electionis arbitrum constituerat, confirmatus anno 1273, monasterium brevi tempore quamplurimis temporalibus bonis instruxit, atque in multis ejus prædiis varia ædificia vel reparavit, vel exstruxit a fundamentis. Obiit cal. Maii anno 1287, in domo *de Roncherolles*, unde corpus ejus Rotomagum allatum est, cui clerus populusque, & omnium ordinum religiosi, necnon capitulum metropolitanæ ecclesiæ pie & honorifice obviam processerunt; in crastino autem simul convenientes illud pontificalibus adornatum infulis detulerunt ad tumulum in choro ecclesiæ suæ, inter altare majus & minus, ubi positum est epitaphium, quod lege, si vacat, in Neustria pia pag. 34, aut apud Pommerayum sup. pag. 285.

XXII. Johannes II *d'Auteuil*, dictus etiam *de Courcelles*, ex priore sancti Dionysii in Francia renunciatus est abbas a summo pontifice anno tantum 1290. Nam defuncto Johanne *de Fontaines*, Thomas *de Bruyeres*, de quo dicebamus modo, tunc prior Belli-montis in Algia, ab una parte monachorum iterum electus est, ab altera vero parte Robertus *de Touffreville* monasterii coquinarius, qui cum de principatu contenderent pertinacius, nec proficerent quidquam in controversia illa dirimenda sive Guillelmus archiepiscopus, sive cardinalis Choletus, causam suam detulerunt ad summum pontificem; litigio autem pendente, cum Robertus Romæ decessisset, ejusque fautores ipsi subrogassent Bernardum *de Hautville*, summus pontifex utroque competitore repudiato, Johannem, de quo agimus, instituit abbatem. Hic post adeptam Dominica secunda Adventus ejusdem anni abbatiæ possessionem, ecclesiam suam sacris pretiosisque ditavit vestibus atque ornamentis, ædificia instauravit, latioremque illam exedram construxit, quæ etiamnum infirmorum usui deputata superest. Obiit nonis Aprilis anno 1302, id est 1303, ex ejus epitaphio, conditusque est ante altare B. Mariæ. Ex epitaphio illo, quod integrum legesis in Neustria pia pag. 35, & apud Pommerayum sup. pag. 288, satis erit hos quatuor versus excerpsisse:

Anno milleno, trecentenoque secundo,
Transiit a mundo dotatus munere pleno,
Luce sacra Veneris, primævo tempore veris,
Venit mors isti, quo mansit Passio Christi.

XXIII. Johannes III *Roussel*, dictus etiam *Marc-d'argent*, ex priore Belli-montis in Algia electus abbas VI idus Maii anno 1303, singulare monasticæ disciplinæ studium probavit in antiquis

strictioribusque statutis monasterii renovandis, quæ venientibus ad conversionem novitiis voluit proponi. Ecclesiam cathedralem sanguine iterum effuso pollutam denuo reconciliavit anno circiter 1311. Hic ille est non satis commendandus abbas, qui augustissimæ quæ nunc exstat basilicæ fabricam auspicatus est anno 1319, uti observavimus in prologo. Obiit VII idus Decembris anno 1339 apud Bihorellum, sepultusque est honorifice in sacello beatæ Mariæ, præsentibus multis tam abbatibus pontificia veste indutis, quam optimatibus provinciæ viris, solennesque exequias non ordinum modo Mendicantium religiosis, sed & ecclesiæ cathedralis canonicis, universoque clero prosequentibus.

XXIV. Reginaldus II *du Quesnai*, dictus etiam *le Parmentier*, prior monasterii, post licentiam eligendi petitam a rege & impetratam 13 Decembris literis quas habes in Neustria pia, pag. 37, electus est abbas unanimi fratrum consensu, XI calendas Januarii anno 1339, benedictusque Luteciæ XVII calendas Februarii anno 1340, ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Bajocensi & Abrincensi episcopis, abbatibusque sanctæ Genovefæ & sancti Maglorii Parisiensis. Possessionem abbatiæ suæ apprehendit per seipse pridie nonas Februarii; sed III calend. Martii sequentis Rotomagum advenit cursor apostolicus, denuncians dignitatem abbatialem reservatam fuisse a summo pontifice. Eam igitur statim abdicat Reginaldus, Avenionemque contendit ad curiam Romanam, ubi ventilata quæstio cessit in sui gratiam, amica præsertim opera Petri Rogerii cardinalis, olim archiepiscopi Rotomagensis, postea vero summi pontificis. Reginaldus causa victa Rotomagum reversus, insigni iterum apparatu & urbem, & monasterium suum ingreditur, omnemque in ejus, tam spirituali quam temporali regimine adhibet diligentiam. Sed ut illud a multis quibus vexabatur infestationibus redimeret, nonnulla oppigneravit prædia, maximumque contraxit æs alienum. Vocatus est anno 1356 ad comitia regni generalia Luteciæ habita, abdicavitque se abbatiali munere anno 1362. Extinctus mense Julio anni 1368, sine pompa tumulatus est in sacello S. Stephani.

XXV. Arnaldus *du Breuil* Reginaldo suffectus, Avenionem & ipse profectus est, promotionis suæ confirmationem ab Innocentio VI papa, qui abbatiam item reservaverat, impetraturus; quam & obtinuit, soluta 1500 florenorum summa, receptusque est in ecclesia sua VII cal. Junii anno 1362. Colligendæ postea pecuniæ, quam Urbanus V singulis ordinis Benedictini monasteriis ad instaurandum Casinense cœnobium indixerat, præfectus est anno 1369. Tum ad promovendam intermissam basilicæ novæ fabricam 3000 libras Turonenses a Carolo V rege accepit. Cum Philippo Rotomagensi archiepiscopo pactionem iniit anno 1371. Paralysi tandem interceptus cessit dignitate anno 1378 in gratiam sequentis, obiitque apud Bihorellum nonis Aprilis anno 1381, id est 1382, sepultus in choro.

XXVI. Guillelmus II *le Mencher*, aliis *le Mercier*, iterum electus post mortem decessoris, obsequium vovit eodem anno idib. Septembris ecclesiæ Rotomagensi, & obstitit ausis officialis Rotomagensis, ex procuratione archiepiscopi monasterium sancti Audoëni, tam in capite quam in membris, visitare præsumentis. Adfuit anno 1386 scacario Normanniæ, in quo rescissæ sunt tabulæ, quibus exorta seditione in civitate, abbas & monachi, ne monasterium dilapidaretur, jurisdictionem suam vi coacti cesserant majori & civibus; & sepultus est in abbatiæ suæ sacello sancti Stephani: sed quot annos rexerit difficile est definire. Existimat tamen Pommerayus Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 314, illum obiisse anno 1391, mense Decembri, in cujus rei argumentum profert epitaphium ejus, quod ille aliter legit, aliter auctor Neustriæ piæ, pag. 40. Utrumque oculis lectoris subjiciendum est. Ex Neustria pia:

Pater Guillelmus jacet hic sub tegmine tectus,
Le Mercher *dictus, concordi fœdere lectus*
Hujus conventus, quem nuper terminans rexit.
Hic Rosei genitus, annis quater & tribus exit
A medio, mille quater orbe peractis
Annis a Christo, sex & tribus hiccine jactis.
Cui fuit extremæ vitæ lux hæc quoque prima
Festo Simonis & Judæ . . . .

Ex Pommerayo:

Pater Guillelmus jacet hic sub tegmine tectus,
Le Mencher *dictus, concordi fœdere lectus*
Hujus conventus, quem nuper in ordine rexit.
Hic Ressey *genitus, quinquies quater & tribus exit*
A medio, mille & centum quater orbe peractis
Annis a Christo, sex & tribus hiccine jactis.
Cui fuit extremæ vitæ lux hæc quoque prima
Festo Simonis & Judæ . . . .

Utrumque vitiatum esse, posterius tamen aliquanto minus quam prius, nemo non videt. In his tamen verbis quarti & quinti versus, *quinquies quater & tribus exit a medio*, videre sibi videtur Pommerayus Guillelmum vixisse quinquaginta & septem annos; quasi *quinquies quater* non significet viginti potius quam quinquaginta quatuor. Ego vero, quoniam claudicat ille versus, pro *quinquies quater & tribus* legendum suspicor *quinque & quater & tribus*, id est duodecim, supple annis, quæ vox exprimitur in sexto versu, ut duodecim illi anni peracti significent tempus quo Guillelmus sedit abbas, ab anno nimirum 1378 ad ann. 1391. Cetera recte interpretatur Pommerayus, qui in *sex & tribus jactis* nihil aliud videt quam *novem demtis*. Enim vero si novem annos demas a mille & quater centum annis, restabunt anni mille ter centum, nonaginta & unus. Sed cum ex ipso epitaphio Guillelmus obierit die festo sanctorum Simonis & Judæ, qui cadit in mensem Octobr.

non intelligo quid causæ sit cur Pommerayus obitum illum rejecerit in mensem Decembrem.

XXVII. Guido *du Gland*, post licentiam eligendi impetratam a Carolo VI rege, pridie cal. Novembris anno 1391 electus, ut ostendemus infra in abbate Antonio *Bohier*, occurrit in instrumentis anno 1393, mense Aprili. Terrarum & possessionum abbatiæ suæ fideicommissum juravit anno 1394 in Camera computorum Parisiensi; cantandam in ecclesia sua singulis diebus post vesperas prosam *Inviolata* instituit anno 1401. Obiit XVI cal. Februarii anno 1402, id est 1403, humatus in capella sanctissimæ Trinitatis atque epitaphio decoratus, quod legere est in Neustria pia, pag. 41.

XXVIII. Johannes IV *Richard* electus in abbatem anno 1403 monasterio suo inter varios bellorum tumultus, quibus provincia quoquo versum quatiebatur Anglorum & Burgundionum factionibus, digne & laudabiliter præfuit, carissimus Carolo VI regi, qui abbatiam S. Audoëni in regiam suscepit tutelam diplomate dato IV calendas Julii anno 1407, & omnibus bonis quæ illi ab annis quadraginta accesserant, concessit jus emortuæ manus. Argenti marcas 45 ad sublevandam urbis oppressæ miseriam oppigneravit Johannes anno 1418: qui Hugonis archiepiscopi offensam cum incurrisset, ab eodem excommunicatus est exauctoratusque, Guillelmo *le Meslé* abbate sanctæ Catharinæ, in ejus locum suffecto. Latam in eum excommunicationis sententiam confirmavit Romanus pontifex X calend. Augusti anno 1427. Guillelmus vero pro nova sua dignitate juramentum præstitit archipræsuli III cal. Decembris anni sequentis, abbatemque sancti Audoëni adhuc se vocitabat anno 1429. Sed ad Basileense concilium cum appellasset Johannes, Guillelmo defuncto, ab Eugenio papa absolutus ad preces Patrum concilii, in pristinam restitutus est dignitatem XII cal. Octobris 1434, regereque perrexit ad diem XV cal. Julii anni 1455, quo mortalitatem explevit, conditus in ecclesiæ suæ sacello sanctissimæ Trinitatis, cum epitaphio in Neustria pia relato, pag. 42. Multos ille Rotomagenses archiepiscopos ecclesiam primum adeuntes metropolitanam, juxta priscam consuetudinem & more majorum comitatus erat, videlicet Ludovicum *de Harcourt* anno 1415, Johannem *de la Roque-Taillade* anno 1423, Hugonem *d'Orges* anno 1432, Ludovicum *de Luxembourg* anno 1437, Radulfum *Roussel* anno 1444, cujus etiam cadaver in ædem suam abbatialem excepit anno 1452; denique Guillelmum *d'Estouteville* anno 1454. Alienavit quoque prioratum Meresaii in Anglia, in gratiam Henrici *Chichley* archiepiscopi Cantuariensis & Willelmi *Chichley* ejus fratris, charta quam videsis apud Pommerayum Hist. abbat. sancti Audoëni, pag. 486 & seqq. Cum electo sancti Victoris convenit amice anno 1439 de alterna abbatum illius monasterii electione.

XXIX. Johannes V *de Corguilleray* communi fratrum suffragio electus, sedebat IV idus Octob. anno 1455, quo die fidem juravit regi; obsequium similiter vovit ecclesiæ Rotomagensi III nonas Aprilis anno 1456, & Ludovici XI regis inaugurationi interfuit anno 1461. Ad episcopatum Leutevensem evectus, abbatia cessit anno 1462 in gratiam sequentis. Diximus de eo in episcopis Leutevensibus tomo VI, col. 562, ubi nesciebamus eum fuisse abbatem S. Audoëni.

XXX. Guillelmus III *d'Estouteville* cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, de quo supra, col. 90, abbatiam obtinuit in commendam anno 1462, tenuitque in annum 1483, quo obiit.

XXXI. Johannes VI *Balue*, cardinalis, de quo agendum erit in episcopis, tam Ebroicensibus quam Andegavensibus, abbatiam obtinuit in commendam anno 1483, cujus & eodem anno possessionem adiit, forte post mortem Ludovici XI. Rex tamen ille multum faverat cardinali Hugoneto episcopo Matisconensi, qui in abbatem postulatus, regias in sui gratiam capitulo ecclesiæ Rotomagensis obtulerat literas; sed responderant canonici non licere sibi, sede archiepiscopali vacante, sive hanc, sive ullam aliam postulationem confirmare. Obiit Johannes Romæ anno 1491, mense Octobri.

XXXII. Nicolaus IV *de la Fosse* monasterii alumnus, canonice electus est *anno Domini 1491, die lunæ 24 mensis Octobris*, ut præfert ipsum electionis instrumentum, quod habes in Neustria pia, pagg. 44 & 45, & benedictus 27 Novemb. Sed pauxillo tempore sedit, extinctus mense Martio anni sequentis.

XXXIII. Antonius *Bohier*, de quo diximus in archiepiscopis Bituricensibus tomo II, col. 94, & in abbatibus Iciodorensibus col. 359, electus est qui Nicolao succederet, post licentiam eligendi a Carolo VIII rege impetratam literis datis *Parisius XIX mensis Martii, anno Domini 1491, & regni ejus nono*, quæ notæ chronologicæ significant juxta novam computandi rationem anno 1492. Unde hallucinatus est auctor Neustriæ piæ, qui pag. 44 literas illas accommodavit electioni Nicolai *de la Fosse*. Alias idem scriptor, pagg. 47 & 48 protulit in simili negotio literas Caroli regis desinentes in hæc verba: *Datum apud Baugencyum ultima die Octobris, anno Domini millesimo C . . . . . duodecimo.* « Et quamvis, addit ille, per ea verba, *duodecimo*, aperte non explicet an id intelligat de anno Christi, vel de anno regni regis, cum membranula, quam vidimus, hac in parte omnino corrosa extiterit, attamen id de præfati Caroli VIII regno, scilicet duodecimo regni sui anno, certo certius conjicere liquet; quod eo anno sub aliis regibus Carolis præcedentibus abbatia hæc nusquam vacaverit per decessum alicujus abbatis. » Quasi vero vacaverit pridie calend. Novembris anno 1494, qui erat annus Caroli VIII duodecimus, cum Antonius *Bohier*, qui juramentum præstitisse perhibetur ecclesiæ Rotomagensi XIV calendas Maii anno 1492, pro abbatia sancti Audoëni, sederit abbas usque in annum 1515, quasi abbatia illa non vacaverit per obitum

Guillelmi *le Mencher*, in festo SS. Simonis & Judæ, hoc est diebus quatuor ante *diem ultimam Octobris* anni 1391, dum verteretur annus *duodecimus* Caroli VI regis. Sit igitur extra controversiam positum literas illas, quarum ultima verba corrosa sunt, Caroli VI esse, non Caroli VIII, supplendumque esse quod exesum est in hunc modum: *anno Domini millesimo CCCXCI, regni nostri duodecimo.* Et certe Antonius *Bohier*, benedictus VI idus Aprilis, Dominica Passionis, anni proinde 1492, causam obtinuit anno 1497 adversus abbatem Fiscannensem in scacario Normanniæ, in quo ex Neustria pia, pag. 54, judicatum est, *quod per provisionem abbas S. Audoëni jure potioris loci & anterioris sedis potiretur, abbatemque Fiscannensem præcederet.* Domum seu potius palatium abbatiale construxit anno 1503. Fidei juramentum, ut consiliarius Parlamenti Rotomagensis, præstitit 1507 3 Aprilis. Ecclesiam suam an. 1508 ornavit elegantibus tapetis. Multam anno 1514 ad decorandum S. Audoëni feretrum contulit pecuniam. Duas prœterea per singulos annos nundinas, & unaquaque hebdomada mercatum in dynastia Pirorum instituendum curavit. Basilicam insuper continuavit usque ad majorem totius ædificii frontem. Factus demum anno 1515 archiepiscopus Bituricensis, abbatia cessit eodem anno in gratiam sequentis. De eo recurret sermo in abbatibus, tam Fiscanni quam sancti Georgii de Balcherivilla.

XXXIV. Innocentius *Cibo*, natus parentibus Francisco *Cibo* Innocentii VIII papæ ex fratre nepote, & Magdalena Medicæa Leonis X papæ sorore, Johannem *de Boissai*, quem monachi in abbatem elegerant, facile submovit. Sub eo, XVII cal. Septembris anni 1517, corpus S. Audoëni in novam capsam translatum est a Georgio Ambasiensi, archiepiscopo hujus nominis secundo. Sumtus aliquot suffecit ad construendam anteriorem basilicæ frontem, cujus pendet usque adhuc opus interruptum. Cessit abbatis titulo anno 1545. Decessit Romæ anno 1550.

XXXV. Johannes VII *de Lorraine* cardinalis, de quo nos tomo I, col. 38, in archiepiscopis Albiensibus; tomo II, col. 930, in episcopis Aginnensibus, & col. 412 in episcopis Lucionensibus; tomo IV, col. 182; tomo VI, col. 112, in archiepisc. Narbonensibus; tomo IX, col. 147, in archiepiscopis Remensibus; plurimis denique aliis in locis vel diximus, vel dicturi sumus, abbatiam tenuit ab anno 1545 ad diem VI idus Maii anni 1550, quo fatis functus est.

XXXVI. Carolus I *de Bourbon*, cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, de quo diximus sup. col. 97, & in abbatibus sancti Germani a Pratis, tom. VII, col. 467, abbatiam & archiepiscopatum simul obtinuit anno 1550, simul dimisit morte interveniente anno 1590.

XXXVII. Carolus II *de Bourbon*, cardinalis & archiepiscopus item Rotomagensis, de quo diximus sup. col. 101, utrumque similiter sacerdotium tenuit ab anno 1590, ad annum 1594, quo excessit e vita.

5 Post obitum Caroli hujus secundi, fructus abbatiæ cesserunt in usus & commoda Caroli ac Ludovici *de Bourbon*, comitum Suessionensium, concedentibus Henrico IV & Ludovico XIII regibus christianissimis. Interea tamen fiduciarii aliquot reperiuntur abbates, quorum nomina sequuntur.

1. Petrus *de Venteac*, extinctus cal. Decemb. anno 1600, & ad S. Audoënum sepultus.

2. Carolus *de Clermont*, ab anno 1600 ad annum 1621.

3. Balthazar *Poitevin*, ab anno 1621 ad annum 1633.

4. Johannes-Baptista *de Croisilles*, ab anno 1633 ad annum 1639.

5. Guillelmus *de Montagne*, non *de Mortagne*, ut in Neustria pia, pag. 51, ab anno 1639 ad annum 1642.

XXXVIII. Amator-Johannes-Baptista *de Richelieu*, filius Francisci *de Vignerod de Pontcourlay*, qui matrem habuerat Franciscam *du Plessis-de-Richelieu*, sororem cardinalium hujus nominis, factus abbas an. 1642, ex resignatione Guillelmi *de Montagne*, cessit nupturiens, XII cal. Octobris anno 1652, in gratiam sequentis. De eo diximus tomo VII, col. 542, in prioribus sancti Martini a Campis Parisiensis.

XXXIX. Emmanuel-Joseph *de Richelieu*, de quo diximus ibidem, fratrem suum excepit anno 1653. Abbatiam congregationi S. Mauri addixit anno 1660. Obiit anno 1665.

XL. Emmanuel-Theodosius *de la Tour-d'Auvergne* abbatiam adeptus est literis regiis, mense Julio anni 1667. Decessit Romæ sacri collegii decanus, VI nonas Martii anno 1715. Vide infra in abbatibus Pontisarensibus.

XLI. Carolus III *de Saint-Albin*, de quo diximus tomo VII, col. 544, in prioribus sancti Martini a Campis Parisiensis, & tomo IX, col. 559 in episcopis Laudunensibus, nominatus est ad sanctum Audoënum mense Januario anni 1716, & ad archiepiscopatum Cameracensem anno 1723, mense Octobri.

FONTANELLA,

seu SANCTUS WANDREGISILUS.

NON longe a dextra fluminis Sequanæ ripa, sex leucis infra Rotomagum, una autem ferme leuca supra Caldebeccum, in illa parte saltus Gemeticensis, quæ dicebatur antiquitus *Bothmariacas*, posuit monasterium illud anno undecimo Chlodovei II regis, hoc est anno Christi 648, beatus Wandregisilus, fundator simul ac primus abbas. Hunc locum regali munere accepisse vir sanctus perhibetur a scriptore vitæ gravi & æquali; eum vero chronographus Fontanellensis ait Wandregisilum & Godonem, fratris aut sororis filium, dato pretio comparasse ab Erchinoaldo patricio, seu præfecto palatii, qui illum a quodam Airamno, Rothmari filio, commutatione facta, acquisierat, postquam Rothmarus ipse illum accepisset ex Dagoberti regis

t

munificentia, succisisque arbustis & frutetis habitabilem reddidisset. Fallimur, an ex Rothmari illius nomine dictus est locus *Rothmariacas*, pro quo in chronico Fontanellensi Spicil. t. III, pag. 190, legitur nunc *Bothmariacas*, forte amanuensium errore?

Ut ut est, eo loci religiosissimus abbas, præter basilicam sancti Petri, quæ præcipua erat, quadrifido opere exstructa, & in ducentos nonaginta pedes longitudinis protensa, latitudinis vero triginta septem, duas item alias construxit ædes, unam sancti Laurentii, & alteram sancti Pancratii dictam, in quibus eorumdem martyrum reliquias, quæ sibi Roma a Godone laudato allatæ fuerant, deposuerat. Illorum vero nomine, in veteribus quæ supersunt temporum illorum monumentis, nonnunquam appellatur abbatia, sæpius tamen *Fontanella* dicta propter rivulum ejusdem nominis, cui assidet, ex vicinia præterlabentem per angustissimam vallem, quæ vix sufficit capiendis monasterii ædificiis; sed posito tandem sub abbate Gradulfo ante medium undecimi seculi Fontanellæ nomine, unicum deinceps fundatoris sui nomen usque in hodiernum diem constanter retinuit. Ecclesia sancti Petri primum anno 756, deinde anno 862, a Normannis in cineres redacta, in integrum restitui non potuit, nisi sub Gerardo abbate, ineunte undecimo seculo. Hæc postea ad preces S. Gradulfi, qui ei proxime successit, consecrata est pridie idus Septembris anno 1033, a Roberto I archiepiscopo Rotomagensi, adstantibus Herberto Lexoviensi, & Roberto Constantiensi episcopis, plurimisque abbatibus: quam inter consecrationem benedictus dicitur Isembertus sanctissimæ Trinitatis prope Rotomagum primus abbas. Sed de utraque alia, tam sancti Laurentii quam sancti Pancratii basilica nihil jam dudum superest præter parietinas quasdam intra & prope septa domus abbatialis labascentes.

Basilicis tribus illis adjunctæ erant, tam intra quam extra monasterium quinque aliæ ædes, sancti Pauli, sancti Amantii, sancti Saturnini, beatæ Mariæ de Callovilla *, & sancti Michaëlis.

Ecclesia sancti Pauli ab ipso Wandregisilo ædificata mirandam fabricam subjiciebat oculis. In ea sepulti fuerant sanctissimus ipse fundator, & post eum sanctus Ansbertus, monasterii tertius abbas, tum archiepiscopus Rotomagensis; sanctus Wlfrannus, loci monachus, & postea archiepiscopus Senonensis; sanctus Erembertus, ejusdem quoque monasterii alumnus, deinde episcopus Tolosanus; quorum tres priores sanctus Bainus, monasterii quintus abbas & episc. Morinensis, transtulit anno 704 in ædem abbatialem, sancto Eremberto in locum S. Wandregisili traducto; postea S. Harduinus, plurimique alii ejusdem loci ascetæ, eodem in sanctuario sepulturam suam elegere, quod etiamnum fidelium precibus & concursu celebratissimum est. Illud Godefridus *de Hotot* & Johannes *de Rochois*, abbates decimo quarto seculo exeunte a fundamentis renovarunt.

A Ecclesia S. Amantii posita erat ad Sequanam, una circiter semi-leuca a monasterio, eo loci qui nunc dicitur Govilla. Ibi S. Wandregisilus reliquias sancti Amantii episcopi Rutenensis, quæ sibi a Sindardo diacono & monacho suo Rutenis allatæ fuerant, deposuerat. In *destinam* vero seu cellam ecclesiæ proximam, tam ipse Wandregisilus, quam S. Audoënus Rotomagensis archiepiscopus, & sanctus Filibertus abbas Gemeticensis, non raro conveniebant de rebus sacris collocuturi, ibidemque longe adhuc post eorum obitum, tempore chronographi Fontanellensis, visebantur sellæ in quibus sedere consueverant.

B Ecclesia S. Saturnini, quæ etiamnum superest, sed multum contracta, posita erat in colle monasterio adjacente versus septentrionem, & in ea sanctus Wandregisilus reliquias sancti Saturnini martyris, sibi a Sindardo monacho jam laudato ex urbe Tolosa allatas reposuerat. Illam vero quemadmodum & quinque alias, quarum modo meminimus, consecraverat sanctus Audoënus. Eodem loci secesserat ætate Caroli Magni pius monasterii asceta, nomine Harduinus, qui plurimos ibidem codices manu sua descripsit, quibus bibliotheca fratrum ditaretur. Sacellum illud anno 1510 instauratum a subpriore monasterii, C eleganterque decoratum parochus Gueutevillæ anno 1680, intra septa monasterii conclusit, dilatato ejusdem monasterii circuitu, cujus nunc mœnia in septem aut circiter millia pedum longitudinis protenduntur.

Ecclesia beatæ Mariæ de Callovilla ad caput rivuli Fontanellensis ædificata aliquanto post fundatum monasterium, solo tenus eversa est anno 862 a Normannis, deinde restaurata, tum senio ac vetustate collapsa, restituta est anno 1331 a sacrista monasterii; sed concamerationi chori anno 1631 dilapsæ substitutum est laquear simplex. Eo in sacello, quod fidelibus maxime D frequentatur, Johannes Francorum rex instituit anno 1350, missam unam singulis annis; & Ludovicus XI anno 1474, missam aliam unoquoque Sabbato, pro incolumitate ac prosperitate domus regiæ celebrandam. Juxta illud positum est balneum ægrotis infantibus religionis ergo lavandis, sanandisque.

Ecclesia sancti Michaëlis, recentior ceteris, quæ parochia est totius loci, non est extructa nisi anno circiter 735 sub abbate Teutsindo, quinquaginta passibus ab ecclesia abbatiali versus occidentem; utramque autem sanctus Gervoldus abbas laminis plumbeis contexit ante medium E seculum octavum.

Sed ad monasterium ipsum ut redeamus, locum quem eidem condendo acquisierat sanctus Wandregisilus calendis Martii, anno undecimo Clodovei regis, ipse Clodoveus sanctissimo abbati confirmavit anno sequenti calendis itidem Martiis; deinde Clotarius III, anno septimo regni sui, hoc est anno Christi 662. Plurima vero ad opus & necessaria monasterii subsidia contulere, tam regina Bathildis quam Waningus vir illustris, cujus filius, Desideratus nomine, ibidem

monachus

monachus factus est. Atque ita brevi tempore A excrevit cœnobitarum Fontanellensium numerus, ut sancto Wandregisilo abbate trecenti, vel etiam quadringenti ibidem exstitisse memorentur, a quibus ea quæ gratuito dare volebant subsidia ad eorum victum & vestitum accipere non recusabat.

Felicissimo rerum statu floruit monasterium ad Caroli Martelli principatum, quo Teutsindus, Martinianus abbas, Fontanella quoque donatus, omnia pessumdedit. Sed singulari Dei nutu factum est, ut dum universa quæque profligaret abbas perditissimus, Erinharius præpositus, regulæ tenacissimus, labascentem fulciret discipli- B nam; ut etiam hoc nomine Teutsindo ipsi probaretur, qui Martinianis suis ad prolapsionem vergentibus dicere solebat: *Nisi vestram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum præpositum ex Fontinella huc adducam, qui aratra vestra rectum doceat sulcare.* Nec melior sub Widone seculari clerico, vel potius militari abbate, seu Raginfredo archiepiscopo, rerum facies. Remedium afferre satagebat Wando restitutus in sedem, cum anno 756 ecclesia sancti Petri igne consumta est. Adfuit Pipini regis liberalitas, eamque basilicam Widolaicus renovavit, sed interim ejus culpa decrescebant facultates monasterii, quas ille regiis C hominibus tradebat. Damna hæc repetita pro modulo sarcivit Gervoldus abbas, qui scholas ibidem instituit, *quoniam omnes pene literarum ignaros invenit; ac de diversis locis plurimum Christi gregem aggregavit.* Hinc multa Wandonis exemplo comparata descriptaque volumina, quorum indicem chronographus Fontanellensis texuit.

Ludovico Pio regnum capescente, vir longe doctissimus Eginhardus, seu Einardus, abbas, Benedictum Anianensem (qui a chronographo dicitur Fossatensis, ob restitutum in melius idem cœnobium) ad ferendas Fontanellæ suppetias invitavit. Eò se conferens Benedictus Fontanel- D lenses saluberrima doctrina imbuit, Aquisgranensia illis decreta, subsecutasque sanctiones imponens. Benedicti pia studia fovit Ansegisus abbas, Einardi successor proximus, multorumque cœnobiorum rector: cumque apud Fontanellam canonicus potius quam monasticus ordo obtineret, modis omnibus sategit ille, ut ea pristinum statum ac legem recuperaret, accitis hanc in rem religiosissimis e Luxovio monachis, qui omnia & verbo & exemplo in integrum restituerunt.

At subsecutis Normannorum infestationibus afflictum denuo monasterium, post trinam tributo soluto redemptionem, succubuit, & mo- E nachi cum sacris Wandregisili & Ansberti exuviis loco cedere coacti sunt. Palantem gregem anno 858 excepit in Pontivo pago *sanctorum prædium, quod dicitur Bladulfivilla*, prope Mittispontem, super fluvium Alteiæ, quo in prædio cella erat Fontanellensium monachorum, ibi Domino famulantium. Tum majorem ad securitatem *ex prædicta villa in territorium Bononiense sacerdotum Christi membra deportata sunt ad ecclesiam sancti Petri, quæ vicina est emporio Quentovico, & ex ditione eorumdem sanctorum*, ubi crebris miraculis eorum virtutem patefecit Deus. Inde, nescio qua ratione, vel ob paganorum metum, vel ob miraculorum frequentiam, aliò delata sunt pignora sanctorum, & anno 866 denuo *venerunt ad ecclesiam S. Petri, quæ ex ditione præfatorum constat confessorum, & est vicina portui Quentovico.*

Jam vero cum & Morinis infesti essent Normanni, *venerunt*, anno 885, *corpora Sanctorum ad Carnotenam urbem*, ubi ab Haimone episcopo, & Haimerico abbate sancti Carauni martyris *collocata sunt in ecclesia in qua isdem martyr requiescit*: quem locum crebris etiam miraculis illustrarunt. Postmodum *transvecta* sunt Boloniam, ubi & illis erecta est memoria. Inde anno 944, ex chronico Blandiniensi, Gandavum *ad cœnobium Blaudiniense ab Arnulfo comite translata sunt.* Translationem illam procuravit S. Gerardus, Broniensis & Gandavensis abbas, multorumque cœnobiorum instaurator, qui restituendæ quoque Fontanellæ ductus animo, *in pagum Belvacensem in villam quæ* Reverifcors *dicitur, quæ pridem fuerat de ditione Fontinellensis cænobii*, corpus sancti Wandregisili detulit, tum *ascensis equis Rotomagum properavit, admissusque Richardo comiti causas adventus sui intimavit, seque in promptu sancti Wandregisili corpus habere retulit, quod suo restitueret loco, si terræ sibi redderentur, quas chartarum posset approbare privilegiis.* At repugnantibus qui prædia invaserant primoribus, Gerardus cum suo sacro deposito Gandavum denuo se recepit. Atque hæc sub annum 950 contigere. Ab anno itaque circiter 856 ad medium seculum decimum jam elapsum prostrata jacuit Fontanella, quod appendix chronici deflet in hunc modum: *Truculentus Barbarorum exercitus aquis egressus hunc ad locum accessit, vacuumque hominibus & omnibus nudatum rebus deprehendens, injecto igne cuncta illius ædificia cum ipso sanctuario concremavit, subvertit & recessit.*

Quod Gerardo Broniensi minime licuit, per Mainardum ejus discipulum complevit Deus; nempe violati Fontanellæ sanctuarii instaurationem: *Cum enim de his quæ acta fuerant, postea crebrius Gandenses fratres vicissim loquerentur, eorum quidam nomine Mainardus, alto parentum sanguine oriundus . . . . . locum sibi ad reædificandum dari petiit & impetravit a Richardo duce, ad quem, cum accessisset, ac dumis ac vepribus occupari cuncta vidisset, adhibito diligenti studio, factoque repurgio, ædificare eum cæpit.* Mox basilicam, ceterasque ædes monachis competentes erexit, ac prædia recuperavit; sanctorum etiam Maximi & Venerandi corporibus ditatus. Sed heu! vix operi manum supremam imposuerat, cum ad sanctum Michaëlem translatus, successori prorsus ignavo Fontanellam credidit, qui, uti & duo subsequentes abbates, inertiæ soli deliciisque vacabat. Adfuit Gerardus ex monacho Latiniacensi, tum Crispiacensi abbate, tertius Fontanellæ reparator, qui virtutum exemplo sanctissimæ vitæ discipulos coëgit, basilicam absolvit, & distracta latifundia majorem partem recuperavit. Effosso quoque

sancti Vulframni sepulcro, pontificis corpus integrum reperit; quod crebra miracula confirmasse visa sunt. Illud deinde Gerardus ditissimo loculo inclusit, transtulitque in principem basilicam. Occisum Gerardum Gradulfus excepit, quo adnitente Robertus archiepiscopus restitutam sancti Petri basilicam sacravit anno 1033, præsentibus Herberto Lexoviensi & Roberto Constantiensi episcopis. Hanc eamdem basilicam in cineres redactam Petrus *Mauviel* & Gaufridus *de Noitot* abbates, instaurare cœperunt decimo tertio seculo. Variæ deinde, tam basilicæ quam reliquarum ædium consecutæ substructiones, quas in abbatum elencho proferemus.

Exeunte seculo decimo quinto, & ineunte decimo sexto, Fontanella remissius quidem observationi regulæ dabat operam, non tamen in apertam morum corruptelam soluta; cum anno 1566 Gabriel *de Montgommeri* Calvinistarum antesignanus, monasterium subiens sacris bellum indixit, martyrum ossa, ceterorum sanctorum pignora, signa, effigies, altarium supellectilem, flammis damnavit, & super æneum Johannis *de Rochois* abbatis tumulum sacrilegis ignibus consumsit. Ædificiorum ruinam, chartarumve ac codicum, rerum denique omnium direptionem explicare quid juvat? Crux tamen aurea cum aureo item calice Gabrielis furori subducta perditorum hominum duorum impias manus anno 1571 non effugit; sed alter patibulo suspensus & in frusta conscissus pœnas luit; alterius nefarium cadaver, quod fossa ejus evomuerat, bufonum prædæ patuisse dicitur.

Collabente anno 1631, XII calend. Januarii, lapidea basilicæ turri, quæ anno 1331 erecta fuerat, attoniti Fontanellenses, rebus suis cavendum existimarunt. Hinc ut facilius afferrent remedium, anno 1636 congregationis sancti Mauri Patres, jam ante privatim accitos, in solennem monasterii possessionem miserunt, restituendæ postliminio disciplinæ, sarciendisque rebus navaturos operam: partes vero suas illi strenue impleverunt; nam post restauratam basilicæ navim cum campanili, translataque ditissimos in loculos, tam sancti Wlframni caput quam brachium sancti Wandregisili, dormitorium instaurarunt anno 1671, cumque hanc in rem capitulum vetus diruerent, reperta sunt multorum abbatum corpora, quæ ante majus altare basilicæ delata sepulcris honorificis condiderunt. Inde novam ubique faciem cetera induerunt ædificia, comparati libri, villæ cellis novis instructæ, ut post tot rerum ac temporum casus Fontanella supparem primævæ institutioni teneat normam, &, qua licet hoc seculo, florere videatur.

Tercentum in cœnobio illo monachi a Wandregisilo conditore ad funesta Teutsindi abbatis tempora vixere, quorum multi cœlitibus adscripti locum habent in sacris ecclesiæ fastis: alios tametsi publico cultu non legimus honoratos, cœlestis nihilominus patriæ consortes venerati sunt per longa tempora eorum successores monachi Fontanellenses. Nonnulli apostolico ducti zelo Frisiorum conversionem aggressi sunt. Haud pauci episcopales ad infulas vel abbatiales evecti: doctorum vero scriptorumque, licet plerique modo lateant, plurimos tamen hoc loco floruisse, quilibet ex superstitum indiculo facile conjectabit. Eorum omnium seriem chronicam paucis, uti licitum erit, ducere juvat.

Sanctus Godo, Wandregisili nepos, id est fratris aut sororis filius, condendæ Fontanellæ socius & adjutor ipsi fuit. Ab eodem Romam legatus, apostolorum & martyrum pignora secum retulit. Tum Augiensis, vel Oyensis in diœcesi Trecensi factus abbas, sanctam & Deo placitam, liber a cunctis mundi curis, reliquam studuit agere vitam ad annum circiter 690, multis etiam post obitum clarus miraculis.

Sanctus Erembertus e Fontanellensi monacho Tolosanus episcopus, relicta sede reversus ad monasterium, ibidem sub Lamberto abbate vitam finivit circiter annum 675. Corpus ejus in basilicam sancti Petri delatum multis salutem reddidit. Nec divellendi ab eo germanus ejus Gamardus, vir nobilis, qui *largitus est possessionem suam, quæ vocatur* Viliolicors, *ditioni monasterii Fontanellensis, comaque capitis deposita monachus factus est, filiique ejus Naumacus & Zachæus, qui similiter mundalium rerum ærumnis exuti, in eodem monasterio monachi effecti, cœlestia sperare didicerunt.*

Sanctus Vulframnus, Frisiorum apostolus, incertum an monasticæ vitæ nomen dederit, antequam Senonensis crearetur episcopus. Certe paulo ante dignitatem adeptam, Fontanellæ juris sui prædium contulit. Relicto episcopatu, Fontanellæ monachum egit; tum consulto prius Ansberto abbate profectus in Frisiam, ibi evangelium prædicavit. Reversus Fontanellam, cum novis apostolici laboris sodalibus Frisios iterum aggressus est, Ratbodique ducis conversionem tentavit. Decessit miraculis clarus post annum 719, atque in æde sancti Pauli tumulatus est. Novem tamen post annos, translationem ejus in majorem basilicam procurasse sanctum Bainum abbatem scribit chronographus Fontanellensis; quod cadit in annum 704. Sed alia certior translatio sub sancto Gerardo abbate contigit seculo undecimo ineunte. De sancto præsule, cujus vitam habes in Act. SS. Bened. sec. III, part. I, pag. 357 & seqq. fusius dicemus tomo sequenti in archiepiscopis Senonensibus. Sedandæ pesti non semel adhibitæ ejus reliquiæ, quas Abbatis-villæ canonici magnis animorum motibus possidere se gloriantur, repugnantibus, ut modo dicebamus, ante septingentos annos Fontanellensibus, cum integra Vulframni membra detexerunt.

Sanctus Agatho præcipuos inter Wandregisili discipulos habitus, & ab eodem sanctorum agmini comparatus, utpote *cujus vitam & mores ipse beatus vir sciebat.* Is sanctos in magistri obitu præsentes & psallentes videns, *per ipsam suam vocationem certiores fecit fratres quomodo multitudo ibidem esset aggregata sanctorum.*

Sanctus Desideratus, Waningi prænobilis filius, sub regimine Wandregisili patris in eodem

loco monasticæ disciplinæ & Christi militiæ obsecutus est.

Sanctus Sindardus sub Wandregisilo patre monachus ac diaconus, *pignera sancti Saturnini Tolosæ urbis episcopi & martyris viro Dei detulit, sed & confessoris Amantii Rotenensis præsulis.*

Sanctus Hartbainus, vir illustris, filius scilicet illustris Eremberti, *ad conversionem veniens, in magna religionis observantia vitam auctore Christo terminavit.*

Sanctus Condedus, presbyter & anachoreta, genere Brito, post aliquantam Fontanellæ moram, *cum suis omnibus, quos veluti angelos S. Lantbertus susceperat abbas, dixit non satis sibi videri in religionis sanctitate sudare, si non & aliis quoque in prædicatione & exemplorum lumine radiando prodesset.* Tum in Belcinnacam insulam monasterio vicinam secedens, eam a Theoderico rege consecutus est; qua tandem Fontanellæ consignata, sancto fine decessit. Corpus ejus Fontanellam delatum & in sancti Petri basilica depositum est secus oratorium sancti Martini. Belcinnacæ insulæ traditioni *aderant Cinomailus, Zachæus & Johannes, discipuli præfati viri sancti Condedi, qui etiam olim cum eo de transmarinis advenerant partibus.* Eam legitur in superioris Normanniæ Descriptione, tomo I, pag. 85, dictam fuisse olim *Lutum*, seu potius *Lotum*, submersam identidem aquis & emersam, anno 1641 visam esse postremum, nec deinceps comparuisse.

Sanctus Hermelandus, patria Noviomagensis, *cum regis optimatumque benedictione palatio egressus, ad Fontanellæ monasterium concito pervenit.* Factus sacerdos Nannetas cum sociis duodecim ad Pasquarium antistitem mittitur a S. Lamberto abbate, monasterium Antrense conditurus; ibique sanctissime exacta vita defungitur anno circiter 720. Exstat in urbe metropolitana prope ecclesiam cathedralem parochia sub ejus nomine consecrata.

Albertus, S. Lamberti avunculus, fraterque Roberti, qui erat summus palatii referendarius, cum Fontanellam accessisset, ab ipso Lamberto tunc abbate *clericatus suscepit habitum*, vel, ut scribit Aigradus in vita sancti Ansberti, *monachus efficitur.* Par instituto vitæ meritum fuit.

Baltfridus Wandregisilo abbate cellerarius, alimentorum inopiam eidem patefecit, in trecentis illis sancti Wandregisili discipulis sanctitate conspicuis eximius.

Radamastus, *vir honoratus, ejusque frater Bertoldus cuncta quæ possederant in prædiis ac mancipiis extemplo deserunt, ac beato antistiti Ansberto seque simul cœnobio contradunt Fontanellæ.*

Motgisius, sancti Vulframni nepos, postquam *largitionem edidit de patrimonio Maniaco, sive Villare, quod est situm in pago Milidunensi, monachus effectus, & regularibus subditus disciplinis, spretis terrenis cœlestia sperare didicit.*

Bertgaudus monachus, patruus Wandonis abbatis, a sancto Vulframno paralysi curatus est.

Sanctus Ravengerus sub Lamberto abbate A monachum professus, Sagiensem rexit ecclesiam, uti sequens refert distichon :

Tunc Ravengerus Sagiensis præsul amandus,
Isthic præcipuus extiterat monachus.

Sanctum Genardum ex Rotomagensis ecclesiæ vicedomino Flaviacensem abbatem Fontanellenses inter monachos constituunt; ipsemet prope S. Ansbertum tumulari voluit.

Ovo puer, Vulframni pontificis precibus furcæ patibulari ereptus, ad quam patria superstitione damnatus erat, *lavacri salutaris unda perfusus, atque Fontinellam perductus, literisque sacris* B *eruditus,* monachum egit ad annum 749, uti brevius chronicon Fontanellense docet. Eadem vero prærepta a Vulframno immolationis sors pueros alios duos, Evrinum & Ingomarum Fontanellæ peperit, *qui sacris literis & cœlesti disciplina eruditi, sub regimine & dominio Hilberti abbatis & successorum ejus, per plurima strenue militarunt tempora.*

Rothmundus *ob gratiam vitæ contemplativæ mundani fugiens culmen honoris, ad conversionem venit cum filio Milone.* Deinde Milo Benigni abbatis consensu, *anachoritarum more solitariam vitam duxit* in loco *hodieque Milonis-crypta per* C *metonymiam* dicto, *in rupe altissima super ripam alvei Sequanæ; ubi rupem exscindens, mansiunculam sui voti condignam sibi constituit, quæ viginti homines fere capere videretur; ibique retruso ordine infatigabiliter agonizans feliciter Domino militavit.* Reliqua Milonis præclare gesta, matrisque religionem ac donationes chronographus late persequitur.

Bagga monachus & presbyter, ex eodem chronico, *sanctæ conversationis vir, ex Britannia Oceani insula Saxonico ex genere ortus hoc advenit cœnobium, ubi ad plurimum temporis regulari ordine vitam irreprehensibilem gessit.* Hunc vitam exhalantem Benignus abbas *signiferum fortissimum* D *Christi militiæ* suspirans inclamavit, ejusque demortui precibus sese vir sanctus commendavit.

Erinharius favente numine datus est Fontanellæ præpositus, cum sacras loci institutiones Teutsindus abbas pessimus convelleret; ne autem omnia pessumdaret ille, Erinharius vitæ exemplis & disciplinæ vigore prohibuit, ut etiam Teutsindo venerationi esset. Archangelo Michaëli basilicam erexit, *allatis petris politis de Juliobona castro quondam nobilissimo.*

Theodericum, Childerici Merovingorum postremi regis filium, Fontanellæ tonsum, monasticisque regulis addictum scribit chronographus Ludovico Pio æqualis in hæc verba : E *Hildericus rex Merovingorum ex genere ortus, depositus, tonsusque, ac in monasterio S. Audomari quod dicitur Sithiu trusus est, cujus filius nomine Theodericus in hoc monasterio anno sequenti clericus effectus, collocatus est,* nempe sub Austrulfi abbatis moderamine. Hanc Theoderici monasticam professionem, imo vitam, existentiamque revocarem in dubium, si quod alias tradit idem chronicon de Theoderico Calensi, uti genuino Childerici parente, verum esset; nam hoc pacto Childericus

ad eam vix ætatem pertigiſſet anno 751, quo redactus in ordinem eſt, ut bimulum aut trimulum filium ferre potuiſſet. At Childericum non Theoderico Calenſi, ſed Chilperico Daniele patre genitum fuiſſe probant edita tomo IV Analectorum vetera monumenta. Fontanellenſibus itaque latebris abditus princeps Theodericus, ſi paterno caſui diu ſuperſtes vixit, obſcuram duxit vitam, neque aliquid de illo memoria dignum uſpiam proditum eſt. Nec ſane ferebat rerum ſtatus, obtinente Pipino, vel ejus liberis ac nepote.

Sanctus Harduinus in cella clari martyris *Saturnini, quam beatus Wandregiſilus ædificaverat, ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degens, quæ ſita in latere montis plagæ Aquilonaris præfatum monaſterium ſpectat*, non otioſam ſolus duxit vitam, *ſed plurimos arithmeticæ artis diſciplina alumnos imbuit, ac arte ſcriptoria erudivit: erat enim in hac arte non mediocriter doctus*. Relictorum ab eo voluminum indicem texuit chronographus. Romam Adriano pontifice *orationis ac viſitationis gratia, locorum etiam ſanctorum, profectus eſt, proſpereque, Domino comitante, reverſus; qui depoſitus eſt ſenex & plenus dierum* anno 811, Traſaro abbate.

Ansfredus, ex Fontanellenſi monacho primus Pratellenſium abbas ordinatus, novello gregi ſanctiſſime præfuit.

Gaufridus & Evrardus ex eodem monaſterio aſſumti, Pratellenſem ſimiliter abbatiam gubernarunt.

Ingulfus Croylandenſis abbas in Anglia, monaſterii ſui vulgata hiſtoria, clariſſimus evaſit.

Galterus ad regimen monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis prope Rotomagum aſſumtus eſt.

Gaufridus monaſterium ſancti Stephani de Fontaneto prope Cadomum, ad abbatiæ dignitatem evexit.

Imma, recentioribus Emma, Pontis-Cardonis domina, *illuſtris femina, mutato habitu ad hunc acceſſit locum, ibique ſe ſuaque Deo conſecravit;* ubi per *mutatum habitum*, non virilem, ſed ſanctimonialium propriam veſtem intellige. Hæc *poſt innumera beneficia refectorium dormitorio à plaga orientali contiguum proprio ſumtu conſtrui fecit; deinde S. Vulframno reconditorium argenteum componi juſſit*, quo *in opificio probati argenti medium talentum cum auri pondo expendit* ſub Gerardo abbate.

Guntardus factus eſt Gemeticenſis abbas, ubi de eo plura.

Petrus *Aubert* modeſtia & pietate clarus, fuit abbas ſancti Geremari Flaviacenſis.

Sed hæc ſatis de iis qui vel ſanctitate, vel vitæ morumque integritate, vel natalibus claruere, aut dignitatibus. Iis addendi ſunt qui abundanti doctrina exculti, ſcriptis etiam Fontanellam illuſtrarunt. Jam inde à monaſterii fundatione celebris erat ſchola Fontanellenſ. ad quam teſte S. Wandregiſili ſcriptore vitæ compari *nobilium liberi undique concurrere nitebantur;* tercentenumque illi æquabant numerum, ex eodem auctore. Cum aliquot ex ipſis apoſtolicæ prædicationis ſocios Vulfrannus in Friſiam adduxiſſet, converſos etiam Friſios adoleſcentes ad uberiorem eruditionis gratiam illò ablegavit. Sic Ovo, ſic Evrinus atque Ingomarus, eo ſuadente, Fontanellenſem in ſcholam conceſſerunt. Remiſſo ætate Caroli Martelli literarum amore, Gervoldus abbas *ſcholam* denuo *in eodem cœnobio eſſe inſtituit, ac de diverſis locis plurimum Chriſti gregem aggregavit.* Eoſdem Harduinus, de quo ſupra, quanquam anachoreticæ vitæ ſectator, *arithmeticæ artis diſciplina alumnos imbuit, & arte ſcriptoria erudivit*, pariaque fuerunt Eginardi, paria Anſegiſi, paria Gerardi abbatum ſtudia. Porro ad hæc fere uſque tempora duravit Fontanellenſis hujus academiæ veſtigium in ſcamnis illis plurimis, & magiſtri altiore cathedra, quæ anno 1636, periſtylii partem eccleſiæ contiguam implebant. Præter egregiam librorum ſupellectilem, quæ Wandregiſilo, Lamberto, Anſberto, Vulframno, ceteriſque primariis Fontanellæ cultoribus, congeſta erat, Wando qui anno 742 regimen auſpicatus eſt, *codicum copiam non minimam, quod dinumerare oneri eſſe videtur*, aggregavit. Eorum duntaxat partem exhibet chronographus cap. 12, in quibus multi leguntur, qui utinam ad noſtram ætatem integri perveniſſent! alios addidit Widolaicus, regnante Pipino: ſed Gervoldi potior opera, longe plures cum propriis expenſis, tum Harduini monachi, diſcipulorumque ejus libros exarantium ſtudio congerentis. Anſegiſus *de libris hanc dedit copiam, bibliothecam optimam*, &c. quæ capite 16, chronographus fuſe perſequitur. Gerardi, poſteriorumque ad commendas abbatum hanc in rem ſtudia referre nil juvat: ſed hinc ſane in eccleſiæ catholicæ decus & ornamentum viros longe doctiſſimos tulit Fontanella, quos inter emicuere qui ſequuntur.

Anonymus vitæ ſancti Wandregiſili ſcriptor, ipſi coætaneus: huic ſucceſſit alter ſeculi noni anonymus, qui ejuſdem miracula tranſlationeſque varias deſcripſit.

Aigradus ſancti Anſberti vitam polito ſtylo, nec minus acri judicio ſcripſit; ſcripſit & Lamberti geſta, quorum partem Mabillonius recuperavit, reliquam interiiſſe dolent eruditi.

Anonymi ſcriptores vitæ tam Eremberti, quam Condedi, ſi quidem ab Jona Fontanellenſi diſcrepant.

Jonas Fontanellenſis ſancti Vulframni vitam edidit, quæ nonniſi interpolata videtur ad nos perveniſſe.

Ovo Friſius, de quo paulo ſuperius egimus, *plurimos codices in prædicto tranſcripſit monaſterio.*

Harduinus, de quo etiam ſupra, codices quoque multos exaravit, in his unum vitas SS. Wandregiſili, Anſberti & Vulframni continentem.

Anonymi quinque rerum Fontanellenſium ſcriptores vel chronographi, quorum primus in Spicil. tomo tertio editus monaſterii ſui texuit hiſtoriam ad Anſegiſi abbatis ſub Ludovico Pio præfecturam; quo tempore vitam & ipſe ſcriptor exegit. Chronico ille ſuo, cujus nos variantes

ad calcem hujus voluminis lectiones expofuimus, plurima Francicam ad hiftoriam fpectantia inferuit, religionifque fe ac pietatis & obfervantiæ ftudiofum prodit.

Fontanellenfis alter chronographus, a Quercetano Francicos inter fcriptores carptim vulgatus, res publice geftas ab anno Chrifti 841, ad annum 856 repræfentat, nonnullaque docet, quæ alibi fruftra quæfieris.

Fontanellenfe chronicon (ne quid de primæ appendicis fcriptore dicam) refumfit feculo undecimo alter anonymus, qui miracula tranflationemque fancti Vulframni, tum Mainardi, Gerardi & Gradulfi abbatum, gefta recenfuit: tertiam hanc fcriptionem habes apud Acherium ibidem fub titulo alterius, feu fecundæ appendicis.

Poëta Fontanellenfis abbatum elogia, feu catalogum diftichis cecinit, definens in Joanne *de Brametot*, qui exeunte decimo quinto florebat feculo; atque is eft fortaffe Guillelmus *la Vieille* loci prior ineunte decimo fexto feculo, qui multa ad Gallicanam ecclefiam & ad Fontanellenfe monafterium fpectantia fcripto reliquit.

Anonymus recentior e congregatione fancti Mauri recens in monafterium inducta abbatum indicem alterum, notafque non indoctas contexuit.

In his omnibus tam fanctis quam doctis Fontanellenfibus enumerandis, abbates plurimos nominare abftinuimus: eorum omnium feriem nunc exhibere operæ pretium eft.

SYLLABUS ABBATUM.

I. SANCTUS WANDREGISILUS, dictus etiam Wando, nobilibus in pago Verodunenfi parentibus illuftris, aulæ regiæ fplendorem exofus, intactæ conjugi præftantiffimæ valedixit; tum apud Montem-Falconis monachum induens, a Dagoberto feniore revocatur in aulam; mox tamen probata innocentia, miffionem impetravit. Poft luftrata cum Galliæ tum Italiæ, Burgundiæque varia monafteria, tandem in eremo Gemeticenfi cum Godone, fratris an fororis filio, confedit ad Fontanellæ latices, ibique comparato fundo monafterium exftruxit. Ad eum viri natalibus & dignitate confpicui, fupra tercentum undique confluxere, quos doctrina regularifque normæ præceptis imbuit. Poft vitam fignis ac virtutum fulgore clariffimam, ætate confectus migravit in cœlum XI cal. Augufti, ex priore ejus vita in actis SS. Bened. tom. II, pag. 534. quanquam in vita pofteriore ibidem pag. 545, dicitur obiiffe *menfe quarto*, qui erat menfis Junius, die primo & vicefimo. Ad annum obitus quod fpectat, narrat vita eadem pofterior, contigiffe illum *regiminis fui anno decimo nono, qui erat annus Dominicæ Incarnationis 665, indictione VIII, tertii Hlotarii regis annus undecimus vitæ ipfius, pontificatum agente Romanæ ecclefiæ anno uno papa Vitaliano*; quæ omnia cum annum Dominicæ Incarnationis præferant, interpolata fuiffe pofteriori ævo nemo non videt. Ex vita

A fancti Condedi, quam habes in iifdem actis ibid. pag. 862 & feqq. quamque Mabillonius ipfe antiquiffimam merito cenfet propter numerandi rationem *ab annis regum, non ab Incarnatione Chrifti*, colligitur annum nonum S. Lamberti, qui proxime S. Wandregifilo fucceffit, incidere in annum Theoderici regis tertium, quemadmodum S. Anfberti, qui Lambertum excepit, annum fecundum in annum ejufdem regis feptimum. Porro Theodericus regnare cœpit anno Chrifti 674 ineunte. Factus eft igitur fanctus Anfbertus abbas Fontanellenfis anno 678, & eodem anno S. Lambertus ad archiepifcopos

B Lugdunenfes evectus eft; ipfe vero Lambertus factus fuerat abbas Fontanellenfis anno 667, & eodem anno fanctus Wandregifilus obierat. Corpus ejus Normannorum metu varia deportatum in loca, demto brachii radio, qui Fontanellæ fervatur, Gandavi tandem requievit.

II. Sanctus Lantbertus, feu, ut mollius nunc dicimus, Lambertus, Erleberto patre Tarvanenfes inter proceres illuftri natus, adeo religione profecit, ut ipfo defignante Wandregifilo proximus illi fucceffor datus fuerit. Quantum eo paftore cœperit incrementum Fontanella, docent in primis Eremberti, Condedi, Hermelandi nec-

C non Anfberti pontificis gefta. Docebat & ipfiufmet vita Lamberti, quam Aigradus rerum teftis oculatus in lucem emifit; fed magno reipublicæ literariæ detrimento periiffe videntur hæc acta, quorum principium, in femefis ac putidis fchedulis repertum editumque in actis SS. Bened. fecul. III, part 2, pagg. 462 & feqq. plurimum luminis hiftoriæ noftræ attulit. Ex reliquis monumentis conftat Lambertum abbatem magno apud Childericum ac Theodericum reges in pretio fuiffe, multaque ab ipfis in monafterii fui commodum accepiffe. Clarefcentibus in dies meritis, factus eft anno 678, ut modo dice-

D bamus, archiepifcopus Lugdunenfis: cetera vide in ipfa ecclefia Lugdunenfi, tomo IV, col. 48.

III. Sanctus Anfbertus prænobilis inter Velocaffes Angadrifmam æque nobilem puellam Chrifto maluit quam fibi conjungi. Poft geftum præclare cancellariatus officium, Fontanellam fecedit, monafticifque penfis & operi manuum ftrenue navat operam. Factus ibidem abbas anno 678, Duferam in Provincia monafterium erigit, xenodochium ad Fontanellæ portam inftituit, & Hermelandum condendo Antrenfi cœnobio mittit in Aremoricam. Confecratus anno 684 Rotomagenfis archiepifcopus, abbatiam cum ar-

E chiepifcopatu ad mortem ufque tenuit, quæ contigit anno 693, vel potius anno 695, uti in eodem præfule diximus fupra col. 16.

IV. Sanctus Hilbertus feu Hildebertus I, Anfberto fucceffit, præfuitque in annum circiter 700. Eo promovente, deceffsoris vitam Aigradus Fontanellenfis monachus edidit, ipfique dicavit. In Bertoldi Radamiftique prædio quatuor a Fontanella millibus pofito fecus publicum aggerem, ubi fancti illius pontificis corpus paufaverat, *ecclefiam augufto & polito opere conftruxit in honore*

ejusdem præsulis, loco crucis ligneæ quæ ibidem erecta fuerat; quod cum desinente seculo septimo contingere debuit, inde colligendum est Ansbertum jam cœlestibus adscriptum, fideles precibus invocasse. Nec plura de S. Hilberto, cujus sacrum corpus ab ecclesia sancti Pauli in majorem basilicam translatum, altarique principi impositum est.

V. Sanctus Bainus fuit & episcopus Tarvannensis, & abbas Fontanellensis, Pipinumque Majorem domus regiæ, dum monasterium illud regeret, non semel beneficum sensit. Ab eo quippe donatus abbatiola Floriacensi apud Velocasses, locum hunc Fontanellæ subdidit; Malam quoque pagi Madriacensis villam & alia non pauca Bainus a Pipino consecutus est, ut ipsi cum Fontanellensibus suis acceptissimus fuerit. Sanctorum Wandregisili, Ansberti atque Vulframni corpora *in ecclesiam B. principis apostolorum Petri de basilica sancti Pauli apostoli transtulisse anno 704*, ait chronographus Fontanellensis; sed hoc ut Wandregisilo nec non Ansberto conveniat, certe Vulframno nequit aptari, siquidem Ratbodo Frisiorum duci, qui interiit an. 719, Vulframnus superstes vixit. Atque hinc præfecturæ non solum Fontanellensis, & Floriacensis monasterioli, sed etiam Tarvannensis tempus certo præfinire non licet; quæ etiam chronica difficultas in successorem ejus Benignum cadere videtur; nec quidquam solvendo illi nodo rationibus suis Cointius efficit. *Eodem vero in loco*, pergit chronicon Fontanellense, *quo beatus Wandregisilus in prædicta S. Pauli requieverat basilica*, Bainus *beatum Erembertum episcopum posuit, qui antea in inferiori loco ejusdem ecclesiæ subter arcubus tumulatus, annis plus minusve 33 requieverat..... Huic admirabili præsuli largitus est Hildebertus rex villam quæ vocatur Adpiecum, quæ sita est in pago Pinciacensi super alveum Sequanam*, cum appendicibus sex, *anno decimo regni sui*, hoc est anno Christi 704; sed quo tempore obierit sanctus abbas, definire non audemus. Corpus ejus tumulo levatum & Normannorum, ac tandem Calvinistarum furori subductum, altari majori reverenter impositum est.

VI. Sanctus Benignus diaconus Maurinum & Ingam parentes habuit, ex chronographo, qui auspicatæ Fontanellensis ab eo dignitatis initium anno Childeberti regis decimo sexto illigat, Christi 710 in annos quatuordecim. A Chilperico rege obtinuit 25 Martii 716 præceptum, quo superiorum regum privilegia, fideliumque donationes confirmantur. Chronographus addit hunc anno 717 *jussu Ragenfredi majoris domus de regimine monasterii projectum, & Wandonem monachum ejus in loco subrogatum fuisse per annos tres.* Amoto tandem Wandone, Benignus *rursum regiminis hujus cœnobii sortitur gradum per annos quatuor, id est usque ad annum Theoderici regis tertium* (imo *quartum*) qui cadit in annum Christi 724. Acceptus Carolo Martello Benignus *post recessum propinqui sui S. Gennardi, vicedomini ecclesiæ Rotomag. & abbatis cœnobii Flaviacensis*,

A ipsiusmet cœnobii *factus est rector*, nec tamen Fontanellensis dimisit curam, quod eo præside viris sanctitate conspicuis refertum erat: notandus in illis Rothmundus paterfamilias, qui cum Milone filio monachum professus, multa huic loco bona contulit. Nec minori laude præstitit Bagga presbyter & monachus, quem cœlestia petentem Benignus abbas votis ac suspiriis comitatus est. Eidem Benigno Dagobertus rex *quartam partem de Arlauno foreste* dederat cum multis aliis rebus; ceteras vero supra triginta villas eidem a primariis viris concessas legesis in chronico. Obiit XIII cal. Aprilis.

B VII. Sanctus Hugo Fontanellensem non solum, sed Gemeticensem & alias tenuit abbatias, episcopatibusque Parisiensi, Rotomagensi, Bajocensi, multisque aliis a Carolo Martello, dignitatum ecclesiasticarum in suos non illiberali largitore, præfectus est. Hunc ut sanctum colunt celebrantque Rotomagenses; & sane vitam ejus rebus præclare gestis eximiam Fontanellense chronicon exhibet, longe aliter sentiente Besuensi chronographo, qui notam Hugonis libidinem minime reticuit. Nec illa tamen juvenilis ætatis facinora, pœnitentiæ lachrymis abluta, sanctitatis ejus receptæ opinioni debent officere, quam non
C modo Fontanellensis anonymus Hugoni suppar, sed etiam reliqua monasteriorum & ecclesiarum quibus præfuit, monumenta testatam volunt. Antequam monasticæ religioni nomen daret, monitis morem gerens & Adeltrudis matris, & Ansfledis, quam aviam dicit anonymus, sed male Warattonis hoc nomine uxorem (nam Hugonis avus fuit Bercharius) *sacrarum literarum studio* se totum addixit, ut *coævos suos sapientia & religione anteiret..... cœpitque terrena cuncta despicere, & ad regna cœlestia viriliter anhelare, simulque patrimonii plurima ecclesiis Christi contradere.* Sic anno 713, *largitus est Benigno abbati*
D *Vierlaïcum villam, quæ sita est in pago Tellau.... Witflanam quoque villam largitus est Wandoni abbati* (illi nempe qui anno 717, sancto Benigno subrogatus fuerat) *anno primo Clotharii*, personati *regis, quem Carolus post fugam Hilperici ac Ragenfredi regem sibi statuerat.... idcirco memoria illius in benedictione manet. Expletis namque laudabilis cursus sui annis, migravit ad Dominum VI id. Aprilis anno 730. Corpus ejus Gemmetico cœnobio, quo etiam vitæ decessit.... venerabiliter sepulturæ est traditum, conditaque est a fratribus illic habitantibus supra tumbam illius, repa diversis metallis decorata ob amorem videlicet, sanctitatem ac reverentiam*
E *illius.... Plurima bonitatis gessit opera.... nobilis enim exstitit genere, sed non inferior religione.* Lege quæ de eo diximus sup. in archiepiscopis, col. 17.

VIII. B. Lando, quem suspicati sumus olim in archiepiscopis Remensibus, tom. IX, col. 27, consecratum fuisse anno 721, ut episcopalia munia obiret in diœcesi Remensi, abbatiam Fontanellensem adeptus est anno 731. Hic Carolo principi acceptus, *etiam cellam S. Sidonii, quæ est in Waxinna, simul cum ista jure beneficii aliquandiu tenuit. Tunc impetravit a Carolo privilegium*

immunitatis peremis.... quatenus res istius cœnobii universaque sua salva esse valerent, nec a quoquam diripi aut contaminari vel in aliquo lædi quocunque possent ingenio.... Rexit autem cœnobium istud idem episcopus Lando per annos tres, lapsisque cursus sui annis, ingressus est viam patrum; sicque sepulturæ traditus est in ecclesia beati Petri apostolorum principis in ecclesia cœnobii Fontinellensis. Obiit xvii cal. Februar. anno 734.

IX. Teutsindus abbas militaris, quales non invito Carolo passim obtinebant, non contentus Martiniani apud Turones cœnobii proventibus, etiam Fontanellensium jura bonaque sibi vindicavit, iis in detrimentum abusurus. *In diebus namque tyrannidis*, ait chronicon, *non regiminis ejus, hoc nobilissimum cœnobium ignobile est redditum. Ab isto enim tempore quo lugendus iste regiminis suscepit locum, status vitæ innocentis, quem in eodem cœnobio secundum eximii patris Benedicti normam excolendum fore B. pater Waudregisilus instituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit; nec usque ad hanc diem in pristinum statum revocari potuit.... nam pene tertiam facultatum partem abstulit, suisque propinquis ac regiis hominibus ad possidendum contradidit.* Inter alia Rothario, seu Rathario comiti villas cum appendicibus viginti novem, anno 734 dedit in precariam sub annuo censu sexaginta solidorum: quas villas a monasterio divulsas & profanum comitis usum deinde chronographus explicat. Actum erat de Fontanellensibus, ni Teutsindi tempore præpositum egisset Erinharius, de quo in prologo. Hic ille profecto est, cujus sub falso nomine *sancti Hermarii* meminere fratres Sammarthani. Erinharius *basilicam B. archangeli Michaëlis licet modico, pulcherrimo tamen opere* ædificavit, quæ parochia est totius loci. Vitam egit Teutsindus ad annum usque 738.

X. Wido Fontanellensem mox præfecturam iniit. *Hic namque propinquus Caroli principis fuit, qui etiam monasterium sancti Vedasti.... jure regiminis tenuit anno uno, sicut & istud. Erat autem de secularibus clericis, gladioque quem semispacium vocant, semper accinctus, sagaque pro cappa utebatur, parumque ecclesiasticæ disciplinæ imperiis parebat. copiam canum multiplicem semper habebat, cum qua venationi quotidie insistebat, sagittatorque præcipuus in arcubus ligneis ad aves feriendas: hisque operibus magis quam ecclesiasticæ disciplinæ studiis se exercebat. Accusatus vero apud principem Carolum. quod conspirationem adversus ipsum cum aliis meditatus esset, jussu ejusdem exarchi ad regiam domum compellitur migrare: qui dum pergeret cum satellitibus regiis, venientes in territorium Viromanduæ. capitis præcisione damnatur* anno 739, ex ipso Fontanellensi chronographo, quem male interpretati sumus tomo III, col. 375.

XI. Raginfredus *de nobili Francorum prosapia oriundus exstitit, licet opera nefanda*, inquit chronographus, *generositatem fœdarent illius. Compater etiam spiritualis regenerationis Pipini magni regis.... rectorque hujus cœnobii Fontinellensis, parumque hoc digne administravit..... unde commota omnis caterva monachorum, ne status almæ regulæ vacillando*

A *fluctuaret.... tres ex semetipsis fratres eligunt, qui Pipino principi suggererent ut.... a dominatu tanti prædonis ac tyranni misericorditer eos liberaret. Nec mora.... Raginfredus de ordine.... regiminis depositus est* post tres annos præfecturæ. Factus est aliquanto post archiepiscopus Rotomagensis, & episcopio similiter dejectus. Vide quæ de eo diximus sup. col. 19.

XII. B. Wando, quem superius in sancto Benigno abbate exauctoratum vidimus, unanimi fratrum consensu postulatus in abbatem an. 742, exilium adhuc ferebat in *Trajecto castro, in monasterio videlicet beati Servatii confessoris Christi.*
B Summa omnium lætitia cum hymnis & canticis exceptus, *in summa pace ac tranquillitate* monasterium rexit: *pignora reliquiarum B. Servatii..... assumens, secum detulit, veniensque in hunc locum*, basilicam ipsi construxit *ad meridianam ecclesiæ majoris plagam.* Combusta anno 756 basilica, Servatianam illi contiguam Wando nusquam deseruit, de sua salute pontificis auxilio securus; atque hoc præcipue loco *semper de lege Domini meditationem agere volebat.* Distractos monasterii proventus aliaque pro virili recuperavit, libris etiam pluribus optimæ notæ bibliothecam instruxit. *Transactis autem septem circiter post suscepti*
C denuo *regiminis curam annis*, hoc est anno circiter 748, *luminibus oculorum præ nimio ætatis senio privatur. Tunc una cum consensu ac generali fratrum voluntate*, assentiente quoque Pipino, Austrulfum cœnobii præpositum abbatem dixit. *Ipse vero.... bonis operibus insistens, in ecclesia B. Petri sedulo residens, agonem suum triumphatori Christo jejunando, orando, vigilando commendabat... præceptis Domini adimplendis* totum se devovit; *victimam quoque hostiæ salutaris, quandiu capitis habuit lumina, immolabat quotidie, cumque* exegisset *in monachico voto annos ferme sexaginta*, cum depositionis & exilii acerbitatem patientissime tulisset, restitutusque in
D sedem omnia pastoris optimi munia implevisset, *decrepitæ jam ætatis senio confectus, præsentis vitæ debitum complens, ad æternam migravit requiem, (xv calend. Maii) anno ab Incarnatione Dominica circiter 756*, & in basilica principe sepultus non sine Bertgaudi monachi eum in sarcophago componentis stupore. Cum enim illum ceterorum more supinum posuisset, *subito conversum* vidit *se dextero in latere collocavisse, sicuti moris est vivorum in strato agere, viventisque effinxisse speciem.*

XIII. B. Austrulfus, *egregius pater, amator hujus cœnobii ac fortissimus rector exstitit, curamque*
E *maximam de statu regulæ, & observatione legis Dei habuit.... verbi divini pabulum sedule ministravit, suisque in actibus imitandus omnibus apparuit.... ita se in omnibus exhibuit irreprehensibilem, ut cunctos hujus actus omnes imitari vellent, nam quicumque illum docentem audiebat, aliter operantem non redarguebat:* nec minimam gerendæ rei curam habuit, tuitionis privilegium a Pipino consecutus. Si chronographo, qui vel testis fuit oculatus, vel certe rerum conscios videre potuit, adhibenda fides, *cum Hildericus rex, Merovingorum*

ex genere ortus, depositus tonsusque, ac in monasterio sancti Audomari, quod dicitur Sithiu, trusus est, hujus *filius nomine Theodericus in hoc monasterio* (Fontanellensi) *anno sequenti clericus effectus, collocatus est.* Tum Austrulfus *post suscepti regiminis annum sextum* (hoc est ab anno 748 ad annum 753) *accensus igne divini amoris . . . . ad limina beatorum apostolorum Petri & Pauli iter disposuit;* unde rediens, Agauni febre consumitur XVIII cal. Octob. anno eodem 753, ibique honore congruo sepelitur.

XIV. Widolaicus, cujus nomen in duas voces separari non debet, quasi significetur Widonem fuisse abbatem laïcum, (ita enim appellati sunt & *Vulfilaicus* discipulus S. Aredii, *Ratlaicus* Eginardo a secretis, *Grimlaicus* sacerdos, qui de vita solitaria scripsit, & alii) ex camerario Teutsindi abbatis, & matriculario sancti Martini Turonensis, Fontanellensem abbatiam, *plurima donaria auri argentique secum deferens*, a Pipino rege comparavit anno 753. Succensam igne sancti Petri basilicam *cum adjutorio regali majori elegantia reparavit, sublimiorique fabrica decoravit:* sed villas plures regiis hominibus ad possidendum contradidit, *miserabile sibi faciens memoriale*, quibus ex causis observatio regulæ detrimenti non parum accepit; sacram nihilominus supellectilem largitus est, & libris aliquot bibliothecam auxit. Eo præsidente, Pipinus rex ad sepulcrum patris Wandregisili accessit orationis gratia. Tandem Widolaïcus obiit *Petreoponte, villa publica sub anno Domini 787, XVIII calendas Octob.* indeque Fontanellam delatus, in basilica sancti Petri sepulturam accepit.

XV. Sanctus Gerwoldus, clericus, Bertradæ reginæ capellanus, *regni negotiorum procurator, per diversos portus ac civitates exigens tributa ac vectigalia*, tum episcopus Ebroicens. episcopatum deseruit ut Fontanellæ præfecturam adipisceretur. Sæpe legatus in Angliam, infensum Offæ Carolum magnum mitigavit, recuperandisque monasterii bonis suam apud illum auctoritatem interposuit. Libros plures monachorum in usum exscribi, & sacram supellectilem plurimam instrui curavit: *basilicam S. apostoli Petri plumbo cooperuit: similiter sancti Michaëlis archangeli: caminatam fratrum a fundamentis ædificavit: domum etiam infirmantium fratrum emendare studuit: coquinam.... in majori elegantia reparavit: sacrarium ecclesiæ a fundamentis ædificavit: scholam in eodem cænobio esse instituit, quoniam omnes pene literarum ignaros invenit, ac de diversis locis plurimum Christi gregem aggregavit, optimisque cantilenæ sonis . . . edocuit. Erat enim . . . . . quanquam aliarum literarum non nimium gnarus, cantilenæ tamen artis peritus, vocisque suavitate ac excellentia non egenus.* Harduinum in cella martyris Saturnini vitæ contemplativæ dantem operam retinendæ disciplinæ, exscribendarumque donationum adjutorem habuit. Rebus tandem optime gestis, multisque monasterio suo concessis, ibidem *vitæ terminum dedit XVIII cal. Julii, anno 806.*

XVI. S. Trasarus vel Trasarius, *defuncto Geroaldo*, seu Gerwoldo abbate, *hoc adeptus est cænobium.* Præceptum obtinuit Ludovici Pii imperatoris anno secundo, VII cal. Novemb. 815, decessorum regum privilegia confirmantis; illud habes ampliss. collect. tomo I, col 61. Anno sequenti, Trasarus *cum licentia ejusdem imperatoris ad locum suæ nativitatis repedavit, ac Beneventum in Campania regrediens, a Sigone duce, quem ex lavacro sanctæ regenerationis susceperat, honorifice susceptus est.* Hunc rebus feliciter expletis, quanquam munere abdicato, Fontanellam rediisse, privatamque vitam secularibus curis exemtam duxisse ferunt: certe tumulatus ibidem fuit, & hodiernum in diem sacra ipsius ossa thecæ majori altari impositæ inclusa, fidelium venerationi exponuntur.

XVII. Hildebertus II cedenti Trasaro successit anno 816, ante exactum præfecturæ annum, mense Februario, ut ferunt, anni 817, extinctus. Hunc *mira pietate*, ac *sincera mente* studuisse *Deum colere* poëta Fontanellensis disticho cecinit.

XVIII. Einardus, seu Eginhardus, quem in duos male scindunt cum Sammarthanis nonnulli recentiores, non modo Fontanellæ, verum etiam sancti Servatii Trajectensis, ut colligitur ex alphabeto Tironiano novo, charta XLVII, pag. 76 & seqq. imo S. Petri Blandiniensis, S. Bavonis Gandavensis, S. Mauri Fossatensis, aliorumque monasteriorum abbatias tenuit, antequam valediceret seculo, & Selingestadiense cœnobium excitaret. Totis septem annis quibus ille Fontanellense rexit ab anno 817 ad annum 823, una cum Benedicto Anianensi rebus in melius convertendis se totum addixit, sed ad alia, jubente Ludovico Pio, vocatus, sequenti locum permisit. De eo fusius diximus tom. V, col. 176 & 190, ac tomo VII, col. 286.

XIX. S. Ansegisus *derelictam* Fontanellam anno 823, *gubernandam* tam solerti studio suscepit, tantaque *industria nobilitavit, ut novus Wandregisilus credi posset, aut etiam magnus præsul Ansbertus redivivam ad lucem regressus fore putaretur . . . . . Clerum nobilissime auxit, ac regulari ordine secundum egregii patris Benedicti normam ut vitam degerent, multipliciter decertavit.* Luxovienses hanc in rem monachos Fontanellam induxit, *qui plurimis diebus in hoc monasterio conversantes, nonnulla exempla doctrinæ & bonitatis suæ illic reliquerunt.* Ansegisi virtutes late commendat idem chronographus, modestiam ejus, legationes, fidem, religionem, justitiam, prudentiam, caritatem exponens. Quanta deinde Luxoviensibus suis, Fontanellensibus, Gemeticensibus, Flaviacensibus dona seu ministeria sacra, quotve libros & recuperata prædia contulerit, quam præclaris ædificiis monasterium instruxerit renovaritque, idem auctor fuse prosequitur, comprobante *memoratorio*, seu *constitutione Ansegisi abbatis, qualiter disposuit vestimenta & calciamenta, atque alimoniam fratribus, una cum consensu eorum ordinabiliter, ut absque ullius occasionis querela, omni egestate exclusa, vota sua Deo*

Deo reddere, atque sponsionis suæ negotium ad effectum omni tempore perducere possent. Studiis quoque sanctioribus intentus, præter orationum frequentiam, inquit Hermiricus Luxoviensis abbas, *capitula regum Francorum, quæ diversis fuerant acta conciliis, excepit, & uno volumine contineri fecit. Cumque inter regni proceres Francorum regibus gratus esset, justis & piis operibus intentus, vitæ finem fecit, & illic ubi spatiosius extenderat ecclesiam, dignam accepit sepulturam,* XIII calendas Augusti anno 833, postquam rexisset per annos decem, menses quinque & dies 18. Sed præferenda Fontanellensis chronographi auctoritas, qui eum scribit *cum fletu maximo* B Fontanellæ tumulatum *extra basilicam S. Petri ad Aquilonarem plagam, in porticu, in qua fratres conventum celebrare soliti sunt*, id est in capitulo quod ipse construxerat. Ut vero monachorum se & clericorum precibus commendaret, ingentem pecuniæ vim monasteriis & ecclesiis circiter octoginta testamento reliquerat anno 831, vir inter præcipua Carolini seculi decora numerandus.

XX. Joseph, Ebroicensis, ut quidem videtur, *episcopus abbatiam in divortio tenuit menses septem & dies duodecim:* quæ animorum dissensio nata C inde videtur, quod monachi pristinarum calamitatum memores, sibi rebusque suis pertimescerent, si denuo sub abbatis, clerici vel episcopi, jugo ponerentur; quippe ab illis disciplinæ curam abjici, prædia distrahi, redditus in seculares usus converti solere nimis valde deprehenderant. Hunc itaque Lotharianis faventem partibus abjecerunt.

XXI. Fulco, *venerabilis presbyter succedit ab anno Incarnationis Dominicæ 835*, vel præcedenti, & *prædictum cœnobium tenuit annis undecim & menses sex, dies 27, a VII cal. Aprilis, usque VI id. Octob.* secundum idem chronicon. Eum D anno 836, Ludovicus Pius legatum miserat ad Lotharium ejus filium ut eum officii in Romanam ecclesiam admoneret; qua in re parum aut nihil profecisse videtur Fulco.

XXII. Herimbertus, seu Heribertus *diaconus annis quatuor & menses undecim, id est, à V id. Octobris, quando regimen sumsit, usque III idus Septembris, quando ad Dominum migravit.* Sed hæc ut stare possint, & cum anonymi Fontanellensis tunc viventis fragmento mox adducendo conciliari, dicendum Fontanellenses sæpe à Normannis fugatos, sæpe reduces in monasterium, Fulconi abbati paruisse ad annum circiter 854, E quem Herimbertus in annos fere quinque exceperit, dum interim Josephus archiepiscopus, & Ludovicus cancellarius, optimates, monasterii rebus (si quid a Normannis relictum fuit) potirentur. Itaque Fulconem *venerabilem presbyterum*, subindeque Herimbertum *diaconum* in appendice chronici prima, nusquam abbates dictos, monachorum cœtui Danicas inter procellas Præpositorum titulo præfuisse, nonnulli facile crediderint. Obstat tamen quod asserit chronographus Fontanellensis apud Quercetanum ad an. 849,

A Odoni viro illustri simul & Heriberto *abbati* Fontanellensi, qui militiam sectabatur & arma tractabat, commissam esse eodem anno in obsidione Tolosæ, portam quæ dicebatur Narbonensis, & homines ejusdem Heriberti injecto igne portam illam cremavisse.

XXIII. Joseph archiepiscopus, idem ne sit cum Josepho episcopo superius memorato, non liquet. Imo quis certo asserat Josephum episcopum, qui post Ansegisi mortem *in divortio* Fontanellam mensibus septem obtinuit, ipsum esse Josephum Ebroicensem antistitem, qui Lotharianas in partes concessit? Ut vero fuerit Ebroicensis, non video cur archiepiscopi nomen tulerit ab auctore compari, maxime postquam Carolus abacto Lothario Neustriæ rex prævaluit. Neque obstat vel ipsum ad metropolitanam sedem aliquam commigrasse, vel alium ejus nominis archiepiscopum abbatia Fontanellensi donatum a Carolo fuisse. Certe memoratus anonymus a Quercetano inter historiæ Francicæ scriptores editus, postquam docuit anno 841, *redemtum esse Fontinellense cœnobium libris sex, V cal. Jun. venisseque monachos de S. Dyonisio, qui redimerent captivos sexaginta octo lib. XXVI*, subdit: *Eodem anno* (intellige annum 842) *regente hujus cœnobii Joseph archiepiscopo, IV cal. Martii huc Domino miserante accessi, &c.* Notanda *regentis* vocula, quæ sæcularem potius dominum, quam abbatem significat: quandiu præfuerit Joseph archiepiscopus nos latet. Ebolum abbatem & sancti Wandregisili consanguineum, tam vulgati indices quam manu exarati Herimberto substituunt ad annum 849, quem sequenti Ludovicus exceperit, tum proxime Mainardus, qui anno 950 Gandavi adhuc monachum agebat, sed Ebolum præcessit

XXIV. Ludovicus regni cancellarius, abbas Dionysianus & Fontanellensis, qui quasdam villas ad 70 monachorum numerum delegavit, quas regis Caroli auctoritate confirmari curavit XII cal. Aprilis, Caroli 14, indictione 1, 853. Diploma habes in annalibus ordinis, tomo tertio, pagina 665. Fontanellenses regebat anno 862, quando Normanni capta direptaque Rotomago Gemeticum *voracibus flammis combusserunt.* Par excidium Fontanellenses dato pretio prius averterant ad tempus, cum suis Wandregisili atque Ansberti pontificis ossibus quaqua versum fugientes, uti superius expressimus.

XXV. Ebolus, quem Abbo Germanensis monachus *fortissimum* abbatem dicit, reprimendis Normannis, quam in officio continendis verbo & exemplo monachis aptior erat, vir militaris, qui in obsidione Parisiaca lacertos fortiter exeruit. Ab illo ad Mainardum usque, Gerardi Broniensis discipulum, qui non ante annum 950 Gandavum dereliquit, si qui prostrato monasterio post Ebolum abbates præfuere, laïci illi, vel seculares antistites erant, quos tenebris obsitos in lucem revocare nec licet, nec tanti videtur.

XXVI. Mainardus, *alto parentum sanguine* A *oriundus*, Gandavensis monachus, Gerardi instauratoris discipulus, cum ipsum Fontanellensis cœnobii reparationi daturum operam Riveriscortem usque fuisset comitatus, *in amore & desiderio Fontinellensis cœnobii accensus .... expetita licentia & obtenta, Richardum marchionem celeriter adiit, præfatumque locum sibi ad reædificandum dari petiit & impetravit .... ad quem cum accessisset, ac dumis & vepribus occupari cuncta vidisset, adhibito diligenti studio, factoque repurgio ædificare eum cœpit, sicque divino fretus juvamine templum in parvo tempore nobiliter consummavit, sed & dormitorium & refectorium ex lapidibus & cæmento* B *construxit.* Tum *monachos, prout res patiebatur in Dei servitio constituit: libros quoque & chartas & quædam ornamenta, sed & phylacteria cum pretiosis sanctorum pigneribus ab abbate suo & fratribus, sibi indulta illuc convexit, sicque exinde cœpit sacer locus ille paulatim diversis rerum speciebus succrescere, terris ac vineis in diversis regionibus & pagis augmentando proficere.* Mox affulgente numinis favore, Maximi & Venerandi martyrum sacra corpora Fontanellam deferuntur. *Cum vero præcipua,* ut dictum est, *abbatis Mainardi industria in omnibus claresceret, eum dux & primates ad Montem sancti Michaëlis Archangeli,* C *compulerunt migrare, quatenus canonicis eliminatis monachos, quibus præesset in regulari disciplina deberet undecumque aggregare.* Id anno 966 consignant recentiores; sed Fontanellensibus exitiosa fuit illa translatio: nam qui fratribus impositi sunt tres proximi abbates, tantum abest ut tenerum adhuc revocatæ disciplinæ statum fulcirent, ut contra inertiæ vacantes suos verbis & exemplis ad meliora provocare neglexerint. Adsuit tandem sub Richardo II, periclitanti Fontanellæ Gerardus, ex Latiniacensi monacho abbas Crispiacensis, quo manum conferente loco pristinus honos rediit. Nescio an tribus ex illis vitæ re- D missioris abbatibus fuerit

XXVII. Eusulbertus *seu* Ensulbertus, forte Engelbertus, monachus, tum decanus Gemeticensis, postea abbas Fontanellensis. Ut quid enim, si tam remissæ vitæ dedecore maculatus esset, florentis Gemetici decanus, abbas ad pessumdandam Fontanellam dum alia resurgerent monasteria, devocaretur? Contrarium evincit ejus epitaphium inventum in claustro Gemeticensi, ubi quiescit, his verbis: *Hic humatus in tumulo requiescit devotus Deo pio qui nomine vocatus Ensulbertus. Hic sub norma almi Benedicti sanctam expetiit ducere vitam in sacri cœnobii Ge-* E *meticensis loco. Qui ejusdem cœnobii piissimus extitit decanus, pio disponente Deo, insignis claruit abbas in cœnobio qui vocatur Fontanellæ, ubi excellentissima beati Wandregisili clarescunt digne merita. Igitur supradictus abbas sacrum nutriens clerum & basilicas Dei restaurans atque ornans, hospitalitatemque cum eleemosynarum largitione præcipue sectans, jejuniis atque orationibus cum sanctarum meditatione scripturarum assidue vacans, feliciter ab hujus ærumnis sæculi migravit ad astra poli, X cal. Octob. anno Incarnationis Domini IX^cc LXXXXIII, atque anno VI decennovali luna existente secunda.*

XXVIII. N.....&

XXIX. N.... ignoti nominis abbates, ad annum 1008 degisse referuntur.

XXX. B. Gerardus I, ex Fulberti condiscipulo, tum monacho Latiniacensi, cum *in castro Crespeio sub comite Walterio abbatis meruisset ordinatione sublimari, primus eumdem locum fundavit & regulari institutione excellenter excoluit.* Deinde Richardo II Normannorum duci notus, Fontanellam ab eo subire coactus est, anno 1008, ex chronico, secumque adducens *ex monachis & famulis, quos educaverat probiores quosque.... bonitate & prudentia, studio & constantia, districtione in regulari disciplina, sagacitate in rerum temporalium procuratione providentissima, castitate corporis & operis munditia, jejuniorum, orationum, lachrymarum, & in pauperes eleemosynarum, cetera rumque virtutum* laude excelluit. Amplissimum diploma obtinuit a Richardo Normannorum principe, anno 1024; illud habes in Monastico Anglicano, tom. III, pag. 1004. Droco Wicassini comes restituit villam *Chaussy*, anno eodem VII id. Aprilis, Gerardo, qui S. Petri basilicæ cryptas dum erigeret, in duobus SS. Wandregisili & Ansberti sepulcris pulverem tantum, in tertio vero S. Vulfranni corpus integerrimum detexit anno 1026 aut 1027, calendis Junii, illudque solenni more altari imposuit. Eversum deinde *clangorium*, hoc est campanile, meliorem in formam per totos viginti annos restituit. Post multa sancte præclareque gesta tandem *ætate maturus, regularis ordinis observantia præcipuus,* a nefario monacho *post laborem diei, quem in jejunio & orationibus ex more suo impenderat,* securi percussus interiit, *anno 1031, tertio cal. Decemb.* Huic *cœlestis favor in ipso etiam vultu & habitu non deerat; nam decoram illius faciem canities gratificabat honesta, statura procerus, ore suavis erat & facundus: nihil indecens in eo vel incompositum deprehendebatur.* Martyrii laurea donatus, ab auctore compari scribitur. De eo lege Mabillonium, Act. SS. Bened. sec. 6, part. I, pagg. 361 & seqq.

XXXI. B. Gradulfus, antea decanus sub abbate Gerardo, *ab eodem in disciplina regulari pridem educatus, sed in monte sanctæ Trinitatis ad ædificandum eum constitutus, exigentibus bonæ vitæ meritis, in reginine successit jussu Rotberti principis .... atque per annos sexdecim quibus supervixit sagaciter, officium modeste disposuit, locumque sibi commissum in omnibus augmentare curavit.* Anno regiminis secundo constructam a decessore principalem ecclesiam dicari curavit, pridie id. Septembris, a Roberto archiepiscopo & ab Herberto Lexoviensi præsule. Confirmationis bonorum diplomate donatus est a Roberto Normannorum principe, quod videsis in Monastico Anglicano, tomo III, p. 1005. Gradulfi ad preces Willelmus comes Normannorum, insulam Balsinacam in fluvio Sequanæ sitam, ubi sanctus Condedus e partibus transmarinis eo adventans,

eremiticam duxerat vitam, sancto Wandregisilo restituit, & quatuor in Anglia ecclesias concessit pro amore Guncardi capellani sui, qui ibi factus est monachus. Diploma ejus legitur in Monastico Anglicano, tomo III, pag. 974. Gradulfus autem Hunfredum in fundo Pratellensi cœnobium erigere parantem juvit consiliis, ei monachos, atque ex illis Ansfredum in abbatem eligendum concessit. *Sed quum Fontinellæ locus statim sub tanto rectore proficeret, atque illius fama bonitatis multis spectabilis foret.... visum est pontifici Malgerio.... (quod & omni clero plebique non mediocriter placuit) ut eumdem Gradulfum abbatem sibi substitueret, & vicarium sub se benedictione episcopali insigniret.* Sed Gradulfus dum interim deliberaturus, Fontanellam se recipit, *tertia die corporis subito tactus infirmitate decedit anno 1047, pridie non. Mart.* quod si integris rexit sexdecim annis, cadere debet in annum 1048. Corpus ejus honore præcipuo cultum a fidelibus in sepulcro, quod variis decoribus ornarant, a furentibus Calvinistis incendio traditum est, perseverante nihilominus plebe sarcophagum illius precibus & votis frequentare. De eo lege Mabillonium, Act. SS. Benedict. sec. 6, parte 1, pag. 361 & seqq.

XXXII. Robertus I, Gradulfi germanus, eidem mox succedit in an. 1063, quo Luteciam ad regendum S. Germani cœnobium migravit, quemadmodum diximus tomo VII, col. 437. Anno 1051, Roberti abbatis quarto, Willelmus comes Normannorum ad restaurandum monasterium quod dudum eversum fuerat, nonnulla contulit. Anno 1053, Robertus sedandæ pesti gravissimæ, S. Vulfranni reliquias Rotomagum, postea Fiscannum & in alia oræ maritimæ loca simili morbo laborantia detulit: felix, quod sancti Wandregisili brachium Biandinienfibus ereptum flammis a Rodolfo presbytero commorante ad sanctum Judocum obtinuerit, Fontanellamque solenni pompa revexerit. Eo præsidente, viri docti non pauci Fontanellæ sanctioribus literis operam navabant. Jacet in monasterio sancti Germani a Pratis Parisiensis.

XXXIII. B. Gilbertus, aut Girbertus & Gerbertus, Moguntiæ nobilissimo genere ortus, in Italia primum cum Maurilio postmodum Rotomagensi archiepiscopo, eremiticam vitam sectatus est, atque inde Fiscannum cum eo se recepit, quo ex loco ad regimen Fontanellensis monasterii assumtus anno 1063, annuente Willelmo comite, hanc ab eo laudem tulit, ut Lanfranco & Anselmo comparatus, referente Orderico Vitali, lib. VII, pag. 658, gloriandi ansam daret principi in hunc modum. *In electione personarum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam investigavi. & quantum in me fuit, omnium dignissimo ecclesiæ regimen commendavi. Hoc nimirum probari potest in Lanfranco, hoc in Anselmo Beccensium abbate, hoc in Gerberto Fontanellensi, & in aliis multis regni mei doctoribus, quorum celebris laus personat in ultimis, ut credo, terræ finibus. Tales socios ad colloquium elegi, in horum contubernio veritatem & sapientiam inveni, ideoque semper gaudens optabam eorum consiliis perfrui.* Girbertum celebrat adhuc Ordericus lib. IV, pag. 530, his verbis: *Gerbertus Fontinellensis & Ainardus Divensis & Durandus Troarnensis, quasi tres stellæ radiantes in firmamento cœli, sic isti tres archimandritæ multis modis rutilabant in arce Adonai; religione & caritate, multiplicique peritia pollebant, studioque divinæ laudationis in templo Dei jugiter inhiabant.* Et Guillelmus Pictaviensis, pag. 195, in hæc verba: *Guillelmus... Gerbertum vunctæ sanctitatis conscientia & fama juxta beatum... cœnobio S. Guandregisili præfecit, ordinem dilapsum restituere intendens per abbatem spiritualem.* Tanto doctore multi sapientia virtutumque studiis insignes monachi floruerunt: quos inter Gaufridi duo, Guntardus, Ingulfus & Galterius, abbates etiam, maxima cum laude suis monasteriis præfuere. Adfuit Gerbertus dedicationi parthenonis Cadomensis, anno 1066. Eodem anno Guillelmus factus rex Anglorum, huic monasterio, quod a S. Wandregisilo nobiliter exstructum, a perversis ad solum usque dirutum fuerat, & postea ab avo suo Richardo restauratum, restituit anno 1074, mense Maio, regni 8, possessiones & prædia quæ ante monasterium devastatum ipsius juris fuerant, & deinde suis cesserant usibus & dominationi. Eodem anno Gilberti 12, Willelmus idem Fontanellenses cum comite Ebroicensi disceptantes de usu in silvis Calidibecci & Gothvillæ conciliavit. Querelam habuit Gilbertus cum Guillelmo archiepiscopo Rotomagensi de ferro judicii & jurisdictione in quatuor parochias, quæ abbati a Willelmo rege adjudicata sunt anno 1082, apud Oxellum. Girbertus perditam *probationis ferri* machinam, anno eodem instauravit, & a Guillelmo Rotomagensi antistite, benedictione sacrandam curavit; qua de re actum fuerat in concilio ejusdem anni apud Oxellum celebrato, ut videre est apud Pommerayum pagg. 109 & 110. Vixit Girbertus ad annum 1089, extinctus prid. non. Septemb. & in capitulo depositus. De eo vide Mabillonium, Act. SS. Bened. sec. 6, parte prima, pag. 361 & seqq.

Chart. 1. col. 61.

XXXIV. Lanfrancus Beccensis monachus, per vim intrusus eodem anno, Fontanellenses vexavit ad annum 1091, his coloribus a poëta Fontanellensi respersus:

Illo defuncto, fuit hic tribulatio magna;
Quidam Lanfrancus vi capit ecclesiam.

Sed ab ovili truculentus pastor tandem abactus, meliori locum dedit. De Lanfranco vide duas Anselmi ejus abbatis epistolas, primam ad hunc ipsum, & alteram ad monachos Fontanellenses, Neustriæ Piæ pagg. 170 & 171.

XXXV. Gerardus II, ob propensum in egenos animum, vitæque continentiam, laudatur ab eodem poëta: huic donatum molendinum apud Brionem, anno 1092. Interfuit concilio provinciali Rotomagensi, anno 1118 celebrato. Fato functus III non. Martii anno 1125, id

est, 1126, conditus est in capitulo; sed anno 1672, ossa ejus ad pedes altaris deportata sunt. Extat ad eum Ivonis Carnotensis epistola de tabulis altarium consecratis, editam in Neustria Pia, pag. 172.

XXXVI. Alanus admodum juvenis, electus est anno 1126; adfuit anno 1128 concilio Rotomagensi, nondum benedictus, huicque anno eodem donatæ decimæ de Calsurnio. Ab Hugone archipræsule canonicam ut obedientiam atque professionem juraret pulsatus, novæ molitioni crudum pectus objecit anno 1131, moxque solvens in Angliam, effecit apud Henricum regem, ut ejus rogatu pontifex Innocentius datis literis Hugonem submoneret, quatenus Alanum & Fontanellenses monachos novo hoc jugo liberos dimitteret. Sed cum deinceps Alanus Henrico regi, nedum Hugoni archiepiscopo, perquam gravis evasisset, rebus suis timentes monachi eum abjecerunt anno 1137. At ille factus est postea abbas sancti Stephani Cadomensis.

XXXVII. Beatus Galterus seu Walterius I, natione Anglus, Alano suffectus est an. 1137, vir providus in consiliis, atque in disciplinæ norma sedulus. Huic anno 1141, peramplum diploma concessit Innocentius II, quo monasterii bona describit, ejusque libertatibus vult esse cautum. Bullam etiam obtinuit ab Eugenio III, anno 1145: occurrit anno 1146, v idus Julii cum Fraterno abbate S. Audoëni. Vixit ad annum 1150, omnium judicio vita longiore dignus.

XXXVIII. Rogerius prior erat vivente Galtero. Factus abbas, ecclesiam sancti Sidonii in Caletis, *quæ a multis retroactis temporibus desolata extiterat, & laicali tyrannide ex prava consuetudine premebatur, de manu ipsius domini castri* extractam anno 1153 ab Hugone archiepiscopo, de manu ejusdem pontificis accepit *reformandam in religionis statum, & ecclesiæ* sancti Wandregisili *custodiendam & jure stabili in perpetuum possidendam.* Gilberto abbati Ursi-campi fecit donationem, quam laudavit Hugo archiepiscopus, an. 1153. Chartam obtinuit a Girardo Sagiensi episc. anno 1155. Religionem Rogerii Robertus de monte paucis extollit; concinit anonymus, hoc disticho:

Huic tu felici succedis sorte, Rogeri,
Felix laude tua, laus tua perpetua.

Obiit III cal. Julii, anno 1165, & in capitulo sepultus est; sed anno 1672, ossa ejus ad suppedaneum majoris altaris asportata sunt cum ossibus Anfredi qui sequitur.

XXXIX. Anfredus, seu Ansfredus, vel etiam Aufredus, ex camerario electus an. 1165, diploma obtinuit a Ludovico VII, an. 1177, pro omnibus possessionibus monasterii, *cujus chartæ quasi jam nimia vetustate consumtæ erant.* Vivere desiit v calendas Maii anno 1178, & conditus est in capitulo.

XL. Galterius II, ob morum candorem plurimi factus, obiit III non. Novemb. anno 1187, accepta in capitulo sepultura.

XLI. Gaufridus I, favente Philippo Augusto, abbatiam adeptus, decessit III al. XIII calend. Julii, anno 1193, & in capitulo sepulturam accepit. Anno 1672, ossa ejus ad pedes majoris altaris allata sunt, sed lapidi sepulcrali pro anno obitûs male appositus est annus 1198.

XLII. Robertus II, ex abbate Fontaneti, Fontanellæ unico præfuit anno, defunctus anno 1194.

XLIII. Rainaldus & Raginaldus, an. 1194 electus, suos ad virtutum studia totis tredecim annis promovit: subscripsit chartæ Richardi I, regis Angliæ, anno 1196. Rei familiaris ergo solvens in Angliam, ibi anno 1207, defecit VIII cal. Octobr. (Ch. col. 2)

XLIV. Robertus III patria Montivillarensis, eodem anno electus est a majori fratrum numero. Renitentes electioni rerum dominus nusquam male habuit; sed æquanimi apud omnes usus caritate, suos in pace disciplinaque regulari composuit. Mortuus anno 1219, post mensem Aprilem, præclaro in tumulo Fontanellæ conditus est, al. in capitulo.

XLV. Guillelmus I de *Beio* & de *Braho*, ex priore electus est anno 1219. Pepigit anno 1224, cum Roberto duce Drocarum & Aenore ejus uxore pro ecclesia sancti Albini, & anno 1225, cum Reginaldo de Haricuria & uxore Cecilia *de Boterel* pro decimis sancti Sidonii. Abdicavit an. 1235, post mensem Septemb.

XLVI. Robertus IV, dictus *de Autumno*, qui vicus esse dicitur pagi Perticensis, electus an. 1235 exeunte, vivere desiit an. 1244.

XLVII. Petrus I *Mauviel* natus Fontanellæ, electus est anno 1244. Immunitatis literas ab Innocentio IV papa consecutus est an. 1247. Majorem ecclesiam incendio consumtam indoluit, novamque incœpit a fundamentis, brevi completurus, si diuturniorem ipsi vitam Deus indulsisset. Verum an. 1255 extinctus, interruptum opus deseruit VII cal. Novembris? jacet in capitulo. In eo vituperationem non effugit, quod consanguineos suos de facultatibus monasterii locupletaverit.

XLVIII. Gaufridus II *de Noitot* villa natus, ex tertio priore electus in abbatem an. 1255, vel exeunte mense Octobri, vel Novembri ineunte, pontificias a Gregorio X, Clemente IV, & Alexandro IV literas accepit, quibus monasterii juribus cavetur, & illis intentantur diræ, qui ablata bona non restituerent. His munitus subsidiis, basilicæ chorum absolvit, in eoque ad latus epistolæ sepultus est. Ne vero negotiorum ingruentium moles regularem disciplinam præfocaret, curarum consortem atque adjutorem delegit Guillelmum qui sequitur, monasticis regulis apprime eruditum, quo manum admovente nihil de pristino vigore remissum est. Obiit Gaufridus XI cal. Maii anno 1288.

XLIX. Guillelmus II *de Norville*, ubi natus, inde cognominatus, ex præposito factus abbas anno 1288 mense Maio, moritur an. 1303, forte 1304, in majoris ecclesiæ sanctuario se-

pultus, & magnifico donatus epitaphio, quod A si verum est, summas ejus aureisque seculis dignas virtutes luculenter explicat.

L. Guillelmus III *la Doullie* seu *la Doublie*, de Norvilla natus, uti superior, factus abbas post licentiam eligendi anno 1304 petitam, fulciendæ regulari disciplinæ, quæ sensim inclinare videbatur, omne studium adhibuit; nec minor ei fuit cura de cultu divinorum in cellis Fontanellæ subditis: æs alienum parcimonia sua redemit: redditus fecit meliores: basilicæ majoris navim ad medium perduxit: turrim lapideam montibus vicinis adæquatam, cum acumine lapideo circumpositæ plagæ imminentem, peri- B stylii latus ecclesiæ conjunctum & amplissimam fratrum coquinam exstruxit. Chartas & diplomata nullo sigillo munita, in formam debitam & scripturam novam redigi, & a Philippo V rege confirmari curavit an. 1319 mense Nov. Regium diploma habes in Monast. Anglicano, tom. III pag. 1004. Privilegiorum & immunitatum renovationem a Philippo Pulcro Francorum rege consecutus est anno 1341; adhuc superstes mense Februario ejusdem anni, id est anni 1342, videturque obiisse paulo post ante Pascha. Huic fratres in grati animi tesseram, mausolæum non ignobile in basilicæ sanctuario C versus Aquilonem erexerunt.

L I. Johannes I *de Saint-Leger*, natus de Calido-Becco, priorem agebat sub decessore suo. Electus anno 1342, obiit XIII calendas Maii anno 1344, sepultus in sacello beatæ Mariæ.

L I I. Richardus *de Chantemerle*, post octo mensium regimen excessit anno 1345, mense Aprili.

L I I I. Robertus V *Balbet*, Francici ærarii thesaurario affinitate conjunctus ex tabulis, piam ac sanctam ad mortis diem egisse vitam, suisque verbo & exemplo profecisse dicitur. Obiit anno 1362, 2 Urbani V, quo succedit D

LIV. Gaufridus III *Savary*. Prior fuit, tum abbas ab anno 1362, ad annum 7 Urbani V. Jacebat in capitulo, cum anno 1672, ossa ejus ad suppedaneum majoris altaris transportata sunt.

L V. Gaufridus IV *de Hotot*, Gaufridi successor, majoris basilicæ testudinem & sanctuarium perfecit, sanctique Pauli sacellum reædificare cœpit; tum uni e monachis suis, nomine Guillelmo *Burnel* abbatiam transcripsit an. 1389, sed monachi idibus Junii ejusdem anni Johannem qui sequitur, postularunt. Vivebat adhuc Gaufridus X cal. Octobr. anno 1390.

L V I. Johannes II *de Rochois* Gornacensis, E monachus sancti Geremari, doctor in decretis, prior sancti Audoëni apud Gisortium, & eleemosynarius Fiscanni, electus anno 1389, novo sancti Pauli sacello coronidem imposuit, vestium pontificalium usum a Benedicto XIII papa Avenionensi promeruit anno 1395. Fundavit unum obitum probante Guillelmo *de Vienne* Rotomag. archiepiscopo an. 1399 die 7 Nov. Rebus pie sapienterque gestis extinctus est quarto nonas Mart. anno 1412, id est 1413, & in basilicæ sanctuario conditus sub ænea lamina, qualem vix alibi ornatiorem invenias.

L V I I. Johannes III *de Bouquetot*, decretorum doctor, ex abbate Centulensi factus est Fontanellensis, cum Romæ tunc esset an. 1412, papæ referendarius. In concilio Parisiis habito, ad concilium Constantiense una cum aliis pro provincia Rotomagensi destinatus est 10 Nov. 1414. Abbatiam suam quod esset Anglis infensissimus, nunquam invisit; presbyteros tamen Caldebeccenses, qui vicarii generalis Rotomag. auctoritate nixi, die Parasceves pro foribus ecclesiæ beatæ Mariæ de Callovilla concionem de more haberi vetuerant, repressit. Romæ diem ultimum clausit anno 1419.

§ Extincto Johanne *de Bouquetot*, Martinus V papa Johannem alterum Bajocensem episcopum, abbatia donavit IV id. Julii ejusdem anni 1419, sed œconomus potius fuit ille quam abbas; ita enim pontifex in bulla sua: *monasterium præfatum*, inquit, *sic vacans regendum & gubernandum in spiritualibus & temporalibus tibi commendamus usque ad nostrum beneplacitum.* Paulo post idem abbatiam commisit *Nicolao* cuidam doctori theologo, ut vacantem per obitum Johannis referendarii; sed tandem electione facta Guillelmi qui sequitur, bullas ei concessit III idus Maii anno 1420.

L V I I I. Guillelmus IV *Ferrechal*, nobilis Burgundio, monachus & eleemosynarius sancti Audoëni Rotomagensis, obsequium vovit Anglorum regi XIV cal. Martii anno 1419, id est 1420. Facta permutatione anno 1431 cum Johanne Borbonio, transiit ad abbatiam sancti Dyonisii in Francia.

L I X. Johannes IV *de Bourbon* obiit anno 1444, vel exeunte mense Septemb. vel Octobri ineunte, & coram altari matutinali sepultus est; rex vero Anglorum Henricus VI licentiam eligendi dedit monachis, III non. ejusdem mensis Octobris.

L X. Johannes V *de Brametot*, ex priore de Tigevilla electus anno 1444 mense Octobri, bullas impetravit eodem anno XIV cal. Januarii. Obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi pridie nonas Maii anno 1447, regi vero XIV calendas Decembris anno 1449. Obiit an. 1483 mense Junio, sepultusque est in sacello beatæ Mariæ, quod dextro chori lateri respondet.

§ Tunc, ut observavimus tomo I col. 440, Sixtus IV papa contulit abbatiam Urbano de *Flisco* episcopo Forojuliensi, monachi vero ad petitionem regis elegerunt Andream qui sequitur. Atque hinc natæ lites quæ adhuc sub judice erant anno 1484.

L X I. Andreas *d'Espinai* cardinalis, de quo diximus tomo II, col. 845, in archiepiscopis Burdigalensibus, & tomo IV, col. 180, in archiepiscopis Lugdunensibus, post fidei obsequium regi præstitum VIII cal. Mart. anno 1483, id est 1484, causam tandem vicit, Fontanellamque tenuit in commendam ad annum 1500, quo extinctus est.

LXII. Johannes VI *Mallet*, Fontanellensis

monachus, canonica fratrum electione dictus abbas calendis Decemb. anno 1500, prohibente Ludovico rege, post contentionem, quæ durabat adhuc anno 1504 mense Julio, Philippo qui sequitur cedere coactus est. Tum Fontanellam ex fuga reversus, vixit aliquandiu quietus, & in sacello beatæ Mariæ tumulatus est.

LXIII. Philippus *de Cleves*, de quo jam diximus tomo IV, col. 423 in episcopis Augustodinensibus, & tomo X, col. 1204, in episcopis Ambianens. Fontanellæ commendam vi rapuit anno 1502. Nusquam in monasterio visus, obiit III nonas Martii anno 1504, id est 1505.

LXIV. Jacobus *Hommet* loci monachus ac prior, electus est XIV cal. Aprilis an. 1504, id est 1505, a monachis, qui ut eum inauguraret, rogarunt Georgium archiepiscop. Frendentibus inde nonnullis optimatibus & aulicis, gravissima lite certandum fuit, propterea quod Julius II papa, Franciscum Guillelmum *de Clermont* cardinalem, qui paulo post archiepiscopus Auscienses factus est, abbatia donaverat, & electus ipse, ne quid auderet, ad S. Audoënum inclusus est; sed tandem anno 1508, Normanniæ scacarii decreto confirmatus, mox benedictus in eadem S. Audoëni basilica, fidem vovit ecclesiæ cathedrali VI cal. Julii anno 1508, & in abbatia sua exceptus est XII cal. Augusti sequentis. Inter pendentis litis angustias tota rei monasticæ cura penes Guillelmum *la Vieille*, de quo diximus in procemio, resedit. Is incœpto jam peristylio supremam manum imposuit, picturas varias tam in eodem loco quam in ecclesia novas addidit; sacrarum reliquiarum solenni decus & celebritatem adjecit: ipse vero Jacobus abbas ornamentis, campanis sex ingentibus & ædificiis monasterium decoravit. Obiit ultimus regularium III cal. Martii anno 1522, id est 1523, sepulcro humili pone majus altare tumulatus.

LXV. Claudius *de Poitiers* monachus & abbas Montis-majoris, Fontanellam priori dignitati commendæ titulo sociavit, fidemque vovit ecclesiæ cathedrali pridie calendas Novembris anno 1535. Sed cum frequens in aula degeret, regiminis curam in Guillelmum modo laudatum transtulerat, quo potissimum adnitente, non omnis observantiæ regularis facies interiit. Rerum potitus est Claudius ad annum 1546, quo interiit, uti diximus tomo I, col. 617. Interea tamen Franciscus *de Clermont*, cardinalis, qui sibi nonnihil juris in abbatia reservaverat, ad aliquot beneficia monasterio obnoxia simul cum Claudio præsentavit.

LXVI. Michaël *Bayard* adepta possessione anno 1546, IV calendas Januarii a Calvinistis, Gabriele *de Montgommery* duce, cuncta vastantibus multa perpessus est ad annum 1565, quo obiit post mensem Aprilem.

LXVII. Petrus II *Gourreau* doctor theologus personatum abbatem ad annum 1569, videtur gessisse.

LXVIII. Carolus *de Bourbon*, cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, obiit anno 1580.

LXIX. Ægidius *de Vaugrault* abbas, ut videtur, fiduciarius, doctorque theologus, possessionem iniit 1578, & obiit anno 1585.

LXX. Nicolaus *de Neufville*, ex impari matre filius domini *de Villeroi*, abbas item Latiniacensis, Fontanellam quam obtinuerat anno 1585, Camillo qui sequitur transcripsit III non. Mart. anno 1616, obiitque Lugduni anno, ut dicitur 1674, piis operibus perquam intentus. Vide tom. II, col. 349, in abbatibus Casæ-Dei.

LXXI. Camillus *de Neufville* & ipse Ferdinando fratri qui sequitur, abbatiam consignavit anno 1622. Diximus de eo in archiepiscopis Lugdunensibus, tomo IV, col 195.

LXXII. Ferdinandus *de Neufville* possessionem adeptus die 11 Aprilis 1622, anno 1636, XIX cal. Febr. congregationis S. Mauri patres ad Fontanellam accivit. Obiit episcopus Carnotensis calendis Januarii, anno 1690.

LXXIII. Baltasar-Henricus *de Fourcy*, Henrico *de Fourcy*, regi a sanctioribus consiliis & Magdalena *de Boucherat* cancellarii Franciæ filia, parentibus natus, nominatus est an. 1690, mense Februario.

GEMETICUM *seu* GEMETICUS. JUMIÉ.

Erat Gemeticum locus desertus, silvis obsitus, secus dexteram Sequanæ ripam, a Duroclaro ad Caldebeccum pertinens; sed specialiter Gemeticus dicebatur peninsula illa quæ ab oriente, a meridie, & ab occidente, fluminis hujus alveo circumfunditur. Ibi an. 655, sanctus Filibertus, Resbaci in finibus Meldorum secundus abbas, in fundo quem a Clodoveo II Francorum rege dono acceperat, præsertimque a S. Bathilde ejus conjuge, quæ inter cætera addiderat Gemestæ-villam, monasterium ædificavit, quod peninsulæ totius quam complectebatur, nomen retinuit. Eum porro locum Mabillonius annal. Bened. tomo I, pag. 432, describit in hunc modum: « Monasterium, inquit, mœnibus quadratis, turritisque cinctum, majorem basilicam S. Mariæ ad Eurum instar crucis constructam habebat, cum abside auro argentoque decorata, & duobus hinc inde altaribus, uno S. Johannis Baptistæ, altero sancti Columbani. Ad Boream Dyonisii martyris & Germani confessoris ædicula: a dextris oratorium sancti Petri, adjunctum habens e latere sancti Martini sacrarium. Dormitorium ad austrum respiciens duplex, ducentorum nonaginta pedum in longitudine, in latitudine quinquaginta; ubi singulis lectis singulæ fenestræ respondebant, ardente per noctem lychno ad commoditatem legentium. Subter ædes geminæ officinæ duobus officiis opportunæ, refectorium & cella vinaria. Magna etiam eo in loco piscium commoditas & copia; nam uncis ibi, retibus, & ratibus, ait vitæ scriptor subæqualis, capiuntur pisces marini quinquagenis* pedibus longi, qui & fratribus escas, & lucernis fomenta suppeditant. Moris erat viro sancto selectos e monasterio fratres ad exhortandos

* f. quinquagenis.

» circumquaque populos dirigere: unde factum est ut multi ad eum viri, etiam nobiles ac potentes confluerent, proprias voluntates cum facultatibus abdicaturi, & Christo Domino servituri. Hinc monachorum Gemeticens. numerus ad nongintos accreverat Aicadro secundo abbate; octingentos ibidem ante cladem a Normannis illatam exstitisse auctor est Willelmus ejusdem cœnobii monachus. Tanta porro Filiberti ejusque discipulorum opinio & existimatio erat, ut alii abbates monasteria sua relinquerent, eorum consortio fruituri; aut certe monachos e suis probatissimos ad eum dirigerent, ut sub ejus magisterio ac disciplina perfectam vitæ monasticæ normam addiscerent. »

Steterat magnifice annos centum & octoginta monasterium tanti nominis, cum illud IX cal. Junii an. 841, Normanni in Neustriam irrumpentes diripuerunt expilaruntque; sed & post decennium reduces, ædificia quæ supererant omnia flammis voracibus tradiderunt, solis ecclesiæ sancti Petri parietibus residuis: unde in posterum dicta est non sanctæ Mariæ, sed sancti Petri Gemeticensis abbatia. Ruinas ecclesiæ illius maximam partem sarcivit Dux Guillelmus, Longa-spata dictus; sed basilica sanctæ Mariæ reædificari cœpta anno duntaxat 1040 a Roberto II abbate, qui postea ad archiepiscopos Cantuarienses evectus est, eamque Maurilius archiepiscopus Rotomagensis dedicavit cal. Jul. anno 1067: cum vero post id tempus altare majus renovandum fuisset, illud Odo Rigaldus archipræsul consecravit XIX cal. Februar. anno 1252. Porrigit se basilica illa in 265 pedes longitudinis, & 63 latitudinis; quorum amplectitur chorus 43 aut 44 in longitudine, 31 vero in latitudine. Super ædificii transverso assurgit in 124 pedes altitudinis turris quadrata, cujus latera sunt singula 41 pedum: turri autem illi supereminebat turris altissima miri artificii, plumbo cooperta, quæ cum ruinam minitaretur, eversa est anno 1573. Ad latera majoris portæ erigunt sese aliæ turres duæ in 155 pedum altitudinem. Sacellum denique B. Virginis extenditur in 63 pedes longitudinis, 27 latitudinis, 40 altitudinis. Sed ad ecclesiam sancti Petri quod spectat, multum illa decurtata est a Guillelmo VII abbate, qui eam anno circiter 1340 instauravit, ut hodie vix ad 110 pedes longitudinis protendatur.

In basilica sanctæ Mariæ sepulti sunt Albertus abbas sancti Maximini Miciacensis, qui Gemeticum beneficiis cumulavit; & in sanctuario a latere evangelii Robertus archiepiscopus Cantuariensis: in sacello B. Virginis Albericus comes Domni-Martini, & viscera bellæ Agnetis *Seurel*, Caroli VII regis amasiæ: in ecclesia denique sancti Petri juvenes duo e regia stirpe oriundi, postera ætate *enervati* dicti, de quibus alii alia disseruere.

Amplissimum Gemetico concessit diploma Henricus II Anglorum rex, quod videsis in Monastico Anglicano, tom. III, pag. 977. Cetera quæ ad historiam celeberrimi hujus monasterii propius attinent, in singulis abbatibus enumerandis suo quæque loco commodius tractabuntur.

Catalogus Abbatum.

I. Sanctus Filibertus, de quo jam diximus tomo VIII, col. 1681, relicto Resbaco cujus abbas fuerat post sanctum Agilum, conditoque Gemetico anno 655 ex munificentia Clodovei II regis & sanctæ Bathildis reginæ, Pauliacense item in finibus Velocassium monasterium instituit, de quo nos tom. X, col. 1319, deinde Quinciacum in Pictonibus, de quo diximus etiam tomo II, col 1289; tum Monasterium-villare in Caletis, de quo agemus inferius. Multa subinde passus a pessimo majore domus regiæ Ebroino, Audoënum ipsum asperiorem expertus est, qui eum in carcerem Rotomagi trusisse fertur. Verum brevi agnita ejus innocentia dimissus est, acceptisque a sancto præsule literis commendatitiis, Ansoaldum Pictavorum in Aquitania episcopum, virum nobilem ac potentem, cœnobii exstruendi causa adiit; quod unicum omnes ad se confluentes monasterium capere non posset. Perspecta Filiberti sanctitate Ansoaldus cum eum vastitatem eremi quærentem secum in urbe retinere non valeret, in insula maris Pictonici Herio seu Hero monasterium ejus causa exstruxit, magnisque opibus ac prædiis ditavit; illud vero Filibertus evocatis e Gemetico monachis implevit, ac religione, doctrina, & opere illustravit, Heriense seu Herense a posteris appellatum. Interea tamen cum in Neustriam reverti nollet, ne cum Ebroino communionem inire videretur, sanctus Audoënus *Chrodoberto* Gemeticensi monacho monasterium Gemeticense regendum commisit, deinde ejus in locum dira morte sublati *Ragertramnum* archidiaconum subrogavit. Sed dum hæc agerentur, interfectus est Ebroinus, vacavitque ecclesia Abrincensis; unde ut facilior Filiberto ad Gemeticum suum pateret regressus, ecclesiæ illi Ragertramnus datus est episcopus. Redux ad suos Filibertus anno nono ineunte postquam illis valedixerat, quod cadere debet in annum 682, Audoënum congressus est. Tunc venia invicem postulata & accepta, post mutuos amplexus, ita denuo caritatis vinculo connexi sunt, ut nulla deinceps cordium scissura in eis remanserit. Deinde inter sese convenit, ut quia Filibertus duo simul monasteria multis locorum spatiis disjuncta, Herense videlicet ac Gemeticense, regere non valebat, alterutrum sibi ad manendum eligeret, & alteri unum ex suis rectorem præficeret. Fluctuanti viro Dei intervenit Ansoaldus præsul, idque apud eum evicit, ut præposito Gemeticensibus Aicadro, ipse in Herense monasterium reverteretur. Id gravate admodum tulerunt Gemeticenses, sed tandem obedientiam Aicadro promiserunt secundum decretum optimi patris cujus abscessum inconsolabiliter luxere. Postquam itaque eos hortatus esset ut semper in monasticæ disciplinæ accurata observatione

erseverarent, Deo commendatos benedixit; tum A
:versus in Herensem insulam, ibidem obiit anno
t conjicitur, 684; neque enim diu vixit post
:broini mortem. Occidit autem Ebroinus, ex
igeberto, anno nono Theoderici regis, qui, si
omputamus a morte Childerici II, hoc est ab
nno 674, cadere debet in annum 682. Præter
a quatuor monasteria quibus ipsum originem
ledisse diximus, alia plura virorum monasteria
nformasse perhibetur. Fertur etiam cœnobium
.ucionense in Pictonibus, quemadmodum &
nonasterium S. Michaëlis ad eremum rexisse.
:olitur XIII cal. Septemb. sanctissimus abbas,
ujus vitam habes ab auctore suppari scriptam B
n Actis SS. Bened. tom. II, pag. 816 & seqq.

II. Sanctus Aicadrus, in Pictavensi ortus
uburbio nobilibus parentibus Anschario & Ernena,
cuidam magistro tunc temporis nominatissimo,
Ansfrido scilicet, monasterii sancti
Hilarii in eadem urbe traditus est instituendus.
Adolescens monachum induit in Ansionensi
ancti Jovini monasterio. Dehinc eum incessit
cogitatio extruendi monasterii in quadam suorum
parentum possessione, nomine Quinciaco, quem
ocum illi non minus pii quam nobiles monasterio
Gemeticensi ac Filiberto abbati, cujus fama
sanctitatis ad ipsos pervenerat, subjectum esse C
voluerant. Filibertus eo se contulit, locoque dimisso,
novæ ibidem abbatiæ extruendæ assensit,
cui Aicadrus præfectus est. Hæc omnia contingere
debuerunt anno circiter 674, antequam Filibertus
ab Ebroino exagitatus Gemeticum relinqueret.
Sed anno circiter 682, quo idem
sanctissimus abbas abdicavit se præfectura Gemeticensi,
ut Heriensibus suis totus adhæreret,
Aicadrum e Quinciaco evocatum sibi ipse subrogavit
in Gemetico, ubi ille brevi tempore
nongentos monachos cum famulis mille quingentis
aggregatos vidisse perhibetur. At cum
angeli monitu didicisset mediam hujus familiæ D
partem intra triduum peste a dæmone infligenda
absumtum iri, fratres illico ad nocturnas vigilias
excitavit, absolutoque nocturnali & matutinali
officio, omnes de facta sibi revelatione & de
instanti morte admonuit, eos exhortans ut ad
mortem prævia sese confessione & communione
præpararent. Res evenit uti sancto abbati prædicta
fuerat, atque intra tres dies quadringenti
quadraginta duo monachi hac clade e medio
sublati sunt. Horum omnium corpora in uno
cœmeterio in lapideis tumulis honorifice Aicadrus
sepeliri curavit, seque post suum ex hac vita
egressum inter illos humari præcepit: quo in E
loco quidam viri sancti etiam sepulturam elegerunt;
atque his annumerat auctor anonymus
sanctos Hugonem archiepiscopum Rotomagens.
Constantinum Bellovacensem, Peregrinum Anglicanum
cum sancto Flavio, quorum sancta
lipsana, inquit, in Domino cum illis manent
humata. Obiit sanctus abbas XVII cal. Octobris,
tribus post sanctum Filibertum annis, hoc est
anno 687, vitamque ejus in literas primus retulit
auctor anonymus, monachus Gemeticensis,
paulo post cladem Normannorum, ejusdemque
monasterii instaurationem, quæ a Willelmo I
Normanniæ duce facta est seculo decimo procedente.
Eamdem vitam expolivit Fulbertus,
monachus, ut creditur, S. Audoëni Rotomag.
flagitantibus Gemeticensibus monachis quibus
libellum suum nuncupavit, idem qui librum de
vita & miraculis sancti Audoëni episcopi scripsit,
ac Nicolao abbati suo dicavit. Posteriorem hanc
habes apud Surium; priorem vero in Actis
SS. Bened. tom. II, pag. 952 & seqq. Rollo
dux Normannorum, baptismo accepto prædium
quoddam concessit *sancti Petri & sancti Aicadri
Gemeticensi ecclesiæ*, uti legitur apud Guillelmum
Gemeticensem, libro II, cap. 18. Locus ille
quidem interpolatus est, sed ex eo nihilominus
intelligitur sancti Aicadri cultum interpolatoris
ævo ita solennem fuisse, ut inter patronos Gemeticensis
ecclesiæ censeretur. Ejus reliquiæ cum
corpore S. Hugonis archiepiscopi Rotomagens.
ob Normannorum infestationes, in villam pagi
Cameracensis, Hasprum nomine, delatæ sunt,
eo loci hactenus asservatæ in monasterio ibidem
postea extructo, quod Gemeticensibus subjectum
fuit usque ad tempus Gerardi episcopi Cameracensis
& Atrebatensis, cujus jussu hæc cella,
commutatione coram Roberto Francorum rege
facta, Leduino abbati sancti Vedasti tradita est,
qui pro Haspro Gemeticensibus Anglicuriam,
diœcesis Bellovacensis villam rependit.

III. Coschinus vixit non seculo nono, ut
opinati sunt Chiffletius & Cointius, sed septimo,
ut tradit Hariulfus chronographus Centulensis,
qui in spicileg. tomo IV, pagg. 450 & 451
illum ait ex majorum relatu fuisse S. Filiberti
discipulum, & apud Centulam habuisse Ocioaldum
successorem. Igitur apud Gemeticum proxime
suffectus est sancto Aicadro; sed quandiu
rexerit incertum.

IV, V, VI. Tres abbates, de quibus vide
sanctum Hugonem qui sequitur.

VII. S. Hugo, de quo jam diximus in
archiepiscopis Rotomagensibus, & in abbatibus
Fontanellensibus, Gemeticum etiam adeptus est
anno 722. Eum septimo loco tam apud Gemeticum
quam apud Fontanellam reponit chronographus
Fontanellensis in spicil. tomo III,
pag. 207, his verbis: *in regimine*, inquit, *hujus
cœnobii Fontinellensis a beato Wandregisilo septimo
in loco; similiter a sancto Filiberto in regimine
cœnobii Gemeticensis.* Quæ ita conjicimus componenda
esse, ut sit primo in loco S. Filibertus.
2.° Chrodobertus. 3.° Ragertramnus, de quibus
diximus in ipso Filiberto. 4.° Sanctus Aicadrus.
5.° Coschinus. 6.° Forte sanctus Guitmarus,
& ipse quemadmodum decessor ejus abbas Centulensis,
sed qui retenta Centula, Gemeticum
cesserit anno 722 sancto Hugoni. 7.° Denique
sanctus Hugo qui obiit anno 730, sepulturæ
traditus in ecclesia beatæ Mariæ: exstructa super
illius tumulum repa seu ædicula, diversis decorata
metallis, ob amorem videlicet, sanctitatem ac
reverentiam illius, teste chronographo, qui in
ejus

ejus rei argumentum affert varias ab illo factas huic monasterio donationes, quantas nullus ante eum ejusdem cœnobii rector fecerat, nec post eum facturus sit. Quod si minus Gemetico præfuit Guitmarus, dicendus est sextum locum occupasse aliquis ignoti nominis abbas, forte *Hildegarius*, cujus meminere nonnulli indices, cetera tamen incognitus.

VIII. Dructegangus subscripsit anno 765 placito Attiniacensi, videturque Mabillonio Ann. Bened. tom. II, pag. 162, esse ille Rodigandus abbas, quem Pipinus rex anno 753 obviam miserat Stephano papæ, ut pontificem contra Aistulfum Longobardorum regem auxilium Francorum efflagitantem in Franciam deduceret.

IX. Landricus monasterii Fontanellensis possessiones recensuit anno 787 jussu Caroli Magni regis, teste chronographo Fontanellensi in Spicileg. tom. III, pag. 227.

X. Adam præerat temporibus Ludovici Pii imperatoris, qui concessit illi, quod antea Gemeticensibus indulserant Carolus Magnus & Pipinus Brevis, *omne teloneum, tam de navibus quam & de carris, seu de ceteris vehiculis, undecunque fiscus teloneum exigere poterat . . . . . & per easdem auctoritates hactenus præfatum teloneum rectores ipsius monasterii & monachi ibidem Deo servientes ad integrum habuissent concessum*, ex charta XV ejusdem imperatoris in novo alphabeto Tironiano, pag. 36. Eum ante Heribertum sedisse perquam probabile est.

XI. Heribertus præerat anno 837, quo Pipinus Aquitanorum rex paternæ admonitioni obsequens, quas Gemeticensi monasterio abstulerat facultates liberaliter restituit diplomate, quod legesis in Annal. Bened. tom. II, pag. 589.

XII. Theodericus I subscripsit anno 843 in Germiniacensi conventu privilegio monasterii Corbionensis.

XIII. Ruodulfus, *seu* Rodulfus comes, abbas item Centulensis, & avunculus Caroli Calvi, partitionem bonorum inter abbatem & monachos Gemeticenses fieri curavit anno 849, & regio præcepto confirmari, quod legesis in Annal. Bened. tom. II, pag. 754. Sub eo abbate, anno 851 expilatum est denuo a Normannis Gemeticum, soloque adæquatum, neque ante annum 940 ex cineribus suis renasci potuit. Interea vero baptisatus est anno 912 Rollo dux Normannorum, qui, ut supra observavimus, legitur apud Willelmum Gemeticensem dedisse prædium quoddam ecclesiæ Gemeticensi. Quod si verum est, intelligi debet de monachis Gemeticensibus tunc profugis & apud Hasprum degentibus. Sed ante cladem illam præfuerant monasterio illi, præter tredecim abbates quos recensuimus,

XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX. Septem alii abbates, quorum nomina videntur periisse. Ita enim Robertus de Monte in Tractatu de abbatiis Normanniæ: « Willelmus Longa- » spata, inquit, monasterium Gemeticense, quod » sanctus Filibertus construxerat, sed Hastingus » Paganus destruxerat, restauravit; in quo fuerunt » abbates a sancto Filiberto usque ad exterminium » ejusdem monasterii viginti; a restauratione vero » quæ sub Martino abbate facta est, quem Gerloch » comitissa Pictaviensis cum duodecim monachis » a monasterio sancti Cypriani Pictavis misit » Willelmo fratri, duci Normanniæ, usque ad » annum 1144, quo iste catalogus abbatiarum » Normanniæ factus est a nobis, fuerunt abbates » quatuordecim, quorum ultimus fuit Eustachius » ejusdem loci monachus. » Porro ad supplendam illam septem abbatum lacunam nil superest præter indices illos, sat veteres quidem, sed nullius auctoritatis, quibus usi sunt inter ceteros Sammarthani. At enim indices illi supplent abbates duodecim hoc ordine : *Hildegarius; Helisachar; Angilbertus; Ansegisus; Fulco; Ricbodo; Baldricus; Godinus; Hugo II; Goslenus; Ludovicus; Welpho.* Ex quibus si Welphonem non distinguimus a Rodulfo, restabunt adhuc undecim; si vero ex illis tres seligimus ante sanctum Hugonem, septem vero post eumdem promiscue collocandos, redundabit tamen supervacaneus unus. Sed de hujusmodi indicibus quid causæ est cur tantum laboremus ? Illud tamen observandum, exstare in Diplomatica Mabillonii lib. VI, num. 95, præceptum Caroli Calvi ad confirmandam quamdam commutationem factam inter *Goslenum* abbatem Gemeticensem & virum illustrem, nomine Warnarium; quod quidem præceptum censetur esse anni 862 ; atque hinc dicendus est Goslenus multo propinquior fuisse destructioni monasterii, quam ejusdem instaurationi.

XXI. Martinus restaurato monasterio a Willelmo Normannorum duce, Rollonis filio, primus præfuit; quod sic narrat Willelmus Gemeticensis lib. III, cap. 7 : « Sub eodem tempore, inquit, duos a Cameracensi territorio » ex villa quæ Hespera vocatur, monachos, Bal- » duinum videlicet atque Gunduinum, contigit » Gemmeticum repetere. Qui vastam loci here- » mum ingressi, cum maximo labore terram, » prout posse erat, exstirpatis arboribus cœperunt » complanare, ac suarum laboribus manuum inibi » insudare. Dux vero Willelmus, dum venatus » gratia superveniens illic eos reperisset, percun- » ctari cœpit ab eis quibus ab oris illuc advenis- » sent, vel quæ tam præcipua ædificia forent. » Mox servi Dei seriem rei per ordinem ei detexe- » runt, & charitatem panis ordeacei & aquæ obtu- » lerunt. Quam cum pro vilitate panis & aquæ » sumere contempsisset, saltum ingressus immanem » aprum reperit, quem festine insequi cœpit. » Porro aper molossis post eum admissis cursum » retorquens, hasta venabuli fracta præpeti impetu » in ducem irruit, eumque prostratum vehementer » attrivit. Qui post paululum sensu recepto, ac sana » mente, monachos repetiit, & charitatem quam » incaute spreverat ab eis recepit, & locum se re- » stauraturum spopondit. Immissis ergo auctiona- » riis, eum a dumis & sentibus purgavit; sancti- » que Petri, quod aliquantisper deciderat, mona- » sterium farciens, competenter texit; claustrum »

ero & omnia receptacula munivit, ac a sui magnitudine breviata habitabilia reddidit ». Pergit idem auctor cap. VIII, in hunc modum: Interea legatos Pictavis sorori suæ, quam Willelmus comes sibi in matrimonio junxerat, dirigit, mandans ut monachos illi mitteret, quos præfato loco subrogaret. Soror autem ejus petitioni gratanti animo favens, itineris sumptus ordinavit, & duodecim monachos cum abbate suo, nomine Martino, a S. Cypriani cœnobio sublatos fratri destinavit. Dux vero adventu eorum nimis exhilaratus eos Rotomagi cum maximo gaudio recepit, & cum omni honore, militum cuneis septus, Gemmeticum duxit, abbatique locum cum tota villa tradidit, quam ab Alodariis auro redemit, & se inibi monachum fieri voto obligavit. Votis quoque satisfecisset, nisi isdem abbas ejus animositati obstitisset, eo quod filius ejus Richardus adhuc puerulus esset, verens ne propter illius imbecillitatem, quorumdam inimicorum molimine patria turbaretur. Verumtamen cucullam & stamineam ab eo extorquens secum asportavit, quæ in scrinio reposuit, & clavim ejus argenteam cingulo suo appendit ». Hactenus Willelmus Gemeticensis, qui annum non consignavit; sed hæc omnia peracta esse anno 940 annotavit Mabillonius Annal. Bened. tom. III, pag. 447. Cum vero, addit ille, proprio suo monasterio, aliisque quibus restituendis aut informandis adhibitus fuerat Martinus, procurandis unus par esse non posset, Odonis Cluniacensis exemplo proabbatem seu coabbatem Gemetici substituit Annonem qui sequitur, quemadmodum in sancti Augustini monasterio apud Lemovicas proabbatem instituerat Richardum.

XXII. Anno nobilissima ortus prosapia, transiit anno 943 ad abbatiam Miciacensem. Vide quæ de eo diximus tomo VIII, col. 1530.

XXIII. Rodericus proxime successit Annoni; nam in veteri catalogo Gemeticensium abbatum, inquit Mabillonius Annal. Bened. tom. III, pag. 467, cujus catalogi prima desinit manus in Guntardo (imo in Godefrido I, ut ait tom. IV, pag. 303) post Annonem recensentur Rodericus, Rotbertus & Theodericus. Atque hinc, pergit ille, corrigenda Neustria pia, & vulgati catalogi, qui Ensulbertum nescio quem secundo loco habent, & pro Roberto Theodericum. Roderici nulla gesta nobis nota. Sed anno 983, sub ejus præfectura, inquit idem Mabillonius, ibidem tom. IV, pag. 16, Odo Carnutensium præsul, & ecclesiæ suæ canonici, « quamdam terram fisci qui appellatur Trelus aut Trejus, sitam in villa quæ dicitur Vallis, consentiente Hugone duce, qui ipsum fiscum de illis per concambium tenebat, monachis Gemeticensibus ad manumfirmam sub annuo censu in festivitate sancti Remigii persolvendo concessit. *Datum nonis Aprilis anno XXX regni Hlotarii regis feliciter* ». Obiit Rodericus anno 1000, ex chronico Fontanellensi, quo successit

XXIV. Robertus I, cognomento Husparus: sedebat, ex Mabillonio Annal. Bened. tom. IV, pag. 221, anno 1011; atque ejus fit mentio in charta de conditu cellæ Longæ-villæ ad Sequanam prope Vernonem anno sequenti.

XXV. Theodericus II discipulus Willelmi Divionensis, patria & ipse Divionensis, & ab eo prior Fiscanni constitutus, excepit Gemetici Robertum I, sedebatque anno 1024 ex Mabillonio, Annal. Bened. tom. IV, pag. 303, quando Gemeticenses commutatione facta cum Vedastinis monachis, Anglicuriam pagi Bellovacensis villam acceperunt pro Hasprensi cella; sed vivere desierat anno 1030. Exstat in bibliotheca Gemeticensi ritualis liber, tempore Theoderici abbatis scriptus, in quo formula offerendi pueri exhibetur, tum admittendi conversi, seu adulti, cui post editam professionem & indutum habitum monasticum, pacis osculo omnibus dato præscribitur, ut permaneat cum summo silentio *in albis* usque ad tertium diem, id est, ut interpretatur Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag. 360, absque cuculla, cum tunica & toga, quæ antiquitus albi coloris erant.

XXVI. Guillelmus I, ex priore abbas, sedebat anno 1030, quo tempore Drogo comes Ambianensis graves census, ex Genestæ-villa a tempore avi sui Walteri exigi solitos, Gemeticensibus remisit, acceptis sexaginta duabus libris Rotomagensis monetæ, cum sex equis permagni pretii, quæ omnia *vir bonæ memoriæ Theodericus, tunc temporis abbas supradicti cœnobii*, ipsi dederat. Actum apud Castrum-Melantum *anno ab Incarnatione Domini M. XXX, indict. XIII, regnante rege Francorum Rotberto, anno regni sui XLII, & filii ejus Heinrici concorditer cum eo regnantis anno jam quarto.* Hæc est Genestæ-villa, quam Bathildis regina olim contulerat *Gemeticensis abbatiæ capituli monasterio.* Hanc vero cum seculares homines vexationibus infestarent, Robertus abbas, Theoderici II decessor, advocatiæ commiserat Walteri comitis, Drogonis avi, qui exactionibus eamdem subinde oppresserat, quas Theodericus II a Drogone comite, ut modo dicebamus, redemit. Literæ hac de re non statim conscriptæ, sed tantum (quod tunc non raro fiebat) post mortem Theoderici abbatis. Vixit Guillelmus usque in annum 1037.

XXVII. Robertus II loci monachus, vir alti ingenii consiliique, & apprime literis instructus, sedere cœpit anno 1037. Sub ejus regimine Alfredus & Edwardus, Canuti regis ex Emma filii, in Normannia exules agebant ob persecutionem Haroldi nothi, qui regnum Angliæ post mortem Canuti regis invaserat; in hoc vero exilii discrimine fovit ille ambos fratres: beneficii autem memor Edwardus, cum in Angliam anno 1043 rex coronandus rediret, eum secum abduxit, regiisque consiliis primum adhibuit; adeo ut nihil absque ejus consilio ac nutu ageret, & pro ejus arbitrio quoscunque exaltaret vel deponeret. Unde factum est, ut cum Eadsinus Cantuariensis primas ob affectam valetudinem Siwardum Abendoniensem abbatem,

qui vicarius ejus erat, coadjutorem sibi adsciscere vellet, rex non acquieverit, sed amoto Siwardo a vicariatus officio, & in Roffensem episcopatum promoto, vicarii munus Roberto committi curaverit; qui deinde anno 1045 factus est episcopus Londoniensis, ac demum post eumdem Eadsinum Cantuariæ primas, qua dignitate non diu potitus est. Hæc omnia ex Mabillonio Annal. Bened. tom. IV, pag. 418, qui tamen ibid. pag. 461, episcopatum Roberti Londoniensem illigat anno 1044. Certe ex Godwini commentario de præsulibus Angliæ, pag. 231, Robertus qui factus est anno 1050 archiepiscopus Cantuariensis, successerat in sede Londoniensi Elfwardo seu Alwordo qui obierat VIII calendas Augusti anno 1044. Exagitatus deinde anno 1052 a quibusdam Anglis quasi statum regni conturbaret, sedem apostolicam appellavit, Romamque pro sua causa perrexit; sed cum inde Gemeticum revertisset, ibidem morbo correptus interiit, sepulturamque accepit in nova S. Mariæ basilica, quam instaurare cœperat a fundamentis anno 1040, ex Roberto de Monte in appendice ad Sigebertum.

XXVIII. Godefridus I Roberto successit anno 1044 aut 1045. Eo sedente Rogerius de Monte-Gomerici confirmavit donationem, quam quidam ejus *fidelis*, Goisfredus nomine, Gemeticensi cœnobio fecerat de quodam alodio suo apud villam Fontanas in ditione ipsius Rogerii sito, cum monasticum Gemetici habitum susciperet. Sed minime gratuita fuit hæc Rogerii confirmatio; hic si quidem a Godefrido abbate atque ab ipso Goisfredo accepit *unum equum XXX librarum, necnon unum halbere septem librar.* literis hac de re absque temporis nota confectis. In necrologio ad XVII calendas Aprilis & ad X cal. Januarii notatur absque addito *Godefridus abbas.* Utra autem commemoratio Godefrido de quo agimus in præsens conveniat, incertum. Obiit ille anno quam serius 1049.

XXIX. Robertus III Godefridum excepit non serius anno 1049, & anno sequenti Theodericum monachum suum instaurato Uticensi monasterio primum abbatem suppeditavit. Obiit ex necrologio IV idus Junii, anno, ut videtur, 1072.

XXX. Beatus Gunthardus *de Fontanellæ monasterio*, inquit Ordericus Vitalis ad annum 1072, pag. 529, *electione sapientum assumtus est, & post obitum Rodberti abbatis Gemeticensibus rector datus est. Spiritualis doctrinæ pabula commissis ovibus curiose impendit, & rigorem monastici ordinis viriliter tenuit. Mansuetos & obedientes, ut pater filios, mulcens honoravit; in reprobos autem & contumaces, regulæque contemtores, ut severus magister disciplinæ virgam exercuit.* Illum idem Ordericus, pag. 530, prædicat cum Gerberto Fontanellensi ac Durando Troarnensi, quos ait rutilasse *quasi tres stellas radiantes in firmamento cœli.* Litem habuit Guntardus de cella Domnæ-Mariæ in pago Belismensi, diœcesis Sagiensis, cum Fulcone abbate Miciacensi, cujus definiendæ causa convenerunt anno 1086 ad placitum Roberti de Belismo ambo abbates, adstantibus multis abbatibus ac baronibus, quorum judicio decretum est, ut Gemeticenses antiqua possessione fruerentur; illam enim cellam ab annis circiter sexaginta Albertus, qui postea fuit abbas Miciacensis, monachum apud Gemeticum professurus, eidem abbatiæ contulerat. Anno sequenti Guntardus Willelmo notho Anglorum regi moribundo adstitit sedulus, teste Orderico Vitali, pag. 656. Adsuit anno 1095 concilio apud Clarum-montem celebrato; & ex eodem scriptore, pag. 529, ibidem obiit eodem anno VI calendas Decembris. De eo vide Mabillonium Act. SS. Bened. sec. VI, part. 1, pag. 361 & seqq. *Neustria Pia, pag. 311.*

Nullus hic *Desiderio* locus, quem nos tomo I, col. 944, diximus ex abbate Gemeticensi electum esse anno 1082 episcopum Cabellicensem.

XXXI. Tancardus, antea prior Fiscanni, quo nomine adsuerat & ipse concilio Claromontano, electus est abbas Gemeticensis, agente Willelmo Ruso Anglorum rege, paulo post mortem Guntardi, dictus Orderico Vitali pag. 529, *ferus ut leo,* quippe qui nulla humanitate temperaret severitatem. Quapropter orto inter ipsum & monachos *probroso tumultu,* ait idem Ordericus lib. X, pag. 765, *cum infamia recessit,* anno 1101.

XXXII. Ursus, ab infantia Gemeticensis monachus, Tancardo subrogatus, interfuit initæ Fiscannenses inter & Taurinenses monachos concordiæ an. 1106, rexit ex Orderico, pag. 765, per annos viginti, sedebat annis 1109 & 1111. Adsuit anno 1118 concilio Rotomagensi. Exstat ad eum epistola centesima sexagesima Ivonis Carnotensis episcopi. Obiit VI cal. Novembris 1127. Jacet in capitulo. *Chart. 174 col. 128.*

XXXIII. Guillelmus II adsuit anno 1128 concilio Rotomagensi. Huic, quemadmodum & Alano abbati Fontanellensi benedictionis munus impertire diu distulit Hugo archiepiscopus; qua de re nos in eodem Alano sup. col. 180. Dedit anno 1134 duas ecclesias abbatiæ sancti Martini Sagiensis. Præerat adhuc anno 1138. Obiit XV cal. Septemb. anno 1142, sepultus in capitulo.

XXXIV. Eustachius, ex priore factus abbas 14 post restaurationem, occurrit in chartis annorum 1142, 1147 & 1154. Extinctus XVI calendas Januarii, conditus est in capitulo.

XXXV. Petrus I, ex monacho Cluniacensi factus abbas Gemeticensis anno 1154, composuit anno 1155 cum Radulfo de Inferno pro nemoribus Joyaci, & anno 1158 cum Roberto comite Drocensi pro terra *de Beu.* Bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1163. De pravis moribus a monachis apud summum pontificem eum accusatum fuisse testatur epistola Petri Blesensis, quam videsis in Neustria pia pag. 313. Occurrit adhuc in instrumentis anno 1164. Obiit XII calendas Julii anno 1166, & sepultus est in capitulo. *Neustria Pia, pag. 320.*

XXXVI. Rogerius I, antea monachus Beccensis, Petro successit anno 1166, ex chronico Beccensi in appendice ad opera beati Lanfranci, pag. 8, ubi dicitur *Deo, & regibus & multis aliis carus,* cujus *diebus multa bona provenerunt ecclesiæ Gemeticensi.* Obiit XVII calend. Septemb. 1176, tumulatus in capitulo.

XXXVII. Robertus IV *d'Argences*, ex camerario monasterii electus abbas anno 1177; societatem precum instituit cum Fulcone abbate sancti Germani Parisiensis. Obiit IV idus Junii anno 1190.

XXXVIII. Rogerius II, & ipse ex cellerario monasterii electus abbas pridie idus Julii anno 1190, obiit calend. Septembris anno 1190, conditus in capitulo.

XXXIX. Richardus I *de la Mare*, electus XVII calendas Januarii anno 1191, obiit XII calendas Februarii anno 1197, id est 1198, sepultus in capitulo.

XL. Alexander, ex priore monasterii electus est XV calendas Martii eodem anno 1198. A Willelmo de Vado milite donationem suscepit anno 1201; hoc eodem anno plurima accepit a Rogerio *Torel*, quæ Rotomagensis archiepisc. confirmavit. Pro his autem donis uni ex his militibus 13 libras & equum album concessit; alteri vero 30 libras Andegavenses & equum. Obiit VIII calendas Novembris anno 1213, sepultus in capitulo. Perperam Sammarthani aiunt recenseri eum anno 1217 in charta cessionis factæ regi de omnibus juribus quæ possidebant Gemeticenses apud Pontem-arcus in Normannia. Scripsit epistolam de Filio hominis, quam habes apud Martenium Anecd. tom. I, col. 777.

XLI. Guillelmus III *de Resenchon* seu *Renchon*, antea prior monasterii, sedebat anno 1213. Gervasio Sagiensi episcopo rogante, nonnulla largitus est anno 1222 canonicis Præmonstratensibus abbatiæ Silleiensis. Societatem precum iniit anno 1223 cum Uticensibus, & 1230 cum Fiscannensibus. Obiit pridie nonas Maii anno 1239, sepultus in capitulo.

XLII. Guillelmus IV *de Comdieu*, ex abbate sancti Taurini Ebroicensis electus anno 1240 abbas Gemeticensis, obedientiam spopondit hoc nomine Petro de Colle-medio archiepiscopo Rotomagensi. Delegatus est anno 1243 cum Odone abbate sancti Dionysii, ut abbatiam Montivillarensem ad meliorem formam revocaret. Obiit VII idus Novembris.

XLIII. Guillelmus V, ex priore abbas electus est anno 1250, quo, ex thesauro chartarum regiarum, monachi a rege petierunt regalia dimitti, idemque rogavit Odo archiepiscopus, asserens se noviter electo benedictionis munus impendisse; quod revera fecerat III cal. Februarii eodem anno 1250, id est 1251. Competitorem habuerat Guillelmus Robertum *d'Etellant*, qui brevi sequetur; rogavitque IV calend. Januarii anno 1260, id est 1261, Odonem archiepisc. ut cessionem abbatiæ quam fecerat, vellet admittere; sed præsul noluit acquiescere.

XLIV. Richardus II *de Boleville* electus a Gemeticensibus, confirmatur & benedicitur ab Odone archiepiscopo apud Dei-villam XI cal. Octobris anno 1264. Accusatus apud eumdem præsulem, increpitus est ab eodem pridie nonas Augusti anno 1268. Occurrit adhuc in instrumento anni 1272. Obiit V idus Octob. sepultus in capitulo.

XLV. Robertus V *d'Etellant*, de quo diximus modo in Guillelmo V, electus est iterum anno 1272; atque in ejus gratiam Odo Rigaldus archiepiscopus regalia dimitti postulavit, ex thesauro chartarum regiarum. Eodem anno Robertus societatem renovavit cum Fiscannensibus, & iniit cum Guillelmo sancti Ebrulfi abbate anno 1281. Bis dimissus jacet in capitulo, ex necrologio ubi notatur XV cal. Augusti.

XLVI. Johannes I *du Tot* societatem iniit cum Fontanellensibus anno 1288. Obiit anno 1292 XIII calendas Aprilis, tumulatus in sacello B. Mariæ, cum epitaphio; sed lapis ejus sepulchralis postea translatus est in capitulum.

XLVII. Guillelmus VI *de Becquet*, electus post petitam a rege anno 1292 eligendi licentiam, societatem iniit cum J. abbate S. Audoëni anno 1304. Obiit XIII cal. Martii anno 1311, id est 1312. Ex ejus epitaphio tumulatus est in sacello S. Johannis Evangelistæ, quam nunc *sacristiam* vocant.

XLVIII. Gaufridus II *Piques* obiit pridie idus Maii anno 1312 aut 1313, sepultus in sacello sancti Stephani, cum epitaphio.

XLIX. Matthæus *Cornet* Gaufrido successit anno 1313. Occurrit anno 1325 in charta ecclesiæ sancti Albini. Obiit XV calendas Julii 1327, tumulatus in sacello beatæ Mariæ, cum epitaphio.

L. Robertus VI *de Bordeaux* Matthæo suffectus, obiit anno 1330, conditus in choro basilicæ sancti Petri.

LI. Guillelmus VII *le Jeune*, cognominatus *Jemblet* in quibusdam schedis sancti Audoëni Rotomagensis, paucis post Roberti obitum diebus electus, basilicam sancti Petri instauravit; sedebat anno 1337. Curavit anno 1339, mense Dec. exequias Johannis *Roussel* abbatis sancti Audoëni Rotomagensis. Bullam obtinuit a Clemente VI anno 1344, pontificatus 3. Obiit XVI calendas Octobris anno 1349, ex ejus epitaphio, & in eadem basilica sepultus est.

LII. Johannes II *le Borracher*, dictus etiam *de Duclair*, obsequium spopondit ecclesiæ Rotomagensi VII idus Aprilis anno 1350. Obiit IV calendas Septembris anno 1362, tumulatus in sacello sancti Stephani, cum epitaphio.

LIII. Petrus II *de Mauroy*, in indicibus omissus, reperitur obedientiam promisisse Philippo *d'Alençon* archiepiscopo.

LIV. Johannes III *Papillon*, dictus etiam *de Saint-Denys*, monachus Blesensis, doctor in decretis, ex abbate de Conchis, atque etiam sancti Eligii Noviomensis, ex quibusdam indicibus, Gemetici sedebat cal. Septembris anno 1367,

ex tabulario sancti Petri Carnotensis. Societatem iniit cum Johanne abbate S. Vedasti Atrebat. anno 1377. Obiit VIII idus Martii anno 1378, ex ejus epitaphio, sepultusque est in ecclesia sancti Petri ante altare sanctorum Innocentium. Memoratur eodem die VIII idus Martii, in recenti sancti Petri Carnotensis obituario, ubi nominatur Johannes *Papillon*, *alias* de Saint-Denys, *quondam abbas Gemeticensis*.

LV. Johannes IV *Dehors*, natus Rotomagi, canonicus primum Ebroicensis, deinde monachus & eleemosynarius sancti Dionysii in Francia, doctorque in decretis, electus post licentiam a rege petitam anno 1377, obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi VII idus Septembris anno 1380. Obiit X calendas Maii anno 1389, conditus in æde sancti Petri ante altare sancti Andreæ, cum epitaphio.

LVI. Gaufridus III *Harenc*, dictus etiam *de Paris*, primum electus est abbas Becci, cujus erat monachus, sed ab Estoldo *d'Estouteville* summotus; deinde anno 1389 electus est abbas Gemeticensis; sed cum postea Estoldus transiisset ad abbatiam Fiscannensem, Gaufridus iterum electus est a Beccensibus IV idus Martii anno 1390, id est 1391.

LVII. Simon *du Bosc* ex antiqua & nobili prosapia Rotomagi natus, episcopi Bajocensis nepos, monachum induit in abbatia S. Audoëni Rotomagensis. Factus postea decretorum doctor, prior Sigeii, abbas Cerasiaci, transiit ad Gemeticum, bullis a Clemente VII datis VIII idus Februarii, pontificatus 13 (1391) ad episcopos Bajocensem & Parisiensem, ut eum benedicerent. Missus est a rege ad contendentes de summo pontificatu anno 1407 pro unione ecclesiæ. Adfuit anno 1409 concilio Pisano; obtinuitque eodem anno ab Alexandro V papa primum ut sibi liceret calices, corporalia, pallas, altaria benedicere, deinde ut posset mitra, annulo, ceterisque insignibus pontificalibus uti. Missus est iterum Romam anno 1412 cum episcopo Bellovacensi & abbate Claræyallis. Adfuit anno 1413 tertio idus Maii, cum eodem abbate, solenni receptioni Bernardi *de Chevenon* episcopi Bellovacensis. Ad concilium Constantiense deputatus est in concilio Parisiensi anno 1414. Interfuit anno 1417, IV calendas Junii, inaugurationi Ivonis abbatis Vindocinensis in ecclesia Fratrum Minorum apud Parisios. Obiit XVIII cal. Octobris anno 1418, sepultusque est in sacello B. Mariæ.

LVIII. Nicolaus *le Roux* Rotomagensis, monachus loci, doctorque in decretis, ex abbate Crucis sancti Leufredi, electus est a monachis abbas Gemeticensis IV cal. Octob. anno 1418, & confirmatus a Martino V, qui XVI calendas Februarii, pontificatus 2, Parisiensi & Bellovacensi episcopis mandavit ut benedictionis ei impenderent munus, & juramentum ab eo ut ecclesiæ Romanæ subjecto reciperent. Fidem præstitit ecclesiæ Rotomagensi pridie nonas Aug. anno 1419, tum XIV cal. Martii sequentis Anglorum regi. Adfuit IX cal. Junii an. 1431, judicio

A Rotomagi lato ab episcopo Bellovacensi adversus Puellam Aurelianensem; obiitque eodem anno XV calendas Julii, sepultus in sacello sanctorum Leobini & Nicolai, cum epitaphio.

LIX. Johannes V *de la Cauchie* baccalaureus in theologia, electus III nonas Julii anno 1431 Rotomagi a monachis qui illuc ob bella se receperant, bullas obtinuit eodem anno VI calendas Octobris, & benedictus est pridie idus ejusdem mensis Octobris ab episcopo Abrincensi, assistentibus Becci & sancti Georgii abbatibus. Societatem iniit cum Stephano abbate S. Salvatoris Constantiensis anno 1444. Fidem juravit regi
B XIII calendas Decemb. anno 1449. Societatem precum instituit anno 1453 cum abbate sancti Martini Æduensis. Bullas obtinuit X calendas Januarii 1460 a Pio II adversus canonicos Rotomagenses qui molestiam monachis exhibebant. Huic invito idem pontifex substituit coadjutorem sequentem 2 Novembris 1463, cui totis viribus obniti studuit Johannes, sed abdicare coactus est anno 1464, mense Julio; quibus artibus, Deus scit.

LX. Antonius *du Bec-Crespin*, de quo nos tomo VI, col. 104, in archiepiscopis Narbonensibus, ubi diximus eum una cum aliis accepisse
C anno 1468 a rege provinciam cogendi comitia Normanniæ apud Rotomagum in festo sancti Michaëlis; quod intelligendum est de Scacario, cui etiam ad festum sancti Michaëlis præfuerat anno 1466. Obiit idibus Octobris anno 1472, tumulatus Rotomagi in ecclesia Fratrum Prædicatorum.

LXI. Ludovicus *d'Amboise* frater Georgii cardinalis & archiepiscopi Rotomagensis, occurrit abbas Gemetici IX calendas Maii anno 1474. De eo diximus in episcopis Albiensibus tomo I, col. 33 & seqq.

LXII. Jacobus *d'Amboise* monachus Clunia-
D censis, doctorque in decretis, resignato sibi ut videtur Gemetico, regi fidem dixit XIII calend. Februarii anno 1474, id est 1475, & ecclesiæ Rotomagensi XV calendas Julii anno 1476. Factus anno 1505 episcopus Claromontanus, abdicavit. Vide quæ de eo diximus tomo II, col. 295, in episcopis Claromontanis, & col. 327 in abbatibus S. Illidii; tomo IV, col. 1159, in abbatibus Cluniaci; & tomo VII, col. 538, in prioribus sancti Martini a Campis.

LXIII. Franciscus-Guillelmus *de Clermont* cardinalis & archiepiscopus Auscienis, Gemeticum obtinuit bullis datis XVII calendas Julii
E an. 1505, possessionemque apprehendit VI idus Novembris sequentis. Reperitur adhuc abbas XIV calendas Martii anno 1510, id est 1511. De eo diximus tomo primo, col. 1001 in ecclesia Ausciensi.

LXIV. Philippus *de Luxembourg* cardinalis, & episcopus Cenomannensis ac Tarvanensis, præerat Gemetico V calend. Augusti anno 1511. Ineunte Quadragesima anni 1515, id est 1516, monasterium illud congregationi Casalis-Benedicti attribuere meditatus, titulo se abbatiali

abdicavit in gratiam sequentis, retenta pensione, quod Leo X approbavit x cal. Januarii 1517.

LXV. Johannes VI *Durand* abbas sancti Vincentii Cenomannensis e congregatione Casalis-Benedicti, a Leone X motu proprio præfectus Gemetico decimo calendas Januarii anno 1517, obsequium vovit eodem anno Francisco I regi, & ecclesiæ Rotomagensi v idus Martii anno 1518, id est 1519. Sed cum unio Gemetici & Casalis-Benedicti inexhaustis difficultatibus patuerit, non sedit diu possessor pacificus, competitorem nactus, cui demum pro bono pacis resignavit anno 1525. Obiit VIII idus Aprilis anno 1526, quiescitque in choro.

LXVI. Franciscus I *de Fontenay*, cedente decessore, bullas impetravit a Clemente VIII pridie calendas Aprilis anno 1525, sacramentoque se obstrinxit regi Francisco, & v idus Augusti sequentis ecclesiæ Rotomag. Obiit Cæsaroduni Turonum, x cal. Septembris anno 1539.

LXVII. Hippolytus *d'Est* a rege nominatus, bullas obtinuit VI idus Novemb. anno 1539. Solennem cum monachis bonorum partitionem fecit, quam a Paulo III summo pontifice confirmari curavit anno 1547 VII idus Martii. Obiit Tiburi in Italia IV nonas Decembris anno 1572. De eo diximus tomo I, col. 590, in archiepiscopis Arelatensibus, & col. 1003 in archiepiscopis Auscienfibus; tomo IV, col. 185, in archiepiscopis Lugdunensibus, atque ibidem, col. 424, in episcopis Augustodunensibus, & col. 454, in abbatibus Flaviniacensibus.

LXVIII. Gabriel *le Veneur* episcopus Ebroicensis, commendatariusque sancti Taurini & sancti Ebrulfi, ac cancellarius ordinis sancti Spiritus, Gemetici nactus est possessionem anno 1545. Occurrit XVII cal. Januarii anno 1553, id est 1554. Sedebat adhuc ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis, pridie calendas Novembris anno 1566, & quin v idus Junii anno 1567. Unde necesse est Hippolytum decessorem ejus longe ante obitum abdicasse. Obiit Gabriel anno 1574.

LXIX. Carolus I *de Bourbon* cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, extinctus anno 1590.

LXX. Carolus II *de Bourbon* cardinalis item & archiepiscopus Rotomagensis, extinctus anno 1594.

¶ Successere personati abbates, Renatus *de Courtenai*, Marianus *de Martinbos* qui occurrit anno 1608, Baltasar *Poitevin*, Johannes-Baptista *de Croisilles* qui reperitur anno 1637, & Guillelmus *de Montaigu* qui occurrit anno 1640, dum Carolus alter Borbonius, comes Suessionensis, proventibus abbatiæ fruebatur.

LXXI. Petrus III *du Cambout de Coislin*, nominatus anno 1641, permutavit anno 1643 cum sequenti pro abbatia S. Victoris Parisiensis. De eo fuse diximus tomo VII, col. 692, & tomo VIII, col. 1495, in episcopis Aurelian.

LXXII. Franciscus II *de Harlai* archiepisc. Rotomagensis, obiit anno 1653.

LXXIII. Franciscus III *de Harlai*, & ipse archiepiscopus Rotomagensis, translatus anno 1671 ad ecclesiam Parisiensem, obiit an. 1695. Sub ejus commenda, VII idus Januarii anno 1668, prioratus sancti Petri Longæ-villæ mensæ conventuali attributus est decreto episcopi Ebroicensis.

¶ Reditus abbatiæ committuntur œconomo ad annum 1716.

LXXIV. Claudius *de Saint-Simon* nominatus literis regiis anno 1716, mense Januario, factus est anno 1731 episcopus Noviomensis, translatusque anno 1733 ad ecclesiam Metensem, ubi de eo plura.

¶ Meminit necrologium Uticense ad diem v calendas Aprilis *Vincentii abbatis Gemeticensis*, cetera omnino incogniti.

FISCANNUM.

Quatuordecim aut quindecim leucis ab urbe Rotomago, versus Argesten, positum est Fiscannum oppidum super fluviolum cognominem, in ipso litore maris Britannici; de cujus quidem oppidi nomine qui somniarunt scribendum esse vel *Fici* vel *Fisci-campum*, Fixum seu scamnum, seu campum novelli doctores ab ipso auctore exploduntur. Eo loci sedebant potissimum sub prima & altera regum nostrorum dynastia Caletorum comites seu præfecti, quorum unus, nomine Waningus, vir illustris ac locuples, quem sancti Wandregisili in exstruendo Fontanellensi monasterio adjutorem fuisse diximus suo loco, in ipsa Fiscannensi valle parthenonem condidit anno 658, cœlitus ut fertur admonitus. Basilicam loci Deo uni ac trino S. Audoënus, aliique provinciæ Lugdunensis secundæ dedicarunt episcopi: rex ipse Clotarius III dedicationi adfuit, & cœnobium regalibus gazis ac prædiis dotavit: illic congregatæ virgines amplius trecentæ, quibus Childemarcha eximiæ sanctitatis virgo præfecta est: totius denique cœnobii administratio SS. Audoëno ac Wandregisilo commissa. Waningus parthenonis conditor cultu publico in ecclesia honoratur: corpus ejus religiose asservari in abbatia Hamensi, diœcesis Noviomensis, observavimus tomo IX, col. 1121, sed anno 841 parthenonem ipsum Normanni, Hastingo duce, direptioni & incendiis reliquerunt: moniales maximam partem commendare se fugæ: quæ supererant, amputatis sibimet labiis & naribus ne turpiter temerarentur corpora, inhumane a barbaris trucidatæ sunt: ubi prius ædificia bene composita, & populus virginum, ibi deinceps tristis lapidum acervus, & horrida solitudo.

Centum tamen & quinquaginta post annos monasterium ruinis consepultum Richardus I Normannorum dux instaurare aggressus est. Absolutis basilicæ ædificiis, vasis illam, tam aureis quam argenteis, variisque ornamentis ditavit. Tum convocatis totius provinciæ principibus, & episcopis cum ex illa provincia, tum ex aliis, numero quatuordecim, novam ecclesiam

in honorem sanctissimæ Trinitatis dedicari curavit xvii calendas Julii anno 990, collatis in dotem variis possessionibus, ac præcipue duodecim ecclesiis; locumque hunc primo clericis assignavit.

Sed « cum illi, ait Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag. 152, ceterorum ejus seculi more, latas perditionis vias sectarentur, seque totos luxui ac desidiæ darent, projectam eorum vitam dux abhorrens, Mayolum Cluniacensem abbatem Fiscannum advocavit, ut locum illum monasticis institutionibus secundum S. Benedicti regulam informaret. Cui non alia conditione acquiescere voluit vir sanctus, nisi generalem totius ducatus consuetudinem, quæ vulgo *pasnagium* dicitur, estque vectigal pro jure pascendi porcos aliaque animalia in silva domini, Fiscannensi monasterio relaxaret. Quod cum Richardus concedere noluisset, re infecta Mayolus dicessit.

Interim canonicis in deteriora prolabentibus in dies, Richardus II animo recogitans quo pacto patris consilium exequeretur, missis anno 1001 nunciis, Willelmum Divionensem abbatem, cujus fama religionis ad ejus aures pervenerat, multis precibus sollicitavit ut Fiscannensem ecclesiam ad sancti Benedicti normam ordinaret. Hic vero duci respondisse fertur, *se aliorum relatu accepisse, Normannos duces, homines natura immites & efferatos, templa subvertere non ædificare solitos esse; delere & effugare, non colligere aut fovere spiritualium virorum congregationes: insuper longum esse iter, sibique deesse equos, aliave onerifera animalia, quæ fratribus istuc deducendis, eorumque supellectili comportandæ necessaria essent.* Quæ ubi ad Richardum perlata sunt, continuo multos equos & clitellarios misit ad Willelmum; qui ducis constantia victus, assumto secum congruo fratrum numero, Fiscannum contendit, ubi a duce velut e cœlo delapsus angelus tanto cum honore acceptus est, ut dux ipse, amotis ministris, viro Dei ad mensam inservierit. Tum canonicis iis qui converti nollent expulsis, Fiscannensis ecclesia Willelmo tradita est, quæ subita conversione cœlestium virorum studiis flagare cœpit, & circumposita monasteria suo splendore obscurare. Illic nempe parsimonia, pudicitia & voluntaria paupertas, adeoque bonorum omnium communio refloruit, ubi antea luxus, corrupti mores, & rerum omnium malus usus invaluerant. Quod adeo Richardo placebat, ut sæpe illuc accedens fratribus ad mensam ministrare gauderet, completoque ministerio ultimus omnium ultimo in loco reficeret.

Ad tantæ religionis & celebritatis famam eo convenerunt nobiles viri complures, tam clerici quam laïci, quos inter Osmundus episcopus habitu monastico illic suscepto religiosissime vixit. Ex clericis duo alii apprime literati, Joscelinus & Beringerius, aula regis postposita, Willelmi disciplinæ se tradiderunt, quorum prior postmodum abbas exstitit, posterior Fiscanni reliquum vitæ exegit. Quin etiam e transmarinis partibus Angli illuc accedebant, quos inter unus regali clarus prosapia, Clemens nomine, relictis seculi pompis ad idem monasterium venit, Deo inibi cupiens deinceps militare: sed cum a popularibus suis eo adventantibus sæpius inviseretur, & vanitates seculi frequenter audire cogeretur, Divionense expetiit monasterium, ubi a turbis remotus, vitæ cursum feliciter absolvit; vir tantæ humilitatis, ut cum sacerdos esset, nunquam tamen in tota vita sua, nisi semel, ad sacra mysteria celebranda adduci potuerit. His adde Supponem, natione Italum, qui post Willelmum Montem sancti Michaëlis, deinde Fructuariense monasterium rexit; & Theodericum, quem ex loci priore idem Willelmus Gemeticensi monasterio præfecit. »

Richardus II monasterium instaurando, Fiscannum advocaverat, tam Robertum archiepisc. quam alios sex Rotomagensis metropolis episcopos, qui charta & a seipsis & ab optimatibus plurimis obsignata, non solum illud, sed & ecclesias duodecim eidem obnoxias a sua ipsorum jurisdictione immunes fecere: quod privilegium dux ipse & suo diplomate confirmavit, & a Roberto rege iv calendas Maii anno 1006, deinde a Benedicto VIII summo pontifice firmandum similiter curavit, instrumentis quorum lacinias quasdam vulgavit auctor Neustriæ piæ pagg. 208 & 215. Sed hic potissimum admonendus est lector, 1.° chartas fere omnes quas in opere suo collegit scriptor ille innumeris omnimodisque scatere mendis: 2.° inde factum esse ut chartam qua Richardus I monasterium recens instauratum variis possessionibus auxit, non transcripserint tam ille, quam Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 60, nisi admodum vitiatam adulteratamque. Descripta est illa ineunte seculo xii, in chartulario monasterii. Ibi autem in recensendis præsulibus qui donationes Richardi probaverunt, Rogerium inter Lexoviensem & Norgodum Abrincensem episcopos, memoratur Atso Sagiensis in hæc verba: *Atsoni* (id est Atsone) *quoque, civitati Saxonum ecclesiæ præsuli;* (id est præsule) quæ omnia desiderantur in Neustria pia & apud Pommerayum. E contrario desiderantur in chartulario quæ in eodem diplomate interseruere auctor Neustriæ piæ & Pommerayus his verbis, ex alia, ut videtur, Richardi II charta desumtis: *Constituo etiam atque confirmo, donante, concedente atque laudante Roberto Rotomagensi archiepiscopo, hanc ecclesiam in honore sanctæ Trinitatis dicatam, & duodecim ecclesias ad eam pertinentes, ab omni episcopali consuetudine immunes & liberas; quatenus nulli archiepiscopo futuro in istis tredecim ecclesiis, quicquam justæ vel injustæ dominationis aut exactionis concedatur, nisi quod Fiscannensis ecclesiæ permiserit atque laudaverit universaliter conventus.* Depravatum hoc modo diploma Mabillonium & ipsum fefellit, qui tom. IV Annal. Bened. pag. 62, immunitatem monasterii ab omni jurisdictione episcopali ad tempora Richardi I & canonicorum retulit, quæ non est concessa nisi monachis, tempore Richardi II. Ceterum jurisdictionis illius fines dilatavit postea Hugo III archiepisc. parochiis

Chart. IV, col. 8.

aliis sexdecim additis : illa autem procedente ætate extensa est in parochias omnino triginta sex. Sed ad dignitatem monasterii non parum confert, quod tribus aliis olim imperitaverit abbatiis, beatæ scilicet Mariæ de Bernaio, sancti Taurini Ebroicensis, & sanctæ Bertæ Blangiacensis; unde videntur tres mitræ, quas in insignibus gerit, originem sumsisse.

Basilica quæ hodie expandit se intus in pedes 376 longitudinis, altitudinis 70, transversum habet longum 121 pedes, & turrim altam 200 usque ad summum pyramidis. Fabrica tamen illa non uno jactu perfecta est. Partem illius superiorem renovavit primum Guillelmus *de Ros* tertius abbas, complexus in ea nonnihil de veteri monialium ecclesia, cujus quod fere supererat in ædiculam conversum est, *sacellum Virginum* dictam, & anno demum 1682 dirutam; partemque hanc novæ basilicæ dedicari curavit XVII cal. Julii anno 1106, a Guillelmo I archipræsule, & ab aliis quatuor episcopis; sed inferiori parti ultima manus non est imposita nisi anno circiter 1300, a Thoma *de Saint-Benoît* abbate duodecimo. Eo in sanctuario asservant religiosissime & venerantur monachi *pretiosum*, ut aiunt, *sanguinem*, id est ex majorum traditione aliquantum terræ aut pulveris, ipso Jesu Christi sanguine dum pro nobis ultimum pateretur respersi. Terra illa plumbeos tubos duos effarcit in argenteis duobus aliis tubis inclusos, quos complectitur pixis ex argento inaurata, & ipsa in pulcherrima, seu turri seu conflata ex eodem metallo pyramide comprehensa. Quo tempore, quave ratione, tanto pignore locupletati sint Fiscannenses non produnt monumenta. Docent tamen diu absconditum fuisse; dum vero quo loci depositum esset ignoraretur ab omnibus, repertum esse feliciter XIV calend. Augusti anno 1171 in muro, seu potius in columna quadam, majoris altaris vicina, quam murus undique circumvestiebat. Non desunt qui religiosum pretiosi hujus sanguinis cultum elevare conati sint; sed sacræ theologorum Parisiensium facultatis decreto satis confutati sunt V cal. Junii anno 1448, in hunc modum: *Non repugnat*, inquiunt illi, *pietati fidelium credere, quod aliquid de sanguine Christi effuso tempore Passionis, remanserit in terris*, ut refert Argentræus Collect. Judicior. de novis errorib. tom. I, pag. 250.

Sepulti sunt Fiscanni fundatores novi monasterii ambo Richardi Normannorum duces, non in ipsa ecclesia, sed extra ecclesiam, ad portam meridionalem, Richardus quidem I, uti jusserat, sub stillicidio. Ita enim Dudo sancti Quintini decanus, de Richardo I, pag. 157: *Comes Radulfus dixit ad eum secretius : Domine, quo loco templi præparabitur sepulcrum tuæ requiei ! Respondit : Cadaver tanti sceleris non requiescet infra adytum hujus templi ; sed ad istud ostium, in stillicidio monasterii.* Ad patrem suum appositus est Richardus II in sacello S. Thomæ, quod insuper ædificaverat. Sed quando renovata est & ampliata in latitudine basilica ab abbate Guillelmo *de Ros*,
A utriusque sepulturæ locus intra ecclesiam comprehensus est, scilicet in sacello Pretiosi sanguinis, nil motis ossibus, tumulis tamen ad parietem extra rejectis. At venerabiles exuvias transtulit V nonas Martii anno 1162, prope altare quod dicitur *sancti Salvatoris*, Henricus apostolicæ sedis legatus, assistentibus Ebroicensi, Lexoviensi, Bajocensi & Abrincensi episcopis; sandapilas autem renovavit X calendas Septembris anno 1518 Antonius *Bohier* abbas.

Apud Fiscannenses sepulturam similiter nacti sunt Robertus filius Richardi I ducis, cujus corpus detectum nonis Octobris anno 1710, eo loci
B ubi prius erat sacellum Virginum, appositum est ad patrem suum pridie non. Novemb. sequentis, ab abbate Francisco-Paulo *de Villeroi :* Judith uxor Richardi II, sepulta in capitulo : Guillelmus filius ducis Richardi II, extinctus decennis non. Decembris anno 1025, mancipatus tamen monasticis institutionibus, cujus corpus inventum est calend. Novembris anno 1718 sub alis basilicæ, a latere evangelii, inter columnam Pretiosi sanguinis & sacellum beatæ Magdalenæ, nec loco dimotum : Margareta filia Herberti comitis Cenomannensis, desponsato Roberto Willelmi conquæstoris filio, fatis functa idibus Decemb. anno
C 1060, & sepulta in veteri basilica monialium : Alanus III denique Britanniæ comes, Normanniæque administer dum Robertus I dux peregrinaretur ad sepulcrum Domini, mortuus, ut creditur, VI idus Octobris anno 1040, tumulatusque in capitulo, quemadmodum Osmundus præsul, de quo superius.

De Fiscanno hæc in universum sint satis. Quæ singulatim dicenda supersunt, ea opportuniorem in duplici eorum indice qui monasterio præfuere locum obtinebunt.

ABBATISSÆ.

D I. S. HILDEMARCHA, *seu* CHILDEMARCHA, eximiæ sanctitatis virgo, multarumque sanctimonialium apud Burdegalam ad sanctæ Eulaliæ parthenonem abbatissa, Fiscannum accita, novo parthenoni præposita est a beato Waningo fundatore, & a S. Audoëno archipræsule, vivebatque adhuc quando S. Leodegarius Augustodunensis antistes Waningo ibidem custodiendus jussu Ebroini Majoris domus regiæ traditus est. In perantiquo Patriciacensi calendario fit mentio XII calendas Julii *Childomargæ virginis*, haud dubie Fiscannensis abbatissæ. Vide tom. II, col. 326, instrum.

E Earum nomina quæ sanctæ virgini successerunt ad annum 841, quo monasterium a Danis subversum est, penitus ignorantur.

CLERICORUM SECULARIUM, *sive* CANONICORUM PRÆPOSITI.

UNUS aut forte alter præfuisse censendus est ab anno 990, quo locum reparare aggressus est Richardus I ad annum 1001, quo monachos illuc invexit Richardus alter. Sed eorum similiter nomina periere.

ABBATES.

ABBATES.

I. BEATUS GUILLELMUS I, de quo hic in prologo, & fusius olim in abbatibus Divionensibus tom. IV, col. 675 & seqq. regere cœpit anno 1001. Robertus rex Francorum concessit Fiscanno villam Villaris, sitam super Isaram fluvium, in comitatu Silvanectensi, anno 1005, regni 18, regiminis Guillelmi 5; quam donationem postea confirmarunt Henricus Roberti filius, Rainaldusque Henrici camerarius. A Richardo II duce anno 1025 accepit Guillelmus monasterium Bernaii monasticis institutis informandum; abdicavit anno 1028 in gratiam sequentis, obiitque calend. Januarii anno 1031, sepultus primum in sacello S. Taurini, translatus deinde in sacellum B. Magdalenæ, unde ossicula quatuor, quæ reserato sarcophago residua ex universa corporis compage reperta sunt v calendas Novembris anno 1638, partim in Sabaudiam, partim in ecclesiam sancti Benigni Divionensis exportata sunt.

II. Johannes I in partibus Ravennæ ortus ex patre Roberto, ab texiliate corporis Johannelinus dictus, cognominatusque *d'Alye* in catalogo Labbeano, apud sanctum Benignum Divionensem literis eruditus ac medicinali arte quam ex Guillelmi abbatis mandato didicerat, ejus in primis studiosus evasit imitator, qui dilectum sibi monachum, non solum Fiscanni priorem, sed & ad preces Roberti ducis abbatem eum sibi substituit anno 1028, licet eum alibi magis optasset præficere. Novum abbatem Robertus dux ut Fiscannensis monasterii libertati caveret, noluit ut archiepiscopus Rotomagensis ordinaret, sed accersivit Hugonem Abrincensem episcopum, a quo Johannem Fiscanni abbatem benedici ac sacrari fecit. Eodem abbate ordines non semel ab aliis episcopis collati sunt archiepiscopo nequaquam reclamante. Huic eidem Rogerius comes de Castro S. Pauli instaurandum commisit Blangiacense monasterium an. 1032, cui unum e suis abbatem præfecit. Ægre quidem, concessit tamen Johannes monasterium Villare a Richardo II Fiscannensibus olim donatum, Roberto duci locum in priorem statum restituere volenti, qui in commutationem dedit monasterium sancti Taurini an. 1035, ejusdemque subscripsit literis pro restauratione parthenonis Villaris. Subscripsit eodem anno fundationi monasterii Conchensis. Circa id tempus convenit cum Rainaldo Henrici regis camerario, de potestate Villaris in pago Silvanectensi. Anno 1047 Willelmus dux Johanni restituit terram Rainaldi vicecomitis, quam pater ejus Richardus eis concesserat, & postea Johannes abbas Gozelino Heddonis filio in beneficium dederat, qui eam suis hominibus tradiderat. Aliquanto post querelam habuit cum Warino abbate sancti Arnulfi Metensis, occasione Benedicti monachi olim Fiscannensis, sed ad S. Arnulfum translati, quem Johannes abbas acribus verbis repetebat. Ejus tempore Paschalis II Guillelmum archiepiscopum Rotomagensem uti pallio prohibuit, qui monachos Fiscannenses anathematisarat, eo quod interdictum ab ipso latum in ecclesias Normanniæ non servaverant. Vide epistolas Paschalis, sancti Anselmi & Ivonis Carnotensis. Johannes legationis munere functus in Italia, rediens in Franciam anno circiter 1050, vim passus est ab Italis ex odio gentis Normannorum qui Apuliam invaserant. Qua de re conquestus est epistola ad Leonem IX, quam habes Anecd. t. I, col. 207. Assumto ad metropolim Lugdunensem Halinardo, ad regendum Benignianum monasterium accitus anno 1052, cessit anno 1056. Detectioni corporis S. Dionysii in abbatia cognomine adstitit v idus Junii 1053. Exeunte anno 1054 transfretavit in Angliam, ut rebus monasterii sui in illo regno positis provideret, sibique Eduardum regem propitium redderet, a quo reipsa nonnullis beneficiis amplificatus est. Anno circiter 1058 Letzelinum episcopum Paris. ab Henrico rege Francorum ad Willelmum ducem Normanniæ, propter pacem inter eos componendam directum rogavit ut in die Resurrectionis missam celebraret in ecclesia Fiscannensi. Quod & fecit episcopus, atque inter sacra missarum solennia quosdam ex monachis presbyteros ordinavit. Adstitit Johannes anno 1066 dedicationi parthenonis Cadomensis. Jerosolymam profectus, ibique diu detentus in carcere, postea ad monasterium rediisse legitur in catalogo Labbeano, ubi biennio post dierum plenus ac meritorum obiit VIII calendas Martii anno 1078, id est 1079, sepultus in sacello S. Johannis Baptistæ. Quasdam ipsius epistolas legesis apud Mabillonium Annal. Bened. tom. IV, pagg. 381, 506 & 521; tom. V, pag. 23, Analect. tom. I, pag. 166; & Martenium tom. I, Anecdot. col. 205 & seqq. (Chart. 4 col. 61.)

III. Guillelmus II *de Ros*, ante conversionem Bajocensis clericus, id est, ait Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 134, cantor, decanus & archidiaconus sub Odone episcopo, dein Cadomi apud sanctum Stephanum factus monachus, ac demum vix uno post professionem anno Fiscannensis abbas, *ut mystica nardus*, inquit Ordericus lib. IV, pag. 529, & lib. II, pag. 832, *in domo Domini fragravit caritate, largitate, multimodaque probitate*. Eo abbate, *multi sapientes & illustres viri, ejus amore* & exemplo adducti, Fiscannum confluxisse perhibentur, & *in schola divini cultus sub eodem SS. Trinitati reverenter famulati esse*. Idem, pergit Mabillonius, ob decoræ & delicatæ formæ præstantiam *Puella* cognominatus esse dicitur. Sed quod addit ille, anno ejus præfecturæ primo, cellam sancti Gabriëlis in pago Bajocensi, super Sellam fluviolum Fiscannensibus concessam fuisse, ex eo falsi convincitur, quod donatio illa facta fuerit Willelmi nothi ætate nondum regibus annumerati. Ast, anno 1080, Hubertus Tarvannensis episcopus Fiscanno confirmavit ecclesiam sancti Johannis prope muros civitatis Tarvannensis sitam, quam ei dederat Drogo ejus decessor. Adfuit Guillelmus abbas anno 1087 exequiis Guillelmi regis Cadomi celebratis, qui (Ch. XIV. col. 18.)

confirmationis bonorum diploma Fiscannensibus A dederat, quod habes in Monastico Anglicano, tom. III, pag. 971. Biennio post, dum ille in Anglia versaretur, archiepiscopus Rotomagensis Roberto duci infensus, ecclesias per totam provinciam a divinis cessare jussit; quod interdictum observare cum renuerent Fiscannenses, immunitatis suæ privilegio fulti, eos præsul diris addixit. Sed nec sic monachi divina intermiserunt. Interea, « ait Mabillonius, sup. ibid. pagg. 262 & 263, » ex Anglia reversus abbas, convenit archiepiscopum, eumque ut a sententia lata desisteret enixe » rogavit; at nihil apud eum effecit. Id ubi rescivit » Urbanus papa, sua & antecessorum suorum sta- B » tuta violari non est passus; sed per legatos suos » pallii usum archiepiscopo interdixit: quo quidem » diu caruit, donec agente comite (id est Roberto » duce) ejus usus a pontifice ei restitutus est ea » lege, ut ipse per missos suos factum emendaret. » Id ubi præstitit, literas sigillo apostolico munitas » Fiscannensibus indulsit Urbanus, quibus eorum immunitatem denuo asseruit ». Guillelmus vero concordiam iniit cum Philippo de Braiosa, pro terra *de Stanning*, idibus Jan. 1103, ex Monast. Anglic. tom. III, pag. 972. Taurinensibus monachis Fiscannensium jugum exuere tentantibus, conquestus Guillelmus apud Henricum regem, C abbatiam S. Taurini tanquam propriam cellam suam accepit anno 1106. (Chart. IV. col. 127.) E synodo Lexoviensi reversus, obiit Guillelmus abbas de monasterio suo optime meritus, VII calendas Aprilis anno 1107, id est 1108. Elogium ejus scripsit Baldricus Dolensis, quod lege, si lubet, in Neustria pia, pag. 227 & seqq. Sed brevius Ordericus lib. II, pag. 832, in hunc modum: *Hic venerabilis vir,* inquit, *bonis moribus pollens laudabiliter vixit, & multarum nectare virtutum imbutus a pueritia viguit, & in clericatu ac monachatu speculum bonorum operum mundo resplenduit.* Diximus in proemio partem basilicæ superiorem ab ipso D instauratam fuisse; & illud docet idem Ordericus ibid. his verbis: *Cancellum veteris ecclesiæ, quam Richardus dux construxerat, dejecit, & eximiæ pulchritudinis opere in melius renovavit, atque in longitudine ac latitudine decenter augmentavit. Navem quoque basilicæ* (id est partem illam navis) *ubi oratorium sancti Frodmundi habetur, eleganter auxit, opusque tandem consummatum a Guillelmo archiepiscopo, aliisque quatuor præsulibus, XVII calend. Julii consecrari fecit. Defunctus autem, in novo opere, quod ab ipso constructum est, ante aram gloriosæ virginis Mariæ sepultus est;* sed anno 1496, renovato sacello ossa ejus alio deportata E sunt. Exstant Ivonis Carnotensis ad Guillelmum epistolæ 19 & 80.

IV. Rogerius *d'Argences* in diœcesi Bajocensi ortus, a Guillelmo archiepiscopo presbyter ordinatus XII calend. Januarii anno 1107, & abbas Rotomagi benedictus die crastina, Fiscannum ad Natale Domini rediit. Adfuit annis 1118 & 1128 duobus conciliis Rotomagi celebratis. Obiit XI cal. Aprilis anno 1138, id est 1139, conditus in sacello sancti Martini.

V. Henricus *de Sully* Cluniacensis monachus, avunculos habebat Stephanum Anglorum regem & Henricum Wintoniensem episcopum, qui eum adhuc juvenem, teste Orderico lib. XIII, pag. 920, ad Sarisberiensem episcopatum promovere tentavit anno 1140. Sed cum res pro voto non successisset, Stephanus rex eodem anno abbatiam Fiscannensem ei concessit, in qua, ait Ordericus, ibid. *tempore quatuor præcedentium abbatum magna religio floruerat.* Ab Hugone Candavenæ comite sancti Pauli, suo cognato & amico, donatus est jure antiquo & pristina dignitate, quam idem comes ejusque decessores habebant in ecclesia Blangiacensi, an. 1141. Exstant ad eum sive de eo Arnulfi Lexoviensis episcopi, epistolæ 15, 56 & 64. Exstant similiter literæ Hugonis III Rotomagensis archiepiscopi, ad Henricum scriptæ, quibus jurisdictionem antiquam monasterii extendit præsul ille anno circiter 1150, in novas sexdecim parochias. (Ch. col. 23.) Adfuit Henricus anno 1173 in Natali Domini, curiæ regis apud Cadomum. Ei Alexander III papa, mitræ, annuli ceterorumque pontificalium usum concessit anno 1174, quod postea privilegium Lucius III, anno 1183, in successores etiam suos dimanatum voluit. Alia quædam de illo reperiuntur, quæ nullius videntur esse momenti. Obiit, ex catalogo Labbeano, *anno suæ ordinationis quadragesimo nono,* qui proinde incidere debet in annum Christi 1189. Obitus ejus consignatur in veteribus schedis, ad IV idus Januarii anno 1188; quod si novum computandi morem adhibeas, eodem recidit. Sepultus est in sacello sancti Petri.

VI. Radulfus *d'Argences* a Cœlestino III papa bullas obtinuit annis 1192 & 1196, privilegiorum Fiscannensium vindices. Basilicæ ultimam manum imposuit anno circiter 1200. Pepigit anno 1208 cum Ælicia Monasterii-villaris abbatissa. Societatem iniit cum Erardo S. Luciani, Henrico sancti Dionysii anno 1215, Simone Aquicinctino 1216, necnon circa idem tempus cum Rainaldo sancti Germani a Pratis abbatibus. Obiit VIII idus Septembris anno 1219, sepultus in sacello S. Taurini, nunc S. Benedicti dicto.

VII. Aicardus, Sammarthanis cognominatus *de Baxeto*, erat, ex catalogo Labbeano, *Radulfi nepos; rexit annos tantum duos & dimidium.* Obiit XVI calendas Octobris anno 1222, conditus in sacello sancti Nicolai.

VIII. Richardus I *Morin*, Paludelli natus, *vir valde simplex*, ex eodem catalogo, *post annos quinque coactus resignavit, & per Romanum nomine legatum post aliquas dissensiones electus* est *successor* qui sequitur. Obiit XVI calendas Septemb. quo anno incompertum, & conditus est in sacello sancti Martini.

IX. Guillelmus III *Vaspail*, natus in villa *Ros* prope Cadomum, *ex priore S. Audoëni Rotomagensis electus* est abbas, agente Romano legato, ex eodem catalogo, anno 1227, vir apprime literatus. Societatem iniit anno 1230 cum W. abbate Gemeticensi. Vocatus ad concilium contra

Fridericum imperatorem, ab eo cum aliis incarceratus, pecuniaque redemtus, ad monasterium rediit anno 1241. Innocentius IV monachis Fiscannensibus in regione frigidissima constitutis, indulsit anno 1244 usum pileorum ordini congruentium, exceptis elevatione Eucharistiæ, lectione evangelica, aliisque divinis officiis. Fundavit Guillelmus anniversarium anno 1259, mense Augusto, & obiit idibus Maii anno 1260, tumulatus in sacello beatæ Mariæ, unde anno 1469 ossa ejus aliò asportata sunt.

X. Richardus II *de Treigos*, in diœcesi Constantiensi natus, sedebat anno 1260, mense Jul. Societatem iniit cum Johanne abbate Beccensi anno 1272, uti fecerat duobus ante annis cum Augustino abbate S. Amandi in Pabula. Similem societatem instituit cum Nicolao sancti Walarici & Johanne sancti Judoci abbatibus, anno 1280. Exstat in Neustria pia, pag. 237, instrumentum ei attributum, quo canonicis regularibus Belliloci decimas de Huglevilla, in feodo qui dicitur Fiscannensis, dimittit, sub ea conditione, ut duodecim libras Turonenses abbatibus Fiscannensibus singulis annis, in duobus terminis, perpetuo persolvant. Obiit XVII calendas Octobris anno 1286, sepultus in sacello beatæ Mariæ virginis. Sed anno 1496 renovato sacello, ossa ejus aliò translata sunt.

XI. Guillelmus IV *de Putot*, ex Bajocensi diœcesi oriundus, præerat anno 1286. Canonicis regularibus beatæ Mariæ de Owilla dimisit anno 1292, quidquid ab eis exigere poterat. Domum Parisiis comparavit. Obiit V idus Sept. anno 1297, sepultus in sacello sancti Andreæ. Multa peccavit, tam in hoc abbate quam in subsequentibus, doctissimus Huetius Origin. Cadom. cap. 24.

XII. Thomas *de Saint-Benoît* natus erat, ex catalogo Labbeano, *apud sanctum Benedictum in Umbris*, diœcesis Constantiensis, unde cognomen assumsit, quemadmodum duo vel tres ex successoribus suis, & omnes pene decessores sui, quorum præter Henricum *de Sully*, Richardum *Morin* & Guillelmum *Vaspail*, ignota sunt nomina gentilitia. *Primus* ille, ex eodem catalogo, *fuit apud Romanam curiam personaliter confirmatus, licet monasterium Fiscannense ad eam nullo modo* (lege nullo medio) *pertineat*. Sedebat anno 1298. Sacellis basilicæ quæ chorum cingunt, multum decoris addidit. Conciliis apud Deivillam 1304, apud Pintarvillam 1305 adfuit. Obiit III nonas Aprilis anno 1308, id est 1309, tumulatus in sacello sancti Johannis-Baptistæ.

XIII. Robertus I *de Putot* vocatus est ad concilium Viennense anno 1311. Adfuit an. 1317 concilio Pontifarensi, ubi declaravit quod non venisset ad concilium nisi auctoritate apostolica vocatus, quia ejus monasterium ab omni jurisdictione prorsus erat immune. Similem declarationem egerat anno 1311, antequam ad concilium Viennense pergeret, ut videre est in Neustria pia pagg. 248 & 249. Interfuit & alteri anno 1321 apud Pontem-Audomari. Obiit XII calendas Julii anno 1326, sepultus inter sacellum sancti Andreæ & sacellum sancti Johannis Baptistæ.

XIV. Petrus I *Roger* factus est exeunte anno 1328 episcopus Atrebatensis, deinde archiepiscopus Senonensis (male in catalogo Labbeano episcopus Cenomannensis) tum archiepiscopus Rotomagensis, denique summus pontifex sub nomine Clementis VI. Abbatiam Fiscannensem dum regeret, missus est cum aliis legatis ad Angliæ regem, ut eum ad homagium pro ducatu Aquitaniæ præstandum hortaretur. At nullo a rege responso accepto, ad propria redire coactus est. Vide quæ de eo diximus sup. col. 77, & tomo III, col. 336. Abbatiam sequenti transcripserat anno 1329.

XV. Philippus I *de Bourgogne*, ita dictus quod ex chronico Labbeano *natione Burgundus* esset, ex priore Longævillæ *apostolica auctoritate vocatus*, sedit tres menses, & benedictione non suscepta mortuus est, jacetque ante altare sancti Taurini, in MSS. codicibus inter abbates omissus.

XVI. Robertus II *de Brechy*, ita dictus quod esset, ex chronico Labbeano, de suburbano *Brechy*, Bajocensis diœcesis, obiit nonis Augusti anno 1332, conditus in sacello sancti Taurini.

XVII. Guillelmus V *du Bourget*, Cadomensis, obiit IV calendas Octobris anno 1334, sepultus in sacello sancti Taurini.

XVIII. Guillelmus VI *Chouquet*, Bajocensis, cameræ apostolicæ mille florenos auri pro se & antecessore solvit 4 Aprilis 1339. Obiit VIII idus Aprilis anno 1342, id est 1343, sepultus, ex chronico Labbeano, *ante altare ubi quotidie celebratur missa matutinalis, ad lævam prope parietem*.

XIX. Nicolaus *de Verneil*, alias *de Hauteil*, ita cognominatus in catalogo Labbeano, in quibusdam vero schedis *de Veteuil*, sive *de Nanteuil* aut *de Mantueyl*, ex abbatia S. Medardi Suession. translatus est anno 1343, a Clemente VI papa, ad abbatiam Fiscannensem. *Durus in subditos, vassallos & monachos* (verba sunt catalogi Labbeani) *a quibus in curia Romana citatus*, resignavit post annos quatuordecim regiminis, quod prius interdixerat illi summus pontifex, substitutis ejus in locum vicariis, ut constat ex literis Caroli ducis Normanniæ, 27 Februarii 1355, id est 1356, quo anno obiit Avenione VII idus April.

XX. Johannes II *de la Grange*, ita dictus a cognomine loco, diœcesis Lugdunensis, in quo natus erat, prior Gigniaci in diœcesi Lugdunensi, cedenti Nicolao successit anno 6 Innocentii VI. Fuit sat diu regi Navarræ a consiliis, qui tamen de Burgundiæ ducatu cum Johanne rege decertans, cum abbatem compellasset, ut abbatiæ suæ propugnacula sibi traderet, repulsam passus est. Hinc a Navarræo captus anno 1363, mense Octob. cum fratris aut sororis suæ filio Quinnarto *du Breuil* milite, in carcere diu detentus est apud Lunam-castrum. Uterque tamen evasit, Quinnartus quidem per fenestram carceris fune adjutus, Johannes vero custode suo pecunia captato; sed Quinnartus iterum prehensus est. Rex autem

Navarræ in abbatiam hostilia facere perrexit, quæ abbati & monachis decem millibus florenorum & amplius constitere, ex thesauro chartarum regiarum. Johannes ex priore Gigniaci factus abbas anno 1357, ædificiis auxit cœnobium, illudque propugnaculis munivit. In literis datis XVII calendas Julii anno 1370, dicit se a rege præpositum decem triremibus armandis, quæ summo pontifici e Lombardia in Gallias deducendo destinabantur. Assumtus anno 1372 in episcopum Ambianensem, deinde cardinalitia purpura donatus, obiit anno 1402.

XXI. Philippus *du Fossé*, Burgundus, ex abbatia Centulensi transiit anno 1372 ad abbatiam Fiscannensem. Extinctus XVI calend. Julii anno 1381, sepultus est in navi, *ubi quotidie*, ex catalogo Labbeano, *missa* matutinalis celebratur ad dextram partem.

XXII. Petrus II *Servoise* a Clemente VII Avenione benedictus, fidem vovit regi VI idus Novembris anno 1381, apud S. Dionysium in Francia. Obiit XVII cal. Decemb. anno 1390, tumulatus in sacello sancti Petri.

XXIII. Estoldus *d'Estouteville*, ex nobili genere in Normannia ortus, fratres habuit Thomam episcopum Bellovacensem, atque Guillelmum Lexoviensem. Monachum apud Fiscannum induit, dehinc evasit abbas Cerasiaci, postea Becci; ad ultimum Fiscannensis, electus exeunte anno 1390, id est ineunte anno 1391, Carolo regi fidem dixit 23 Junii 1392. *In jure canonico doctor egregius*, ex catalogo Labbeano, *missam clericorum fundavit & choristas*, id est musicam, quæ adhuc, ut in cathedralibus ecclesiis perseverat. Procuratorem misit anno 1409, ad concilium Pisanum. Henricus rex Anglorum villam Fiscannensem cum monasterio oppugnavit & cœpit anno 1415. Testamenti Guillelmi Lexoviensis episcopi germani sui executor Estoldus, collegium Torciacum Parisiis fundavit & ordinavit anno 1422. Eodem extinctus pridie idus Octobris, sepultus est *in navi ecclesiæ, humili sepultura contentus*.

XXIV. Ægidius *de Duremort*, abbas primum Belli-prati, dein Belli-becci, tum Fiscannensis, post aliquantum a morte decessoris sui interstitium electus abbas non sine impedimentis, quæ tamen superavit, fidem regi Anglorum præstitit Luteciæ IV idus Septembris anno 1423, in manibus ducis Bethfordiensis; sed nondum confirmatus erat VII calendas Maii anno 1424. Adfuit 1431 sententiæ latæ in Puellam Aurelianensem. Concilio Rotomagi adfuit anno 1438. Factus est anno 1439 episcopus Constantiensis. Obiit anno 1444, tumulatus Rotomagi in ecclesia sancti Laudi.

XXV. Johannes III *de la Haule* electus est ante VII calendas Septembris anno 1440. Post Fiscannum in ditionem acceptum anno 1449, obsequium Carolo VII regi vovit Rotomagi XVI calendas Decembris ejusdem anni. Factus postea IX calendas Octobris anno 1461, Ludovico XI ab intimis consiliis, sedit in scacario anno 1464.

A Cum Thoma Lexoviensi episcopo statuta condidit pro collegio Lexoviensi, 16 Maii 1463, obiitque XVI calendas Novembris anno 1467, conditus in navi.

XXVI. Johannes IV *Balue*, dictus cardinalis Andegavensis, de quo hoc in volumine egimus, tam in abbatibus sancti Audoëni Rotomagensis, quam in episcopis Ebroicensibus, agendumque erit postea susius in episcopis Andegavensibus, sedebat Fiscanni anno 1468. Sed cum in offensionem regis incurrisset, mensæ abbatialis prædia posita sunt in manu sequentis.

XXVII. Petrus III *Gonçales de Mendoza* B cardinalis S. Georgii, archiepiscopus Hispalensis, Ludovici XI regis ad preces qui tres ad summum pontificem ea de re literas direxerat, a Sixto IV constitutus est administrator monasterii Fiscannensis 20 Januarii 1476, quamdiu cardinalis Baluanus libertate careret sua & potestate, hoc est ad usque annum 1481. Tamdiu autem Petrus Johanni assignavit æquam pensionem super reditibus ecclesiæ suæ Seguntinæ. Tempus ad præstandam fidem dedit ei Ludovicus rex 9 Junii 1476, 5 Martii 1477, & 7 Maii 1481. Ampliss. Collect. tom. II, col. 1524.

XXVIII. Johannes IV *Balue* titulo sanctæ C Susannæ presbyter cardinalis, episcopus Albanensis sibi restitutus, reditus quoque abbatiæ recuperavit, quo nomine denuo comparet in instrumentis ut administrator, ab anno 1483, mense Junio, ad 1491, quo obiit IV idus Oct.

XXIX. Antonius I *de la Haye* natus erat, ex catalogo Labbeano, *regali prosapia*, filius nempe Ludovici *de Passavant de Mortagne*, & Mariæ d'*Orléans*. Jam commendatarius sancti Cornelii Compendiensis, Fiscannensis quoque post mensem Septembrem anni 1492, regi fidem juravit Lugduni XII calendas Maii anno 1494, obiitque XIII calendas Februarii anno D 1504, id est 1505. De eo diximus in abbatibus Sandionysianis tom. VII, col. 407.

XXX. Antonius II *Boyer*, quem catalogus Labbeanus natum dicit *ex humili loco*, filius erat Austremonii *Boyer* & Beraldæ *Duprat* amitæ cardinalis *Duprat*. Æmulum passus est Antonium *le Roux* monasterii eleemosynarium, quem fratres omnes, uno excepto, elegerant; & querela utriusque ad summum pontificem delata est. Interea vero fructus reditusque abbatiæ in custodia regis, qui Boherio favebat, positi sunt; sed electionem Rufi irritam declaravit in consistorio pontifex VI idus Julii eodem anno 1505, & E octavo post die bullas Boherio concessit. Frustra Rufus contra molitus est, damnatus in scacario VI idus Novemb. sequentis, & ne Parlamentum Parisiense, quod ille appellaverat, de causa cognosceret impeditus ab ordinum Normanniæ conventu, ac demum a legato apostolico depulsus. Assecutus tandem anno, ut videtur, 1506, quam Boherius dimittebat abbatiam sancti Georgii prope Rotomagum, cessavit a litibus, Boheriumque reliquit Fiscanni pacificum possessorem, qui plurima in monasterii decus & ornamentum

contulit. Ipse enim & altare majus ex albente marmore, cum figuris SS. Taurini & Susannæ hinc inde positis, & intermedium mausoleum seu capsam item marmoream, erexit. Ipse fabricandam pretiosi sanguinis elegantem turriculam, sanctuariumque ubi asservatur, marmore incrustandum suis sumtibus voluit. Ipse & pluteum chori cupreum in speciem aquilæ, & tam festorum quam profestorum dierum tapetia dono dedit; chorum ipsum & sacella cinxit clausitve balaustris lapideis; ambonem sive odeum perfecit; basilicæ navim stravit prægrandibus saxis; parochias sanctæ Crucis, sanctorumque Stephani, Leonardi ac Nicolai in urbe laute & concinne exornavit; domum denique abbatialem inter ipsas palatii ducum parietinas excitaverat, sed illa vel ineunte hoc seculo, vel præcedenti exeunte, funditus diruta est. Factus est Boherius anno 1515 archiepiscopus Bituricensis, deinde post biennium cardinalitia purpura donatus ad preces, non ut diximus tomo II, col. 95, christianissimi regis, qui dignitatem hanc Erardo *de la Mark* episcopo Leodiensi promiserat, sed Ludovicæ Sabaudæ, matris Francisci I regis; unde offensus Erardus Robertum fratrem suum, Bullionensem ducem, a Francorum partibus abduxit. Obiit anno 1519 meritissimus abbas, de quo lege quæ diximus in abbatibus S. Audoëni, sup. col. 153, & tomo II, col. 94.

XXXI. Adrianus *Gouffier*, dictus cardinalis *de Boissy*, de quo infra in episcopis Constantiensibus, & tomo I, col. 37, in episcopis Albiensibus, abbatiam impetravit VIII idus Febr. an. 1519, id est 1520. Breviarium Fiscannense typis mandavit anno 1521. Obiit IX calend. Augusti anno 1523.

XXXII. Johannes V *de Lorraine* cardinalis, post licentiam eligendi petitam a rege V idus Augusti anno 1523, & obtentam pridie nonas Septembris, electus est ad votum & literas commendatitias ipsius regis, pridie idus Octobris sequentis; quod probat concordata nondum hoc anno apud Fiscannum vim legis habuisse. Regi fidem dixit apud Romorantinum, 14 Julii 1524. Obiit Novioduni Æduorum serenissimus abbas, anno 1550: corpus vero ejus elatum in urbem Nanceium, ibidem tumulatum est apud Franciscanos. De eo pluries jam diximus; vide tom. VI, col. 112.

XXXIII. Carolus *de Lorraine* cardinalis, patruum excepit bullis donatus prima Julii 1550, obiitque anno 1574. Vide quæ de eo diximus in archiepiscopis Remensibus tom. IX, col. 148.

XXXIV. Ludovicus *de Lorraine* cardinalis *de Guise*, archiepiscopus Remensis, adjutor patrui ab anno 1566, peremtus est Blesis anno 1588. Vide quæ de eo diximus ibid. col. 154.

¶ Extincto Ludovico, *Ludovicus* alter Lotharingus, abbatiam patrui impetravit literis pontificiis, sed Ademarus *de Chattes* Melitensis commendator, simulque Franciæ Prothalassiarchus, brevi regio munitus anno 1589, XII calendas Octobr. ac decretis, tam Parlamenti Cadomensis anno 1591, quam Majoris consilii anno 1594, in possessionem fructuum missus est III nonas Februarii anno 1595. Sed a fœderatis non minus quam a competitore inquietatus est, donec Lotharingus de medio excederet.

XXXV. Franciscus *de Joyeuse* cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, post obitum principis Lotharingi bullas obtinuit anno 1600, mense Maio, Ademarumque Prothalassiarchum procuratorem seu coactorem constituit IV cal. Februarii anno 1601, qui nomine suo reditus mensæ abbatialis colligeret. Obiit Ademarus anno 1603; cardinalis vero III nonas Augusti anno 1615 Avenione, sepultus Pontisaræ in ecclesia Patrum Societatis Jesu. De eo diximus sup. col. 103.

XXXVI. Henricus I *de Lorraine* trimulus abbatiam obtinuit idibus Augusti anno 1613 bullis pontificiis, & sub eo Patres Capucini anno 1621 apud Fiscannum collocati. Clericali ordini nuncium remisit an. 1641, dux Guisiæ deinceps appellatus. Vide quæ de eo diximus in archiepiscopis Remensibus tomo IX, col. 160.

XXXVII. Henricus II *de Bourbon*, dux Vernoliensis dictus, abbatiam Fiscannensem simul & episcopatum Metensem tenuit in commendam, abbatiam quidem bullis VIII cal. Aprilis anno 1642 impetratis. Excepit Fiscanni anno 1648 moniales Annunciatas; anno vero 1649, pridie calendas Januarii, in ipso monasterio Patres reformatos congregationis sancti Mauri. Abdicavit anno 1668, ducissam Solliacensem ducturus in uxorem.

XXXVIII. Johannes-Casimirus, abdicato Poloniæ regno secessit in Franciam, abbatiis quibusdam donatus a rege christianissimo. Fiscanni possessionem adeptus pridie idus Junii an. 1669, obiit XIX calendas Januarii anno 1672.

XXXIX. Ludovicus-Antonius *de Neubourg*, filius Philippi-Guillelmi electoris Palatini, nominatus brevi regio XIX cal. Februarii anno 1673, bullas obtinuit calend. Julii sequentis. Fuit etiam supremus ordinis Teutonici magister; & anno 1691 electus est coadjutor Moguntinensis. Sed anno 1694, cum episcopatum Leodiensem assequi non potuisset, obiit mœrore confectus IV nonas Maii ejusdem anni.

XL. Franciscus-Paulus *de Neuville de Villeroy*, nominatus a rege pridie nonas Aprilis, possessionem iniit 19 Octobris anno 1698. Moniales admisit anno 1721 in nosocomium Fiscannense, quæ biennio post regulæ sancti Benedicti nomen dedere. Obiit VIII idus Februarii anno 1731, archiepiscopus Lugdunensis. Vide quæ de eo diximus tomo IV, col. 197.

¶ Dehinc ad annum 1745 reditus mensæ abbatialis penes œconomum regium.

XLI. Claudius-Franciscus *de Montboissier de Canillac* Rotæ auditor, negotia regni Francici procurabat apud summum pontificem, quando ad abbatiam nominatus est brevi regio anno 1745, mense Aprili, & commendator ordinis sancti Spiritus 2 Februarii 1753.

LE BEC.

BECCUM.

MOnasterio Beccensi nullum undecimo seculo, quo fundatum est, saltem in Neustria, illustrius, cum ob religionem, tum ob cultum literarum. Huic originem dedit beatus Herluinus, nobilis Neustrasius; splendorem contulere duo ecclesiæ lumina SS. Lanfrancus & Anselmus, qui non minus sanctitate quam studiorum fama hunc locum illustrarunt. « Herluinus » (Mabillonium hic paucis immutatis transcribere » juvat Annal. Bened. tom. IV, pag. 390) primæ » inter Neustrasios nobilitatis, patre Ansgoto, qui » a Danis ortus erat, matre Heloide, Flandriæ » comitum consanguinea, natus est in pago Brio» nensi, unde in Gisleberti Brionensis comitis » domo educatus, & præ ceteris ei acceptus, potius » armis tractandis assuefactus est quam discendis » literis, quarum penitus usque ad conversionem » expers fuit. Hinc domi ac militiæ inter com» militones suos præstantissimus, non solum apud » Gislebertum comitem, sed etiam apud Robertum » ducem in pretio erat. Jam virilem ætatem atti» gerat, cum Deus paulatim ejus animo seculi » contemtum instillavit. Et primo quidem a » Gisleberto comite, cui antea acceptissimus erat, » injuriam passus, & sui obsequii stipendiis frau» datus, ab eo recessit; sed tamen cum eum in » procinctu conflictus cum potentissimis Neustrasiis » ineundi positum rescivisset, ut erat vir animi » & fidei singularis, ejus auxilio cum viginti » armatis accurrit: quæ res adeo comitem demulsit, » ut ei gratiam & ablatas facultates abunde resti» tuerit. Verum his retineri non potuit Herluini » animus, cui jam mundus fastidio esse cœperat. » Ab illo igitur tempore, cum annos ætatis triginta » septem excessisset, ab amore seculi ad divina » studia totum se convertit, in ecclesia frequentior, » in qua non raro pernoctabat, sæpe in totum » diem jejunus, in precibus magis assiduus, sæpe » in lacrymas effusus, denique ab omni re ludicra » abhorrens, hoc solo retentus in seculo, quod » prædiorum suorum disponendorum facultatem » a comite Brionensi obtinere volebat; interim » vili inter aulicos habitu indutus, barba & crine » intonsus, cum illis identidem residens. Tradit » Ordericus lib. III, pag. 460, Gislebertum co» mitem Brionniæ in pagum Vimmacensem cum » tribus armatorum millibus adversus Ingelrannum » (Mabillonius substituit Ingelvinum) Pontivi co» mitem expeditionem fecisse, commissoque prælio » victum ac fusum fuisse, multis ex suis cæsis aut » captis, ceteris fuga elapsis: quo in conflictu » Herluinum militem qui aderat, de sua salute » metuentem, voto se obstrinxisse, *quod si de* » *imminenti periculo sospes evaderet, nulli ulterius nisi* » *soli Deo militaret;* quod reipsa exsecutus est.

» Interea Gisleberto comiti visum est eum ad » Robertum ducem mittere ad procurandum quod» dam negotium, quod in conterranei sui per» niciem vergebat; legationem abnuit vir pacis » studiosus; qua re adeo efferatus comitis animus, » ut omnia ipsi suisque auferri jusserit. Ille vero

A non tam sui quam egenorum, quibus ea impen- « debat, damno permotus, comitem adit, &, « *Quæ mea sunt*, inquit, *universa distrahantur, dum* « *pauperibus, qui vestram nullo crimine meruerunt* « *offensam, sua restituantur.* Tactus tam molli & « humili sermone comes seorsim Herluinum per- « contatur ecquæ tantæ mutationis causa? cui ille « paucis, nec sine lacrymis: *Seculum*, infit, *amando*, « *& tibi obsequendo, iis quæ corporis sunt omnino* « *intentus, animæ curam penitus neglexi. Nunc vero*, « *si quid unquam de te bene merui, rogo ut quod* « *vitæ superest mihi transigere in monasterio liceat*, « *salvo amore tui, & dones mecum Deo quæ sunt* « B *mei juris.* Ad hæc lacrymas continere non potuit « comes, nec sustinere ulterius loquentem valens, « in conclave se abripuit. Tandem vero gratissimo « clienti expetitam concedit, tam sui quam suorum « omnium facultatem, eumque deinceps non ut « clientem, sed ut dominum colere cœpit. Non « confundendus hic Gislebertus, Brionensis comes, « cum altero Gisleberto, cognomine Crispino, « cujus posteri erga Becci monasterium optime « semper affecti sunt, & ex his non pauci ibidem « monasticæ vitæ nomen dederunt. «

Hac facultate accepta vir Dei ad exstruendam « confestim domum Dei se accingit. Huic erat « C prædium vocabulo Burnævilla, nunc Bonavilla, « in monte situm, duplici milliari a loco ubi « modo Beccense monasterium cernitur. Illic « prima novi asceterii fundamenta jacere consti- « tuit Herluinus. Mox admotæ manus operi, cui « ille præsidebat, ipse terram fodiens, lapides, « sabulum calcemque humeris comportans, ipsemet « componens parietes; quibus horis alii aberant, « ipse congerens quæ ad opus exigebantur, interim « contentus cibo parcissimo, neque admodum « exquisito, quem semel tantum in die, præter « Dominicos & Festos dies, expleto diei opere per- « cipiebat. His exercitiis occupatus, quia interdiu « D nequibat, ediscendo psalterio noctem pene totam « impendebat. Tum vero prima literarum ele- « menta addiscere cœpit, cum annorum esset pene « quadraginta, Deique opitulante gratia eo usque « processit, ut etiam ipsis literatis in exponendis & « intelligendis sacris scripturis admirationi esset. «

Promotis Burnævillæ ædificiis, proxima illi « cura fuit de religioso proposito ibidem insti- « tuendo. Itaque vicinorum monasteriorum mo- « ribus exploratis ad sua rediit, moxque paternas « domos in servorum Dei habitacula convertit. « Perfecta ecclesia dedicatur VIII calendas Aprilis, « in honorem S. Mariæ, ab Herberto Lexoviensi « E episcopo vice Rotomagensis archiepiscopi; ipse « vero resectis capillis, atque habitu seculari de- « posito, sacræ religionis habitu ab eodem præsule « induitur, eique duo ex suis ad portandum ejusdem « ordinis jugum adjuncti. Nec multo post ab eodem « Herberto sacerdos consecratus, pluribus illic jam « aggregatis abbas præficitur anno 1034, cum « per annos tres *improperium vitæ spiritualis* patien- « tissime tulisset. Incredibile est quanta fuerit abbatis « & monachorum illic sub eo degentium religio. « Sed & pii filii exemplum secuta pia ejus mater «

» Heloys, simili se inibi propter Deum servitio
» addixit, & collatis Deo prædiis suis nobilis ma-
» trona ancillæ fungebatur officio, monachorum
» pannis abluendis, & extremo cuivis operi man-
» cipata. Forte cum illa quadam die annonam ad
» opus servorum Dei torreret, subito igne domus
» undique correpta est. Mox quidam abbati festinus
» nunciavit domum combustam, matremque ejus
» eodem incendio involutam. At ille lacrymis
» perfusus, erectis ad cœlum manibus: *Gratias tibi,*
» *Deus,* inquit, *quod in ministerio servorum tuorum*
» *matrem meam ignis absumsit.* Hæc tamen ex illo
» incendio salva & incolumis evasit. Ejus obitus in
» Beccensi necrologio notatur VIII idus Augusti,
» Ansgoti vero ejus mariti XVI calendas Martii.

» Prima loci dotatio admodum exigua fuit, ex
» solo Herluini constans patrimonio, non admo-
» dum amplo, cui mater ejus & fratres, Odo &
» Rogerius, ex suo nonnihil addiderunt. Qualis
» vero fuerit hæc dotatio, ex ipsius Herluini literis
» patet, quæ sic habent: *Notum sit omnibus chri-*
» *stianæ religionis cultoribus, quod ego abbas Herluinus,*
» *filius Ansgoti, adstantibus & laudantibus fratribus*
» *meis Odone & Rogerio, jubente Gisleberto comite, &*
» *Alberto & Ranulfo, consentiente Roberto comite,*
» *& Roberto archiepiscopo, donavi S. Mariæ tertiam*
» *partem terræ de Burnevilla, & hoc quod pertinet*
» *ad illam; & Tavilleio & Surceio, & hoc quod*
» *pertinet ad eas; & terram de Sernaio, & hoc*
» *quod pertinet ad eam, quæ Ansgotus pater meus*
» *in vita sua habuit: dotem quoque matris meæ,*
» *jubente patre meo ex integro mihi datam coram*
» *testibus Fulberto sacerdote, Vitale, Rainaldo, &*
» *aliis multis.* Qui huic donationi consensisse di-
» cuntur Albertus & Ranulfus, superiores domini
» fuisse videntur Tavilleii & Surceii villarum, a
» quibus eas in feudum acceperit Herluinus, sicut
» Burnevillam & Sernaium a Gisleberto comite.
» Nullæ his literis apponuntur chronicæ notæ,
» uti nec in plerisque aliis illorum temporum in
» Normannia editis. Sed tamen datæ videntur anno
» 1034 Herluino jam abbate, certe ante annum
» 1035, quo ineunte Robertus comes, seu dux
» Normannorum, qui his consensisse dicitur, Je-
» rosolymitanum iter aggressus est, in quo decessit.
» Rogerius & Odo, Herluini fratres, hîc laudati,
» notantur in Beccensi necrologio, Rogerius qui-
» dem idibus Januarii, Odo vero XIV cal. Aprilis.
» Porro tam tenuis erat novi monasterii census,
» ut Herluinus illic ob id constitutus sit abbas,
» *quia propter paupertatem loci illius quivis alius*
» *regimen ipsum nolebat suscipere,* ut apud Beccensem
» chronographum legitur, in appendice ad opera
beati Lanfranci, pag. 1 ».

Non diu stetit in Burnevilla monachorum cœtus. Anno enim circiter 1039 cum Herluinus loci campestris & inaquosi incommoda sensisset, monasterium ad confluentem rivuli Becci & Riselæ transferre constituit. Erant ibi tria molendina, quorum duo partim ad se pertinebant; quibus pretio vel dono ex integro comparatis, illic ecclesiam exstruxit, quam consecrari curavit V cal. Martii anno 1041. Huic autem adjunctum

A erat claustrum, ligneis suffultum columnis, in quo ad morem patriæ fratres, inde nusquam progressuros, considere instituit. Non multo post, dum abbas orationi vacaret, concidit dormitorium claustro superpositum; quo casu dejectos fratrum animos relevavit piissimus pater, & claustrum ex lapide renovavit. Mox collata in novos colonos beneficia, in primis a Gisleberto comite, qui servitia & consueta onera, quæ Odo & Rogerius Herluini fratres pro alodiis suis præstare debebant, Beccensibus remisit; quod Willelmus Normannorum dux probavit ipso die dedicatæ ecclesiæ, & de suo beneficium auxit. Sed ea
B tamen apud illos erat adhuc penuria, ut oleum fovendæ die ac nocte in ecclesia lucernæ non suppeteret. At brevi crevit cum religione census, adeo ut Brionensem silvam omnem cum saltibus vacuis, assentiente Widone Brionensi comite, obtinuerint.

Plurimum contulit & ad loci celebritatem, & ad nascentes illas fratrum facultates amplificandas secessus beati Lanfranci apud ipsos. Ibi enim scholas aperuit an. 1046 clarissimus ille doctor, primusque, ut ait Ordericus Vitalis, pag. 519, Normannorum magister: *Nam antea,* inquit ille, *sub tempore sex ducum Neustriæ vix ullus Norman-*
C *norum liberalibus studiis adhæsit, nec doctor inveniebatur, donec provisor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancum appulit. Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa.* Mox autem ut scholas apud Beccum habuit, *ad magisterium ejus multi convenerunt de Francia, de Wasconia, de Britannia, necne Flandria.* Addit interpolator Willelmi Gemeticensis lib. VI, cap. 9: *Fama viri præclarissima Beccum & abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Accurrunt clerici, ducum filii, nominatissimi scholarum magistri, laïci potentes, alta nobilitate viri. Multi pro ipsius amore multas eidem ecclesiæ terras contulere. Ditatur ilico* Monast. Anglic. tom III, pag. 953 & 954.
D *Beccensis locus ornamentis, possessionibus, personis nobilibus & honestis. Interius religio atque eruditio multum accrescere, exterius rerum omnium necessariarum subministratio cœpit ad plenum abundare. Qui ergo in ipsius monasterii inchoatione domibus necessariis solum sufficiens non habuit, ejus paucos infra annos ad milliaria protenditur dominium.* Neque est quod in utroque scriptore immodicum quid reprehendas. Beccensi enim ex academia prodiere Alexander II summus pontifex, duoque ejus, sive ex fratre sive ex sorore nepotes; SS. Anselmus & Theobaldus archiepiscopi Cantuarienses; Guillelmus I archiepiscopus Rotomag.
E Guitmundus archiepiscopus Aversanus, quem Ordericus, pag. 526, & cardinalem & sapientiæ thesaurum fuisse affirmat; Arnostus, Gundulfus & Ernulfus episcopi Roffenses; Turoldus Bajocensis, Ivo Carnotensis, & Fulco Bellovacensis episcopi; Gilbertus Crispinus abbas Westmonasteriensis; Guillelmus abbas Cormeliensis, apprime eruditus; Henricus abbas sancti Martini de Bello in Anglia; laïci autem quamplurimi non vulgari doctrina præditi. Lanfrancus tamen invidiam quorumdam fratrum in se concitasse animadvertens,

fugam meditatus erat; sed Herluinus de tacito consilio cœlitus admonitus eum apud se retinuit; qua de re legendus Mabillonius sup. pag. 476.

Per hæc tempora *quidam nobilis vir, nomine Willelmus,* inquit chronographus pag. 2, *ibidem veniens ad monachatum* anno circiter 1048, *dedit eidem monasterio Beccensi prædium, ubi quondam fuerat monasterium sancti Ebrulfi apud Uticum; ad quem locum habitandum & procurandum venerabilis Herluinus misit prædictum Lanfrancum cum tribus monachis Beccensibus.* Sed *postea,* anno 1049 aut 1050, *idem Willelmus, & nepotes sui Robertus & Hugo de Grentimenti* (legendum *de Grentemenil,* seu Latine ut apud Ordericum, pag. 461, *de Grentemaisnilio*) *restauraverunt prædictum monasterium sancti Ebrulfi, & dederunt ecclesiæ Becci villam Rufferiæ pro commutatione prædicti loci S. Ebrulfi apud Uticum.* Rediit ergo ad Beccum suum Lanfrancus, futurus postmodo monasterii prior, & anno 1063 primus abbas sancti Stephani Cadomensis. Sed anno circiter 1058 persuaserat beato Herluino, ut monasterium, quod sæpe propter exundantes aquas pene mergebatur, paulo superius transferret. Tertium post annum absoluta est ædificiorum regularium structura, remanente veteri basilica, donec novi templi magnificum opus perficeretur; quod factum est tandem *anno 1073,* quo, *in vigilia festivitatis Omnium sanctorum,* inquit chronographus pag. 4, *monachi Beccenses exeuntes de prima veteri ecclesia, solenni processione & magnæ devotionis gaudio venerunt in novam ecclesiam, quam beatus Herluinus ejusdem loci gloriosus abbas, Lanfrancus & Anselmus viri magnæ auctoritatis ædificaverant.* Nova tamen basilica illa non est dedicata nisi x calend. Novembris anno 1077, ab ipso Lanfranco, tunc Cantuariensi archiepiscopo: *Huic autem dedicationi,* addit chronographus, *interfuerunt episcopi Odo Bajocensis, Guilbertus Lexoviensis, Gilbertus Ebroicensis, Robertus Sagiensis, Ernaldus Cynomanensis. De lætitia illius diei & gaudio multiplici superfluum videtur proloqui, cum de adventu personarum virorum illustrium & mulierum nobilium, non sine magna largitione donorum, Franciæ, Normanniæ, Angliæ, & de superabundanti omnibus præparata procuratione nemo sufficienter vix posset differere.*

Diu non stetit tertia illa basilica, quam minus centum annis corruisse necesse est, cum alia reparatæ ecclesiæ facta sit dedicatio XIV calend. Aprilis anno 1178, a Rotrodo Rotomagensi archiepiscopo, præsentibus Henrico Bajocensi, Richardo Abrincensi, Ægidio Ebroicensi episcopis; Henrico II Anglorum rege, & ejus filio, qui *per oblationem annuli sui* donum centum librarum annui reditus confirmavit, quod pater suus ad dedicationem majoris altaris *per capellum suum* obtulerat. Quarta basilica magnam partem collapsa anno circiter 1196, fundamenta quintæ jacta *prima die lunæ Quadragesimæ anno 1214,* id est 1215, quæ quo tempore dedicata sit non produnt monumenta; produnt nihilominus igne consumtam fuisse cum villa & monasterio idibus Maii anno 1264. Ad cujus reædificationem

A addit chronographus pag. 12: *Quod summi pontifices, maxime Urbanus & Clemens, ordinaverunt ut reditus & proventus unius anni ecclesiarum & beneficiorum omnium, in quibus* monachi Beccenses, *vel priores prioratuum* a monasterio suo pendentium, *jus patronatus habebant, existentium in Francia & Angliæ regnis, & usque ad decem annos vacare contigissent, primo anno postquam vacare contingerent & vacarent, in illis videlicet diœcesibus in quibus illo anno diœcesanis episcopis reditus & proventus hujusmodi ex consuetudine non debetur; in illis autem in quibus illo anno, qui deportationis vulgariter dicitur, debentur episcopis, hujusmodi deportationis*
B *anno immediate sequenti possent percipere, in reparationem dicti monasterii convertendos.* Sextum ergo cœpit basilica resurgere; sed dum admovetur manus operi, *accidit tale infortunium, quod XV calend. Martii anno 1273,* id est 1274, *turris maxima corruit, & ecclesiam fere consumsit & conquassavit; & plus ponderatum fuit damnum hujus consumtionis, quam damnum combustionis; quia totum presbyterium in circuitu oportuit radicitus evellere usque ad fundamenta.* Relevata est tamen post immensos sumtus sexta hæc basilica, & eo operis cultu atque elegantia qua nunc cernitur ad culmen usque perducta anno circiter 1325,
C dedicata denique, quemadmodum quinque priores, sub patrocinio beatæ virginis Mariæ, XVII calend. Octobris anno 1342, a Johanne Abrincensi episcopo, præsentibus Lexoviensi & Papiensi episcopis, abbatibusque & optimatibus quamplurimis. At anno 1591 superbi illius ædificii ob neglectas refectiones navis pene universa collapsa est, neque adhuc renovari potuit.

Ruinis tot ac reparationibus, quæ tanto constare debuere, accessere clades aliæ damnaque propemodum innumera, quæ bellicos præsertim inter tumultus summum exitium Beccensibus non semel intentavere. Ingruente anno 1356
D belli Anglicani calamitate, præfecto Normanniæ Ludovico Harcurio, speciosam templi fabricam jussi fuerant illi evertere, ne hostibus fieret armorum præsidium; prævalente tamen virorum nobilium consilio, vallo ac muro circumducto obstructa est basilica, & contra Anglorum impetus munita: pars nihilominus illius quæ capitulo adhærebat, & tria claustri latera solo æquata sunt; militumque stipendiis cœnobii reditus adscripti. Paucis deinde post annis, Estoldus abbas per vim intrusus, cum facultates monasterii bellorum procellis jam attriti dilapidasset, vocatus postea ad regimen ecclesiæ Fiscannensis, sacræ
E supellectilis, librorum, vasorum auro argentoque cælatorum, reliquarum denique rerum mobilium ingentem copiam secum abstulit. Anno 1418 multo majoribus damnis affectum est cœnobium. Angli enim mensem integrum in obsidione Becci agentes, oppidum pene totum comburunt; arcem munitissimam oppugnant; officinis & ædificiis extra regulare septum una cum sacello beati Herluini eversis; familiarem substantiam multitudinis, quæ illuc ad perfugium confluxerat, deprædantur; statarios milites centum quadraginta monachorum

monachorum sumtibus in arce collocant, clausis interim regia manu proventibus. Multa rei familiaris ac victus necessitate deficientes monachi, fugati plerique ac dispersi, ad prioratus Becco subjectos confugiunt. Interea repentinum Francorum adventum Angli cognoscentes, in validiorem arcis turrim recipiunt sese; Francos multa cæde profligant; atque in monachos qui supererant culpam retorquentes, pluribus passim vulneratis, duos violento gladio ad aram majorem transverberant; officinis deinde perlustratis, thesauri sacram supellectilem & templi ornamenta diripiunt, ne indulgentes quidem Mathildis imperatricis mausoleo argenteis laminis exornato, quæ ibidem ante majus altare tumulata fuerat anno 1167. Ad ultimum, anno 1420, arx monasterii, jubente Anglorum rege, evertitur.

Gravibus exteri illius belli incommodis longe graviora ab intestino Calvinistarum furore per Normanniam grassantium succedunt. Nam inter violentas monasteriorum deprædationes vix credibile est quantam passa sit anno circiter 1563 ecclesia Beccensis sacrarum vestium, vasorum, lipsanothecarum, reliquiarum rerumque omnis generis jacturam. Nonnulli etiam ex commendatariis quasi in urbem vi captam hostiliter irruperunt; quos inter Annibaldus non solum excisam a se adjacentis silvæ maximam partem subjecit hastæ, sed & majores majoris turris campanas frustatim concisas publice divendidit. Has inter grassaturas non potuit disciplina regularis quin miserabilem in modum labefactaretur. Subvenit feliciter anno 1626 congregatio sancti Mauri, quæ non solum veteris basilicæ quod supererat elegantissime decoravit, ceteraque regularia ædificia prout opus erat vel sarcivit, vel instauravit, sed & pristinam sanctæ regulæ observationem in integrum restituit.

His in universum præmissis, restat nunc ut de singulis abbatibus dicamus.

Syllabus Abbatum.

I. Beatus Herluinus, de quo fusius in prologo, expletis laudabiliter in pastorali munere quadraginta quatuor annis, cum monachos ex veterrima nomenclatura centum ac triginta sex admisisset, sancto fine quievit VII cal. Septembris anno 1078, ætatis suæ octogesimo quarto; sepultusque est, funus procurante Gisleberto Ebroicensi episcopo, in media capituli area, quod ipse recens exstruxerat, tectus nigro lapide, impolitis figuris cælato, sine ulla inscriptione. Nil dubitant plurimi quin felix illa anima ex hujus seculi tenebris migraverit ad perpetuam lucem. *Beatus Herluinus,* ait chronographus p. 4, *miles Christi gloriosus, inter choros justorum ab angelis susceptus est, pretiosum corpus terræ relinquens, animam cœlis inferens.* Erat sane antiquitus non longe a monasterio sacellum *beati Herluini* dictum, ex chronographo ibid. quod anno 1418 eversum esse ab Anglis superius diximus; sed illud forte id nominis sumserat, quod ibi religiosus abbas frequentius orationi insisteret, rerumque A cœlestium contemplationi. Ut ut est, anno adhuc 1663, nedum publico cultu honoraretur, missam de defunctis in ejus anniversario celebrabant monachi Beccenses, quando ipsorum visitator statuit ut in posterum missæ hujusmodi substitueretur missa de SS. Trinitate. Quæ tamen constitutio locum non habuit nisi ab anno duntaxat 1706, quo ab archiepiscopo Rotomagensi comprobata est, & suo calculo firmata. Vitam beati Herluini a Gisleberto Crispino ejus discipulo & abbate Westmonasteriensi scriptam vulgavit Mabillonius, cum altera ejusdem fere ætatis, in Actis SS. Bened. sec. VI, part. 2, pag. 340 B & seqq.

II. Sanctus Anselmus natus est Augustæ-prætoriæ in Gallia Cisalpina, ad Alpium radices, Gundulfo & Ermemburga parentibus, nobilitate claris, eo tempore quo beatus Herluinus de condendo in Normannia monasterio cogitabat. « Gundulfus (Mabillonium pene transcribimus, Annal. Bened. tom. IV, pag. 399 & 595) seculari vitæ deditus erat, ac rerum suarum prodigus. Ermemburga melioribus dedita studiis, bonæ matrisfamilias officio fungebatur, sicque in christianæ pietatis officiis decessit: Gundulfus vero sub finem vitæ monachus factus, paulo C post defunctus est. Anselmus, bonæ indolis puer, maternis monitis libenter animum intendebat; quibus factum est ut post delibatas literas, in quibus multum profecerat, de monastica vita, cum necdum ætatis annum decimum quintum attigisset, cogitare cœperit. Eo animo, proximi monasterii, forte Fructuariensis, adiit abbatem, qui eum ob patris metum admittere noluit. At ille in suo proposito constans Deum precatus est ut in morbum incideret, quo vel sic in monasterio susciperetur. Mox pro voto graviter ægrotavit; tumque misit ad abbatem, ut saltem infirmus monastico habitu indueretur. Negavit ob D eamdem causam abbas quod ille petebat, ad alium locum divinitus reservatus. Interim ubi convaluit adolescens, cum juvenilis ætas & seculi prosperitas ei arriderent, tepescente proposito, seculi vias ingredi cœpit, & postpositis literarum studiis, juvenilibus ludis operam dare, superstite pia ejus matre, quæ eum tantisper ab his nugis revocabat. Sed, ea mortua, gliscenti ætati habenas omnino laxavit; Deus vero, qui eum ad magna disponebat, intestinum ei bellum indixit, patris animo in eum inflammato: quem cum mitigare nullo modo posset, e patria discedere constituit, tribusque annis partim in Burgundia, partim in E Francia exactis, in urbem Normanniæ Abrincas venit, ubi cum aliquandiu demoratus esset, ad Beccense monasterium se recepit, adductus fama & eruditione Lanfranci magistri, qui illic frequentes discipulos habebat ». Incertus diu monachusne, an eremi cultor, an secularis vitæ sectator fieret, persuasus tandem ab ipso Lanfranco & a beato Maurilio Rotomagensi archiepiscopo, monasticam vitam amplexus est anno, ut videtur, 1059, apud Beccum, annos natus viginti septem, ita factus brevi tempore aliorum speculum &

exemplar, ut anno 1063 factus sit loci prior, cum Lanfrancus Cadomensis abbatiæ regimen suscepit. Paulo post cum de abdicando munere cogitaret, Maurilius archiepiscopus, quem hac de re consuluerat, non solum vetuit ne quid simile attentaret, nisi jubente abbate, verum etiamsi ad majora vocatus esset, ne repugnaret. Prævidebat vir Dei eum brevi ad majorem prælationem provehendum.

Et quidem anno 1078 Herluino abbati ad meliorem vitam evolanti suffectus est fratrum omnium calculis, probantibus etiam & præcipientibus, tam B. Maurilio archiepiscopo, quam Guillelmo Anglorum rege. Benedictus anno sequenti VIII calendas Martii, sede archiepiscopali vacante, *absque ulla mentione professionis*, a Gilleberto Ebroicensi episcopo, adeo nihil de pristina conversatione remisit, ut contra de quotidiano profectu longe magis sollicitum se exhiberet. Virtutes ejus plenius tractare longum esset. Caritatem ejus in hospites dum prædicat Ordericus lib. IV, pag. 530, confitetur eam verbis a se explicari non posse; interrogandos potius hac de re Burgundiones, Hispanos, & quosvis alios e longinquo sive e proximo adventantes ad eum & ad Beccenses suos: *Janua Beccensium*, subdit ille, *patet omni viatori, eorumque panis nulli denegatur caritative petenti.* Anselmus ipso suæ ordinationis anno in Angliam trajecit, tam ut quasdam monasterii sui possessiones lustraret, quam ut Lanfrancum jam ab anno 1070 Cantuariensem archiepiscopum factum viseret; nullus autem in ea insula fuit, qui ejus monitis instrui non cuperet, nullus qui non melior ab eo recederet: plurimi Beccensium colonias in Anglia constituendas ab eo expetiere, quod ille reversus inde libenter concessit. Misit & nonnullos e gremio suo monachos ad Confluentium oppidum diœcesis Parisiensis, cujus ecclesiam dono acceperat anno circiter 1081, ab Ivone domino Belli-montis ad Isaram, & ab Adelide ejus uxore; deinde anno circiter 1082 ad sanctum Petrum Pontisarensem; tum anno 1092 ad ecclesiam beatæ Mariæ de Prato seu de Bono-nuncio, in suburbio Rotomagensi, de qua nos ad calcem hujus abbatiæ paulo fusius differemus. Privilegium insigne obtinuit a Guillelmo I archiepiscopo, quod legesis in appendice inter instrumenta ecclesiæ Rotomagensis. Adfuit anno 1087 morienti Willelmo notho, qui eum morbo decumbens quem magnopere venerabatur ad se accersierat. Anno 1092 Hugo Cestrensis comes, in quadam ecclesia sua monachos instituere cupiens, eum missis nunciis rogavit ut in Angliam rediret, locum monasterio destinatum inspecturus, eumque per suos monachos (centum ille & octoginta ad professionem admisit) regulari disciplina informaturus. Quartus tum vertebatur annus ex quo Cantuariensis ecclesia, a morte scilicet Lanfranci archiepiscopi, pastore orbata remanebat, multæque aliæ Anglicanæ ecclesiæ, quibus Willelmus junior pastores sufficere supersedebat, specie, quasi idoneos ad id muneris viros non inveniret; re, ut vacantium ecclesiarum reditus in suos usus profligaret. Quod igitur postulabat comes denegavit Anselmus, ne ambitu archiepiscopatus, ad quem quodam veluti præsagio nonnulli eum, si in Angliam pergeret, promovendum ominabantur, eo profectus videretur. Interim comes acri languore pulsatur, quod Anselmo significare non differt, magnopere flagitans, ut pro antiqua necessitudine se quantocius visitet, animæ suæ saluti consulturus: quod si archiepiscopatus timor eum retinet quominus ad se veniat, in sua fide certus sit vanum esse hunc timorem. Verum cum nec sic assentiret Anselmus, urget comes usque tertium, animæ suæ periculum, ni veniat, ingerit, ejus rationem ab ipso Anselmo exigendam. Ad hæc anxius hærens vir Dei, malignam de se hominum ex una parte affectatæ dignitatis suspicionem, ex alia caritatis debitum ac leges perpendens, cedendum tandem caritati judicavit, & hominum de se opinionem Deo committendam. Ivit itaque quo vocabatur, & concito gressu ad comitem pervenit, quem ab infirmitate jam convaluisse invenit. In Anglia tamen, antequam de substituendo archiepiscopo ageretur, detentus est mensibus quinque, tam pro constituendo monasterio quod comes fundaverat, quam pro cœnobii sui Beccensis negotiis, quæ erat itineris sui alia causa. Quibus elapsis, cum reditum ad suos pararet, ei facultas regrediendi a rege negata est; & anno demum sequenti, pridie nonas Martii, factus est Cantuariensis archiepiscopus eo sane mirabili modo, qui fusius narratur in Annalibus Bened. tom. V, pag. 305 & seqq. Multa ille passus in administratione hujus ecclesiæ, quæ non sunt nostri hujus instituti, ad cœlestem tandem patriam migravit IX calendas Maii anno 1109, multis deinde clarus miraculis. Pauca hæc de vita sancti præsulis, quæ ad justum volumen accedere posset, sufficere visa sunt. Res ab eo gestas fuse prosecutus est Willelmus Malmesburiensis, accurate etiam scripsit ejus familiaris Eadmerus monachus, quem lege apud Bollandistas April. tom. II, pag. 865 & seqq. Epistolas vero, aliaque opera, simul cum Eadmero, typis mandavit noster Gabriel *Gerberon*, additis tam annotationibus quam castigationibus bene multis. Aliquot etiam epistolas vulgavit Martenius noster Anecdot. tom. I, col. 273 & seqq.

Ch. XIII. col. 17.

5 Beccenses sub Anselmo nigrum habitum commutasse in album crediderunt plurimi; qua de re ita disserit Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 327. « Principio, inquit, eos nigro usos fuisse, nec vivente Herluino hanc mutationem factam esse ex eo intelligitur, quod Cadomenses sancti Stephani monachi, quorum primi institutores exstitere Lanfrancus aliique monachi ex Becco assumti tempore venerabilis Herluini, nunquam alium quam atri coloris habitum gestaverint. Qui hanc mutationem sancto Anselmo, dum Becci abbas esset, tribuunt, id ab eo factum esse aiunt ob eximiam ejus pietatem in beatissimam Virginem, cujus singularem

» integritatem albi coloris veste honorare voluerit. Ejus rei argumentum est, quod in monasterium sancti Neoti in Anglia, ubi primitus monachi nigri fuerant, Anselmus archiepiscopus introduxit ex Beccensi cœnobio *monachos albos*, ut legitur in Monast. Anglicano tom. I, pag. 368. Addunt Radulfum Beccensem monachum in Lirense monasterium circiter annum 1130 intulisse candidam vestem, cum ad illius cœnobii præfecturam assumtus est; neque id absque fundamento dicitur. Nam Astorgius Lirensis abbas, obtinuit anno 1393 a Clemente VII papa Avenionensi, ut sibi liceret nigrum habitum resumere, & abjicere album, quem Radulfus abbas ex Becco assumtus in Lirense monasterium induxerat. Verum, subdit Mabillonius, vix mihi persuadeam hanc mutationem sive auctore Anselmo, sive ejus tempore Becci factam fuisse. Illud in primis me movet, quod Ordericus Vitalis agens de novis Cistercensium institutis, qui decennio ante Anselmi obitum exorti sunt, eos maxime suggillat, quod nigro vestium colori, quem ad id tempus Benedictinæ regulæ sectatores gestaverant, album novo exemplo prætulissent; quod eis etiam Cluniacenses exprobrabant, teste Petro Venerabili lib. IV, epist. 837. Orderici verba refero lib. VIII, pag. 711: *Albedine in habitu suo*, inquit, *præcipue utuntur Cistercienses, qua singulares ab aliis notabilesque videantur. Nigredo in plerisque locis sacræ scripturæ humilitatem designat, quam idcirco colorem religiosorum fervor hactenus gratanter gestat. Nunc autem nigredinem qua prisci patres, tam regulares clerici in cappis, quam monachi in cucullis, ob humilitatis specimen usi sunt, moderni tanquam ob majoris justitiæ ostentationem abjiciunt; inusitata quoque pannorum sectione suorum ab aliis discrepare appetunt.* Quæ verba sane in Cistercienses nequaquam prolaturus fuisse videtur Ordericus, si hunc colorem jam tum admisissent Beccenses, qui ei omnino vicini erant (nam Uticensis monachus erat) adeoque sibi notissimi. Si conjecturis in re obscura uti licet, pergit ille, crediderim hanc mutationem a Beccensibus factam post natam controversiam de festo Conceptionis beatissimæ Virginis, id est post medium seculum duodecimum, cum scilicet sancto Anselmo, ex supposititio libro de Conceptione B. Virginis, tributa est illius festi institutio; in cujus rei monumentum atro colori album prætulerint ».

III. Willelmus I *de Montfort* ex nobili Normannorum prosapia originem ducebat, in castro Montis-fortis ad Riselam natus clarissimis parentibus Turstino & Albereta, quæ Rogerii de Bello-monte, patris Roberti comitis ex uxore neptis erat. Post literarum studia in Beccense monasterium anno ætatis vicesimo quinto admissus est ab Anselmo abbate, quo magistro insignem in virtutibus progressum fecit, ab eodem institutus prior apud Pexeium, seu Pisciacum aut Pinciacum, in diœcesi Carnotensi. Anselmi literis Beccum allatis, quibus illum sui successorem in abbatiali dignitate designabat, electus est

A mense Octobri anno 1093, & probata a Roberto duce electio; sed ejus benedictio dilata est in diem IV nonas Augusti sequentis, peractaque ab archiepiscopo Rotomagensi, cui dux prohibuit ne ab eo professionem exigeret; quemadmodum legere est apud Mabillonium, Annal. Bened. tom. V, pagg. 325 & 326. Willelmus adfuit idibus Novembris anno 1099, dedicationi basilicæ Uticensis, & anno 1118 concilio Rotomagensi; ejusque gratia Robertus de Bello-monte comes Mellentinus, monachos Beccenses in Mellentensem ecclesiam induxit anno 1101; non paucis subsidiis ad ecclesiæ & monasterii fabricam B collatis. De prioratu illo diximus tomo VIII, col. 1285 & seqq. Exstant ad Willelmum sancti Anselmi epistolæ lectu dignæ, lib. III, epist. 16 & 154; atque inter eas lib. II, epist. 41, alia Guillelmi Cormeliensis abbatis epistola. Hujus, ut videtur, tempore, Guillelmus I archiepiscopus Rotomagensis eam exemtionem ecclesiæ Beccensi concessit, ut illa cum ejusdem loci parochia & parochianis libera esset ab omni episcopali exactione, præter ea quæ ad episcopalia munia speciatim pertinent, id est monachorum & clericorum ordinationes, ecclesiarum consecrationem, pœnitentium reconciliationem, &c. ut videre est in C Annalib. Bened. sup. pag. 187. Transegit anno 1110 cum Stephano decano S. Genovefæ Paris. juxta literas quas legesis tom. VII, col. 707. Bullas obtinuit a Paschali II anno 1104, & a Calixto II anno 1123. Obiit piæ memoriæ abbas XVI cal. Maii anno 1124, sepultusque est in capitulo ad dextram B. Herluini. Morienti adfuerat Henricus I rex Anglorum, rogans ut sibi successorem designaret, quod ille noluit; tum acceptam ejus manum dexteram osculatus, testatusque monachis loci grave damnum ipsis ex abbatis morte instare, addita insuper hac voce: *Utinam anima mea esset, ubi anima ejus est!* Monachos ter centum ac D sexaginta novem ad professionem admiserat, ex quibus complures episcopi & abbates ad aliarum ecclesiarum regimen assumti sunt: in his Turoldus episcopus Bajocensis; Radulfus abbas S. Augustini Cantuariensis; Theobaldus Becci abbas quintus, postea archiepiscopus Cantuariensis; Letardus ejusdem loci abbas sextus; Alboldus abbas sancti Eadmundi; Radulfus & Normannus abbates B. Mariæ de Ibreio; Gilbertus abbas Conchensis; Michaël Pratellensis; aliique, quibus annumerandus Milo Crispinus cantor Becci, pietate & doctrina insignis, qui vitas beati Lanfranci, ipsius Willelmi, triumque subsequentium abbatum pie E & erudite composuit, editas ab Acherio nostro in appendice ad Lanfrancum.

IV. Boso, ex priore loci factus abbas anno 1124, nunquam adduci potuit ut Henrico regi fidem clientelarem obligaret. Hac occasione usi duo monachi ejus electioni adversantes, regi suggesserunt ut ne illius electionem probaret. Verum fratrum constantia, necnon Gaufridi Rotomagensis & Johannis Lexoviensis pontificum adhortamentis victus Henricus, electioni eo pacto assensit, ut archiepiscopo professionem

in ipsius ordinatione non faceret. Hæc pluribus Milo Crispinus in ejus vita, quam compendio retulit Mabillonius Annal. Bened. tom. VI, pag. 112, in hunc modum: « Willelmi conquæ» storis tempore, in pago Rotomagensi, & quidem » in fundo Monasterii-villaris, honestis progenito» ribus, Haimerico & Lezelina, orti sunt tres viri, » Gislebertus, Boso & Rainaldus, qui omnes sub » Anselmo abbate Becci monachi facti sunt, & » pie vitam traduxerunt. Cum vero Anselmus ad » Cantuariensem pontificatum assumtus esset, Bo» sonem secum in Angliam duxit, eumdemque » sui vice ad concilium Claromontanum misit, » quo ex itinere valde infirmatus, Beccum ægre » tandem reversus est. Eumdem nihilominus An» selmus post secundum suum exilium in Angliam » reduxit, testatus se malle cum eo inops in soli» tudine vivere, quam sine eo in magnis divitiis » & dignitatibus versari. Hic est ille Boso, quem » sanctus doctor in libro *Cur Deus homo*, interlo» cutorem adhibuit. Mortuo Anselmo, ille Beccum » rediit, ibidemque prior a Willelmo abbate con» stitutus, non solum domesticis sed etiam exteris » consilio & ope multum profuit. Electus demum » abbas, ordinatus est a Gaufrido archiepiscopo ipso die Pentecostes», (imo *in octavis Pentecostes*, non solum ex ejus vita superius laudata, pag. 49, sed etiam ex libello de Libertate Becci apud Mabillonium ipsum, Annal. Bened. tom. V, pag. 639, quo quidem in libello fuse etiam narratur Bosonis & electio, & *sine professione* benedictio). « Cui benedictioni adfuit cum multis » aliis illustribus viris Johannes sanctæ Romanæ » ecclesiæ legatus. Jam vero in abbatiali dignitate » ita se gessit, ut ejus procuratio rectoribus exemplo » esse possit. Nullum in eo locum superbia & » arrogantia habuit. Invictæ erat constantiæ & » patientiæ, ita ut nulla unquam, vel prosperitas » vel adversitas ejus animum aut emollire aut » frangere potuerit. Si quando ejus jussa non im» pleri nunciabatur, aiebat: *Sæpe mandata Dei » præterimus & sustinet; quanto magis nos pati debe» mus, si nostra contemnantur!* » Pergit Annalista his verbis, pag. 279. « Boso duobus ante obi» tum annis oculorum lumine orbatus est; sed » tamen adhibito remedio visum recepit. Dein » paralysi ex parte percussus, in pede nihilominus » intolerabili cruciabatur dolore, qui per totum » corpus diffundebatur. Hunc sic ægrotantem fre» quens invisit Anglorum rex Henricus, qui eum » in primis venerabatur, & rigidis statutis accola» rum in Beccenses *inveteratam insolentiam* coercuit. » Tandem acutissimis diuturni morbi doloribus » confectus abbas piissimus, ecclesiasticis munitus » sacramentis, cum a fratribus si quid in eos » deliquisset veniam petiisset, ad sempiternum » refrigerium migravit nocte nativitatis sancti » Johannis-Baptistæ, id est VIII calend. Julii anno » 1136, anno ætatis septuagesimo primo; sepultusque est in capitulo ad dextram» (nonne forte ad sinistram)? « beati Herluini, funus curante » Richardo II Pratellensi abbate. Monachos centum octoginta duos» (Nos legimus in veteri nomenclatura centum nonaginta quatuor) « ad professionem admiserat; ex quibus nonnulli ad alias » abbatias assumti sunt ».

V. Theobaldus loci prior, Bosoni totius congregationis assensu suffectus est anno 1136, vir non minus genere quam moribus clarus. Ejus tamen electionem pene absuit quin cassam irritamque faceret Hugo Rotomagensis archiepisc. quod ipso inconsulto facta fuisset; sed tandem interveniente Audoëno Ebroicensi episcopo, a cœptis destitit. Verumtamen ejus benedictionem ad quatuordecim menses distulit ob professionem, quam Theobaldus ei facere nolebat, utpote ab antecessoribus suis nunquam factam. Rogante demum & suadente Petro Venerabili abbate Cluniacensi, qui tunc in Normanniam venerat, archiepiscopus solo verbo, absque scripto, admisit professionem, & anno 1137 abbatem benedixit, quem deinceps plurimum dilexit. Non diu Beccensem abbatiam rexit Theobaldus, factus anno sequenti, Dominica tertia Adventus, in concilio Londoniensi, archiepiscopus Cantuariensis, post admissos ad professionem monachos 48.

VI. Letaldus, *seu* Letardus, natus in ipso Becci oppidulo, olim apud sanctum Petrum Pontisarensem, tunc beatæ Mariæ de Prato apud Rotomagum prior, Theobaldo subrogatus est anno duntaxat 1139, postquam ille consecratus esset archiepiscopus. In bonorum monasterii confirmationem ab Hugone archiepiscopo literas obtinuit anno 1141. Galerannus comes Bellimontis anno sequenti canonicis quos apud Bellum-montem instituerat an. 1131 Rogerius, monachos substituit Beccenses. Hugo archiepisc. Letardo abbati & monachis eamdem indulsit libertatem de navibus suis in portu de Wesilone anno 1144, qua potiebantur ecclesiæ Fontanellensis, Fiscannensis, Gemeticensis & sancti Audoëni. Ab Eugenio papa III, pro confirmatione bonorum, privilegium accepit anno 1147 Letaldus, simili privilegio a Lucio II an. 1143 jam fuerat donatus. Non multo post electionem lumine oculorum orbatus, ob id tamen neutiquam tristis exstitit, neque a fratrum consortio in choro, capitulo & refectorio abstinuit usque ad mortem quæ contigit VI nonas Julii anno 1149, ætatis 65. Legimus in Annalibus Benedictinis, tom. VI, pag. 317, « anno primo Letardi abbatis inchoatam fuisse Beccensis capituli » fabricam, quæ post annos septem absoluta est, » suppetias conferente Roberto de Novo-burgo, » totius Normanniæ vicecomite, qui Beccenses, » in primis Letardum abbatem impense colebat ». Ita tamen chronographus Becci pag. 7: *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo inceptum est capitulum Becci, tam consilio quam adjutorio Roberti de Novo-burgo; & anno sequenti data est ecclesia de Bello-monte ecclesiæ Beccensi.* Et paulo post: *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto inceptum est capitulum monasterii Beccensis ecclesiæ, pridie kalend. Augusti, præsente piæ memoriæ domino Letardo ipsius loci abbate.* Quæ certe invicem pugnant; nisi forte legendum

sit in primo contextu : *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo primo* (id est *primum*) *inceptum est capitulum*, &c. & in altero : *Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto absolutum est capitulum*, &c. Dicitur in veteri nomenclatura Letardus ad professionem admisisse quatuordecim supra centum monachos. Ejus etiam tempore videntur fundati fuisse prioratus sancti Laurentii de Evremodio, ab Hugone germano Turoldi episcopi Bajocensis, deinde monachi Beccensis; & prioratus sancti Ymerii, cujus ecclesiam anno 1147 Arnulfus Lexoviensis episcopus dederat Letardo. Tumulatus est ille ad pedes beati Herluini.

VII. Rogerius I *de Bailleul*, unde ortus, sacris & secularibus literis apprime instructus, ab universo conventu electus pridie nonas Julii anno 1149. & benedictus ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo, VIII calendas Augusti sequentis, apud Fontanellam, super gregem sibi commissum strenue invigilasse perhibetur. Eo sedente, anno scilicet 1159, cum Beccenses monachi privatum oratorium construxissent apud Mellentum in insula sancti Cosmæ, quæ tota est monachorum Columbensium, rem ad summum pontificem Adrianum detulerunt Columbenses, qui causam Carnotensi episcopo Roberto commisit. At Rogerius placide diem præveniens, Columbensem abbatem Rogerium adiit, a quo, data cautione, oratorii construendi licentiam obtinuit, quam probavit episcopus, modo in parochiam oratorium non converteretur, nec tintinnabulum poneretur, nec ostium exterius fieret. Duobus post annis cum Guillelmo abbate Alneti transegit. Anno circiter 1174 in archiepiscopum Cantuariensem electus, hanc dignitatem recusavit; *id quod ambitiosi homines*, ait Polydorus Virgilius, *ejus socordiæ potius, quam sapientiæ assignarunt. Adeo difficile est*, pergit ille, *placere vulgo, qui omnia honesta tantum utilitate metitur.* Ecclesiam fere totam construxit, & dedicari fategit anno 1178, Dominica quarta Quadragesimæ, ab archiepiscopo Rotomagensi Rotrodo, & quibusdam aliis Normanniæ præsulibus, præsente Anglorum rege Henrico, qui eodem die monasterio Beccensi centum libras annui reditus assignavit in molendinis *de Robec* apud Rotomagum. Eodem anno Rogerius ab Alexandro III literis est donatus. Ad utilitatem monasterii longe præclara fecit; ædes infirmorum & hospitum ædificavit, dormitorium reparavit; aquæ ductum perfici curavit, qui per officinas monasterii aquas divideret. Mercatum instituit apud Beccum. Obiit exeunte anno 1179, conditus ad pedes beati Herluini.

VIII. Osbernus, *vir summæ prudentiæ, religiosæ & honestæ vitæ*, ait chronographus pag. 10, ac *prior de Bello-monte Rogerii, rexit monasterium annis septem, mensibus undecim, una die minus; & sepultus fuit in* capitulo *circa pedes tumuli Herluini*, extinctus anno 1187. Bullam impetraverat a Lucio III anno 1182; eodemque a Rotrodo archiepiscopo literis donatus.

IX. Rogerius II, ex priore loci factus abbas anno 1187, obiit anno 1194, postquam ecclesiam Beccensem strenue rexisset, ex chronographo ibid. *annis septem, mensibus duobus, diebus quatuor; sepultus in capitulo ejusdem loci, circa pedes sepulturæ domini Herluini abbatis.*

X. Walterius bullam obtinuit a Cœlestino III anno 1195. Abbatiam dimisit anno 1197, notatus in necrologio XI calendas Februarii.

XI. Hugo *de Cauquinvillers*, antea prior de Prato, seu beatæ Mariæ de Bono-nuncio, rexit ex chronographo ibid. anno *uno & dimidio, cum tribus mensibus & tribus hebdomadis; & migravit a seculo apud Pratum, XVII kalend. Junii anno 1198; sepultusque est in capitulo Becci juxta pedes tumuli domini Herluini.* Subscripserat eodem anno fundationi abbatiæ Bellosannæ, cujus chartam quam male legerant, præcipue in abbatis hujus cognomine, tam Pommerayus Concil. Rotomag. pag. 192, quam Annalista Præmonstratensis, tom. I, instrum. pag. 230, & Herovallius in Spicileg. tom. XIII, pag. 329, nos accuratius recudi curavimus ex authentico ad calcem hujus voluminis; quemadmodum & aliam chartam ad idem Bellosannæ monasterium spectantem, quam idem Pommerayus ibid. pag. 194, datam esse scripsit anno 1198, quamvis authenticum præferat annum 1199.

Ch. XXVII. col. 29. Ch. XXX. col. 31.

XII. Guillelmus II confirmavit anno 1203 canonicis regularibus Belli-loci, vineas quas apud Mellentum emerant in feodo ad Beccenses monachos spectante. Prioratum constituit III nonas Julii anno 1208, apud Layum, cujus ecclesiam anno 1199 fundaverant Matthæus comes Bellimontis supra Isaram, & Alienor uxor ejus. Sedit, ex chronographo, *annis tredecim, mensibus duobus, & duabus hebdomadis, uno die excepto;* obiitque XIV calendas Octobris anno 1211, *sepultus in capitulo juxta tumulum primi Willermi ejusdem loci abbatis tertii, in dextera parte domini Herluini.*

XIII. Richardus *de Saint-Leger*, ex justitiario loci electus ab omni congregatione abbas, VI calendas Octobris anno 1211, tum Philippo regi præsentatus, & grate ab eo susceptus, benedictus est calendis ejusdem mensis in ecclesia Rotomagensi, a Roberto II archiepiscopo. Nonnulla cessit anno 1214 abbati Vallis B. Mariæ, diœcesis Parisiensis. Basilicam Beccensem instaurare cœpit a fundamentis anno 1215; multa etiam ædificia exstrui curavit in variis monasterii appendicibus. In generali capitulo anno 1219 statuta edidit pro prioribus, quæ habes Ampliss. Collect. tom. I, col. 1141. Canonicis Belli-loci vineam concessit anno 1220, libere & quiete in perpetuum possidendam. Electus est XVI cal. Augusti anno 1223 episcopus Ebroicensis.

XIV. Henricus *de Saint-Leger*, ex priore factus abbas, benedictus est V calendas Augusti an. 1223, ab archiepiscopo Rotomagensi Theobaldo. *Iste Henricus*, ait chronographus pag. 11, *in diebus suis laudabiliter & religiose vivens, super alios, ut creditur, conventum suum diligens, de bonis quæ multi nobilium & ignobilium large &*

affluentissime tempore suo ecclesiæ Becci contulerant, A *pitancias ad necessitates eorum liberaliter constituit. Iste dormitorium novum fieri fecit, quia antea monachi Beccenses jacebant in quodam veteri dormitorio, in tribus ordinibus lectorum confuse. Ipse etiam aquæ ductus ad cameras necessitatum emundandas, tam pro infirmitorio quam pro conventu manare fecit, ad maximam domus emundationem.* Querelam habuit anno 1225, cum Galtero Carnotensi episcopo, pro procuratione quam exigebat ille pontifex in ecclesiis *de Breval* & *de Rouvres.* Nominatus est IX calendas Julii anno 1235, literis pontificiis, ut una cum priore S. Barbaræ in Algia, & archidiacono Rotomagensi, capi- B tulum generale convocaret omnium abbatum ordinis sancti Benedicti, ac diœcesis Rotomag. acciti hanc in rem duobus abbatibus ex ordine Cisterciensi, ad Benedictinorum reformationem. Obiit X calendas Julii anno 1247, conditus in capitulo versus pedes beati Herluini, *præsentibus ad hoc,* ait chronographus, *prioribus omnibus ordinis Beccensis, tam cismarinis quam transmarinis, qui ad hoc ibi convenerant ut interessent capitulo generali, eodem die celebrando.*

XV. Robertus I *de Clairbec* erat, ex chronographo, *vineator Becci in Francia*, quando electus est abbas a capitulo generali XI calendas C Augusti anno 1247. Tum *receptus,* ait chronographus, *ab Hugone* de Pise, *tunc decano Rotomagensi, & capitulo Rotomagensi,* sede archiepiscopali vacante, benedictus est Rotomagi ab episcopo Ebroicensi, VI idus Septemb. sequentis. Eum inter & priorem canonicorum Belli-loci terminata est controversia de quibusdam decimis, ut videre est ex literis datis anno 1249, mense Augusto, quas legesis in Neustria pia pag. 463. Adfuit VII calendas Octobris anno 1250, apud confluentes Isaræ & Sequanæ, translationi corporis sanctæ Honorinæ, præsentibus archiepisc. Rotomagensi & episcopo Parisiensi. Anno 1256 D sanctus Ludovicus in Saracenos bellum aggressurus, Beccum perrexit, fratrumque precibus devote se commendavit. Eodem anno, ex chronographo pag. 12, id est 1257, idem rex inde reversus *fuit apud Beccum Hirluini in die Annunciationis Dominicæ, qua die comedit in refectorio cum militibus & baronibus suis, domino Odone* Rigaud *archiepiscopo Rotomagensi ad sinistram, & domino Roberto abbate Becci ad dexteram suam, cum multis aliis præfatis sedentibus.* Dum apud Lexovium capitulo generali Robertus interesset anno 1264, abbatia flammis absumta est. Obiit X cal. Decembris anno 1265, & sepultus est in capi- E tulo versus pedes beati Herluini ad sinistram.

XVI. Johannes I *de Guineville,* seu *de Guigneville,* paulo post electus est; sed ex codice visitationum Odonis Rigaldi electionem ejus irritam declaravit præsul ille idibus Decembris, quem tamen subinde pleno jure abbatem nominavit, benedixitque eodem anno 1265 apud Deivillam, VI calendas Januarii. Obiit post septem fere annos strenui regiminis, III idus Octobris anno 1272, tumulatusque est in capitulo versus caput beati Herluini.

XVII. Petrus *de Cauiba*, vernacule *de la Chambrie*, ex priore Evremodii factus abbas eodem mense Octobri, benedictus est anno 1273 ab Odone Rigaldo archiepiscopo. Eodem anno, XV calendas Martii, maxima turris, in medio ecclesiæ erecta, cecidit, & ecclesiam fere totam deturbavit; hanc Petrus restaurare cœpit anno 1275, primumque lapidem posuit. Pactionem iniit anno 1279 cum monasterio Lirensi. Pepigit cum prioribus monasterio suo obnoxiis, super præsentationibus beneficiorum, quæ deinceps solis abbatibus permissæ sunt. *Causa est,* inquit chronographus pag. 13, *ut quotienscumque super jure patronatus contingit moveri quæstio, conclusum est ut talis quæstio ducatur sumtibus monasterii; & propter nimios sumtus & metum muscarum, voluerint omnes priores monasterii quod præsentatio spectaret ad abbatem, qui subiret onera litium emergentium circa jus patronatus, excepto tamen priore de Cancico qui non comparuit.* Obiit Petrus IV nonas Novembris anno 1281, conditusque est in capitulo versus pedes beati Herluini, præsentibus episcopo Abrincensi & abbate Bernaii.

XVIII. Ymerius *de Saint-Ymier,* post licentiam eligendi petitam & obtentam, ex priore electus abbas VI calend. Decembris anno 1281, confirmatus est apud Pontoesiam ab archiepisc. in festo S. Andreæ, sequenti die apud Parisios a rege acceptus, & tandem benedictus VII idus ejusdem mensis Decemb. apud Fraxinos archiepiscopi, a Guillelmo Flavacuriensi archiepisc. tum in ecclesia cathedrali fecit professionem consuetam, & in monasterium redux juramentum præstitit, quod legitur in Neustria pia, pag. 464 & 465. Eodem anno in Angliam transfretavit pro rebus ecclesiæ suæ disponendis; quibus expletis in Galliam regressus est, & ad Beccum accessit VIII calendas Maii anno 1282. De eo sic habet chronographus pag. 13: Vir *idoneus in temporalibus & spiritualibus multum circumspectus, omnique recommendatione dignus.* Addit ille pag. 14: *Ymerium præ ceteris prædecessoribus suis capitulum generale quolibet anno frequentasse, & ibi multas constitutiones salutares* instituisse. *Tempore etiam suo,* inquit, *viriliter tractavit negotia ecclesiæ custodiendo, defendendo & procurando jura, libertates, immunitates & privilegia ecclesiæ Beccensis, tam in Francia quam in Normannia, tam Angliæ quam Valliæ regnis.* Cum Bartholomæo abbate sancti Petri Carnotensis permutavit anno 1283 census aliquot qui ad Gisiacensem & Mellentinam cellas vicissim pertinebant. Obiit XVII calendas Decembris anno 1304, conditus in capitulo juxta caput beati Herluini.

XIX. Guilbertus *de Saint-Etienne,* ex grenetario loci, prioribus omnibus convocatis, electus est per viam compromissi a duodenis fratribus, XIV calendas Januarii anno 1304. Testis adest annis 1311 & 1317 in literis datis in gratiam abbatis Fiscannensis, quas videsis in Neustria pia, pag. 249 & 250. Dedit *conventui,* ex chronographo pag. 15, *pro salute animæ suæ, & pro*

anniversario suo faciendo, quolibet anno, viginti libras Turonenses reditus, ad officium pitanciarum, capiendas & percipiendas in & super præpositura Becci. Obiit IX calend. Septembris anno 1327, sepultus in sacello beatæ Mariæ virginis recens extructo.

XX. Gaufridus I *Fare*, ex priore Boni-nuncii Rotomagensis electus per viam compromissi, IV calendas Septembris anno 1327, translatus anno 1334 ad episcopatum Ebroicensem, obiit XVII calend. Maii anno 1340, relatus Beccum, & ibidem sepultus in sinistra chori parte. Ait chronographus pag. 15, *illum propter suam dignitatem nunquam dimisisse habitum regularem ecclesiæ Beccensis. sed semper omni loco usum fuisse vestimentis albis, & maxime cuculla alba.* Addit vero de tempore quo factus est episcopus chronostichon illud :

Prend la teste d'un maquerel,
D'un chien, d'un congre & d'un carpel,
De six vivres & de quatre itres,
Si trouveras sans autres tiltres,
Quand Gieufroy Fare se demist
D'abbé du Bec, & Evreux prist
Le premier jour d'Avril sans doute.
Dieu gard' l'hostel, & l'ordre toute.

Quibus omnibus cum dentur literæ seu numeri MCCCVVVVVVIIII, intelligendus est annus 1334.

XXI. Johannes II *des Granges*, ex justitiario monasterii electus abbas anno 1335, IX calend. Julii, ecclesiam dedicari curavit anno 1342. Decem libras Turonenses annui reditus monachis concessit percipiendas super reditibus officii Granetariæ, ea conditione ut antiphona *Salve regina*, cum oratione post Completorium ab iisdem quotidie decantaretur. Obiit XI calendas Martii anno 1350, id est 1351, conditusque est in sacello beatæ Mariæ juxta Guilbertum decessorem suum.

XXII. Robertus II *Couroye*, dictus etiam *de Routes*, vir non vulgaris scientiæ ac decretorum doctor, obiit calend. Octobris anno 1361, ac sepultus est in sacello beatæ Mariæ ad lævam Guilberti abbatis. Ejus tempore Johanne Francorum rege in clade Pictavensi ab Anglis capto anno 1356, monasterium Beccense maximum damnum sustulit propter propugnacula quæ Ludovicus de Haricuria Normanniæ gubernator struenda jussit ; & pro quibus extruendis, pleraque ædificia demolienda oportuit.

XXIII. Guillelmus III *Popeline*, dictus etiam *de Beuseville*, vir magnæ religionis, electus anno 1361, obiit VI nonas Maii anno 1388, conditus in revestiario ante altare sanctorum Nicolai & Catharinæ, cum epitaphio.

XXIV. Estoldus *d'Estouteville* monachus Fiscannensis & abbas Cerasiaci, Gaufridum *Harenc* virum acutissimi ingenii, baccalaureum in decretis, ac priorem Confluentium, qui electus

A fuerat ab omni congregatione, summovit *auctoritate pontificis Romani*, ait chronographus pag. 18, *& omnium prælatorum vi, & amicorum & parentum potentia. Iste primus fuit alienigena,* pergit ille, *qui ecclesiæ Beccensis obtinuit regimen, qui de gremio ejusdem ecclesiæ a tempore fundationis non existeret ; duobus annis & octo mensibus rexit dictum monasterium, quod nuper guerris cessantibus respiraverat ; occasioneque prædictarum guerrarum in maxima necessitate erat, ac in multis debitis erga multos obligatum per domos, per maneria, molendina, cum omnibus officinis, in maxima ruina & decadentia erat ; & in ejus adventu omnia*
B *& singula sunt deteriorata, quia ejus cura erat super pecuniis accumulandis ; appropriavitque sibi officium thesaurarii, ponens receptorem secularem, quod nunquam visum est. Expensæ quotidianæ inæstimabiles, tam pro suo excessivo statu, tam occasione fratrum suorum, quorum aliqui erant pontifices, alii milites, alii archidiaconi existebant. Ipse expensis ecclesiæ Beccensis, singulari fulgens ambitione, impetravit a sede apostolica ut solum vita comite posset uti mitra, & annulis, & insigniis pontificalibus. Vocatus ad regimen ecclesiæ Fiscannensis, unde prius fuerat monachus, bona ecclesiæ Beccensis in tanta copia, tam in libris quam jocalibus, auro,*
C *argento, secum portavit, quod a fundatione non est memoria ecclesiam tantam ruinam fuisse passam. Fundaverunt frater ejus episcopus Lexoviensis & ipse Estoldus collegium Lexoviense Parisius juxta sanctam Genovefam ; & distribuit Estoldus libros & cuncta quæ ab ecclesia Becci abstulerat, dicto collegio. De tanta offensa Dominus indulgeat ei.*

XXV. Gaufridus II *Harenc*, dictus etiam *de Paris*, postquam cedere coactus fuisset Estoldo, ut modo dicebamus, electus est anno 1389 abbas Gemeticensis ; sed Estoldo ad Fiscannum translato, iterum a Clemente VII, pontificatus 13, VIII idus Februarii, & a Beccensibus electus
D est III idus Martii anno 1390, id est 1391. Beccum igitur reversus, damna plurima, tam belli calamitatibus quam decessoris sui excessibus, illata sarcivit. Obtinuit a Clemente VII papa Avenionensi, tam pro se quam pro successoribus suis, facultatem utendi pontificalibus insignibus, literis quas leges in chronico Beccensi pag. 19. Perrexit anno 1398 peregrinationis ergo in sanctam civitatem Jerusalem ; at cum inde reverteretur, obiit Paduæ in Italia anno sequenti, XVII calendas Julii, male apud chronographum *decimo quinto die mensis Julii*, ibidemque tumulatus est in majori ecclesia, erecto a Beccensibus
E mausoleo.

XXVI. Guillelmus IV d'*Auvillers*, diœcesis Lexoviensis, electus est XVI calendas Augusti anno 1399, benedictusque ab archiepiscopo Rotomagensi IV nonas ejusdem mensis Augusti. Adfuit anno 1409 concilio Pisano per procuratorem, ut videre est Spicileg. tom. VI, pag. 368. Anxio mœrore confectus, quem inter prementes belli angustias contraxerat, finem vivendi fecit III nonas Januarii anno 1417, id est 1418, sepultusque est medio in choro,

ante pedaneum, inquit chronographus, *ubi solet A accipi benedictio.*

XXVII. Robertus III *Vallée*, dictus etiam *du Bec*, quippe qui ex ipso Becci oppido oriundus erat, cum esset decretorum doctor, priorque Boni-nuncii Rotomagensis, electus est abbas VII idus Februarii anno 1417, id est 1418; obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi pridie non. Martii sequentis; fidem præstitit regi Anglorum pridie idus Februarii, eodem anno 1418, id est 1419. Cum anno 1421, mense Februario, Franci in arcem Beccensem fuissent introducti, ipse tanquam proditionis auctor, vinculis subactus, a comite Sarisburiensi Rotomagum perducitur, B ubi per menses quinque vinculis onustus in custodia permansit, donec proditorum ipsorum confessione absolutus, liber evasit. Obiit afflictationibus & angustiis oppressus Rotomagi, IV nonas Maii anno 1430; relatusque Beccum sepultus est ad lævam Guillelmi decessoris sui & avunculi, inquit chronographus, id est, ut videtur, patrui.

XXVIII. Thomas *Frique*, dictus quoque *du Bec*, quia de parochia Becci exortus erat, ex priore monasterii eligitur abbas XIII calend. Julii anno 1430; fidem præstitit regi XIX calendas Januarii sequentis. Adfuit IX calendas C Junii anno 1431 Rotomagi, judicio lato in Puellam Aurelianensem. Plurima bona suo acquisivit monasterio. Obiit III nonas Julii anno 1446, sepultus juxta Guillelmum *Vallée* decessorem suum, cum epitaphio.

XXIX. Johannes III *de la Motte*, dictus etiam *de Rouen*, decimus liberorum nobilis viri Simonis *de la Motte* civis Rotomagensis, successive prior de Bello-saltu Rotomag. S. Petri de Canchiaco Ambian. beatæ Mariæ de Layo Bellovacensis, sancti Petri de Pontisara, Claustri Beccensis, & Confluentii Parisiensis. Doctor diu Parisiis rexit in decretorum facultate, & prio- D ratum de Ovis, gallice *en Terasse*, Morinensis diœcesis, a monachis Majoris-monasterii in commendam obtinuit. Defuncto Thoma a monachis suffectus abbas, a summo pontifice confirmatus est, & a Radulfo archiepiscopo in sacello palatii Rotomagensis benedictus, ecclesiæ Rotomagensi obedientiam spopondit cal. Maii 1447, deinde regi, pridie calendas Novembris 1449. Apud eumdem cum aliis destinatus est orator, pro recuperatione ducatus Normanniæ; ab eodem ad conventum Bituricensem missus est pro expeditione pragmaticæ-sanctionis; denique Rotomagum vocatus est ad scacarium Normanniæ. E Extinctus XV calendas Decemb. 1452, conditus est in medio chori ad caput Guillelmi 26 abbatis, cum epitaphio.

XXX. Gaufridus III de Hispania, cognominatus *Benoist*, ex priore Boni-nuncii Rotom. electus abbas XIII calendas Januarii 1452, a vicariis archiepiscopi, sede vacante confirmatus, & benedictus fidem obstrinxit regi XIV calend. Martii 1453. Quot & quanta in ecclesia contulerit, legesis apud Martenium Ampliss. Collect. tom. VI, col. 110. Privilegia de religiosis committendis in prioratibus vacantibus adversus impetrantes quoslibet fortiter defendit. Largitus est decem libras Turonenses pro anniversario suo, parentum, amicorum & benefactorum. Per septennium, tam cum morbis quam cum minis, blandimentis & promissis abbatiam inhiantium luctatus, hanc simul & vitam deposuit 14 Maii 1476; sepultus est in choro sub tumba quam cum tumba sui antecessoris fieri curaverat, epitaphioque decoratus.

XXXI. Johannes IV *Boucart* (sic eum appellat chronographus pag. 28) episcopus Abrincensis, abbatiam primus obtinuit in commendam, electus, jubentibus rege & pontifice, III calend. Junii anno 1476. Regi sacramentum dixit 13 Julii anni 1477, commendæ & episcopatus vicario usus est generali Johanne *le Marchand* decano Abrincensi. Cessit postea in gratiam Johannis *de Aptot*, seu *Hauteu*, forte *Hautot* prioris Beccensis; sed antequam resignatio illa confirmaretur a summo pontifice, obiit præsul IV calend. Decembris anno 1484, quare suum non est sortita effectum. In necrologio inter abbates non recensetur.

XXXII. Robertus *d'Evreux*, dictus etiam *de Rouen*, ex priore Belli-montis electus IV idus Decemb. anno 1484, deinde benedictus abbas, obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi XV cal. Maii anno 1485. Sedebat adhuc VIII idus Aprilis anno 1490, id est 1491, resignavit & ipse sequenti. Notatur in necrologio XI calend. Februarii.

XXXIII. Guillelmus V *Guerin*, dictus quoque *de Rouen*, antea prior sancti Filiberti, obsequium juravit ecclesiæ Rotomagensi X calendas Novembris anno 1491. Nonnullorum monasterii officiariorum stipendia auxit anno 1494. Charta col. 292.
Ecclesiam sancti Nicasii Mellentini, cujus olim prior exstiterat, ventorum vi pene destructam reparavit anno 1496. Abbatiam transcripsit postea Johanni qui sequitur, suo ex sorore nepoti. Intercessit quidem Ludovicus XII rex, qui Ludovicum Aurelianensem, Tolosanum archipræsulem, succedere volebat Guillelmo. At rege extincto, prævaluit Romæ anno sequenti hujus resignatio.

XXXIV. Johannes V *Ribaud* obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi XIV calend. Aprilis anno 1514, id est 1515, quo etiam anno videtur benedictus fuisse Rotomagi a *Tussano archipræsule*, ut ait Continuator chronici Beccensis pag. 29, qui cujus sedis fuerit archiepiscopus non meminit; sed anno 1517 ab Adriano qui sequitur, pulsus, *Rotomagum natale solum repetiit*, ait idem Continuator, *cum magna auri, argenti, tapetum, vasorumque cælatorum supellectile noctu sublata, nec a vasibus quidem sacris abstinens. Inde Vallimontis cœnobii in Caletano regimen adeptus, locum ipsum Beccensibus spoliis, renovato ædificio reddidit insignem.*

XXXV. Adrianus *Gouffier*, dictus cardinalis *de Boissy*, episcopus Constantiensis, *apostolico munere,*

munere, ait idem Continuator, *a Francisco rege in commendam admissus, præmissis Beccum satellitibus, bonam fratrum partem in prioratus expellit, non enim deerant qui Ribaldi partes tutarentur, alios intus vinculis fatigans.* Transiit tamen anno 1519 ad abbatiam Fiscannensem, & de Constantiensi ecclesia ad Albiensem, uti diximus tomo I, col. 37. A

XXXVI. Johannes VI *de Dunois*, seu *d'Orleans-Longueville*, cardinalis & præsul primum Aurelianensis, deinde Tolosanus, Adriano successit anno 1519, *vir mansuetus*, inquit Continuator chronici Beccensis pag. 30, *ac suapte natura in ecclesiasticis gerendis dexterrimus. Ad Nicenam conventionem vocatus, apud Italos grandi omnium luctu ætate adhuc florente, moritur* anno 1533. Vide quæ de eo diximus tomo VIII, col. 1482. B

XXXVII. Johannes VII *le Veneur* cardinalis & episcopus Lexoviensis, *multa rerum experientia prudens*, inquit idem Continuator, *Carolo primum octavo carus, Ludovico deinde successori conjunctissimus; postea Francisco principi a consiliis & eleemosynis familiaris* fuit, abbatiamque Beccensem consecutus est anno 1533. Obiit *septuagenarius in Marolea expeditione ad Merlam anno 1543. Cor ejus theca plumbea in choro Becci ad aram majorem conditur. Corpus Lexoviis in æde apostolica incredibili sumtu coepiscopis adpositum quiescit.* C

XXXVIII. Jacobus *d'Annebaut* Claudii Franciæ Thalassiarchi frater, abbatia impetrata anno 1543, factus est paulo post episcopus Lexoviensis & cardinalis; obiit Rotomagi VII idus Junii anno 1558.

§ In quibusdam seu schedis, seu etiam instrumentis, reperitur Franciscus *de Tournon* cardinalis & abbas Beccensis, promiscue cum Jacobo *d'Annebaut*. Nonnihil forte compositionis erat inter utrumque de reditibus abbatiæ.

XXXIX. Ludovicus I *de Lorraine*, dictus cardinalis Guisius, abbatiam transcripsit IX cal. Novembris anno 1572, Claudio qui sequitur. D

XL. Claudius *de Lorraine*, dictus eques Albæmarlæ, occisus est apud sanctum Dionysium in Francia, idibus Januarii anno 1591.

§ Reditus abbatiæ administrantur ab œconomo ad annum 1597.

XLI. Dominicus *de Vic*, de quo in archiepiscopis Auscienfibus tomo I, col. 1007, bullas obtinuit idibus Septembris anno 1597; obiit XII calendas Januarii anno 1661.

§ Iterum reditus abbatiæ penes œconomum ad annum 1665. E

XLII. Jacobus-Nicolaus *Colbert*, de quo supra, col. 113, in archiepiscopis Rotomagensibus, nominatus est a rege ineunte anno 1665. Obiit Lutetiæ anno 1707.

XLIII. Rogerius III *de la Rochefoucaut*, nominatus III idus Decembris anno 1707, obiit Budæ in Hungaria, XIV calendas Julii anno 1717, dum permittente summo pontifice stipendia mereret adversus Turcas. Vide tom. VI, col. 216.

XLIV. Ludovicus II *de Bourbon-Condé*, dictus comes Claromontanus, nominatus est exeunte anno 1717.

APPENDIX

DE PRIORATU B. MARIÆ DE PRATO, *seu* BONI-NUNCII ROTOMAGENSIS.

POsitum est extra muros Rotomagensis civitatis, interfluente Sequana, Virginis Deiparæ cœnobium, in Ermentrudis-villæ suburbio, nunc sancti Severi dicto, cujus amœna planities, cœlum, solumque, necnon arborum ordinata series, gratissimum præbent civibus eo voti causa petentibus ambulacrum. Variis subinde illud nominibus affectum legitur. At ne quid modo anticipemus de veteri sancti Severi cœnobio, ubi primam sedem habuisse credunt nonnulli, Guillelmus I Rotomagensis archiepiscopus, locum *sanctæ Mariæ de Ermentrudis-villa* nuncupat. Eumdem Normanniæ duces Willelmus & Robertus, atque Henrici duo reges Anglorum, *sanctæ Mariæ de Prato* dixerunt; queis etiam Ordericus Vitalis, Willelmus Gemeticensis, ac ceteri plerique consentiunt: quippe qui pratis ad lævam Sequanæ ripam positis contiguus sit. *Pratum belli* dictum hanc plagam quibusdam videtur, ob fugatos ibi cum Theobaldo comite Blesensi Francos a Richardo Normannorum duce; quibus etiam placet ut inde basilica *sanctæ Mariæ de Victoria* primum audierit: sed hujusmodi commentum plane rejiciendum est. Incertum quo primum tempore, quamve ob causam *sanctæ Mariæ de Bono-nuncio* nomen induerit, tametsi duplicem nuperi scriptores hujus appellationis, & utramque probabilem, afferunt rationem, conjicientes ei datum a Mathilde, Willelmi conquæstoris uxore, *Boni-nuncii* nomen, quod inter preces quas illa fundebat ante Virginis Deiparæ imaginem vel altare, comparati regni Anglici nuncium acceperit. Altera sumitur ratio ex basilicæ, quæ Annunciatæ Virgini sacra est, nuncupatione. Cui tertiam fortean subdere licet: nempe navitas, vel potius navitarum mare sulcantium uxores & liberos, ob expectatum vel optatum, aut certe acceptum de illis interventu beatissimæ Virginis felix ac faustum nuncium, *Boni-nuncii* nomen huic loco intulisse; quod tandem populari more studioque ceteris antecelluit. Id vero tribus primis a monasterii fundatione seculis nuspiam obtinuisse, palam fit ex regum, optimatum ac pontificum diplomatibus, ubi, frustra repugnante Megisserio, ecclesia vel cella semper beatæ Mariæ *de Prato*, nunquam *de Bono-nuncio* vocitatur. Atque hæc de nomine hujus cœnobii.

Ut ignota nominis *Boni-nuncii* causa, sic monasterii non admodum certa proditur origo. Volunt nonnulli fuisse ad Pontis Rotomagensis exitum vetustam priscis a temporibus abbatiam (qualis alia sancti Gervasii notatur a Willelmo conquæstore Fiscannensibus data) quæ advecto S. Severi Abrincensis episcopi corpore, nomen

ejus circiter annum 967 præferebat: hanc vero, quod ponti velut arx prædonibus excipiendis tutandisque adversus publicam salutem insideret, destructam, & in agrum seu locum pratis vicinum translatam fuisse: postea vero non longe a ponte substitutam ipsi parochialem ecclesiam, quæ in libro censuum anni 1279, adhuc *sancti Severi monasterium* dicta reperitur; unde monasterio Boni-nuncii velut ejus appendix paret hactenus. Hæc tamen ut se habuerint, nullum locus ille ante medium seculum undecimum monasterii vestigium servabat, sed in Herluini optimatis jus & paternam hereditatem cesserat, antequam abdicato seculo Becci monasterium anno 1034 erigeret. Id conceptis verbis docet Beccense chronicon pag. 3, ex quo locum a Willelmo duce (una procul dubio cum Mathilde ejus conjuge) anno 1063 monasticis regulis addictum discimus. Monasterii conditionem uni Mathildi fert acceptam Willelmus Gemeticensis monachus, vel potius interpolator ejus, dum ait lib. VIII, cap. 32, Henricum regem Anglorum hujus nominis primum, *ecclesiam sanctæ Mariæ de Prato a matre sua dudum inceptam pene consummasse.* Atque eodem fertur Ordericus Vitalis lib. XIII, pag. 901. Sed potiorem meretur fidem Robertus princeps Normannorum, Henrici frater natu major, qui in literis anno 1092 datis concessit monasterio Beccensi, *ecclesiam quam*, inquit, *pater meus & mater mea in honorem gloriosæ Virginis juxta Ermentrudis-villam prope urbem Rotomagi, Sequana intercurrente, cœperunt ædificare in terra quæ dicebatur præfati esse cœnobii*, utpote, ait interpolator Willelmi Gemeticensis ibid. *patrimonium domni Herluini, primi abbatis & fundatoris Beccensis monasterii.*

Institutos ibidem monachos sub Benedictinæ regulæ præceptis nullus inficiatur; sed quonam ex asceterio fuerint assumti merito potest dubitari. Beccenses a principio fuisse pronum est ut credatur. At incertis initiis prius insedisse Molismenses, duo vel maxime probant. Unum ab Orderico Vitali petitur, docente lib. VIII, pag. 690, Robertum II Normannorum ducem, coorta Rotomagi seditione, anno 1090 *cymba parata Sequanam intrasse, & relicto post terga conflictu, trepidum ad Ermentrudis-villam navigasse,* ubi *a Guillelmo de Archis Molismensi monacho susceptus est, ibique in basilica sanctæ Mariæ de Prato finem commotæ seditionis præstolatus est.* Erat ergo tunc cellæ illius præpositus Guillelmus, qui nuper cum sociis nonnullis e Molismensium grege Rotomagi consederat. Non minoris est ponderis argumentum e Roberti Normanniæ ducis præcepto erutum, quo memor juris quod in hunc fundum sibi vindicabant Herluinenses Becci cœnobitæ, *feci*, inquit, *hanc prædictæ ecclesiæ donationem cum omnibus quæ in Normannia ad eam pertinebant ex dono parentum meorum, addita in meo dono decima fœni de parco meo quod est prope Rotomagum super ripam Sequanæ, ut in ea a monachis* (Becci) *Deo in perpetuum serviatur, ad quod eam constat esse fundatam .... ita tamen ut si aliquando voluero eamdem ecclesiam caput abbatiæ per se constituere, mihi liceat absque omni querela Beccensium monachorum, si eorum cœnobio dedero excambium, quod tantumdem illis valeat quantum prædicta ecclesia cum omnibus quæ tunc ad eam pertinebant, valuit. Hoc autem ipsum quod in mea retineo potestate, ut mihi liceat præfatam ecclesiam, quam dedi monasterio Beccensi, constituere abbatiam per se . . . . . . similiter retineo in potestate fratris mei Guillelmi, gratia Dei regis Anglorum.* Annum 1092 præfert instrumentum, ex quo videas totis 29 annis alios a Beccensibus huic inchoato cœnobio præfedisse, Rotomagenses forte sancti Audoëni monachos ad annum saltem 1076, qui alter fuit a fundatione Molismi, quibus successit e grege Molismensium Guillelmus de Archis ad annum 1092, quo tandem locus ille a Roberto duce Beccensibus fundi heredibus dono datus est.

Parum tamen aut nihil valuit hæc Roberti concessio. Sive enim ingruentibus bellis, sive meditata Jerosolymitana expeditione fuit retardatus, qui subinde Normanniam invasit Henricus rex, Roberti frater, teste Willelmi Gemeticensis interpolatore sup. *Ecclesiam sanctæ Mariæ de Prato a matre sua dudum inceptam pene consummavit, claustro & officiis monachis congruentibus, & ambitu murorum ipsum locum decorans, nonnulla prædia, tam in Normannia quam in Anglia, ad opus ibidem Deo servientium cum ornamentis pretiosis contradidit; majora tamen, si aliquantum vita comes foret, secundum suam promissionem largiturus. Et quia idem locus ad ecclesiam Beccensem pertinebat, utpote patrimonium D. Herluini ...... monachos Beccenses illic Deo servituros instituit.* Hinc eumdem Henricum avum suum Henricus alter Anglorum rex *pium amatorem & fundatorem ejusdem loci* dixit in literis, quibus monasterii bona juraque confirmat. (Mon. Anglic. III. p. 994.) Ducum itaque, tum regum fota donis ac subsidiis Pratensis familia, pietatis in Deum, cultusque in beatissimam Virginem, fructus protulit uberrimos, qui deinceps subsecutis bellorum incommodis sæpius intercisi, nedum enecati, fuerunt.

Nempe communem patriæ sortem experti sunt Pratenses, serenatis rebus felices, turbidis miseri ac propemodum nulli. Quandiu pax ab Anglis seu Francis fuit, in Virginis Deiparæ cultum propensiores cum reges tum reginæ, milites & episcopos, ut beneficia conferrent exemplo suo provocarunt. Ibi generales provinciæ synodos tenuerunt archiepiscopi Rotomagenses Guillelmus *de Flavacourt*, Ægidius *Aycelin*, & anno 1335 Petrus *Roger*, qui postea Romanus pontifex Clemens VI dictus est. Ab illis instituta beatissimæ Virginis *devotorum* societas, cui Mathildis Guillelmi regis uxor præfuisse fertur, & precibus hoc loco fusis Anglicum marito sceptrum obtinuisse.

Anno 1243 ignis e vicinis Ermentrudis-villæ domibus erumpens, ædes universas præter infirmorum cellam pene delevit. Anno 1351 icta fulmine turris & incensa, fusis campanis,

basilicam & contiguas ædes casu suo compressit, aut flammis viam aperuit. In omnibus Rotomagensis urbis, quæ plurimæ acciderunt, obsidionibus, gravibus afflicti malis Pratenses ingemuerunt, maxime vero ab anno 1417 ad annum 1450: qua tempestate monachi sæpe extorres, alio victum quærere sunt coacti, ut de loco in archipræsulis manus dimittendo non semel cogitaverint. Anglis malorum auctoribus deteriores fuere permisti Britonibus Aremoricis Burgundiones, qui Carolum Biturigum ducem ut Normanniæ ducatu augerent, Rotomagum invasere non semel, & ubique cædes, incendia, ruinas sparsere.

Pacatis rebus elegantem basilicam & alias ædes innovarunt monachi, quæ Francisco I cum aulicis pro dignitate capiendo suffecerunt. Sed omnia sus deque verterunt anno 1562 Calvinistæ, qui ne ad profana sacra Quevilliacum petentibus catholica plebes obviaret, Boni-nuncii basilicam una cum adjunctis ædificiis solo æquarunt, Deiparæ Virginis iconem comminuerunt, sacra vasa, pignora, chartas, & quid non? diripuerunt.

Composito tantisper perduellium furore, Turgisius prior ex relictis parietinis ecclesiam novam, & humiles ut licuit casas, instruere aggressus est. Amissarum chartarum jacturam sarcivit ope chartophylacii Beccensis. (Mos quippe fuit insignis asceterii, ut cellarum instrumenta primaria, cum eorum apographis in archivo communi servarentur.) Reliqua vir pius restituisset in ordinem, si mores castigare lapsamque disciplinam revocare voluissent monachi.

Dum hæc strenue geruntur, post Henrici III Franciæ ac Poloniæ regis fatum, in fœderatorum manus venit Rotomagum, cujus in obsidione Henricus IV anno 1592 Boni-nuncii sacram ædem aliaque omnia funditus evertit: monachis alio sedes quærentibus, lapides & sparsam materiem circumpositi coloni nullo prohibente convehunt, indeque lares suos eodem consumtos bello reficiunt. Nec sic tamen abjectus hoc loco Deiparæ cultus: quippe visi magno numero fideles disturbatas inter parietinas orare, atque ut ex lignis & stramine consurgeret ædicula symbolam quisque suam conferre. Sed anno demum 1600 Galardus *de Cornac*, tum Sicardus *de Gachis* uterinus Galardi frater, alter post alterum loci priores, favente Roberto *Austin* expriore, qui pensionem suam annuis 500 libris minuit, ecclesiam erexerunt, quæ licet humili structura, ingentes tamen post ruinas non minima videbatur; lignea monachis domicilia pararunt cum horreo & columbario; quibus omnibus ad exitum perducendis nonnulli fideles de Bono-nuncio peroptime meriti omne studium adhibuerunt. Et hic quidem ad ann. 1624 fuit rerum status.

Dei vero faventis instinctu contigit, ut eodem anno Rotomagi constitutus venerandæ memoriæ Nicolaus *Davanne* Mellenti prior, ad Bonum-nuncium pergeret, cœptis opem imploraturus. Orantem altissima subiit cogitatio, jubente se numine delectum, qui Deiparæ Virginis cultum,
A & priscæ religionis splendorem ibi postliminio revocaret. Hinc adeptus prioratum nihil non est molitus quo meliorem ad concentum monachos reduceret. Ubi nihil valuere preces ac monita, compellatis judicibus tandem effecit, ut Beccenses una cum Pratensibus sibi obnoxiis, congregationis sancti Mauri patribus accederent. Id factum III idus Augusti anno 1626, non sine Virginis Deiparæ beneficio. Cum enim excipiendis patribus, aliisque viris dignitate conspicuis, epulæ pararentur, culinam ignis adeo violentus invasit, ut de reliquis laribus ac basilica conclamatum putarent omnes. Ubi vero recentes
B patres ad Virginis altare acciderunt, continuo resilire flamma, mox penitus extingui visa est. Extemplo manum operi admovens Davannius regulares ædes instruit, basilicæ sacella tria adjungit, eamque tertia parte facit auctiorem. Nihil hic de vasis ac vestibus sacris, nihil de picturis aut aliis ecclesiæ decoribus adnectimus: hæc enim omnia, lapides, marmora, tabulæ, argentea vasa, ipsi parietes Davannium clamant. Ipsemet prædia non pauca redemit, ademta jura revocavit, villas novis ædificiis instauravit.

Crescebat interea Rotomagensium cultus in Deiparam; omnisque generis & ætatis viri ac
C mulieres Boni-nuncii tholos muneribus ac donariis onerabant. Singulorum huc accessum & anathemata proferre non vacat. Sed Annæ Austriacæ Francorum reginæ pia vota, fusasque ad altare Virginis lacrymas silere piaculum videretur. Cum enim optima regni moderatrix anno 1650, tantum non desperatis Normanniæ rebus, Rotomagum & continuo Bonum-nuncium accessisset, necdum basilicæ limen egressa, perduelles desertos ab omnibus certatim ad ipsius redire obsequium audivit. Hinc iterum ac tertio Boni-nuncii subiit ecclesiam, una cum rege ceterisque principibus ac regio comitatu, gratias
D actura Reginæ cœlorum opitulatrici suæ, cujus præsidio singulari compositos motus & partam regno securitatem agnoscebat.

Ex plurimis quibus olim fruebatur celebris ille prioratus prærogativis, unam, quæ ad nundinas regales Prati seu Ermentrudis-villæ spectat, recensere juvat. Eæ quippe nundinarum illarum erant leges, ut in Ascensionis Dominicæ pervigilio, prior Boni-nuncii, aut ille ex monachis qui ejus vices gerebat, hominibus & vassallis stipatus suis, prævio apparitore, eques procederet ad vicecomitatus aquæ forum, nundinarum possessionem initurus, juriumque, tam regalium
E quam urbicorum feriationem, ac demum factam mercimonia dividendi licentiam præconis voce indicturus. Quin etiam regiorum carcerum claves a custodibus recipiebat, easdemque mox ipsis tota hebdomada suo nomine servandas commendabat. Tum ad locum pergens, a ballivo regio teneri solitum, ejus loco proprium ballivum ac ceteros officiales sufficiebat, ut per octo nundinarum dies jus per totam urbem edicerent. Eadem denique urbis prætori & ædilibus imperabat. Ubi vero de mensurarum ac ponderum libratione seu

visitatione mercium agebatur, penes illum ejus A rei cura stabat & arbitrium; ut si quæ fisco addicenda essent, suos ipse referret in usus: quemadmodum anno 1281 equum effrenum, qui mulieri vitam ademerat, sibi vindicatum scacarii judicio consecutus est. Sed cum annis 1417 & 1418 Angli Rotomagensibus imminerent, in urbem translatæ sunt nundinæ, monasteriique jura vehementer accisa, ut ceteris ablatis ne mediam quidem emolumentorum partem percipiat, quamvis solito loco restitutæ sint ab anno 1500, priore jus antiquissimum obtendente.

Nunc igitur sic res habet. Feria tertia ante B Ascensionem Domini duo monachi cum officialibus ad vicecomitatum aquæ pedites se conferunt, nundinarumque possessionem, appenso mensæ pileo, quietam ac placidam adipiscuntur, prisci decoris tenue vestigium. Ipsomet Ascensionis die, redimendum per ecclesiæ cathedralis canonicos fontem suscipit prior, eique post libertatem redditam ut mores corrigat monito benedictionem, panem, poma, vinique poculum in absolutionis tesseram impertit. Id autem in vicecomitatus aquæ prætorio sive aula perficitur ab anno 1577, quo bellicos ob tumultus fontem infinita vulgi caterva compressum ad Pratensem C ducere basilicam, uti mos jubebat, non vacavit, ne ferales ipsi tenderent insidias adversarii, neve labore & inedia consumto gravior forte hæc longissimæ supplicationis pompa videretur.

LE TRÉPORT.

ULTERIOR-PORTUS.

Archangelorum principi nuncupatum Ulterioris-portus, seu, ut quibusdam placuit, *Ultris-portus* monasterium, a subjecto portu nomen haud dubie sumsit, qui ad ostium fluminis Riselæ positus est, Caletos & Ambianos hinc & inde disterminantis; sed in anno conditi monasterii nodus visus est ad expediendum diffi- D cilis. Rem sic narrat Mabillonius Annal. Bened. tomo IV, pag. 595. « Monasterium sancti Michaëlis de Ulteriori-portu infra Augum oppidum ad oram Oceani construxit Robertus Augensis seu Aucensis comes, eo nomine primus, consilio Maurilii archiepiscopi Rotomag. Willelmi Normannorum ducis, aliorumque Normanniæ optimatum, monitu & instinctu Beatricis comitissæ, uxoris suæ; illudque liberaliter dotavit, unde monachi illic alerentur, qui pro sua suorumque salute, Beatrice uxore, filiisque suis Radulfo, Willelmo atque Roberto, Deum assidue exorarent. In literis hac de re vulgatis » (eas E nos ex Sammarthanis post Acherium nostrum proferimus ad calcem hujus voluminis) « mendum irrepsit in annum Incarnationis, qui annus 1036 in editis notatur; quod erratum ex eo refellitur, quod Maurilius Rotomagensis archiepiscopus, cujus consilio hæc abbatia condita dicitur, non ante annum 1055 illam iniit sedem. Ob similem rationem hæc constructio anno 1036 fieri non potuit consilio Willelmi Normannorum ducis, qui tunc vix unius anni erat.

Chart. x. col. 13.

Nulla in his literis mentio de Lescelina, Roberti comitis matre, quæ anno 1057 decesserat; adeoque post illum annum condita est hæc abbatia, sed ante annum 1066, quo Willelmus dux Normannorum regnum Angliæ adeptus est, qui dux tantum appellatur in illis literis. Denique in chartaceo codice monasterium istud anno 1059 conditum fuisse legitur. Primi ejus loci monachi e Monte sanctæ Trinitatis & sanctæ Catharinæ prope Rotomagum assumti duce Herberto, quem Rainerius abbas excepit. Is *sanctæ recordationis pastor primus* dicitur in necrologio ad XIV calendas Maias. Huic successisse dicitur *piæ memoriæ domnus Drogo abbas secundus*, laudatus ad III nonas Martii, deinde ad XI cal. April. *reverentissimus vir* domnus abbas Alvredus, *istius loci gubernator tertius*. Attamen apud Robertum de Monte primus Ulterioris-portus abbas fuisse dicitur Herbertus monachus S. Trinitatis de Monte-Rotomagensi; secundus Alveredus, seu Alvredus; tertius Osbernus monachus ejusdem loci; quartus Fulcherius monachus Cluniaci, cujus idem Robertus æqualis erat. At præferenda videtur necrologii auctoritas. Hæc tamen discrepantia sic forte conciliari potest, ut Rainerius, qui Montis sanctæ Catharinæ tunc abbas erat, primus abbas creditus sit, sub quo Herbertus pastoris officium gesserit ».

Hactenus Mabillonius, qui diserte probare videtur chartam Roberti fundatoris illigari non posse anno Christi 1036, sed in annum 1059 rejiciendam. Mirari tamen subit doctissimum virum, in sententiæ suæ fulcimentum non addidisse hic quod observaverat ipse Diplomat. lib. II, cap. 23, pag. 176, calculum Dionysii, quem Beda, Marianus Scotus & Sigebertus, rati sunt ab annis Christi detraxisse 23 annos, nonnunquam usitatum fuisse; quod si eum secutus est Roberti notarius, omnia apprime quadrare; annum enim Dionysii 1036 cadere revera in annum Christi 1059. Sed ex eo solvitur omnis difficultas, quod vitioso exemplari usus sit Acherius noster, qui primus Roberti chartam vulgavit in notis suis ad Guibertum Novig. pag. 631. Monent enim novæ Diplomaticæ vernaculæ scriptæ auctores, exstare illius chartæ vetustissimum, seu exemplar seu compendium, in quo suis ipsi oculis legerunt annum Christi *millesimum quinquagesimum nonum*, non literis numericis, sed verbis integris conceptum.

Augensium comitum, aliorumque nobilium donis & muneribus fota hæc domus, velut in tutissimo portu floruit annis plus minus ducentis. Sed ortis Francos inter Anglosque bellorum repetitis tempestatibus, Britannico litori vicinior locus frequenti ruinæ patuit. Nec dubium quin inter enata sub Ludovico VII & Philippo II Francorum regibus, cum Henrico II posterisque dissidia, flammis violatæ sint ædes & documenta consumta, cum primariæ conditionis proximeque sequentium donationum seculo decimo tertio perierint autographa. Recrudescentibus an. 1292 jurgiis, Johannes Augi comes, *pro stipendiis*

militum quos tenuit per guerram regis, invadiavit maximam partem & optimam thesauri ecclesiæ sancti Michaëlis. Præterea tot & tantis gravaminibus præfatam ecclesiam tam sæpe gravavit, quod vices gravaminum numerare se non posse fateatur. Illata quidem ipse damna pro modulo sarcivit. At quæ sequuntur Augi comitum donationes, si cum irrogatis ministrorum scelere frequentibus injuriis comparentur, næ in illis prisca conditorum refrixisse pietas & munificentia nimisquam agnoscitur. Sunt tamen hæc levia.

Anno 1339 ex urbe Dovera, viginti quatuor duntaxat leucis ab Ulteriori-portu dissita, solventes Angli cum armata centum & viginti navium classe, in subjectum monasterio portum appulsi sunt. Mox enecatis civibus abbatiam invadentes, nihil integrum reliquere. Acrior fuit eorumdem anno sequenti impetus, sed progressus minor. Cum enim præsto esset auxiliariorum manus, exceptis fortiter hostibus, multisque suorum desideratis, reliqui vulneribus graves Oceanum resulcarunt. Post Azincurtensem aliasque clades Martinus prostrati loci fugitivus abbas, dolens vel maxime cœnobium ab Anglis omnino combustum, ecclesiam, peristylium, dormitoria solo æquata, deformes impluvio ruinisque macerias, in sacrorum celebrationem & latibula monachorum vix relictas, villas, census, latifundia pessumdata; gravissimum æs alienum, vel Romæ pro solvendis abbatum bullis, vel alibi cogente penuria contractum, supplices ad Carolum VI Francorum regem literas dedit, quas cum veritate subnixas comperissent regni administri, quadraginta librarum imposito recens onere monasterium liberarunt. Anno 1413, qui palantis gregis curam agebat Nicolaus abbas, monasterii non dicam ædes, sed rusticanas attegias, Anglico rursus igne fumantes, cæsos Ulterioris-portus vicinorumque locorum clientes suos, deserta rura, sparsam ubique vastitatem ingemuit. Tunc vel invito distrahendi fuere, quos hostis præripere nequibat, villarum census, & vilissimo pretio creandæ emphytheoses: nec sic tamen datum erat urgenti fami succurrere. Quis tum victum ac vestitum quæritantibus monachis religionis sensus! Anno 1545 ruptis induciis in Ulteriorem-portum furere rursum ac debacchari cœperunt Angli, post æquatum solo oppidum, fugatos aut conjectos in vincula colonos, & maxime piscatores, ablata retia, totamque supellectilem ac naves, monasterium sacrilegis devotum ignibus & stercoribus ac maceriis obrutum deseruere. Neque hic malorum finis.

Sævientes post annum 1560 ubique Galliarum Calvinistæ perduelles, nihil apud Ulteriorem-portum quod surriperent incenderentve nacti, in villis saltem infestandis furorem verterunt. Nobilem inter illas, Mansionile Adelardi dictam, commendatarii vicarius anno 1576 distraxit: post biennium alia reditus opimi prædia vili pretio regiarum subventionum ergo similiter sunt distracta: ne quid vero deesset ad omnem
A calamitatis & injuriæ cumulum, exeunte seculo decimo sexto Nicolaus *de Bellengreville*, Calvinianæ legionis dux ac signifer, homo trucis animi & ferocis, *Brachium ferri* dictus quod catholicos multos confecisset, abbatia potitus est. Cessit tamen; cessit & beneficiarius ejus: sed factæ cessiones viris in monasticæ potius rei perniciem quam in disciplinæ sanctioris revocationem intentis.

Periisset illa dubio procul, ni priorem ac thesaurarium sortita domus esset Ludovicum *Heron*, genere nobilem, qui totis triginta annis in ejus commoda sedulus incubuit. Animad-
B vertens ergo sagacissimus vir non aliud prementibus undique malis aptari posse remedium, quam per inductos congregationis sancti Mauri Patres, arcessendis illis omne studium atque operam adhibuit. Sed obstantibus non modo commendatariis, verum etiam solutioris vitæ sodalibus, gravissimas inde contumelias, rei familiaris damna, minas, carcerem tulit. His tandem ereptus malis, pro virili ad recuperanda monasterii jura, census redimendos, vindicandas ecclesias animum intendit, nulli parcens labori, sæpe etiam periculo capitis expositus, quod res a militibus aliisque pervasas reddi compelleret judicum
C decretis. Et his quidem veluti prolusionibus ad integram loci reparationem parabat viam, quæ tandem, favente Jacobo *de Souvré*, Melitensium equitum Majore-priore, Ulteriorisque-portus abbate, cœpta est anno 1659, ac demum illuc inductis IV calend. Aprilis anni sequentis reformatis Patribus absoluta. Receptos proprias in ædes Ludovicus, reformationis incentor fovit amantissime, redituum parte non exigua juvit, omnibusque caritatis officiis liberaliter prosecutus est. Monasterium illi interitui proximum reperere, basilicam nave vacuam, chorum impluvio labascentem & omni fere carentem supellectile,
D reliquis ædibus multa sui parte labefactatis, portæ, seræ, vitra, pavimentum deerant; nullum cerneres dormitorium sive capitulum, non hortos; & si claustri partem, vacuosque parietes exceptum ibis, congestis ruderibus sepulta jacebant omnia. Nihilo secius manum operi admovere Patres, atque eo demum rem perduxere, ut paratas monasticos in usus, ac numeris fere omnibus absolutas ædes reddiderint, basilicam vero meliori formæ restitutam multiplici etiam supellectile locupletaverint.

Instantes operi retardavit coorta subito X calendas Decembris acerbissima tempestas, quæ
E circumjacentem late plagam vehementer afflixit. Definitos limites prætergressum mare aggerem qui ducit ad Augum, eluvione complevit; dirum in modum sævientes venti tegulas, trabes, tecta, murorum partem arietarunt exsufflaruntque. Sed adfuit munificus abbas, symbolamque toto fere decennio contulit, plura, si per diuturniores annos licuisset, uti spoponderat, largiturus. Nunc ad decessores successoresque ejus transeundum.

Syllabus Abbatum.

I. Rainerius abbas Montis S. Catharinæ, Ulterioris-portus pastor primus dicitur in necrologio ad xiv calendas Maias, omisso Herberto, qui primus abbas a Roberto de Monte recensetur, quia forte sub Rainerio pastoris vices adimplevit. Quo tempore permulti nobiles, atque in his Oisterlandus, Guillelmi principis educator, vitæ monasticæ tyrocinia posuere. Ipse aut successor ejus & Robertum fundatorem, & Beatricem ejus conjugem apud Ulteriorem-portum sepultura donasse perhibetur.

II. Drogo, a Roberto de Monte prætermissus, Rainerio successisse dicitur in necrologio abbas secundus, ubi laudatur iii non. Martii.

III. Alveredus Montis S. Catharinæ asceta, genere ac religione clarus, ex priore abbas, obiit xi calendas Aprilis. Dictus in necrologio *tertius* abbas.

IV. Osbernus *de Freauville* monachus loci, Richardi præstantissimi militis & Galæ matronæ filius, ab illis decimam Greniaci necdum abbas obtinuit, adstipulantibus germanis suis Ansello, Rogerio & Rorgone. Eidem abbatis munere fungenti alia plurima contulit memoratus frater Ansellus. Anno 1107 cum sturgionem a piscatoribus delatum accepisset, inhibente Gisleberto sacerdote, comitis aquario, cedere coactus est. Hinc querelis ad comitem Augique barones delatis, causam ipse suam peroravit, & oblato munere, decernentibus æquissimis viris, potitus est. Beneficos præterea sensit Stephanum Albæmarlæ comitem, aliosque optimates bene multos. Adfuit anno 1118 concilio Rotomagensi, ab auctore necrologii prætermissus.

V. Fulcherius, male a quibusdam *Fulchronius* dictus, ex monacho Cluniaci assumtus abbas, sedebat anno 1138, quo Hugonis archiepiscopi chartæ subscripsit. Ecclesiam S. Severini Radulfo Seriaci abbati contulit anno 1150; præeratque adhuc, ex tabulis Augensibus, iii cal. Augusti anno 1153. Nunquid inter illum & Osbernum decessorem suum vacavit aliquandiu abbatia? Nunquid Fulcherius ipse primus fuit qui Ulteriorem portum a Monte S. Catharinæ omnino liberum rexerit? Suspicioni ansam præbet charta Turstani abbatis, de quo paulo inferius, in archivo abbatiæ Seriaci, diœcesis Ambianensis asservata, cujus illud est initium: *Ego Turstanus a Fulcherio abbas quartus.* Hinc enim colligere in promtu est, administrationem Fulcherii veluti novam Ulterioris-portus æram in ipso monasterio usurpatam olim fuisse.

VI. Guillelmus I, ex necrologio abbas *sextus*, sedisse creditur anno 1159. Obiit xi cal. Maii.

VII. Richardus I anno 1161 cum Rogerio abbate canonicisque Augensibus Johannis comitis consilio pactum pepigit hisce conditionibus, ut abbas Ulterioris-portus in Nativitate B. Mariæ majorem missam celebret in ecclesia Augensi; idem præstet Augensis abbas apud Ulteriorem-portum in festo sancti Michaëlis; mutuo censu A altera alteri obnoxiæ sint ecclesiæ duæ memoratæ; si quis ad alterutram monachus canonicusve male habitus diffugerit, servetur incolumis diebus octo, quibus exactis liber dimittatur. Obiit Richardus calend. Junii.

VIII. Turstanus, male quibusdam dictus *Rustenus* aut *Taurinus*, monasterium rexit quartus ab abbate Fulcherio. Vide ipsum Fulcherium.

§ *Albericum* recentiores quidam hic sufficiunt, quod in necrologio locum habeat his verbis: *XII calend. Junii obiit dompnus abbas Albericus, ecclesiæ S. Leufredi moderatissimus rector, nostrique loci primus ædificator.* Sed quid connexionis inter B se habent ædificatio monasterii, & ejusdem gubernatio? Esto Albericus architectonices peritus, e monasterio S. Audoëni Rotomagensis, cujus monachus erat, accitus sit ad ædificandum Ulteriorem-portum, futurus deinde Crucis sancti Leufredi abbas, non inde sequitur abbatem similiter fuisse Ulterioris-portus. Præterea vivebat ille undecimo seculo; quare si monasterio illi præpositus fuisset abbas, non solum Turstano proxime non successisset, sed omnes etiam anteivisset Turstani decessores.

IX. Guillelmus II monachus Becci, sedebat anno 1181. Obiit vi calendas Martii.

C X. Arturus subscripsit anno 1196 insigni pacto Richardum inter Anglorum regem & Gualterum Rotomagensem archiepiscopum, inito pro Castri-Andilegi cum Deppa, Buticulis, Lupariis, Alacris-montis silva, Rotomagique molendinis. Sedebat adhuc anno 1199, consignatus in necrologio calend. Martii. Ch. col. 2

XI. Radulfus I præerat annis 1211 & 1216; obiit xiv calendas Februarii.

XII. Hugo sedebat mense Januario anni 1219, id est 1220. Obiit v nonas Martii.

XIII. Henricus I Beccensis monachus, prior erat Evremodii, quando eum Richardus abbas D Becci, in abbatem Ulterioris-portus electum, liberum & absolutum Theobaldo archiepiscopo præsentavit anno 1222, mense Decembri. Pactionem iniit anno 1225 cum Simone abbate Alneti. Nervos ille contendit omnes in basilicæ novæ substructionem; quamobrem porrectis exeunte anno 1244, id est ineunte 1245, Odoni archipræsuli supplicibus literis, mandatum ab eo tulit, quo quadraginta dierum promissis indulgentiis ad suppetias ipsi ferendas excitabantur fideles. Hinc in necrologio ad vi cal. Augusti, al. Maii, non modo *piæ memoriæ*, sed etiam *reædificator nobilissimus loci istius* audit, E primusque *in cujus anniversario* monachi *habent quadraginta solidos*, ex bonis ab eo comparatis haud dubie percipiendos.

XIV. Laurentius occurrit in tabulis domesticis anno 1244, id est 1245; & in necrologio Augensi ad iv idus Novemb. Obiit anno 1249.

XV. Guillelmus III electus ex codice visitationum Odonis Rigaldi archipræsulis, exeunte anno 1249, id est ineunte anno 1250, ab illo benedictus est eodem anno idibus Februarii. Sedebat adhuc anno 1268.

XVI. Stephanus occurrit in tabulis anno 1277. Visitur in monasterii basilica lapis niger, sub quo tumulatus est cum hoc epitaphio: *Anno Domini M. CC. XC. undecima mensis Martii, obiit dompnus abbas Stephanus, vir pius & benignus in omnibus, hujus ecclesiæ pastor sextus decimus. Anima ejus requiescat in pace;* ubi annus 1290 ad annum 1291 revocandus est.

XVII. Henricus II sedebat anno 1324; Roberti fundatoris literas a Philippo rege Francorum anno 1331 recognosci & confirmari curavit, in necrologio uti & sequentes desideratus.

XVIII. Guillelmus IV decimas quasdam Firmino abbati Loci-Dei pro triginta solidorum annuo censu dimisit anno 1337.

XIX. Radulfus *de Veteri-villa* pepigit XIV calendas Februarii anno 1349, id est 1350, cum monialibus Clari-rivuli, ord. Fontebraldensis; monasterii jura in portum, seu piscatores & pisces, describi, recognosci, scriptisque authenticis mandari præcepit anno 1357, vir meliore seculo dignissimus.

XX. Martinus *de Saint-Sulpice*, ex priore Horneii factus abbas, præerat VI idus Octobris anno 1370.

XXI. Robertus sedebat XV cal. Novembris anno 1376, ex tabulis scacarii Rotomagensis. Basilicam Anglicano consumtam incendio, direptam supellectilem, villas partim igne crematas, partim fœneratoribus creditas, omnia supremo funeri simillima cum experiretur, datis anno 1384 ad Carolum VI Francorum regem, tum anno sequenti ad summum pontificem supplicibus literis, impositorum onerum ac decimæ remissionem impetravit. Obiit, ex necrologio, XIV calendas Aprilis.

XXII. Johannes I ubi primum per fugitivæ pacis intermedia tempora respirare licuit, porrecto ad Carolum VI regem supplici libello, obtinuit anno 1399 ut villas, feoda, domos, prædia, latifundia bellicis tempestatibus, pestifera lue, variisque ab annis quadraginta prementibus malis, inculta, vacua, distracta, recuperare, instaurare, novis censitoribus locare fas esset, quo prostratæ reficerentur ædes, augeretur monachorum numerus, sacris denique melior honos adderetur. Johannem Moreletum Augi ballivum, occasione cujusdam delicti a rustico perpetrati, jurisdictionem abbatiæ pervadentem an. 1403, dein post quadriennium latronis extremo supplicio afflicti bona apud Ulteriorem-portum sita fisco addicentem, aliosque juribus suis similiter infestos, animose repressit. Demum anno 1408, convocatis omnibus, rerumque a se & ab administris suis gestarum in monasterii basilicæque restitutionem, in monachorum victum ac vestitum, in villarum redemtionem, assertionem jurium, &c. reddita ratione, nihil se ab illis repetiturum pollicetur. Tum in multiplices gratiarum actiones erumpunt monachi, rem ab abbate piissimo sancte, prudenter, atque in monasterii commoda pariter gestam acclamantes,

A probantes singula, diuturnam ipsi vitam & incolumitatem adprecantes. Dein Johannes conventui novos assignat reditus, alios in sacrorum celebrationem, quosdam etiam in cibaria lautiora deputat, conventui denique proprii jus sigilli confirmat. Obiit III idus Julii ex necrologio, ubi laudatur ut *ecclesiæ reædificator & reparator nobilissimus.*

XXIII. Nicolaus I *de Poix* occurrit in tabulis ab anno 1413 ad annum 1430. Recuperandæ rei sollicitus, Martini V papæ patrocinium efflagitavit anno 1420. Missus pontificio nomine Pontisarensis abbas, ob temporum acerbitatem
B nihil aut parum evicit: quippe ab Anglis ingruit nova tempestas, quæ villas omnes sic attrivit, nihil ut integrum in Augensi comitatu superesset. Omissus est a necrologo domestico, sed in Augensibus tabulis memoratur V cal. Decembr.

XXIV. Adam *de Preaux*, omissus similiter in necrologio domestico, Patrum Basileæ considentium literis institutus est anno 1438 pecuniarum pro indulgentiis Rotomagensi provinciæ concessis collector, in Græcorum seu Turcarum tyrannide gementium solamen. Nummos ille quadraginta novem cum solidis duodecim misit ad concilium, a quo receptæ pecuniæ tulit apo-
C cham. Nec plura de illo.

XXV. Richardus II *de Longuemort* sedebat anno 1453; basilicam meliori formæ reddidit, proventusque monasterii fecit auctiores. Obiit VI nonas Maii anno 1461, dictus in necrologio, ex indiligentia scriptoris, abbas *vigesimus quartus;* cum enim ille Johanni I locum vigesimum secundum dederit, Richardo huic vigesimum quintum assignare debuit.

XXVI. Andreas *de Marquien* electus post licentiam IV nonas Maii anno 1461 ab archiepiscopo concessam, benedictus est Rotomagi IX cal. Junii sequentis, ab episcopo Nitriensi,
D assistentibus sancti Audoëni & sanctæ Catharinæ de Monte abbatibus. Ludovicum XI Francorum regem anno 1468 adiens, bonorum emphytheoticorum pacta bellico tempore per vim contra decessores suos extorta rescindi curavit. Quatuor e suis probatæ vitæ monachos misit in Angliam, Hastingarum cellam recuperaturos, sed frustra; ab Anglis enim male excepti, domum reverti coguntur anno 1470. Vita solutus Andreas V al. VII cal. Aprilis anno 1484, id est 1485, conditus est in sacello beatæ Mariæ, quod ipse excitaverat primus, aut labascens restituerat.

XXVII. Richardus III *de Longuemort* obse-
E quium vovit ecclesiæ Rotomagensi V idus Aprilis anno 1488; monasterii restitutis ædibus concessit in fata VI calend. Octobris, anno, ut quibusdam placuit, 1505, substituentibus illi Richardum alium, cognomine *le Pesant*, ex hac majori campanæ affixa epigraphe: *En Mai l'an M. V^e & VI, Michelle, deux mil pesant, feit faire Richart le Pesant, en ce temps abbé du Tresport.* Contra tamen probant & schedæ, & scutum Longamortensis familiæ gentilitium, campanis anno 1506 conflatis appositum, non alium fuisse hoc anno

Ulterioris-portus abbatem quam Richardum A ipsum *de Longuemort*. Quis igitur non videt, cognomen illud *le Pesant* subdititium Richardo per ludicrum accessisse, ut campanæ ponderi, abbatis obesi ætateque gravis moles seu pondus nonnihil responderet? Occurrit adhuc Richardus in instrumentis, IX calend. Aprilis anno 1517, id est 1518.

XXVIII. Franciscus *de Cleves* Gilberti filius, fraterque Caroli Augensium comitis, summoto *Michaële*, loci monacho, qui fratrum calculis electus fuerat, abbatiam primus tenuit in commendam. Carolum ipsum Francisci fratrem commenda illa donatum volunt Sammarthani cum B aliis; sed contra pugnant & schedæ domesticæ & ejusdem Caroli inserta necrologio memoria, sub his verbis: *XVI kal. Septembris obiit anno Domini M. D. XXI, illustrissimus dominus Carolus* de Cleves *comes Augi, filius primogenitus domini Gilberti ejusdem loci comitis, frater germanus domini Francisci* de Cleves *hujus ecclesiæ moderni abbatis commendatarii primi, & in ordine vigesimi octavi.* Occurrit Franciscus in instrumentis ab anno 1521, vixitque in annum saltem 1537, episcopus simul Nivernensis.

XXIX. Ludovicus *de Bourbon* cardinalis, fidem exhibuit ecclesiæ Rotomagensi nonis C Novembris anno 1538. Abdicavit circiter annum 1545.

XXX. Philippus, dictus *cardinalis Bononiensis*, occurrit annis 1547 & 1549.

XXXI. Innocentius *del Monte* cardinalis, dignitatem ab anno saltem 1551 initam, abdicavit anno 1573 in gratiam sequentis.

XXXII. Alexander *Salvagiani* Henrico III regi a consiliis & eleemosynis, rerum potitus est in annum circiter 1600.

XXXIII. Nicolaus II *de Bellengreville*, Calvinianus, de quo in prologo, obiisse dicitur an. 1615, post consignatam sequenti abbatiam. D

XXXIV. Johannes II *de Bellengreville* superioris consanguineus, adhuc puer abbatia donatur in annum 1623, quo duxit uxorem, abbas item Foresti-monasterii.

XXXV. Carolus *de Fontaines de Pellevert* abbatiam sibi a decessore transcriptam an. 1623, tenuit in annum 1627, quo obiit.

XXXVI. Jacobus *de Souvré* ordinis Jerosolymitani apud regem christianissimum orator, Græciæ ballivus, Valentiæ commendator, ac Franciæ major prior, abbas item Tornodorensis ac Montis sancti Michaëlis, de quo in prologo, obiit XI cal. Junii anno 1670. Vide tom. IV, E col. 719.

XXXVII. Nicolaus III *de Bethune-Charrost*, filius Armandi ducis *de Bethune* & Mariæ *Fouquet*, possessionem apprehendit XI calendas Junii anno 1672, extinctus idibus Septembris anno 1699.

XXXVIII. Daniel *de Francheville*, de quo in episcopis Petrocoriensibus tom. II, col. 1487, abbatiam adeptus calend. Novemb. anno 1699, obiit VII calend. Junii anno 1702.

XXXIX. Ægidius *de Beauveau* episcopus Nannetensis, abbatia donatus est III nonas Junii anno 1702, extinctus VIII idus Septembris anno 1717.

XL. Claudius-Ludovicus *de la Châtre*, de quo in episcopis Agathensibus tom. VI, col. 702, factus est abbas anno 1717, mense Novembri. Obiit mense Maio anni 1740.

XLI. N.... *de Saint-Pierre* archidiaconus Rotomagensis, nominatus est a rege anno 1740, mense Septembri.

S. MARTINUS PONTISARENSIS.

HUIC abbatiæ originem dedere duo Pontisaræ illustres viri, Warnerius & Amauricus, qui ædiculam in honorem sancti Germani Parisiorum episcopi prope castrum Pontisarense construxere, ubi pauci monachi principio inhabitarunt: quod discimus ex literis Philippi I regis, anno 1069 apud Pontisaram datis, quibus prima hæc monasterii rudia primordia confirmat. Accitus est ad regendum illud ex Resbacensi asceterio Galterius vir sanctus, qui non multo post in proxima valle ad confluentes Bionæ [a] fluvioli in Isaram, novam exstruxit basilicam in honorem sancti Martini, cujus nomine hactenus cum toto monasterio insignita est, tametsi sanctus Germanus Parisiensis ibidem primarius etiam nunc patronus habetur. Monasterium illud nobilitavit sub abbate Theobaldo, Galterii successore, piissima mulier Hildeburgis, filia Hervei domini Galardonis, quæ post obitum mariti sui Roberti Ibriacensis comitis Mellentini, illuc se recepit, susceptoque sanctimonialis habitu exiguam sibi domunculam ad septentrionalem ecclesiæ partem fabricari curavit, & ibidem reliquum vitæ in magna districtione exegit, ornamenta ecclesiæ, fratribusque vestimenta conficere solita. Infirmorum quoque domum suis impensis, necnon pauperum xenodochium ædificavit. Denique ejus rogatu filius Goellus prædium suum apud Gaudiacum [b], qui locus a monasterio non multum abest, Pontisarensi monasterio largitus est. Ibidem piissima illa matrona, plena dierum & operum bonorum, decessit III nonas Junii sub annum 1115, sepulta in sancti Martini ecclesia, ad murum cellulæ suæ adhærentem. Ad ejus vero tumulum miracula patrata fuisse tradit ejus vitæ scriptor anonymus, quem vulgavere Acherius in Spicileg. tom. II; pag. 686 & seqq. & Mabillonius Act. SS. Bened. tom. IX, pag. 833 & seqq. Nullo tamen cultu hactenus honorata est, neque ejus reliquiæ e tumulo levatæ.

SYLLABUS ABBATUM.

I. SANCTUS GALTERIUS I ortus erat in Ambianorum finibus, pago Vinemacensi, in loco qui Andani-villa [c] nuncupatur, parentibus quorum nomina reticent ejus vitæ scriptores. Literis instructus adolescens, relicta patria secessit ad Resbacense monasterium, ibique monasticen professus, ita in virtutis studio profecit, ut

ut nullus eo dignior ad regendum novum Pontisarense monasterium visus sit; quod munus non nisi ægre admodum subiit. Memoriæ proditum est eum, cum pastoralem baculum pro more illorum temporum in signum investituræ a rege acciperet, manum suam dexteræ regis superposuisse ac dixisse: *Non a te, sed desuper regimen ecclesiæ suscipio;* quod generose dictum omnes, & rex ipse approbarunt. Sed anno circiter 1072 regimen illud impatienter ferens, clam inde recessit, & Cluniacum se recepit, credensque se tutum illic invenisse latibulum, abbatem se esse non indicavit. Interim fratres ejus absentiam moleste ferentes, comperto loco ubi lateret, literis a Johanne Rotomagensi archiepiscopo ad Hugonem Cluniaci abbatem petitis & acceptis, ad cœnobium reverti eum coegerunt. Verum privatæ & solitariæ vitæ studio secessit in quamdam cryptam horridam, monasterio proximam, quæ nuper ad amplificandum exæquandumque abbatialem hortum destructa est; ubi corpus suum inedia, vigiliis & acerrimis verberibus mactabat. Neque hac latebra contentus iterum fugit ad insulam sanctorum Cosmæ & Damiani, in prospectu Turonicæ civitatis positam, ubi mirum est quanta seipse vitæ asperitate discruciaverit. At nec diu illic vir talis ac tantus latere potuit. Tum missa munuscula, & invito data, quæ ille pauperibus erogabat, vir adeo profusæ caritatis, ut egeno ab eo quiddam petenti, cum non haberet quod daret, libros suos donaverit; alteri vero cucullam & tunicam, quæ paulo ante Majoris-monasterii monachi ei dono miserant. Sed tandem indicante quodam peregrino detectus a suis, denuo ad proprium locum reducitur. At non diu illic substitit. Nam paulo post Romam ad Gregorium VII perrexit, ut pontifex ab eo pastoralem sarcinam, quæ ipsi intolerabilis erat, amoliretur. Verum secus quam optaverat accidit, & apostolica auctoritate ad locum suum redire compulsus est. Non dubitat Mabillonius Annal. Bened. tom. V, pag. 59, quin is sit Gualterus, cui sanctus Anselmus lib. 1, epist. 53, scribit, « ut ne contra omnium consilium, contra obedientiam sibi divina dispositione per archiepiscopum suum & regularem electionem injunctam, contra misericordiam & caritatem oves sibi commissas, pastorali cura destitutas, lupis infestantibus lacerandas deserendo exponat, quamdiu vel unam considerat sua cura ad salutem posse proficere: proinde ad monasterium suum redeat, curamque abjectam misericorditer resumat ». Roma reversus vir Dei deinceps evadendi occasionem non quæsivit, nec monachis tantum suis, sed extraneis etiam & quibuslibet potestatibus, imo ipsi etiam regi consulere studuit. Unde aliquando ad Philippi I colloquium profectus, eum libere arguit quod ecclesiasticas dignitates sub pretio conferret, ex quo id mali oriretur, ut episcopi, quibus sacros honores vendiderat, ipsi sacros ordines & manuum impositionem aliis venderent; adeoque rex omnium illorum malorum caput esset. Eodem zelo animatus vir Dei in concilio Lutetiæ congregato, Gregorii papæ decreta constanter asseruit, restititque episcopis, qui ea intoleranda esse causabantur, eisque parendum non esse censebant: qua constantia exasperati episcopi virum Dei multis contumeliis affectum e concilio expulisse dicuntur, & in custodiam extrusisse; unde a quibusdam magnatibus, quibus ejus sanctitas perspecta erat, ereptus est, & in monasterium suum restitutus. Diximus tomo X, col. 1322, quomodo fategerit ut construeretur parthenon Bertoldi-curtis in Ambianorum finibus. Non prætereundum quod terram Morissarti qua donatus fuerat in diœcesi Meldensi, a Galterio episcopo confirmari curaverit anno circiter 1080. Obiit VI aut VII idus Aprilis anno 1094, ipsa nocte inter Parasceven & Sabbatum sanctum media; qua de chronologia legendus Mabillonius, Act. SS. Bened. tomo IX, pag. 812. Crebrescentibus autem ad sancti abbatis tumulum miraculis, de solenni ejus corporis elevatione, qui tunc erat vulgatus canonisandi ritus, cogitatum est. Hæc V nonas Maii anno 1153, sub Guillelmo tunc ejusdem monasterii abbate, ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo, assistentibus sibi utroque Theobaldo Parisiensi & Silvanectensi episcopis, peracta est. Postea vero sacræ exuviæ anno 1294 visitatæ, in novam thecam anno 1658, agente altero Galterio, monasterii commendatario abbate, translatæ sunt. Instrumenta annorum 1153 & 1294 habes apud eumdem Mabillonium ibid.

II. Theobaldus I *sanctæ memoriæ abbas* dicitur in vita venerabilis Hildeburgis, quam supra laudavimus. Ex variis donationibus quæ sub ejus præfectura monasterio Pontisarensi factæ sunt, intelligimus virum fuisse magnæ existimationis, quippe qui a multis qui morti proximi erant, accitus memoratur, ut morientibus succurreret, eisque *officium christianitatis* (sic loquebantur) exhiberet. Obiit, si fides auctori Neustriæ piæ, VI idus Augusti anno 1114. Sed anno 1122, a Girberto episcopo Parisiensi ecclesiam & altare beatæ Mariæ de Moncellis ea lege accepit, ut ibi monachos constitueret. Occurrit adhuc in instrumentis anno 1123: anniversarium vero ejus consignatur in necrologio domestico ad diem III idus Septembris.

III. Guillelmus I obiit ex Neustria pia X cal. Februarii anno 1128. Certe reperitur adhuc in instrumentis una cum Hugone III archiepiscopo Rotomagensi, qui electus est, ut observavimus supra col. 43, vel exeunte anno 1128, vel ineunte 1129: unde Guillelmus abbas dicendus esset obiisse mense Januario anni 1129, juxta recentiorem computandi rationem. Sed in necrologio domestico nullus occurrit Guillelmus abbas, mense Januario. Memoratur unus XVI calendas Maii, alter VI idus Augusti, tertius denique idibus ejusdem mensis.

IV. Theobaldus II, cujus loco auctor Neustriæ piæ inserit nescio quem *Godefridum*, fratres vero Sammarthani nescio quem *Gauterum*, occurrit in tabulario monasterii, annis 1135:

& 1139, in necrologio autem IX cal. Septembris. Videtur rexisse in annum 1146.

V. Guillelmus II *de Mello* genere nobilis, probitate conspicuus, ab adolescentia sacris institutus disciplinis tam in Vezeliacensi in quo susceptus est, quam in Cluniacensi cœnobio, occurrit an. 1153, V nonas Maii, in diplomate Hugonis Rotomag. archiepiscopi, pro apotheosi sancti Galterii. In abbatem Vezeliacensem electus est pridie idus Octobris 1161, post quindecim annos regiminis in Pontisarensi cœnobio, ut diximus tomo IV, col. 471. Successerat igitur Theobaldo II anno 1146. Memoratur in necrologio ad diem III nonas Februarii.

VI. Lescelinus *de Bereglise d'Osny*, quem inter & Guillelmum decessorem suum Sammarthani perperam collocant nescio quem *Hilderium*, successit anno 1161. Etsi electus inconsulto abbate Cluniacensi, confirmatur tamen ab Alexandro III papa, qui simul monasterium liberavit à ditione abbatum Cluniacensium, quibus à tempore sancti Galterii erat subjectum. Occurrit in instrumentis ad annum usque 1175. Obiisse fertur 1176. Memoratur in necrologio ad diem VI id. Januarii.

VII. Godefridus I composuit anno 1177 cum Guillelmo abbate sancti Dionysii super ecclesia *de Chars*. Cum Hilduino presbytero de Arumvilla habuit controversiam de censu solidorum centum, quam sopivit circa annum 1183 Stephanus S. Genovefæ abbas. Meminit necrologium Godefridi abbatis cal. Novembris, sed plures extitere hujus nominis Pontisarenses abbates.

VIII. Guillelmus III *Huboud*, natione Anglus, primum in monasterio Beccensi monachum professus, deinde Grestanensis abbas factus, tum pontisarensem abbatiam adeptus est IV non. Aug. anno 1185, ope Galterii archiepiscopi Rotomagensis. Obiit anno 1190. Sub ejus præfectura monachi Pontisarenses multum relaxarunt de regulari disciplina, unde sub Herlevo ejus successore traditum est monasterium reformationis ergo abbatiæ Sandionysianæ sub titulo prioratûs, ut legitur in literis regis Philippi.

IX. Herlevus, ita vocatus apud Pommerayum, concil. Rotomag. p. 188, dictus etiam Herloinus & Herluinus, in abbatem a monachis electus est dum Walterus Rotomagensis archiepiscopus in Anglia quibusdam negotiis detineretur. Id ubi rescivit ille pontifex, qui electioni præsidendi jus habere contendebat, conquestus est de electione sic facta a monachis, qui ut ei irato facerent satis, rescripto declararunt, ista electione nec archiepiscopo, nec ecclesiæ Rotomagensi quid damni in posterum allatum iri. Benedictus est Herlevus anno 1191, à Mauritio episcopo Parisiensi, jubente Octaviano cardinali & apostolico legato, uti constat ex ejusdem Mauritii literis ad Galterum directis. Anno vero 1196, clarescentibus vitiis monachorum Pontisarensium, monasterium abbati sancti Dionysii reformandum subjecit rex Philippus, annuentibus archiepiscopo & Herluino abbate.

X. Petrus I, electus anno 1198, obiit XVI cal. Februarii anno 1200, idest 1201.

XI. Stephanus I electus est IV cal. Aug. an. 1201, inconsulto archiepiscopo Rotomagensi, unde nova lis exorta est monachos inter & archiepiscopum; sed eam sopivit Octavianus sedis apostolicæ legatus, qui abbatem ab eodem archipræsule postridie benedici jussit, ex Pommerayo sup. Obiisse illum VII cal. Octobr. anno 1224 asserit auctor Neustriæ piæ; sed ad diem quod attinet, memoratur in necrologio V cal. Novemb. Ad annum vero quod spectat, mox patebit vel obiisse, vel abdicasse ante annum 1215.

XII. Nicolaus I *de Margicourt*, cujus meminit necrologium prid. non. Maii, occurrit in tabulis domesticis anno 1207, sed absque cognomine & cum prima duntaxat nominis sui litera N. Idem forte est, qui cum P. abbate Vallis beatæ Mariæ anno 1207, ratam habuit compositionem initam inter priorem sancti Petri de Calvomonte & Johannem presbyterum *de Vaumandois*.

XIII. Bartholomæus, electus anno 1215, occurrit eodem anno, præfecturæ suæ primo, in tabulario sancti Geremari. Præfuit ad annum usque 1224, quo assignatur ejus obitus in necrologio pridie idus Decembris.

XIV. Nicolaus II, electus anno 1225, dedit anno sequenti mense Maio literas quibus permittit parochianis ecclesiæ sancti Martini, ut ob difficultatem in ecclesiam matricem assidue veniendi, in honorem beatæ Mariæ Virginis capellam ædificent in vico qui dicitur *de Maudestor*; sub ea conditione, ut in solennitatibus Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes & sancti Martini, nullum officium in capella celebretur; sed iidem parochiani in principali ecclesia divinis intersint mysteriis. Obiit III nonas Martii anno 1248, id est 1249.

XV. Drogo reperitur anno 1251, extinctus ex necrologio V idus Januarii anno, ut creditur, 1262, id est 1263.

XVI. Galterius II *de Serifontaine*, electus mense Febr. anni 1262, id est 1263, confirmatus est IV idus Martii ejusdem anni ab Odone Rigaldo archiepiscopo, & ab eodem benedictus in abbatia Gemeticensi XV calendas Aprilis sequentis. Abdicavit in gratiam sequentis anno circiter 1274, extinctus ex necrologio III nonas Novembris.

XVII. Leufredus præerat ex tabulis anno 1275, occurritque anno 1282, memoratus in necrologio V idus Decembris.

XVIII. Stephanus II creditur electus esse anno 1295; occurrit in instrumentis anno 1300. Ipse & Johannes abbas Vallis sanctæ Mariæ compromiserunt, anno 1303 mense Maio, de quorumdam fructuum perceptione. Obiit, ex necrologio, IV calendas Decembris.

XIX. Johannes I *de Labbéville*, seu *de Brecourt*, cujus mentio in necrologio ad diem VI

idus Octobris, his verbis: *Obiit Johannes de Brecuria abbas istius ecclesiæ.* Sed ibidem III calendas Octobris, sic legitur: *Obiit Ansellus de Brecuria frater Johannis* de Labbéville, *abbatis istius ecclesiæ.* Unde colligendum videtur *de Brecourt* & *de Labbéville* duo fuisse cognomina ejusdem familiæ, nec duos fuisse Pontisarenses abbates, quorum alteri cognomen *de Brecourt*, alteri vero *de Labbéville;* sed unum duntaxat, qui indiscriminatim sive hoc, sive illo cognomine appellatus fuerit. Verumtamen lapidi sepulcrali hujus abbatis insculptæ sunt duæ abbatum effigies, unde colligunt alii duos ex eadem domo prognatos abbates Pontisarensibus præfuisse; quod etiam verisimilitudine non caret. Ut ut est, Johannis nomen occurrit in instrumentis ab anno 1310, quo ecclesiæ Rotomagensi obedientiam vovit v calendas Novembris, ad annum 1341. Anno 1317, die 18 Novembris, Ægidius Rotomagensis cum suis suffraganeis, apud sanctum Martinum concilium habuit.

XX. Jacobus I *des Ormes*, ex nobili stirpe oriundus, sedebat anno 1345, & obiisse creditur anno 1350. Suo monasterio acquisivit nemora *Destors* a dominis *de Fours*, aliaque nonnulla prædia. Memoratur in necrologio XIII calendas Octobris.

XXI. Stephanus III *Cosson* occurrit in instrumentis anno 1355. Obiit anno 7 Innocentii VI. Memoratur in necrologio VIII calendas Octobris, ac proinde anno 1359.

XXII. Johannes-Margarita *de Villeneuve*, nobili dominorum *de Villeneuve Saint-Martin* familia editus, ex priore Cambliaci Stephano successit. Præerat ex tabulario monasterii anno 1360. Obiit XII calendas Martii anno 1389, id est 1390; sedesque abbatialis vacasse adhuc videtur anno 1393. Sepultus est Johannes in sacello abbatum a Francisco cardinali *de Joyeuse* funditus everso. Modo lapis illius sepulcralis extat in medio mystagogii hac inscriptione insignitus.

Hic jacet abbatis corpus mortale Johannis,
Ortus de villa Martini nomine nova,
Hinc Margaritæ cognomine dicitur apte.
Bis decem & novem annis rexitque gregamen;
Constanter valeant vestigia quæ bene curant.
Anno milleno centeno tres octuagesimo nono
Februorum quinta tresdecim sitque diæta,
Requiem quæsivit summam, terrena relinquit
Deo, verumptamen fac tecum regnitet. Amen.
Hunc tu ita precare, Themericourt, *hujus amore.*

XXIII. Petrus II *du Bois*, dictus etiam *de Villers*, ex loco ubi natus erat, filius videtur fuisse Tristandi *du Bois*, domini *de Villers* & ballivi Ambianensis. Obedientiam pollicitus est ecclesiæ Rotomagensi anno 1394; composuit anno 1395 cum monialibus Malodunensibus pro decimis in territorio sancti Audoëni ad Isaram; obiitque idib. Octobris anno 1401. Visitur

A ejus lapis sepulcralis ad limen sacristiæ, cui inscribitur ejus epitaphium.

XXIV. Matthæus *le Cordonnier*, dictus *Cordubenarii* in necrologio, unde auctor Neustriæ piæ cognomen illi affinxit *de Corbie;* in chartulario vero dictus *Aluptarii*, unde alii cognomen illi indidere *de Louviers;* sed utrinque male. *Cordubenarii* seu *Aluptarii* dicti sunt, qui in pellibus animalium suo quique modo artem suam exercebant; sed & ex artis illius nomine quædam familiæ nomen suum traxere. Extant in archivo sancti Martini Pontisarensis instrumenta plurima Petri, Johannis, Simonis *le Cordouan-*
B *nier*, nec dubitandi locus est quin Matthæus abbas ex eadem aut hujuscemodi familia natus sit. Eum auctor Neustriæ piæ ait sedisse ab anno 1336 ad annum 1349; sed perperam, uti solet vir bonus. Occurrit anno 1402 & annis sequentibus. Adfuit anno 1409 concilio Pisano, & ex minori chartulario judex apostolicus commissus & deputatus est a Martino V. Reperitur in instrumentis usque in annum 1432, quo e vivis excessit X calendas Februarii.

XXV. Petrus III *le Boucher*, electus anno 1432, captivus abductus est anno sequenti Rotomagum ab Anglis, qui & urbem ceperant &
C monasterium suum expilaverant. Redux anno 1441, cum rescire voluisset, ut aiebat ipse, *l'estat du moustier de céens, ne treuva ne denier, ne maille, ne pain, ne vin, ne quelque chose du monde pour vivre, ne por gens, ne por bestes; ains treuva tout plein de fiens l'églyse, le cloistre*, &c. Tum disrupta consolidare, depravata convertere, eversa restaurare cœpit. Obiit anno 1456, aut 1457, memoratus in necrologio VI nonas Octobris.

XXVI. Johannes II *Cheron*, ex ordine Cluniacensi assumptus 1457, occurrit in tabulis anno 1458, extinctus pridie nonas Augusti
D anno 1471, tumulatusque apud Gayam in diœcesi Catalaunensi, ubi monachum induerat.

XXVII. Petrus IV *du Moutier*, ex priore sancti Martini de Cambliaco electus XIV calendas Martii anno 1471, id est 1472, æmulum tandem post longas altercationes summovit anno 1475 Guillelmum *le Groing* monachum Camboniensem, filium Johannis *le Groing* & Heliettæ *de Chamborant*, germanumque Johannis Planipedis & Vernuciæ abbatis, qui electus fuerat VIII idus Septembris anni 1471. Obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi IV nonas Martii anno 1475, id est 1476, obiitque XVI calen-
E das Septembris anno 1494, sepultus juxta sacellum sancti Johannis-Baptistæ.

XXVIII. Petrus V *Coquerel*, ex familia in Bellovacis nobili ortus, æmulum pariter repulit Guidonem *de Villers*, qui electus fuerat XI calendas Septembris anno 1494, factusque est postea abbas sancti Geremari. Petrus obedientiam spopondit ecclesiæ Rotomagensi VII calendas Julii anno 1496, & eodem anno III nonas Decembris, abbatiam transcripsit sequenti.

XXIX. Petrus VI *d'Ongne*, natus apud

Montem-Desiderii in diœcesi Ambianensi, per cessionem præcedentis factus abbas, bullas obtinuit 1497, quo anno obedientiam pollicitus est ecclesiæ Rotomagensi XI calendas Novembris. Quamvis via non æquiori sedem abbatialem conscendisset, dignissime tamen occupavit. Analogium, candelabrum æneum, majorem campanam, thecamque argenteam in qua sancti Walterii caput asservatur, suis expensis fieri curavit. Abbatiam similiter abdicavit in gratiam sequentis anno 1504, obiitque III nonas Februarii anno 1511, id est 1512. Sepelitur ante majus altare, epitaphio decoratus.

XXX. Tussanus *le Cousturier*, natus Gisortii, ex monacho Sandionysiano & priore Calvimontis, cessione Petri factus abbas, sequenti & ipse cessit anno 1512, memoratus in necrologio pridie nonas Martii.

XXXI. Johannes III *Harencq* superioris affinis, in monasterio sancti Petri de Nealpha veteri, diœc. Carnotensis, monachum professus, cessione Tussani abbas evasit anno 1512. Majorem campanam conflari curavit, refectorium ornavit, aliaque nonnulla suo monasterio contulit. Præfuit ad annum usque 1533, quo excessit e vivis VIII vel IX calendas Augusti.

XXXII. Jacobus II *d'Escoubleau de Sourdis*, filius Stephani *de Sourdis* ex Maria *de Tusseau*, monachus sancti Luciani Bellovacensis, factus abbas Pontisarensis anno 1534, & paulo post Mali-leonis, benedictus est IX calendas Aprilis anno 1533, id est 1534, Luteciæ, a Guidone episcopo Megarensi. Transiit anno 1544 ad episcopatum Malleacensem, & abdicavit se abbatia Pontisarensi in gratiam sequentis anno 1545. De eo diximus tom. II, col. 1376.

XXXIII. Sebastianus *de Laubespine*, de quo diximus ibid. col. 540, in episcopis Lemovicensibus, & tomo IX, col. 1074, in abbatibus S. Eligii Noviomensis, abbatiam Pontisarensem primus tenuit in commendam ad annum usque 1556 aut 1557, quo abdicavit. Erat etiam annis 1546 & 1549 decanus sancti Mellonis Pontisarensis. Eodem tempore obtinebat in commendam abbatias sancti Martialis Lemovicensis, sancti Maximini apud Aurelianos, & Bassi-fontis in episcopatu Trecensi.

XXXIV. Johannes-Antonius *Degros* præerat anno 1559, mortuus III nonas Januarii anno 1565.

XXXV. Renatus *Guerault de la Papiniere* occurrit in actis annorum 1568 & 1571.

XXXVI. Carolus *d'Angennes*, dictus cardinalis *de Rambouillet*, occurrit mense Martio anni 1576, male ab auctore Neustriæ piæ & a Sammarthanis ante Renatum collocatus.

XXXVII. Petrus VII *de Gondy*, de quo diximus tomo VII, col. 165, in episcopis Parisiensibus, abbatiam Pontisarensem cui præerat anno 1578, de monasterio optime meritus, cessit anno 1612 in gratiam sequentis.

XXXVIII. Franciscus *de Joyeuse*, quem vide sup. col. 103, in archiepiscopis Rotomagensibus, obiit anno 1615. Sacellum abbatum destrui jussit, in eoque sibi mausolæum extrui; at cœpit ædificare, & morte præventus non potuit consummare.

XXXIX. Henricus *de Lorraine* abbatiam obtinuit quadrimulus, deinde archiepiscopatum Remensem, & utrique nuncium remisit anno 1641. De eo vide tom. IX, col. 160. Tempore ejus pueritiæ reverendis patribus Oratorii cura abbatiæ demandata fuerat, qui ædificia resarciri, villas reædificari, aliaque bene multa monasterio tum necessaria tum utilia, suppeditari curarunt.

XL. Leonorius *d'Estampes-de-Valencé*, antea Carnotensis episcopus, successit præcedenti, tam in abbatia quam in archiepiscopatu. Cessit abbatia ante annum 1648. De eo vide tomo IX, col. 161.

XLI. Johannes-Franciscus *de Gondy* archiepiscopus Parisiensis, præerat ad S. Martinum anno 1648. Obiit anno 1654. Vide tom. VII, col. 174.

XLII. Galterius III *de Montaigu*, nobilis Anglus, major eleemosynarius reginæ matris Caroli II & Jacobi II regum Anglorum, tum eleemosynarius ducissæ Aurelianensis, de abbatia, quam obtinuit an. 1654, infinitis propemodum donis bene meritus est. Capellam sancti Galterii magnifice erexit; cujus corpus theca argentea ditissima contexit. Moniales Anglicas Pontisaram accedentes benignissime excepit, easque juvit in proposito ædificandi monasterii. Patres congregationis S. Mauri induxit in suam abbatiam calend. Julii anno 1655, eamque dimisit anno 1671 in gratiam sequentis. Abbas Nantolii, obiit Luteciæ nonis Februarii anno 1677 in Valetudinario ægrotorum insanabilium, ibidemque tumulatus est.

XLIII. Emmanuel-Theodosius *de la Tour-d'Auvergne*, dictus cardinalis *de Bouillon*, obiit Romæ sacri collegii decanus, VI nonas Martii anno 1715. Vide tom. III col. 468, tom. IV col. 1163, tom. VII, col. 238.

XLIV. Ludovicus *de Thesut* factus abbas ineunte anno 1716, simul abbas sancti Petri in Valle & monasterii S. Johannis Reomensis, obiit anno 1730 mense Octobri.

XLV. Franciscus-Bartholomæus *de Salignac-de-la-Motte-Fenelon*, obiit XV calend. Julii anno 1741, episcopus item Apamiensis.

XLVI. Odetus-Josephus *de Vaux-de-Giry-de-Saint-Cyr* serenissimi delphini hypodidascalus, designatus est abbas anno 1741, mense Septemb. abbas item Vallis-Benedictæ & Claritatis-Dei.

XLVII. N. . . . *de Gouyon* regi ab eleemosynis, renunciatus est abbas anno 1749, mense Julio.

SANCTUS VICTOR APUD CALETES.

S. Vic en C

» Clericus quidam, nomine *Tomor*, » ait Mabillonius Annal. Bened. tom. IV, pag 550, (vel potius *Tormor*, genere nobilis) « ecclesiam sancti Victoris in Caletis hereditario jure sibi competentem S. Audoëni monasterio, «

« cui ad hoc tempus Nicolaus abbas præerat, ea lege contulit an. 1055 » (imo verisimilius paulo ante hunc annum) « ut illic cella monachorum *sub tutela sancti Audoëni & spirituali dominio* institueretur ; ipse vero cum Gilleberto alumno suo apud S. Audoënum factus est monachus. Hanc donationem dux Willelmus literis suis hoc anno datis comprobavit. Hæc cella in abbatiam, postulante Rogerio de Mortuo-mari, cum uxore sua Hadvisa, erecta fuit tempore Johannis archiepiscopi, annuente prædicto Nicolao sancti Audoëni abbate, qui Radulfum e suis primum illius loci abbatem instituit, retenta S. Audoëni monasterio instituendorum ibidem successorum prærogativa. Actum Rotomagi in provinciali synodo anno M. LXXXIV ». Male post Pommerayum Histor. sancti Audoëni, pag. 449, nam synodus illa celebrata est anno 1074 ; & notam hanc chronologicam præferunt literæ Johannis archiepiscopi ea de re confectæ, quas ex eodem Pommerayo Concil. Rotomag. pag. 97, retulimus ad calcem hujus voluminis. Prærogativa illa quot & quantas procedente ætate inter utrumque monasterium suscitaverit lites ostendemus in recensendis abbatibus ; in eo enim uno tota fere Victorinæ abbatiæ vertitur historia. Monachis illa jam a pluribus annis omnino destituta erat, perseverantibus tamen abbatibus commendatariis, quando attributa est mensa conventualis seminario majori Rotomagensi, decreto ab archipræsule interposito XIII calend. Junii anno 1741, rege rem probante literis patentibus, monachis denique S. Audoëni assentientibus pridie idus Julii anno 1742.

De libertatibus & privilegiis huic monasterio concessis, consule, si lubet, diploma Henrici II Anglorum regis Monastic. Anglican. tom. III, pag. 1002.

Series Abbatum.

I. RADULFUS I monachus sancti Audoëni, institutus est abbas anno 1074 a Nicolao abbate ejusdem monasterii, nescio qua de causa prætermissus a Roberto de Monte.

II. Richardus I.

III. Robertus.

IV. Mainardus.

V. Hugo I.

Et istos quatuor ex abbatia S. Audoëni assumtos fuisse asserit Robertus de Monte, qui scribebat anno 1154. Hugo, qui ab Hugone archiepisc. omnia monasterii sui bona confirmari curavit anno 1137 vel 1138, occurrit adhuc in instrumentis an. 1158 ; memoraturque in necrologio sancti Georgii IV idus Februarii, & XVII calend. Novemb. Sed duo fuere apud sanctum Victorem hujus nominis abbates.

VI. Thomas I notatur in eodem necrologio VII calend. Augusti. Sub ejus præfectura videtur abbas sancti Audoëni, forte Aimericus qui obiit anno 1171, nonnihil inscio conventu suo pepigisse cum Victorinis, quo jura sancti Audoëni aut labefactarentur, aut possent periclitari. Quare

A sub Valchelino, Thomæ successore Alexander III papa, ut huic malo mederetur, *jus illud quod abbatia sancti Audoëni habebat in ecclesia sancti Victoris in Caleto, secundum quod a Johanne Rotomagensi archiepiscopo confirmatum fuerat*, confirmavit ipse & communivit bulla data Anagniæ VIII calendas Martii, *non obstante compositione, si qua inter abbatem S. Audoëni & monachos sancti Victoris præter assensum conventus sancti Audoëni aliquo tempore intercessisset.*

VII. Valchelinus sedebat anno 1175 ; adfuit anno 1179 translationi sancti Romani ; præerat adhuc III nonas Februarii anno 1179, id est

B 1180 ; nec videtur esse distinguendus a Valchelino, qui cantoris officium gerebat anno 1171 in monasterio sancti Audoëni.

VIII. Hugo II sedebat circiter annum 1184. « Sub eo, inquit auctor Neustriæ piæ, lis ingens mota est inter monachos sancti Audoëni ex una parte, & monachos Crucis sancti Leufredi & sancti Victoris ex altera ; sed perperam, cum constiterit, teste Henrico Bajocensi episcopo, cum abbatibus Cadomensi, Troarnensi & Cerasiensi, *quod monasterium B. Audoëni Rotomagensis hanc semper libertatem & potestatem in ecclesiis sancti Victoris* de Caux, *& sancti Leufredi de*

C *Cruce, a primis earum habuit fundamentis, quod earum abbatibus viam universæ carnis ingressis, abbas & monachi sancti Audoëni alios de congregatione sua, quos conventus prædictarum eligebant ecclesiarum in locis eorum subrogabant.* Ita illi antistites Lucio papæ scribentes ». Nihil tamen de jure eligendi abbatis sui monachis Victorinis attributo legitur in literis Johannis archiepiscopi anni 1074. Sed jus illud postea, ut credere est, concessum fuerat pactis inter utrumque monasterium conventionibus. Atque huc forte respicit bulla Alexandri III papæ a Valchelino abbate impetrata III nonas Februarii anno 1179, id

D est 1180, in qua jus illud asseritur. Ceterum de lite illa ingenti, quam inter matrem & filiam exarsisse, ait auctor Neustriæ piæ, ne verbum quidem ullum in monumentis. Enixi duntaxat videntur Victorini, forte post obitum Valchelini, ut abbates suos aliunde quam e gremio sancti Audoëni assumerent ; sed repressi ab episcopo Bajocensi & a tribus abbatibus prædictis, quievere tandem ad annum usque 1266. Unde colligas, omnes abbates sancti Victoris usque ad hunc annum nominatos primum pleno jure, atque institutos fuisse ab abbate sancti Audoëni, deinde a Victorinis ipsis electos, sed de gremio sancti

E Audoëni nunquam non assumtos.

IX. Bernardus sedebat annis 1201 & 1209.

X. Rogerius I præerat sub Roberto II Rotomagensi archiepiscopo.

XI. Johannes I dicitur sedisse anno 1216.

XII. Guillelmus I sedebat anno 1231. Abdicavit in manibus Odonis Rigaldi archiepiscopi, VI calend. Januarii anno 1255, ex codice visitationum ejusdem præsulis.

XIII. Ascius, seu Acius, nomen ipse suum scribebat *Acho ;* obedientiam vovit ecclesiæ

Rotomagensi III nonas Martii anno 1255, id est 1256; abdicavit VIII calendas Octob. anno 1265 in manibus Odonis Rigaldi, ex codice visitationum ejusdem præsulis, qui non videtur abdicationem admisisse; obiitque anno sequenti.

¶ Vacante abbatia « per obitum demortui abbatis, inquit auctor Neustriæ piæ, Nicolaus San-Audoënus abbas providit de ea unum ex suis monachis, nomine *Gillebertum* in abbatem sancti Victoris; quo repulsam passo a monachis illius abbatiæ sancti Victoris, statim præfatus Nicolaus abbas abbatiam illam reduxit in pristinum statum prioratus, juxta causam » (legendum *clausulam*) « expresse contentam in authentica scriptura illius erectionis atque fundationis, quæ illi auctoritatem hujusmodi conferebat in tali casu; ex quo ortum est diutinum jurgium ». Dicendum erat Victorinos elegisse Thomam *de Bruieres*, monachum S. Audoëni, nec nisi eo recusante institutum fuisse Gillebertum). « Qua quidem lite pendente, archiepiscopus Rotomagensis inibi vacantiam tunc adesse prætendens propter tempus sic elapsum; quodque virtute Concilii Lateranens. provisio hæc ad se spectaret, de ea providit quemdam monachum Gemeticensem, nomine *Bertinum*. Qua de re abbas San-Audoënus appellavit ad curiam Romanam; sed jurgium istud longo satis tempore perseveravit. Reperitur namque quod anno 1323 Johannes XXI » (legendum XXII) « papa sententiam confirmavit cujusdam cardinalis » (is erat Simon cardinalis sanctæ Priscæ) « cui causa commissa fuerat, qui abbatem sancti Victoris condemnaverat ad 60 florenos » (semel, non vero) « singulis annis persolvendos abbati San-Audoëno; unde appellatio interjecta est, quæ ab eodem summo pontifice remissa fuit tribus post annis discutienda coram abbate sanctæ Trinitatis de Monte, priore sancti Laudi, & decano Rotomagensi : unde partes, compromisso inito, totum processum in ipsum decanum refuderunt dirimendum; quod factum papa ratificat, dans ei denuo potestatem componendi & terminandi partium omnes lites ». (Male hæc omnia. Neque enim post judicium papæ anni 1323 appellavere Victorini; quin imo ad compositionem pronto animo descenderunt. Sequestri pacis nominati abbates Gemetici & sancti Georgii, ac decanus Rotomagensis, qui solus recedentibus aliis rem definivit III idus Januarii anno 1323, id est 1324, sententia quam confirmavit pontifex calend. Decembris sequentis; bullam vero suam executioni demandandam curavit alia bulla data calend. Maii anno 1325). « Et ita jurgium extinctum, atque contestationes omnes consopitæ: abbatia S. Victoris permanente in sua dignitate, & abbate sancti Audoëni in suo jure ut antea, ex præscriptione chartæ erectionis atque fundationis ipsius abbatiæ sancti Victoris, confirmato ». Hæc rursus parum accurate. Nam inter alia definitum, Victorinos deinceps abbatem suum electuros, assumendum alternis vicibus, primum de monasterio sancti Audoëni, deinde de suo ipsorum, vel de alio quolibet si mallent monasterio, tunc vero ab abbate sancti Audoëni, vel eo absente a priore ejusdem monasterii archiepiscopo præsentandum. Toto porro litigationis tempore ab anno 1266 ad annum 1321 pro abbatibus se gesserunt

XIV. Gillebertus, nominatus anno 1266 ab abbate sancti Audoëni;

XV. Bertinus monachus Gemeticensis, nominatus paulo post eodem anno 1266 ab archiepiscopo Rotomagensi, memoratus in instrumentis ad annum 1293, quo obiit, ineunte, ut videtur, mense Junio:

XVI. Radulfus II *du Busc* monachus Victorinus, electus ab ipsis Victorinis anno 1293, confirmatus, benedictusque quatriduo post ab archiepiscopo Rotomagensi, mortuus denique III calend. Novembris anno 1318; &

XVII. Guillelmus II *des Quesnes* monachus Victorinus, electus IX calendas Decembris anno 1318. Hic tamen præfectus est tandem a Johanne XXII papa, salvo utrinque partium jure, XV calendas Februarii anno 1320, id est 1321; obiit autem anno 1340.

¶ *Ludovicus*, quem interseruit auctor Neustriæ piæ Radulfum inter & hunc Guillelmum, omnino expungendus.

XVIII. Richardus II *Piquet* monachus sancti Audoëni, electus est anno 1340 16 Septemb.

XIX. Guillelmus III *le Lyeu* monachus sancti Victoris, electus XIV calendas Februarii anno 1347, id est 1348, sedebat adhuc IV calendas Junii anno 1369.

XX. Rogerius II *Cardon* monachus sancti Audoëni, occurrit in tabulis authenticis D. *de Gaignieres* III idus Octob. anno 1372, & pridie idus Januarii anno 1393, id est 1394.

¶ Bartholomæus jacere dicitur ante crucifixum, idem forte ac Bertinus de quo supra. Huic subrogat auctor Neustriæ piæ Simonem *du Bosc*, quem ait ex monacho sancti Audoëni fuisse abbatem, 1.° sancti Victoris in Caletis, 2.° sancti Vigoris Cerasiacensis, 3.° Gemetici. Sed de eo ad sanctum Victorem posito ne verbum quidem ullum in documentis sive S. Audoëni, sive ipsius sancti Victoris.

XXI. Hugo III occurrit VII calend. Aprilis anno 1397, id est 1398, & VIII idus Januarii anno 1408, id est 1409.

XXII. Guillelmus IV *Roussel* occurrit sine cognomine, calend. Decembris anno 1410, in tabulis ecclesiæ Rotomagensis; obiit anno 1438.

XXIII. Johannes II *de Rouvilliers* ex monacho sancti Georgii prope Rotomagum electus abbas 8 Maii 1439, cum Johanne abbate S. Audoëni convenit Victorinos deinceps abbatem suum electuros assumendum alternis vicibus, primum de monasterio sancti Audoëni, deinde de suo ipsorum monasterio, juxta formam concordiæ a Johanne XXII confirmatæ, de qua supra. Adfuit anno 1442 benedictioni Laurentii *du Quesne* abbatis Insulæ-Dei. (Chart. I col. 58.) Sedebat adhuc XVI cal. Decembris anno 1447. Obierat forte, vel abdicaverat, ante mensem Octobrem anni 1449,

memoratus in necrologio sancti Georgii, xv A calendas Septembris.

XXIV. Guillelmus V sedebat iv idus Octob. an. 1449, ex tabulis authenticis D. *de Gaignieres*, si tamen bene legimus, nam Michael videtur proxime successisse Johanni.

XXV. Michael *Clement* monachus sancti Audoëni, electus iii cal. Octobris anno 1453, obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi nonis Aprilis anno 1456; obiitque iv cal. Februarii anno 1479, id est 1480, episcopus item Megarensis; qua dignitate insignitus erat an. 1466, retenta tunc abbatia in commendam. Sepultus est in choro sancti Victoris.

XXVI. Radulfus III *du Chemin* monachus sancti Victoris, electus iii calendas Februarii anno 1479, id est 1480, & præsentatus archiepiscopo a priore sancti Audoëni, confirmatus est ab archiepiscopo vii idus ejusdem mensis; abdicavitque anno 1507 in gratiam sequentis. Memoratur Radulfus abbas Victorinus, hic nimirum vel Radulfus *du Busc*, in necrologio sancti Georgii ad diem vii idus Novembris.

XXVII. Thomas II *Chambon* monachus Issiodorensis, ex priore sancti Victoris factus abbas bullis pontificiis xii calendas Octobris anno 1507, fidem vovit ecclesiæ Rotomagensi C iii idus Septembris anno 1510; occurrit adhuc anno 1529.

XXVIII. Petrus *de Rouves* monachus sancti Audoëni, electus non. Novembris anno 1530, æmulum nactus est Ludovicum qui sequitur.

XXIX. Ludovicus I *Peurel*, aut forte *Pevrel*, abbatem se commendatarium dicebat ac dominum Monasterii-Ooleri anno 1531, & adhuc anno 1554.

XXX. Jacobus *Giffart* reperitur anno 1557 & anno 1569.

XXXI. Martinus *Saulnier*, male quibusdam *de Sailluyer*, occurrit iii calend. Augusti anno D 1572, & vi idus Augusti anno 1577.

XXXII. Carolus I *Turgot* receptus in Parlamento Normanniæ consiliarius idibus Maii anno 1586, ex tabulario Cameræ Computorum Rotomagensis.

XXXIII. Nicolaus *Giffart* primicerius cardinalis Vindocinensis, præerat anno 1588.

XXXIV. Franciscus I *de Circassis* reperitur viii calendas Junii anno 1599; obiit xiv cal. Aprilis anno 1618, sepultus in choro cum hoc epitaphio: *D. O. M. & æternæ memoriæ Francisci* de Circassis, *Hieronymi in regno Cyprio nobilissimi reguli filii, hujusce sacræ domus cœnobiarchæ,* E *qui peremto patre in expugnatione Nicosiæ, regni metropoli, & a Selimo Turcarum tyranno vi occupata tota insula, a penatibus vixdum annum agens* xiii *avulsus, una cum matre Catharina Zacharia, germanis duobus, ac tribus sororibus, Constantinopolim in servitutem tractus, ac subinde ab* Aly, *purpurato classis Turcicæ præfecto, cum aliquot e nobilioribus insulæ pueris in prætoria triremi avectus, in memorabili illo postea ad Naupactum navali prælio anno 1571 a christiana classe victrice liberatus a Venetis, dein in Galliam amandatus, & reginæ Catharinæ Caroli IX matri commendatus, verum ab illustrissimo principe cardinali a Borbonio innata caritate in munificentissimam familiam suam adoptatus, & studiorum gratia in famulatu illustrissimi principis Caroli II nepotis in regio Navarræ gymnasio admissus, cujus serenissimi principis beneficio hoc cohonestatus est cœnobio; ad quod demum tantis orbatus Mæcenatibus quasi ad asylum, ac suorum metam laborum, confugit: ubi per* xx *annos in his sacris ædibus vetustate deformibus restaurandis, & disciplina regulari, ævi licentia collapsa, revocanda totus incubuit. Sed dum Rotomagum secessisset, ut* B *aliquantulum a tantis sollicitudinibus respiraret, expiravit in Domino anno salutis 1618, ætatis 60,* xiv *kalendas Aprilis.*

XXXV. Ludovicus II *Bretel* decanus ecclesiæ Rotomagensis & consiliarius in Parlamento Normanniæ, possessionem apprehendit anno 1618; obiit archiepiscopus Aquensis anno 1644 aut 1645. De eo diximus sup. col. 121, & tom. I, col. 337.

XXXVI. Claudius *Bretel*, & ipse post patruum decanus ecclesiæ Rotomag. possessionem iniit anno 1646; præeratque adhuc anno 1654.

XXXVII. Franciscus II *de Fontaines-Martel*, extinctus anno 1659.

XXXVIII. Adrianus *de Fontaines-Martel* occurrit vii idus Aprilis anno 1663; obiit vii cal. Februarii anno 1674, sepultus Rotomagi in ecclesia sanctæ Crucis Alutariorum.

§ Vacabat abbatia annis 1676, 1677 & 1681.

XXXIX. Carolus II *de Fontaines-Martel* ordini ecclesiastico valedixit anno circiter 1685.

XL. Renatus-Franciscus *de Beauveau-du-Rivau*, de quo diximus in archiepiscopis Narbonensibus tomo VI, col. 124, possessionem abbatiæ adeptus est anno 1685 mense Aprili; extinctus pridie nonas Augusti anno 1739.

XLI. Franciscus Christophorus *Terrisse* doctor Sorbonicus, canonicus & major archidiaconus ecclesiæ Rotomagensis, archiepiscopique vicarius generalis, antea abbas Callovii, nominatus ad sanctum Victorem iii idus Novembris anno 1739, jura S. Audoëni in sanctum Victorem acriter impugnavit anno 1742, acriter quoque annis sequentibus a monachis sancti Audoëni propugnata.

S. GEORGIUS DE BALCHERI-VILLA.

SAINT GEORGES de Bocher-ville.

QUÆ a Balchero seu Bauchero quodam milite nomen sumsit Balcheri-villa, duabus infra Rotomagum leucis ad dextram Sequanæ ripam in editi montis clivo posita, pertinebat anno circiter 1050 ad Radulfum Tancardi-villæ dynastam. Is, qua pollebat apud Willelmum Normanniæ ducem gratia & auctoritate, primum adolescentis *magister*, tum *aulæ cameræque princeps*, aliorum procerum effusam in Dei cultum pietatem æmulatus, ecclesiam illic in honorem sanctæ Mariæ Georgiique martyris condidit, & canonicorum instructam collegio cum suis, tum

aliorum maxime facultatibus dotavit. Venit pro more suo dotis in consortionem Willelmus, ac Radulfi ceterorumque dona peramplo diplomate non solum roboravit, sed & de suo plurima cum Mathilde conjuge addidit. Quid a clericis ibi degentibus gestum sit tabulæ non loquuntur. Extincto, secundum Ordericum lib. 7, pag. 661, anno 1087 Willelmo, parentaverunt *religiosi viri, collectisque viribus ad sanctum Georgium processerunt, & animam regis secundum morem sanctæ christianitatis Deo commendaverunt.*

Sed ineunte seculo duodecimo solutioris vitæ captos illecebris canonicos ferre non potuit Guillelmus, Radulfi fundatoris filius quintogenitus, Henrici regis Anglorum hereditario jure camerarius. Pulsis itaque clericis anno 1114, monachos ex Uticensi sancti Ebrulfi cœnobio religione celebres accivit, quibus Ludovicum ingenii sanctitatisque fama clarissimum præfecit abbatem. Factum id *judicio majorum* tradit Ordericus lib. 8, pag. 698, quos inter Rabellus camerarius, & ipse Radulfi filius eminebat. Regiam nempe, episcopalem, & apostolicam in id opus auctoritatem adhibuit Guillelmus: quippe, docentibus tabulis, « voluit ac petiit ab Henrico rege, quatenus auctoritate apostolica, & sua, & Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi, & episcoporum totius Normanniæ concederet basilicam sancti Georgii, in qua pater suus Radulfus canonicos constituerat, abbatiam fieri, in qua monachi sub abbate regulari conversatione divinis obsequiis jugiter deservirent ». His minime contentus, donis præterea suis id consecutus est Guillelmus, ut apud posteros monasterii primarius conditor audiret. Chartas Willelmi fundatoris & Henrici II Angliæ regis habes in Monastico Anglicano tom. III, pag. 951 & 952.

At ubi primum rebus aucti monachi florere cœperunt, gravem ab Uticensibus tulere calumniam, qui monasterium abbatiali orbatum dignitate in cellam Utico obnoxiam redigere conabantur. Obstitit cum Theobaldo archiantistite Richardus abbas, & acceptis anno 1225 ab Honorio III papa literis priorem Cantarabiæ, sociosque judices sibi perquam infestos repressit. Haud scio an ad hæc usque tempora perseverarint piæ quædam matronæ, quæ monachorum instar ibidem Christo militabant in ædibus, infimum areæ majoris angulum capientibus ad occidentem. Ut ut est, earum excidere nomina; virtus uni Deo, quem ex animo diligere satagebant cognita, supremi judicii revelationem exspectat.

Ad monachos ut redeamus, mirum est quam multis illi præter monasticum cursum, psalmorum, orationum, suffragiorum, litaniarum ac missarum pensis onerarentur eo ipso tempore quo propter bellorum tumultus & infestationes in ceteris fere monasteriis cessabatur a divinis. Oneri tandem ne succumberent, plurima detraxit Philippus abbas anno circiter 1450 decreto, cujus hæc sunt verba: *Videntes*, inquit, *monasterium nostrum sancti Georgii de Bauquiervilla adeo fuisse de talibus*

A *suffragiis, & adjunctis servitio oneratum, quod vix ab ortu solis, una cum tribus missis ordinariis, usque ad horam duodecimam, ibidem Deo famulantes cultum divinum persolvere poterant; quod videbatur in detrimentum devotionum Deo deservientium: idcirco ne religiosi nostri propter talem verborum prolixitatem tædio Deo dorsum verterent, quoniam accidere posset quod solum ex consuetudine, & sine cordis attentione, ipsorum labia moverentur, interim vero cor malis intentionibus & cogitationibus repleretur; hinc est quod nos Philippus humilis abbas ejusdem monasterii*, &c. Quid tamen fecit in alleviando pondere prudens ac circumspectus abbas? tot ac
B tanta adhuc adimplenda *sub pœna obedientiæ, peccati mortalis & excommunicationis* reliquit, ut apud Balcheri-villam ubi anno 1445 præter Philippum ipsum & Johannem ejus decessorem degebant monachi omnino sex, unius diei pensum adæquaret quod hodie in sanctioribus monasteriis una fere hebdomada pensitatur a quadragenis monachis. His legibus qui tenebantur homines minus quam jumenta, nunquid vel studiorum expertes, vel saltem ab opere manuum liberi, reliquo vitæ strictioris oneri ferendo pares diu esse potuerunt?

Hinc post invectas seculo decimo sexto commendas, cum posthaberetur tandem religionis
C amor, patuit hæreticis Rotomagensem pagum infestantibus monasterium, patuit & maxime basilica cultoribus vacua, quos potior vitæ quam tuitionis sacrorum cura sollicitos agebat. Itaque fuga saluti consulentibus monachis, Calvinistæ sanctorum imagines, reliquias, altarium vasa, quin & altaria ipsa sacrilegis focis super Philippi abbatis & alteram in navi sepulturam devovere: conspurcatam ecclesiam soli fornices a subjectis flammis & interitu liberarunt. At in reliquis ædibus nihil non violatum; quidquid rerum, supellectilis, documentorum supererat, consumtum, direptum, asportatum. Reduces in locum
D monachi sarta tecta pro virili refecerunt; sed fugitivam religionem ante annum 1659 qui revocaret inventus est nemo. Tunc vero procul abjectæ sanctitudinis impatiens Ludovicus-Franciscus *de Bassompierre*, abbas simul & episcopus, congregationis sancti Mauri Patres meliorem rebus formam daturos, calendis Januarii anni sequentis in monasterium induxit.

Ab illis non restituta modo regularis observantia, verum & villis ac censibus cautum diligentissime: senio labascentes hospitum & infirmorum cellas instaurarunt, in quibus diem supremum obiit pridie non. Februarii anno 1694
E Johannes-Ludovicus-Carolus *d'Orléans-Longueville*, ultimus stirpis illustrissimæ surculus, e tritavia paterna Tancardi-villæ dynastas majoribus accensens suis: novum iidem Patres dormitorium excitaverunt an. 1690, cujus primarium lapidem posuit idem serenissimus princeps: angustiora quoque monasterii septa protendere cœperant paulo antea in superiorem montis partem. Hunc molliter assurgentem prominentes sustentant aggeres, simul ad oculorum delicias, simul ad xystos

xystos hortique subjecti fulcimentum erecti. Sed cum aquæ penuria laboraret hortus, in puteo quodam antiquo, 72 pedibus alto, fabricata est anno 1689 antlia pneumatica, quæ cisternam superius constructam, trecentorum plus minus doliorum capacem, replet aquis, unde per subterraneos tubos in concham quæ medium hortum occupat ad altitudinem pedum circiter decem ejaculatæ diducuntur.

Plurimi ex domo seu gente Tancardi-villæ, præter fundatores, ad sanctum Georgium sepulti sunt; atque inter illos miles, cujus tumulus visitur in capitulo paululum e terra prominens, cum sola unius gladii expressa imagine: forte Guillelmus ipsus est monasterii fundator, aut Guillelmus alter, fundatoris filius. Certe de illo sic habent veteres schedæ monasterii: « Willelmus II de Tancardi-villa, Junior dictus, quinto die post susceptum militiæ cingulum, venit ad sanctum Georgium; ibique cum honorifica processione susceptus ab abbate Ludovico & monachis, cum magno gaudio lætantibus, obtulit *gladium* suum super altare, & consilio & admonitione militum qui cum eo venerant, redemit *gladium* suum per dona & confirmationem ecclesiarum, quas ipsa die concessit de suo dominio; & sicut avus illius fundator illius monasterii dederat, confirmavit: scilicet ecclesiam *de Habetot*, &c. » Sed ad abbates transeundum.

Syllabus Abbatum.

I. Ludovicus I ex monasterio Uticensi assumtus anno 1114, *expulsis canonicis de Balkeri-villa*, inquit Ordericus lib. 8, pag. 698, *primus monasticum ordinem cum decem monachis cœpit in sancti Georgii martyris basilica*. Huic Hugo Rotomagensis archiepiscopus confirmavit omnes ecclesias & possessiones monasterii anno 1131. Occurrit 1138 in chartis Gemet. Pepigit anno 1153 cum Waltero Montis-burgi abbate, super ecclesiam sancti Floscelli. Obiit IV idus Octob. an. 1157, sepultus in choro *contra tabernaculum*; ex quibus redarguas Mabillonium, qui eum Annal. Bened. tom. V, pag. 593, ait rexisse annis circiter viginti quatuor.

II. Victor, *monachus sancti Victoris* Caletensis, ex Roberto de Monte, Ludovicum excepit, vir & ipse meritis ac religione præclarus, multaque retulit ab Hugone, Rotroco, Walteroque Rotomagensibus archiepiscopis, multa similiter ab Arnulfo, Radulfoque Lexoviensibus. Delegatus una cum Hugone Lexoviensi archidiacono a summo pontifice, patronatum ecclesiæ sancti Martini de Vetulis asseruit Henrico abbati Fiscannensi, anno primo consecrationis regis Franciæ Philippi, hoc est anno 1179 vel 1180. Occurrit anno 1185 cum Sansone S. Audoëni & Guillelmo Mortui-maris abbatibus. Subscripsit anno 1196 commutationi factæ Richardum inter Anglorum regem & Walterum archiepiscopum. Sedebat adhuc anno 1208, obiitque longævus dierum, idibus Martii, seu XVIII calendas Aprilis, ante annum 1211, sepultus sub tabula marmorea in capitulo quod erexerat.

III. Richardus I sedebat annis 1211 & 1224, rei domesticæ curator studiosus, qui census omnes monasterii describi curavit, & in codicem referri. Videtur is esse Richardus, qui, juvante archipræsule, fregit Uticensium impetiginem, sancti Georgii abbatiam cellis suis addere tentantium. Hoc exemtus vitilitigio pius abbas concessit in fata XVI calend. Januarii.

IV. Gaufridus, anno 1228 memoratus in tabulis, Johannem Nixiensem (forte Nicænum) quondam archiepiscopum ad precum, suffragiorum ac victus societatem monacho congruentem admisit anno 1235. Extinctus idibus Septemb. eodem anno vel sequenti, conditus est in capitulo.

V. Johannes I occurrit in instrumentis anno 1236 mense Septembri, & anno 1244. Obiit V calendas Februarii, sepultus retro majus altare, a latere epistolæ.

VI. Richardus II, vir doctus ac divinæ rei studiosus, multa decrevit an. 1259 ad sacrorum cultum pertinentia, sedebatque adhuc an. 1267. Diem clausit extremum VII calendas Februarii, tumulatusque est ante majus altare, a latere sinistro.

VII. Robertus electus est XVII cal. Septemb. anno 1270; præerat adhuc anno 1282, mense Decembri; denatus est V idus Januarii, conditus in sacello beatæ Mariæ.

VIII. Richardus III occurrit annis 1289 & 1292. Obiit XVI calendas Decembris.

IX. Petrus I sedebat anno 1297. Obiit IV idus Maii anno 1305, sepultus in sacello beatæ Mariæ, a latere epistolæ.

X. Johannes II Rotomagi cum ceteris abbatibus convenit anno 1311, mense Augusto, suas in Viennensi proxime celebrando concilio partes acturus. Obiit IV idus Decembris anno 1324, depositus in sacello S. Johannis, ad suppedaneum altaris, a latere epistolæ.

XI. Petrus II *Sesseliere*, dictus etiam Petrus *Johannis*, occurrit anno 1328. Johannis *Marc-d'Argent* abbatis sancti Audoëni Rotomagensis funus curavit anno 1339. Obiit V idus Novemb. anno 1345, conditus in sacello sancti Laurentii, a latere evangelii, sub lapide qui simplicem monachi refert effigiem, manu sinistra librum tenentis, dextra pedum, non arcuatum, sed in sphærulam desinens, & ultra zonam minime protensum.

XII. Radulfus præerat anno 1355; obiit XV calendas Junii anno 1369, 7 Urbani V, sepultus in sacello sancti Johannis.

XIII. Richardus IV *des Champs*, factus abbas anno eodem, occurrit anno 1375. Obiit VII idus Octobris anno 1393, depositus in sacello beatæ Mariæ, a latere evangelii.

XIV. Guillelmus, cognominatus *Stephani*, monachus Fiscannensis ac decretorum doctor, possessionem abbatiæ adeptus III cal. Decemb. anno 1393, interfuit anno 1403 scacario Normanniæ, causam dicturus de jure piscationis,

quod reclamabat adversus Guidonem toparcham de Grainvilla. Obtinuit anno 1412 a Johanne XXIII papa, vestium pontificalium usum. Extinctus pridie idus Augusti anno 1417, sepulturam nactus est in navi, ante altare quod matutinale vocabant, a latere epistolæ.

XV. Johannes III *l'Abbé*, dictus de Rothomago, prior erat Montis-Leprosorum Rotomago proximi, quando ad abbates S. Georgii evectus, possessionem abbatiæ iniit III idus Novembris anno 1417. Fidem præstitit IV calend. Aprilis anno 1418 ecclesiæ Rotomagensi, & X calend. Martii anno 1419, id est 1420, Anglorum regi. Quæ bellicis cladibus pervasa fuerant prædia recuperaturus, apostolicas Martini V literas expetiit anno 1427. Post diuturnos labores, ærumnasque gravissimas, cum annum ætatis 78 attigisset, in sequentis gratiam an. 1444 abdicavit. Incertum quandiu superstes vixerit, quanquam vivebat adhuc IV nonas Octobris anno 1445. Denatus V calendas Martii, sepulturam accepit in sacello beatæ Mariæ.

XVI. Philippus *Auvré*, de quo in prologo, ex eleemosynario loci factus abbas Johannis concessu, & Eugenii pontificis gratia, possessionem iniit VIII idus Januarii anno 1444, id est 1445. Cum vero cœnobii facultates ob triginta sex annorum bella vehementer accisas ingemisceret, redimendis villis & recuperandis prædiis animum admovit, profecitque adeo ut superiorum temporum injurias quodammodo sarciret, plurimumque fœnus exsolveret. Morbis tandem & senio fatiscens, Rotomagensis archiepiscopi nutu coadjutorem ascivit Theodericum *Davy* Gemeticensem monachum; dein servata proprios in usus 300 librarum annua pensione, officiorumque ac beneficiorum *omnimoda dispositione*, Rotomagum secessit anno 1465, ubi IX cal. Novembris ejusdem anni occubuit, relatus in monasterium, & in sanctuario sepultus a latere evangelii, prope fundatores.

XVII. Theodericus *Davy* monachus Gemeticensis, licentiatus in decretis, post Philippi decessum unanimi fratrum consensu in abbatem est cooptatus V nonas Octobris anno 1465. Benedictione ab archiepiscopo accepta, fidem juravit ecclesiæ Rotomagensi anno duntaxat 1476, ni fallunt Neustriæ piæ characteres numerici; sed vereor ut eorum in locum reponendus sit annus 1466. Ut quid enim toto decennio Theodericus fidem præstare distulisset? cessit mense Aprili 1494, fatoque functus VI idus Augusti anno 1495, depositus est in sanctuario prope altare, a latere epistolæ.

XVIII. Antonius I *Bohier* cardinalis, de quo supra in abbatibus, tam sancti Audoëni col. 153, quam Fiscanni col. 213, & tomo II in archiepiscopis Bituricensibus, col. 94, sedebat ad sanctum Georgium IV calendas Octob. anno 1494; transiit ad Fiscannum anno 1505.

XIX. Antonius II *le Roux* missa Fiscannensi, quam obtinere non potuit abbatia, ut observavimus sup. col. 213, Georgianam apprehendit

A anno, ut videtur, 1506 ineunte; obsequiumque pollicitus est ecclesiæ Rotomagensi idib. Augusti anno 1507. Obiit XI cal. Januarii anno 1535, regularium ultimus, conditus in sanctuario prope chorum, a latere epistolæ.

XX. Jacobus *Hamelin*, cui cognomen *Amelin*, dedimus in episcopis Tutelensibus tomo II, col. 674, abbatiam sancti Georgii tenebat in commendam anno 1536. Obiit anno 1539.

XXI. Johannes IV *de Gagny* Francisco I regi a consiliis & eleemosynis, cancellarius item ecclesiæ Parisiensis & abbas Bonitatis Dei, utramque abbatiam possidebat XIV calendas Februarii

B anno 1539, id est 1540. Obiit Luteciæ IX calendas Decembris 1549, sepultus in regio Navarræ collegio.

XXII. Johannes V *de Guyencourt* doctor theologus, ordinis Fratrum Prædicatorum, regique Henrico II a confessionibus, bullas obtinuit pridie calendas Martii anno 1549, id est 1550. Eum Arturus in Neustria pia celebrat his verbis: *Henrici regis beneficio factus abbas commendatarius sancti Georgii, non recessit tamen ab ea disciplina quam voto promiserat; nec aulæ lenociniis atque opulentia remisit laxavitque juratæ regulæ severitatem. Obiit anno 1553*, abbas item Morosiarum

C in diœcesi Malleacensi, nobis quando hanc abbatiam tomo II, col. 1396, tractavimus incognitus. Illum Hemeræus in Aug. Virom. illustr. pag. 347, tradit dono dedisse Fratribus Prædicatoribus Quintinopolitanis sedilia chori, & ambonem ecclesiæ suæ eleganti arte elaborata. Henricus II Franciæ rex, suadente Johanne, Cameram justitiæ instituerat pro puniendis Hæreticis anno 1548. Obiit anno 1553 VIII cal. Julii, apud Parisios, in conventu sui ordinis.

XXIII. Ludovicus II *de Brezé*, de quo in episcopis Meldensibus tomo VIII, col. 1648, occurrit in tabulis anno 1555.

D XXIV. Hippolytus *d'Est* cardinalis, præerat anno 1556.

§ Mondinius *Priorati*, eques Melitensis, notatur in tabulis a die VII idus Januarii anni 1574, ad IV idus Junii anni 1575, fiduciarius abbas.

XXV. Aloysius *d'Est*, cardinalis Ferrariensis dictus, memoratur in tabulis ab anno 1580 ad annum 1586, IV calend. Januarii.

§ Johannes-Petrus *Tolomei* reperitur duobus in instrumentis anni 1591, & ipse, quemadmodum Mondinius, abbas fiduciarius.

XXVI. Carolus *de Balzac*, de quo diximus

E tomo VII in thesaurariis Sacræ capellæ Paris. col. 247, & tomo IX in episcopis Noviomensibus, abbatiam obtinebat anno 1596. Obiit anno 1625.

XXVII. Ludovicus-Franciscus *de Bassompierre*, de quo in episcopis Santonensibus tom. II, col. 1085, & in abbatibus Caziacensibus tom. IX, col. 434, bullas obtinuit IV calend. Maii anno 1626, extinctus anno 1676.

XXVIII. Ludovicus III *d'Espinay-de-Saint-Luc* regi ab eleemosynis, possessionem

apprehendit IX calendas Septemb. anno 1677; qui cum venationis visendæ causa equum effrenatum conscendisset, ipse equitandi parum gnarus, ab eo præceps actus & raptatus, misere interiit non. Octobris anno 1684.

XXIX. Henricus-Carolus *de Coislin*, post patruum Aurelianensem episcopum regi primus ab eleemosynis, ordinisque sancti Spiritus commendator, de quo plura olim in episcopis Metensibus, nominatus est ad S. Georgium anno 1684, cujus possessionem adiit pridie nonas Aprilis anno 1685, extinctus IV calend. Decembris anno 1732.

XXX. Henricus-Maria-Bernardinus *de Rosset-de-Ceilhes-de-Fleuri* abbatiam dimisit, renuntiatus commendatarius monasterii Resbacensis, cujus possessionem accepit anno 1738, mense Junio.

XXXI. Franciscus, dux *de Fitz-James* dictus, de quo in abbatibus sancti Victoris Parisiensis tomo VII, col. 693, & in episcopis Suessionensibus tomo IX, col. 385, nominatus est ad S. Georgium anno 1738, mense Septembri.

ALCIACUM, *seu* ALBA-MARLA.

DE fundatione monasterii Alciacensis ita Annales Benedictini tom. VI, pag. 192, ex veterrima notitia quam & nos manibus nostris contrectavimus: « In confinio Normanniæ & pagi Ambianensis exstat vetus castellum seu oppidum *(Alba-marla* dictum) nunc Ducatus titulo insigne, cui adjacet ecclesia beatæ Mariæ & sancti Martini, primitus canonicorum, dein cella monasterii S. Luciani Bellovacensis, demum in abbatiam erecta. Hæc ecclesia principio condita fuit in villa quæ dicitur *Alcis*, (quandoque etiam *Auchy)* temporibus Richardi III Normannorum principis, a viro nobili Guerinfrido, qui & ipse castellum Albæ-marlæ super fluvium Augum construxit. In illa autem ecclesia sex canonicos locavit, quibus prædia, decimas, & altaria in vitæ subsidium contulit; quæ omnia postea descripta sunt jussu Adelidis nobilissimæ comitissæ, sororis Willelmi regis Anglorum, confirmante viro suo Odone comite, una cum filio suo Stephano, ut omnis in posterum litis occasio tolleretur. Quin etiam eadem comitissa multa eidem ecclesiæ ornamenta donavit, eamque a Maurilio Rotomagensi archipræsule, cum hæc adhuc juvenili floreret ætate, dedicari curavit; ac demum eam monachis S. Luciani Bellovacensis concessit an. 1096 Stephanus comes ejus filius, quod etiam aliis literis suis confirmavit, & ejusdem ecclesiæ dotem auxit anno 1115. (Anno denique 1130) Stephani comitis filius ac successor Willelmus ipsam ecclesiam in abbatiam erigi voluit, idque probavit Hugo Rotomagensis archiepiscopus, sub certis conditionibus, quarum una fuit, ut ejus loci abbas archiepiscopo Rotomagensi faceret obedientiæ professionem, quam plerique Rotomagensis diœceseos abbates ei denegabant; & ut primus loci abbas ab ecclesia sancti Luciani assumeretur ».

A Hactenus Annales Benedictini, ex notitia quam laudavimus. In illa autem inter optimates qui monasterium primitus donis suis amplificaverunt, recensentur *Julita comitissa, filia dominæ supradictæ* Adelidis, necnon Robertus episcopus Lincolniensis, & Walterus Eboracensis archipræsul; Angliæ primas, qui capellam *de Bristhall*, cum omnibus pertinentiis, indulsit. Verum ob difficultatem percipiendi reditus, hæc bona vendiderunt monachi, uti apparet ex literis Caroli VI Francorum regis, quas edidit auctor Neustriæ piæ, pag. 733.

Patuit multoties monasterium Albæ-marlæ B violentis concussionibus, adeoque attritum erat anno 1393, ut vix in eo sacris celebrandis locus reperiretur. Quinquaginta vero post annos consepultum jacebat in ruinis suis. Domum Dei relevare aggressus est Petrus *Roussel* abbas, regnante Ludovico XII; & ille quidem basilicæ magnificentissimæ quam consecraverat Maurilius archiepiscopus, aliam saltem in centum ac viginti pedes longitudinis porrectam substituit. Post eum Guillelmus *le Roux*, primus commendatariorum, ædes abbatiales & alia quædam ædificia instauravit, multo plura successoribus suis peragenda relinquens. At illi aliarum rerum solliciti, C omnia neglexere; quidam etiam ex eis nedum vetera reficerent, demoliti sunt nova; ut exeunte decimo septimo seculo pro nobili abbatia vidisses basilicam prostratam, loca regularia dejecta, spatium immensum veprium, acervos hac illac lapidum indigestos, unas forte aut alteras superstites parietinas, sed lapsui proximas.

Calamitatem vidit Guillelmus *Anfrie-de Chaulieu*, his temporibus nominatus abbas, nullumque malo remedium afferri posse prætendens, monasticis locum institutis eximendum esse censuit. Nominati hanc in rem inspectores, qui de commodo vel incommodo anquirerent, res- D ponsum dederunt, basilicam ceterasque monasterii ædes ideo corruisse quod & male materiatæ essent & vitiosa haberent fundamenta: reconcinnari ea non posse: locari nova, rem esse impendiosiorem: sumtum illum reditus annorum plus viginti exhausturum: satius esse multo & & convenientius monasterium rescindi, mensam conventualem addici sex canonicis qui in urbana sancti Petri parochia sacra facerent; reliquos tamen, qui abbatum sunt, proventus servari intactos. Placuit abbati inquisitorum & relatio & consilium. Extemplo adit regem, qui literis datis IV nonas Junii anno 1691 incœpto assensus E est; sed intercedente apud summum pontificem monacho uno, negotium hæsit, aliæque admovendæ fuerunt machinæ. Rem igitur tractavit cum abbate Fulcardi-montis Petrus *de l'Espine*, Anfridi successor, qui eo pacto Cistercienses monachos in Alciacum quasi in cellam Fulcardimonti obnoxiam admissurus erat. Restitere autem monachi S. Luciani Bellovacenses, Alciacensium parentes, eoque abbatem perduxere, ut ille tandem mutata sententia pacisceretur idib. Decemb. anno 1703 cum Patribus congregationis sancti

Mauri, qui post probata regi eodem mense A concordata, locum subiere IV calendas Februarii anni sequentis, ædibusque sat commodis & elegantibus intra quatuor aut quinque annos exstructis, basilicam novam super ipsa quæ contra inquisitorum fidem solidissima reperta sunt, veteris ecclesiæ fundamenta excitare cœperunt. In ea sepulti sunt, tam Albæ-marlæ quam Guisiæ ac Nemorosii proceres, numero tredecim aut quatuordecim.

Series Abbatum.

I. Fulco I agmen duxisse dicitur in schedis monasterii, & sedisse adhuc anno 1135. B

II. Natalis dicitur in iisdem schedis sedisse anno 1138. Occurrit in instrumentis anno 1144.

III. Petrus I reperitur annis 1152, 1154, & VI calendas Maii 1157. Anno superiore Robertus Lincolniensis episcopus confirmaverat datas in ipsius diœcesi ecclesias a Stephano comite Albemarlensi monachis de Alceio. Chartam ejus habes in Monastico Anglicano tom. III, pag. 999.

IV. Fulco II pepigit anno 1162 cum Henrico abbate sancti Quintini Bellovacensis.

V. Guillelmus I sedebat eodem anno 1162, mense Julio, & anno 1189. C

VI. Robertus sedisse dicitur annis 1190 & 1204. Occurrit in instrumentis anno 1198, mense Junio.

VII. Martinus I, quibusdam cognominatus *de Riveri*, reperitur annis 1209 & 1212. Abdicavit vel exauctoratus est, adhuc superstes anno 1215.

VIII. Richardus I præerat annis 1219 & 1230.

IX. Wibertus monachus sancti Luciani Bellovacensis, & prior sancti Maxiani, dicitur in Annalibus Benedictinis tom. VI, pag. 193, factus esse abbas anno 1244, de mandato papæ. D Sedebat tamen, ex ipsis monasterii tabulis, anno 1237. Anno autem 1244, vel obiit vel abdicavit.

X. Herbertus sancti Luciani Bellovacensis subprior, æmulum passus est *Guillelmum* ejusdem loci monachum, qui electus est mense Januario anni 1244, id est 1245, electus & ipse eodem tempore. Sed Corbeiæ & Fulcardi montis abbates Herbertum tandem de mandato papæ pleno jure nominaverunt XIII cal. Januarii anno 1250.

XI. Walterus præerat anno 1259, mense Septembri, & anno 1263, mense Decembri.

XII. Guillelmus II sedebat mense Martio E anno 1269, & mense Januario anno 1270, id est 1271, & 1273.

XIII. Hugo sedebat anno 1284. Occurrit adhuc anno 1319.

XIV. Simon *le Long* obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi mense Martio anni 1321, id est 1322; quædam cessit monachis sancti Vandregisili anno 1329. Occurrit adhuc in annum 1330, quo statutum edidit de sigillis monasterii, quod legesis in Annalib. Benedict. tom. VI, pag. 654.

XV. Johannes I *Lardant* sedebat an. 1338, mense Junio, & idib. Maii anno 1356.

XVI. Aubertus *le Fourrier*, inscriptus tertiæ monasterii campanæ, an. 1379 quemadmodum & alia benedictæ: unde credunt Alciacenses monachi antiquissimas totius Normanniæ campanas se possidere.

XVII. Osbertus *Domyer* abdicavit anno 1401.

XVIII. Martinus II electus anno 1401, sedebat adhuc anno 1413.

XIX. Radulfus I *le Chevalier* præerat anno 1428; sed forte duo fuerunt alius proxime post alium hujus nominis abbates: dicitur enim Radulfus obedientiam vovisse ecclesiæ Rotomagensi anno 1417, & iterum pridie cal. Decemb. anno 1428. Ceterum occurrit adhuc Radulphus annis 1436 & 1456.

XX. Richardus II sedebat cal. Octobr. anno 1458.

XXI. Radulphus II vel III occurrit VII cal. Octobr. anno 1466.

XXII. Thomas *Huril* fidem præstitit ecclesiæ Rotomagensi, nonis Aprilis anno 1467, id est 1468. Sedebat pridie nonas Septembris anno 1472.

XXIII. Petrus II *Roussel*, cujus electio ab archiepiscopo confirmata III nonas Martii anno 1473, id est 1474, majorem basilicæ campanam fudit anno 1493; præerat adhuc III nonas Novembris anno 1503.

XXIV. Petrus III *le Roux de Tilly*, ultimus regularium, sedebat VII cal. Septembris anno 1504, & pridie idus Septembris anno 1505.

XXV. Eustachius, abbas regularis, quo anno rexerit incompertum.

XXVI. Guillelmus III *le Roux de Tilly*, canonicus ecclesiæ Rotomagensis, consiliarius in parlamento Normanniæ, ac frater Claudii *le Roux*, toparchæ Burgi-Turoldi, abbatiam quam primus habuit in commendam, favore procul dubio Petri *le Roux* proximi decessoris sui, tenebat anno 1506, præeratque adhuc V idus Octobris anno 1526; imo præfuit forte usque ad mortem quam oppetiit IV calendas Junii anno 1532, sepultus in ecclesia Burgi-Turoldi.

XXVII. Johannes II *du Bellay*, cardinalis, de quo in episcopis Parisiensibus, tomo VII, col. 160, abbatia fruebatur annis 1533 & 1534.

XXVIII. Philibertus d'*Ugny* reperitur idib. Maii anno 1536; obedientiam spopondit ecclesiæ Rotomagensi nonis Novembr. anno 1538, reperitur adhuc in instrumentis XVI calendas Octobris anno 1541.

XXIX. Johannes-Baptista *Juvenal-des-Ursins* præerat XV calendas Decembris anno 1541, & pridie nonas Julii anno 1548.

XXX. Nicolaus *le Roux de Tilly* frater Guillelmi ejusdem cognominis abbatis, consiliarius & ipse in parlamento Rotomagensi, canonicusque & decanus ecclesiæ Cathedralis, abbatiam obtinebat anno 1550; extinctus III idus Septembris anno 1561.

§ Defuncto Nicolao, elegerunt monachi unum

ex suis nomine Henricum *de Masinguehen*, dum vi concordatorum alius à rege nominatus est. Hic tamen, cujus nomen ignoratur bullas anno 1563, nondum obtinuerat. Quare autem & monachi reluctantibus concordatis, quæ apud se jam usu invaluerant, ad electionem processerint, & pontifex designato a rege bullas denegaverit, non videmus. Ut ut se res habuerit, abbatiæ reditibus deinceps potiti sunt aliquot e stirpe Lotharingorum principes sub nominibus personatorum abbatum Francisci *de Hodic*, alias *de Courteville*, Claudii *de Hodic*, & Johannis *Gaultier*, in annum circiter 1580.

XXXI. Claudius *de Lorraine* eques Melitensis, *Albæ-marlæ* dictus, abbatia in commendam bullis obtenta, præerat an. 1581 & 1589, abbas item Becci, occisus anno 1591.

XXXII. Guillelmus IV *du Broc du Nozet* obtinuit a legato apostolico abbatiam in commendam v calendas Augusti anno 1597, per obitum Claudii Lotharingi. Fuit etiam archiepiscopus Seleuciæ, pro-legatus Avenionensis, & abbas S. Ægidii Nemausensis, uti observavimus tomo I, col. 847; & tomo VI, col. 507. Præerat adhuc apud Albam-marlam anno 1623.

XXXIII. Edmundus, sive etiam Amatus *du Broc du Nozet*, patrui coadjutor factus bullis datis IV calendas Januarii anno 1616, titulo abbatiæ per se ipse gaudebat. Obiit Romæ anno 1660, sacræ Rotæ auditorum decanus.

XXXIV. Gaufridus-Alexander *de Jarente de Senas*, a rege designatus, abbatiam capessivit invito Elpidio *Benedetti*, quem summus pontifex pleno jure nominaverat. Abdicavit nupturiens anno circiter 1682 in gratiam sequentis.

XXXV. Guillelmus V *Anfrie-de-Chaulieu* cessit & ipse in gratiam sequentis anno 1696.

XXXVI. Petrus IV *de l'Espine* consiliarius in parlamento Rotomagensi, nominatus est brevi regio XVI cal. Decembris anno 1696. Obiit XVI calendas Januarii anno 1711.

XXXVII. Eduardus *Colbert-de-Turgis*, ecclesiæ Tornacensis præcentor ac vicarius generalis, a rege designatus est VIII calend. Januarii anno 1711, factus postea decanus, vicariusque generalis ecclesiæ Bellovacensis. Obiit in abbatia Belli-becci IV idus Aug. anno 1729; ibidemque tumulatus est prope Johannem *du Maurret*, loci abbatem.

XXXVIII. Audomarus *Jolly-de-Fleury* canonicus Parisiensis, bullas obtinuit IV idus Novembris anno 1729.

VALIDUS-MONS, *aut* VALLIS-MONS, *seu potius* WALONIS-MONS.

Usu invaluisse videtur *Validi-montis*, seu Vallis-montis nomen, quod pro *Galonis* aut *Walonis-monte* improprie dictum est. Locus est ad scaturiginem fere fluvioli Fiscannensis positus, in quo Nicolaus *d'Estouteville*, ipsius loci dominus monachos sub abbate ex Hambeia accitos collocavit sub patrocinio beatæ Mariæ Virginis anno 1169, ibidem tumulatus cum plurimis ex eadem gente optimatibus. Monasterium illud, A cui Johannes Angliæ rex dona quamplurima contulerat, multum a primævo suo statu decidit. Patuit V nonas Octobris anno 1671 ingenti incendio. Post annos aliquot pyramis basilicæ tonitru percussa est, & omnis materiatura consumpta. Corruit deinde navis, quam brevi secutum est claustrum; neque ullæ posthac sarcitæ sunt ruinæ. Ineunte hoc seculo, vel exeunte præcedenti, Ludovicus *de la Fayette*, commendatarius, congregationem sancti Mauri illuc advocare meditabatur; quare ædificatum fuerat dormitorium, monachis sex aut septem hospitandis idoneum. Res quidem ad exitum tunc B non est perducta; verum anno 1753 Henricus Constancius *de Lort de Serignan* episcopus Matisconensis, abbas commendatarius cum eisdem monachis convenit 19 Julii. Accessit superiorum consensus, archiepiscopi Rotomagensis 20 Sept. ducis Valentinensis 3 Octobr. Rex totum confirmavit literis mense Decembri datis & in commentarios majoris consilii relatis 19 mensis ejusdem. Abbatum fere omnium, quorum nomina variis ex documentis excerpta sunt, seriem subjungimus.

ABBATUM INDICULUS.

C I. Gaufridus adfuit anno 1179 translationi S. Romani; sedebat adhuc anno 1188; memoratur in necrologio pridie calend. Aprilis.

II. Nicolaus I occurrit ab anno 1211 ad annum 1228.

III. Petrus I sedebat anno 1242. Frustra eum quidam distinguunt ab abbate quodam nomine *Paulo*, quem præfuisse aiunt anno 1248. Abdicavit Petrus, & in eligendo ipse Vincentio suffragium tulit. Electionem tamen irritam declaravit Odo Rigaldus archiepiscopus; sed eumdem Vincentium pleno jure nominavit IV nonas Jul. D anno 1262, benedixitque idib. Aug. sequentis. Hæc omnia ex codice visitationum ejusdem præsulis.

IV. Vincentius, de quo dicebamus modo, occurrit adhuc anno 1264, extinctus VII idus Aprilis, & sepultus pone majus altare, a latere evangelii.

V. Nicolaus II *de Cumelier* reperitur anno 1290; obiit ex ejus epitaphio VIII idus Decemb. anno 1301, sepultus pone majus altare, a latere epistolæ.

VI. Galterus occurrit annis 1301 & 1315.

VII. Robertus I x calendas Januarii anno E 1327.

VIII. Petrus II, die veneris ante Annuntiationem anno 1329, id est 1330.

IX...... Ignoti nominis abbas.

X. Gerardus *de la Roche*, dictus in suo lapide sepulcrali abbas *decimus*, fidem præstitit ecclesiæ Rotomagensi XVIII calend. Octob. anno 1378. Fundavit sacellum beatæ Mariæ de Pietate. Obiit x calendas Januarii anno 1414, sepultus sub alis chori, a latere evangelii.

XI. Robertus II *de Soteville* fidem juravit Anglorum regi XIV calendas Martii anno 1419.

id est 1420; obiit ex ejus epitaphio IX calend. Maii anno 1434, tumulatus in navi prope sacellum beatæ Mariæ Virginis.

XII. Richardus *Gacoin* sedebat anno 1438; obiit ex ejus epitaphio IV idus Maii anno 1454, conditus in sanctuario, a latere evangelii.

XIII. Simon *Panchevoust*, dictus in epitaphio suo decimus tertius abbas, electus est an. 1454, obiitque III nonas Novembris anno 1479, conditus retro majus altare, a latere epistolæ.

XIV. Christianus *Leure*, electus anno 1479 obedientiam spopondit ecclesiæ Rotomagensi eodem anno III idus Novembris. Obiit VI non. Maii anno 1496, sepultus ante crucifixum.

XV. Petrus III *Rezant*, electus III nonas Maii anno 1496, benedictusque ab episcopo Philadelphiæ suffraganeo archiepiscopi Rotomagensis, obedientiam spopondit IV calendas Junii sequentis, competitorem nactus Ludovicum qui sequitur; memoratus tamen in tabulis ad annum usque 1503.

XVI. Ludovicus I *d'Estouteville* abbatia fruebatur in commendam XIII calendas Augusti anno 1505.

XVII. Johannes *Ribaud* veteranus abbas Beccensis, sedebat apud Walonis montem VII idus Augusti anno 1517; basilicam sat elegantis structuræ, cujus chorus tantummodo superest, ædificavit; obiit XII calendas Julii anno 1558, conditus in sacello beatæ Mariæ Virginis; sed abdicaverat ante obitum in gratiam sequentis, vel exauctoratus fuerat.

XVIII. Carolus *de Bourbon* cardinalis & archiepiscopus Rotomagensis, abbatiam obtinebat XI calendas Maii anno 1552, & pridie idus Martii anno 1582. Interea reperiuntur abbates procul dubio fiduciarii Carolus *de Longueval* III cal. Junii anno 1564; Nicolaus *de Breban* decanus item Andilegi, ab anno 1566 ad annum 1579; forte etiam Nicolaus *Touchart*, qui reperitur IV id. Aprilis anno 1589, vivente adhuc archipræsule; & Nicolaus de *Hacqueville* qui occurrit annis 1605, 1615 & 1618, sub alio Borbonio hujus successore.

XIX. Guillelmus *Helie* monachus sanctæ Trinitatis de monte juxta Rotomagum, vicarius item generalis Francisci Harlæi archiepiscopi, ac doctor theologus, bullas obtinuit VI calend. Maii anno 1622, extinctus Romæ XIV calend. Februarii anno 1640 vel 1641, conditusque apud Fulienses.

XX. Jacobus *Helie* monachus & ipse, patruum, cui ante annum 1638 datus fuerat adjutor, excepit, superstes in annum saltem 1664.

XXI. Nicolaus *Helie*, monasticis etiam legibus addictus, Jacobo forte patruo proxime successit.

XXII. Ludovicus II *de la Fayette*, factus est abbas anno 1670. De introducendis monachis sancti Mauri cum antiquioribus convenit 4 Maii 1676, quibuscum die eadem bona monasterii partitus est. Præfuisse adhuc reperitur anno 1712. Erat etiam abbas Granatariæ & Daloni.

XXIII. Emmanuel-Carolus-Theresia *de Froulay de Tessé* canonicus Lugdunensis, regi ab

A eleemosynis, & major vicarius archiepiscopi Rotomagensis apud Pontisaram, nominatus est abbas mense Maio anni 1729; obiit calendis Maii anno 1730.

XXIV. Henricus-Constancius *de Lort de Serignan de Valras* cleri Gallicani syndicus, nominatus abbas anno 1730 mense Junio, factus est episcopus Matisconensis anno ineunte 1732.

MONASTERIUM VILLARE. Mo VILL

DUABUS leucis supra Portum-gratiæ non longe ab oppido Haresloto, positus est parthenon ille fundatus a sancto Filiberto abbate

B Gemeticensi in prædio nomine Villare, quod ad condendum virginum monasterium acceperat anno 682 à Warattone majore domus regiæ. Hoc enim circiter anno & Ebroinus interfectus est, & Waratto ei successit, & S. Filibertus Gemeticum reliquit, ut Herensi monasterio quod recens condiderat totum se dederet, quemadmodum observavimus supra in eodem sancto abbate, col. 187. Large & abundanter dotatæ fuerant moniales Villaris, & iis anno 831 S. Ansegisus abbas Fontanellensis testamento reliquerat libram unam; & a Normannis aliquanto post fugatæ, lares suos unquam repetiisse non

C videntur. Forte a clericis quibusdam secularibus, seu canonicis, locus aliquandiu occupatus est usque ad initia undecimi seculi, quo circiter tempore attributus est à Richardo II Normannorum duce Fiscannensibus monachis, *ut ex eo facerent quidquid vellent, tamquam ex proprio alodo.* Ch. col. 117.

Sed anno circiter 1030 Robertus dux, Richardi II filius, monasterium illud in priorem statum restituere volens, Johannem Fiscanni abbatem rogavit ut eo cederet, accepto in commutationem monasterio S. Taurini Ebroicensis, quod eodem jure deinceps in alodum tenerent Fiscannenses. Exorato, quamvis ægre, Johanne Ann. tom. I, 154.

D abbate, receptoque tandem Villari in suam potestatem, Robertus parthenonem ibidem mox instaurare cœpit, & novam fundationem apud ipsum Fiscannum a proceribus suis confirmari curavit anno 1035 cum ad iter Jerosolymitanum se accingeret. Leguntur in archivo monasterii Villaris literæ Roberti ducis, in quibus ait « se doluisse tam sancti loci dejectionem, quem S. « Filiberto a Warattone duce eo pacto concessum « fuisse acceperat, ut illic in honore S. Mariæ « monasterium construeret, & virgines sub regulari « disciplina Domino militaturas multis terrarum « possessionibus beneficiatas ordinaret: proinde se «

E decrevisse hunc locum in priorem statum redintegrare, consentientibus fidelibus suis, *& maxime* « *quadam amita mea*, inquit, *nomine Beatrice, id* « *agente & studente, quæ postea habitu mutato* « *Domino illic militare elegit* ». Tum varias eidem monasterio possessiones assignat princeps, vetatque ne in eodem loco alterius sexus ordo habeatur; & si *status sanctæ regulæ depravatus* illic *aliquando defecerit, eodem sexu, eodemque ordine reparetur:* quod sub æternæ damnationis anathemate ratum esse jubet auctoritate Roberti archiepiscopi, episcoporum Hugonis Ebroicensis,

alterius Hugonis Abrincensis, Johannis Fiscannensis abbatis, Gradulfi denique abbatis Fontanellensis, *hujus operis maxime procuratoris, cui eadem amita mea*, ait ille, *sanctæ professionis firmitatem professa est.* Actum *idus Januarii octavo anno regni nostri, quo & Jerusalem petiturus, licentiam eundi a Deo* apud Fiscannum *& sanctis ejus petii, anno ab Incarnatione Domini millesimo trigesimo quinto, regnante Heinrico rege Francorum anno quarto.*

Parent in omnibus abbatissa & moniales archiepiscopo Rotomagensi; gaudent tamen exemtione & jurisdictione spirituali in quasdam ecclesias, cujus exercendæ causa officialem habent, eumdemque vicarium generalem, qui singulis annis interesse debet synodis diœcesanis. Quæ a tempore fundationis ad Danicam usque persecutionem præfuerint abbatissæ ignorantur: ceterarum quæ ab instauratione monasterii rexerunt, seriem exhibemus.

Tabula Abbatissarum
Ab instauratione monasterii.

I. Beatrix, amita Roberti ducis, de qua in prologo, filia notha videtur fuisse Richardi I ducis Normannorum. Sanctimonialis effecta sub magisterio beati Gradulfi Fontanellensis abbatis, Robertum exoravit ut veterem apud Villare parthenonem instauraret, ibidemque paulo post prima instituta est abbatissa. De lite quam habuit anno 1048 cum Gervino abbate Centulensi lege annales Bened. tom. IV pag. 496, aut spicilegium Acherianum, tom. IV. pag. 574.

II. Elisabeth I Beatricem excepit ante annum 1066. Nam Guillelmus nothus antequam imperio suo Angliam adjiceret, quod factum est hoc anno, consuetudinem terræ de Calvelvilla ipsi impertiit. Plurima acquisivit apud Ellæbonnam, seu Juliobonam, fatis functa ante annum 1116 aut 1117. Creditur basilicam monasterii sui, quæ adhuc superest, a fundamentis excitasse.

Inter Elisabetham & Almodim, quæ sequitur, nonnullæ rexerunt abbatissæ, quarum nomina periere.

III. Almodis occurrit anno 1152.

IV. Mathildis I male collocata a Sammarthanis ante Almodim, reperitur anno 1157, diciturque in actis fundationis abbatiæ Vallisazonis, quæ collegit auctor Neustriæ piæ, pag. 848, soror Mathildis imperatricis; quod si verum est, acta enim illa non videntur ab omni parte irreprehensa, matrem habere debuit Elisabetham, sororem Valeranni comitis Mellentini, quæ anno 1135, quo obiit pater ejus Anglorum rex, *innupta permanebat*, ex Willelmo Gemeticensi, lib. VIII, cap. 29.

V. Adelina sedebat VI idus Aprilis anno 1192, quo Cœlestinus III papa omnia monasterii bona confirmavit.

VI. Aliza, seu Ælicia I *de Walteri-villa* occurrit ab anno 1203 ad annum 1232 quo obiit. Litigavit illa acerrime cum archiepiscopo Rotomagensi de juribus monasterii sui spiritualibus; rem autem definiere summi pontifices Innocentius III anno 1215 & Honorius III anno 1217, decretis quæ legesis in Neustria pia pagg. 341 & 340. Eamdem inter & Robertum archipræsulem Rotomagensem litem terminarunt anno 1218 mense Maio episcopus Parisiensis & Michael S. Marcelli decanus.

Anno 1232 post decessum Æliciæ abbatissæ, inquit chronographus Rotomagensis in bibliotheca Labbeana, tom. I, pag. 375, celebrata fuit electio in eodem monasterio, & fuerunt duæ electæ; & repræsentata fuit electio Mauricio archiepiscopo; qui electionem examinavit prout debuit; & comperto quod non fuit servata forma concilii in eligendo, electionem de utraque factam cassavit, & capitulum jure eligendi ea vice privavit; assignavitque eidem capitulo abbatissam Leciam *de Vonsemoncel* (legendum credimus *de Beusemouchel*) sed ipsa non obtinuit abbatiam propter contradictionem regis: & ipse archiepiscopus excommunicavit omnes moniales adhærentes regi in hoc facto & contradicentes prædictæ abbatissæ.

VII. Margarita I *de Guerres*, renunciata abbatissa anno 1237, sedebat adhuc anno 1255. Sub ejus præfectura, anno circiter 1243, abbates sancti Dionysii in Francia & Gemetici plurima statuerunt pro reformatione monasterii.

VIII. Juliana electa est anno 1256 mense Aprili; electionem vero ut minus canonicam rescidit Odo Rigaldus archiepiscopus: sed cum electam idoneam & capacem reperisset, eamdem pleno jure nominavit V calendas Maii ejusdem anni, ac post tres dies benedixit, ex codice visitationum ejusdem præsulis.

IX. Ælicia II electa anno 1258, confirmata calend. Septemb. ejusdem anni ab Odone Rigaldo archiepiscopo, benedicta est ab eodem octavo post die apud Alacrem-montem, ex codice visitationum ejusdem præsulis. Fuit illi, vel Agneti quæ sequitur, cognomen *de Beaumont.*

X. Agnes I sedebat mense Martio an. 1259, id est 1260. Occurrit adhuc A...... mense Februario anni 1271, id est 1272.

XI. Philippa reperitur ab anno 1275 ad annum 1294; gregem suum ad numerum sexaginta sex monialium redegit anno 1291.

XII. Mathildis II *de Mortemer* occurrit ab anno 1302 mense Maio ad annum 1315; pepigit de jurisdictione anno 1314 cum archiepiscopo Rotomagensi.

XIII. Isabellis, seu Elisabeth II, præerat anno 1320 mense Julio, & anno 1324 mense Maio.

XIV. Yolendis *de Preaux* juramentum præstitit Guillelmo *de Durefort* archiepiscopo an circiter 1330.

XV. Johanna I occurrit VII calend. Junii anno 1355.

XVI. Margarita II *de la Riviere* juramentum præstitit Gregorio XI papæ anno circiter 1372, sedebatque adhuc an. 1385, facta postea abbatissa

Jotri. Plurima obtinuit a Clemente VII papa Avenionensi, quæ caute legas in Neustria pia.

XVII. Maria *de Noyers*, nobilissima orta prosapia, sedebat III calend. Augusti anno 1389, extincta pridie idus Januarii anno 1395, id est 1396; vacabatque adhuc abbatia in festis Paschalibus anni 1397.

XVIII. Johanna II *d'Aumont* occurrit III idus Januarii anno 1397, id est 1398, & prid. calendas Octobris anno 1411.

XIX. Isabellis *Ponchin*.

XX. Catharina *de Hardouville*. De utraque nihil reperimus. Priorem Sammarthani anno 1403, posteriorem an. 1408 male collocavere.

XXI. Isabellis III *de Bocherville*, electa IV nonas Januarii anno 1416, id est 1417, Rotomagi in cella sancti Pauli monasterio suo obnoxia, quò propter bellorum motus maxima pars monialium confugerat, obiit pridie calend. Maii sequentis.

XXII. Duranda *Feré* ex priorissa S. Pauli electa abbatissa Rotomagi XVIII calendas Julii anno 1417, quamvis rex & delphinus multum commendassent Mariam *de Hellande*, filiam Roberti *de Hellande*, Ballivi Rotomagensis, monialemque ipsius Monasterii-villaris, tunc vero abbatissam sancti Pauli, diœcesis Bellovacensis, fidem præstitit Anglorum regi XIV cal. Martii anno 1419, id est 1420, & ecclesiæ Rotomagensi calendis Junii anno 1429, obiitque anno 1445 mense novembri, male a Sammarthanis in duas abbatissas dissecta, alteram nomine Durandam, alteram cognomine *Feré*. Male etiam anno 1424 auctor Neustriæ piæ collocavit abbatissam nomine *Agnetem*.

XXIII. Guillelma I *de Tournebu*, electa vel mense Decembri anni 1445, vel mense Januario anni sequentis, obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi exeunte anno 1456, id est ineunte 1457, sedebatque adhuc nonis Martii anno 1466, id est 1467.

XXIV. Agnes II *le Lieur*, ex priorissa S. Pauli electa abbatissa, fidem vovit ecclesiæ Rotomagensi nonis Decembris anno 1469, confirmataque est a summo pontifice eodem anno XIV calendas Januarii. Reperitur adhuc calend. Aprilis anno 1500, id est 1501.

XXV. Johanna III *de Chambray*, antea abbatissa Virginitatis, obsequium juravit ecclesiæ Rotomagensi VI calend. Novembris an. 1503, præeratque adhuc XI cal. Januar. an. 1506.

XXVI. Isabellis IV *le Clerc* ex moniali loci & abbatissa beatæ Mariæ Lexoviensis, electa nonis Aprilis anno 1507, obedientiam pollicita est ecclesiæ Rotomagensi XIV calend. Julii ejusdem anni, sedebatque adhuc anno 1510.

XXVII. Johanna IV *Mustel* obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi XIV calend. Februar. anno 1511, id est 1512. Abdicare coacta est anno 1528, quando jubente rege reformatio monasterii commissa est abbatibus Gemetici & sancti Martini Sagiensis, ac priori sancti Martini a campis Parisiensis; obtinuit tamen prioratum sancti Pauli Rotomagensis.

XXVIII. Quiteria *de Navarre* amita Johannæ *d'Albret*, matris Henrici IV regis, ac monialis beatæ Magdalenæ Aurelianensis, facta abbatissa anno 1528, occurrit adhuc pridie idus Maii anno 1536.

XXIX. Clara *de la Fayette*, sedebat III calendas Novembris anno 1536, fidem juravit ecclesiæ Rotomagensi calendis Februarii anno 1538, id est 1539; cessitque anno 1552 in gratiam sequentis.

XXX. Guillelma II *de la Platiere* materteram excepit bullis datis III calend. Maii anno 1552, benedicta in monasterio suo XVIII cal. Februarii sequentis a Stephano *Paris* episcopo Abelonensi; obiit XI calendas Februarii anno 1589, sepulta in choro.

XXXI. Barbara *Cavelier* a monialibus electa IX calend. Februarii anno 1589, æmulam summovit Mariam *de Brancas*, filiam Andreæ *de Villars-Brancas*, gubernatoris Portus-gratiæ, quam dux Meduanæ nominaverat VII calendas Maii ejusdem anni. Abdicata præfectura pridie calend. Julii anno 1593, obtinuit prioratum S. Pauli, in quo obiit VI nonas Martii anno 1640.

XXXII. Ludovica I *de l'Hopital*, filia Francisci *de l'Hopital*, domini Vitriacensis, monasticenque professa apud moniales Pisciacenses, bullas obtinuit XVIII calendas Octobris anno 1593, & a Francisco *Pericart* episcopo Abrincensi benedicta est in monasterio suo XIX cal. Augusti anno 1596. Illuc reformationem quæ adhuc perseverat induxit anno 1602, obiitque VII idus Junii anno 1643.

XXXIII. Anna *de l'Hopital*, filia Ludovici *de l'Hopital* ac Franciscæ *de Brichanteau*, amitæ data adjutrix bullis pontificiis V calendas Maii anno 1617, benedicta est in monasterio suo pridie calend. Decemb. anno 1643 a Stephano *Puget* episcopo tunc Dardaniensi, deinde Massiliensi; obiitque VIII idus Maii anno 1661.

XXXIV. Ludovica II *de l'Hopital*, filia Nicolai *de l'Hopital*, polemarchi, amitæ facta adjutrix bullis pontificiis nonis Februarii anno 1644, obiit III idus Junii anno 1661.

XXXV. Eleonora-Carola *de Gigault de Bellefont*, monialis S. Trinitatis Cadomensis, abbatiam recusante sorore sua Laurentia *de Bellefont*, quæ parthenonem sui cognominis fundaverat in urbe Rotomago, facta est abbatissa bullis pontificiis VI calendas Septembris anno 1661, benedictaque est in monasterio suo V calendas Maii anno 1662 ab archiepiscopo Rotomagensi. Obiit III calendas Februarii anno 1682.

XXXVI. Laurentia-Magdalena *Kadot de Sebeville* materteram excepit bullis datis XIX calendas Septembris anno 1682, benedictaque est in monasterio suo X calend. Decemb. ejusdem anni a Jacobo-Nicolao *Colbert*, tunc coadjutore Rotomagensi. Abdicavit VIII idus Octob. anno 1740 in gratiam sequentis; obiitque IV calend. Octobris anno 1745.

XXXVII. Magdalena-Eleonora *de Gigault de Bellefont*, filia Caroli *de Gigault de Bellefont* & Mariæ-Catharinæ-Annæ *Binet de Montifroy*, monialis

monialis Belli-montis prope Cæsarodunum, post recusatam anno 1737 abbatiam Moncelli, diœc. Turonensis, nominata est brevi regio ad Monasterium-Villare anno 1740; bullas impetravit non. Decembr. ejusdem anni, ac benedicta est XII calendas Maii anno 1741 apud S. Avitum prope Castrodunum, una cum matertera sua *Bona Binet de Montifroy*, ejusdem sancti Aviti abbatissa, a Jacobo *de Gigault de Bellefont* fratre suo, tunc episcopo Baionensi, postea archiepiscopo Arelatensi, ac demum Parisiensi.

S. AMANDUS ROTOMAGENSIS.

EODEM circiter tempore, quo vicecomes Goscelinus in monte qui Rotomago imminet monasterium SS. Trinitatis, seu sanctæ Catharinæ, construxit, de quo superius actum est col. 124, idem vicecomes & uxor ejus Emmelina aliud monasterium puellis excipiendis in ipsa urbe posuere. Utramque fundationem ad annum 1030 referunt Sammarthani, Mabillonius annal. Bened. tom. IV, pag. 359, & alii; quod si de priori monasterio affirmari licet, de altero tamen in dubium venire potest. Erant enim eodem loci ecclesiæ duæ, una S. Leonardi, altera S. Amandi Trajectensis episcopi, quas abbas & monachi sancti Audoëni in opus novi parthenonis cessere fundatoribus. Tunc autem *in servitium comitis Guillelmi datæ sunt triginta libræ denariorum, quas mulieres quæ ad conversionem venerant, de suis proprietatibus ad locum istum contulerant; sed & abbas Nicolaus pro causis instantibus de his denariis decem libras habuit*, uti legere est apud Pommerayum, Hist S. Amandi, instr. pag. 77. Porro Guillelmus comes, is est Guillelmus nothus, Normanniæ hereditatem non accepit ante annum 1035; Nicolaus vero abbatiam sancti Audoëni adeptus est anno quamprimum 1036. Videtur ergo parthenon Goscelini & Emmelinæ fundatus esse non anno 1030, sed anno quamprimum 1040 aut circiter; nisi forte dicas jura, tam duci Normanniæ quam abbati S. Audoëni debita, aliquot tantum annis post fundationem monasterii pensitata esse. Præter Goscelinum & Emmelinam fundatores, alios benefactores videsis in amplissima charta edita Monastici Anglicani tom. III, pag. 995.

Monasterium illud promiscue sancti Leonardi ac sancti Amandi a primæva origine dictum est; prius tamen successu temporis nomen evanuit. Basilicam, quæ non nisi post quadraginta aut circiter annos perfecta est, consecravit III cal. Octobris anno 1078 Johannes II archiepiscopus, frater primæ abbatissæ. Duobus illa incendiis deformata est, aut penitus consumta annis 1126 & 1248. Instaurata anno 1254, ingenti adhuc ruinæ patuit, cum anno 1569, VII idus Februar. collapsa turris, quæ in altitudinem 80 pedum se extollebat, universam pene concamerationem contrivit. Medio circiter decimo sexto seculo Anna *de Souvré* abbatissa ædificia plurima restituit, quæ viginti millibus librarum & amplius constitere; ab anno autem 1700 ad an. 1704 novata ingentibus impensis culina, refectorium, cella penaria, gynæceum operarium, ædes tiruncularum, conclave lintearium, dormitorium quadraginta duorum cubiculorum ab abbatissa Maria-Elisabeth *Barentin*; sed hæc omnia fortuito ac repentino igne consumta sunt XVIII calendas Januarii anno 1709.

Id juris sibi vindicat parthenon S. Amandi, ut in solenni archiepiscoporum ingressu in urbem suam abbatissæ digitum novi præsulis annulo vestiant, cum ille ex abbatia sancti Audoëni per S. Amandum transiens pergit ad metropolitanam; & ut in ecclesiam suam post obitum præsulis, ac funebria apud S. Audoënum peracta, corpus ejus, monialium similiter precibus commendandi, deferatur. Certe Georgii Ambasiani, hujus nominis primi corpus ad sanctum Amandum delatum est; annulum vero illum præbuit tribus archiepiscopis Anna *d'Arrona* abbatissa, Carolo nempe *de Bourbon*, Francisco *de Joyeuse*, & Francisco *de Harlay*. Abbatissarum catalogum texuit Pommerayus in historia ejusdem monasterii: eumdem nos, sed castigatiorem, lectori offerimus.

SERIES ABBATISSARUM.

I. EMMA I, Johannis II Rotomagensis archiepiscopi soror, male Sammarthanis & Pommerayo dicta *Emmenia*, obiisse dicitur anno 1069.

II. N..... *de S.t Amand* soror Raginoldi *de S.t Amand*, a Pommerayo prætermissa, ante exitum undecimi seculi defuncta est.

III. Marsilia scripsit epistolam Bovoni II abbati sancti Amandi, diœcesis Tornacensis, de quodam miraculo sancti Amandi meritis patrato, ut legere est in Act. SS. Bened. tom. II, pag. 734.

IV. Macelina, anno circiter 1108 extincta, forte a Marsilia non distinguenda.

V. Emma II obiisse creditur anno 1136.

VI. Agnes sedebat annis 1140 & 1170.

VII. Ælicia, a Pommerayo omissa, sedebat sub Rotrodo archiepiscopo. Hujus sigillum vidimus, in quo mulier exprimitur, palla talari cooperta, speculum manu dextera, sinistra flagellum gestans.

VIII. Haïs, ex priorissa Burgi-sedanæ, qui locus a S. Amando pendet, electa abbatissa, obiit paulo post annum 1194.

IX. Mathildis *d'Avranches*. matertera Roberti *d'Esneval*, præerat anno 1196, obiit anno 1204.

X. Mathildis *de la Haie*, filia Richardi *de la Haie*, constabularii Normanniæ, qui fundavit abbatiam Blancæ-landæ, sedebat anno 1205, & mense Augusto anni 1216.

XI. Mathildis *d'Ibleron*, antea monasterii priorissa, occurrit anno 1222, & mense Februar. anni 1240, id est 1241.

5 Hic male collocat Pommerayus nescio quam *Emmam*.

XII. Beatrix *d'Eu I* reperitur anno 1241

mense Aprili, & prid. id. Maii anno 1261. A

XIII. Johanna *d'Ivile I*, Pommerayo ignota, benedicta est ab Odone Rigaldo archiepiscopo v calendas Novembris anno 1261, ex codice visitationum ejusdem præsulis; sedebatque adhuc anno 1262 mense Maio.

XIV. Mathildis IV reperitur anno 1267.

XV. Emmelina *d'Eu* materteram habuit abbatissam Beatricem *d'Eu I*. Electa anno 1268, obiit VII calendas Augusti anno 1286.

XVI. Beatrix *d'Eu* II, soror præcedentis, nondum benedicta anno 1287 mense Aprili, obiit anno 1317.

XVII. Maria *de Pistres*, soror Blanchæ *de* B *Pistres* abbatissæ Mali-dumi, materteram excepit electa pridie calendas Octobris anno 1317, obiitque XIII calendas Martii anno 1330, id est 1331.

XVIII. Alix *de Trie.*

XIX. Johanna *d'Ivile* II sedebat ineunte anno 1337, extincta anno 1345.

XX. Beatrix *Adam*, Pommerayo incognita, præerat exeunte anno 1345, obiit VII calendas Decembris anno 1359.

XXI. Alienordis *de Varennes*, a Pommerayo similiter omissa, electa est anno 1359 mense Decembri; obiit IX cal. Novembr. anno 1362. C

XXII. Petronilla *Boudart*, a Pommerayo quoque prætermissa, electa XVII cal. Decembris anno 1362, sedebat adhuc IV idus Octobris anno 1386.

XXIII. Margarita *de Saane*, consanguinea Guillelmi *de Saane*, thesaurarii ecclesiæ Rotomagensis, qui collegium Thesaurarii dictum fundavit apud Parisios, sedebat IV calend. Februar. anno 1389, id est 1390, obiitque anno 1401, mense Septembri.

XXIV. Mathildis *de Rouville*, filia Petri *Moradas*, domini *de Rouville*, ad pugnam Azincurtensem interfecti, electa est v idus Octobr. D anno 1401; benedicta eodem anno III calend. Novembris ab archiepiscopo Rotomagensi, fidem præstitit Angliæ regi XIV calendas Martii anno 1419, id est 1420: obiit anno 1424.

XXV. Lucia *d'Aubeuf*, obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi XI calendas Januarii anno 1425; obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi XI cal. Januarii anno 1428; hominem exuit IV nonas Septembris anno 1432.

XXVI. Maria *de Bréauté*, post licentiam eligendi petitam, electa VII calendas Octobris anno 1432, confirmata a summo pontifice 21 Martii 1433, benedicta est 17 Maii; regi fidem E dixit XVI calendas Julii anno 1451, extincta pridie idus Aprilis anno 1461, id est 1462.

XXVII. Guillelma *du Croc*, antea priorissa loci, electa XV calendas Maii anno 1462, confirmata ab archiepiscopo eodem anno, XII calendas Junii, obsequium vovit regi XV cal. Septemb. anni sequentis, & ecclesiæ Rotomagensi pridie idus Julii anno 1464; obiitque IV calendas Decembris anno 1475.

XXVIII. Thomasia *Daniel* electa III cal. Decembris anno 1475, obedientiam spopondit ecclesiæ Rotomagensi XV cal. Mart. sequentis, decessitque anno 1482, mense Junio.

XXIX. Yoletta *Sochon*, ex priorissa electa III idus Julii anno 1482, juramentum præstitit eodem anno XII calendas Augusti ecclesiæ Rotomagensi; regi vero prid. id. Jun. anni sequentis: abdicavit nonagenaria in gratiam sequentis anno 1492, mense Junio; obiit v calend. Februar. anno 1498, id est 1499.

XXX. Isabellis *Daniel* amitam habebat Thomasiam *Daniel* abbatissam, bullas impetravit XIII calendas Julii anno 1492, quamvis nondum triginta annos attigisset; fidem vovit ecclesiæ Rotomagensi pridie idus Augusti ejusdem anni: obiit nonis Novembris anno 1517.

XXXI. Guillelma *d'Assy* electa VI idus Novembris anno 1517, æmulam nacta est abbatissam Thesauri, qua tandem anno 1518 summota, permutavit anno 1531 cum sequenti, satis nihilo minus functa apud S. Amandum.

XXXII. Maria *d'Annebaut*, soror Claudii *d'Annebaut* Franciæ polemarchi ac thalassiarchi, Normanniæque gubernatoris, & Jacobi *d'Annebaut* cardinalis, episcopi Lexoviensis, abbatisque Beccensis, ex moniali beatæ Mariæ Lexoviensis priorissa sancti Ludovici Vernonensis, permutatione facta cum præcedenti transiit ad sanctum Amandum bullis datis idib. Maii anno 1531. Benedicta Rotomagi eodem anno v idus Julii a Johanne *le Veneur* episcopo Lexoviensi, assistentibus Boni-portus & Crucis S. Leufredi abbatibus, quo etiam die obedientiam vovit ecclesiæ Rotomagensi, translata est mense Januario anni 1543, id est 1544, ad abbatiam Mali-dumi.

XXXIII. Isabellis *de Vieupont*, materteræ suffecta, possessionem iniit nonis Februarii anno 1543, id est 1544; obiitque eodem anno XII calendas Julii.

XXXIV. Guillelma *de Saint-Germain*, & ipsa Mariæ *d'Annebaut* abbatissæ ex sorore neptis, bullas obtinuit cal. Martii anno 1544, id est 1545, obedientiam pollicita est ecclesiæ Rotomagensi eodem anno III id. Octobr. abdicavit exeunte anno 1594 in gratiam sequentis; rexit tamen ad mortem usque, quam oppetiit anno 1606, mense Julio ineunte.

XXXV. Anna *d'Arcona*, ex nobili familia apud Insubres orta, filia Gasparis *d'Arcona*, qui parentes habuit Johannem-Baptistam *d'Arcona*, & Claudiam *de Saint-Germain*, filiam Heliæ *de Saint-Germain* & Mariæ *d'Annebaut*, bullis impetratis anno 1594 pridie calendas Januarii, possessionem tamen non adiit nisi post obitum Guillelmæ *de Saint-Germain*. Obiit Luteciæ x calendas Martii anno 1630, sepulta in collegio Cluniacensi.

§ Perperam ergo in abbatissis Bertolcurtis Angelicam *d'Estrées* accensuimus abbatissis sancti Amandi, quæ forte nominata tantum fuit.

XXXVI. Anna *de Souvré*, filia Ægidii *de Souvré*, Franciæ polemarchi, & Franciscæ

de Bailleul, ex abbatiſſa Pratellorum facta abbatiſſa ſancti Amandi v nonas Martii anno 1630, obiit pridie idus Martii anno 1651.

XXXVII. Eleonora *de Souvré*, filia Johannis *de Souvré* & Catharinæ *de Neuville-Villeroy*, amitæ data adjutrix bullis pontificiis IV nonas Novembr. anno 1643, benedicta eſt Luteciæ apud Vallem-gratiæ, rege & regina præſentibus, ab archiepiſcopo Bituricenſi III calendas Junii anno 1651, juramentumque præſtitit eccleſiæ Rotomagenſi eodem anno, XVIII calend. Julii; obiit V calend. Septembris anno 1671.

XXXVIII. Magdalena *de Souvré*, ſoror præcedentis, eidemque data adjutrix idib. Octob. anno 1655, obiit VI idus Septembris anno 1691.

XXXIX. Maria-Eliſabeth *Barentin*, filia Jacobi Honorati *Barentin*, majoris conſilii protopræſidis, & Ludovicæ *Boileve*, nominata a rege calendis Novembris anno 1691, bullas obtinuit eodem anno IV cal. Decembr. aſſiſtentibuſque abbatiſſis ſancti Sidonii, & Prati apud Cenomannos, benedicta eſt Luteciæ apud Vallem-gratiæ V calendas Junii anno 1692 ab epiſcopo Montalbanenſi. Obedientiam ſpopondit eccleſiæ Rotomagenſi III calendas Junii anno 1694, obiitque idib. Junii anno 1721.

XL. Claudia-Thereſia-Suſanna *de Durfort de Lorge*, monialis Confluentium prope Luteciam, benedicta Rotomagi XI calend. Octobris anno 1721 in ſacello palatii archiepiſcopalis ab epiſcopo Abrincenſi, fidem vovit eccleſiæ Rotomagenſi idib. April. anno 1727; obiit XII calendas Novembris anno 1745.

XLI. N..... *de Lévy* nominata V nonas Martii anno 1746.

Gratia-Dei.

GRATIA-DEI.

MARIA *Percy*, filia Thomæ *Percy*, comitis Northumbriæ in Anglia, monaſterium ſuæ gentis & ordinis ſancti Benedicti, fundavit Bruxellis anno 1599, cujus & ipſa monialis primum, deinde ſecunda abbatiſſa effecta eſt anno 1616, poſt obitum Johannæ *Barkley*, quæ ex abbatia S. Petri Remenſis educta fuerat ut novæ huic coloniæ præficeretur. Anno 1624 prodiit ex Bruxellenſi parthenone alterum in urbe Gandavo monaſterium; anno autem 1652 ex Gandavenſi tertium migravit Boloniam ſupra mare, quod quamvis literis regis patentibus ſuffultum, vix ea in urbe conſidere potuit, Franciſco epiſcopo totis viribus contra nitente. Annuit tandem exoratus præſul, & electioni abbatiſſæ interfuit ipſe anno 1653, electamque confirmavit: ſed anno 1657 loci pertæſæ moniales aſylum apud Pariſios quæſiere; quod cum neque ære, neque amicorum gratia ſibi parare potuerint, humaniſſime tandem a Galterio *de Montaigu* abbate ſancti Martini Pontiſarenſis exceptæ, ſedem ſuam fixere Pontiſaræ, annuentibus urbis primoribus, ſub his conditionibus: ſcilicet ut moniales numerum non excederent quadrageſimum, nihil fundi acquirerent niſi ad diſtantiam quatuor

A leucarum ab urbe, eo loci tantummodo remanerent uſque dum in Anglia fidem catholicam profiteri liceret, neceſſaria ad victum extra civitatem emerent, & demum exinde diſcedentes domum ſuam aliis religioſis vendere non valerent. Literas protectionis & confirmationis indulſit anno 1658 menſe Maio archiepiſcopus Rotomagenſis, novamque migrationem ratam habuit anno ſequenti menſe Julio rex chriſtianiſſimus, atque ibidem paulo poſt ſacellum ædificavere ſub titulo Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, quem Lucia *Knatchbull*, prima Gandavenſis abbatiſſa, imponi voluit omnibus, quæ de ſuo

B prodirent monaſteriis. Series autem abbatiſſarum, quæ domum illam ſive Boloniæ, ſive Pontiſaræ rexere, hæc eſt.

TABULA ABBATISSARUM.

I. CATHARINA *Wigmore* benedicta XV cal. Novembris anno 1653 ab epiſcopo Bolonienſi, quatuor novitias, itemque ſororem converſam ad vota ſuſcepit. Obiit Boloniæ V cal. Novembris anno 1656; ibidemque ſepulta eſt in oratorio, hoc epitaphio donata: *Cette pierre enchaſſe la plus éminente en vertu Madame Catherine Wigmore fille de Monſieur Guillaume Wigmore*

C *de Suchtan en la comté d'Herford au pays de Galles. Elle fut envoyée ſupérieure en la miſſion de Gand à Boloigne en Picardie. Là elle fut choiſie première Abbeſſe. Son humilité en ſa prélature eſtoit très-remarquable, auſſi-bien que ſon affabilité & manſuétude. Son zele & ferveur n'eſtoit pas moins ardent & rempli de pouvoir. Elle inſtruiſoit par exemple & ſilence, & obtenoit plus par oraiſon & recollection que par autre voye. Elle décéda à Boulongne l'an M. DCLVI le LXVII de ſon âge, XXXI de ſa profeſſion & III de ſa prelature. Elle fut là enterrée en grande eſtime de ſainteté non ſeulement de ſes religieuſes & ſujets,*

D *mais auſſi de l'évêque du lieu, de tout le clergé & de toute la ville; & pour la conſolation de ſes enfans, ſes oſſemens furent tranſportés en notre Egliſe (à Pontoiſe) le VI Juin l'an M. DCLXXI.*

II. Chriſtina *Forſter* filia Richardi *Forſter* baronis *de Storſly*, reginæ Angliæ theſaurarii, benedicta fuit ab epiſcopo Bolonienſi an. 1657, XVI calendas Junii. Vix in abbatiſſam fuerat electa, cum filias ſuas propter aeris intemperiem alioſum transferre cogitavit. Itaque obtentis commendatitiis literis a Bolonienſi præſule an. 1658, VIII calendas Junii, Pontiſaram cum monialibus perrexit; ubi ab abbate ſancti Martini benigne

E ſuſcepta, ab archiepiſcopo Rotomagenſi monaſterii ædificandi facultatem petiit. Qua obtenta, Richardus ejus pater ſumma triginta millia librarum emit domum cum omnibus pertinentiis ad monaſterium conſtruendum, cui biennii ſpatio ſapientiſſime præfuit Chriſtina, quæ diem ſupremum obiit Luteciæ Pariſiorum XVII cal. Januar. anno 1661, ſuæ ætatis 44, profeſſionis 20, & præfecturæ 5, ſepultaque fuit in eccleſia monialium Fulienſium, cor vero ad ſuas Pontiſarenſes relatum, quæ & corpus Pontiſaram transferri

curaverunt non. Junii ejusdem anni, & epitaphio decoraverunt.

III. Eugenia *Thorold de Hough* ex magistra novitiarum in abbatissam assumta, benedictionem accepit Luteciæ idibus Martii anno 1662 in ecclesia monialium Fuliensium. Fato functa est XII calendas Januarii anno 1667, annos 44 nata, professionis 28, præfecturæ vero 6, humo mandatur in oratorio epitaphio donata.

IV. Anna *Newill d'Aburkeveny* filia nobilis viri *d'Aburkeveny*, primi baronis Angliæ, electa III calend. Januarii anno 1667, in ecclesia sancti Martini Pontisarensis idib. Februar. anni 1668, benedicta fuit ab Edmundo archiepiscopo Ardmachano, totiusque Hiberniæ primate, præsentibus Ludovica *de Baviere* Malodumensi abbatissa, ejusque nepti Maria principissa *de Psalm.* Quinquagesimum religionis annum attigit XI calendas Augusti anni 1682, quo die, priore sancti Martini divina celebrante, suam professionem renovavit. De vita cessit anno 1689 XVIII calendas Januarii, nata annos 84.

V. Elisabeth *d'Abridcourt* filia Thomæ *d'Abridcourt* ex Anna *Saunders de Suttoncourt* in Middlesexia, in abbatissam eligitur XI calendas Januarii anni 1689. A Francisco *de Harlay* archiepiscopo Parisiensi apud S. Germanum in Laya, Jacobo Angliæ rege & Johanna regina ejus uxore adstantibus, benedictionem accepit XII calendas Februarii anno 1690. Ea moderante duæ principissæ e stirpe regum Angliæ monasticen amplexæ sunt, videlicet Arabella notha Jacobi II regis, & soror ducis *de Berwich*, dicta de sancto Ignatio, fato functa 1704, anno suæ ætatis tricesimo primo; nec non Barbara itidem notha Caroli II regis, de sancto Benedicto nuncupata, priorissa sancti Nicolai Pontisarensis. Post regimen 20 annorum Elisabeth paralysi tentata, abbatiam dimisit anno 1710 die 4 Martii. Obiit anno 1715, XVIII calendas Septembris.

VI. Anna-Xaveria *Gifford* Henrici *Gifford* domini *de Burschall* in Licestria, ex Johanna *Vaughn de Rueden* in Glocestria filia, electa nonis Martii 1710, inauguratur IV non. April. ejusdem anni, in ecclesia sanctæ Mariæ regalis, ab episcopo Waterfordiensi adjutore archiepiscopi Senonensis, ex Hibernia propter fidem catholicam ejecto. Diem ultimum clausit anno 1711 III idus Februarii, annos 56 nata.

VII. Elisabeth-Josepha *Widdrington* filia baronis *de Blankny* in Lincolnia & Elisabethæ *de Berty*, heredis *d'Eveden* in eodem tractu, ad fidem catholicam cum sua familia convertitur 1675. Postmodum apud beatam Mariam facta monialis, ejusdem monasterii evasit abbatissa anno 1711, cui XV calendas Aprilis episcopus Waterfordiensis in ecclesia sancti Martini benedictionem impertivit. Vitam finivit Elisabeth-Josepha anno 1730 V idus Novembris.

VIII. Maria *Hunloke* filia domini *de Wingerworth* in Derbia, & Catharinæ *de Kettleby* in Lincolnia, cum licentia archiepiscopi Rotoma-

A gensis electa fuit abbatissa anno 1730, VIII id. Decembris, annos 37 nata, & a domino *de Caulet* episcopo Gratianopolitano apud sanctum Martinum Pontisarensem benedictionem accepit.

APPENDIX DE NOVO-CASTRO.

N CH

EXSTAT intra pomeria Novi-castri in Braio Caletorum valetudinarium regium sub nomine S. Thomæ Cantuariensis archiepisc. cujus ædiculam fundaverat ante exitum duodecimi seculi Robertus Burgundus, homo ut videtur pri-
B vatus. Nosocomium illud administrabant canonici regulares, quando Cœlestinus III papa eis concessit anno 1191 parochialia jura in omnes loci habitatores tam sanos quam infirmos. Sed IV idus Martii anno 1652 canonici seu sponte seu ingratiis loco cesserunt quibusdam monialibus quæ ex abbatia Bivallis egressæ, sedem suam fixerant ab anno 1641 in ipsa urbe Novo-castro. Quamvis autem illæ ex Cistercienfium gremio prodierint, nihil tamen de Cisterciensium legibus usibusve præter vestem albam retinuere, parentque in omnibus jurisdictioni archiepiscopi; unde Benedictino ordini potius
C accensendæ videntur quam Cisterciensi, quemadmodum & moniales sancti Sidonii, & aliæ plurimæ. Porro Nosocomium sancti Thomæ monialibus illis attributum est VII cal. Octobr. anno 1555 decreto archiepiscopi, quod rex christianissimus confirmavit literis patentibus anno sequenti, mense Martio; atque hinc parochialibus iisdem juribus utuntur moniales, quibus antea fruebantur canonici. Priorissis illæ ab initio parebant, & adhuc parent. Verumtamen Maria-Anna *le Normant*, alumna Trianguli Parisiensis, nominata est Novi-castri abbatissa literis regiis VII calendas Maii anno 1725, bullisque pon-
D tificiis V calendas Junii sequentis. At quæ eam subsecuta est anno 1742, mense Junio, N.... *le Veneur*, schedula regia, sub titulo non abbatissæ, sed priorissæ nominata est.

AUGUM, *seu* S. LAURENTIUS, *aut* B. MARIA AUGENSIS.

EU.

PLURIBUS demonstratum in Descriptione superioris Normanniæ, tomo I, pag. 45, nomen *Augi* germanica lingua nihil aliud significare quam *prata*. Enimvero posita est urbs Augum fere ad ostium fluminis Briselæ, cujus
E utraque ripa circumfunditur perpetuis pratis & pascuis. In urbe illa, cujus meminit Flodoardus ad annum 925, fundata creditur ineunte undecimo seculo a Guillelmo I comite, Richardi ducis cognomento *Impavidi* filio notho, ecclesia B. Mariæ, clericisque secularibus tradita. Sed ii cum ad perfectiorem vitæ normam tenderent, communitatem vitæ & victus habere cœperunt anno 1119, permittentibus Henrico I comite, Ch. XVI
fundatoris pronepote, & Godefrido archiepisco- col. 21.
copo: unde ecclesia collegiata beatæ Mariæ ad

abbatias evecta est, Robertus vero canonicorum decanus, eorumdem factus est primus abbas. Illos Hugo archipræsul, qui Godefridum proxime excepit, ut legibus & institutis Aroasiæ se submitterent, facile exoravit. At Johannes I comes, Henrici I filius, qui rem probaverat, mutato dein consilio, canonicis Aroasiæ canonicos sancti Victoris Parisiensis substituit: quæ nova rerum facies & clericos & nobiles mirum in modum exasperavit; ita enim ille ad Gilduinum sancti Victoris abbatem anno circiter 1150: *Graviter & aspere*, inquit, *& quasi infestanter barones mei in me insurgentes, totusque clerus meus, multæ quoque religiosissimæ personæ, me affligentes incessanter vituperant.* Vehementius quidem exagitabatur, in quem excommunicationi ipsi non est parcitum: *nolo amplius*, aiebat ille ad eumdem abbatem, *ferre sententiam excommunicationis, quæ proinde super me singulis dominicis diebus datur.* Atque hinc factum est, ut Gilduino significaret, canonicos sancti Victoris in abbatia sua benigne exceptos, vel ad propria reverti oportere, vel ad usus moresque Aroasiensium mores suos componere; quod si neutrum voluerit ille, non solum se canonicis ejus operam nullam præstiturum, sed & facturum omnia ut eos funditus everteret: *quod si hoc non feceritis*, inquit, *veraciter dico quia nunquam amplius eos dilexero, sed destruam in quibus potero.* Remansere tamen in abbatia Augensi canonici Victorini, qui multoties postea capitulis generalibus apud sanctum Victorem interfuere.

Anno 1181 Laurentius, Dublinienfis archiepiscopus, cum in Franciam trajecisset, regem Hiberniæ fratrem suum Angliæ regi reconciliaturus, Augo jam proximus ecclesiam canonicorum prospexit; sciscitantique quorumnam hæc basilica esset, responsum est canonicorum esse regularium ex congregatione sancti Victoris. Tunc ille: *hæc requies mea*, inquit, *in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Gravi morbo tunc laborabat sanctissimus præsul; abbatiam intravit lætabundus, ibidemque beato fine quievit XVIII calendas Decembris ejusdem anni, post restitutos in gratiam ambos reges. Hinc fidelium concursu qui ad tumulum sancti pontificis fundere preces gestiebant, multo celebrior quam antea evasit locus: corpus sancti confessoris e terra levatum est XV calendas Maii anno 1186, & sine ulla putredine repertum; denique Guido I, loci abbas, multum laboravit ut ille in sanctorum ordinem cooptaretur: Romam ipse ea de causa perrexit magnis impensis, neque antea monasterium suum revisit quam rem confecisset. Data est bulla apotheosis III idus Decembris anno 1218, translatum est solenni pompa sanctissimum corpus VI idus Maii anno 1226: dehinc vero ecclesia tanto pignore gloriabunda, sancti Laurentii nomine sensim appellata est, quod retinet usque in hodiernum diem.

Tanta erat hisce temporibus ad venerandas sancti confessoris exuvias populi frequentia, ut de nova æde construenda cogitandum esset. Absoluta fuerat illa eo ipso anno quo corpus sancti Laurentii e terra levatum est, sed igne cœlesti absumta est anno 1426. Eam instaurarunt Johannes *Vallier*, Johannes *Glace*, & Honoratus *Villon*, abbates meritissimi, laminisque plumbeis cooperierunt, ut inter conspicuas Franciæ basilicas merito adnumeretur. In ea conditi sunt Johannes Artesianus, comes Augensis, extinctus VIII idus Aprilis an. 1386: Elisabeth Melodunensis, ejus uxor: Elisabeth Artesiana, eorum filia: Carolus Artesianus, comes Augi: Johanna Savosia & Helena Melodunensis, altera post alteram ejus conjuges: cor Catharinæ Clivensis, comitissæ Augi: anonymus Borbonius, Ludovici-Augusti Borbonii Cenomanniæ ducis filius, dux Albæ-marlæ dictus, fato functus III nonas Septembris anno 1708: Philippus denique Artesianus, comes Augi simul & comes stabuli Franciæ, extinctus Nicopoli in Bulgaria ex ejus epitaphio, XVI cal. Julii anno 1397, cujus mausolæum clathris ferreis undique circumseptum imaginem comitis exhibet in marmore armis instructi, sed absque cassìde & manicis.

Nunc ad abbates qui domum hanc rexere transeundum.

Elenchus Abbatum.

I. Robertus I, ultimus canonicorum secularium decanus, primusque regularium abbas, de quo in prologo, sedere cœpit anno 1119. Ch. XVII. col. 21.

II. Gosselinus, seu Josselinus, præerat anno 1138 ex tabulario Mortui-maris, & X calend. Aprilis anno 1139 ex tabulis domesticis.

III. Rogerius I occurrit in instrumentis ab anno 1148 ad annum 1161. Ex literis Johannis Augensis comitis in Neustria pia editis, pag. 696 cognoscitur eum ab abbate sancti Victoris Parisiensis missum fuisse Augum, ut inibi abbatis munere fungeretur. Concordiam iniit anno 1154 cum Reverino abbate sancti Walarici.

IV. Osbertus jam præerat anno 1175. Privilegium obtinuit anno 1177 pro confirmatione bonorum abbatiæ a Rotrodo archiepiscopo Rotomagensi. S. Laurentio archipræsuli Dubliniensi apud Augum ægrotanti & ad mortem in lecto decumbenti sacramenta ministravit, eumque funeravit anno 1181 die 14 Novembris. Præfuisse ad annum usque 1191 dicitur. Ch. XXVI. col. 29.

V. Hugo sedebat cal. Octobris anno 1196, & anno 1207, ex tabulis Fulcardi-montis.

VI. Ægidius, annis 1210 & 1214.

VII. Guido I, de quo in prologo, præerat anno 1218; eodem anno Philippus rex Francorum capellam B. Nicolai de prato, aliaque dona monasterio contulit, uti testantur ejus literæ quas videsis in Neustria pia, pag. 701. Subscripsit Guido anno 1224 quibusdam statutis editis eodem anno a capitulo provinciali pro munimine disciplinæ regularis. Quædam permutavit anno 1225 cum Reinerio magistro hospitalis *de Boutancourt*. Odoni Rigaldo archiepiscopo

promisit anno 1248, mense Augusto, se mense A Septembri sequenti abbatia abdicaturum, ex codice visitationum ejusdem præsulis.

VIII. Guillelmus I occurrit annis 1250 & 1251.

IX. Guido II anno 1260.

X. Thomas *de Nangi*, nominatus ab Odone Rigaldo archiepiscopo, cui canonici jus suum commiserant, benedictus est ab eodem præsule in sacello Dei villæ pridie nonas Junii anno 1262, ex codice visitationum ejus; sedebatque adhuc anno 1270.

XI. Johannes I anno 1301.

XII. Petrus I obedientiam vovit archiepis- B copo Rotomagensi anno 1312; obiit ex necrologio IV nonas Februarii.

XIII. Robertus II reperitur annis 1378 & 1400. Vitam finivit calendis Junii.

XIV. Thomas II electus est anno 1410, mense Novembri. Carolo VI Francorum regi fidei juramentum præstitit anno 1419 pro temporalibus abbatiæ.

XV. Johannes II *Grenon* fidem vovit ecclesiæ Rotomagensi VI nonas Octobris anno 1420; sedebat adhuc 1430.

XVI. Martinus I *Nicole* regi fidem juravit XVIII calendas Februarii anno 1431. C

XVII. Johannes III *Baucher* fidem vovit ecclesiæ Rotomagensi V idus Decembris anno 1433; præerat adhuc anno 1448.

XVIII. Richardus anno 1451.

XIX. Johannes IV *Vallier*, de quo in prologo, post licentiam eligendi concessam ab archiepiscopo VI idus Novembris anno 1457, ab eodem confirmatus est idib. Decembr. sequentis. Reparavit ecclesiam & sedilia chori confecit. Adhuc superstes anno 1464.

XX. Johannes V *Glace*, de quo in prologo, Monasterioli supra mare natus, electus est anno 1474, eodemque anno confirmatus ab archi D episcopo VIII calendas Junii. Obiit IX calendas Junii anno 1503, ex ejus epitaphio. Hujus tamen meminit necrologium Ulterioris-portus ad diem XIII calendas Junii.

XXI. Honoratus *Villon*, de quo in prologo, ex parocho Credolii factus abbas, obsequium spopondit ecclesiæ Rotomagensi XVII cal. Julii an. 1503. Sedebat adhuc XII cal. Aprilis anno 1508. Notatur in necrologio Ulterioris-portus ad diem XIII cal. Junii. De eo hæc leguntur in obituario Augensi: *Nonis Septembris obiit dominus Honoratus* Villon *hujus ecclesiæ abbas, qui ad reparationem ecclesiæ multum laboravit, ac* E *multis redditibus ampliavit, anno 1511.*

XXII. Johannes VI *de Montpellé*, ultimus regularium, obedientiam pollicitus est archiepisc. Rotomagensi pridie cal. Octobris anno 1511; obiit anno 1531, memoratus idib. Novembr. in necrologio Ulterioris-portus. Sunt & alii regulares quibus locum certum assignare non potuimus, videlicet:

XXIII. Radulfus extinctus ex necrologio domestico III nonas Januarii.

XXIV. Anselmus extinctus ex eodem necrologio idibus Maii.

XXV. Martinus II extinctus, ex eodem necrologio, pridie calendas Novembris.

XXVI. Matthæus extinctus ex eodem necrologio III nonas Decembris.

XXVII. Johannes VII *le Comte*.

XXVIII. Johannes VIII *de Langeac*, primus commendatarius, libellorum supplicum magister, possessionem iniit pridie calendas Aprilis anno 1531, id est 1532, factus paulo post episcopus Lemovicensis, obiitque 1541 mense Julio.

XXIX. Franciscus I *de Tournon* cardinalis & archiepiscopus Ausciensis, abbatiam tenebat 1542 & 1543, quam postea transcripsit sequenti.

XXX. Franciscus II *de Lestrange* occurrit annis 1548 & 1557.

XXXI. Pontius *de Vezenobre* abbatiam obtinuisse dicitur III calendas Januarii anno 1559, occisus Nemausi a Calvinistis anno 1572.

XXXII. Petrus II *d'Elbene* Florentinus, præerat annis 1573 & 1584. Abdicavit in gratiam sequentis.

XXXIII. Eustachius *Pignart* possessionem adeptus dicitur anno 1588; reperitur adhuc anno 1592.

XXXIV. Gasto, seu Vedastus *de Grieu* possessionem adeptus est idibus Decembris anno 1597, præerat adhuc 1598. Abjecit postea togam clericalem, militiæ seculari nomen daturus, resignata in gratiam sequentis abbatia.

XXXV. Nicolaus *de la Place* reginæ ab eleemosynis & archiepiscopi Rotomagensis vicarius generalis, possessionem adeptus est III idus Novembris anno 1601. Repentina morte oppressus in abbatia sua IV idus Septembris anno 1649, ibidem tumulatus est.

XXXVI. Carolus-Mauritius *le Tellier*, septennis puer, postea archiepiscopus Remensis, abbatiam dimisit IV idus Februarii anno 1650.

XXXVII. Rogerius II *de Lorraine*, eques Guisianus dictus, nominatus est a rege VI nonas Martii anno 1650.

XXXVIII. Virginius *Orsini* cardinalis, abbatiam obtinebat annis 1659 & 1675. Vacabat abbatia VIII idus Junii anno 1680, ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis. Verumtamen Petrus qui sequitur, dicitur a rege nominatus anno 1677.

XXXIX. Petrus III *de Calvo* Hispanus, canonicus & major archidiaconus ecclesiæ Helenensis, obiit Luteciæ Parisiorum XII calendas Martii anno 1708.

XL. Maximilianus *de Canillac de Beaufort de Montboissier* nominatus a rege VII id. April. anno 1708, in possessionem missus est IV idus Januarii anno 1709. Obiit XII calend. Februar. anno 1742. Canonicus quondam Brivatensis & sacræ Capellæ Parisiensis.

XLI. N.... *Macé* Consiliarius in Parlamento Parisiensi, nominatus a rege anno 1745, mense Julio.

CORNEVILLA.

DUABUS supra pontem Audomari leucis, ad Riselam fluvium, monasterium illud fundavit anno 1143, subjecitque sub titulo prioratus abbatiæ sancti Vincentii in Nemore, diœcesis Carnotensis, Gilbertus de Cornevilla, nepos ex sorore Waleranni comitis Mellentini cum uxore sua Mathilde, ac filiabus suis Crispina uxore Nicolai *de Tony*, & Eustachia uxore Richardi *de la Mare*; basilicam vero sub nomine beatæ Mariæ Virginis dedicavit anno 1147 Hugo III archiepiscopus Rotomagensis: sed locus aliquanto post ad abbatias evectus est. Historiam fundationis & jura quædam monasterii sui describit charta quædam, quam ex tabulario ejusdem domus erutam vulgaverant Sammarthani: « Anno Incarnationis M. CXLVII sub Hugone archiepiscopo Rotomagensi, ex donatione bonæ memoriæ domini Guilberti *de Corneville*, de assensu & voluntate Mathildis uxoris suæ, & ex donatione recordationis inclytæ Galerani comitis Mellenti, avunculi prædicti Guileberti, & ex donatione, consilio, auctoritate & assensu felicis recordationis Hugonis supradicti archiepiscopi Rotomagensis, in valle vulgo dicta *de Risle*, diœcesis Rotomagensis, fundata fuit abbatia *de Corneville* ordinis canonicorum regularium S. Augustini, & dedicata fuit beatæ Mariæ Virgini, sub festivitate gloriosæ illius Assumtionis, die tertia Septembris ejusdem anni a dicto Hugone Rotomagensi archiepiscopo, cui abbatiæ plurimæ indulgentiæ, multaque privilegia a summis pontificibus, Eugenio, Clemente, Alexandro, Urbano concessa fuerunt, & confirmata a Bonifacio VIII summo pontifice. Habet autem dictum monasterium, parochias videlicet *de Corneville, Coltot, Vattetot, Cauverville*, cum omnibus decimis, & pertinentiis & capellam sancti Laurentii vulgo *de Formetuit*, cum omnibus etiam pertinentiis & decimis, cum jure patronatus earum, quibus canonici dicti monasterii debent deservire, quod totum fuit concessum & donatum ex liberalitate dicti Hugonis archiepiscopi: habet præterea parochiam *de Villequier* cum omnibus pertinentiis, decimis & jure patronatus, cui canonici debent deservire, ex donatione domini Roberti *de Villequier*. Habet etiam capellam seu prioratum, vulgo *de Rondemare*, ex donatione domini cujusdam *de Francour*, cum omnibus pertinentiis & jure patronatus, parochiam *de Fierville* cum omnibus pertinentiis & jure patronatus, cui canonici debent deservire, & prioratum sancti Johannis *de Beaumont le Roger* ».

Cum ætate procedente matrem inter & filiam, id est abbatiam sancti Vincentii & Cornevillam, de imperio & servitute gravis esset orta discordia, definitum est in synodo archiepiscopali, celebrata anno 1233, mense Novembri, juris esse abbatis sancti Vincentii visitare semel in anno, sæpius vero si necesse esset, abbatiam Cornevillæ; canonicos delinquentes corrigere; in choro

A simul & in refectorio præsidere, post mortem abbatis, duos ex suis canonicos delegare, qui electioni novi abbatis suffragarentur. Ruit fundimus anno 1287, VI idus Augusti monasterium, igne cœlesti percussum; & ecclesia, dormitorium, cœnaculum, domus abbatis, capitulum, horreum, chartophylacium, reliquiæ, vasa sacra, vestiarium, omnia miserabiliter in favillas abiere. Revixit tamen domus cineribus suis superstes; sed novas postea calamitates experta, vix ac ne vix quidem faciem monasterii præferebat ineunte decimo septimo seculo. Longius perseveravit malum. At anno tandem 1659, XVI calendas Aprilis

B canonici regulares congregationis Gallicanæ in locum introducti, & disciplinam regularem, & ædificia omnia a fundamentis resarciere.

Abbatum qui monasterio præfuere hanc tabulam exhibemus.

ELENCHUS ABBATUM.

I. OSBERTUS I obiit nonis Aprilis, ex necrologio domestico.

II. Guillelmus I sedebat anno 1196, calend. Octobr. & anno 1200, ex charta quam habes apud Pommerayum Concil. Rotom. p. 197. Obiit IV nonas Novembris, ex eodem necro- Ch. XXVI. col. 29.

C logio.

III. Hugo obiit XVIII calendas Septembris.

IV. Martinus I obiit ex utroque necrologio Cornevillæ & Burgi-achardi XVIII calendas Februarii.

V. Martinus II, postea monachus Cisterciensis, obiit pridie calendas Aprilis. Extat apud Pommerayum Concil. Rotomag. pag. 221 charta compositionis factæ anno 1233 inter abbatem S. Vincentii in Nemore, & Martinum primum hujus nominis aut secundum, abbatem Cornevillæ.

VI. Petrus I sedebat ex tabulario Fontanel-

D lensi anno 1252 mense Augusto, & anno 1254 mense Julio. Necrologus Cornevillæ hæc habet ad diem VII calendas Maii: *obiit Petrus parvus, pater domini Petri* Ferrant *abbatis nostri*; quæ utrum de Petro I, an de alio ejusdem nominis intelligenda sint non liquet. Certe hunc abbatem appellaverunt Sammarthani Petrum *Martin*.

VII. Nicolaus I *de la Croix* cedente Petro electus, benedictus est in sua abbatia IV idus Septembris anno 1262 ab Odone Rigaldo archipræsule. Obiit pridie calendas Decembris.

VIII. Petrus II præerat anno 1265 mense Maio.

E IX. Galerannus obiit VIII idus Augusti.

X. Nicolaus II *le Chambellan* obiit V calend. Martii anno 1284, id est 1285.

XI. Osbertus II *de la Prée* sedebat exeunte anno 1284 hoc est ineunte 1285; obiit pridie idus Julii anno 1293. Sub eo Philippus IV rex Francorum bona & possessiones monasterii confirmavit anno 1287.

XII. Johannes I *le Cordonnier* præerat anno 1293; obiit III nonas Octobris anno 1305.

XIII. Petrus III *le Comte* sedebat XVIII cal.

Februar. anno 1305, id est 1306, & anno A 1322 mense Aprili.

XIV. Petrus IV *Coton* præerat cal. Martii anno 1346, id est 1347, ex tabulario Fiscannensi. Obiit pridie idus Julii.

XV. Adamus *Cauvel* sedebat XIII calendas Octobris anno 1380, & pridie nonas Maii anno 1393.

XVI. Ludovicus I *d'Auge* obiit III idus Oct. anno 1398.

XVII. Robertus *Saquen*, (male in quibusdam schedis appellatus *Coquet*) sedebat anno 1403 mense Maio, fidem juravit ecclesiæ Rotomagensi V cal. Maii anno 1418. Sepultus est B in sanctuario sub lapide cui annus obitus inscribi cœptus in hunc modum : *Anno MCCCC....* ultimam manum non recepit.

XVIII. Johannes II hominium præstitit regi Angliæ XIV calendas Martii anno 1419, id est 1420; tum clientelam vovit ecclesiæ Rotomagensi anno 1424.

XIX. Guillelmus II *le Caron* præerat anno 1430 & id. Februar. anno 1452, id est 1453.

XX. Johannes III *Martin* factus abbas anno 1454, sedebat adhuc IV nonas Junii anno 1472, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XXI. Petrus V *du Mont*, antea capellanus C seu prior Rotundæ maræ, electus est abbas IV nonas Septembris anno 1473; obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi XI calendas Martii ejusdem anni, id est 1474; sedebatque adhuc X calend. Septembris anno 1496. Obiit anno 1499.

XXII. Johannes IV *du Fay*, regularium ultimus, confirmatus est ab archiepiscopo Rotomagensi XIII calendas Octobris anno 1499; abdicavit ante annum 1544; obiitque XV cal. Maii anno 1548.

XXIII. Radulphus *du Mont*, de quo schedæ Rotomagenses & Cornevillæ, hic collocandus videtur. D

XXIV. Benignus *le Clerc de Fleurigny*, male appellatus a Sammarthanis *de Cleres*, regi ab eleemosynis, & prior beatæ Mariæ de Parco, occurrit in tabulis anno 1548; obsequium pollicitus est ecclesiæ Rotomagensi XV calend. Maii anno 1552. Obiit anno 1576.

XXV. Goussinus *de Malepiece* obtinebat VII idus Julii anno 1577; obiit VI idus Februarii anno 1616.

XXVI. Andreas *de Bigars de la Londe*, decanus item Lexoviensis, obiit III id. Decembr. anno 1638. Cor ejus sepultum est in ecclesia Fontium-Guerardi, prope majus altare, corpus E vero apud Londam.

§ Vacavit aliquandiu abbatia œconomo commissa, ex tabulis parlamenti Normanniæ.

XXVII. Alexander *Bichi*, cardinalis & episcopus Carpentoractensis, de quo diximus tomo I, col. 913.

XXVIII. Johannes-Baptista-Gasto *Savary de Breves*, filius Camilli comitis *de Breves* legati ad imperatorem Turcarum, & Annæ *de Thou*, obiit VIII calendas Junii anno 1649.

XXIX. Ludovicus II *d'Esmé de la Chesnaye*, qui canonicos congregationis Gallicanæ in monasterium invexit, obiit IX calendas Februarii anno 1684, abbas item Gimundi & beatæ Mariæ de Angelis, seu de Angla, diœcesis Lucionensis. Eum male nominavimus tomo I, col. 1031 Ludovicum *de Sacé de la Chesnaye*.

XXX. Ludovicus III *d'Esmé de la Chesnaye*, cedente patruo duabus abbatiis, ad utramque nominatus est schedula regia idibus Maii anno 1683. Vivebat adhuc an. 1692; sed, ut videtur, abdicaverat.

XXXI. Franciscus-Alexius *Jubert de la Bastide de Chateau-morant* nominatus est a rege V calendas Aprilis anno 1704; obiit calendis Junii anno 1731, abbas item Essomorum.

XXXII. Petrus-Franciscus *Laffiteau* episcopus Sistaricensis, abbatiam obtinuit VII idus Julii anno 1731.

BELLUS-BECCUS. Be.

Leuca fere una ab aquis Forgiensibus, duabus vero a Novo-castro in Brago, posita est abbatia Belli-becci, prima Saviniaci filia, quam qui notas edidit in vitam B. Bernardi Tironiensis, Suchetus pag. 274, fundatam esse ait XVIII cal. Octobris anno 1116, Sammarthani autem anno 1127; qui vero melius consultus esse debuit auctor Annalium Cisterciensium tom. I, pag. 191, ipsis calend. Novembris anno 1128. Fundatorem agnoscit abbatia illa Hugonem Gornacensem, hujus nominis secundum, qui & ibidem sepultus esse traditur; transiitque anno 1147 cum ipso Saviniaco ex ordine Saviniacensi in ordinem Cisterciensem. Bona illius confirmarunt Angliæ reges, Johannes 26 Octobris anno regni 3, & missam a Blancha nuper regina Franciæ fundatam Henricus III, quorum habes diplomata in Monastico Anglicano tom. III, pag. 955. Misere conflagravit domus illa anno 1383, nec nisi anno 1450 reparari potuit; sed a fundamentis postea tam basilica, quæ patronum agnoscit sanctum Laurentium, quam ceteræ monasterii ædes instauranda fuere. Domus abbatialis constructa est anno 1580 a Guillelmo *Martel* commendatario; campanile refectum an. 1668; basilicæ frons præcipua anno 1730, ex quo qui nunc præest Carolus-Franciscus *du Pauzet du Mas* abbas, claustro, dormitorio, aliisque regularibus locis renovandis continuo insudat. Abbatum, qui adhuc regulares perseverant, hæc est series.

SYLLABUS ABBATUM.

I. Osmundus, ex abbatia Saviniaci, ut creditur, assumtus, occurrit annis 1142 & 1147. Interfuit pactioni initæ inter abbates Serlonem sancti Luciani Bellovacensis, & Guillelmum Alneti. Adstitit dedicationi ecclesiæ sancti Andreæ *de Goffer* anno 1143. Obiisse dicitur XII calendas Octobris anno 1156. Chart. col. 16

II. Hugo memoratur annis 1158 & 1174; obiisse dicitur non. Februarii.

III.

III. Richardus reperitur annis 1182 & 1185. A
Obiisse dicitur IV idus Septemb. anno 1198.

IV. Robertus subscripsit anno 1198 fundationi abbatiæ Bellosannæ; occurrit adhuc anno 1207, mense Augusto. Obiisse dicitur VIII cal. Januarii.

V. Matthæus reperitur pridie cal. Novemb. anno 1208, & iterum anno 1210, quo etiam anno obiisse creditur V idus Novembris.

VI. Rogerius *de Cunville* sedebat an. 1211, mense Maio, & anno 1218.

VII. Radulfus I obiisse dicitur IV calendas Octobris anno 1222.

VIII. Guillelmus I sedebat anno 1222. B
Obiisse dicitur IV idus Octobris anno 1225.

IX. Simon memoratur mense Februario anni 1226, id est 1227. Obiisse dicitur pridie cal. Maii anno 1228.

X. Joscelinus occurrit ab anno 1229 ad annum 1236, mense Junio. Dicitur obiisse IV calend. Martii anno 1239, id est 1240.

XI. Stephanus I *de Chateaudun*, antea decanus ecclesiæ Rotomagensis, occurrit mense Jan. anni 1241, id est 1242.

XII. Guillelmus II reperitur mense Aprili anni 1246, & mense Februario anni 1248, id est 1249. C

XIII. Galterius, ab Odone Rigaldo benedictus apud sanctum Victorem in Caletis VIII calend. Julii anno 1251, præsens aderat cum Johannes abbas sancti Luciani Bellovacensis, corpora sanctorum martyrum Luciani & sociorum in novas thecas ab episcopis Bellovacensi, Silvanectensi & Ambianensi transferri curavit anno 1261; sedebat adhuc anno 1272, diciturque obiisse XI calendas Octobris.

XIV. Guillelmus III, de quo nihil reperimus.

XV. Thomas occurrit a mense Februario anni 1310, id est 1311, ad annum 1314.

XVI. Laurentius I reperitur ab anno 1314 D
ad calendas Maias anni 1316.

XVII. Johannes I dicitur obiisse non. Febr.

XVIII. Gaufridus *Morin* dicitur obiisse prid. nonas Augusti.

XIX. Bernardus I dicitur obiisse XIII calend. Decembris.

XX. Radulfus II, de quo nihil obviam venit; sed forte unus duntaxat fuit hujus nominis abbas.

XXI. Johannes II *de Harfleur* memoratur IV calendas Julii anno 1338, quo etiam anno dicitur obiisse idibus Octobris.

XXII. Laurentius II *Bosquel* benedictus idib. Decembris anno 1338 a Guillelmo episcopo E
Lexoviensi, obiisse dicitur III idus Aprilis.

XXIII. Martinus occurrit anno 1361, & X calendas Julii anno 1390.

XXIV. Michaël reperitur pridie idus Decembris anno 1392, & IX calend. Novembris anno 1407.

XXV. Ægidius *de Duremort* sedebat III non. Novembris anno 1414, & XII calend. Aprilis anno 1420, id est 1421. De eo diximus in abbatibus Fiscannensibus, sup. col. 212.

XXVI. Johannes III *du Ménil* præerat idib. Maii anno 1424. Obiisse dicitur IV idus Julii anno 1444.

XXVII. Petrus I *du Ry* fidem præstitit regi IV calendas Decembris anno 1449; sedebat adhuc anno 1453.

XXVIII. Guillelmus IV *Papin* præerat XII calendas Decembris anno 1458; fidem regi obstrinxit IV idus Augusti anno 1459: occurrit adhuc anno 1473, mense Maio. Dicitur obiisse non. Januarii eodem anno, id est 1474.

XXIX. Petrus II *Bloquet*, seu *Bloquel*, factus abbas anno 1474, competitorem patiebatur annis 1476 & 1484 Johannem *de Ramilly*, quem videtur summovisse, quandoquidem occurrit adhuc pridie nonas Februarii anno 1499, id est 1500.

XXX. Johannes IV *Maurret* sedebat pridie nonas Martii anno 1502, id est 1503, abbas item Valloriæ, quam retinuit in commendam. Obiit XII calendas Junii anno 1527.

XXXI. Guillelmus V *du Mouchel* electus est XI cal. Junii anno 1527, inconsulto rege; quare procurator generalis in Parlamento Normanniæ appellavit tanquam ex abusu. Prævaluit tamen electio, & benedictus est Guillelmus in abbatia sua, mense Augusto ejusdem anni. Obiit XI calendas Junii anno 1533 Aureliani, ubi & sepulturam accepit.

XXXII. Claudius *de la Guiche* commendatariorum primus, abbatiam obtinuit anno 1533. Obiit, ex episcopo Agathensi, episcopus Mirapicensis. De eo jam diximus tomo VI, col. 698.

XXXIII. Hieronymus *Dandini*, dictus cardinalis de Imola, nominatus est anno 1553.

XXXIV. Laurentius III *Strozzi* cardinalis, nominatus exeunte anno 1559, obiit XIX cal. Januarii anno 1571. De eo diximus in archiepiscopis Aquensibus tomo I, col. 332, & in episcopis Biterrensibus tomo VI, col. 367.

XXXV. Antonius *Duprat*, qui videtur esse cardinalis ejusdem nominis, dicitur resignasse sequenti anno 1573.

XXXVI. Guillelmus VI *Martel* occurrit pridie calendas Maii anno 1578, abbas item sancti Judoci. Obiit XII calendas Novembris anno 1593.

XXXVII. N. . . . . *de Claire*, extinctus anno 1597.

XXXVIII. Franciscus *Bouvier* præerat annis 1602 & 1620; resignavit sequenti.

XXXIX. Jacobus *Bouvier* patruum excepit; sedebat V idus Februarii anno 1627. Obiit prid. idus Julii anno 1644.

XL. Bernardus II *de Sariac* præerat XIII calendas Novembris anno 1645, abbas item Scalæ-Dei, Panis-pontis & Loci-Dei. Obiit IV idus Octobris anno 1672; sed longe antea permutaverat cum sequenti. De eo diximus tom. I, col. 1171.

XLI. Cosmas *de la Broise*, ex monacho sancti Andreæ in Goferno abbas Loci-Dei, permutatione facta anno 1646 cum præcedenti,

factus est abbas Belli-becci; unde transiit Locus-Dei ad commendatarios, Bellus-beccus autem rediit ad regulares. Obiit Luteciæ VI idus Julii anno 1652, sepultus in collegio sui ordinis. A

XLII. Ludovicus *de Roncherolles* vicarius generalis, tam ordinis Cisterciensis quam archiepiscopi Rotomagensis, obiit Bellovaci XIV cal. Martii anno 1668, relatus in abbatiam suam, & ibidem sepultus.

XLIII. Josephus *Prignani* Neapolitanus, & ex ordine Theatinorum, nominatus a rege IV nonas Maii anno 1668, abdicavit anno 1677 in gratiam Attonis *Melani* musici regii, qui quamvis brevi regio suffultus & Majoris consilii consulto, cedere coactus est sequenti. B

XLIV. Stephanus II *Girardin* canonicus regularis sanctæ Crucis apud Parisios, nominatus est a rege calend. Januarii anno 1681; obiitque XVII calendas Octobris anno 1727, sepultus in abbatia sua.

XLV. Carolus-Franciscus *du Pouzet-du-Mas*, ex monacho Mansiadæ in diœcesi Vivariensi, factus est adjutor præcedentis.

FULCARDI-MONS.

EARÆ fluvio assidet tribus aut quatuor leucis ab Alba marla versus Caurum abbatia illa, olim *Fons-Theodori* dicta, sed postea a vicino vico Fulcardi-montis nomine appellata. Fundata est, simul & ordini Saviniacensi attributa, sub patrocinio beatæ Mariæ virginis ac S. Johannis Evangelistæ, non anno 1129, ut vult Suchetus in Notis ad vitam beati Bernardi Tironiensis abbatis, pag. 275, sed VIII calendas Augusti an. 1130, ex Annalibus Cistercienfibus tom. I, pag. 215. Fundatorem vero agnoscit Henricum I comitem Augi, qui vita monastica ibidem sibi constituta, beato fine quievit anno 1139. Vestigia secutus patris Johannes comes, postquam locus de Saviniacensibus ad Cistercienses transiisset, ibidem quoque diem clausit extremum. Uterque vero in uno eodemque tumulo consepulti ad pedes sanctuarii, sequenti epitaphio donati sunt: C D

Est pater Henricus, primus gregis hujus amicus;
Ejus erat natus Johannes jure vocatus.
Filius iste fuit Henrici, postea frater.
Hos monachos genuit Domino domus hæc, pia mater.
Qui legis, absque mora pro tantis fratribus ora.

Prodiit ex Fulcardi-monte abbatia Loci-Dei in diœcesi Ambianensi. Monasterii ter excisi basilica instaurata est an. 1625 ab abbate Johanne *Pelletier*, perfecta anno 1628; ceteræ deinde ædes paulatim ad coronidem perductæ. Abbatum, qui huc usque paucis exceptis regulares permansere, catalogum subjicimus. E

ABBATUM INDEX.

I. WALTERUS, seu GALTERUS, a Gaufrido Saviniaci abbate missus anno 1130, occurrit adhuc anno 1147.

II. Adamus reperitur annis 1148 & 1154.

III. Stephanus sedebat annis 1164 & 1170.

IV. Hugo I præerat III nonas Maii anno 1175. Coloniam misit anno 1191 cum abbate Vivardo, ad fundandam Loci-Dei abbatiam. Defunctus est anno 1196.

V. Robertus I occurrit annis 1196 & 1209.

VI. Johannes I ab anno 1213 ad annum 1224.

VII. Robertus II *d'Envermeu*, ex priore electus abbas, reperitur ab anno 1238 ad mensem Januarium anni 1251, id est 1252.

VIII. Guillelmus I occurrit anno 1257.

IX. Philippus I, ex canonico & officiali Cenomannensi monachus Fulcardi montis, dein abbas, transiit anno circiter 1262 ad Claramvallem. De eo diximus pluribus t. IV. col. 807.

X. Gaufridus I occurrit annis 1292 & 1300.

XI. Matthæus I occurrere dicitur an. 1302.

XII. Richardus reperitur mense Januario anni 1322, id est 1323. Obitus ejus notatur XII calendas Septembris.

XIII. Radulfus *Blechard* sedebat annis 1328 & 1341.

XIV. Hugo II occurrit anno 1349.

XV. Gaufridus II annis 1372 & 1376.

XVI. Leonardus XVI calendas Novembris anno 1390.

XVII. Guillelmus II anno 1413.

XVIII. Carolus anno 1445.

XIX. Thomas *Boutevilain* annis 1452 & 1459, assumtus deinde, ex tabulis domesticis, in abbatem Saviniacensem, quod tamen repugnat tabulis Saviniacensibus.

XX. Johannes II occurrit idibus Julii anno 1461. Obiit ante III idus Julii anni 1475.

§ Defuncto Johanne, de abbatia contenderunt tres aut quatuor competitores, *Robertus*, *Johannes* alter, *Petrus* cognomento *Vallée*, & *Guillelmus* qui sequitur; interim vero, tam spiritualium quam temporalium rerum dilapidatio subsecuta.

XXI. Guillelmus III *du Moucel*, seu *du Mouchel*, competitores tandem summovit, rexitque in annum 1507.

XXII. Johannes III *des Courtils* sedebat annis 1513 & 1516.

XXIII. Johannes IV *de Dampierre* occurrit ab anno 1520. Obiit anno 1526.

XXIV. Johannes V *le Duc* litigabat de abbatia anno 1526, cum Francisco *de Neuville*, quem tandem cum pepulisset, cessit in gratiam sequentis.

XXV. Humbertus *Isseran* monachus Benedictinus ac prior sancti Sidonii, sedebat pridie nonas Aprilis anno 1537, factus eodem circiter tempore episcopus Glandavensis. Eum nos tomo III, col. 1246, nominavimus *Imbertum Iserand*.

XXVI. Ludovicus *de Charny* episcopatum Glandavensem, ad quem nominatus fuerat, cessit Humberto, accepta in compensationem Fulcardi-montis commenda. De eo diximus tomo VII,

col. 269. ubi obitum ejus consignavimus IX calendas Augusti anno 1548; sed videtur ante obitum abdicasse.

XXVII. Eustachius *du Bellay* præerat non. Julii anno 1548, tunc consiliarius in Parlamento Parisiensi, & XI cal. Junii anno 1560, tunc episcopus Parisiensis. De eo vide tomum VII, col. 163.

XXVIII. Andreas *Dormy* cessit sequenti.

XXIX. Matthæus II *de Mauny* abdicavit anno 1575, aut 1577, in gratiam sequentis.

XXX. Petrus *de la Rue* decanus Gerboredi in diœcesi Bellovacensi, obiit anno 1592, vel XIX calendas Februarii, vel V idus Junii; sed antea videtur resignasse sequenti.

XXXI. Antonius *de la Rue-de-Bernapré* patruo successit; & in eo reversa est abbatia ad regulares. Resignavit & ipse sororis suæ filio, cujus facti multum diuque ipsum pœnituit. Obiit mense Martio anni 1636.

XXXII. Franciscus *de Mailly* præerat anno 1603. Obiit in abbatia Regalis-montis anno 1624, ibidemque tumulatus est.

XXXIII. Johannes VI *Pelletier* Sacri Portus seu Barbelli monachus, doctorque theologus, ex priore Regalis-montis factus provisor collegii Parisiensis, abbatiam Fulcardi-montis ruinæ proximam adeptus est IV idus Januarii anno 1625, eamque a fundamentis instauravit. Obiit V non. Julii anno 1645, vicarii generalis munere, tam in Insula Franciæ quam in Normannia perfunctus, conditusque in ecclesia sua ad gradus sanctuarii.

XXXIV. Julianus *Paris*, monachus Precum ac doctor theologus, nominatus a rege XVII cal. Novemb. anno 1645, benedictus mense Martio sequenti ab episcopo Venetensi, quædam edidit opuscula ad usum monachorum ordinis sui, cujus factus est vicarius generalis in provinciis Normanniæ ac Britanniæ. Invecta apud suos strictiori observantia, abdicavit anno 1671 in gratiam sequentis, obiitque V idus Junii anno 1672, conditus ad pedes decessoris sui.

XXXV. Jacobus *Fleur-de-Montagne*, ex priore loci factus abbas, benedictus est VI cal. Aprilis anno 1672, in ecclesia sancti Audoëni Rotomagensis, ab Andrea Finiboriensi episcopo, obiitque Romæ V cal. Octobris anno 1678, sepultus in ecclesia sanctæ Trinitatis de Monte.

XXXVI. Johannes-Edmundus *de la Teulle* monachus Obazinæ, doctorque theologus, nominatus est XI calendas Octobris anno 1678, obiitque XII calend. Julii anno 1697, sepultus in ecclesia sua.

XXXVII. Nicolaus-Benedictus *Turban*, ex monacho & priore loci nominatus abbas XVIII calendas Septembris anno 1697, benedictus est Rotomagi non. Aprilis anno 1699, ab archiepiscopo Jacobo-Nicolao *Colbert*, obiitque eodem anno IV idus Octobris, conditus in ecclesia sua.

XXXVIII. Philippus II *d'Herouville*, ex monacho & priore loci, nominatus abbas XII calendas Decembris anno 1699, benedictus est Rotomagi pridie calendas Junii anno 1700, obiitque XIII calendas Augusti anno 1724, tumulatus in ecclesia sua.

XXXIX. Nicolaus *Coquerel* monachus Ursicampi ac doctor theologus, ex priore Vallium-sernaii, nominatus abbas mense Novemb. anno 1724, benedictus est Luteciæ III idus Maii ab episcopo Blesensi.

XL. N. . . . . *du Chesne*.

MORTUUM-MARE.

MORTEMER.

Velocassium magnam partem complectebatur olim silva, quam infimæ Latinitatis scriptores appellavere Silvam *Leonum*, propterea quod vernacule audiret & adhuc dicitur *la Forest de Lions*, contractius pro *li Hons*, aut *li Homs*, quod certe nominis nihil aliud significat quam villas seu viculos. Eo in tractu posita est abbatia Mortui-maris, de cujus fundatione hæc habet vetus codex manuscriptus ejusdem monasterii.

« Robertus *de Candos* Gisortii castellanus, & Isabella ejus uxor, Walteri Giffardi Longævillæ comitis soror, exstruxerunt monasterium B. Virginis Mariæ de Bello-monte in Wilcassino Normannico anno 1130, sub regimine D. Alexandri viri Dei, & sociorum; quem quidem locum visitavit summus pontifex Innocentius II, dum Gisortium proficisceretur, illicque missarum solennia celebravit, & indulgentias concessit. Defuncto Roberto *de Candos*, & in eodem loco cum quodam filiorum sepulto, primogenitus ejus, qui ei successit, fratres illos non adeo ut pater adjuvit, nec eis similiter providere potuit. Cœpit ergo locus ille abbati & fratribus displicere, unde & cogitabant omnino recedere, & locum in partes Lemovicenses transmutare; sed Willelmus Malus-nepos consilium dedit, quod non absque licentia regis Henrici recederent, & ei recessus sui causas & incommoditates loci manifestarent. Placuit omnibus consilium, & regem pariter abbas & Willelmus adierunt. Auditis itaque rex causis discessionis prohibuit ne de terra sua exirent, sed locum ordini suo congruum quærerent, quem sibi donare posset, ac ipsius loci fundator existeret. Erat autem in foresta de Leonibus vallis quædam secretissima, ab occidente in orientem protensa, vallis *Mortui-maris* ab antiquo appellata propter inundationem fontium, qui inde oriebantur & humo iterum mergebantur; & sic vallem quasi bitumen effecerant usquedum in rivulum derivarent. Tres vero in hac valle habitabant heremitæ, viri magni testimonii & bonæ famæ. Et primus quidem dicebatur Tescio, secundus Willelmus *de Freschiennes*, tertius Guiardus, qui locum Deo dicaverant, & ædificiis humilioribus exstruxerant. Adierunt ergo eos abbas prædictus & Willelmus. Audito autem eorum desiderio consilium secum habuerunt heremitæ, & se, & sua, necnon & locum abbati obtulerunt, & rex audiens heremitarum, quos plurimum diligebat, voluntatem, assensum benigne præbuit

» & adjutorium impendit. Locum nempe abbati tradidit, & multa ei bona repromisit, ac ipsius loci fundatorem se fore spopondit. Accepta igitur abbas ab archiepiscopo transmutationis locorum faciendæ licentia, ad locum Mortui-maris rediit, & domos heremitarum ad recipiendum conventum diligentissime præparavit. Anno vero Incarnationis Dominicæ 1134, cum apud *Belmont* diem Paschæ celebrassent, in ipsa Paschæ septimana, abbas Alexander cum conventu suo, præsente Willelmo abbate de Pinu » (nam pendebat monasterium Belli-montis ab abbatia Pinus, diœcesis Pictaviensis, tuncque ordinis Benedictini) « & comitante illo a loco Belli-montis, transmigraverunt in vallem Mortui-maris, relictis ibi fratribus paucis. Rex vero Henricus paulo post venit visitare monachos suos de Mortuo-mari, & terram eis in landa *de Belfuissel* ad grangiam construendam donavit, & libertates, & quarumlibet consuetudinum immunitates, per totam terram suam circa mare & ultra, necnon & omnia aisantia sua in foresta sua de Leonibus eis concessit; insuper & domos ad regulariter convivendum per duos annos eis ædificavit: in sequenti autem anno, IV nonas Decembris, in castro de Leonibus vitam finivit. Eodem tempore abbatia Ursi-campi, quæ a Clara-valle exierat, non mediocriter proficiebat sub venerabili viro Gualeranno primo abbate, filio nobilissimi viri Andreæ *de Baldement*. Abbas vero Alexander audiens sanctimoniam Cisterciensis ordinis, voluit se & suos conjungere illis. Adiens itaque domnum Gualerannum, & se & locum Mortui-maris ejus curæ & paternitati commisit. Exinde pergentes ad regem Stephanum, ab eo gratantissime suscepti sunt; sed & cum causas adventus eorum audiisset, libenter assensum præbuit; necnon & D. Hugo Rotomagensis archiepisc. coram rege hoc concessit. Sed cum quererentur quod rara esset possessio ad construendum cœnobium Cisterciensis ordinis, rex Stephanus locum Mortui-maris & fratres in protectione sua suscepit, & quæcunque rex Henricus eis dederat, benigne concessit & augmentavit. Regina etiam Mathildis, uxor istius Stephani regis ecclesiam se inibi ædificaturam promisit; quod & in parte postea complevit. Revertentes igitur ad locum Mortui-maris, abbas Gualerannus eamdem abbatiam in filiam suscepit, & capitulum tenuit, & cum fratribus comedit & dormivit. Et cum ad propriam rediisset domum, monachos & conversos qui ordinem scirent & diligentissime tenerent, illuc direxit; & sic anno ab Incarnatione Domini 1137, circa festum Transitus sancti Martini, domus Mortui-maris conjuncta est ordini Cisterciensi. Locum vero Belli-montis, quod in grangiam redigere non poterant propter benedictionem quam dominus papa ibi fecerat, nec monachos illic remorari Cisterciensis institutio permittebat, cum consilio & permissione beati Hugonis Rotom. archiepiscopi dederunt ecclesiæ & monachis de Longa-villa, ubi pater Willelmi Mali-nepotis sepultus jacebat. »

Ægre tulit abbas Pinus, monasterium sibi obnoxium se inconsulto in alterius dominium transire, multaque molitus est ut illud retineret, sed frustra; decreto enim Hugonis archiepisc. lato tempore Quadragesimæ anni sequentis, remansit Mortuum-mare in ordine Cisterciensi, sub linea Claræ-vallis & filiatione Ursi-campi, quemadmodum ex eodem manuscripto legere est in Neustria pia pag. 771 & 772, & Anecd. Marten. tom. III, col. 1437. Quin & ipse Pinus transiit postea ad eumdem ordinem Cisterciensem, ut diximus tom. II, col. 1350.

ABBATES,

Ex ordine sancti Benedicti.

ALEXANDER, de quo in præfatione, abdicata anno 1138 præfectura, & mutato ordine, secessit Ursi-campum, Deo sub legibus Cisterciensium militaturus, ibidemque vitam feliciter consummasse traditur.

Ex ordine Cisterciensi.

I. ADAM monachus Ursi-campi, natione Anglus, ex priore Mortuo-mari præfectus est abbas anno 1138. Bullas obtinuit ab Innocentio II anno 1141, & Eugenio III anno 1145; obiitque nonis Octobris anno 1154, sepultus in capitulo quod Frogerus Derbiensis archidiaconus, postea que Sagiensis episcopus, ædificaverat.

II. Stephanus, ex canonico Noviomensi monachus, deinde prior Ursi campi, Mortui maris abbas factus anno 1154, abbatiam Vallis-Ascii in suam filiationem suscepit anno 1157. Bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1163. Transiit eodem ad abbatiam Ursi campi, inde ad abbatiam Ellantii; dimissaque tandem omni præpositura, rediit ad Mortuum-mare, ubi & diem supremum clausit V calend. Septembris.

III. Gaufridus I *de la Chaussée* adhuc juvenis, sed bonis moribus præditus, & literarum scientia eruditus, abbas electus anno 1164, obiit calend. Septemb. anno 1174, sepultus in capitulo juxta Adamum, sub lapide in quo dicitur secundus abbas, quod, uti credimus, nulla ratio habita sit Stephani, quippe qui quando ex hoc seculo migravit, abbas esse desierat. Plurima bona suo monasterio comparavit Gaufridus, illudque a porta *monasterii* usque ad portam *episcopi*, muro circumcinxit.

IV. Richardus I *de Blosseville*, nobili prosapia in Normannia exortus, monachus loci, ac primus abbas Vallis-Ascii, revocatus est an. 1174 ad Mortuum-mare, quod rexit usque ad annum 1179, quo abdicavit VIII calendas Augusti.

V. Guillelmus I Tholemeus, natione Anglus, ex abbate Vallis-Ascii, quemadmodum decessor ejus, factus abbas Mortui-maris anno 1179, transegit an. 1181 cum Eustachio abbate sancti Geremari & ab Urbano summo pontifice literis est donatus anno 1186. Adfuit anno 1189 coronationi Richardi Anglorum regis, apud

quem in maxima fuit gratia, uti conſtat ex amplissimis donationibus quas ab eo recepit, antequam in Normanniam reverteretur. Subſcripſit chartæ Ardenæ anno 1191. Obiit v idus Febr. 1200, ſepultus in capitulo ſub lapide in quo dicitur tertius abbas, nulla ratione habita Richardi deceſſoris, qui revera non obiit abbas.

VI. Humbertus, ſive Hubertus, occurrit ab anno 1202 uſque ad annum 1219. Abdicaſſe videtur, aut aliò tranſlatus fuiſſe. Eo ſedente, eccleſiam conſecravit VIII idus Martii an. 1209 Robertus II archiepiſcopus Rotomagenſis, qui & ibidem tumulatus eſt.

VII. Vitalis ex abbate Vallis-Aſcii regere cœpit apud Mortuum-mare anno circiter 1220, obiit III nonas Julii 1225, tumulatus in capitulo ſub lapide in quo dicitur quartus abbas; qua de computandi ratione mentem noſtram aperuimus in Gaufrido & Guillelmo I ejus deceſſoribus.

VIII. Oſmundus, ex priore abbas, extinctus III calend. Octobris 1226, conditusque in capitulo, ubi dicitur quintus abbas.

IX. Richardus II Conſtantienſis, occurrit annis 1228 & 1238, menſe Maio. Obiit VI calendas Decembris, ſepultus in capitulo, ubi dicitur ſextus abbas.

X. Odo occurrit anno 1242. Pactionem iniit anno 1248 cum S. Ludovico Francorum rege, pro tota valle Mortui-maris. Præfuit uſque ad annum 1261, quo interfuit apud Bellovacum tranſlationi reliquiarum SS. Martyrum Luciani ejuſque ſociorum. Obiit eodem anno XVII cal. Septembris, depoſitus in capitulo, ubi dicitur ſeptimus abbas.

XI. Radulfus extinctus VI idus Martii, conditusque in capitulo, ubi dicitur octavus abbas. Is eſſe videtur, aut forte Mauritius ejus ſucceſſor, quem recens electum Odo Rigaldus archiepiſc. benedixit VI idus Octobris anno 1262, ex codice viſitationum ejuſdem præſulis.

XII. Mauritius, ſepultus in capitulo, ubi dicitur nonus abbas.

XIII. Gaufridus II de ſancto Sanſone, quondam abbas Mortui-maris, obiit X calendas Decembris 1287.

XIV. Robertus I de Hermanvilla obiit idib. Junii 1293, cui ſucceſſit

XV. Robertus II de Creſcente-villa. Sepulti ſunt uterque Robertus in capitulo ſub uno eodemque lapide, in quo alter dicitur decimus, alter undecimus abbas. Occurrit in tabulis Roberti nomen ad calend. Octobris anni 1301.

¶ Atque hinc locus non datur *Johanni de Pontiſara*, quem tamen nos tom. IV, col. 998, & tomo IX, col. 302, diximus abbatem fuiſſe Mortui-maris ante annum 1299; non numeratus tamen in ſepulchralibus lapidibus, quod non obierit abbas hujus monaſterii.

XVI. Nicolaus I *de Villerets*, male Sammarthanis dictus *de Villaribus*, conditus eſt in capitulo, ubi dicitur duodecimus abbas.

XVII. Nicolaus II . . . . *muvin*, ſeu . . . . . *munin*, communem habet cum deceſſore ſuo, ſepulcralem lapidem, ubi dicitur decimus tertius abbas, priores autem cognominis ejus literæ deletæ ſunt. Neſcio unde acceptum Sammarthani cognomen huic dedere *de Caunis*.

XVIII. Johannes I occurrit anno 1325.

XIX. Robertus III *Dupuis* obiit VI calendas Martii anno 1386, id eſt 1387, ſepultus in ſanctuario a latere epiſtolæ, ſub lapide in quo dicitur decimus ſextus abbas, errore forſan ſcalptoris, qui ſcribere debuit decimum quintum.

XX. Guillelmus II *Thouroude* occurrit anno 1387, menſe Junio, extinctus XI cal. Septemb. anno 1404, conditusque in ſanctuario, ſub lapide in quo dicitur decimus ſextus abbas.

XXI. Matthæus *Pillart* dictus eſt a nobis tomo IV, col. 810, abbas fuiſſe Mortui-maris antequam tranſiret an. 1405 ad Claram-vallem. Diximus quoque tomo V, col. 290, & tom. IX, col. 836, abbatem fuiſſe Belli-prati antequam tranſiret ad abbatiam Mortui-maris. Vide tomum IX.

XXII. Guillelmus III *d'Autun* nominatus eſt anno 1405 a Benedicto XIII papa Avenionenſi, qui & ipſi conceſſiſſe videtur inſignium pontificalium uſum. Cum aliis abbatibus ad concilium Conſtantienſe delegatus eſt in capitulo generali anno 1416. In lapide ſepulcrali quem communem habere debebat cum Guillelmo II *Thouroude* repræſentatur mitra redimitus, cum Guillelmus pedum duntaxat paſtorale gerat. Dicitur ibidem decimus ſeptimus abbas, & obiiſſe anno *M. CCCC* . . . . reliqua deſunt, quod eſſet adhuc in vivis quando lapis cœlatus eſt. Tranſiit vero anno 1428 ad abbatiam Claræ-vallis, uti diximus tom. IV, col. 810.

XXIII. Guillelmus IV *Thouroude* patruum videtur habuiſſe Guillelmum II *Thouroude* quicum ſepulcralem habet communem lapidem, in quo dicitur undevigeſimus abbas. Occurrit anno 1438. Fidem dixit regi anno 1454, deceſſitque XVIII cal. Februarii anno 1457, id eſt 1458.

XXIV. Johannes II Bolengarii de Leonibus XVIII abbas, ſedebat III calend. Auguſti 1458 & 1472. Deceſſit 1473 in vigilia Aſcenſionis, & ſepultus eſt ante altare beatæ Magdalenæ.

XXV. Petrus I *Guynier* de Rotomago, ex priore abbas XIX, benedictus eſt VIII idus Junii 1473. Fidem regi obſtrinxit IV calendas Julii 1484. Comitiis Normanniæ apud Rotomagum adſtitit menſe Decembri 1498, & Septembri 1499. Ceſſit 14 annis ante mortem, quæ contigit 1515, die 12 Februarii.

XXVI. Blaſius de Fovea, Tuſignole ortus, adfuit anno 1503, menſe Octobri, comitiis Normanniæ apud Rotomagum. Poſt duos annos & ſeptem fere menſes regiminis, obiit 26 Octob. 1504, annos natus 38, & ſepultus eſt ante altare beatæ Mariæ.

XXVII. Carolus I *du Haubois* reperitur anno 1507, menſe Julio.

XXVIII. Petrus II *Roucherel* de Andeliaco, ex ſacriſta abbas, longe ante mortem ceſſit, & ſepultus eſt in clauſtro 18 Martii 1525. Poſt

V iij

eum monasterium longo tempore cecidit in commendam.

XXIX. Jacobus *de Castignolles* sedis apostolicæ protonotarius, canonicus & cancellarius Rotomagensis, occurrit an. 1511, mense Julio, & IV nonas Januarii anno 1514, id est 1515.

XXX. Johannes III *Sanguin*, ex monacho Boni-portus, Mortui-maris abbas occurrit anno 1517 mense Augusto, & mense Januar. 1518, id est 1519. Post quadriennium regiminis factus abbas Boni-portus, cessit in gratiam sequentis anno 1520.

XXXI. Ludovicus I *Huillart* monachus Boniportus, ex priore Mortui-maris, per cessionem Johannis abbas, sedebat XVI calend. Novembris 1520. De abbatia optime meritus est per 23 regiminis annos, nisi quod in gratiam viri secularis Johannis *de Roncherolles* abbatis de Gardo cesserit, servatis sede abbatiali & aliis dignitatibus, ut Thessalonicensis archiepiscopus fieret. Sicque consecratus VIII calendas Octob. 1543, ac vicarius perpetuus & irrevocabilis abbatis factus, duos ferme annos superstes viam commendatariis aperuit.

XXXII. Ludovicus II *de Roncherolles* abbatiam obtinuit anno 1543, antea prior S. Godonis in diœcesi Trecensi, & commendatarius de Gardo.

XXXIII. Petrus III *de Marsilly*, aut *de Marcilly*, occurrit ab anno 1550 ad VII calendas Septembris anni 1571. De eo diximus in episcopis Augustodunensibus, tom. IV, col. 425.

XXXIV. Johannes IV *du Bec-Crepin* memoratur V nonas Octobris anno 1578, extinctus X cal. Februarii anno 1610, episcopus simul Macloviensis, depositusque in abbatia sua juxta majus altare, a latere epistolæ.

XXXV. Renatus *du Bec-Crepin* præerat IX cal. Martii anno 1610. Cessit sequenti anno 1619.

XXXVI. Alexander *des Marests* abbatiam tenuit in annum 1632, quo Philippus qui sequitur beneficium tanquam caducum postulavit.

XXXVII. Philippus *de la Fontaine*, lite mota de abbatia impetranda contra Alexandrum, obtinuit eam de Majoris consilii consulto, XII calend. Octobris anno 1636, præeratque adhuc an. 1666, aliorum quoque monasteriorum abbas.

XXXVIII. Petrus IV *de Mornay-Villarceaux*, nominatus a rege VI calendas Augusti anno 1666, præerat adhuc VI cal. Martii anno 1669.

XXXIX. Petrus V *de Bonzi* cardinalis & archiepiscopus Narbonensis, præerat an. 1672, mense Aprili. Obiit anno 1703.

XL. Dionysius-Franciscus *Bouthillier de Chavigny*, nominatus anno 1703, mense Augusto, cum esset episcopus Trecensis, transiit postea ad archiepiscopatum Senonensem; abbatiam vero abdicavit anno 1719.

XLI. Stephanus-Josephus *de la Fare*, nominatus VI idus Januarii anno 1721, abdicavit anno 1723, mense Februario, designatus ad episcopatum Vivariensem, translatus paulo post ad ecclesiam Laudunensem.

XLII. Martinus *de Ratabon*, antea episcopus Vivariensis, possessionem abbatiæ iniit anno 1723, mense Septembri; extinctus anno 1728, mense Junio.

XLIII. Carolus II *de Beaupoil de Sainte-Aulaire*, nominatus est anno 1729, mense Jan.

VALASSIA,

seu potius VALLIS-AZONIS, *seu* VALLIS-ASCII, *& nonnunquam olim dicta abbatia* de Voto.

IN Valle-Azonis, *seu* Ascii, quam corrupto nomine Valaciam *seu* Valassiam dixere, una supra Illæ-bonnam leuca, Valerannus II Mellentinus comes, prima monasterii hujus fundamenta posuit, superstite Adamo abbate Mortui-maris, qui obiit 1154, quod simul & sacello quodam sancti Marcelli a monachis Bernaii hanc in rem comparato donavit, & abbatiæ Bordesliarum in Anglia subjecit. At Mathildis imperatrix Valerannum æmulata recuperatum ab abbate Bordesliensi recens monasterium abbatiæ Mortui-maris attribuit XV calendas Julii anno 1157, illudque postea tot ac tantis cumulavit beneficiis, ut & fundatricis laudem merito consecuta sit. Postea vero Robertus comes Mellenti eidem cœnobio firmavit in eleemosynam totam terram quæ erat in Althia, inter terram Infirmorum de Monte Rotomagi, & terram canonicorum de Monte Duorum amantium, aliaque bona a Valeranno patre suo concessa; & chartam ea de re dedit, datam, ex Sammarthanis, apud Belmontem, ac sigillo suo munitam. Appellata fuerat Votum abbatia illa, sive a fundatore, sive a fundatrice, sed prævaluit loci nomen in quo posita erat. Basilica loci dedicata est III nonas Martii anno 1181, ab Henrico Bajocensi episcopo, ad preces Rotrodi metropolitani, collaborantibus Richardo Abrincensi & Rainaldo Bathoniensi episcopis.

Vide chartas Henrici II Angliæ regis & Richardi filii ejus, pro sancta Maria de Voto, in Monastico Anglicano tom. III, pag. 1008.

TABULA ABBATUM.

I. RICHARDUS I *de Blosseville* in Normannia natus, e Mortuo-mari missus est pridie idus Junii anno 1157 cum aliquot ejusdem loci monachis, ut novo Vallis-Azonis monasterio præesset, Rotomagi benedictus in festo sancti Barnabæ. Eum Mathildis imperatrix misit anno 1165 ad Alexandrum III papam, pro concordia inter Franciæ & Angliæ reges firmanda; iterumque ad eumdem anno 1171 cum episcopo Ebroicensi & archidiacono Lexoviensi. Accepit anno 1169 a Rotrodo archiepiscopo, diploma quod post Sammarthanos recudi curavimus in appendice. (Ch. col. 1) Laudatur in epistola Arnulphi episc. Lexoviensis ad abbatem Cistercii. Postquam Vallem rexisset annos 17 & mensibus 4, factus est abbas Mortui-maris anno 1174.

II. Guillelmus I Tholemeus, natione Anglus, Parisiis in morbum delapsus ad Vallem sanctæ Mariæ se deportari curavit, ubi monachum induit in festo sancti Johannis Evangelistæ, &

paulo post subprior factus, tum prior, evasit A tandem abbas Vallis-Azonis anno 1174, in cujus fundationem plurima contulerat. Testis fuit anno 1177 compositionis factæ inter abbates Vallis-Richerii & S. Stephani Cadomensis. Occurrit an. 1178 in chartis Gemeticensibus. In gratiam sui monasterii literas obtinuit a rege Ludovico anno 1179; transiitque eodem anno ad abbatiam Mortui-maris.

III. Hugo I dicitur sedisse circiter annos septem, & obiisse anno 1188. Occurrit in chartis domesticis anno 1185.

IV. Osmundus, vel abdicavit, vel exauctoratus est anno 1189. Obiit anno 1190 ante successorem. B

V. Robertus I obiit anno 1190, post regimen mensium octo.

VI. Vincentius reperitur anno 1195 mense Maio, & anno 1211. Obiit anno 1212.

VII. Hugo II obiit v nonas Martii, ineunte decimo tertio seculo.

VIII. Vitalis occurrit in tabulario domestico anno 1216, diciturque sedisse annos quatuor. Inter Hugonem II & Vitalem locus datus est in Neustria pia cuidam Guillelmo, cujus ne verbum quidem ullum, sive in chartis, sive in indicibus Mortui-maris, qui Vitali constanter C octavum locum assignant. Transiit ad abbatiam Mortui-maris, anno, ut videtur, 1220, aut circiter.

IX. Richardus II *de Herford* electus anno 1222, obiit XI cal. Octobris anno 1227.

X. Guillelmus II *Perier*, Sammarthanis *Perriere*, reperitur annis 1227 & 1230, in literis decani & capituli Rotomagensis pro Valassia. Obiit III calendas Augusti anno 1236.

XI. Johannes *de Lintot* occurrit anno 1241. Obiit anno 1248.

XII. Guillelmus III *d'Osouville* obiit v idus Martii anno 1266, id est anno 1267.

XIII. Richardus III *de Lintot* sedebat, ex D chartis sancti Amandi Rotomagensis, an. 1285 mense Januario, id est 1286. Obiit VIII cal. Decembris anno 1291.

XIV. Johannes II *de la Feuquiere*, Sammarthanis *de la Feuguiere*, extinctus est pridie calend. Maii anno 1308.

XV. Robertus II *Fabri* obiit XIX calendas Septembris anno 1321.

XVI. Richardus IV *Yvelin* obiit XII calend. Martii anno 1322, id est 1323.

XVII. Matthæus *Dobin* obiit X calendas Februarii anno 1330, id est 1331.

XVIII. Nicolaus I *Formentin* peste absumtus E est X calendas Maii anno 1348.

XIX. Nicasius *Baril*, quem male Nicolaum appellat auctor Neustriæ piæ, obiit v calendas Junii anno 1349.

XX. Guillelmus IV *Lardé* obiit IV nonas Februarii anno 1374, id est 1375.

XXI. Richardus V *de Castillon*, seu *de Chastillon*, præerat, ex tabulario domestico, calend. Maii anno 1375. Obiit VII idus Decembris anno 1394.

XXII. Robertus III *de Busi*, Sammarthanis *de Dussy*, doctor theologus, sedebat anno 1418. Obiit VIII idus Januarii an. 1419, id est 1420.

XXIII. Guillelmus V *la Mousque* obiit IV nonas Augusti anno 1437.

XXIV. Nicolaus II *David* fidem regi obstrinxit VII idus Januarii anno 1449, ex regestis Cameræ computorum.

XXV. Guillelmus VI *David* dicitur sedisse annis quadraginta & mensibus sex. Fidem regi obstrinxit pridie calendas Septemb. anno 1452; ecclesiam ab Anglis solo penitus æquatam instauravit. Obiit X calendas Julii anno 1492, post designatum an. 1491 adjutorem suum Johannem *Fosse*, sed alium eligi per vim & quasi manu armata curavit abbas Mortui-maris.

XXVI. Johannes *le Mynier*, ex monacho & priore Boni-portus factus abbas, obiit an. 1505.

XXVII. Stephanus *le Cauchois* obiit anno 1506.

XXVIII. Johannes IV *des Haies*, ex cellerario monasterii electus abbas, resignavit in curia Romana anno 1508, in gratiam Roberti *de Bapaume* canonici ecclesiæ Rotomagensis, & in scacario Normanniæ præsidis; quæ tamen resignatio caruit effectu. Sedebat adhuc Johannes, ex ejusdem scacarii tabulis, anno 1509, mense Decembri. Obiit XII cal. Julii anno 1531.

XXIX. Robertus IV *Nollent* electus anno 1509 in locum Johannis qui abdicaverat: sed cedere coactus est sequenti, quanquam abbatem adhuc se dicebat anno 1513 mense Februario, id est anno 1514.

XXX. Petrus *Boutren* monachus & prior Boni-portus, ac doctor theologus, post resignatam a Johanne *des Haies* abbatiam, litem intentavit Roberto *de Bapaume* jure Caduci, tum alias lites agitare coactus est cum Petro *Nollent*, qui electus fuerat; & utroque summoto, pacta pensione annua, benedictionis munus percepit, possessionemque adeptus est IV idus Augusti anno 1514, tum ecclesiæ structuram absolvit, obiitque XIII calendas Junii anno 1546, ultimus regularium.

XXXI. Antonius *Olivier* episcopus Diniensis, abbatiam quam impetraverat in commendam, tenebat adhuc calendis Octobris anno 1563, episcopus tunc Lumbariensis, post expilatum anno præcedenti a furentibus Calvinistis monasterium. De eo diximus tomo III, col. 1132.

XXXII. Radulfus *Hurault* præerat V calend. Junii & VI non. Julii anno 1577.

XXXIII. Philippus *Hurault* episcopus Carnotensis, extinctus anno 1620. Vide tom. VIII, col. 1191.

XXXIV. Alexander *de Bourbon* Henrici Magni filius, germanusque Cæsaris ducis Vindocinensis, eques Melitensis & magnus Franciæ prior, abbatias simul obtinebat Majoris-monasterii, sancti Luciani Bellovacensis & S. Faronis Meldensis. Obiit VI idus Februarii anno 1629.

XXXV. Henricus *de Bourbon* abbatiam obtinebat V calend. Decemb. anno 1658 & pridie calendas Decembris anno 1661, simul episcopus

Metensis commendatarius. Convolavit ad nuptias anno 1668, dictus deinceps dux Vernoliensis. Lege quæ de eo diximus tom. VII, col. 469.

XXXVI. Johannes-Casimirus, antea Poloniæ ac Sueciæ rex, obiit anno 1672. De eo similiter diximus tomo VII, col. 470.

XXXVII. Franciscus *d'Argouges* præerat anno 1678. Obiit episcopus Venetensis.

XXXVIII. N. . . . *de Valorge* nominatur abbas anno 1684, mense Julio.

XXXIX. Fredericus *de la Tour d'Auvergne* canonicus Argentoratensis, nominatus a rege anno 1716, abdicavit anno sequenti in gratiam archiepiscopi Viennensis fratris sui. Obiit Argentorati pridie nonas Aprilis anno 1732.

XL. Henricus-Oswaldus *de la Tour d'Auvergne*, de quo jam diximus tom. IV, col. 1163, in abbatibus Cluniaci, pluribusque dicemus, obiit anno 1747.

XLI. N. . . . *Fumée* nominatus est eodem anno, exeunte mense Maio, dum esset prior sanctæ Radegundis.

BIVAL.

BIVALLIS.

Duabus a Novo-castro leucis versus Euronotum, in finibus parochiæ Novæ-villæ Ferrariarum, surrexit intra annos 1128 & 1154, parthenon ille Cisterciensis ordinis, sanctæque Magdalenæ dicatus, ab irrigua valle in qua positus est, antiquis dictus *Buyval, Buyeval, Buyevaux* & *Buesvaux*; vocem enim *Bui* aut *Bue*, ad omnia uliginosa accommodabant patres nostri. Ab initio autem fundationis suæ obnoxia erat Bivallis monasterio Bellobeccensi, cujus monachi intra paucorum annorum spatium ita rem familiarem monialium gesserunt, ut eam ad se omnem derivarent. At conquestæ illæ de usurpatione facultatum suarum apud Guillelmum & Robertum de Bivalle, filios, ut credere est, aut saltem consanguineos fundatoris sui, effecerunt tandem anno 1175, ut facultatibus suis recuperatis, monachi, tam temporalia quam spiritualia parthenonis, remittere coacti sint.

Ab eo tempore moniales illæ servatis Cisterciensium legibus, jurisdictioni archiepiscopi se manciparunt; unde nil mirum si sancti Sidonii, Bondevillæ, Novi-castri & Ivetoti parthenones a Bivalle prognati, eamdem similiter jurisdictionem agnoscant. Funditus perierat Bivallis inter bellicos decimi quinti seculi tumultus; nec nisi post summos labores exantlatos restitui potuit. Fundaverant loci abbatissæ in territorio ditionis suæ, cui nomen Petromentum, intra fines parochiæ Haulicurtis, prioratum quemdam, seu cellulam, quæ jam a longo tempore monialibus destituta, sacellum tamen retinet, in quo identidem celebratur missa villicorum gratia. Ad abbatissas quod spectat, successere illæ priorissis anno quamprimum 1175. Earum autem catalogum, ut ex pauculis hac illac sparsis documentis concinnari potuit, exhibemus in hunc modum.

INDEX ABBATISSARUM.

I. A . . . . . sedebat anno 1225, mense Julio, ex chartis domesticis.

II. Alienor præerat anno 1246 ex tabulario Belli-becci, & abdicavit VII idus Augusti anno 1248, ex codice visitationum Odonis Rigaldi archiepiscopi.

III. Margareta I *d'Aunai*, post licentiam ab archiepiscopo petitam electa VI idus Augusti anno 1248, benedicta est Rotomagi ab eodem præsule, XIII cal. Octob. ejusdem anni, ex eodem codice.

IV. Margareta II *de Critot*, cujus electionem anno 1263 mense Nov. factam resciderat archiepiscopus Odo Rigaldus, nominata est pleno jure ab eodem præsule, VI idus ejusdem mensis, ex eodem codice.

V. Elisabeth *de Pommereu* extincta an. 1280, mense Maio, sepulta est in capitulo.

VI. Euphemia sedebat anno 1308, mense Decembri, ex chartis domesticis.

VII. Alix *de la Heuse* mense Januario anni 1370, id est 1371, ex iisdem chartis.

VIII. Catharina I *de Boissai* VII idus Novemb. anno 1406, ex iisdem chartis.

IX. Johanna I XV cal. Martii anno 1453, id est 1454, ex iisdem chartis. Eadem esse videtur ac Johanna *de Flandre*, quæ obiit anno 1466, cum tunc superessent apud Bivallem moniales omnino duæ, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

X. Johanna II *de Canville*, altera monialium quæ supererant, nominata pleno jure ab archipræsule, ex eodem tabulario, propterea quod nulla esse poterat canonica electio inter duas, in possessionem missa est XI calend. Decembris anno 1466, ex chartis domesticis.

XI. Catharina II *de Levemont* præerat XIII calend. Augusti anno 1496, & VI idus Junii anno 1504, ex iisdem chartis.

XII. Johanna III *des Vaux* XV cal. Augusti anno 1526, ex iisdem chartis.

XIII. Margarita IV *Gorat* mense Januario 1541, id est 1542, ex iisdem chartis.

XIV. Magdalena I *de Brouilly* defuncta anno 1564, ex tabulario Belli-becci.

XV. Claudia *Doullé*, ex moniali Thesauri facta abbatissa bullis pontificiis III calend. Aprilis anno 1564, sed ab archiepiscopo repudiata, obtinuit Parlamenti decretum in sui gratiam V calendas Decembris ejusdem anni, & postridie archiepiscopi confirmationem; tum mense Januar. anni sequentis, alteras ab eodem summo pontifice bullas. Interea statutum est, tam edicto Aurelianensi quam sanctioris Consilii consulto, XII cal. Julii anno 1567, ut posthac abbatissæ Bivallis eligerentur in triennium. Quæ autem in hanc formam primum electa est ignoratur; sed illa cessante, electa est eadem Claudia *Doullé* in triennium; post Claudiam vero Johanna III *de Ricarville* alumna sancti Francisci; hæc tamen repulsam passa est ab archiepiscopo, sed dignitatis suæ gradum servasse videtur Parlamenti consulto VI idus

v idus Martii anno 1574, accedente tandem ad A electionem suam vicariorum generalium confirmatione. Neque idcirco otiosa remansit Claudia *Doullé*; quin & totis viribus Johannam summovere enixa est. Sed dum contendit de principatu utraque æmula, utraque dejicitur sententia lata, in Claudiam, quod obreptitias diceretur impetrasse bullas; in Johannam, quod ex ordine sancti Francisci assumta, minus esset ad regendas Cistercienses capax. Hæc omnia depromsimus ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XVI. Maria *de Mailly*, remotis Claudia & Johanna pleno jure nominatur ab archiepiscopi vicariis generalibus, III idus Maii anno 1575; B sed parumper rexit.

XVII. Amata *de Canonville* sedebat XVII calend. Septembris anno 1580. Obiit XVI cal. Septembris anno 1581, ex chartis domesticis.

XVIII. Magdalena II *de Villepoix* nominata est pleno jure ab archiepiscopo IV cal. Septemb. anno 1581, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XIX. Magdalena III *Duval*, soror domini *de Fontenai* regiæ familiæ præfecti, sedebat cal. Aprilis anno 1593, ex eodem tabulario. Obiit IV id. Dec. anno 1594, ex commentariis domesticis.

XX. Maria II *le Coq*, filia Antonii *le Coq* consiliarii in Parlamento Parisiensi, abdicavit C anno 1604 in gratiam sequentis, ex tabulario sancti Amandi Rotomagensis. Obiit non. Febr. anno 1646.

XXI. Ludovica *Martin* monialis S. Amandi Rotomagensis, bullis obtentis III non. Octobris anno 1604, benedicta est XI calendas Augusti anno 1608 a Francisco *Pericard* episcopo Abrincensi, transcripsitque abbatiam XII calend. Februarii anno 1651 Antoniæ *Lambert d'Herbigny* moniali sanctæ Claræ Rotomagensis, sed anno sequenti, VI idus Junii, Ludovica mutato consilio eamdem abbatiam resignavit in gratiam sequentis. D

XXII. Maria-Francisca *de Groslai de Mesnieu*, resignatione præcedentis munita, & brevi regio mensis Julii anni 1652, æmulam passa est Antoniam, de qua dicebamus modo, quæ quamvis destituta bullis, sententiam obtinuit ab officiali Rotomagensi XI cal. Septembris anno 1652, qua in possessionem mitteretur; sed Maria-Francisca anno sequenti causam obtinuit idibus Februarii Parlamenti consulto. Hæc anno circiter 1660, adjutricem sibi assumsit Magdalenam quæ sequitur; sed postea priorissa facta beatæ Mariæ de Lætitia apud Parisios, nuncium remisit abbatiæ XII cal. Februarii anno 1680, E ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis.

XXIII. Magdalena IV *de Faucon de Ris* præerat anno 1680, ex iis quæ modo diximus.

XXIV. Catharina *de Fours de Guitry* monasterii priorissa, nominata est a rege VII calend. Junii anno 1708, bullasque obtinuit VI idus Julii sequentis.

XXV. Maria-Lucia *de Fouilleuse de Flavacourt* monialis beatæ Mariæ de Viciniis, bullas impetravit VI calendas Maii anno 1719.

XXVI. Barbara *le Guerchois* monialis Fontium-Guerardi, nominata a rege XIII calendas Februarii anno 1722, bullis donata est XI cal. Februarii sequentis.

XXVII. N. . . . *de Bois le Vicomte*, nominata est anno 1735, ineunte mense Maio.

BONDEVILLA.

BONDEVILLE.

SEsquileuca ab urbe Rotomago, aquilonem versus, super rivum Bapalmæ, posita est Bondevilla, parthenon ordinis quidem Cisterciensis, sed jurisdictioni archiepiscopi obnoxius; qui quo tempore, quibusve auctoribus fundatus fuerit ignoratur. Veruntamen exstat charta Richardi de Roboreto, Mathildis uxoris ejus, Gilberti denique & Guillelmi filiorum utriusque, plurima largientium anno 1154 monialibus hujus loci, quibus eodem circiter tempore Mathildis imperatrix triginta arborum jugera concessit in silva Rollonis-maræ; Henricus vero Anglorum rex, hujus nominis secundus, confirmavit paulo post abbatiæ Bivallis ecclesiam beatæ Magdalenæ de Bondevilla. Erat igitur Bondevilla tunc temporis obnoxia Bivalli. Cum vero Bivallis filia sit abbatiæ Belli-becci, cujus fundamenta posita sunt anno 1128, necesse est fundatam esse Bondevillam eo temporis spatio quod intercessit inter annos 1128 & 1154. Videtur tamen fundatio illa propius attingere annum 1150. Sed ad patronam domus quod spectat sanctam Magdalenam, sive ea primaria fuerit, sive secundaria tantum propter Bivallem a qua pendebat, certum est basilicam loci ab anno saltem 1170 non alium a B. Dionysio patronum agnoscere. Hujus vero majus altare consecravit XVII calend. Augusti anno 1658 Johannes *de Malvau* episc. Aulonensis & suffraganeus Claromontanus.

Quæ priorissis tantum a tempore fundationis suæ paruerat domus, abbatissas tandem consecuta est IV calend. Decembris anno 1657, quo die Franciscus *de Harlai* archiepisc. Rotomagensis eam ad abbatias evexit. Abbatissæ autem hucusque quatuor recensentur, quarum hæc est series.

SERIES ABBATISSARUM.

I. FRANCISCA *le Normand de Beaumont* alumna S. Amandi Rotomagensis, ultima priorissa literis regiis mense Julio anni 1652, bullisque pontificiis V calend. Septembris sequentis, benedicta est prima abbatissa V nonas Martii anno 1658 a Johanne *de Malvau* episcopo Aulonensi. Obiit idibus Junii anno 1695.

II. Maria Margarita *de Morel d'Aubigny* filia Antonii *de Morel* comitis *d'Aubigny*, & Mariæ *de Beaumanoir-Lavardin*, subpriorissa monasterii, nominata est abbatissa brevi regio VI idus Septembris anno 1695, bullisque pontificiis VIII idus Novembris sequentis.

III. Eleonora *Vincent de Causans* nominata est a rege anno 1733, mense Aprili.

IV. N. . . . . . *d'Oigny* abbatiam obtinuit brevi regio anno 1743, mense Septembri.

FONTAINE-GUERARD.

FONTES-GUERARDI.

Tribus aut quatuor leucis ab urbe Rotomago, Euronotum versus, ad dexteram Andellæ fluminis ripam, in solo undequaque fontibus scaturiente, positus est parthenon ille, fundatus anno circiter 1198 a Roberto *le Guerre* comite Leicestriæ in Anglia, ditatus postea a Johanne Anglorum rege, & ab Alberico comite Domni-Martini, una cum Mathilde ejus uxore ac Reginaldo eorum filio. Benefactores quoque expertus est reges nostros Philippum II, Ludovicum VIII & IX, Philippum III & Carolum IV. Moniales quæ locum ab initio incoluere sub priorissis, quarum unica innotescit Dionysia defuncta 29 Maii, Cistercienfium institutum amplexatæ sunt paulo ante annum 1207. Ita enim Innocentius III papa in bulla hujus anni, quæ monasterio plurima bona asserit: *Ecclesiam sancti Martini* le Blanc, *cum omnibus capellis & pertinentiis suis, quam venerabilis frater noster Rotomagensis archiepiscopus antequam Fratrum Cisterciensis ordinis instituta reciperetis, pia vobis liberalitate donavit.* Basilicam loci, in qua præter alios nobiles sepulta est medio in choro Ida Mellentina, uxor Johannis Pontivensis comitis Albæ-marlæ, defuncta XVII cal. Februarii anno 1324, id est 1325, consecravit anno 1218, sub patrocinio B. Mariæ virginis, Robertus II archiepiscopus Rotomagensis. Abbatissis denique donatus est parthenon anno 1253; sic enim Odo Rigaldus archipræsul in codice suarum visitationum ad hunc annum: *XIII calend. Augusti*, inquit, *apud Devillam consecravimus abbatissam novam de Fonte-Guerardi, ubi nunquam alias fuerat abbatissa.* Hæc est autem abbatissarum illarum series, ex tabulario loci potissimum digesta.

Ch. XXVIII. col. 29.

INDEX ABBATISSARUM.

I. IDA, *seu* EODEA, obiit, ex necrologio domestico, mense Januario.

II. Ada I sedebat anno 1256, mense Junio, uti constat ex ejus literis editis in Neustria pia pag. 784; occurrit & anno 1259. Obiit, ex eodem necrologio, IV calendas Octobris.

III. Petronilla I *Mauvoisin* sepulta in capitulo sub lapide, cui inscribitur tertia abbatissa, obiit mense Aprili.

IV. Avelina *de Maufigny*, seu *de Mansigny*, præerat anno 1287, ex tabulis Mortui-maris. Obiit, ex ejus epitaphio, VII idus Aprilis anno 1298, tumulata in capitulo.

V. Ada II *de Crevecœur*, neptis ex sorore Guillelmi *de Flavacourt* archiepiscopi Rotomag. obiit, ex ejus epitaphio, cal. Aprilis anno 1332, id est 1333.

VI. Clementia *Jacob* extincta VI idus Febr.

VII. Eustachia extincta XI cal. Novembris.

VIII. Petronilla II *de Vilquier* fatis functa calend. Junii.

IX. Johanna I *de la Treille* obiit X cal. Octob.

X. Petronilla III *de Maromme* obiit XVI calendas Martii.

A XI. Ælicia *de Villiers* præerat XI calendas Aprilis 1446, id est 1447, & VIII calendas Martii anno 1450, id est 1451. Obiit IV idus Octobris anno 1460, post abdicatam in favorem sequentis præfecturam.

XII. Johanna II *Dumont* occurrit in tabulis an. 1457, obiit prid. nonas Octob. anno 1461.

XIII. Johanna III *Collin* possessionem adepta est pridie calend. Novembris anno 1461, obiit pridie non. Februarii anno 1462, id est 1463.

XIV. Margarita *Marguerie* electa XII calend. Martii anno 1462, id est 1463, obiit III non. Martii anno 1495, id est 1496, tumulata in B choro.

XV. Elisabeth I *de Maromme*, præcedentis ex sorore neptis, electa anno 1496, plurimam in ædificiis monasterii navavit operam; abdicavit anno 1540, mense Aprili, in gratiam sequentis. Obiit mense Februario 1541, id est 1542, condita in choro sub eodem lapide quo matertera sua.

XVI. Maria I *Maurice*, alumna Mali-dumi, bullas obtinuit III calendas Junii anno 1540. Obiit anno 1547, mense Junio.

XVII. Angelica *Cruchon* Annam *Maynet* canonice electam subdole summovit, nomine C suo pro nomine Annæ in instrumentum electionis nequiter intruso. Hinc lites inter utramque competitricem diutius odiosiusque agitatæ; sed Anna tandem jure suo cessit. Occurrit Angelica in tabulis ab anno 1547, extincta VIII idus Martii anno 1563, id est 1564, conditaque in choro.

XVIII. Catharina *le Moine* electa VII idus Martii anno 1563, id est 1564, obiit nonis Aprilis anno 1578, tumulata in choro.

XIX. Maria II *Quesnel* sedebat pridie nonas Novembris anno 1578. Obiit IV cal. Septemb. an. 1595, annos nata 77, & tumulata in choro.

D XX. Maria III *de Roncheroles* electa VI idus Septemb. anno 1595, nata annos 73, obiit prid. nonas Februarii anno 1619, condita in choro.

XXI. Elisabeth II *de Bigars de la Londe*, antea adjutrix præcedentis, benedicta a Nicolao *Boucherat* abbate Cisterciensi, non. Aprilis anno 1619, monasterium omnino desolatum instauravit; adjutricem sibi assumsit anno 1643 Barbaram *de la Londe*, extinctam ante amitam V idus Novembris anno 1652, sepultamque ante clathros chori. Fatis functa est Elisabeth VI non. Octobris anno 1661, & in choro tumulata.

XXII. Carola *de Bigars de la Londe* monialis E sancti Nicolai Vernoliensis, soror præcedentis adjutricis, & ipsa post eam amitæ data adjutrix anno 1653, abdicavit anno 1672, obiit XVII calend. Januarii anno 1675, sepulta in choro.

XXIII. Maria-Magdalena I *le Cordier du Tronc*, benedicta IV nonas Maii anno 1672, tumulavit in sanctiore basilicæ suæ loco cor Nicolai *le Cordier du Tronc* protopræsidis in Camera computorum Normanniæ, defuncti non. Septembris anno 1681. Obiit & ipsa VIII cal. Septembr. anno 1719, ibidemque tumulata est.

XXIV. Maria-Magdalena II *de Beaunai du Tot* neptis ex sorore præcedentis, eidemque data adjutrix bullis pontificiis x calendas Novembris anno 1716.

GOMERI-FONS.

CAlvum-montem inter & Gisortium, prope castellum Triæ, in amœnissima planitie quam alluit Troana fluvius, ab Hugone Calvimontensi fundatus est anno circiter 1207, sub nomine beatæ Mariæ, parthenon Gomeri-fontis, ordinis Cisterciensis, uti videre est in ejus literis in appendice editis. Is enim, Petronilla ejus conjuge, liberisque assentientibus, præter plurima dona, centum solidos ad ædificiorum constructionem in festo S. Remigii per decem annos, percipiendos largitur. Quin & anno 1209, in octava sanctorum apostolorum Petri & Pauli, alia huic monasterio dona contulit, quæ omnia Robertus Rotomag. archiepiscopus confirmavit anno 1212. Alios benefactores expertæ sunt moniales, scilicet Johannem de Monte-jovis anno 1248, & Mathildem Boloniæ comitissam, quæ in eorum gratiam literas [a] dedit anno 1252. Parthenonis hujus ecclesia ab Odone Rigaldo archipræsule dedicata est anno 1266, III idus Octobris. Priorissis quæ regebant adhuc anno 1212, substitutæ sunt ante annum 1226 abbatissæ, quarum seriem hanc depromsimus ex tabulario ejusdem monasterii.

SERIES ABBATISSARUM.

I. GUILLELMA I occurrit in instrumento anni 1226, reperitur & anno 1234. Obiisse dicitur 1248.

II. Margarita I *d'Harcourt* dicitur obiisse 1251.

III. Emmelina I occurrit in chartis annorum 1251 & 1256.

IV. Agnes I, benedicta ab archiepiscopo Odone Rigaldo IV calend. Junii anno 1264, ex codice visitationum ejusdem præsulis, sedebat adhuc anno 1266 mense Decembri, ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis.

V. Clementia *de Chenevieres*, ex nobili stirpe DD. *de Chenevieres* haud dubie orta, præerat anno 1295.

VI. Emmelina II non occurrit in instrumentis. Dicitur obiisse anno 1330. Sub ejus, ut videtur, præfectura, translata sunt ad ecclesiam Gomeri-fontis corpus Johannis de Tria militis, antea sepultum in æde Fratrum Prædicatorum, & corpus Margaritæ ejus conjugis, antea sepultum in æde Fratrum Minorum Bellovacensium.

VII. Sedilia, seu Odilia *d'Oinville*, regebat annis 1367 & 1371.

VIII. Eustachia *de Bois-Gilout* anno 1371 mense Novembri, & anno 1372, eodem mense.

IX. Petronilla I *de Franconville*, v non. Octob. anno 1373.

X. Isabellis I *de Marines* pridie cal. Octob. anno 1377, & XV cal. Novembris anno 1379.

XI. Agnes II *du Fayel*, pridie calend. Octobris anno 1381, & pridie idus Decembris anno 1383.

XII. Johanna I *du Fresnoy* abbatissa Hispaniæ per annos 34, transiit ad Gomeri-fontem die sacro Pentecostes anni 1386, & hoc ipso anno cessit e vita. Sepelitur in capitulo cum epitaphio.

XIII. Agnes III *du Fayel*, VII cal. Novemb. anno 1395, & anno 1397.

XIV. Johanna II *Hardouin* non comparet in instrumentis. Dicitur obiisse anno 1409.

XV. Isabellis II *Tabletier*, vel *la Tablettiere*, occurrit anno 1409.

XVI. Lucia *de Montmorency* memoratur in schedis D. *de Gaignieres*, anno 1412. Sedebat adhuc V calend. Decembris anno 1414.

XVII. Guillelma II *Couronne* reperitur V nonas Octobris anno 1434, quo monasterium magnæ patet ruinæ, eo quod tunc temporis Angli Vulcassinum devastabant.

XVIII. Margarita II *de Beauvoir* occurrit cal. Septembris anno 1437.

XIX. Johanna III *Duval* idibus Januarii anno 1468, id est 1469.

XX. Margarita III *Killon* in Anglia nata, reperitur anno 1474.

XXI. Johanna IV *de la Mare* sedebat calend. Maii anno 1475; obiisse dicitur 1483.

XXII. Petronilla II *le Prevost* sedebat anno 1484, exauctorata anno 1503, quod male rem familiarem gereret.

XXIII. Nicolaa *de Saint-Hilaire*, ex priorissa Mali-dumi facta abbatissa Gomeri-fontis, reperitur VII calendas Novembris anno 1506. Concordiam iniit anno 1513 cum domino *de Berticheres*. Adhuc occurrit anno 1519, IX calend. Novembris.

XXIV. Maria I *Langlois* præfuit ab anno 1533 ad 1568, quo obiit; tumulatur in choro monialium, cum hac epigraphe: *Cy gist dame Marie Langlois abbesse de ceens, & regna trente-trois ans, laquelle trespassa la vigille de Noel, l'an mil cinq cent soixante & huit. Priez Dieu pour son ame.*

XXV. Elisabeth *le Monnier* fit abbatissa calend. Januarii anno 1569, sedetque ad annum 1580.

XXVI. Maria II *Langlois* in abbatissam assumta anno 1580, præfuit in annum 1583.

XXVII. Johanna V *du Bouillonné*, monialis Almeniscarum, nominata a rege anno 1583, abdicavit anno 1604.

XXVIII. Judith *de Rouxel de Medavi* nobilissima stirpe oriunda, monasterium ingruente bello, præcedentiumque abbatissarum incuria extrema fere passim restauravit, alienata bona restitui curavit. Cessit anno 1614.

[a] *Omnibus præsentes literas inspecturis, Mathildis comitissa Boloniæ, salutem. Notum facimus universis, quod nos caritatis intuitu & amore Jesu Christi, ob salutem & remedium animæ nostræ, & animarum patris ac matris nostræ, Reginaldi bonæ memoriæ quondam comitis Boloniæ, & Ydæ ejus uxoris, & Philippi recolendæ memoriæ quondam mariti nostri & comitis Boloniæ, & Johannæ filiæ nostræ quondam uxoris domini Galteri de Castellione, dedi religiosis . . . . . monialibus ecclesiæ beatæ Mariæ de Gaumeri-fonte, quinque milliaria alecum. . . . Datum anno Domini 1252.*

XXIX. Magdalena *de Rouxel de Medavi*, soror A marescalli *de Grancé* equitis torquati, monasterii, tam in spiritualibus quam in temporalibus restauratrix & altera fundatrix merito dicenda est; reditus enim ad duplum auxit. Strictiorem observantiam introducere cum satageret, obsisterentque illi ex suis monialibus plurimæ, undecim ex iis quæ reformari nolebant, interiere, & quatuordecim quas ad probationem admisit, omnes plenam perfectamque regulæ Benedictinæ professionem vovere annis 1627 & 1628; sedit ad annum 1638. Sepelitur in superiori parte chori monialium, hoc epitaphio decorata: *Cy gist très-devote & religieuse sœur Magdelaine de* B *Medavy, qui dès l'age de cinq ans a esté consacrée à Dieu, & puis abbesse de ceans, où elle a restably entierement ce monastere & remis une estroite reforme, & a regné vingt-cinq ans. Elle deceda le douziesme Septembre 1638.*

XXX. Margarita IV *de Rouxel de Medavi*, soror præcedentis & coadjutrix, successit anno 1638. Strictioris observantiæ propositum prima vovit anno 1628. Facta abbatissa loca regularia, antea aut diruta, aut quantocius corruenda restauravit. Dormitorium pedum 180 longitudinis, & in eo 55 cellulas; refectorium, capitulum, valetudinarium, aliaque ædificia monialibus utilia a C fundamentis erexit. Extincta est anno 1705 mense Martio, centenaria.

XXXI. Maria-Anna *de la Viesville*, monialis Argensolæ, abbatiam Gomeri-fontis capessivit anno 1705. Interfuit anno 1722 benedictioni Genovefæ-Cæciliæ *de Beauté* Malænoæ abbatissæ. Obiit 15 Augusti 1751.

XXXII. Anna-Johanna *du Pouget de Nadaillac*, filia Francisci *du Pouget*, marchionis *de Nadaillac*, & Annæ Adelaidis *de Plas*, monialis Gratiæ-Dei Cadurcensis, nominata a rege abbatissa Gomeri-fontis 26 Augusti 1751, possessionem nacta est 2 Januarii 1752.

SANCTUS SIDONIUS.

S. Saens.

UNA circiter leuca ab oppido sancti Sidonii, septentrionem versus, in loco cui nomen Latine Campus superior, vernacule *Camp souverain*, posita erat sub nomine sanctæ Magdalenæ monialium cella, filia, ut credere est, abbatiæ Bivallis. Quamvis enim illæ Cisterciensium pannis vestitæ sint, nihilominus jurisdictioni archiepiscopi paruerunt semper, & Romano utuntur breviario. Translato parthenone ab imperatrice Mathildi anno 1167 juxta oppidum S. Sidonii, ad ripam fluminis Arcarum dexteram, ecclesia E dedicata est anno 1312 sub invocatione beatæ Mariæ, ab Hugone episcopo Bethleemitano; sed ex prioratu abbatia evasit exeunte anno 1629 sub nomine S. Sidonii, quod oppido ejusdem nominis contigua sit. Anno circiter 1450 & oppidum & monasterium flammis dedidere Angli Burgundionibus mixti; adeo ut anno 1499 superessent illic moniales omnino tres. Sed locum restituere postea abbatissæ, quarum catalogum exhibemus.

ELENCHUS ABBATISSARUM.

I. ADRIANA *de Houdetot*, ultima loci priorissa, ex resignatione Carolæ *de Houdetot* amitæ suæ, facta est anno 1629 ejusdem prima abbatissa. Obiit VII cal. Januarii anno 1645.

II. Jordana *de Houdetot*, soror præcedentis & ejusdem adjutrix ab anno 1643, obiit XI calendas Januarii anno 1646.

III. Anna *le Tellier*, monialis Pontis-Dominarum in diœcesi Meldensi, sororque cancellarii Franciæ, abbatiam obtinuit bullis pontificiis V nonas Martii anno 1647, & Luteciæ Parisiorum in prioratu Villæ-episcopi benedicta est XIII cal. Aprilis anno 1657, a Petro *de Marca* archiepiscopo Tolosano. Obiit V idus Februarii anno 1660. Prædium & ædiculam sanctæ Austrebertæ, olim prioratum intra fines parochiæ S. Dionysii de Fermento, monasterio suo obnoxium, sibi & monialibus suis asseruerat anno 1653 adversus abbatem Crucis sancti Leufredi.

IV. Magdalena *Colbert de Saint-Pouange*, bullis impetratis XV calendas Maii anno 1660, benedicta est IV idus Julii anno 1662 in eodem prioratu Villæ-episcopi a Francisco *de Harlay* archiepiscopo Rotomagensi. Monasterium quod Anna *le Tellier* matertera ejus instaurare cœperat, ad culmen ipsa perduxit. Obiit idibus Decemb. anno 1680.

V. Maria *de Cassaignet de Tilladet*, soror episcopi Matisconensis ejusdem nominis, bullas obtinuit pridie cal. Aprilis anno 1681, benedicta anno sequenti, V calendas Martii in eodem prioratu Villæ-episcopi, a Carolo-Mauritio *le Tellier* archiepiscopo Remensi. Novam a fundamentis anno 1688 erigere cœpit ecclesiam. Obiit V calendas Septembris anno 1692.

VI. Henrica-Margarita *du Bouzet de Roquepine*, bullis impetratis IV calendas Januarii anno D 1692, benedicta est in abbatia sua XI calendas Maii anno 1704, a Jacobo-Nicolao *Colbert* archiepiscopo Rotomagensi. Extincta paulo post abdicatam præfecturam, XVIII calend. Februarii anno 1726, Luteciæ in prioratu Villæ-episcopi, ubi & sepulturam nacta est.

VII. Anna-Ludovica-Radegundis *de Lorraine d'Elbeuf*, monialis abbatiæ Pentemontis, bullas obtinuit XVI cal. Octobris anno 1726.

VIII. N. . . . *de Limoges* nominata anno 1748, mense Junio.

IX. N. . . . . *de Saint-Aignan* nominata est a rege abbatissa, mense Novembri 1753.

THESAURUS BEATÆ MARIÆ.

LE TRÉSOR.

ANNO 1228 fundatus est parthenon ille, Vallibus-Cernaii sub linea Claræ-vallis obnoxius, a Radulfo *du Bu* milite, non longe a dextra fluminis Eptæ ripa; moniales vero ex abbatia Hispaniæ diœcesis Ambianensis, deductæ. At piissimus rex sanctus Ludovicus, tot ac tanta postea huic loco in augmentum dotis contulit, ut novi parthenonis fundator jure ac merito ab omnibus habeatur. Hujus basilicam consecravit

III idus Octobris anni 1232, Mauricius archiepiscopus Rotomagensis, quo tempore nondum abbatissis parebat locus. Earum seriem ex tabulario potissimum ipsius parthenonis depromsimus in hunc modum.

Abbatissarum Series.

I. MARGARITA I pepigit anno 1258 mense Septembri, cum abbate & monachis sancti Taurini Ebroicensis. Sedebat adhuc IX calendas Julii anno 1274.

II. Adelais secundo loco ponitur in indicibus monasterii; præerat anno 1283, ex archivis sancti Martini Pontisarensis, in quibus Aalisia dicitur.

III. Elisabeth *de Villetain* occurrit in tabulis sancti Amandi Rotomagensis anno 1296, mense Maio. Obiit anno 1302.

IV. Eustachia quarto loco ponitur in indicibus monasterii.

V. Margarita II *de Banteleu*, extincta anno 1333.

VI. Johanna I *de Montegny* sedebat annis 1352 & 1374.

VII. Johanna II *le Bigre* obiit III idus Novembris anno 1383.

VIII. Johanna III *de Montigny* reperitur annis 1389 & 1392.

IX. Anna I *de Montmorency* obiit an. 1394.

X. Malina *du Chemin* præerat anno 1407, parthenonem funditus subvertit. Qua de re cum monialibus diu litigavit in curia Parlamenti regii, quo suadente ut eam deponeret abbas Cisterciensis reformationis officium ibidem exercens mense Martio 1411, prius eam monere decrevit, sublatumque ab ea per curiam temporale monasterii regimen, ad biennium per modum provisionis sub certis conditionibus denuo ei commisit. Quo elapso, in capitulo generali anno 1413 singulis injunctum abbatibus, ut si deponi mereretur, eam deponerent, eique Agnetem *de la Porte* abbatissam de Vicinis substituerent, subductis ab electione monialibus loci quæ ab abbate Cisterciensi inhabiles fuerant declaratæ. Deposita tamen non videtur Malina, quæ sedebat adhuc anno 1416. Vide Anecdot. Martenii tom. IV, col. 1561 & 1562.

XI. Lucia *de Montmorency* sedebat an. 1419.

XII. Margarita III *de Noyers*, vel *de Noviers*, reperitur VI calend. Martii anno 1432, id est 1433, & anno sequenti 25 Februarii, quo Johannes de Montetirello abbas Vallis sanctæ Mariæ, uti legatus abbatis Vallium-Sarnaii, testis fuit revocatæ appellationis ab excommunicationis sententia lata adversus eam, ut diximus tom. VII, col. 880.

XIII. Dionysia *du Preau* occurrit anno 1438 in tabulis sancti Audoëni, & XII cal. Octobris anno 1460 in tabulis Cameræ computorum Rotomagensis. Fidem juravit regi mense Febr. anni 1460, id est 1461.

XIV. Johanna IV *du Mont* reperitur anno 1460, id est ineunte anno 1461. Regi fidem

A obstrinxit anno 1474; sedebat adhuc XV calend. Octobris 1492.

XV. Maria I *du Plessis* anno 1502.

XVI. Maria II *le Pelletier* occurrit VIII idus Februarii anno 1504, id est 1505, in tabulis scacarii Rotomagensis.

XVII. Margarita IV *de Monsures*, æmulam passa Margaritam *Capelle*, reperitur anno 1505, mense Maio.

XVIII. Margarita V *de Gourlay*, contendebat anno 1517 de abbatia sancti Amandi Rotomagensis adversus Guillelmam *d'Assy*; sed causa cecidit anno 1518.

B XIX. Ludovica *de Flines*, seu *de Felins*, præerat anno 1524 mense Junio. Obiit an. 1535 exeunte, id est ineunte 1536.

XX. Stephana *de Gany* nominata a rege Francisco I, obiit XV calend. Martii anno 1540, id est 1541.

XXI. Catharina *de Gany*, seu *de Gaigny*, occurrit V calendas Maii anno 1557. Cessit in gratiam sequentis; obiitque III calend. Octobris anno 1570.

XXII. Petronilla *de Dampont* præerat V cal. Decemb. anno 1559 & anno 1566, abdicavit.

XXIII. Johanna V *de la Fontaine* facta C abbatissa bullis pontificiis VII idus Septembris anno 1569 post cessionem præcedentis, obiit anno 1604.

XXIV. Philippa *de Vieupont*, monasticen professa apud sanctam Mariam Suessionensem, nominata est brevi regio X calend. Junii anno 1604, obiitque calend. Novembris anno 1635.

XXV. Johanna VI *de Vieupont*, adjutrix præcedentis facta bullis pontificiis III non. Decemb. anno 1615; obiit III idus Novemb. anno 1637.

XXVI. Catharina II *de Vieupont*, bullas obtinuit XV calend. Januarii anno 1637, extincta anno 1647.

D XXVII. Adriana *de Courtils de Talmontier*, bullas impetravit XI cal. Augusti anno 1648; obiit XIII cal. Martii anno 1683.

XXVIII. Anna II *Beraud* monialis abbatiæ de Bosco apud Parisios, facta abbatissa bullis datis IX calendas Maii anno 1683, benedicta est IV idus Augusti ejusdem anni, ab archiepiscopo Parisiensi. Obiit III idus Novemb. anno 1694.

XXIX. Anna III *de Roncheroles*, bullas impetravit calend. Februarii anno 1695; obiit VII idus Augusti anno 1723.

XXX. Maria-Gabrielis-Elisabeth *du Plessis de Richelieu*, monialis Portus-regii apud Parisios, E abbatiam obtinuit brevi regio XII calend. Martii anno 1724.

ARCÆ.

ARQUES.

SUperiore seculo Cisterciensium parthenon apud Arcas institutus fuit anno 1636, in honorem beatæ Mariæ & S. Josephi, Ludovicæ *de Guiran* monialis S. Albini prope Gornacum in gratiam, a toparchis *de Guiran de Dampierre;* qui parthenon metropolitana 24 Junii & regia auctoritatibus mense Augusto roboratus fuit.

Hunc ad abbatias evexit archiepiscopus Rotomagensis decreto lato 7 Maii 1637, cujus virtute moniales e suis quatuor eligunt coram archiepiscopo, & baroni *de Dampierre* proponunt. Hic vero e quatuor unam seligit quam archiepiscopo præsentat, qui eam abbatissam dicit. Sic electa est sequens,

I. Ludovica *de Guiran* 3 Martii 1695, oblata ab Eustachio *de Guiran* toparcha *de Dampierre*, ab archiepiscopo confirmata fuit 4 Aprilis. Nescio utrum immediate ei successerit

II. N. . . . *du Tout*.

Marche-Raoul.

MARCHASIUM-RADULFI.

FUndata fuerat ab Ulrico sancti Norberti discipulo abbatia Marchasii-Radulfi, prima sancti Judoci in Nemore filia, anno 1122, sub patrocinio S. Nicolai, in fundo silvæ Tiliarum quam hanc in rem dederat Ansculfus Montis-Capreoli dominus ibidem sepultus, unde monasterium illud sancti Nicolai in Tiliis nomen sumserat. Verum anno circiter 1145, Ulricus, urgente Ansculfo, commigravit non longe hinc ad locum pene medio itinere, Bellovacum inter & Pontisaram situm, a Gisortio remotum quatuor leucis, dictum Marchasium-Radulfi, cujus usque in hodiernum diem abbatia nomen retinet. Mittimus etymon hujus nominis quod Luvetius Antiquit. Bellovac. tom. II, pag. 56, proposuit. Mittimus pariter & etymon sancti Nicolai in Trellis; quod nomen abbas Stivagii Annal. Præmonstrat. tom. II, pag. 129, Tiliis substituere & explicare posse sibi visus est. Ad *Marchasium* quod attinet, vox illa locum paludosum significat, aut certe regionis alicujus confinia. Ulricus paulo post fundatam hanc abbatiam aliud monasterium pro monialibus constituit apud Bellum-montem in diœcesi Rotomagensi, uno a Marchasio-Radulfi lapide, quod funditus dirutum anno circiter 1192 in parochiam evasit, & usque adhuc dicitur Bellus-mons monialium. Exstat & alterum virorum in diœcesi Carnotensi Alba-curia dictum, cui anno 1180 originem dedit Arnulfus unus ex Ulrici successoribus. De Marchasio-Radulfi in primis bene meriti sunt Willelmus *de Pinceucourt* anno 1220, Johannes de Monte-Capreoli 1227, Michael *de Bois-Guillaume* 1257, Matthæus *de Helloy* 1266, Johannes de Monte-capreoli miles 1268, Matthæus comes de Domno-Martino, de Tria & de Montiaco, necnon Ægidius de Monte-Capreoli miles 1302, domina Blanca *d'Omont* de Monte-capreoli 1463, & alii nonnulli. Basilica monasterii, quæ dedicata fuerat III cal. Maii anno 1536, funditus corruit XVII calend. Maii anno 1615, nec nisi post annos multos propter loci egestatem restitui potuit.

Abbatum qui hanc domum rexere duplicem exhibemus catalogum, propter nimiam utriusque discrepantiam, quorum alterum ex annalista ordinis partim desumtum pluribus additamentis augere duximus; alterum vero accipe qualem exhibuit noster Claudius *Estiennot*, qui in codice MS. de Antiquitatibus Velocassium pag. 144 hujusce monasterii chartas authenticas & ea quæ hactenus supersunt venerandæ antiquitatis monumenta se perscrutatum fuisse testatur. Hic est index quem confecimus ex Annalibus ordinis & aliis commentariis.

NOMENCLATURA ABBATUM.

I. ULRICUS, de quo in proœmio, bullam obtinuit anno 1147 ab Eugenio III papa, quam legesis in Annalibus Præmonstrat. tom. II, instrum. pag. 73.

II. Verricus obtinuit anno 1162 a Theobaldo de Marliaco capellam seu prioratum sancti Blasii prope Pissiacum, & anno 1164 a Ludovico VII rege diploma, quod legesis ibid. p. 74. Adfuit ex abbate Stivagii anno 1172 capitulo generali.

III. Hugo I electus anno 1173, sedebat adhuc anno 1179.

IV. Arnulfus abbatiam Albæ-curiæ instituit anno 1180. Vide tom. VIII, pag. 1328. Adhuc præerat anno 1183.

V. Ivo obiit juxta abbatem Stivagii, anno 1196, die XI Augusti.

VI. Guillelmus I vastatam ab irrumpentibus Anglis & a vorante flamma, inquit idem, disjectam luxit Marchasii-Radulfi domum anno 1198. Obiit, ex eodem, XII calend. Augusti anno 1207.

VII. Balduinus obiit, ex eodem, idib. Martii anno 1215.

VIII. Adamus sedebat, ex eodem, anno 1220, & ex tabulario S. Dionysii in Francia, die festo sancti Clementis 1221, quo anno donationem accepit a Gerardo abbate S. Geremari. Præerat adhuc anno 1226, ex aliis tabulis.

IX. Odo obiisse dicitur apud eumdem, ex necrologio Gaudii-vallis, XVIII calendas Julii anno 1232.

X. Petrus I sedebat vel obiit, ex eodem, IV nonas Maii anno 1240.

XI. Raginelmus vendidit anno 1249, mense Julio, abbatiæ sancti Dionysii in Francia, locum sanctæ Genovefæ, Gisortium inter & Novum-mercatum. Ille esse videtur Renelinus, cujus mentio fit in necrologio, ex abbate Stivagii, IV idus Januarii.

XII. Johannes *Pignart* sedebat, ex eodem abbate, idibus Decembris anno 1250.

XIII. Simon benedictus est ab Odone Rigaldo archiepiscopo idibus Decemb. anno 1259, sedebat, ex eodem, anno 1262.

XIV. Hugo II præerat, ex eodem, VI calend. Januarii anno 1278.

XV. Garnerus præerat, ex eodem, VI non. Julii anno 1281. Obiit, ex necrologio Marchasii-Radulfi, IV nonas Junii.

XVI. Petrus II obiit, ex eodem abbate, V nonas Martii anno 1290.

XVII. Renatus I sedebat vel obiit, ex eodem, IV idus Januarii anno 1302.

XVIII. Petrus III *du Bours*, vel *du Bourg*,

cui locum assignare non ausus est abbas Stivagii, obiit, ex quibusdam commentariis, pridie cal. Martii anno 1319, id est 1320.

XIX. Robertus I, juxta eumdem, præerat XII cal. Junii anno 1320.

XX. Petrus IV occurrit pridie cal. Decemb. anno 1343.

XXI. Ancellus *de Monceaux* sedebat anno 1343; obiit, ex eodem, XII calendas Martii anno 1346.

XXII. Johannes II *de Plois* obiit, ex eodem, VII idus Martii anno 1352.

XXIII. Reginaldus *de Pontoise* obiit, ex eodem, anno 1360.

XXIV. Enguerrannus *de Bachefort*, aliis *Bras-de-fer*, S. Johannis Ambianensis canonicus & provisor, obiit, ex eodem, idibus Novembris anno 1377.

XXV. Petrus V *de Fleury* occurrit anno 1379, obiit, ex eodem, VII idus Martii anno 1382.

XXVI. Guillelmus II *Tabouret*, obiit, ex eodem, anno 1383.

XXVII. Stephanus *Bongre* obiit, ex eodem, X calendas Augusti anno 1385.

XXVIII. Johannes III *d'Aumale*, cui locum assignare non ausus est abbas Stivagii, obiit, ex quibusdam commentariis, pridie non. Decemb. anno 1392.

XXIX. Jacobus *Bruel* occurrit, ex eodem, anno 1392.

XXX. Petrus VI *de Saint-Just* obiit, ex eodem, VI nonas Maii anno 1398.

XXXI. Martinus occurrit XIV cal. Januarii anno 1404.

XXXII. Guido obiit, ex eodem, VIII cal. Decembris anno 1410.

XXXIII. Petrus VII *de Camille* obiit, ex eodem, VII calendas Maii anno 1415.

XXXIV. Johannes IV *Brunel* factus est abbas Albæ-curiæ VII calend. Maii anno 1437. Vide tom. VII, col. 940, & tom. VIII, col. 1330.

XXXV. Johannes V *Carpentier*, cujus curis ædes sacræ utcunque reparatæ, sedebat anno 1459 mense Julio, & anno 1477.

XXXVI. Robertus II *Vautier*, cui locum assignare non ausus est abbas Stivagii, obiit, ex quibusdam commentariis, XII calend. Februarii anno 1483, id est 1484.

XXXVII. Robertus III *Petit* obiit, ex abbate Stivagii, idibus Aprilis anno 1503.

XXXVIII. Johannes VI *de Quenouilles* obiit, ex eodem, pridie calend. Martii anno 1519, id est 1520; abbatiam Ressonii simul obtinebat.

XXXIX. Bertinus *Domin* primùm subulcus monasterii, deinde canonicus, tum procurator, postea prior, ac demum abbas, obiit III nonas Decembris anno 1532, sepultusque est cum epitaphio vernacule scripto, quod lege, si lubet, apud abbatem Stivagii.

A Quem his abbatibus ordinem adscripserit Claudius *Estiennot*, hic repræsentare juvat; postea sequentes resumemus.

I. Ulricus, a Milone abbate de Domno-Martino institutus & missus, præfuit ab anno 1122 ad annum 1162.

II. Verricus præfuit annis duodecim, obiitque 16 Octobris.

III. Hugo I pedum tenuit ab anno 1174 ad annum 1183 & obiit, ex necrologio, 27 Decembris.

IV. Arnulphus sedit ad annum 1185, & obiit 22 Octobris.

B V. Galterus rexit ab anno 1185 ad annum 1192; e vivis excessit die 2 Augusti. Hujus abbatis non meminit annalista.

VI. Ivo obiit anno 1198, 2 Augusti. Eo statim sedente, monasteria Marchasii & monialium Belli-montis ruinæ magnæ patuerunt.

VII. Robertus I successit seditque ad annum 1203; obiit 21 Maii.

VIII. Garnerus per sexennium sedem occupavit, & cessit in fata anno 1209, 2 Junii.

IX. Adam I in locum ejus suffectus est.

X. Willelmus I sedit ad annum 1233.

XI. Adam II, 1234.

XII. Robertus II de Tria, ex nobili stirpe C oriundus, sedit ad ann. 1238. Obiit idib. Maii.

XIII. Renelmus præerat 1249.

XIV. Odo I per triennium pedum tenet & dimittit anno 1252, vel circiter. Vitam finivit 8 Decembris.

XV. Petrus I sedet ad annum 1265, & ingreditur viam universæ carnis 8 Octobris.

XVI. Johannes I *Pignart* quadriennio sedem occupat, fatoque fungitur anno 1269, die 13 Decembris.

XVII. Hugo occurrit 1270 in tabulario sancti Martini Pontisarensis.

XVIII. Balduinus, ex canonico sancti Justi D factus abbas Marchasii-Radulfi, occubuit anno 1270, 7 Martii.

XIX. Revelinus sexennio est abbas, denatus anno 1278, die decima Januarii.

XX. Odo II fato fungitur anno 1286.

XXI. Petrus II *du Bours*, ex nobili stirpe oriundus, pedum tenet ab anno 1286 ad 1319, quo obiit 28 Februarii.

XXII. Ansellus *de Monceaux* nobilis, præest & prodest ad annum 1346, quo moritur 18 Februarii.

XXIII. Adamus III de Sergniaco Ansello succedit, & moritur anno 1361, die 5 Maii.

E XXIV. Ingerannus *Bras-de-fer* fuit abbas ab anno 1361 ad annum 1377, quo esse desinit die 8 Novembris.

XXV. Johannes II *d'Aumale* præest ab anno 1377 ad 1392. Vitam finit die 4 Decembris.

XXVI. Guido ejus successor est ad annum 1401, quo diem claudit extremum 24 Nov.

XXVII. Reginaldus *de Pouthoise* præfuit ab anno 1401 ad 1415, denatus die 4 Septemb. Monasterio dedit arpentum vineæ, pro qua

donatione Præmonstratenses anniversarium celebrare tenentur.

XXVIII. Petrus III *de Floury* sedem occupat ad annum usque 1422, quo migrat e vita die 22 Septembris.

XXIX. Stephanus *le Bougre*, antea prior ecclesiæ de Quarreriis, per biennium sedet, moriturque die 23 Junii.

XXX. Guillelmus II *Tabouret* fit abbas 1426; esse desinit anno 1430, die 25 Augusti.

XXXI. Johannes III *du Ploiz* per sexennium sedet, obiitque anno 1436, die 9 Martii.

XXXII. Petrus IV *de Saint-Just* sedem occupat annis quatuor, obiitque 1440, die 2 Maii.

XXXIII. Guillelmus III *de Neuville d'Omont*, ab abbate Stivagii prætermissus, fit abbas anno 1440; lustro sedem occupat, obiitque anno 1445, die 15 Januarii.

XXXIV. Petrus IV *de Canville* septennio sedet; obdormit in Domino 1452, die 25 Aprilis.

XXXV. Johannes V *Chevalier* abbas decennio, moritur anno 1462, die 21 Octobris. Hujus nulla mentio apud abbatem Stivagii.

XXXVI. Robertus III *Petit* pedum tenet ad annum 1476, quo vitam amittit die 13 Aprilis.

XXXVII. Johannes VI *Charpentier* sedet ad annum 1478; occumbit die 25 Octobris.

XXXVIII. Johannes VII *Brunel* triennio abbas, anno 1480 dieque 15 Octobr. moritur. Hujus indicis auctor allucinatus est, nam hic abbas apud Albam-curiam jam fato functus fuerat anno 1460, si fides abbati Stivagii.

XXXIX. Robertus IV *Wautier* tribus annis sedet, caditque die 21 Januarii anno 1483.

XL. Johannes VIII *de Quenouilles*, filius nobilis viri *de Quenouilles* & Catharinæ *de Mittes* dominæ *de Pouilly*, abbas simul Marchasii & Ressonii anno 1499, præfuit ad annum 1519.

XLI. Bertinus *Domin*, perperam dictus *Vinin*, sedet ad annum 1532; ipse agminis extremus.

Nunc ad ultimos abbates redeamus.

XL. Johannes VII *Bochetel* monasterium solo æquatum instaurare aggressus est, cujus novam basilicam dedicavit III calendas Aprilis an. 1535, id est 1536, episcopus Hipponensis.

XLI. Renatus II *de Gaats* factus abbas ex resignatione, cessit & ipse sequenti.

XLII. Carolus I *Chemu de Mornay* abbatiam transcripsit fratri suo anno 1586.

XLIII. Ludovicus I *de Mornay*, monachus sancti Dionysii in Francia, præerat anno 1604, mense Octobri; in gratiam sequentis cessit anno 1617.

XLIV. Florentius *de Morel*, monachus sancti Dionysii in Francia, regumque christianissimorum Henrici III & Henrici IV eleemosynarius, obiit, ex epitaphio suo, XVII calendas Aprilis anno 1625, conditus ante altare beatæ Virginis.

XLV. Dionysius *David*, canonicus Ressoniensis, sedebat pridie calendas Januarii anno 1633, & III calendas Julii anno 1647, quo

A die visitavit abbatiam Albæ-curiæ, & statuta quædam edidit contra Ludovicum *de Sopite* hujus monasterii abbatem, quæ confirmata sunt in capitulo generali anno 1649; postea cessit.

XLVI. Carolus II *Boulanger*, canonicus sancti Crispini Suessionensis in Cavea, benedictus Luteciæ ab episcopo Aulonensi XVII calendas Septembris anno 1654, abbatiam in nepotem transmisit.

XLVII. Ludovicus II, dictus comes *de Montauglan*, abbatiam quam ex cessione avunculi tenebat annis 1664 & 1665, & ipse abdicavit.

XLVIII. Ludovicus III *Hely* antiqui rigoris

B institutum in suam domum invexit non. Martii anno 1668, ex abbate Stivagii; & eodem anno facta permutatione cum sequenti, transiit ad abbatiam Clari-fontis, quæ paulo post ex diœcesi Laudunensi translata est in Suessionensem.

XLIX. Johannes VIII *Doucet de la Houssaye*, antea abbas Clari-fontis, resignasse videtur N.... *Paillot* clerico seculari, qui quod nec suscepisset ordinis habitum, nec vota nuncupasset, bullas obtinere non potuit.

L. Franciscus *Charton de la Terriere*, canonicus Præmonstratensis & ecclesiæ cathedralis Appamiensis, obiit VII cal. Julii anno 1693.

C LI. Philippus *Seguin*, ex priore renuntiatus est abbas a rege Ludovico Magno anno 1693, mense Septembri.

LII. Dagobertus *Millet*, ex priore venerabilis Sacramenti Parisiensis, nominatus abbas a rege christianissimo calend. Novembris anno 1708, fortunam pauperculæ domus, inquit abbas Stivagii, paupertate sua melioravit, prioratum sancti Blasii juxta Pissiacum attribuit mensæ conventuali, ecclesiam nimis caducam & prothyro destitutam nobili ornavit fronte, sacrariumque ditavit supellectile pretiosa. Ejus elogium lege apud eumdem Stivagii abbatem. Obiit, ex eodem,

D VI idus Martii anno 1720. Verumtamen nomen ejus consignatur in necrologio Ressoniensi III idus ejusdem mensis.

LIII. Johannes-Franciscus *Hyan*, seu *Hiant*, ex canonico Præmonstratensi & Ressonii priore, designatus abbas a rege, obiit, ex necrologio Ressonii & Insulæ-Dei, X calendas Julii anno 1723.

LIV. Josephus *Montginod*, canonicus congregationis reformatæ, ac parochus Congiaci in diœcesi Meldensi, abbatiam cujus possessionem inierat pridie non. Junii anno 1727, transcripsit fratri suo, ac rediit ad parochiam suam.

E LV. Ludovicus IV *Montgirod*, canonicus Meldensis, cardinali *de Bissy* episcopo Meldensi a secretis, ex cessione fratris abbatiam adeptus est in commendam anno 1727. Obiit Meldis 18 Septembris 1753, annum agens 70.

LVI. N. . . . *Clement*, decanus ecclesiæ collegiatæ de Ligniaco in Barrensi pago, nominatus est a rege commendatarius Marchasii-Radulfi mense Septembri 1753.

BELLOSANNA.

BELLOSANNA.

SEsquileuca ab urbe Gornaco, versus Argesten, fundata est sub nomine beatæ Mariæ Virginis, anno 1198, ab Hugone III Gornaci domino, abbatia illa, super rivulum Osannæ, unde Bellosannæ, quasi Bellæ-Osannæ, & locus & monasterium nomen sumsere; canonici autem qui novam hanc coloniam instituerent, ex abbatia Insulæ-Dei assumti. Sed prædiis Gerseiæ & Garneseiæ, quæ ex liberalitate Johannis Anglorum regis tenebat in feodum miserabiliter denudata, inquit Stivagii abbas, grandiori postmodum clade seculo XIV afflicta, decorem suum deperdidit, sensim forte deperditura & nomen, nisi ad interitum festinantem Deus hisce nostris temporibus suscitasset Henricum *Blavette* loci priorem, œconomia prædicandum, zelo spectabilem, qui dispersos sanctuarii lapides collegit religiose, dissipata prædia strenue vindicavit, & ruinosam quaquaversum domum a fundamentis excitavit ornavitque, ita ut anno 1732 Bellosanna sub ejus regimine superbiret ædificiis, fulgeret omnimoda, præsertim sacra supellectile, sumtus & necessaria suppeditaret ad victum duodecim canonicorum, quæ vix antea unum & alterum alere posset. Abbatum qui domum hanc rexere, hæc est tabula.

TABULA ABBATUM.

I. RADULFUS memoratur proto-abbas calend. Octobris in necrologio Insulæ-Dei, ex qua fuerat assumtus.

II. Guillelmus I recensetur anno 1212 in charta Roberti archiepiscopi. Ille est forte cujus meminit necrologium Lucernæ ad III nonas Dec.

III. Helerius, male in Neustria pia vocatus *Henricus*, occurrit in pluribus instrumentis annorum 1232 & 1233.

IV. Hugo I, benedictus IV nonas Febr. anno 1258, id est 1259, ab Odone Rigaldo archiepiscopo, ex codice visitationum ejusdem præsulis, sedebat adhuc anno 1266, ex tabulario ecclesiæ collegiatæ Gornacensis, omissus in vulgatis indicibus.

V. Guillelmus II occurrit anno 1330. Memoratur VIII cal. Maii in necrologio Silliaci.

VI. Johannes I *Martin*, recensitus in tabulis anno 1337, obiit anno 1348, male apud abbatem Stivagii anno 1338.

VII. Nicolaus bona monasterii dispertiit inter se & canonicos suos, V nonas Octobris anno 1350; præerat adhuc anno 1362. Memoratur in necrologio domestico ad diem XIII calendas Septembris.

VIII. Andreas *Hestrel* elocavit anno 1388 feodum Bellosannæ nuncupatum in insula Gerseiæ. Sedebat adhuc XII calendas Septembris anno 1400. Sub illo abbate, Carolus VI præbendam unam ecclesiæ collegiatæ Gornacensis attribuit monasterio Bellosannæ in perpetuum possidendam, VI idus Martii anno 1399, id est 1400.

A IX. Johannes II *Brunet* occurrit an. 1403, memoratus pridie idus Augusti in necrologio Insulæ-Dei.

X. Matthæus *le Jeune* præerat anno 1404, mense Aprili; anniversarium solenne pro parentibus suis fundavit anno 1411. Reperitur adhuc Matthæus absque cognomine, VI id. Junii anno 1424.

XI. Hugo II *Parent* occurrit in instrumentis ab anno 1425 ad annum 1442, recensitus in necrologio Insulæ-Dei, III cal. Martii & pridie idus Septembris.

XII. Johannes III *Pinart* reperitur in tabulis B ab anno 1450 ad annum 1466.

XIII. Gaufridus *de l'Isle*, ex parocho Braii-monasterii electus abbas ante diem VI idus Aug. anni 1466, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis, omissus est in vulgatis indicibus.

Mense Martio anni 1475, id est 1476, de abbatia contendebant duo æmuli, ex eodem tabulario.

XIV. Johannes IV *le Clerc*, alter, ut videtur, competitorum, sedebat III nonas Augusti anno 1477; obiit anno 1499.

XV. Johannes V *Boudet*, ex parocho sancti Luciani electus abbas anno 1499, obiit exeunte C anno 1518, id est ineunte 1519.

XVI. Antonius I *d'Outreleau*, ex parocho Braii-monasterii electus abbas ante non. Martii anni 1518, id est 1519, obiit anno 1521 post nonas Maii.

XVII. Robertus *Coppin*, ex priore factus abbas V idus Octobris anno 1521, obiit eodem anno, mense Decembri.

XVIII. Michael *le Long*, monachus Fiscannensis, prior Episcopi-montis, & baccalaureus theologus, abbatiam obtinuit a rege Francisco I, electus quoque a canonicis loci IV idus Maii anno 1522, regulæ Præmonstratensium nomen D dedit, extinctus pridie nonas Maii anno 1539, abbatum regularium ultimus. Sed regulares illos inter recensendi sunt adhuc

XIX. Durandus &

XX. Richardus, quibus locum certum assignare non potuimus. Hujus meminit necrologium Blanchæ-landæ III idus Decembris; illius vero calend. Februarii.

XXI. Heraldus *de Servise* abbatiam primus obtinuit in commendam, nominatus a rege anno 1539, defunctus anno 1543.

XXII. Franciscus *Vatable*, seu *Gatebled*, celebris in Academia Parisiensi Hebraicæ linguæ E professor regius, abbatiam tenuit ab anno 1543 ad annum 1547, quo extinctus est.

XXIII. Jacobus I *Amyot*, vir eruditissimus, histor. Æthiopicæ & operum Plutarchi interpres Gallicus, summus Franciæ eleemosynarius, regisque in concilio Tridentino orator, abbatiam dimisit anno 1564 in gratiam sequentis, fato functus anno 1592. De eo jam diximus tomo VII, col. 237, fusiusque dicemus in episcopis Autissiodorensibus.

XXIV. Petrus I *Ronsart*, poëta suo tempore

famosissimus, abbatiam anno 1564 & capessivit A & abdicavit.

XXV. Johannes VI *Mommont* discipulus Petri *Danès* episcopi Vaurensis, dicitur ab abbate Stivagii abdicasse anno 1576. Sed ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis constat præsentationem abbatis Præmonstratensis admissam esse ab archiepiscopo xv calend. Martii anno 1574, in locum abbatis Bellosannæ, propterea quod tunc temporis vacabat hæc abbatia.

XXVI. Johannes VII *Touchart*, Caroli Borbonii postea cardinalis dicti Vindocinensis pædagogus, ejusdemque in Rotomagensi ecclesia major archidiaconus, literis Græcis & Latinis B ornatissimus, cujus doctrinam præclara ingenii monumenta testantur, abbas erat Bellosannæ, quando post obitum Ludovici *de Brezé* renunciatus est episcopus Meldensis; sed mortem oppetiit VIII idus Julii anno 1597, eo ipso die quo bullæ ejus Roma Luteciam allatæ fuerant, sepultus ad Sacram capellam, cujus etiam thesaurariam obtinebat. Biennio antea legatus fuerat a provincia Senonensi ad comitia cleri generalia, ex commentariis Cleri Gallicani tom. VIII, part. 1, pag. 145. De eo diximus tomo VII, col. 247; & tomo VIII, col. 1650 & 1651. Legendus etiam Launoius Hist. colleg. Navarr. pag. 761. C

§ Carolus *Brossin*, familiæ Dominicanæ alumnus & concionator ducis Meduanæ, legitur in quibusdam actis annorum 1588, 1589 & 1590, abbas Bellosannæ; sed abbatiam, quam factione fœderatorum Lotharingorum obtinuerat, dimittere coactus est personatus abbas.

XXVII. Antonius II *Renard*, Johannis præcedentis ex sorore nepos, legitur abbas anno 1599, antea parochus Montis-Jocundiaci prope Gisortium, postea vero regi ab eleemosynis. Obiit anno 1626.

XXVIII. Johannes VIII *Coynard* factus abbas anno 1626, resignavit sequenti anno 1668. D

XXIX. Jacobus II *de Fieux*, factus an. 1675 & adjutor & episcopus Tullensis, abbatiam eodem anno transcripsit sequenti.

XXX. Stephanus *de Fieux*, frater præcedentis, vicarius generalis, officialis & major archidiaconus Rotomagensis, obiit XI calendas Decembris anno 1694.

XXXI. Petrus II *de Hangest-d'Argenlieu*, præpositus ecclesiæ Suessionensis, designatus abbas exeunte anno 1694, obiit IX calendas Junii anno 1701.

XXXII. Dionysius *Leger*, doctor Sorbonicus, major archidiaconus & vicarius generalis episcopi E Andegavensis, nominatus a rege abbas XIV cal. Septembris anno 1701, canonicatum Sacræ capellæ Parisiensis obtinuit an. 1707, fato functus IX calend. Junii anno 1729.

XXXIII. Urbanus *Robinet*, archiepiscopi Rotomagensis vicarius generalis, nominatus exeunte anno 1729, translatus est anno 1746 ad abbatiam sancti Satyri Bituricensis, cum esset vicarius generalis archiepiscopi Parisiensis, sed recusavit.

RESSONIUM. R

QUatuor a Bellovaco leucis, sex vero a Pontisara, fundata est anno 1150, in silva Tiliarum, abbatia B. Mariæ Ressoniensis, vernacule olim *Roisuns, Roisons, Resson*, imo & *Arson*, nunc vero *Ressons*, ab uno e toparchis castri vicini, tunc nuncupati *Omont*, vel *Osmont*, vel etiam *Osmunt*, sed a longinquo tempore dicti *Aumont;* quod quidem castrum in parochia Novæ-villæ diœcesis Bellovacensis positum est: plurimi autem ex toparchis illis postea in æde abbatiali sepulturam nacti sunt. Canonici Præmonstratenses duodecim, qui novam hanc coloniam instituerent, assumti sunt ex abbatia sancti Johannis Ambianensis; sed & canonissæ ejusdem ordinis positæ sunt simul in ipso castro, ubi perseverabant adhuc anno 1221, tum inde funditus sublatæ. Eamdem porro sortem canonici essent experti, ni abbatiam suam pene ad nihilum redactam renovassent medio circiter decimo septimo seculo strictioris observantiæ alumni, qui & ecclesiam & loca regularia instaurarunt, & facultates monasterii quantum fieri potuit, una cum canonica disciplina revocarunt. Hæc omnia ex Annalibus Præmonstratensibus tom. II, pag. 649, hausimus. Abbatum Ressonii tabulam exhibent iidem Annales: hanc ex variis documentis castigatiorem lectori offerimus in hunc modum.

TABULA ABBATUM.

I. PETRUS I anno 1150 a Fulcone abbate sancti Johannis Ambianensis Ressonium mittitur, cum duodecim canonicis. Interfuit anno 1172 capitulo generali. Duorum hujus nominis abbatum meminit necrologium domesticum, unius calendis Januarii, alterius VI idus Julii.

II. Rotholdus obiit anno 1185, ex abbate Stivagii.

III. Eustachius I, cui Matthæus comes Bellimontis, de consensu Eleonoræ comitissæ, duo arpenta vineæ in *Maricourt*, immunitatem quoque ab omni teloneo concessit, ex abbate Stivagii, suam denique, ex eodem, spopondit anno 1187 ecclesiæ Ressonienti protectionem: sed Guillelmum qui sequitur, reperimus an. 1177.

IV. Guillelmus *d'Hibouvillier*, cujus, inquit abbas Stivagii, hoc epitaphium in veteri capitulo legebatur: *Prudens prælatus hic qui jacet tumulatus, moribus ornatus, speque fideque ratus, Guillelmus abbas* de Ibouiller. Sedebat anno 1187, ex tabulis sancti Dionysii in Francia; imo anno 1177, ex aliis tabulis, nominatim ex charta Hugonis abbatis Flaviacensis, eo anno data in gratiam Radulfi abbatis Seriaci, ut diximus tomo X, pag. 1363. Vide etiam in instrumentis chartam XXV, col. 27, pro Insula-Dei.

V. Hugo, prætermissus ab abbate Stivagii, sedebat anno 1193, ex tabulis monasterii. Obiit, ex necrologio domestico, IV idus Junii.

VI. Thierricus *de Diluvio*, quæ villa est media inter Ressonium & Marchasium-Radulfi, quo

tempore sederit, ignoratur. Hujus meminit necrologus domesticus IV idus Augusti. Sepultus est in capitulo prope Guillelmum *d'Hibouvillier*, cum hac epigraphe: *Hic jacet dominus Thierricus, abbas hujus ecclesiæ.*

VII. Aimfridus ad sinistram Thierrici tumulatus in capitulo, ex abbate Stivagii, cum hac inscriptione: *Hic jacet abbas Aimfridus;* quo tempore præfuerit, similiter ignoratur.

VIII. Balduinus sedebat anno 1202, ex tabulario ecclesiæ Bellovacensis.

IX. R. . . . forte Radulfus I, de quo infra, occurrit anno 1209.

X. Henricus anno 1237.

XI. Petrus II, ex canonico sancti Johannis Ambianensis abbas electus, moritur an. 1248, ex abbate Stivagii.

XII. S. . . . omissus ab abbate Stivagii, pepigit anno 1248, mense Aprili, cum Johanne abbate sancti Johannis Ambianensis.

XIII. Rigaldus *Minorita* obiit III non. Maii anno 1276, ex abbate Stivagii. Is esse videtur, quem Odo Rigaldus archipræsul benedixit XII calend. Octobris anno 1265, in ecclesia beatæ Mariæ Mellentina, ex codice visitationum suarum.

¶ Post Radulfum, abbas Stivagii alienam fidem secutus recenset, 1.° *Guillelmum de Flavicuria*, 2.° *Petrum Morelli*, 3.° *Guillelmum* le Seigneur, 4.° *Nicolaum* Tandelier, 5.° *Theodoricum de Diluvio*, 6.° *Petrum III*, 7.° *Radulfum*, antea canonicum S. Johannis Ambianensis, quorum tamen septem ne nomina quidem in documentis monasterii reperisse se fatetur. Nos in necrologio domestico reperimus, quos quidem si quo tempore apud Ressonium sederint incompertum, ibi tamen sedisse constat.

XIV. Johannes I *de Diluvio* memoratur in hoc necrologio idibus Februarii, & VI calendas Octobris.

XV. Johannes II memoratur ibidem, IV idus Maii.

XVI. Johannes III, ibidem, III non. Junii.

XVII. Guillelmus II *le Pesqueur*, ibidem, nonis Julii.

XVIII. Johannes IV *de Hodenc*, ibidem, VI calendas Augusti.

XIX. Ingerannus, ibidem, III non. Augusti.

XX. Herbertus, ibidem, V cal. Septembris.

XXI. Godefridus, ibidem, non. Septembr.

XXII. Odo, ibidem, XVII cal. Octobris.

XXIII. Johannes V, ibid. VII cal. Octobris.

XXIV. Radulfus II, ibidem, V non. Octob. Reperimus etiam in tabulario ecclesiæ Rotomagensis,

XXV. Paulum *de Court-Dimanche*, qui P... archiepiscopo clientelam vovit. Reliquorum qui sequuntur ordo certus.

XXVI. Robertus I *de Luparis*, cujus meminimus tomo VIII, col. 1329, fuit, ex abbate Stivagii, abbas Ressonii simul & Albæ-curiæ, vivereque desiit V calendas Martii anno 1392. Nos dixeramus anno 1391, veterem scilicet computandi morem secuti.

XXVII. Petrus III *de Val-Engoujart* cessit, ex abbate Stivagii, VIII cal. Maii anno 1407.

XXVIII. Ludovicus *de Sablonnieres* sedebat, ex tabulario domestico, annis 1409 & 1410. Obiit, ex abbate Stivagii, anno 1439.

XXIX. Eustachius II *Perin* præerat, ex tabulis, anno 1457. Abdicavit senio debilis, ex abbate Stivagii, anno 1466.

XXX. Filibertus *de Falesia* obiit, ex eodem abbate, anno 1476.

XXXI. Christianus *Buignon* canonice electus anno 1476, ex abbate Stivagii, Johannem *Masselin* priorem sancti Johannis Ambianensis a patre abbate per vim intrusum abbatis Præmonstratensis judicio propulit. Vivebat adhuc, ex eodem abbate, anno 1479.

XXXII. Bernardus *de Montreuil*, ex pastore Bosci-montis, quæ parochia pendet ab abbatia Ressonii, factus abbas, sedebat annis 1485 & 1491. Obiit, ex abbate Stivagii, anno 1492.

XXXIII. Johannes VI *de Quenouilles*, abbas simul Ressonii & Marchasii-Radulfi, sedebat, ex tabulis, anno 1499. Adfuit anno 1500, VI idus Maii, ex abbate Stivagii, capitulo generali ad sanctum Quintinum congregato, in quo ad ejus preces patres concessere fraternitatem & suffragia ordinis nobili ac potenti viro Friderico domino *d'Aumont*, & Franciscæ *de Ferrieres* ejus conjugi. Obiit, ex eodem abbate, anno 1519, & ex necrologio domestico, pridie cal. Martii.

XXXIV. Bernardinus *de Vauldrey* commendam obtinuit abbatiarum Ressonii & sancti Symphoriani Bellovacensis: præerat anno 1524 Ressoniensibus, quibus valedixit anno circiter 1541, extinctus anno sequenti pridie calendas Septembris apud sanctum Symphorianum, ubi & sepulturæ traditus est.

XXXV. Franciscus I *de Saint-Phal*, aut *de Saint-Phalle*, male apud abbatem Stivagii *de Simphalle*, abbatiam obtinuit cedente Bernardino cognato suo; obiitque, ex eodem abbate, anno 1548.

XXXVI. Christophorus *de Tilly*, abbas regularis, præerat annis 1549, 1552 & 1556.

XXXVII. Robertus *le Camus*, regularium ultimus, vivere desiit anno 1561, ex abbate Stivagii.

XXXVIII. Adjutor *de Tilly*, nominatus a rege VI idus Augusti anno 1561, non die 14 ejusdem mensis, ut ait Stivagii abbas, obiit, si fides eidem abbati, anno 1592. Quod si verum est, abdicasse dicendus est; nam vacabat abbatia anno 1571.

XXXIX. Claudius *de Montmorency* nominationem regiam non est adeptus anno 1593, quod asserit abbas Stivagii, quippe qui jam præerat anno 1577, mense Maio, ex tabulis domesticis; imo anno 1565, mense Februario, ex Quercetano Histor. gentis Montmor. Instrum. pag. 233 & 234. Obiit exeunte anno 1592, vel ineunte 1593, ante III idus Januarii.

XL. Franciscus II *de Montmorency*, præerat adhuc anno 1604.

§ Hilarium *Hannelier*, cui abbas Stivagii A locum dedit inter abbates, merito expungimus, quippe qui abbatiam non tenuerit, nisi ad Montmorenciacorum utilitatem & emolumentum.

XLI. Petrus IV *de Broc Saint-Mars* abbatiam obtinuit anno circiter 1625, factus postea episcopus Autissiodorensis. Strictiorem vivendi normam apud Ressonium induxit anno 1653. Obiit anno 1671.

XLII. Johannes-Baptista-Armandus *Bazin de Bezons* præerat anno 1681; obiitque anno 1721. Vide archiepiscopos Rotomagenses.

XLIII. Johannes-Baptista *du Bos*, canonicus Bellovacensis, unus e selectis 40 Academiæ B Franciæ viris & ejusdem Academiæ amanuensis perpetuus, obiit x cal. Aprilis anno 1742.

XLIV. N. . . . *de Vanolles* nominatur IV calendas Aprilis anno 1742.

L'ISLE-DIEU.

INSULA-DEI.

Regnante in Anglia Henrico II, canonicus quidam regularis sancti Laurentii apud Velocasses, cui nomen Hugo de S. Joviniano, asperrimam vitam ducebat inclusus in cellula undequaque muro vallata, prope ædiculam sanctæ Honorinæ, in finibus parochiæ Pirorum, supra Andellam. Pluribus ille morbis afflictus, nihil C tamen de castigatione carnis relaxabat, corpus, brachia, crura catenis ferreis cinctus, perpetuoque mancipatus jejunio, ut omnem longe lateque regionem sanctitatis suæ fama perfunderet. Tanto spectaculo medullitus perculsus Gualterus, *Mala-avis* dictus, monasterio Vallis-ægrorum, quod fundaverat, valedixit promto animo, confestimque ad pedes religiosissimi viri provolutus, residuum vitæ suæ sub ejus disciplina & quasi famulatu impendere decrevit: alii vero plurimi de Gualtero exemplum sumentes, cellulas sibi in Hugonis vicinia ædificare cœpere; & intra brevissimi temporis spatium factus est locus ille D velut altera Thebaidos laura. Sparsos hac & illac anachoretas Reginaldus Pauliacensis, miles spectatus, & ipse assiduis Hugonis hortamentis commotus, in unam coalescere societatem exoptavit, communicatoque cum Gilberto Vascoliensi, qui castellaniam Bellovacensem tenebat consilio, rem feliciter eodem Gilberto de suis facultatibus opem ferente ad exitum perduxit. Monasterii fundationem verbosius & macilentius tamen narrat Stivagii abbas, legendus libentius, si quæ scitu digna erant paucis contraxisset in hunc fere modum: Posita est abbatia anno circiter 1187 quatuor ab urbe Rotomago leucis versus E orientem, sub patrocinio B. Virginis, in insula fluminis Andellæ, unde *Insulæ-Dei* nomen desumsit, probantibus Henrico II Anglorum rege, & Gualtero Rotomagensi archiepiscopo; canonici vero, qui novam hanc coloniam constituerent, ex abbatia Silliaci deducti: basilicam denique dedicavere anno 1207 Walterius, & x calendas Septembris anno 1265 Odo Rigaldus archiepiscopi. Abbatum qui hanc domum rexere, hæc est nomenclatura.

Ch. xxv. col. 27.

NOMENCLATURA ABBATUM.

I. Robertus I *Thalum*, seu *Thou*, aut *Taon*, antea Falesiæ abbas, Insulam-Dei ad quam cum tribus aliis canonicis delegatus fuerat, parumper tenuit. Postquam enim duos ex suis loci pertæsos vidit ad sua revertentes, pertæsus & ipse rogavit capitulum generale a regimine absolvi, & absolutus est anno circiter 1188.

II. Gaufridus, seu Godefridus, subscripsit anno 1198 fundationi abbatiæ Bellosannæ.

§ Hugo *de Gournai*, consanguineus toparcharum Gornaci, ex abbate Stivagii, abbatiam Bellosannæ recens fundatam colonis auxit, extinctus anno 1211. Sed de illo abbate nihil occurrit, sive in domesticis, sive in ceteris ecclesiæ Rotomagensis monumentis, unde ducimur ad suspicandum offendisse hic eruditum abbatem, quemadmodum & in multis quæ hanc abbatiam spectant notis chronologicis, & verum Gornaci toparcham fundatoremque Bellosannæ obtrusisse nobis pro abbate Insulæ-Dei.

III. Radulfus præerat anno 1203, ex tabulario Vallis-Azonis, obiitque, ex necrologio domestico, pridie calend. Septembris.

IV. Robertus II obtinuit anno 1214, a Roberto II archiepiscopo Rotomagensi, ecclesiam Matonvillæ. Occurrit anno 1221, mense Octob. in tabulis sancti Audoëni, memoratus in necrologio III nonas Maii.

V. Robertus III *de Lions*, cujus meminit necrologus Bellosannæ VIII idus Octob. præerat anno 1246, mense Maio, ex tabulario sancti Amandi Rotomagensis.

VI. Johannes I benedictus est ab Odone Rigaldo archipræsule, IV calend. Novemb. anno 1262, sedebatque adhuc, ex abbate Stivagii, anno 1264.

VII. Petrus I occurrit anno 1273 in tabulis ecclesiæ Rotomagensis, & anno 1279 in chartis sancti Audoëni, occisus a Sicariis, ex abbate Stivagii forte non distinguendus a Petro *de Sigy*, cujus meminit necrologium domesticum ad VI nonas Maii, aut a Petro *de Silly* memorato apud necrologum Bellosannæ IV idus Februarii.

VIII. Guillelmus I *de Lions*, obiit, ex eodem abbate, anno 1302.

IX. Robertus IV *de Lions* obiit, ex eodem abbate, anno 1308, descriptus in necrologio ad diem VIII idus Octobris.

X. Reginaldus I reperitur V nonas Martii anno 1325, id est 1326, in chartis S. Audoëni.

XI. Guillelmus II *du Ménil-amis*, quem abbas Stivagii scribit finem vivendi fecisse an. 1258, obiit IV nonas Septembris anno 1359.

XII. Johannes II *de Lesques*, electus pridie idus Septemb. anno 1359, Carolum V Franciæ regem excepit, ab eoque, ex abbate Stivagii, confirmationem obtinuit donationis ecclesiæ *de Vinemerville*, factæ a castellano Bellovacensi. Obiit, ex eodem abbate, anno 1364, notatus in necrologio XVIII calend. Septembris.

XIII. Arnoldus *Gueroult* obiit IV calendas Septembris, ex necrologio. A

XIV. Reginaldus II *Gueroult de la Hemaudiere*, bullas obtinuit VII idus Maii anno 1370; notatur in necrologio VI idus Aprilis, nisi forte hæc nota chronologica spectet Reginaldum I.

XV. Petrus II *Morieult* reperitur in instrumento anni 1381; obsequium vovit ecclesiæ Rotomagensi, VI idus Novembris anno 1382. Obiit, ex abbate Stivagii, anno 1400. Memoratur in necrologio, XVIII cal. Octobris.

XVI. Johannes III, quem de Roseo cognominat abbas Stivagii, obiit, ex eodem, anno 1410, post decem annos regiminis. Meminit B necrologium Johannis abbatis, III idus Aprilis; & alterius Johannis VI calend. Octobris.

XVII. Philippus *le Ver* obiit similiter post decem regiminis annos, ex abbate Stivagii, anno 1420, notatus in necrologio VIII cal. Julii.

XVIII. Petrus III *le Machecrier*, seu *le Masfecrier*, aut *le Mascrier*, non *le Maserier*, ut scribit abbas Stivagii, obiit V nonas Julii anno 1442, sepultus in sanctuario a latere evangelii.

XIX. Laurentius *du Quesne*, electus in abbatia Silliaci III calendas Augusti anno 1442, præsentibus Guillelmo ejusdem loci abbate, & Roberto abbate Ardennæ, benedictus est pridie idus C Augusti eodem anno Rotomagi, in ædicula sancti Marci, ab episcopo Nitriensi, adstantibus Johanne abbate Boni-portus, & Johanne abbate sancti Victoris in Caletis. Sedebat adhuc IV cal. Februarii anno 1466, id est 1467, memoratus in necrologio Bellosannæ VIII cal. Januarii.

XX. Richardus *le Saonnier*, præerat, ex tabulis ecclesiæ Rotomagensis, anno 1475 mense Maio, æmulumque patiebatur Johannem *le Clerc*. Obiit, ex necrologio domestico, XIX calendas Januarii anno 1484.

XXI. Robertus V *Mehoult*, seu *Meschouet*, sedebat V idus Novembris anno 1485, ex tabu- D lario ecclesiæ Rotomagensis, abbatiam transcripsit sequenti anno 1500, post distracta multa ecclesiæ suæ bona; obiitque VIII cal. Dec. anno 1512.

XXII. Guillelmus III *le Roy*, benedictus XI calendas Julii anno 1500, in ecclesia Carmelitarum, ab Henrico episcopo Philadelphiæ, obiit VI idus Junii anno 1504.

XXIII. Petrus IV *Savary*, electus IV idus Junii anno 1504, obiit X cal. Februarii anno 1513, id est 1514.

XXIV. Johannes IV *Carrouge* præerat anno 1515 pridie idus Novembris; obiit V nonas Maii anno 1525. E

XXV. Stephanus *Besnier* electus idibus Maii anno 1525.

XXVI. Virgilius *de Limoges* transiit anno 1531 ad caput ordinis Præmonstratensis, Insulamque Dei transcripsit sequenti.

XXVII. Johannes *Regnard*, præcedentis ex sorore nepos, bullas non obtinuit nisi an. 1533, mense Maio. Obiit pridie nonas Junii an. 1558.

§ Vacabat abbatia pridie calend. Junii anno 1560, ex tabulario ecclesiæ Rotomagensis.

XXVIII. Franciscus *Eyme* protonotarius apostolicus, abbatiam tenebat in commendam anno 1560, mense Junio, & anno 1563.

XXIX. Gaspardus *Gorin* abbas, seu regularis seu commendatarius, præerat idibus Septembris anno 1577.

XXX. N. . . . *Savart* obiit idib. Februarii anno 1618, ex necrologio Bellosannæ.

XXXI. Carolus *de Martinville* abbas regularis, resignavit sequenti, obiitque III idus Nov. anno 1624.

XXXII. Ludovicus I *de Martinville* vota emisit ut patruo succederet; regularium agmen clausit.

XXXIII. Ludovicus II *de Romé* abbatiam tenebat anno 1626, mense Julio. Obiit IV idus Decembris anno 1675.

§ Vacabat abbatia pridie calendas Januarii anno 1676.

XXXIV. Antonius *Ricouard d'Herouville*.

§ Vacabat abbatia VI idus Januarii an. 1684.

XXXV. Carolus, *seu* Ludovicus *de Cuve de Présontaine*, abbatiam obtinebat annis 1716 & 1717; abdicavit in gratiam sequentis.

XXXVI. Petrus *de la Rue*, abbatiam adeptus est anno 1722.

Sequuntur, ex necrologio, nonnulli regulares, quibus locum certum assignare non potuimus, videlicet,

XXXVII. Guillelmus *de Peruel*, memoratus calend. Aprilis.

XXXVIII. Reginaldus *Briant*, memoratus VII calendas Maii.

XXXIX. Gilbertus, memoratus pridie non. Decembris.

XL. Guillelmus *d'Ozouville*, memoratus VI calendas Januarii.

SANCTA CLARA.

SAINTE CLAIRE.

CLarissæ sexdecim, quarum quatuor e monasterio Ambianensi, quatuor ex Hesdinensi, octo ex Atrebatensi assumtæ fuerant, in possessionem missæ sunt VII idus Septembris anno 1485 monasterii, quod ab anno 1481 Johannes Stotavillæus, dominus Torciaci & Blainvillæ, uxorque ejus Francisca Rupefucalda, construxerant Rotomagi in vico sancti Hilarii, intra fines parochiæ sancti Viviani. In ecclesia hujusce domus, quæ patronos agnoscit beatam Virginem & S. Johannem-Baptistam, quamvis aliquando dicta sit *sanctus Olivarius*, piissimus fundator sepultus est anno 1494. Abbatissarum autem quæ ab illo tempore rexerunt, hæc est series.

INDEX ABBATISSARUM.

I. MARIA I *de Brisé*.

II. Yolendis *de Gaubier*.

III. Maria-Jacoba *Auber* sedebat VI calendas Octobris anno 1517; obiit VII calendas Junii anno 1539.

IV. Anna *des Hommets*.

V. Johanna *Quesnel* præerat IX cal. Februarii anno 1556, id est 1557.

VI. Genovefa *de Mauviel* sedebat annis 1565 & 1574.

VII. Dionysia *du Hamel.*

VIII. Maria II *Laudace.*

IX. Francisca I *Anquetil.*

X. Francisca II *Loisel,* defuncta anno 1633.

XI. Nicolaa *de la Mare.*

XII. Ludovica *du Coudrai.*

XIII. Francisca III *Peron*, extincta an. 1679.

XIV. Magdalena *Damvix.*

XV. Catharina *Regnard*, obiit VIII idus Decembris anno 1696.

XVI. Catharina *Haran*, obiit X cal. Augusti anno 1704.

XVII. Ludovica-Christina-Clara *Guerente*, obiit III idus Decembris anno 1710.

XVIII. Maria-Anna *Carel*, sedebat adhuc anno 1733.

LES GRAVELINES.

GRAVENINGÆ.

ANNO 1644, mense Septembri, Clarissæ sexdecim e monasterio Graveningarum apud Belgas, appulsæ Rotomagum, sedem suam ibi fixerunt e regione collegii Societatis Jesu, unde & Graveningæ seu Gravelingæ dictæ sunt in ea urbe; literasque patentes transmigrationis suæ vindices a rege obtinuerunt anno 1650: sed anno sequenti, novo ubi monasterium ponerent acquisito fundo juxta vallum urbis intra fines parochiæ sancti Gildardi, primum hujus lapidem posuere IV idus Martii tres filiæ comitissæ Portlandiæ, una cum tribus dominæ *Brown* filiabus, & filia dominæ *Gage*, quarum omnium quatuor postea in eodem parthenone monasticam vitam amplexatæ sunt. Ecclesiæ cui Sacræ Familiæ nomen inditum est, primum similiter lapidem posuit pridie idus Augusti ejusdem anni Jacobus *Poërier d'Ansreville*, in Parlamento Normaniæ præses infulatus. Eam vero consecravit pridie idus Augusti anno 1667, Andreas *Linch*, episcopus Finiboriæ in Hibernia. Abbatissarum quæ ab illo tempore religiosissimam hanc domum rexere, series hæc est.

TABULA ABBATISSARUM.

I. MARIA I *Taylor*, ex nobilissima apud Anglos familia nata, vicaria primum parthenonis Graveningarum in Belgio, electa est anno 1644, prima abbatissa Graveningarum Rotomagensium. Obiit VI idus Dec. anno 1658.

II. Margarita *Bedingfield*, ex vicaria præcedentis electa abbatissa X calendas Januarii anno 1658, obiit pridie nonas Martii anno 1670.

III. Winefrida *Giffard*, illustri prosapia, tam apud Anglos quam apud Normannos orta, electa est abbatissa III idus Martii anno 1670. Abdicavit senio debilis, XI cal. Januarii anno 1701.

IV. Maria II *Talbot*, eodem die electa, obiit XII calendas Aprilis anno 1735.

V. Francisca *Clifton*, electa est V calendas Aprilis anno 1735.

S.

S. IONIUS, CAPUT ORDINIS.

ANNO 1679 Johannes-Baptista *de la Salle* canonicus ecclesiæ Remensis, & scholas & pædagogos instituit Durocortori Remorum, prima & literarum & religionis christianæ elementa liberis pauperum gratis edocendis; ipse vero huic operæ ceterorum exemplar magistrorum omnem curam impendebat operarius indefessus. Crevit brevi tempore & multiplicata est hæc soboles, in plurima regni loca accita, ac præcipue anno 1705 Rotomagi, ubi post acquisitam domum quamdam, sancti Ionii dictam, in extremo sancti Severi suburbio (hic est sanctus Ionius presbyter & martyr apud Castrenses in diœcesi Parisiensi, cujus meminere Bollandistæ non. Augusti) congregationis suæ caput ibidem fixere, unde nomen nacti sunt *Fratrum sancti Ionii.* Fratres illi laïcis adhuc annumerantur, nulli ordini ecclesiastico mancipati; ad regulares tamen evecti sunt bullis pontificiis anno 1725, mense Januar. Tunc basilicam sibimet ipsi posuere satis elegantem, quam Infanti Jesu consecravit XVI calend. Augusti anno 1734, Nicolaus *de Saulx de Tavannes* archiepiscopus Rotomagensis, altero die postquam fratres eodem loci ex ecclesia sancti Severi exuvias fundatoris sui transtulissent, extincti apud sanctum Ionium VII idus Aprilis anno 1719. Qui ordinem huc usque rexere præter fundatorem præpositi generales, ii sunt.

PRÆPOSITI GENERALES.

I. JOSEPH *Truffet*, dictus in congregatione sua frater Bartholomæus, electus est an. 1717, obiitque non. Aprilis anno 1720.

II. Guillelmus-Sanson *Bazin*, dictus in ordine suo frater Timotheus, electus est VII idus Aug. anno 1720; cessit 14 Augusti anno 1751, obiitque 6 Januarii 1752.

III. N. . . . . dictus in suo ordine frater Claudius, electus est 14 Augusti 1751, in capitulo generali habito apud sanctum Ionium.



ECCLESIA BAJOCENSIS.

BAJOCÆ, Lexoviensi diœcesi contermina urbs, ad orientem alluitur fluvio Auræ, ad occasum vero Constantiensi finitima irrigatur Viria; ad austrum Abrincensem, Cenomannensem & Sagiensem diœceses propius attingit; versus aquilonem mari terminatur, a quo leuca tantum & dimidia distat. Regionis circumvicinæ Bajocassinæ caput est & populi, a quo pro more illorum temporum sumsit nomen. Mirum est nullam ejus apud Cæsarem, qui populorum circumjectorum meminit, fieri mentionem: inde nata nuperi auctoris opinio, alios Cæsari non esse Bajocasses a Curiosolitis. Locus enim quem his assignat Cæsar, Bajocarum est locus, Unellos inter & Lexovios. Præterea quos Curiosolitas memorat Cæsar, hos Ptolemæus Bajocasses appellat: unde concludit auctor supra laudatus, eosdem esse Bajocasses Ptolemæi ac Curiosolitas Cæsaris; nec contemnenda videtur ejus conjectura. Quod enim nomen suum civitati non dederint, alios Galliæ populos habent duces, Sequanos, Sebusianos, Ambarros, &c. In notitiis veteribus provinciarum & civitatum Galliæ civitas Bajocassium secundas tenet inter civitates provinciæ Lugdunensis secundæ, hodieque episcopus uni metropolitano secundus, reliquos provinciæ antistites antecedit, sive, ut cum vulgo loquar, primus est Normanniæ suffraganeus; quo nomine inungendi metropolitani jure gaudet, aliisque prærogativis, quas antiquiori quidem episcopo consultus attribuit Gregorius XIII summus pontifex, sed reclamante semper ac intercedente Bajocensi. Templum majus Virgini Deiparæ sacrum, structura tectisque magnificis ac duabus turribus majoribus eminet. In eo deserviunt quinquaginta canonici, inter quos dignitatem primariam gerit decanus qui eligitur a capitulo, alias tenent cantor, cancellarius, thesaurarius, quatuor archidiaconi, subdecanus, succentor, scholasticus & theologus. Bajocassini tractus fertilis & amœni oppida sunt Bajocæ, Viria & Cadomus. Sunt in tota diœcesi 615 parochiæ in quatuor archidiaconatibus, & 15 decanatibus ruralibus, præter abbatias, de quibus post episcoporum memoriam agemus. Horum seriem non tam ex historia diœcesis Bajocensis Cadomi edita anno 1705, quæ tamen non nocuit, quam e diversis tabulis monumentisque ac historicis eruimus.

Esnault; Dissertat. sur le diocèse de Sais, pag. 100 & suiv.

EPISCOPI BAJOCENSES.

ANNI CHRISTI

I. SANCTUS EXUPERIUS.

DIversis nominibus cognitus S. Exuperius, Spirus enim appellatur, Spirius, Suspirius & Souspirius, Gallice autem Bajocis *saint Exupere*, & alibi *saint Spire*, primus ecclesiæ Bajocensis fundamenta jecit, & Christum Bajocensibus annuntiavit. Nonnisi quarto labente seculo sedisse creditur a viris, qui popularibus rumusculis aurem minime præbentes, antiqua ecclesiæ monumenta explorarunt, quando scilicet Abrincatensis, Constantiensis, Lexoviensis ac Sagiensis in eadem regione ecclesiæ primos suos videntur accepisse episcopos, & Rotomagensis antiquior in metropolitanam erecta est. Majorem certe antiquitatem singularum nemo adstruit, neque nomina cujusquam qui prius sederit afferuntur, inquit Papebrochius Maii tom. III, pag. 619. Et hæc ad adstruendam sancti Exuperii ætatem optime conducunt, cujus ideo obitus ad seculum v revocandus videtur. Defunctus autem S. Exuperius sepultus est in Monte Phœno, dicto subinde Monte Templorum. Ibi ædes sacra postea erecta forte a sancto Ragnoberto, in qua alii sepulti episcopi, ubi ideo templa plura erecta sunt, unde Templorum Monti inditum nomen. Quievit istic Exuperius, donec Bajocenses exstructa celebriori ecclesia sacrum corpus e priori tumulo elevandum eoque transferendum censuerunt, quæ prima dici potest translatio, cujus memoria aliqua

A agitur 14 Julii. Secuta sunt postmodum luctuosissima ea tempora, quibus Danica rabies maxime in sanctorum sepulcra, ubi thesauri recondi credebantur, sævire solita, eo Bajocenses impulit, ut sacra pignora in tutiora loca transferrent. Paludellum primo villam super Exonam an. 863, & post apud Corbolium cum corpore S. Lupi anno 943 destructo Paludello ab Haimone in suburbio castri sui Corbolii translatæ sunt sancti reliquiæ, ubi ad eas conservandas comes exstruxit ecclesiam in earum honorem & duodecim deputavit canonicos, defunctus in itinere Romano anno 957. De hac egimus ecclesia tom. VII, col. 961.

B

II. SANCTUS RUFINIANUS.

Post sanctum Exuperium Bajocensem rexit ecclesiam sanctus Rufinianus, & sepultus est in ecclesia sancti Exuperii, ubi etiamnum asservatur & officio semiduplici colitur die 5 Septembris, de licentia Francisci *de Nesmond* data an. 1688, minime vero in reliqua diœcesi, licet in Sanctorum Litaniis appelletur.

III. SANCTUS LUPUS.

Bajocassinæ urbis territorio oriundus sanctus Lupus, a beato Rufiniano baptizatus & diaconus ordinatus est; a Silvestro autem qui Rotomagensem archiepiscopatum regebat, tertius a sancto Exuperio consecratus episcopus, sedebat tempore

ANNI CHRISTI

quo Egidius rex Romanus regnabat in Galliis ab anno 458 ad 463. Pervenisse Lupum volunt Sammarthani ad annum 465 ex ejus vita, & quidem 25 Octobris, qua die officio duplici colitur in diœcesi. Sacræ ejus exuviæ reliquiarum S. Exuperii sortem subiere. Cum autem Lupus dicatur tertius a sancto Exuperio in ejus legenda, ita ut sanctus Exuperius intelligatur primus, secundus Rufinianus, tertius Lupus, habetur Bajocassini episcopatus initium ad quarti seculi finem referendum.

IV. Sanctus Patricius.

Successor Lupi Patricius, ex codice Thuaneo, obiit 1 Novembris circa annum 469. Collocatur ab aliis post sanctum Contestum.

V. Sanctus Manvæus.

Mariano imperatore & Merovæo Francorum rege qui floruerunt ab anno 450 ad 457, nobilibus apud Bajocas parentibus natus Manvæus, jejuniis, eleemosynis, orationibus aliisque operibus piis ad episcopatum aditum sibi fecit. In loco autem Siio hospitium & eremum construxit, ubi cum tribus sociis, se ipsum vocans trium monachorum priorem sanctissime vixit. Quin etiam duos dicitur mortuos suscitasse in ejus actis. Virtutibus & miraculis clarus a clero Bajocensi eligitur episcopus & sacratur. Morti proximus 47 diebus ab omni cibo potuque abstinuit, solo Christi corpore contentus. Denique felix confessor exspiravit v calendas Julii, anni, ut volunt, 480, sepultus est in ecclesia sancti Exuperii, ubi etiamnum jacet. Colitur non solum in urbe & diœcesi Bajocensi, sed & vicinæ Constantiensis diœcesis variis ecclesiis, quarum habetur patronus.

VI. Sanctus Contestus.

A sancto Exuperio sextus sanctus Contestus, Contextus, Contestius & Contessus, ex pago Bajocensi, ab incunabilis pietati se totum dedit. Ætate provectus ab omnibus dignus est judicatus qui Manvæo succederet. Cum autem civium suorum pravos mores redarguere non desisteret, omnium in se concitavit odium: cumque nil proficeret, in solitudinem secessit, ubi dæmonis insidias expertus, ejus astus elusit. Tandem reversus, in pastorali munere nihil de solitudine ac vitæ austeritate detraxit, virtutibusque ac miraculis clarus obdormivit in Domino 19 Januarii. Ejus corpus Fiscannum translatum, supra majus altare decentissime asservatur, ejusque festum ritu duplici celebratur.

VII. Sanctus Vigor.

Nobilibus apud Atrebates ortus parentibus sanctus Vigor, a sancto Vedasto ibidem inter monachos eruditus est. Egressus inde e terra & cognatione sua, secessit in Neustriam, ubi in pago Bajocensi in vico cui nomen Redeverus cellam construxit. Cumque multos ethnicos ad fidem christianam perduxisset, a Volusiano viro

A prædivite, cujus ex terris immanem serpentem profligavit, donatus est loco qui Cirisiacus dicebatur, & in circuitu fere 25 viculos habebat. Creatus episcopus Bajocensis, nulli labori pepercit ut idololatriam penitus exstirparet. At cum neque sic incolas Montis Phœni ad sacrum Dei cultum adducere potuisset, Montem qui regiæ ditionis erat a Childeberto obtinuit. Mons Chrismatis nomen accepit, decretumque ut ab illo die episcopus Bajocensis in solemnitate Paschali tres ibi infantes baptizaret. In vita S. Paterni Abrincensis episcopi, cum jam septuagenarius esset, ad eum venientes in visione sancti qui ad B Dominum migraverant Melanius, Leontianus & Vigor episcopi, per revelationem eum ordinaverunt episcopum anno 552. Vetus martyrologium Spicileg. tom. IV, *calendis Decembris Bajoce civitate sancti Vigoris episcopi & confessoris.* Sancti Vigoris corpus Centulam asportatum fuisse ab Aviciano Bajocensis ecclesiæ clerico matriculario, dum Neustria barbarorum incursu vastaretur, narrat Hariulfus in chronico Centulensi pagg. 531, 547 & 575, cum Ingelardus abbas esset sancti Richarii sub finem seculi decimi, regnante Hugone Capeto. Idem chronographus plurima ibidem miracula narrat a sancto Vigore patrata. C Ecclesia quoque sancti Frambaldi Silvanectensis de ejusdem reliquiis gloriatur.

VIII. Leucadius

Subscripsit concilio Aurelianensi III an. 538, 53
IV per Theodorum presbyterum anno 541, & 54
V anno 549. 54

IX. Lascivus.

Qui concilio Parisiensi III subscripsit anno
557 Lascivus, idem sane est ac Lauscius qui 55
Scubilionis abbatis Maudanensis exsequias curavit
an. 565, & apud Sesciacum sepulturæ mandavit. 56

D X. Leudovaldus.

Cum primis regni proceribus a Chilperico rege ad Childebertum regem missus est Leudo-
valdus anno 581, ad pacem inter eos firmandam. 58
Cæso Prætextato Rotomagensi archiepiscopo
anno 586, epistolas ad omnes sacerdotes direxit; 58
& accepto consilio, ecclesias Rotomagenses clausit, ut in his populus solennia divina non spectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor sceleris. Leudovaldi ad preces Baddo unus e legatis Fredegundis, qui ad interficiendum regem Guntchrannum missi fuerant, dimissus, ad E propria rediit. Vide Gregorium Turonensem lib. VI cap. 3, lib. VIII cap. 31 & 44, & lib. IX cap. 13. Ne Leudovaldus Bajocensis cum Leodovaldo qui per id tempus ecclesiam Abrincensem regebat, confundatur, vetat idem Gregorius libro II de Miraculis sancti Martini, cap. 36.

XI. Sanctus Geretrannus

Memoratur tom. II Martyrologii Gallicani, in appendice, ad 7 Decembris; ab aliis alibi collocatur.

XII.

XII. SANCTUS RAGNOBERTUS.

Idem fane est Ragnobertus ac Renobertus secundus a sancto Exuperio memoratus quibusdam in catalogis. Exeunte seculo sexto natus apud Bajocas, forte etiam hujus urbis comes, ejusdem fit episcopus & sacratur 25 Martii.
625. Concilio Remensi adfuit anno 625. Subscripsit privilegio Emmonis Senonensis episcopi pro
658. S. Petro Vivo anno 658, diversus a Ragnoberto episcopo Augustodunensi, qui subscripsit privilegio S. Columbæ Senonensis eodem anno, quem omisimus ante Leodegarium factum episcopum
659. an. IV Clotarii III. Christi 659. Ragnobertus autem noster subscripsit privilegiis Corbeiensi anno
663. 663, & beatæ Mariæ Suessionensis anno 666.
666. Magna cum virtutis fama Bajocensem ecclesiam rexit, clero suo ex avitis possessionibus amplam fecit hereditatem. Majorem ecclesiam a fundamentis instauravit, erecto duntaxat sibi juxta eam modico tugurio, universam pene diœcesim novis adornavit templis. Monachis & monialibus sub regula sanctorum Benedicti & Columbani militantibus varias donationes asseruit. Mortuus est in senectute bona die 16 Maii; corpus ejus sepultum in Monte ecclesiæ, in ecclesia sancti Exuperii, ubi quondam sepeliebantur episcopi, inde transfertur anno 847 28 Decembris, in basilicam sancti Victoris in Suiaco villa, tum x calendas Aprilis in ecclesiam novam ab Herveo constructam, & dedicatam a Freculfo Lexoviensi, Baltfrido Bajocensi, & Ansegaudo Abrincensi episcopis. Diaconum Zenonem habuit, qui cum eo inhumatus est in ecclesia S. Exuperii, extra Bajocas ad ortum, & cum eo postea translatus. Utriusque exuviæ circa finem seculi noni propter Danorum incursiones in Burgundiam asportatæ sunt. Ex eo tempore, partim in diœcesi Vesuntionensi servantur, partim in Autissiodorensi apud Varziacum, ubi quondam 21 Augusti, seculo XII desinente ab episcopo Hugone e tumulo lapideo levatæ sunt, & in capsa argentea depositæ. Anno autem 1642 pars tibiæ non modica in ecclesiam parochialem ejus nominis in urbe Autissiodorensi solenniter translata est die Aprilis 29. Postulante etiam capitulo Bajocensi, Carolus *de Caylus* episcopus Autissiodorensis ex eadem capsa partem alteram corporis Bajocas transmisit anno 1714.

XIII. SANCTUS GEREBOLDUS.

Ab Annoberto in primitiis suæ confessionis eruditus Gereboldus, factus episcopus, concilio Rotomagensi sub Ansberto archiepiscopo inter alios subscripsit. Ebriciaci cœnobii monachos ad basilicam Duorum Gemellorum direxit. Decessit die octavo post festum S. Andreæ, humatusque est vel in ecclesia sancti Exuperii, seu potius in monasterio Liberiaco quod condiderat, ut legitur in additionibus ad Usuardum: nunc est parochia seu prioratus a Fontanella dependens. Sancti Gereboldi memoria cum officio duplici agitur in diœcesi Bajocensi.

XIV. SANCTUS FRAMBOLDUS.

A XV. SANCTUS HUGO I.

Qui ecclesias episcopales, videlicet Rotomagensem & Parisiensem, necnon abbatiam Fontanellensem jam regebat Hugo, factus est etiam episcopus Bajocensis anno 726, ut diximus in 726.
Parisiensibus & Rotomagensibus. Obiit 8 Aprilis an. 730, ubique laudatus quod pervigilem curam 730.
de constructione, propagatione & administratione, ac exaltatione ecclesiarum suarum habuisset.

Hugonem sequitur Robertus, postea archiepiscopus Rotomagensis, apud Historicum Bajocensem, sed qui alio non fultus fundamento,
B missus abibit.

XVI. LEODENINGUS.

Notus est Leodeningus ex placito Attiniacensi anno 765 habito, cui subscripsit sumto 765.
titulo episcopi civitatis *Bajogas*.

XVII. THIORUS

Ex regio Caroli Magni clerico fit episcopus anno 809. 809.

XVIII. CAREVILTUS.

Privilegio Aldrici Senonensis archiepiscopi
C pro cœnobio sancti Remigii Senonensis anno 833 subscripsit Careviltus. Quidquid insuper 833.
additur, conjecturæ, non scientiæ opus est.

XIX. HARIMBERTUS.

Placito Carisiaco interfuit & subscripsit Harimbertus episcopus Bajocensis VIII idus Septemb. 837, ex Baluzio Miscellan. tom. III, pag. 136. 837.
Idem fane est ac Ermbertus, qui concilio apud Theodonis-villam adstiterat anno 835.

XX. SANCTUS SULPICIUS.

In diœcesi Bajocensi ortus Sulpicius, a Danis
D Neustriam vastantibus interfectus est anno 844 844.
in parochia Livibriacus dicta, in qua natus fuisse asseritur. Ejus anno 984 suffuratus corpus Simon abbas sancti Ghisleni in Hannonia, in suum monasterium transtulit. Vide Bollandum tom. II Januarii, pag. 787.

XXI. BALTFRIDUS.

Baltfridus, seu Waltfridus, subscripsit translationi monasterii sancti Remigii Senonensis a Wenilone hujus metropolis episcopo factæ anno 846. Hæc illa forte est synodus a Carolo rege 846.
congregata, ad quam nefando apud eum accu- *Spicileg. tom. XII, pag. 605.*
E satus crimine Waltfridus convolavit anno eodem, in eaque officium a quo suspensus fuerat recepit, donisque adornatus est plurimis. Anno 847 847.
majus altare consecravit in ecclesia ab Herveo constructa, pro condendis SS. Ragnoberti & Zenonis reliquiis. Adfuit conciliis Turonensi seu Parisiensi anno 849, Suessionensi 853, Ver- 849.
meriensi II anno eodem, & Bonogilensi 856. 853.
Dani anno 858 in Neustriam facta irruptione, 856.
Baltfridum Bajocensem episcopum necaverunt, 858.
ex Annalibus Bertinianis.

ANNI CHRISTI

XXII. Tortoldus.

Wenilonis archiepiscopi Senonensis propinquus Tortoldus & diaconus, vacantem Bajocensem episcopatum ejusdem gratia a Ludovico Germaniæ rege obtinuit, contra fidem quam Carolo Calvo, cujus erat clericus, sacramento promiserat; factusque episcopus pollicitationibus atque minis sollicitavit multos ac perturbavit: unde apud Saponarias definivit sancta synodus
859. anno 859 can. IV, quatenus Wenilo Senonum archiepiscopus, cujus diaconus fuerat Tortoldus, adjunctis secum tribus aliis memoratum diaconum evocatum audirent, & secundum auctoritatem canonicam de eo definirent; si autem refugeret eorum cognitionem, annitente principali potestate venire ad audientiam compelleretur: quod si hanc quoque declinaret, anathemate feriretur. Judicum sententia ejectus fuisse videtur, nam

XXIII. Erchambertus

Electus est ante XVIII calendas Julii 859, qua die cum reliquis patribus concilii Tullensis I apud Saponarias scripsit ad Wenilonem archiepiscopum Senonensem. Interfuit conciliis Tucia-
860. censi anno 860, Pistensi 864, Suessionensi III
864. 866, Tricassino 867, Vermeriensi 869,
866. Duziacensi per procuratorem 871, & Pontigo-
867. nensi 876.
869.
871.

XXIV. Henricus I.

876. Sanctissimus hic præsul dictus in chronico sancti Stephani Cadomensis, sanctissimus ac reverendissimus a Dudone decano sancti Quintini, Richardum I filium Guillelmi a Longa-spata Normanniæ ducis apud Fiscannum natum, inibi seu Bajocis sacro baptismatis fonte tinxit anno 938, ex chronico Rotomagensi, aut 933, juxta aliorum opinionem.

XXV. Ricardus I.

Cum Richardo I Normannorum duce adfuit Ricardus translationi reliquiarum sancti Audoëni medio seculo decimo.

XXVI. Hugo II.

In charta fundationis prioratus sancti Georgii subtus Motellam in Drocensi comitatu, factæ a Theofredo tempore Galterii Drocassini comitis, & confirmatæ a Richardo duce Normanniæ anno
965. 965, indictione VIII, Lotharii regis XI, testis legitur Hugo episcopus Bajocensis, qui alius forte non est ab Hugone III, sicut Robertus archiepiscopus itidem testis idem est cum Roberto, qui postea sederit & subscripserit.

XXVII. Radulfus.

De Abrincis dictus Radulfus in Antiquitatibus Normanniæ, Dola in Britannia oriundus, subscripsit donationi factæ abbatiæ sancti Dionysii
967. anno 967. Interfuit dedicationi ecclesiæ Fiscan-

A nensis anno 990. Fiscannum cum aliis Normanniæ episcopis advocatus est anno 1006.

XXVIII. Hugo III.

Radulfum comitem Ibriacensem & Bajocensem fratrem ex Sprota matre Richardi I ducis Normannorum, & Erembergam parentes habuit Hugo, qui germanus fuit Johannis ex Abrincensi Rotomagensis episcopi, & Emmæ primæ abbatissæ S. Amandi Rotomagensis. Subscripsit donationi factæ sancto Quintino a Richardo II Normanniæ duce anno 1015, instrumento Willelmi Divionensis abbatis liberum asserentis
B Fructuariense monasterium an. 1017, & chartis pro monasteriis, Fontanella 1020, S. Michaële de Monte 1022, Bernaio 1025, Gemetico 1025 & 1027, Fiscanno 1026, Cerasio 1032, Conchensi 1035. Turrim de Ibreio, quam Albereda uxor Bajocensis comitis construxerat, contra ducem Normanniæ multo tempore tenuit; unde egressus, diutius extorris permansit. Roberti Normannorum ducis interventu, terram Argentias permutavit cum Fiscannensibus, qui eam a Richardo duce tenebant. Terras sancti Petri Pratellensis, quas ob conventionem cum Humfrido fundatore invaserat, non sine magno pretio
C restituit anno, quo prius habitum Cadomi concilium de pace, 1047. Circa idem tempus assensum præbuit fundationi abbatiæ Fontanetensis. Dum cathedralem beatæ Mariæ ecclesiam inchoaret, sub finem ejus episcopatus inventa SS. martyrum Ravenni & Rasiphi fratrum corpora, Bajocas translata, in majori ecclesia collocata sunt. Denique postquam concilio Remensi anno 1049 adfuisset Hugo, eodem obiit & sepultus est juxta pyramidem a parte septentrionis. Filiam habuit Alberedam, Orderico teste lib. VI, pagg. 603 & 604, quæ nupsit nobili viro Alberto de Crevento, ex quo genuit Radulfum militem
D strenuum.

XXIX. Odo I.

Parentibus natus est Odo Herluino de Contavilla & Herlæva, quæ Herberti pelliparii Belgiæ & Dodæ filia, ex illicita cum Roberto duce copula ante conjugium genuerat Guillelmum conquæstorem, cujus ideo Odo frater fuit uterinus, germanus autem Roberti comitis Moretonii & comitissæ de Alba-marla. Diaconus ab Hugone episcopo Lexoviensi apud Fiscannum ordinatus est. Cum Herluino parente ad construendum Grestanum anno 1040 operam dedit.
E Hunc autem cum ab annis puerilibus optimorum numero consona præconia optimorum inseruissent, probitas, non altitudo natalium proximorum ipsi, valuit penes Guillelmum ducem, ut defuncto Hugoni Odonem substitueret juvenem adhuc ætate, sed animi canitie senibus præferendum. Ubi præsul consecratus fuit, pontificalem ecclesiam in honorem beatæ Mariæ novam auxit, auctoque clericorum numero peritorum & multis ornamentis mirabiliter ditavit. *Bonitatem ejus & prudentiam*, inquit scriptor actorum Guillelmi

Gest. G duc. p.

Will. Gemet. 275.

ducis, pag. 209, *primo testatur ecclesia Bajocensis, quam ipse multo studio egregie ordinavit atque ornavit.* Septem præbendas in ecclesia cathedrali dotavit. Coronam ligneam laminis argenteis coopertam 16 pedum altitudinis & totius navis ecclesiæ latitudinis dedit. *Dein omni Normanniæ utilis fuit ac decori. In synodis ubi de Christi cultura, in disceptationibus ubi de seculi rebus agebatur, intelligentia pariter atque facundia enituit. Liberalitate parem non habuit Gallia, ita opinio publica consensit.* Reliquiarum sancti Exuperii cupidus, Corboliensis ecclesiæ ædituum centum denariorum libris muneravit, a quo corpus quidem Exuperii recepit, sed rustici, non sancti, teste Guiberto abbate de Novigento pag. 336. Subscripsit chartæ pro instauratione monasterii Uti-
1050. censis anno 1050. Cum Hugone Lexoviensi
1051. episcopo occurrit anno 1051 in chartis Fontanellensibus, & in tabulis Montis sancti Michaëlis
1054. anno 1054. Insequenti adfuit concilio Roto-
1055. magensi. Ecclesiam Troarnensem dedicavit III
1059. idus Maii 1059, & loci regimen Durando abbati commisit. Circa id tempus assensum præbuit donatæ monasterio S. Juliani Turonensis Ronceivillæ, haud procul ab ostio Divæ in oceanum. Subscripsit diplomati Guillelmi Normannorum
1062. ducis anno 1062, pro conciliandis monachis Majoris-monasterii & sancti Petri de Cultura. Conciliis provinciæ Rotomagensis adstitit annis
1063. 1061 & 1063. Interfuit dedicationi parthenonis SS. Trinitatis apud Cadomum anno 1066.
1066. Eodem in ecclesia S. Vigoris, sita juxta muros urbis, monachos posuit, quibus Robertum de Tumbalenia patrem præposuit, monachisque plenam decimam totius villæ cum omnibus ad eam pertinentibus largitus est. Cum monachis & clericis multis aderat pridie idus Octobris anni ejusdem in castris Guillelmi conquæstoris, quando contra Heraldum conflixit & Angliam subegit. Cognitus autem cum esset talis Odo qui optime negotia sustinere valeret ecclesiastica & secularia, Guillelmus Angliæ rex in Norman-
1067. niam reversurus anno 1067, castrum Doveram Odoni fratri suo commisit cum adjacente ora australi, quæ nomine vetusto *Cantiam* dicta, Galliam propius spectat. Qualem autem in hoc munere gesserit se exhibent Acta Willelmi ducis, pag. 209: *Nec minus æquitatis amore meruit laudem. Arma neque movit unquam, neque voluit moveri: valde tamen timendus armatis, bellum namque utilissimo consilio, cum necessitas postularet, juvabat, quantum potuit religione salva. Regi, cujus frater erat uterinus, quem tanto amplectebatur amore, ut nec inter arma vellet ab illo separari, a quo magnos acceperat, atque sperabat honores, unice constantissimeque fidelis fuit. Libentes eidem obsequebantur, ut acceptissimo domino, Normanni atque Britanni: nec Angli adeo barbari fuerunt, quin facile intelligerent hunc præsulem, hunc præfectum merito timendum esse, venerandum quoque ac diligendum.* Anglos autem sub imperio Guillelmi ducis continuisse sic legitur in iisdem Actis, pag. 212: *Interea Bajocensis præsul Odo, & Guillelmus Osberni filius, præfecturas in regno utraque suam laudabiliter administrabant; interdum simul agitantes, modo diversi. Si quando necessitudo postulabat, festinam alter alteri ferebat opem. Per amicam, qua sincere, voluntatem concordabant, amplius valuit prudens eorum vigilantia: mutuo sese, regem æqualiter diligebant; affectu ardebant pari ad continendum in pace gentem christianam, consilio alter alterius æquanimiter assentiebantur. Æquitate utebantur maxima, uti rex præmonuerat, qua homines efferi & inimici corrigerentur, & benevoli fierent. Item præfecti minores, ubi quisque in munitionibus locatus fuerat, strenue curabant. Verum Angli neque beneficio, neque formidine satis coerceri poterant, ut quietem serenam quam res novas ac turbidas mallent. Consurgere palam in arma non confidunt, sed regionatim de pravis conspirationibus tractant, si quibus forte dolis prævaleant ad nocendum. Ad Danos, vel alio, unde auxilium aliquod speratur, legatos missitant. Ultro in exilium aliqui profugiunt, qua extorres vel a potestate Normannorum sint liberi, vel aucti opibus alienis contra eos revertantur.*

Interim Odo subscripsit chartæ pro sancto Martino magno Londoniensi scriptæ a Guillelmo
rege anno 1068, regni 2, peracta donatione 1068.
in Natali Domini, & confirmata die Pentecostes, qua Mathildis uxor in ecclesia S. Petri Westmonasterii in reginam est coronata. Subscripsit ut regis frater præcepto Guillelmi regis ecclesiam Deorhystensem, in pago Gloecestrensi, monachis S. Dionysii Parisiensis confirmantis secunda die
Paschæ 1069, apud *Wincestre*. Querelam habuit 1069.
cum Lantfranco Cantuariensi archiepisc. de consuetudinibus comitatus Cantuariensis, quem rex ei dederat, ut diximus, quæ definita est in pla-
cito apud Pinendenam anno 1071. Subscripsit 1071.
anno 1072 determinationi de primatu ecclesiæ 1072.
Cantuariensis in tota Anglia, factæ in concilio Anglicano. Conciliis Rotomagensibus adstitit
annis 1072 & 1074, quo ultimo subscripsit 1074.
diplomati Willelmi ducis pro Fontanella, ac Ch. XII. col. 17.
ecclesiæ Bajocensi Plessæum - Grimoldi dedit Chart. III. col. 65.
Guillelmus conquæstor. Interfuit 1077 dedica- 1077.
tioni ecclesiarum Bajocensis, Ebroicensis, sancti Stephani Cadomensis, ac Beccensis. Adfuit anno Chart. IV. col. 68.
1080 concilio apud Juliobonam. Subscripsit 1080.
chartis Guillelmi regis, de prima fundatione abbatiæ *de Saleby* in Anglia, aliisque pro eodem monasterio absque data; diplomatibus pro mo-
nasteriis Meldunensi & sancti Edmundi 1081, 1081.
indictione IV, regni XV, eodemque chartæ Mathildis reginæ, Gordunam dantis cœnobio Meldunensi. Eodem anno Adelis filia Guillelmi ducis, neptisque Odonis, Galliciæ regi desponsata, virgo obiit, & sepulta est in ecclesia Bajocensi, seu S. Trinitatis Cadomensis. Sigillum
apposuit suum Odo an. 1082, chartæ Willelmi 1082.
de Karilefo Dunelmensis episcopi, de libertatibus & possessionibus concessis monachis S. Cuthberti, sicut & chartis Guillelmi regis pro monasteriis
sancti Carilefi, S. Trinitatis & sancti Stephani Charta V. col. 71.
Cadomensis, anno 1082, indictione V, regni Chart. VI. col. 74.
XVI, & alteri diplomati pro mutandis canonicis

ANNI CHRISTI 1084. Dunelmensibus in monachos, anno regni XVIII. Anno eodem, Christi 1084, auctore Simeone Dunelmensi, a proprio fratre suo Guillelmo carceri mancipatus est Odo, de quo Ordericus Vitalis libro IV Historiæ Normannorum : *Quid loquar de Odone Bajocassino præsule, qui consul Palatinus erat, & ubique cunctis Angliæ habitatoribus formidabilis erat, ac veluti secundus rex passim jura dabat! Principatum super omnes comites & regni optimates habuit, & cum thesauris antiquorum Cantiam possedit, in qua jamdudum Edilbertus Irminrici filius, Eadbald, & Ercombertus, & Egbert, atque Lotheris frater ejus regnaverunt : primique regum Anglorum a discipulis Gregorii papæ fidem Christi susceperunt, & divinæ legis observatione perennis vitæ bravium mercati sunt. Permixta, ni fallor, in hoc viro vitia erant cum virtutibus, sed plus mundanis inhærebat actionibus, quam spiritualis theoriæ charismatibus. Cœnobia sanctorum valde conqueruntur, quod multa eis Odo detrimenta fecerit, & fundos sibi antiquitus datos a fidelibus Anglis, violenter & injuste abstulerit.* Ita Ordericus pag. 522, qui 646 addit : *Odo præsul Bajocensis, qui cum fratre suo Guillelmo rege Normannis dominabatur & Anglis, parvi-pendens potestates & divitias regni occidentalis, nisi jure papatus dominaretur latius, & omnibus terrigenis, Romam misit, palatium sibi emit, senatores Quiritum magnis muneribus datis, sibi amicitia copulavit, palatiumque suum multis sumtibus & superfluis apparatibus exornavit. Hugonem Cestrensium comitem, magnamque cohortem præcipuorum militum ascivit, ut secum in Italiam proficiscerentur obsecravit, & ingentia precibus promissa prodigus addidit. Illi vero, quia Normanni leves & extera videre cupidi sunt, protinus præsumptori episcopo, cui principatus Albionis & Neustriæ non sufficiebat, assenserunt. Ingentes quoque fundos, quos in occiduis climatibus possidebant, deserere decreverunt ; ac ut præfato præsuli trans Padum comitarentur, per fidem spoponderunt. Apparatum hujusmodi prudens rex Guillelmus edidicit, sed non approbavit ; regnoque suo multisque aliis valde nociturum æstimavit : unde festinanter in Angliam transfretavit, ac Odoni episcopo cum grandi pompa navigare in Normanniam cupienti, ex insperato in insula Vecta obviavit. Ibi nimirum congregatis in aula regali primoribus regni, rex ita locutus est : Egregii proceres, verba mea diligenter audite, & salubre consilium mihi quæso tribuite. Antequam transfretassem in Normanniam, regimen Angliæ fratri meo Bajocensi episcopo commendaveram : in Normannia multi contra me surrexerunt, & ut ita dicam, inimici & forinseci me invaserunt ; Robertus filius meus & tirones quos enutrivi, & quibus arma dedi, contra me rebellaverunt,* &c. *Interea frater meus Angliam vehementer oppressit, & ecclesias fundis & reditibus exspoliavit, ornamentis ab antecessoribus editis nudavit ; militesque meos, qui contra Danos & Hibernenses, & alios hostes mihi nimis infestos Angliam tutari debuerant, seduxit, & trans Alpes in extera regna, me contemto, pertrahere disponit,* &c. *Frater meus, cui totius regni tutelam commendavi, violenter opes diripuit, crudeliter pauperes oppressit : frivola spe*

A *milites mihi surripuit, totumque regnum injustis exactionibus concutiens exagitavit. Quid inde agendum* CI
sit caute considerate, & mihi quæso insinuate. Cumque omnes tantum virum timerent, & sententiam in illum proferre dubitarent, magnanimus rex ait, &c. *Hunc virum qui terram turbat, comprehendite, & ne in deterius prævaleat, solerter custodite. Cumque nullus in episcopum auderet injicere manum, rex ipse primus apprehendit eum. Illo autem reclamante, clericus sum & minister Domini, non licet pontificem damnare sine judicio papæ ; providus rex ait : Ego non clericum, nec antistitem damno, sed comitem meum, quem meo vice mea præposui regno, rationem com-*
B *missæ villicationis audire volens comprehendo. Sic regia potestas præfatum præsulem cepit, in Normanniam deduci fecit, & in arce Rotomagensi incarceravit, ibique intrusum quatuor annis, id est usque ad finem vitæ suæ, diligenter custodivit. Capite vero inquietudinis dejecto, militum motio conquievit, inibique regis providentia regnum suum intus & extra fortiter munivit. Ecce in hoc homine palam completum videmus, quod in libro Mythologiarum dicit Fulgentius : Qui plus quærit quam licet, minus erit quam est. Præsulatus Bajocensis & comitatus Cantiæ ingentibus casis abundans, & per totam Angliam atque Normanniam regia potestas cum propria com-*
C *munis, uni clero non sufficiebat, qui universo mundo præferri satagebat : quem ad hoc non cogebat divina assumtio nec canonica electio, sed insanabilis cupiditatis immoderata præsumptio Ergo quod habebat perdidit, & inclusus gemuit, exemplumque posteris ne honoribus inhient, dereliquit.* Attamen Guillelmus rex morti proximus Odonem invitus procerum precibus dimisit, ut docet Ordericus pag. 660 : *Cumque multi obnixe pro Bajocensi præsule orarent, tantorum supplicatione fatigatus rex ait : Miror quod prudenter non indagatis quis vel qualis est vir pro quo supplicatis. Nonne pro tali viro petitis, qui jam diu contemtor exstitit religionis &*
D *argutus incentor lethiferæ seditionis ! Nonne hunc jam coercui quatuor annis episcopum, qui dum debuerat esse justissimus rector Anglorum, factus est pessimus oppressor populorum & monachilium destructor cœnobiorum ! Seditiosum liberando male facitis, & vobismetipsis ingens detrimentum quæritis. Evidenter patet quod Odo frater meus levis est & ambitiosus, carnis inhærens deliciis & immensis crudelitatibus, & nunquam mutabitur a lenociniis & noxiis vanitatibus, hoc perspicue in pluribus expertus sum ; ideoque constrinxi non antistitem, sed tyrannum. Absque dubio si evaserit, totam regionem turbabit, & multis millibus perniciem subministrabit. Hæc non ex odio ut*
E *hostis profero, sed ut pater patriæ plebi christianæ provideo. Si enim caste & modeste se haberet, sicut sacerdotem & Dei ministrum ubique condecet, cordi meo major quam possim referre letitia inesset. Spondentibus autem cunctis emendationem pontificis, rex iterum ait : Velim, nolim, vestra fiet petitio, quia me defuncto vehemens subito fiet mutatio : invitus concedo ut frater meus de carcere liberetur, sed scitote quod multis per eum mors seu grave impedimentum incutietur.* Sic itaque liberatus Odo Guillelmi fratris sui exsequiis interfuit an. 1087. 10

insequenti in Angliam reversus, interfuit fundationi beatæ Mariæ Eboracensis anno 1088. *At Guillelmo Rufo per omnem Angliam dominante*, inquit Ordericus pag. 672, *& ubique rebelles fortiter comprimente, turgidus Odo de Anglia ejectus Bajocensem diœcesim repetiit, & Roberto duce molliter agente toti Normanniæ dominari satagit*, ac primum hunc anno 1088 ad bellum contra Cenomannenses concitavit. Obtinuit
1089. ab eodem an. 1089, confirmationem bonorum ecclesiæ Bajocensis, indictione XII, ordinationis suæ XL. Ecclesiam *de Ros*, in diœcesi Bajocensi sitam, quam iteratis vicibus sibi subjectam voluerat, monachis sancti Audoëni liberam dimisit
1092. anno 1092. Desponsavit Philippum Franciæ regem cum Bertrada Fulconis Andegavorum comitis uxore, anno eodem; & pro mercede infaustæ copulationis, ecclesias Meduntí oppidi aliquandiu habuisse dicitur, ab Orderico. Exsequias Gaufridi Constantiensis episcopi celebravit
1093. die 2 Februarii 1093. Cum Roberto comite villam Aldrium monachis Vindocinensibus con-
1094. firmavit anno 1094. Concilio Claromontano
1095. adfuit anno 1095, & Rotomagensi 1096, mense
1096. Februario. Dum autem Clarum montem peteret, ad monasterium S. Benigni Divionensis appulsus, ut Urbanum summum pontificem salutaret, a Jarentone abbate ita honorifice acceptus est, ut ad referendam gratiam consilio Willelmi Bajocensis decani monasterium sancti Vigoris, cum suis adjunctis sancto Benigno donarit. Monachis vacuum tunc erat, qui fundatore vinculis mancipato & abbate ad Latias partes profecto, hac illac dispersi fuerant. Statuit autem in hac ecclesia suam & Bajocensium episcoporum necnon & canonicorum fore sepulturam, voluitque ut si aliquando abbas ibi esset instituendus, ab abbate sancti Benigni in ejus capitulo eligeretur, eique subesset. Hæc omnia ad sua reversus scripto roboravit, dato Bajocis 24 Maii 1096. Hoc autem anno Jerosolymitanum iter arripuit, ut narrat Ordericus lib. VIII, pag. 664: *Odo Bajocensis episcopus, postquam de carcere liber egressus est, totum in Normannia pristinum honorem adeptus est, & consiliarius ducis, videlicet nepotis sui factus est. Erat enim eloquens & magnanimus, dapsilis, & secundum seculum valde strenuus. Religiosos homines diligenter honorabat, clerum suum acriter ense & verbo defendebat, ecclesiamque pretiosis ornamentis copiose per omnia decorabat. Hoc attestantur ædificia quæ construxit, & insignia ex auro & argento vasa & indumenta, quibus basilicam vel clerum ornavit. In adolescentia pro germanitate ducis datus est ei Bajocensis præsulatus, in quo plusquam quinquaginta annis pollens diversa est operatus. In quibusdam spiritus ei laudabiliter dominabatur, in nonnullis vero spiritui caro miserabiliter principabatur. Carnali ergo ardore stimulatus, genuit filium nomine Johannem, quem nunc in curia Henrici regis videmus, eloquentia magnaque probitate pollentem. Sed quamvis in quibusdam præfatum Odonem secularis detinuisset levitas, multum tamen exterius ipse res emendavit ecclesiasticas. Ecclesiam S. Dei genitricis*

A *Mariæ a fundamentis cœpit, eleganter consummavit, multisque gazis & ornamentis affatim ditavit. Ad ecclesiam sancti Vigoris episcopi Bajocensis, quæ sita est juxta murum urbis, monachos posuit, eisque religiosum & sapientem Robertum de Tumbalenia patrem præposuit, qui inter reliqua peritiæ suæ monumenta, brevem & luculentam, sensuque profundam super Cantica Canticorum expositionem dimisit in ecclesia. Verum postquam præfatus pontifex, ut prædictum est, clausus fuit in carcere, prædictus abbas relictis omnibus perrexit peregre, veniensque Romam, a Gregorio VII papa detentus honorifice, usque ad mortem Romanæ fideliter servivit ecclesiæ.*
B *Fundatore itaque episcopo vinculis mancipato, & abbate in Latias partes abeunte, novitius grex monachorum dispersus est, & quæsitis, prout quisque potuit, sedibus, ad idem cœnobium nunquam reversus est. Denique præsul Odo Grentoni Divionensium abbati dedit prædictum monasterium, ibique usque hodie cella floret Divionensium. Sic evidenter patet quod antistes Odo monasticum ordinem valde dilexisset. Dociles quoque clericos Leodicum mittebat, & alias urbes, ubi philosophorum studia potissimum florere noverat, eisque copiosos sumtus, ut indesinenter & diutius philosophiæ fonti possent insistere, largiter administrabat. De discipulis, quos ita nutriebat,*
C *fuerunt Thomas archiepiscopus Eboracensis, atque Samson frater ejus episcopus Wigornensis, Guillelmusque* de Ros *abbas Fiscannensis, & Turstinus Glestoniensis, multique alii, qui nostris temporibus in ecclesia Dei floruerunt, & subjectis ovibus pabulo doctrinæ radiisque virtutum solerter profuerunt. Sic Odo pontifex, licet secularibus curis admodum esset irretitus, multa tamen laudabilia permiscebat illicitis actibus, & quæ facinorose aggregarat, largitus est ecclesiis & pauperibus. Tandem nutu Dei omnipotentis, Dominicæ Incarnat. anno M. XCVI, indict. IV, omnia reliquit, & iter Hierosolymitanum cum Roberto duce nepote suo, ut in sequentibus, volente Deo,*
D *plenius dicemus, arripuit, & præsente Gisleberto Ebroïcensium episcopo, in urbe Panormitana obiit. Corpus vero ejus in basilica sanctæ Mariæ sepultum est, super quod insigne opus a Rogerio comite Siciliæ factum est.* De morte adhuc Odonis idem Ordericus pag. 765: *Odo Bajocensis episcopus, cum Roberto duce nepote suo peregrinatus est. Tantus enim erat rancor inter ipsum & regem, pro transactis simultatibus, ut nullatenus pacificari possent ab ullis caduceatoribus, &c. Tumidus nimirum princeps acerbe secum recolebat, quod Odo præsul qui patruus suus erat, in primordio regni sui primus illi restiterat, & ingentem magnatorum frequentiam in rebel-*
E *lionem contra eum contraxerat, &c. unde præsul, postquam rex Guillelmus, ut dictum est, prævaluit, peregrinari quam inimico subjici maluit. Romæ cum Urbano papa præsul & dux locuti sunt, & percepta benedictione ab eo, Tiberim transierunt, & in Apulia hiemaverunt. Inde pontifex in urbem Panormitanam, quam vulgo Palernam vocant, secessit, ibique Februario mense ex hac vita migravit, & in metropo-* 1097.
litanæ sanctæ Dei genitricis basilica Gislebertus Ebroicensis episcopus eum sepelivit. Hic ab adolescentia sua promotus ecclesiæ gubernaculum suscepit,

ANNI CHRISTI *fere 50 annis tenuit, multis honoribus & ornamentis episcopalem ecclesiam ditavit, clerum honoravit, & multos suis exspoliavit, aliisque ablata prodigus donavit.*

D'EBREMOV.

XXX. TUROLDUS.

Odonis obitum ut audivit Guillelmus rex Angliæ, Turoldo episcopatum dedit, inquit Ordericus pag. 765. Germanus erat Hugonis de Euvremodio, qui cellam S. Laurentii de Euvremodio construxit, & monachis Beccensibus subjecit. Per septennium tantum præfuit, quo temporis intervallo Henricus Angliæ rex anno 1101 transiens mare Bajocensem civitatem cum ecclesia B. Mariæ combussit, & Roberto fratri Cadomum abstulit. Turoldus autem anno 1106 testis fuit compositionis factæ ab Henrico rege inter monachos Fiscanni & S. Taurini. Circa id tempus a Paschali II archiepiscopum Lugdunensem pro *causæ suæ definitione* convenire calendis Octobris jussus est Turoldus, quem cum *necdum revestitum* audisset summus pontifex, inducias ei ad Pascha prorogavit & mandavit ut tunc coram Anselmo Cantuariensi archiepiscopo causam suam defenderet, aut ipsummet cum adversariis suis conveniret. Data est epistola ad Willelmum archiepiscopum Rotomagensem Salerni III calend. Aprilis. *Post annos septem*, ut legitur apud Ordericum ibid. *præsulatum pro quibusdam arcanis ultro reliquit, & in cœnobio Beccensi sub Guillelmo abbate monachili regulæ se submisit, ibique plurimo tempore usque ad finem vitæ regulariter Deo militavit.* Laudatur anno 1127 ab Honorio II papa ad Ricardum successorem scribente. Ad Turoldum etiam monachum factum scripsit S. Anselmus epistolam 127, lib. III: *Anselmus servus ecclesiæ Cantuariensis, fratri & amico Turoldo, Dei gratia monacho Beccensi, salutem & boni propositi perseverantiam usque in finem.* Superstitem fuisse ad annum 1146 probant hæc verba chronici Beccensis: *Circa hoc opus evenit miraculum per merita beatæ Fidis virginis & martyris a Deo patratum in persona D. Turoldi quondam episcopi Bajocensis, & pro tunc monachi Becci, germani Hugonis Euvremodiensis, de cujus Hugonis patrimonio fundatus fuit prioratus sancti Laurentii de Euvremodio, a monasterio de Becco Herluini dependens: qui quondam episcopus & tunc monachus, vexabatur quadam infirmitate, quæ vulgariter ruptura vocatur, a qua infirmitate mirabiliter per merita supradictæ beatæ virginis & martyris Fidis sanatus fuit, prout patet plenius in libro Passionis ejusdem virginis.*

[Margin: 1101. — 1106. — Ch. IV. col. 128. — Miscell. Baluz. tom. VII. p. 134.]

XXXI. RICARDUS II.

Recedente Turoldo sedem aliquandiu vacasse auctor est sanctus Anselmus epistola ad Arnulfum Troarnensem abbatem 141, lib. III. Et certe qui post annos 26 obiit in hebdomada Paschæ 1133, ex Orderico, Turoldo succedere nequivit ante annum 1107, Ricardus Sansonis filius, qui signum apposuit suum chartæ Henrici regis Angliæ abbatiam Elyensem ad episcopatum sublimantis, XVI calend. Novembris 1108. Anno

1108.

A 1115 Ivo Carnotensis episcopus scripsit Cononi sedis apostolicæ legato, epistolam 273, ut excommunicationem quam in episcopos Normanniæ auctoritatem legati detrectantes intentarat, ita temperaret, ut introitum ecclesiæ ad tempus Bajocensi episcopo non denegaret. Concilio Rotomagensi adfuit anno 1118 & Remensi 1119, in quo tunc tantum consecratus fuisse a summo pontifice dicitur, de quo Ordericum siluisse mirum, qui res in hoc concilio gestas accurate scripsit. Diplomatibus Henrici regis subscripsit Ricardus pro S. Stephano Cadomensi & pro Cerasio an. 1120, & chartæ S. Michaëlis B de Monte 1121, Saviniaci 1124, donationi factæ abbatiæ de Valle 1125, & chartæ Stephani comitis Boloniæ & Moritonii pro ecclesia beatæ Mariæ Furnesceiensis in Anglia an. 1126. Bullam ad eum direxit Honorius II anno 1127, in gratiam sancti Vigoris, in qua de multis eum reprehendit. Concilio Rotomagensi adstitit an. 1128. Cum aliis Normanniæ episcopis Hugonem Rotomagensem archiepiscopum consecravit anno 1130. Interfuit 1131 unctioni Ludovici VII, & subscripsit fundationi abbatiæ de Alneto. Baroniam Dobræ, quæ ad ipsum hereditario jure pervenerat, mensæ episcopali addixit. Dedicavit C ecclesiam prioratus Plessæi-Grimoldi, cui quidquid eo in loco possidebat, una cum suis fratribus largitus est, ita ut a multis credatur fundator hujus cœnobii. Obiit in hebdomada Paschæ 1133, ex Orderico pag. 897.

XXXII. RICARDUS III.

Post mortem Ricardi Bajocensis episcopi, inquit Ordericus lib. XIII, pag. 900, *rex nepoti suo Ricardo præfatæ urbis pontificatum dedit, quem archiepiscopus consecrare, quia nothus erat, satis detrectavit, diuque, donec apostolica sanctione pro regis timore concessum esset, distulit. Tandem remeantibus legatis cum decretis papæ, Bajocensis ecclesia* D *data est Ricardo Roberti comitis de Glocestria (filii regis) filio*, quem jubente Innocentio papa post duos annos Hugo Rotomagensis archiepiscopus consecravit anno 1135. Jam occurrit 113 anno 1134 in chartis Saviniacensibus, & subscripsit anno 1136 chartæ Stephani Angliæ 113 regis pro Montis-burgo. Ecclesiæ suæ plurima bona largitus est, ac præsertim ecclesiæ de Issigneio anno 1138. Consecravit eodem eccle- 113 siam de Ardena & donationes ipsi factas confirmavit. Testis fuit hoc anno commutationis inter Rogerium Fiscannensem abbatem & Ro- E bertum comitem de Glocestria, de prioratu sancti Gabrielis. Obiit 1142 die 3 Aprilis, ex 114 obituario Plessæi-Grimoldi, ubi decessoris Ricardi dicitur nepos, cui monasterio dedit campum Osberti.

[Margin: CH... — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — 11 — Chart. col. 77]

DE HARCO...

XXXIII. PHILIPPUS.

Roberti cognominis & Coletæ *d'Argouges* filius Philippus, regis Angliæ cancellarius, decanus Lincolniæ templi militibus in Anglia degentibus dedit terram *de Shepley*. Ex archidiacono

Ebroicensi Sarisberiensis episcopus a Stephano rege renuntiatus anno 1140, nec a legato, nec a clero admissus est, unde ad Bajocensem translatus, Ricardo defuncto successit anno 1142, ex chronicis Normanniæ. Canonicis Ardenen-
1143. sibus largitus est anno 1143 ecclesiam sancti Germani de Blanca-herba cum dependentiis, quam postea cum ipsa Ardena dedit & concessit canonicis Lucernæ. Juxta morem novæ inthronizationis Romam perrexit, ubi adfuit consessui, in quo Lucius II papa bullam emisit Laterani pro subjectione ecclesiæ Dolensis erga Turonen-
1144. sem, idibus Maii 1144. Bullam ipse aliquot post diebus ab eodem pontifice obtinuit XVII calend. Junii, pontificatus I, datam populo Bajocensi, in qua sic loquitur Lucius: *Præterea scire vos volumus quia, sicut ex scripto prædecessoris nostri, felicis memoriæ papæ Urbani intellexerimus, quoniam Bajocensis ecclesia bonorum suorum plurimam tunc temporis partem perdidit, cum Oddo ipsius civitatis episcopus a germano suo Guillelmo Anglorum rege captus est, quæ tamen bona idem episcopus sua postmodum industria recuperavit*, quæ scripti sui auctoritate firmat idem pontifex. Confirmavit
1145. Philippus anno 1145 Vindocinensi monasterio, quidquid in ipsius diœcesi possidebant. Circa id tempus interfuit fundationi cellæ sancti Imerii, datæ monachis Beccensibus. Cum abbate & monachis de Troarno querelam habuit, quæ a Lucio II & Eugenio III sopita est. Cisterciensibus
1150. monachis Vallem Richerii concessit anno 1150, Solobriamque quam prius eis dederat recepit.
1151. Memoratur 1151 in chartis Saviniacensibus, &
1153. 1153 in Fontanellensibus & in Lucernensibus. Monachis sancti Wandregisili confirmavit mense Aprili 1154, quidquid in ejus diœcesi possidebant, & subscripsit chartæ Hugonis archiepi-
1154. scopi Rotomagensis, Rogerio abbati confirmantis ecclesiam sancti Sidonii. Adfuit eodem anno, Dominica ante Nativitatem Domini, sacro Henrici Angliæ regis, apud Westmonasterium. Adrianus IV anno eodem bulla sua confirmavit tres præbendas quas in sua ecclesia instituerat Philippus. Circa id tempus Normanniam linquere coactus fuit, de quo his expostulat verbis ad Adrianum IV epistola 7, Arnulfus Lexoviensis episcopus: *Petitionem Bajocensis ecclesiæ de revocatione episcopi sui debita devotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adjungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua ecclesiæ detrimenta cognovit, quam ille de pulvere paupertatis & dejectionis erectam, de paupere divitem, de contemptibili venerabilem, de ignobili reddidit gloriosam. In quibus sane perficiendis quisquis laborem ejus industriamque perspexerit, probabit tum in exsecutione prudentiam, tum magnificentiam in effectu. Testatur hoc ædificiorum reparatio, revocatio possessionum, & antiquæ restauratio dignitatis, quam in conculcationem dederat malignitas & impotentia perversorum. Exultabunt igitur illi, si migraverit is quo debellante dejecti sunt, jamque manus avidas reparant* (forte præparant) *ad rapinam, qui licentius consueverant in jura ecclesiæ* A *malignari. Quia igitur filii & fideles ecclesiæ imminentia jam sibi detrimenta præsentiunt, ad discretionis & misericordiæ vestræ subsidium singulare concurrunt, ut ad conservanda quæ collegit suum episcopum eis remittatis: homo enim consilii & fortitudinis est, potens in opere & sermone, in regalibus consiliis & negotiis ecclesiasticis acceptus & efficax, plurimumque, tam ipsi archiepiscopo quam omnibus provincialibus episcopis, necessarius ad reprimendam & repellendam ab ecclesia Dei insolentiam malignorum. Desideratur autem regressus ejus ab his qui in terra prudentiores sunt, & si quis adversus eum furtiva malignitate submurmurat, non tam charitate quam invidia, nec tantum delictis ejus, quantum suspecta magnificentia commovetur*, &c. Testis fuit Philippus
B anno 1156 factæ a Margarita comitissa Warvici 1156.
donationis Anglici templi militibus, quibus ipse cum Willelmo de Braiosa & Willelmo *d'Harcourt* largitus est ecclesiam *de Sumtinges*, testibus Hilario Cicestrensi & Gilberto Herefordiæ episcopis. Adfuit judicio Cadomi lato 1157, in favorem 1157.
abbatis de Monte sancti Michaëlis. Henrici Normanniæ ducis diplomati pro sancto Petro Carnotensi subscripsit anno eodem, sicut & fundationi abbatiæ de Voto a Mathilde imperatrice factæ, & chartæ pro Blanca-landa, ac 1160 1160.
compositioni inter Abrincensem & Montis sancti Michaëlis ecclesias, super ecclesiis Pontis-Ursonis.
C Subscripsit plurimis diplomatibus Henrici regis Angliæ pro Tirone, Lira, sancto Florentio Salmuriensi, Mortuo-Mari, B. Maria Santonensi, Lucerna, de præpositura Normanniæ, pro monasteriis Anglis, Monte-acuto in agro Sumersetensi, abbatiis Woburnensi & Lincolniensi, atque prioratu *de Treutham* in agro Staffordiensi, &c. Adfuit anno 1162 translatis apud Fiscannum 1162.
sanctorum reliquiis & corporibus Ricardi I & II ducum Normanniæ, ab Henrico cardinale legato. Memoratur anno eodem in chartulario sancti Johannis de Falesia. Præter ecclesiam suam, * a
de qua optime fuisse meritum auctor est Arnulfus
D Lexoviensis episcopus, plurimis aliis ecclesiis multa largitus est bona. Canonicis Plessei-Grimoldi dedit præbendam apud S. Johannem-Album, & confirmavit locum in quo nunc constructus est prioratus, &c. Denique, *Philippus Bajocensis episcopus*, inquit Robertus de Monte ad annum 1163, *mense Februario moritur, qui* 1164.
fuit vir prudens & astutus in augmentandis & revocandis rebus illius ecclesiæ, & multum ibi profecit; sed sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Hic se dederat monasterio Beccensi ad monachatum, sed non est in homine via ejus: præventus enim fuit
E *morte, nec quod proposuerat implere potuit: librorum tamen septies viginti volumina illi jam dederat.* Defunctus sepulturæ mandatur ad introitum ecclesiæ, a latere septentrionis.

Philippo sedente, florebat Guasco canonicus ecclesiæ Bajocensis, Henrici II regis Angliæ clericus, oriundus ex insula Jersaii, qui poëma

a Cathedralem suam incendio concrematam restauraffe legitur Philippus in chartulario nigro capituli Bajocensis fol. 47, ad annum 1159, inquiunt; quæ si vera sunt, post hunc annum rejicienda Arnulfi Lexoviensis epistola, de qua supra.

ANNI CHRISTI scripsit antiquis versibus Gallicis de regibus Franciæ, ducibus Normanniæ, comitibus Pictaviensibus, aliisve principibus viris, in quibus multa notatu digna de genealogia & historia literis mandavit, opusque suum Henrico nuncupavit. Ejusdem quoque temporibus ac forte suggestu, Ricardus *du Hommet* ex archidiacono Bajocensi factus est episcopus Dolensis.

XXXIV. Henricus II.

Ex decano Saresberiensi Bajocensis episcopus electus Henricus, gratulatorias a Johanne Saresberiensi accepit literas 148 & 154, qui facto eidem episcopo alias dedit 201. Hugo quoque Rotomagensis archiepiscopus cum Abrincensi episcopo ad Henricum scripsit anno 1164, ex chartulario nigro ecclesiæ Bajocensis fol. 14, unde concluderetur eum jam electum hoc anno,
1165. memorari consecratum anno 1165 in chronico Roberti de Monte. Henricum & archiepiscopum Rotomagensem, necnon Angliæ episcopos, dissidiorum ipsius cum Theobaldo Cantuariensi archi-
1168. episcopo arbitros elegit Angliæ rex anno 1168.
Ch. XVIII. col. 81. Subscripsit Henricus anno eodem fundationi
Chart. XIX. col. 84. abbatiæ de Longis, & diplomati Henrici regis eam confirmantis. Occiso S. Thoma Cantuariensi
1170. anno 1170, cupiebat Henricus Angliæ rex, Henricum subrogari ob faciles ejus mores ab inflexo Thomæ animo multum abhorrentes, quod tamen minime factum. Interfuit anno eodem consecrationi Henrici junioris Angliæ
1172. regis. Confirmavit anno 1172 privilegia & possessiones ecclesiæ sancti Stephani Cadomensis.
1173. Adfuit anno 1173, in Natali Domini, apud Cadomum in curia regis. Præsens fuit anno
1175. 1175 sacramento fidei, quod Henricus junior seniori Henrico præstitit apud Burum in Normannia. Cum Johanne Carnotensi, Frogerio Sagiensi, & Egidio Ebroicensi episcopis, præsens
1177. fuit pactis conventis anno 1177, inter Henricum Angliæ & Ludovicum Franciæ reges, de expeditione Jerosolymitana. Eodem anno cum Ricardo Abrincensi adfuit electioni Rolandi Dolensis episcopi, in festo S. Martini. Insequenti Quadragesimæ tempore adfuit dedicationi ec-
1178. clesiæ Beccensis. Romam anno 1178 ad con-
1179. cilium profectus est, reversus inde 1179 quo cum archiepiscopo Senonensi, S. abbate sanctæ Genovefæ, & decano Bajocensi, ab Alexandro III deputatus est in causa Dolensis episcopi. Rogatus
1181. a Rotrodo metropolitano, dedicavit anno 1181 ecclesias Valassiæ & Cæsaris-burgi. Eodem canonicis suis in ecclesia assiduis dedit decimam silvæ de Nuilleio, decimam nemoris de Racineto, & duas partes molendinorum *de Maisnil*, pridie non.
Ch. XX. col. 86. Novembris. Eodem subscripsit chartæ Roberti *Marmion* pro Barbereio. Eodem memoratur in renuntiatione episcopatus Lincolniensis, facta a Gaufrido notho Henrici Angliæ regis. Lucius III, literis datis die 3 Aprilis, Henrico episcopo & Willelmo decano indulsit, ut tum ipsi & successores in ecclesia cathedrali possent sepeliri, declaravitque excommunicationem non tenere

A latam ab Honorio decessore, in eos qui in monasterio S. Vigoris Bajocensis non sepelirentur. Cum aliis episcopis in ecclesia sancti Stephani Cadomensis tulit excommunicationis sententiam, in eos omnes qui pacem inter regem Angliæ & filios ejus impedirent, sola filii regis excepta persona, anno 1183. Statuit cum canonicis reditus præbendarum canonicorum decedentium usque ad annum, ad reficiendam ecclesiam deputandos, quod Urbanus III ratum habuit VII idus Octobris. Subscripsit diplomatibus Henrici regis pro monasteriis S. Georgii, Beccensi & Lirensi, prioratu Tottensi, cella de Pratellis, pro sancto
B Nicolao Bajocensi Leprosorum, pro hospitali Leprosarum *de Kenlly*, &c. Concilio Rotomagensi adfuit anno 1189. Eodem in Angliam trajecit, ubi cum Waltero Rotomagensi & Johanne Ebroicensi præsulibus, interfuit coronationi Richardi I regis Angliæ. Eodem adstitit concilio Pipenvellensi. Eodem Richardus Angliæ rex dedit ei 16 Septembris, anno regni primo, domum lapideam, quæ fuerat Conani thesaurarii, cum managio & virgulto. Subscripsit chartis ejusdem, datis 20 Martii sequentis, tam pro Dunelmensi episcopo quam pro monasterio Framptonensi, in agro Dorsetensi. Cum aliis Norman-
C niæ episcopis nominatur in diplomate regis ejusdem, anno 1190 in orientem proficiscentis. Adfuit eodem dedicationi ecclesiæ Alnetensis. Circa id tempus cum comprovincialibus suis adstitit paci initæ inter ecclesiam Rotomagensem & Willelmum senescallum Normanniæ. Bona & possessiones Ardenæ auctoritate confirmavit sua anno 1191. Una cum aliis provinciæ episcopis excommunicavit an. 1195 cives Rotomagenses qui in canonicos ejusdem urbis rebellarant, de quo scripsit eis Cœlestinus III, V idus Octobris, pontificatus IV. Testis fuit commutationis factæ inter Richardum I, Angliæ regem, & Walterium
D archiepiscopum Rotomagensem anno 1196. Innocentio III facto pontifici anno 1198, literis gratulatus est. Aderat quando Johannes Angliæ rex apud Cadomum, 6 Julii, regni I, Christi 1199, abbatiam de Voto exemit a tributis solvendis de rebus suis. Henrici etiam ad preces ecclesia de Incranda priori & canonicis regularibus de Plesseio concessa, ab omni episcopali consuetudine eximitur anno 1200. Donatam a Roberto de S. Remigio fratribus apud Boleiam commorantibus, ecclesiam Grainvillæ confirmavit. S. decano & capitulo dedit domos Conani thesaurarii, quas Philippus ejus decessor prius
E dederat Willelmo *d'Harcourt* thesaurario: capitulum autem has assignavit decano sub annuo censu 6 librarum Andegavensium, clericis de choro qui anniversario S. decani interfuerint, distribuendarum. Denique Henricus episcopus, cum Henrico cantore & R. archidiacono Bajocensibus judex a sede apostolica delegatus, sententiam tulit in abbatem S. Audoëni Rotomagensis, qui jus electionis contendebat in electione abbatum sancti Leufredi, cujus sententiam postea confirmavit Innocentius III, quamvis contrarium

antea

antea statuisset sedes apostolica. Exstant ad Henricum epistolæ Petri Blesensis 50, deprecantis pro G. camerario abbatis Cadomensis, qui sui defendendi causa cædem fecerat anno 1170, & 159 qua eum jam senem hortatur, ut quod fideliter cœpit & feliciter exitu feliciore consummet. Scripsit quoque ad Henricum Arnulfus episcopus Lexoviensis epistolam ultimam pag. 1340, tom. XXII Bibliothecæ Patrum. Tandem
1205. vitam cum morte commutavit anno 1205, uti habent chronica sancti Stephani Cadomensis. Memoratus XIV calend. Decembris in necrologio abbatiæ de Silleio, sepultus est ad introitum chori, ante pulpitum.

§ Petrus omissus in codice nigro ecclesiæ Bajocensis & a Sammarthanis, memoratur a scriptoribus Severtio, Demochare, Sirmondo, Claudio Roberto & Chenutio, annum unum sedisse & obiisse 1206. At Petrus ille, cujus exstat epistola super contentione juris patronatus de Rocqua cum abbate Troarni, teste Arturo pag. 562, vel fictitius est, seu non differt a Philippo, de quo supra, aut a Petro *de Beneis*, de quo infra. Andreas enim Troarnensis abbas quicum illigatur, obierat anno 1147. Præterea inter Henricum defunctum anno 1205, eodemque electum Robertum, nullus relinquitur locus.

XXXV. Robertus.

Sede vacante, electi Guillelmus canonicus de Pezerollis a minore canonicorum parte cui favebat decanus, Ricardus postea decanus & Robertus filius Droconis canonicus Bajocensis. Re ad summum pontificem delata, factam rescidit electionem Innocentius III, aliamque præscripsit. Electus itaque rursum Robertus majore suffragiorum numero, a summo pontifice confirmatus est & ad ecclesiam Rotomagensem missus, ut ibi ordinaretur. Ordinatus ergo est presbyter v
1206. calendas Martii 1205, qui nunc 1206, & die crastina episcopus a Waltero Rotomagensi archiepiscopo, quicum & aliis coepiscopis scripsit ad Philippum Augustum de contentione pro jure
1207. patronatus dirimenda, quam anno 1207, mense Octobri, responso suo rex diremit. Circa id tempus subscripsit chartæ Walteri Rotomagensis archiepiscopi, decimam de Deppa & Botellis canonicis suis donantis. Roberto episcopo dedit Philippus Augustus ecclesiam beatæ Mariæ de Nova-villa anno 1207, quam postea episcopus capitulo suo cessit pro anniversariis & suo & patris Drogonis. Dedit adhuc ei rex anno eodem capellam S. Audoëni in castro Bajocensi. Memoratur Robertus annis 1206 in chartis Hambeiæ, 1207 in chartis Ardenæ & S. Martini Sagien-
1208. sis, 1208, 1214, 1218 & 1222 in tabulis de Longis. Donationes factas Barbereio confirmavit
1209. anno 1209. Eodem recensetur inter præsules qui cruce signati adfuere præsentes expeditioni adversus Albigenses. Capitulo suo dedit anno
1210. 1210 patronatum ecclesiæ B. Mariæ de Campis in diœcesi Rotomagensi. Anno eodem chartam dedit pro parthenone S. Laurentii *de Cordeillon*.

A Eodem Innocentius III Ranulfo priori & conventui Hospitalis sancti Thomæ martyris confirmavit pratum Radulfi-veteris ipsis donatum ab R. episcopo Bajocensi. Quædam etiam contulisse Troarnensi monasterio probat bulla ejusdem pontificis. Roberti ad preces abbas & monachi de Lonleio montem Ceresei ab omni jure exemerunt mense Julio 1213, pro fundatione Bellæ- 1213.
stellæ, quam confirmavit IV calend. Maii 1216, Ch. XXXIV. col. 95.
& cujus in chartis reperitur annis 1217, 1218, Charta XXXVI. col. 95.
1220 & 1230. Profectus Jerosolymam legitur anno 1216 apud Matthæum *Paris*, & 1217 1216.
in codice rubro ecclesiæ Bajocensis. Institutionem 1217.
B præbendarum sancti Sepulcri Cadomensis approbavit earumque statum ordinavit, ac Willelmum 1218.
Acarin primum constituit decanum, cujus ea de Chart. XL. col. 98.
re charta est anni 1219. Ecclesias Saviniaci & 1219.
Vallis-Richerii consecravit 21 Aprilis 1220. 1220.
Nonnulla dedit capitulo anno 1221. Pauperibus 1221.
monachis de Longis concessit duas garbas decimæ Ch. XLII. col. 99.
bladi ecclesiæ sancti Petri de Fontinellis, mense Decembri 1222. Eodem anno Minoritarum 1222.
conventus in urbe constructus est a Gregorio sancti Francisci adhuc viventis socio. Concilio Parisiensi interfuit anno 1223, & exsequiis Phi- 1223.
lippi Augusti. Eodem transegit cum Guillelmo
C *du Bellay* de juribus apud Nuilleium, & anno sequenti acquisivit a Roberto *de Marmion* quidquid inibi possidebat. Judex ab Innocentio III delegatus fuit in causa episcopi & prioris Sagiensis; ad quem rescripsit idem pontifex cap. 3, de officio & potestate judicis delegati, quod est pars capitis *Cum in jure* de Electione. Ab Honorio etiam III delegatus fuit in causa episcopi Venetensis & abbatis sancti Audoëni: ad quem etiam idem pontifex rescriptum dedit, in quo rescindit scriptum ab Alexandro datum & a se confirmatum, pro sancto Stephano Cadomensi. Denique Robertus defunctus dicitur 1231, 29 Januarii, 1231.
D & sepultus in navi ante crucifixum.

§ Expungendus ergo Theobaldus episcopus Bajocensis, qui omnibus & singulis ecclesiarum suæ diœcesis rectoribus scribit adversus reginam Cypri, pro Theobaldo Campaniæ comite, anno 1230, die Sabbato proxima post festum sancti Johannis Baptistæ. Literæ sunt in chartulario Campaniæ: sed error procul dubio est notarii, qui viso Theobaldi nomine falsus, Theobaldum forte pro Roberto scripserit.

XXXVI. Thomas.

DE FREAUVILLE.

Nobili in Neustria ortus est familia Thomas,
E qua editum volunt Nicolaum cardinalem tit. sancti Eusebii, qui jacet apud Dominicanos Rotomagenses. Ex archidiacono Ambianensi & decano Rotomagensi electus archiepiscopus a parte capituli, multiplicium beneficiorum reus, inquiunt, cessit in manibus summi pontificis mense Maio 1231, eodemque electus Bajocensis confirmatur ab archiepiscopo qui regem rogavit anno eodem, ut regalia ei concederet. Inauguratur ab eodem præsule Dominica Passionis 1232. 1232.
Memoratur 1233 in chartis Montis-Dei, cui 1233.

ANNI CHRISTI dedisse legitur patronatum ecclesiæ *de Noron*,
1234. 1234, 1235, 1236 & 1237, in codice rubro
1235. ecclesiæ Bajocensis. Radulfum de Cierreyo pre-
sbyterum ordinavit Sabbato Quatuor temporum
1236. Septemb. 1236, postridieque episcopum Ebroi-
censem, in ecclesia Rotomagensi. Infirmus excu-
savit se quod adesse non posset consecrationi
Petri archiepiscopi Rotomagensis, factæ in vigilia
1237. sancti Laurentii 1237. Donationes factas Bellæ-
stellæ confirmavit mense Aprili, & Fontaneti
1238. mense Maio 1238; eodemque obiit, notatus in
necrologio Bellæ stellæ 29 Maii, & Augensi 31
mensis ejusdem, & sepultus in navi ecclesiæ,
in qua celebratur ejus anniversarium 14 Martii.
Episcopatus autem Bajocensis publice posside-
1240. batur annis 1238, 1240 & 1241, ex collecta-
1241. neis D. *du Fourny*.

XXXVII. Guido.

Sedebat Guido anno 1241, quo & 1256
Fratribus Minoribus statuta præscripsit de con-
fessionibus audiendis & concionibus habendis.
1242. Reperitur in codice rubro annis 1242, 45,
1245. 48, 59, & nigro annis 1245, 51, 52. Dedi-
cationi Sacræ capellæ Parisiensis Palatii adstitit
1248. 1248. Cum W. Abrincensi, J. Ebroicensi,
G. Sagiensi, F. Lexoviensi, & J. Constantiensi
episcopis, procuratorem constituit ad appellan-
1251. dum ab Odone Rotomagensi archiepisc. 1251,
in crastino sancti Vincentii. Cum J. Ebroicensi,
G. Sagiensi, F. Lexoviensi, & J. Constantiensi,
ab eodem archipræsule appellavit mense Junio
1253. 1253. Cum Fulcone Lexoviensi & Johanne
Constantiensi convenit de juribus apud Pontem-
Audomari cum archiepiscopo Rotomagensi, die
lunæ post Nativitatem sancti Johannis-Baptistæ
1256. 1256. Cum rege Ludovico composuit mense
1258. Augusto 1258, pro præsentatione ad ecclesiam
de Laceyo. Subscripsit literis episcoporum sancto
Ludovico concedentium, ut quæ ignotis resti-
tuere non poterat, pia in opera impenderet
1259. 1259. Nosocomium a decessore inchoatum
perfecit, candelabrum æneum dedit, aliaque ec-
clesiæ suæ contulit. Statuta quindecim pro con-
servanda ecclesiastica disciplina in sua diœcesi
condidit, quæ in duobus capitulis generalibus
quotannis leguntur. Interiit III calendas Martii
1260. 1259 (1260) ut refert Cadomense S. Stephani
chronicon, sepultusque est in choro cathedralis
ante candelabrum. Obitus fit 24 Februarii.

In Parlamento Parisiensi anni 1261 cancel-
lario Bajocensi petenti ut rex ipsi ministraret,
vacante sede Bajocensi, quia tenebat regalia, id
quod episcopus ministrare cancellario consueve-
rat, dictum est regem non teneri.

DE LORY.

XXXVIII. Odo II.

Sancti Ludovici capellanus Odo, ex canonico electus episcopus Bajocensis via scrutinii, æmulum passus est Arnulfum decanum & papæ capellanum. Res ad summum pontificem delata est, qui sedem adjudicavit Odoni. Hic ab Odone metropolitano in ecclesia Rotomagensi consecratus fuit anno

A 1263, in octavis beatæ Magdalenæ, & ne in posterum sede vacante detrimentum aliquod pateretur ecclesia, de consensu capituli mense Septembri quid agendum tunc esset statuit. Hominium excepit ab Odone primogenito ducis Burgundiæ Parisiis, die lunæ ante Brandones 1264. Scripsit ei anno 1265 Clemens IV, ut in litigando honestatem quæ episcopum decet prosequeretur. Concilio Rotomagensi adstitit apud Pontem-Audomari anno 1267, eodemque consecrationi Guidonis episcopi Lexoviensis. Reginaldi Parisiensis episcopi exsequias celebravit in ecclesia S. Victoris Parisiis, mense Junio 1268.
B Adfuit anno eodem scacario apud Cadomum in festo sancti Dionysii, ubi de regis voluntate cum episcopo Sagiensi & tribus abbatibus deputatus est in causa abbatis Montis sancti Michaëlis. Memoratur mense Julio 1269 in regesto 30 chartarum thesauri. Anno 1270 dedit monachis S. Fromondi tertiam partem molendini *de Arel.* Eodem scripsit ad Odonem Johannes, dictus Salvarensis, ballivus Cadomensis, super contentione juris patronatus in parochia S. Geremari *de Noron.* Una cum aliis institutus est anno eodem exsecutor testamenti Philippi III conditi in castris prope Carthaginem, die festo sancti Remigii,
C & designatus inter consiliarios quos Petro fratri suo adjungebat rex, si forte mori se contingeret priusquam primogenitus suus 14 annos adimplevisset, iterumque alio diplomate mense Decembri 1271. Capitulo Bajocensi confirmavit anno 1272 in Quadragesima, decimas sancti Georgii juxta Alnetum. Huic alia largitus legitur pro anniversario suo, regis & reginæ Blanchæ, ut constat ex codice rubro, in quo occurrit annis 1264, 68, 70, 71, 72, 73 & 74, quo ultimo obiit VI idus Augusti, in vigilia sancti Laurentii, sepultus in choro cathedralis. Commemoratur 20 Februarii & Augusti, in obituario Bellæ-
D stellæ, VI calendas Junii in necrologio sanctæ Crucis Aurelianensis, & IV calendas Novembris in mortuologio Curiæ-Dei ejusdem diœcesis, unde oriundus videtur.

XXXIX. Gregorius.

Comitibus Signiæ editus Gregorius de Neapoli, inde dictus unde oriundus, Gregorii IX nepos, Urbani IV capellanus fuerat, eratque canonicus & decanus Bajocensis, cum electus est episcopus Bajocensis; at Odone defuncto, ut diximus, mense Augusto, Gregorius nec electus, nec ordinatus est in concilio Lugdunensi, ut volunt
E Sammarthani, cujus sexta & ultima sessio habita est 17 Julii 1274. Ministro & Fratribus ordinis de Redemtione captivorum dedit anno 1275 domum sanctæ Catharinæ de Perrina diœcesis Constantiensis, quæ tunc ad ecclesiam Bajocensem spectabat. Ecclesiæ suæ dedit decimam in parochia *de Thaon.* Excessit e vivis V idus Julii 1276, sepultusque est ante majus altare, ad dextram. Scripsit vitam Urbani IV, cujus tunc erat capellanus, editam a Papyrio *Masson*, quæ servatur MS. in archivo ecclesiæ sancti Urbani

Trecensis. Episcopatus vero bona penes regem
manserunt a festo sancti Benedicti æstivalis, ad
diem Martis post sanctum Dionysium.

XL. Petrus I.

Petri de Brocia cubicularii uxoris Philippi III
regis consanguineus Petrus, decanus erat Bajo-
censis, cum legatum apostolicum apud sanctam
Genovefam convenit, nuncians Parisiis divulgari
Ludovicum regis primogenitum a regina into-
xicatum fuisse. Qua de re a Petro *de la Brosse*
regi propositus, ut in Flandriam pergeret, inter-
rogaturus duas mulieres fama celebres, antequam
proficisceretur, a rege episcopatum Bajocensem
obtinuit, ipsaque regalia absque sacramento fide-
litatis. Reversus Petrus legato declaravit arcanum
de veneno quod ipsi patefecerat mulier, cons-
cios vero reticuit prætexens legem secreti. Quod
cum audisset rex, Petrum iterum cum Matthæo
abbate sancti Dionysii ad easdem mulieres dele-
gavit. Petrus vero Jacobum monachum Vize-
liacensem præmisit ut eas subornaret; unde iratus
rex Petrum de Brocia calumniæ auctorem &
1277. instigatorem carceri tradidit anno 1277. Quo
nuncio perterritus Petrus, Romam secessit ad
Nicolaum III, cujus patrocinio adversus regem
Franciæ ac principes Brabantiæ, Lotharingiæ,
Burgundiæ & Atrebati se tutatus est. Et certe
licet ad summum pontificem querelas de eo
1278. tulissent Maria regina rea mense Augusto 1278,
& ipse Philippus rex, respondit Nicolaus non
licere manus extendere ad res ecclesiæ ob per-
sonæ delictum in damnum ecclesiæ convertien-
dum, regem deprecatus quin & minatus ne
episcopum temporalibus destitueret, Romæ anno
1279. pontificatus I. Eodem scripsit modo v idus Julii,
pontificatus 2, ad Johannem Brabantiæ & Lotha-
ringiæ, Robertum ducem Burgundiæ & Rober-
tum comitem Atrebati, nec Petri unquam partes
deserere voluit, nisi de objectis convinceretur.
Attamen terra episcopi in manu regis posita fuit
1280. a Paschate 1280 ad Pascha 1286. Petrus vero
Carmelitas apud Cadomum institutos approbavit
mense Junio 1278. Cum aliis episcopis apud
Urbem-veterem concessit indulgentias visitanti-
bus in certis festis ecclesiam S. Michaëlis de Lu-
1281. neburgo an. 1281. Defuncto vero Philippo III
1285. rege anno 1285, reversus Petrus, duas in ecclesia
1289. Bajocensi fundavit capellanias 1289. Absens
1291. erat a diœcesi mense Septembri 1291. Cum
abbate sancti Stephani Cadomensis facta com-
1292. positione 9 Augusti 1292, cedit juri abbatis
hujus loci in possessionem inducendi. Nomi-
1293. natur anno 1293 in contentione de jure patro-
natus in ecclesia S. Severi de Pratellis. Composuit
1295. annis 1295 & 1296 cum priore S. Gabrielis.
1296. Philippus IV rex anno 1297, die 3 Martii,
1297. milites episcopi clientes compulit ad servitium
exercitus sui præstandum. Capellaniam castri sui
1300. de Nulleio dotavit Petrus anno 1300. Bona &
possessiones S. Salvatoris vicecomitis confirmavit
1301. anno 1301, & ecclesiam de Blado canonicis
Ardenensibus. Transegit anno 1306 cum Ri-

A chardo priore de Plessæo-Grimoldi. Obiit Do- ANNI
minica post sanctum Vincentium anno 1305 CHRISTI
stylo veteri, & durarunt regalia usque ad vigiliam 1305.
Nativitatis Domini 1306, ex schedis D. *du* 1306.
Fourny. Ceterum statuta synodalia numero 113
condidisse fertur, quæ Petro de Collemedio
melius tribuuntur in collectione conciliorum
Rotomagensium.

XLI. Guillelmus I. BONNET.

Post obitum Petri canonici Bajocenses episcopi
eligendi facultatem a rege postularunt an. 1305,
ex chartis thesauri, forte 1306, juxta hodiernum
B computandi morem. An elegerint ignoratur:
at Clemens V bulla data Burdegalæ VI calendas *Baluz. vit.*
Septembris, pontificatus I, qui provisionem *pap. Avenion.*
hujus ecclesiæ dispositioni suæ reservarat, Guil- *tom. II, col. 60 & 87.*
lelmum Bonneti thesaurarium ecclesiæ Andega-
vensis Bajocensi præfecit episcopum, regique
commendavit ut regalia ei concederet: de quo
grates ei rependens rex, vicissim summum pon-
tificem rogavit ut provisionis literas cito ei
transmitteret. Concessæ sunt ante finem Decemb.
anni 1306, quo tempore regalibus donatus est
Guillelmus. Natus is in diœcesi Cenomannensi
& decanatu de Passaio, educatus est in Ande-
C gavensi, ubi magnis dudum dignitatibus est
condecoratus. Cum Roberto comite Boloniensi
in Hannoniam anno 1307 missus est pro feodo 1307.
comitatus Ostrevantii, cujus feudatarius erat Guil-
lelmus comes. Testamentum Petri Autissiodo-
rensis episcopi exsecutioni cum aliis demandavit
an. 1308. Unus ex episcopis quibus Clemens V 1308.
literis datis apud Augustodunum Pictonum pridie
idus Augusti anno III, commisit inquisitionem
causæ Templariorum, cum eis Parisiis remansit
a mense Augusto 1309 ad mensem Maium 1309.
1311. Interim jura quæ habebat in urbe Tori-
gniaci, regi cessit pro 38 libris mense Martio
D 1308. Collegium Bajocense ab ecclesia sua sic
dictum Parisiis fundavit pro scholaribus diœce-
seôn Cenomannensis & Andegavensis, Sabbato
post Dominicam *Reminiscere*. Occurrit anno
eodem 4 Julii cum Egidio Narbonensi, in re-
gesto I chartarum thesauri. Deputatus a summo
pontifice pridie cal. Novembris, pontificatus III,
monachis Becci licentiam fecit permutandi cum
rege Philippo, die Veneris post Resurrectionem
Domini 1310. Hominium Henrici de sancto 1310.
Claro excepit anno eodem. Episcopus Bajocensis,
Guillelmus certe, cum electo Ebroicensi & aliis
a rege legatus est 14 Februarii 1310, ad ferien-
E dum fœdus inter reges Francorum & Roma-
norum. Missus quoque est ab eodem ad Cle-
mentem V, qui V calend. Maii, pontificatus VI,
respondit de proponendis contra aut pro memoria
Bonifacii VIII. Obiit Andegavis, ejusque anni-
versarium fit in ecclesia Bajocensi die 3 Aprilis.
Officialis Parisiensis vidit Dominica post festum
S. Bartholomæi anno 1312 ejus testamentum, 1312.
ex quo apparet hoc anno, nec ita pridem defun-
ctum fuisse Guillelmum. Memoratur in necro-
logio ecclesiæ Cenomannensis pridie idus Aprilis.

ANNI CHRISTI

DE TRIE.

XLII. GUILLELMUS II.

Philippo *de Marigni* e Cameracensi ad Senonensem ecclesiam translato anno 1309, Philippus rex priori de Cheza in mandatis dedit ut Guillelmum de Tria ad illam ecclesiam summo pontifici commendaret: pontifex vero jam eam contulerat Petro *de Levis*, qui 21 Octob. 1309 cameræ apostolicæ solvit. Guillelmus autem filius Renaldi *de Trie* domini *de Vaumain*, & Johannæ *de Hodenc*, germanusque Matthæi Franciæ marescalli & Philippi Valesii præceptor, Bajocensis electus dicitur 3 Decembris 1312 in regestis Vaticani; electus solvit 4 Decembris 1312 in libro solutionum, electus anno eodem in codice rubro ecclesiæ Bajocensis, & mense Januario 1312, hic est 1313, in chartulario Troarnensi. Electus & confirmatus 1 Februarii 1312 (1313) legitur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Cameræ apostolicæ solvit 21 Octobris 1313, eodemque memoratur in chartis Montis-Dei. Adstitit dedicationi ecclesiæ de Escoyaco circa annum 1314, & indulgentias cum aliis concessit, quas Clemens VI approbavit VIII calend. Maii, pontificatus IV. Occurrit anno 1316 in chartis sancti Amandi, & singulis fere annis ad annum 1321, in codice rubro. Synodum habuit post annum 1317, & statuta condidit. Translato autem Guillelmo ad ecclesiam Remensem, inchoata regalia die Mercurii post Annuntiationem anni 1323, durarunt ad diem 2 Julii 1324. Tria in ecclesia Bajocensi fundavit anniversaria, pro se, matre & Matthæo fratre.

Spicil. XIII, 310.

1313.

Ch. XLII. col. 39.

1316.

1321.

1324.

DE LEVIS.

XLIII. PETRUS II.

E Magalonensi ad Cameracensem & post ad Bajocensem translatus est Petrus a Johanne XXII, qui collationes episcopatuum per translationes reservaverat, quique eum regi commendavit a se confirmatum per translationem prædecessoris ad ecclesiam Remensem, pontificatus anno VIII. Possessionem iniit 4 Novembris anni ejusdem. Dominus Villæ-novæ prope Biterras memoratur mense Junio 1325 in regestis cameræ computorum Monspeliensis. Circa id tempus Regalis-loci prope Compendium religiosis datam a Carolo rege confirmavit ecclesiam de Linguebra. Cameræ apostolicæ promisit mense Aug. 1326. Eodem hominium ipsi præstitit Henricus *de Hottot* miles, pro terra Belli-montis Richardi, & sequenti Ricardus *du Quesney*. Diffidium habuit anno 1327 cum Aimerico abbate Troarnensi, qui tonsuram & minores ordines non solum suis monachis, sed etiam clericis conferebat qui in ipsius parochiis degebant, causamque coram officiali obtinuit 11 Maii. Fratres ordinis Caritatis beatæ Mariæ seu Tertii ordinis S. Francisci in suburbio Bajocensi admisit anno 1328, quibus successere anno 1633 moniales Ursulinæ. Pœnitentiarii fundandi licentiam petiit a summo pontifice anno 1328, inquiunt, quam Johannes XXII impertiit anno XV sui pontificatus, 15 Februarii, hic est annus 1331; sed defunctus

1325.

1326.

1327.

1328.

A jam erat Petrus, qui obiit anno 1330, ex collectione conciliorum Normanniæ. Post ejus excessum in senatu Parisiensi de successione litigabant anno 1334 Johannes *de Levis* dominus Mirapicensis fidei marescallus frater ejus, cum Eustachio & Francisco itidem germanis, ex regestis curiæ Parlamenti Parisiensis.

XLIV. GUILLELMUS III.

Ludovici toparchæ Belli-joci & Dumbarum, ac Leonoræ Sabaudæ e linea principum Pedemontii filius Guillelmus, avunculus autem Henrici *de Villars* archiepiscopi Lugdunensis, ex B ejusdem ecclesiæ canonico, præcentore & præfecto Fori veneris, ad episcopatum Bajocensem assumtus a Johanne XXII, cameræ promisit apostolicæ die 13 Februarii 1330, forte 1331, ex regestis obligationum Vaticani. Memoratur anno 1332 in regestis capituli, & 1334 in chartis Vallis-Richerii. Misit anno 1335, mense Septembri, procuratorem ad concilium provinciale coactum in monasterio beatæ Mariæ de Prato prope Rotomagum. Fundavit duas capellanias in domo episcopali & in manerio de Dobra. E vivis excessit 26 Octobris 1337, 1
C & die crastina inchoata regalia perseverarunt ad diem 2 Martii sequentis. In tumulo matris conditus est apud Franciscanos Villæ-francæ, cujus anniversarium habetur in obituario S. Johannis Lugdunensis hoc titulo apud Severtium in archiepiscopis Lugdunensibus, pag. 326: *Anno 1337 die VII cal. Septembris* obiit Guillelmus de Belli-joco episcopus Bajocensis & præcentor Lugdunensis, qui promotus est ad episcopatum per felicis recordationis dominum papam Johannem XXII in Avenione, ubi tunc residebat, & fuit ecclesiasticæ traditus sepulturæ apud Villam-francam Lugdunensis diœcesis in revestitorio Fratrum Minorum juxta* D *sacrarium præsente multitudine prælatorum. Reliquit majori ecclesiæ Lugdunensi unum anniversarium generale singulis annis die obitus sui perpetuo ibidem faciendum. Ad hoc obligat domum suam cum appenditiis in claustro Lugdunensi cum domo sua, quam acquisivit a domino Percevallo de Palude canonico Lugdunensi, juxta domum Cluniaci*, &c. Fit quoque Guillelmi obitus in ecclesia Bajocensi 26 Octobris.

* ve[...]

XLV. GUILLELMUS IV.

BER[...]

Roberti baronis *de Briquebec* & Aalicis *de Neelle* filius Guillelmus, germanus autem Roberti E Franciæ marescalli, libellorum supplicum magister, tum episcopus Noviomensis, ad Bajocensem translatus 27 Februarii 1337 (1338) regalia 13[...]
obtinuit die 2 Martii. Scacario interfuit anno eodem & benedictioni abbatis sancti Audoëni anno 1339. Eodem a tribus provinciæ ordinibus ad Philippum regem missus fuit cum aliis episcopis, ut necessitatibus populi nimiis exactionibus exhausti provide succurreret. Memoratur eodem anno in chartulario Montis-Dei. Testatur anno 1340 vidisse se testamentum 134[...]

13[...] Cha[...] col. [...]

decessoris de fundatione dictarum duarum capellaniarum. Concilio Rotomagensi adsuit anno 1342. Occurit eodem die Dominica post festum Corporis Christi, in regesto 75 chartarum thesauri. Adstitit scacario Rotomagensi anno 1344. Interfuit mense Maio 1345 declarationi quam Philippus rex edidit in gratiam Universitatis Parisiensis. Litigabat anno 1346 adversus Colardum *d'Estouteville*. Cadomum anno eodem adversus Anglorum regem a rege præfectus defendit, quo castrum de Nulleio a Godefrido *de Harcourt* in cineres redactum est. Memoratur die Martis 29 Augusti in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. A summo pontifice translatus est anno 1347 ad ecclesiam Bellovacensem, episcopatusque Bajocensis regalibus subjicitur die Dominica sanctissimæ Trinitatis. Factus autem Bellovacensis episcopus, capellaniam in ecclesia Bajocensi 25 libris Turonensibus annui reditus dotavit, quas rex Johannes morticinii jure donavit mense Maio 1354.

XLVI. Petrus III.

E diœcesi Bajocensi oriundus Petrus, ex ecclesia Autissiodorensi ad Bajocensem translatus circa festum Pentecostes, memoratur in regestis Vaticani 23 Augusti 1347, inquiunt Sammarthani. Cameræ apostolicæ solvit 9 Febr. 1349. Possessionem solenni ritu adeptus est die Paschæ 1351, quo anno celebravit exsequias Johannis Rotomagensis archiepiscopi in ecclesia sancti Audoëni. Cum Roberto abbate sancti Stephani Cadomensis de jurisdictione ita transegit, ut intra fines abbatiæ nihil ageret. Ratam habuit an. 1355 collegiatam ecclesiam de Cressenvilla, fundatam an. 1352. Obsessis a rebellibus Bajocis anno 1356, secessit in castellum de Nulliaco: captis, spoliatis & concrematis, dolore pertæsus testamentum condidit, & 3 Septembris 1360 obiit. Corpus insepultum per 80 annos in capella castelli mansit, eo quod ob non soluta cameræ apostolicæ debita censuras incurrisset, ex regesto ecclesiæ Bajocensis. Debitum solvit Zano e successoribus alter, & corpus sepelivit anno 1440 in navi majoris ecclesiæ, subtus imaginem sanctæ Ceciliæ. Obitus celebratur 3 Septemb. fundatus anno 1367 ab exsecutoribus testamenti.

XLVII. Ludovicus I.

Robini toparchæ *des Essarts* & Robinæ *de Villiers* filius Ludovicus, ex officiali, vicario generali & archidiacono Remensi Bajocensis episcopus electus a capitulo, & confirmatus a summo pontifice, possessionem iniit per procuratorem in vigilia Nativitatis Domini 1360, ipse vero solenniter 26 Martii, die sancto Paschæ 1361. Biennio post patronatus prioratus sancti Nicolai ei adjudicatus est 17 Septembr. 1363, adversus regium quæstorem. Approbavit prima Decembris anni ejusdem, factum sancto Ebrulfo donum in parochia sanctæ Crucis de Grentone a Johanna *Bacon* castellana *de Lille*, & domina *du Molay Bacon* & *de Villers en Bocage*. Adstitit

ANNI CHRISTI

hominio quod Johannes dux Britanniæ præstitit
Francorum regi 13 Decembris 1366. Consilio 1366.
regis die Mercurii 25 Novembris interfuerat, &
sedit in curia Parlamenti Parisiensis die Mercurii
9 Maii 1369. Eodem anno synodum habuit, 1369.
in qua synodorum annuarum dies præfixit feriam
3 post Dominicam *Quasi modo* & feriam 3 post
octavam S. Michaëlis. In eadem synodo prohibuit
ne plures quam tres admitterentur ad levandum
infantem de sacro fonte, neve ludi dicti *Charivari*
deinceps fierent. Cum abbatibus sancti Albini
Andegavensis & Majoris-monasterii ab Urbano V
deputatus fuit annis 1369 XVI cal. Septembris,
1370 XI cal. Novembris, & 1371 XVII cal. 1370.
Februarii, ad inquirendum de vitæ sanctimonia 1371.
& miraculis Caroli Blesensis ducis Britanniæ,
qua de re exstant literæ ad Gregorium XI,
Ludovici Bajocensis episcopi & Johannis abbatis
sancti Albini 9 Septembris 1371, & vicissim
summi pontificis ad eosdem. Scacario apud Alenconium adstitit anno 1371, fer. 2, Martii 8.
Memoratur adhuc in chartis authenticis D. *de
Gaignieres* 1361, die Dominica in Assumtione
beatæ Mariæ, & 1372 4 Maii, & 10 Januarii. 1372.
Memoratur & in codice rubro Bajocensis ecclesiæ
1373, quo anno ad ecclesiam Remensem tra- 1373.
ductus, cameræ apostolicæ promisit XIII calendas
Junii, ex regestis Vaticani.

5 Forte post Ludovicum Goffredo de Salagnaco dandus locus. Nobilis is Matisconensis, auditor contradictarum Urbani V papæ ejusdemque capellanus, juris utriusque professor, ex decano Matisconensi ab Urbano V factus est episcopus Cabilonensis per obitum Johannis (VI), bulla data apud Montem-flasconem XIV calend. Julii, pontificatus anno VII, hic est 1369. Ibidem sedit ad annum 1373, quo successor ejus Nicolaus cameræ apostolicæ promisit 20 Maii. Cum autem in præfatione commentariorum, quæ amplissima in Infortiatum scripsit, edita Lugduni 1552, ex Cabilonensi factus legatur Bajocensis episcopus, serius collocari nequit. An sederit ignoratur: at si sedit, paulo post sequenti cessit.

XLVIII. Milo. — DE DORMANS.

Guillelmi Franciæ cancellarii filius Milo, germanus autem Guillelmi archiepiscopi Senonensis,
nepósque Johannis cardinalis, episcopi Bellovac.
& cancellarii, ex episcopo Andegavensi factus
Bajocensis 7 Augusti 1373, cameræ apostolicæ
promisit 12 Septembris anni ejusdem. Inde
Bellovacensis promisit ultima Februarii 1374
stilo Gallicano; hic est 1375. Fuit & ipse 1375.
cancellarius, ut diximus in Bellovacensibus.

XLIX. Nicolaus I. — DU BOSC.

Patria Rotomagensis Nicolaus, filius Martini toparchæ *de Tendos* & Guillelmæ *du Vautrichet*, juris utriusque professor & regis consiliarius, testis legitur præsens in literis Aimerici Paris. episcopi, penultima Junii 1374, de unienda parochia de Saxavilla Rotomagensis diœcesis, collegio Parisiis a M. Gervasio Christiani instituto. Ex canonico

ANNI CHRISTI

Rotomagensi Bajocensis electus, cameræ apostolicæ promisit pro Milone decessore ultima Febr. 1374 (1375). Possessionem per procuratorem adiit 10 Aprilis, electusque adhuc in die festo Omnium sanctorum anni ejusdem, Brugas a rege missus est pro pace cum Anglo concilianda. Ecclesiæ Rotomagensi obsequium præstitit 14
1376. Maii 1376. Inunctus in ecclesia sua præsentibus Silvestro Constantiensi episcopo & aliis, posses-
1377. sionem ipse iniit 27 Sept. 1377, & imaginem B. Mariæ ex argento deaurato donavit ecclesiæ
1378. suæ. Adstitit die Veneris 8 Januarii 1378, colloquio regis cum imperatore. Cum aliis consiliariis missus est Brugas anno eodem 4 Februarii a rege Carolo, pro pace cum Anglo ineunda; & sedit in Parlamento Parisiensi 16 Junii 1378,
1380. & 2 Octobris 1380. Memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1375 20 Februarii, 1377 14 Junii, & 27 ac 30 Julii 1378, & 1380 15 Januar. Factus fuerat ultima Decemb. præcedentis consiliarius subsidiorum & juvaminum. Singulis fere annis reperitur in actis Angliæ, ab anno 1380 ad 1393, quibus ut regis legato dati illi commeatus a Ricardo II Angliæ rege. Nuptiales fecit pactiones cum pluribus aliis, inter Rupertum ducem Bavarum & Catharinam
1383. filiam Caroli V, 10 Julii 1383. Cum duce Bituricensi aliisque in Picardiam missus est 10 Novembris, pro tractanda pace cum Anglo,
1384. Boloniamque pro re eadem 15 Julii 1384.
1386. Auri libras 300 a rege accepit 5 Julii 1386, eo quod per tres & amplius hebdomadas scacario Rotomagensi vacasset. Testis fuit anno eodem seu sequenti, mense Januario 1386, pactis nuptialibus inter Ludovicum filium Caroli V & Valentinam filiam Galeatii comitis Mediolanensis. 300 adhuc libris donatus est a rege 9
1387. Maii 1387, eo quod scacario adfuisset. In Picardiam legatus fuit pro negotio pacis cum
1390. Anglo 11 Aprilis 1390. Eodem excepit anno obsequia abbatum sancti Stephani Cadomensis & Cerasii. Adfuit pactis nuptialibus inter Johannam filiam regis Caroli VI & Johannem VI Britanniæ ducem apud Turones 26 Januarii
1391. 1391. Adstitit sacramento fidei regi præstito a Guillelmo *de Baviere* comite *d'Ostrevant*, 13 Septemb. 1391. Translationi reliquiarum sancti Ludovici factæ in monasterio sancti Dionysii,
1392. præsens fuit anno 1392; eodemque sedit in Parlamento Parisiensi 3 Decembris. Interfuit con-
1394. cilio Parisiis habito IV nonas Februarii 1394, ad sedandum schisma. Testis fuit anno eodem donationis factæ 28 Septemb. a Guillelmo comite Belli-fortis, de dicta terra Johanni *le Meingre de Boucicault* Franciæ marescallo. Eodem adhuc anno ad ducem Britanniæ missus est a rege mense Octobri, ad deferendas regis querelas, de qua re scriptum edidit mense Januar. sequenti.
1395. Scacario Rotomagensi adfuit anno 1395. Subscripsit edicto regis 20 Novemb. anni ejusdem, monachis Albæ-marlæ licentiam facientis prædia
1396. in Francia emendi. Auctor fuit anno 1396 Antoinetto Adurno duci Genevensi, ut ducatum suum Carolo VI & successoribus permitteret in perpetuum. Primus cameræ computorum instituitur præses literis datis 15 Januarii 1397, & Franciæ nomophylax mense Novembri sequenti. Senio gravis ab omni solvitur onere anno exeunte 1400. Antiphonam *Inviolata* post vesperas in ecclesia sua decantandam fundavit anno 1401. Huic multa bona dedisse legitur in regestis ecclesiæ. Reperitur adhuc 1404 7 Novembris, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Feodum *de Coquereaumont* prope Rotomagum, pro se & nepotibus acquisivit 9 Augusti 1406. Quotidianam 15 Julii 1407 fundavit missam in ecclesia sancti Vincentii Rotomagensis, in qua baptizatus fuerat, parentesque ejus fuerant sepulti. In ecclesia vero Bajocensi fundavit obitum & duas missas quotidianas. Testamenti autem ejus exsecutores duo anniversaria pro eo instituerunt diebus obitus & relationis ejus corporis. Ædes episcopales apud Cadomum construxit 1408, quo anno testamentum Parisiis condidit 19 Sept. & obiit die 20, sepultus in sacello S. Ludovici in ecclesia Fratrum Minorum Parisiensium. Inde translatum corpus die 6 Maii 1412 Bajocas in ecclesia cathedrali, ubi ad cornu evangelii majoris altaris humatum est, tumuloque insignis structuræ ex albo marmore desuper magnificentissime composito superpositum: *Hic jacet D. Nicolaus a Bosco Rotomagensis, Bajocarum episcopus, consiliarius regius, præsesque Cameræ computorum, qui Luteciæ decessit e vita 19 Septembris anno 1408. & huc translatus die 6 Maii 1412.*

De abbatia Montis-Dei bene meritus, memoratur in ejus necrologio III idus Decembris.

L. Johannes I.

Nobilis Normannus Johannes, e ballivia Calidi-becci, Johannis domini de Boisseio & *de Mainieres*, propugnaculi Fiscannensis ad oram maritimam gubernatoris filius, frater autem Roberti, unde genus ducunt barones *de Mainieres*, ex canonico Rotomag. & archidiacono Caletensi factus episcopus Bajocensis 26 Novemb. 1408, Ludovico *d'Harcourt* cessit archidiaconatum & præbendam. Cum autem esset libellorum supplicum magister, vacans per ejus electionem ejus officium, collatum fuit Johanni de Corbeia Turonibus 6 Decembris 1408. Ecclesiæ suæ possessionem per procuratorem adiit 4 Februarii 1409. Adfuit anno eodem per legatum concilio Pisano. Archiepiscopo Rotomag. debitum præstitit obsequium 12 Aprilis 1410. Testamentum condidit 1411, defunctusque die sancto Paschæ 3 Aprilis 1412, sepultus est in subterranea quæ tunc primum reperta est S. Manerii capella. Desuper erectum mausolæum cum statua & epitaphio, a Calvinistis anno 1562 destructum fuit.

Non moror Aimericum Corsini, quem male intellecto Ughello in archiepiscopis Florentinis, ex archidiacono Bajocensi Johannis æmulum comminiscuntur Sammarthani & historicus Bajocensis.

ANNI CHRISTI

LI. Johannes II.

Patria Burgundus, ortu Poligniacensis Johannes, archidiaconus Rotomagensis, necnon regi & duci Burgundiæ a consiliis, fit episcopus Bajocensis a Johanne XXIII, per obitum Johannis decessoris, III idus Aprilis 1412, ex regestis Vaticani, ubi electus adhuc dicitur pridie cal. Maii & 23 Augusti. Missus est eodem anno mense Maio, Vesontionem a Burgundiæ duce, ut archiepiscopum cum civibus conciliaret. Possessionem per procuratorem iniit 18 Julii, ipse vero 26 Octobris. Memoratur 16 Maii 1414, 15 Junii 1415, & 28 Aprilis 1416, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Anglis Bajocas obsidentibus, castrum *de Neuilly* ne ab ipsis caperetur, munivit anno 1418. Bajocis captis, Martinus V literis Constantiæ datis XII cal. April. pontificatus anno primo, Henricum V Angliæ regem rogavit ut Johannem cubicularium suum & familiarem continuum, qui diu noctuque constanter ipsi adhærebat, totius episcopatus sui fructibus gaudere permitteret. Henricus vero tribus episcopis Anglis prima Aprilis apud Bajocas stans potestatem dedit hominium a Johanne *Langret* recipiendi, servata sibi renovatione hujus hominii, postquam episcopus ad ecclesiam suam declinaret. Mense Maio sequenti cum cardinalibus de Ursinis & de sancto Marco, Trecas ad reginam a summo pontifice missus est pro salute & honore regni. Quatuor libræ assignatæ ei sunt singulis diebus 3 Julii, eo quod ipsius diœcesis ab Anglis teneretur. Cum Carolo Lingonensi episcopo Genevam ad summum pontificem & ducem Sabaudum legatus, profectus est 8 Septembris 1418. Perperam itaque occisum volunt auctores nonnulli Johannem in strage a Burgundionibus perpetrata Parisiis 12 Junii 1418, quorum ducis consiliarium eum diximus: sed obiit ibidem 14 Julii
1419. 1419, biduo postquam monasterium Fontanellense in spiritualibus & temporalibus regendum & gubernandum ei commendaverat Martinus V, IV idus Julii, usque ad beneplacitum suum. Jacet in ecclesia Poligniacensi cum hac inscriptione e Gallico sic conversa: *Hic jacet reverendus pater in Domino dominus Johannes* Langret *de Poligniaco, episcopus Bajocensis in Normannia, consiliarius regis Franciæ & domini ducis Burgundiæ, qui obiit Parisiis 14 Julii 1419, cujus animæ Deus propitiet, amen.*

5 Locus ergo non relinquitur Johanni *de Bouquetot*, qui episcopus Bajocensis, cubicularius *al.* referendarius Martini V, & abbas S. Vandregisili, obiisse legitur in chronico Fontanel. anno 1419, nisi quis dixerit electum ante Johannem *Langret*, sed non confirmatum, nec possessionem adeptum.

Johannis autem temporibus floruit Nicolaus *de Clemengis* archidiaconus Bajocensis, vir in divinis scripturis eruditus, & in secularibus literis nobiliter doctus, metro excellens & prosa. In gymnasio Parisiensi magisterium sacræ paginæ assecutus, magnam suæ eruditionis evidentiam dedit. Scripsit utroque stylo multa præclara
A volumina, quibus luculentissimam ingenii sui reliquit memoriam, de quibus subjectum servatur ad Petrum de Alliaco cardinalem Cameracensem opus insigne quod prænotavit, de fructu Eremi lib. I; de corrupto Ecclesiæ statu lib. I, de novis Festivitatibus lib. I, de materia Schismatis lib. I, epistolas ad diversos & alia multa. Claruit anno circiter 1417; sepultus est Parisiis in collegio Navarræo sub lampade, ante majus altare.

LII. Nicolaus II. HABART.

Johanne defuncto, Henricus V Anglorum
B rex canonicis eligendi episcopi potestatem fecit I Augusti anno regni VII, 1419. Electus forte est Nicolaus *Habart* e Grandivilla in diœcesi Constantiensi oriundus, qui a Martino V fit episcopus V calendas Decembris 1420, ex regestis Vaticani, ubi electus adhuc dicitur 18 Ja- 1420.
nuarii 1421. Possessionem iniit 23 Maii per 1421.
procuratorem Richardum *Habart* germanum suum, canonicum Bajocensem, archidiaconum Cadomensem & vicarium suum generalem. Temporalium partem ab Anglorum rege ea lege obtinuit die 20 Augusti, ut bullas quibus a summo pontifice institutus fuerat episcopus, ipsi
C aut Normanniæ cancellario exhiberet & deferret, quibus forte exhibitis, totum dimisit rex 14 Februarii 1422, qui anno regni X eum com- 1422.
misit ad recipiendum juramentum fidei a viris ecclesiasticis. Memoratur anno eodem Nicolaus in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, sicut &
1423 3 Decembris, 1425 28 Januarii, & 1423.
1427 29 Septembris & 2 Octobris. Primo 1425.
episcopatus sui anno ecclesiam fratrum B. Mariæ, 1427.
Billetas vocant, Luteciæ consecraverat. Moram ad fidem regi præstandam obtinuit mense Julio
1430. Hanc præstitit die Augusti penultima, 1430.
rexque Anglus Henricus VI anno regni IX, die
D 16 Novembris eum inter alios nuncium suum instituit ad tractandum cum nunciis Alfonsi regis Aragoniæ, Johannis regis & Blanchæ reginæ Navarræ. Puellam Aurelianensem condemnavit
anno 1431, insontem simul nonnullis declaravit 1431.
piacularemque ob invidiam Anglorum. De ecclesia sua bene meritus hic præsul, alia refecit, alia de novo ædificavit, anniversaria fundavit, & obiit 29 Septemb. 1431, sepultusque fuit eodem loco quo non ita pridem fuerat Richardus frater, in navi ecclesiæ, prope imaginem beatæ Mariæ.

LIII. Zano. DE CASTIGLIONE.

E E Lexoviensi ad Bajocensem ecclesiam translatus Zano a Martino V, IV calendas Februarii 1430, in regestis Vaticani, post obitum Nicolai, æmulos passus est Petrum *Cauchon* episcopum Bellovacensem, quem privilegiorum apostolicorum ejusdem conservatorem Academia Parisiensis pro natione Gallicana, Eugenio IV literis sigillatis commendavit, Johannem *d'Esquay* nobilem canonicum Bajocensem electum 10 Decemb. 1431 a capitulo, cujus ab eodem pontifice reprobati in favorem Normanni ejusdem

ANNI CHRISTI 1432. Academiæ natio dedit literas ad concilium Basileense 22 Septembris 1432, & Richardum de Courceio, qui electus quoque a nonnullis canonicis statim renuntiavit. Hos tres evicit Zano, qui electus dicitur 27 Februarii anno primo Eugenii IV 1432, in regestis Vaticani. Moram obtinuit die 8 Maii ad fidem regi præstandam, quam præstitit 28 Julii 1432. Possessionem iniit per procuratorem Robertum de Servia decanum Lexoviensem 26 Maii anni
1434. ejusdem. Biennio post ab Henrico VI Angliæ rege cum aliis ad concilium Basileense missus, commendatitias a capitulo ad patres concilii obtinuit literas anno 1434, assignatæque ei a rege sunt 900 libræ Turonenses pro expensis suis 6 Julii, quas accepit 27 mensis & anni eorumdem. Eodem anno cum ob belli tumultus bonorum suorum recensionem facere non potuisset, eorum obtinuit copiam die 23 Julii ad annos

Amplis. collect. t. VIII, col. 714.

1435. 20. Idem obtinuit 1435 27 Octobris & 1436
1436. 29 Novembris, eo quod tunc temporis concilio Basileensi præsens adesset. Bullam obtinuit anno eodem adversus Martinum *Pinard* decanum, qui licentiam excommunicatos absolvendi a summo pontifice extorserat. Academia Cadomensis erecta
1437. est, a summo pontifice III calendas Junii 1437, qui episcopum Bajocensem cancellarium dixit, & confirmata a Carolo VII rege penultima Octobris 1452. Legatam a Nicolao *de Clemengis* dimidiam præbendam sex pueris chori confir-
1439. mavit Zano 29 Maii 1439, qui anno eodem in concilio Florentino pridie nonas Julii pontificatus Eugenii IV anno IX, sic subscriptus legitur: *Ego Zanonus episcopus Bajocensis reverendissimi patris D. Ludovici archiepiscopi Rotomagensis & RR. PP. D. Petri Lexoviensis episcopi, & R. abbatis Montis S. Michaëlis, procuratorio nomine & meo subscripsi*, &c. Huic & Alano Aven.
1440. episcopo præcepit Eugenius IV anno 1440, ut pœnas in quodam edicto synodali, cujus initium a verbo *Moyses* ducitur, contentas sumerent de schismaticis qui in Provincia, Delphinatu & Aquitania Christi tunicam scindere nitebantur. Querelam habuit cum capitulo, cujus arbiter a summo pontifice eodem anno dictus est Guillelmus abbas Montis-Dei. Hugonem abbatem sancti Stephani Cadomensis episcopi jura invadentem censuris repressit. Circa id tempus cameræ apostolicæ solvit pro Petro *de Villaines* decessore & de licentia summi pontificis terræ eum mandavit, ut diximus supra. Unus e regis secretariis est, qui ab Henrico VI anno regni XXI, die 9 Septembris, missus est ad tractandum cum legatis regis Franciæ, de loco & die quibus ad pacem definiendam convenirent. Admissus est
1442. 20 Januarii 1442 in Magno regis consilio, cum annua pensione 1000 librarum Turonensium, qua potitum fuisse dum in vivis ageret, propter idem officium consiliarii Petrum *Cauchon* episcopum Lexoviensem, scripto testatur Hen-
1443. ricus rex Angliæ 15 Junii 1443. Ducentis libris ab eodem rege donatus est 5 Februarii 1442, ob recuperatas urbes Deppam & Gran-

A dem-villam, quarum librarum apocham dedit 29 Maii 1443. Rotomagi interfuit 18 ejusdem mensis, baptismo filii ducis Eboracensis in æde metropolitana. Radulfum Rotomagensem archiepiscopum, cum episcopis Abrincensi & Lexoviensi, in ecclesia sancti Audoëni consecravit 26 Julii 1444, & cum Sagiensi die eodem pallium ei imposuit. Atrium S. Ragnoberti restauravit anno eodem. Pontificiam supellectilem ecclesiæ suæ largitus est 22 Augusti 1448, quam Matthæus *Goth* Anglus præfectus castri Bajocensis abstulit anno sequenti, eo quod Zano ab Anglis defecisset, quibus obedientiam juraverat. Redu-
B ctis in potestatem Caroli VII Bajocis, regi fidem juravit Zano 25 Maii 1450, qui memoratur 1455 in chartulario de Longis, 1446 27 Julii, 1448 penultima Julii, & 1458 13 Decembr. in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Mortalitatem explevit in castro de Nulleio hora tertia post meridiem 1459 11 Septembris, sepultusque est in capella beatæ Mariæ retro chorum. Testamento 4 Julii condito quatuor fundavit anniversaria.

LIV. Ludovicus II.

De Ludovico locuti jam sumus tom. VI
C col. 103 & alibi. Canonicus & præcentor Narbonensis, ac vicarius generalis Johannis *de Harcourt* itidem patriarchæ Alexandrini, episcopus Biterrensis, demum successive archiepiscopus fuit Narbonensis, quo tempore in scacario Rotomagensi præsedit annis 1453, 1454, 1456. Universitatem Parisiensem cum provincia Normanniæ pro privilegiis disceptantem conciliavit anno 1453. Eodem 3 Julii archiepiscopatus Rotomagensis procurator Guillelmi cardinalis *d'Estouteville* iniit possessionem. Denique post obitum Zanonis, canonicis de substituendo successore insimul agentibus, major pars repudiato Johanne
D *de Gaucourt* designato ab episcopis Abrincensi & Lexoviensi, Ludovicum archiepiscopum Narbonensem postulavit, quem e metropoli Narbonensi transtulit ad patriarchatum Jerosolymitanum & ecclesiam Bajocensem Pius II, bulla data Mantuæ XV calendas Februarii, pontificatus II, 1460. Electus adhuc dictus die 11 Februarii in regestis Vaticani, possessionem per procuratorem decanum Lexoviensem adeptus est 18 Martii. Regi fidem dixit apud Majusmonasterium die 7 Junii. Interfuit anno 1461 exsequiis Caroli VII, tum apud beatam Mariam de Campis, abbatiam sancti Dionysii, & eccle-
E siam Parisiensem, missarum solenniis ab ipso ubique celebratis. Coronationi Ludovici XI adfuit 15 Augusti anni ejusdem. Regias de abolenda sanctione Pragmatica curiæ Parlamenti exhibuit literas anno eodem. Consensit 20 Aprilis 1462 unioni ecclesiæ beatæ Mariæ de Campis cum capitulo. Ecclesiæ Rotomagensi pro jure pastus obsequium præstitit 5 Junii 1464. Sedit anno eodem ultima mensis ejusdem, in consilio regis apud Dampetram. Sacramentum Caroli ducis Normanniæ excepit in ecclesia Rotomagensi,

ANNI CHRISTI.

Rotomagensi, intra missarum solennia, 10 De- A
cembris 1465. Ejusdem præsulis factione &
consilio dux Borbonius Rotomagum cepit anno
eodem. Ipse vero bibliothecam capituli a Ni-
colao *Habart* decessore inchoatam perfecit, &
100 voluminibus ditavit. Nescio qua de causa
Johannes *Balue* cardinalis Andegavensis, ut
commendatarius Bajocensis regi fidem juravit
67. 10 Januarii 1467, in regestis cameræ com-
putorum Parisiensis; nam Ludovicus in comitiis
generalibus apud Turones 6 Aprilis 1467,
fortiter defendit Normanniam a regio diademate
separari non posse: comitiis Normanniæ præfuit
70. annis 1470 & 1471. Custos sigilli ordinarii ex- B
71. cepit anno 1471 hominium Petri *Bonnart*, pro
terra de Guberto. Ludovicum regem ad sacellum
73. B. Mariæ *de la Delivrande* peregrinantem 1473
comitatus est, & in ecclesia cathedrali excepit.
Quatuor anniversaria fundavit in ecclesia Roto-
magensi 27 Aprilis 1473. De ecclesia sua ita
meritus est, ut vulgo dictus fuerit secundus ab
74. Odone primo. Huic an. 1474 dedit 2 Aprilis
mitram suam deauratam, *perlis lapidibusque &
gemmis pretiosis multum ornatam, pontificalem an-
nulum aureum, in quo est sapphirus valoris centum
librarum, & chirothecas & baculum pastorale
argenteum deauratum, absque quo unquam vendi* C
vel distrahi a capitulo possent. Anno eodem die
7 Aprilis, Alenconium veniens, una cum bal-
livo Rotomagensi, Alenconiensem ducatum po-
suit in manibus regis, cujus nomine juramenta
civium & officiariorum accepit, cum Johannes
dux Alenconiensis anno superiore, die 22
Septembris, in vinculis ab eodem rege fuisset
inclusus. Nomine Ludovici XI scripsit die 6
Augusti ad cives oppidi Montis-villariensis, ne
oppido eidem muniendo intenderent. Exse-
cutor testamenti institutus est anno 1474 a
Maria comitissa *de Harcourt & de Vaudemont*,
quæ ei centum marcas argenti legavit. Sedit in D
476. consilio regis 3 Septembris 1476. Ecclesiæ
suæ dedit anno eodem tabulam magnam argen-
team deauratam 363 marcarum argenti. Me-
moratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*,
1460 1 Decembris, 1462 7 Februarii ut
abbas Liræ, 1464 10 Julii & 22 Decembris,
1465 7 Augusti, & 1476 3 Maii. Ludovici
in gratiam & favorem terras episcopatus Bajo-
censis in altam justitiam erexit Ludovicus rex
477. mense Octob. 1477. Sex anniversaria in ecclesia
Bajocensi fundavit anno eodem. Concilio Aure-
lianensi pro Pragmatica sanctione restituenda
478. adfuit anno 1478. Turrim in medio ecclesiæ E
construxit, pro cujus impensis solvit 4092
79. libras anno 1479. Anno eodem, dum habe-
rentur comitia apud Turones, obiit 14 Decem-
bris, cujus corpus Bajocas delatum sepelitur in
choro ecclesiæ ad aquilam, & cœnotaphium a
segregibus anno 1562 eversum est, & corpus
refossum.

LV. Carolus I.

Johannis de Monte-acuto equitis Aurei
velleris & Margaritæ de Castro filius Carolus,
ex cantore ecclesiæ Bisuntinæ archiepiscopus, &
abbas sancti Pauli Vesontionensis, electus a
capitulo Bajocensi 27 Januarii 1480, inquit 1480.
historicus, a summo pontifice per obitum Lu-
dovici, fit hujus ecclesiæ administrator pridie
nonas Martii. Cum autem ad partes ducis Bur-
gundiæ nesciens deflexisset, absolutus est 19
mensis ejusdem a rege, cui fidem juravit die
crastina, & biduo post cameræ apostolicæ solvit
22 Martii. Possessionem per procuratorem adiit
8 Junii, ipse vero 10 Decembris. Ecclesiæ
Rotomagensi solitum præstitit obsequium 8 Ja-
nuarii 1481. Egidium *de Laval* Sagiensem 1481.
episcopum in ecclesia Sagiensi, cum episcopis
Porphyretano & Lexoviensi, consecravit 29
Aprilis, insignia pontificalia mutuatus a capitulo
Bajocensi, legata a Ludovico *d'Harcourt* decessore.
In chartis authenticis D. *de Gaignieres* agnovit 3
April. 1480, se recepisse 4000 libr. pro pensione
sua annua. Idem testatur 14 Martii 1481, &
1490 prima Martii. Adfuit scacario anno 1497. 1490.
Ecclesiam suam, a qua fere semper absfuit, per 1497.
vicarios generales gubernavit. Huic dedit cam-
panam horologii, & imaginem beatæ Mariæ
argenteam ponderis 100 marcarum argenti.
Dum rediret ex inauguratione Ludovici XII
Remis, apud Pontem-Audomari morbo cor-
reptus, ibidem testamentum condidit 15 Julii,
quo 400 libras ad anniversarium suum legavit,
obiitque XIII calendas Augusti 1498. Cor ad 1498.
Vesontionensem ecclesiam, corpus vero Bajocas
translatum & sepultum prima Augusti in choro,
ante majus altare, ad sinistram Odonis *de Lory*.
De eo plura in Vesontionensibus.

LVI. Renatus I.

DE PRIM.

De Renato præfati jam sumus tom. I col. 1085,
tom. II col. 152, 160, 190, 203, 210 &
537; & tom. VIII col. 1536. Ecclesiæ a teneris
addictus, favore Georgii cardinalis *d'Amboise*,
cujus erat consobrinus, summis quibusque sacer-
dotiis insignitus est. Fuit enim archidiaconus
major Bituricensis, archidiaconus Blesensis, deca-
nus S. Hilarii Pictaviensis, notarius apostolicus,
abbas Landesii, Oratorii, Miseraii, Prateæ, Bur-
gidoli, Liræ, Miciaci & Exolduni, regi ab elee-
mosynis, &c. Unde non mirum quod paternam
hereditatem Aimaro fratri suo cesserit an. 1495.
Præterea post obitum Caroli archiepiscopi Ve-
sontionensis electus legitur Bajocensis a summo
pontifice III idus Augusti 1498 in regestis
Vaticani. Commendatus jam 21 Julii a Ludo-
vico XII, qui cum eo horas suas recitabat, contra
Carolum *du Bec* archidiaconum Cadomensem
æmulum, dictus est episcopus a capitulo 17 Sept.
sequentis. Confirmatus a Johanne *Masselin* de-
cano Rotomagensi, vicario generali Georgii archi-
episcopi, possessionem iniit ultima Octobris per
procuratorem Carolum *de Martigni* episcopum
Castrensem & abbatem Cadomensem, ipse vero
25 Martii 1499. Ecclesiam suam solenniter 1499.
ingressus est, comitantibus episcopis Lexoviensi Ch. XLV: col. 101.

ANNI CHRISTI

& Porphyriensi, & indulgentias auctoritate apo- A
stolica concessit. Missus a rege anno eodem fuerat
Stapulas, ubi fœderi cum rege Angliæ percusso
subscripsit 15 Januarii. Pactis quoque nuptialibus
inter Ludovicum XII Franciæ regem & Annam
Britanniæ ducissam apud Nannetas initis die 7
vel 8 Januarii, sigillum apposuerat suum. Dicitur
episcopus Bajocensis & prior *de Leyrac* in Vas-
1500. conia, 1500 20 Februarii, & 1502 8 Martii
1502. abbas Burgidolensis & Miseraii. Cum aliis nomi-
natur executor testamenti Johannis a Podio
domini de Couldraio 20 Januarii 1502. Ton-
suram clericalem contulit 20 Decemb. Joachimo
Goyon de Matignon. In expeditione Ludovici XII B
adversus Genevenses ejusque hanc in urbem
ingressu eodem adfuit anno cum cardinali de Am-
basia, sicut in jucundo ingressu regum Franciæ
& Arragonum apud Savonam. Sanctæ Luciæ in
Septisolio, postea S. Sabinæ presbyter cardinalis a
1506. Julio II creatus Bononiæ anno 1506 4 Jan. pileo
donatus est anno sequenti 15 Augusti Lugduni
a Georgio Ambasiano sedis apostolicæ legato,
præsente Ludovico rege. Abbas Burgidolensis
& baro *de Precigny* dicitur 1506 20 Maii in
chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Johanni
l'Allemant quæstori apocham dedit 20 Maii
1508. 1508 mille librarum pro pensione sua. Missus C
1509. a rege Romam anno 1509, post incarceratum
cardinalem Claromontanum, licet interdixisset
papa, Roma egreditur & cum aliis cardinalibus
& præsulibus Cæsarea simul & regia fultis aucto-
ritate, in odium Julii II concilio Pisano ortum
1511. dedit & initium anno 1511; quapropter pur-
pura privatum eum declaravit Julius II IX calend.
Novembris anni ejusdem. Renatus autem Me-
diolani degens ad Universitatem Parisiensem
1512. scripsit 10 Januarii 1512, adversus librum
Francisci cardinalis Cajetani, qui doctrinam
Gersonis impugnaverat. Eodem anno Gabrielis
& Renati *de Prie* baronum *de Busancois* nepo- D
tum suorum tutor erat. Leo X qui Julium II
1513. excepit anno 1513, cardinalem nostrum priorem
statim in statum restituit. Quin Renatus ad ec-
clesiam Lactorensem jus habuerit dubitare non
sinunt regesta Vaticani, in quibus huic cessisse
legitur 18 Augusti 1513, eademque die per
cessionem Fulcaudi de Bonavalle factus episcopus
Lemovicensis, cujus ecclesiæ iniit possessionem
1514. 26 Septembris 1514. Anno eodem cum aliis
apud regem egit pro reparanda ecclesia Roto-
magensi igne fulmineo tacta. Anno eodem cele-
bravit exsequias Annæ reginæ Franciæ Blesis
defunctæ 9 Januarii 1514, apud S. Dionysium. E
Anno eodem Ludovicum Francorum regem
cum Maria Angliæ regis filia apud Cœlestinos
Parisienses desponsavit 14 Septembris. Bajocis
1515. synodum habuit 15 Aprilis 1515, in quo statuta
edidit. Insequenti defunctus in abbatia Lirensi,
1516. Sabbato 9 Augusti 1516, sepultus est apud
Prateam, uti testamento caverat, cum hoc epi-
taphio: *Heu! mortales, reverendissimus D.* de Prie
*cardinalis tituli S. Sabinæ, episcopus Bajocensis ac
Lemovicensis, abbas sanctæ Mariæ de Pratea, ab
humanis discedens, animam Deo optimo, maximo tra-
didit, ejusque cadaver jussit humillime juxta divam
Faustam* [a] *recondi. Obiit V idus Septemb. M. DXVI.*

Sedes autem Bajocensis vacabat 19 Septemb.
1516, ex literis vicariorum generalium capituli,
quibus testantur Johannem . . . . . episcopum
ordines contulisse præfatis die & anno in sacello
episcopali, ex chartis S. Illidii Claromontensis.

LVII. LUDOVICUS III. C

Nobilis Italus Ludovicus, patria Veronensis,
comes Canossæ, prudentiæ laude famosus, poli-
ticesque peritus, a Julio II in arcanis negotiis
quæ magna integritate peregit assumtus est, adeo
ut eum anno 1512 abbatiis sancti Andreæ de
Bosco & S. Apollinaris in Canossa insignierit.
Eodem anno ab eodem pontifice in Franciam
ad Ludovicum XII legatus apostolicus, a Leone X
hoc in munere post obitum Julii II confirmatur,
cujus beneficio episcopatu Tricaricensi donatur.
Dum summi pontificis oratorem apud regem
ageret, auctor fuit matrimonii inter Ludovicum
regem & Mariam Anglicam anno 1514, &
cum duce Sabaudo pacis inter Leonem X &
Franciscum I 1515. Insequenti regis favore ec-
clesiæ Bajocensi [b] præfectus a summo pontifice, 1
memoratur 22 Augusti 1516 in regestis Va-
ticani. Ecclesiæ Rotomagensi jusjurandum præ-
stitit 23 Julii 1517. Possessionem iniit anno 15
eodem die Nativitatis. Synodum habuit 13 April.
1518, in quo statuta a decessore condita reno- 15
vavit, & meliorem in statum redegit, & nova
addidit. Eodem anno, seu sequenti, annua 4000
librarum pensione a rege donatus est 5 Martii.
Rituale quoque & catechismus ejus opera in
lucem prodiere 1523, quibus addendæ 60 & 15
amplius epistolæ. Doctos viros impense fovit,
sibique addicere curavit, qualis est Erasmus, cui
annuum censum 200 ducatorum vix factus
episcopus Bajocensis obtulit idibus Novembris
1516. Palatium episcopale adornavit, festumque
Immaculatæ Conceptionis in sua diœcesi statuit
celebrari, edito in ecclesia sua miraculo. Cum
autem rerum politicarum peritia & eruditione
præstaret, essetque liberalis, humanus, aliisve pol-
leret virtutibus, non solum a Julio II & a
Leone X, sed ab Adriano VI & Clemente VII,
& duce Urbini plurimi æstimatus fuit. Ipse Fran-
ciscus I, quicum arctissima animi conjunctione
vixerat, ob injuriam domesticis ipsius illatam
cedere volentem, quin immo & cedentem, ut *Hist. E. pag. 40*
volunt, in manibus suis 31 Julii 1526, eum 1526
anno 1527 ad Venetos oratorem misit, quo 1527
munere præclare per triennium obito, gravi
pressus infirmitate omne deposuit ministerium,

[a] Id est juxta arculam seu capsam lapideam, in qua reconditæ sunt reliquiæ sanctæ Faustæ virginis & martyris.

[b] Leo X qui Franciscum I rogaverat ut Ludovico episcopo Tricaricensi sacerdotium locuples & honestum conferret calendis Quintilibus anno 4°, gratias illi egit, quod ecclesiam Bellovacorum contulerit, IX calendas Septemb. eamque Ludovico confirmavit die eadem, qui XIV calendas Junii anno V dicitur episcopus Bellovacorum & legatus Leonis, cujus sunt epistolæ 6, 13 & 14, lib. XIII, & 23 lib. XV. Sed cum ecclesia Bellovacensis tunc temporis non vacaverit, Sammarthanis assentior qui errorem seu Bembi, seu librarii suspicantur.

patriamque repetiit quietius victurus, & episcopatum Bajocensem abdicavit anno 1531, pro abbatia Ferrariensi. Memoratur adhuc annis 1527
1528. & 1528 in chartis abbatiæ de Longis, & 1529
1529. in tabulis sancti Johannis Cadomensis. Magno autem non solum Italiæ sed & Galliæ desiderio exstinctus est Veronæ anno 1531 aut 1532, 57 annos natus, sepultusque est in majori ecclesia Veronensi ante thronum epistolæ, in monumento quod exstrui curaverat, cui hoc appositum est epitaphium : *Ludovico Canossæ comiti, episcopo Bajocensi, viro omnium virtutum gloria præstanti, cujus singularis apud christianos reges & pontifices Romanos gratia & auctoritas* B *magnos sæpe bellorum motus sedavit. Galeacius & Bartholomæus fratres B. M. P.* Luculenta oratione laudatus est a Bernardino Donato Veronensi celebri viro. Ejus quoque panegyrim recitant Girolamus Dellacorte in historia Veronensi, & M. Scipio Maffei in Verona illustrata: de quo videndi etiam Bembus & Ughellus in episcopis Tricaricensibus & Veronensibus. Moriens vero testamenti codicillis Veronensi ecclesiæ pro sua & Simonis Canossa fratris animabus ampla reliquit vectigalia, quibus sacerdos pro celebratione sancti sacrificii sustentaretur, quod Matthæus Gibertus episcopus Veronensis, ejus amicus & C testamenti exsecutor, diplomate pontificio Pauli III anno 1534 3 Februarii sanciri curavit.

LVIII. Petrus IV.

Patria Bajocensis Petrus, ex monacho Cadomensi, per cessionem patrui abbas ejusdem loci & episcopus Castrensis anno 1506, abbas Ferrariensis 1518, permutatione facta, a Francisco I nominatus Ludovico Canossa cedenti successit,
1531. memoratus in regestis Vaticani 17 Aprilis 1531. Ecclesiæ Bajocensis possessionem per procuratorem iniit 27 Maii. Ecclesiæ Romanæ fidem juravit in manibus episcopi Parisiensis 28 Junii, D & Rotomagensi juramentum fidelitatis & obedientiæ præstitit 18 Julii. Bajocas profectus, morbo correptus est in abbatia sancti Stephani Cadomensis, ubi defunctus 13 Septemb. sepultus jacet in sacello beatæ Mariæ juxta patruum.

LIX. Augustinus.

Nobilis Mediolanensis Augustinus, patre Johanne senatore Mediolanensi & matre Angela *Martinengue* ortus, germanos habuit Petrum Reggii & Philippum Ragusiæ archiepiscopos. Ipse vero cum generis nobilitate, venusta corporis specie, ingenii acumine, judicii præstantia, E eruditione, facundia, principum gratia, aliisve animi dotibus polleret, opimis quibusque sacerdotiis impinguatus est. Protonotarius enim apostolicus, Julii II & Leonis X cubicularius, archipresbyter sancti Petri, archiepiscopus exstitit Regiensis in Calabria & Bobiensis, demum dignus a Leone X judicatus est qui inter cardinales cooptaretur titulo sancti Adriani 1 Julii 1517; quem pontifex his laudibus epistola ad Johannem-Jacobum Trivultium cumulavit : *Cum animo*

A *repeteremus,* inquit, *quanta cura quantoque studio nobiscum sæpe egeris, ut Augustinum Trivultium propinquum tuum in cardinalium ordinem legere atque adsciscere vellemus, cum tuis precibus impulsi, tum ipsius allecti virtutibus, religione, optimis præstantissimisque moribus, demum etiam vestræ familiæ cum nostra familia consuetudine, officiorumque prope omnium conjunctione suadente, hodie de fratrum meorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consensu, Augustinum Trivultium cardinalem nominavi, atque in amplissimum ejus ordinis collegium cooptavi 11 cal. Quintiles anno V.* Post Scaramutiæ cardinalis Trivultii excessum Gallici imperii tutela a rege Augustino concredita est anno 1527. Triennio ante defuncti in locum Nicolai de Flisco factus fuerat episcopus Telonensis 15 Junii 1524, cui ecclesiæ cessit 6 Junii 1535. Clemens VII legationem Campaniæ ei demandavit: tum expugnata & direpta a Cæsarianis Roma, cum aliis cardinalibus obses apud Neapolim in castro novo Trivultius cardinalitiæ purpuræ dignitatem strenue tutatus est. Vacante per obitum Petri ecclesia Bajocensi, nominatus a Francisco I regia schedula Compendii data 1531 17 Sept. ejusdem administrator mox creatur a Clemente VII, qui bulla data die 13 mensis ejusdem regi Ch. XLVI.
licentiam fecit alterius nominandi, si forte Au- col. 104.
gustinum extra Franciam mori contingeret. Regi fidem juravit Massiliæ 9 Octob. 1533. Ecclesiæ 1533.
Rotomagensi clientelare obsequium per procuratorem professus est 16 Novembris 1534 & 1534.
28 ejusdem mensis per eumdem ecclesiæ Bajocensis inductus est in possessionem. Johannes Castoriensis episcopus in capella Bajocensis episcopi, de licentia Augustini cardinalis Trivultii & administratoris perpetui episcopatus Bajocensis, ordines contulit anno 1535. A Paulo III ad 1535.
Franciscum I pro pace delegatus 1537, ab rege 1537.
nominatus est episcopus Grassensis, commendatarius Nantolii & Fontis-frigidi, necnon episcopus Petracoricensis per cessionem cardinalis *de Givry,* 27 Augusti 1541. Romæ defunctus 1541.
xv cal. Aprilis 1548, tumulatus est in basilica 1548.
sanctæ Mariæ de Populo. Bembum & Sadoletum celeberrimos cardinales cardinalis hic noster coluit, laudatus a Sadoleto lib. VI, epistolis 18, 19 & 20; prudentissimus a Bembo & impense strenuus appellatus. Doctissimum multisque nominibus clarissimum cardinalis Thomas *de Vio* præ ceteris Augustinum dilexit, qui a Johanne-Baptista Flavio omnium bonarum artium cultoris nomen promeritus est. Demum de Trivultio Onuphrius Panvinius clarissimus rerum ecclesiasticarum scriptor sic loquitur: *Augustinus Trivultius Mediolanensis, diaconus cardinalis S. Hadriani, ... indefatigabili prope modum studio per universas Italiæ, Galliarum, Hispaniæ & Germaniæ urbes diligentissime omnia quæ ad historiam Romanorum pontificum & cardinalium pertinent conquisivit, & magnis propositis præmiis conquiri fecit.*

5 Inter episcopos Bajocenses perperam a Sammarthanis recensetur Stephanus *Poncher,* qui ex episcopo Baionensi factus est Turonum archiepisc.

ANNI CHRISTI

D'HUMIERES

LX. CAROLUS II.

Johannis *d'Humieres* gubernatoris Peronæ &
Franciscæ *de Contay* filius Carolus, inter alia
beneficia quibus donatus est, fuit commenda-
tarius sancti Martini in Bosco, sancti Richarii,
sancti Quintini Bellovacensis, S. Bartholomæi
Noviomensis, decanus sancti Fursæi Peronensis,
denique nominatus ab Henrico II episcopus
Bajocensis, a Paulo III confirmatur per obitum
Augustini cardinalis Trivultii 16 Maii 1548;
qui possessionem iniit ultima Junii per procu-
ratorem Germanum *Duval* archidiaconum Bajo-
censem, ipse vero anno sequenti. Fundavit mo-
nasterium beatæ Mariæ ordinis Cœlestinorum
in Esclimonte anno 1548. Insequenti in coro-
natione Catharinæ Mediceæ reginæ Franciæ cum
Ebroicensi episcopo ministravit cardinali Bor-
bonio sacrum facienti in ecclesia S. Dionysii,
1549. 10 Junii 1549. Eamdem reginam urbem in-
gredientem comitatus est, progressus cum legato
Ferrariensi 18 Junii. Sedit in consilio regis 2
Julii anni ejusdem, & in comitiis regni die
1557. Mercurii 4 Januar. 1557, & Sabbato 14 mensis
& anni eorumdem. In exsequiis Henrici II
1559. mense Augusto 1559 diaconi functus est officio.
Factum eum majorem Franciæ eleemosynarium,
a die 12 Julii 1559 ad diem Veneris 6
1560. Decembris 1560, diximus tom. VII col. 237.
Biennio post miserrimam a Calvinistis illatam
1562. cladem sustinuit anno 1562: unde urbe exce-
dere coactus, casulam sancti Renoberti secum
abstulit, quam apud Abbatis-villam deposuit.
Interea Calvinistæ omnia ferro & igne deva-
stantes, cathedralem ecclesiam & alias orna-
mentis omnibus spoliarunt, & clericos variis tor-
mentorum generibus interfecerunt. Pace regno
reddita, ad ecclesiam suam reversus Carolus,
damna resarcire curavit. Inter hæc altaria ecclesiæ
1566. Cerasiensis benedixit 1566 mense Januario.
Gabriel Prateolus dicavit ei librum de Sectis
1568. hæreticorum anno 1568. Coronationi Elisa-
1571. bethæ uxoris Caroli IX regis 25 Martii 1571
apud sanctum Dionysium adfuit, ministravitque
cardinali Lotharingo abbati inaugurationis munia
obeunti. Testamento anno eodem condito le-
gavit 500 libras pro anniversario. Defunctus 5
Decembris 1571, sepultus est in choro juxta
candelabrum, ultima Decembris, cor vero de-
latum ad Franciscanos.

5 Post Caroli obitum a rege nominatum suc-
cessorem volunt Reginaldum *de Beaune* jam episc.
Mimatensem & post archiepiscopum Bituricen-
sem & Senonensem, sed qui a summo pontifice
non confirmatus, cesserit in gratiam sequentis.

DE SAINT FRANÇOIS.

LXI. BERNARDINUS.

Nobili apud Cenomannos stirpe satus Bernar-
dinus in parochia de Marigneio, prior Grandi-
montis & abbas Fontis-Danielis, consiliarius in
Parlamento Parisiensi, & post magister requæ-
stuum, Romæ degens a Carolo IX dictus est
episcopus Bajocensis & confirmatus a Gregorio
A XIII. Possessionem per procuratorem adiit Ger-
manum *Duval* archidiaconum, 25 Septembris
1573, ipse vero 15 Octobris sequentis. Jussus
a rege, visitavit 28 Novembris 1574 abba-
tiam Cerasiensem, Longensem vero 9 Septem-
bris 1577, damnaque ab hæreticis illata æsti-
mavit. Rotomagensis senatus consulto 10 Fe-
bruarii 1576 assertum illi est jus dictum
Deport, id est percipiendi fructus primi anni in
ecclesia sancti Audoëni de Pyris. Eodem anno
Marguerinum *de la Bigne* doctorem Sorboni-
cum, ecclesiæ suæ pœnitentiarium instituit Ber-
nardinus, cui Fevardentius dicavit librum sancti
B Ildefonsi archiepiscopi de virginitate B. Mariæ.
Ab omnibus Normanniæ ordinibus deputatus
fuit ad comitia Blesis anno eodem habita. Litem
habuit cum Jacobo *d'Humieres* decessoris epi-
scopi herede, pro annua Bellocassiorum obven-
tione episcopali, de qua dixit suprema Franciæ
curia 2 Aprilis 1577. Odeum in cathedrali de 15
novo construxit anno 1579. Senatus Rotoma- 15
gensis decretum obtinuit 25 Decembris anni
ejusdem adversus invasores bonorum episcopatus
aliudque 30 Maii 1580 contra eos qui solvere 15
detrectabant, eo quod chartæ ab hæreticis dissi-
patæ fuissent. Ad ædificandum collegium plurima
C largitus est anno eodem. In concilio Rotoma-
gensi anno 1581 jus sedendi ante episcopum 15
Sagiensem ita tutatus est, ut prior sessio a com-
provincialibus ei adjudicata fuerit, sed non a
summo pontifice, quem interim consulere medi-
tabantur, confirmata. Ædes episcopales reparavit,
a Ludovico Canossa inchoatas capellam & bi-
bliothecam absolvit. Latio, Graio, Gallicoque
facundus eloquio hic præsul varia scripsit verna-
cule poëmata nondum prælo cusa. Memoratus
adhuc in regestis capituli 14 Maii 1582, obiit 158
in prioratu de Grandimonte apud Cenomannos
14 Julii anni ejusdem, ætatis 53. Appositum
D corpus ad patres suos in eadem in qua natus
erat parochia de Marigneio, solenniterque ei
in ecclesia sua parentatum die 20 sequenti.

DE SANIER

LXII. MATURINUS.

Stirpe nobili apud Andegavos satus Maturinus,
patrem habuit Johannem dominum *de la Bre-
tesche* & Olivam *de Mathefelon*, fratrem Jacobum
abbatem Caduini & Mellerii, & sororem Jo-
hannam abbatissam Cordilionis; ipse vero ex
abbate Ealnensi in diœcesi Tolosana, eoque no-
mine comitiorum provinciæ Convenensis, Asta-
raci & Bigerrorum syndico, Bajocensis episcopus
E ab Henrico III nominatus VII idus Martii
1583, procurante Francisco *de Bourbon*, prin- 158
cipe *de Conty*, qui hujus ecclesiæ hoc titulo
reditus tenebat, possessionem per procuratorem
Johannem *de Bourges* adeptus est 25 Julii,
ipse vero 17 Septembris, postquam a Ludovico
de Brezé Meldensi episcopo consecratus fuisset
in ecclesia sancti Germani a Pratis Parisiis 28
Julii, assistentibus Nicolao *Fumée* Bellovacensi
& Antonio *Coupé* Sistaricensi episcopis. Sacel-
lum *du Tertre* sub honore SS. Trinitatis, beatæ

Mariæ & ſancti Juliani conſecravit anno 1585 A ad preces abbatiſſæ ſancti Juliani de Prato. Anno
1585. ſequenti Pariſiis obiit Maturinus 6, 9 aut 11
1586. Maii, aut 11 Junii 1586. Appoſitus eſt ad patres ſuos in loco dicto *la Breteſche*.

5 Carolus cardinalis Borbonius patrui archiepiſcopi Rotomagenſis coadjutor, Bajocenſis a rege Henrico III nominatus epiſcopus, tantum ſubdiaconus, potitus eſt ad mortem patrui, quæ
1590. obtigit 9 Maii 1590: de quo vide archiepiſcopos Rotomagenſes & abbates S. Germani a Pratis.

LXIII. Renatus II.

Parentes habuit Renatus Johannem comitem B *du Lude* equitem torquatum, baronem *d'Illiers* & *de Briançon*, Andium ſeneſcallum, Pictonum, Rupellæ & oræ Alnizienſis proregem & Annam *de Batarnay du Bouchage*. Primus prior commendatarius beatæ Mariæ de Caſtellis in Eremo apud Cenomannos, epiſcopus Lucionenſis ab anno 1553 ad 1562, ceſſit non conſecratus, factus abbas beatæ Mariæ de Caſtellariis in Pictonibus, quo tempore anno 1569 Pictavos cum fratribus ſuis adverſus neotericos ſtrenue & viriliter defendit. Regi a ſanctioribus conſiliis, commendatorque ordinis ſancti Spiritus creatus 31 Decembris 1579, Bajocenſis epi- C ſcopus evaſit per ceſſionem cardinalis Caroli anno 1590 vel ſequenti, quo ultimo comitiis cleri Gallicani apud Carnotum nominatus Bajo-
1591. cenſis adſtitit 21 Septembris 1591, biennioque
1593. poſt 25 Julii 1593 ejurationi factæ ab Henrico IV in eccleſia ſancti Dionyſii. Sedes tamen vacaſſe legitur in regeſtis Legati apoſtolici ab
1596. idibus Octobris 1596 ad menſem Junium 1598, quo ſcilicet tempore Arnaldus *d'Oſſat* regis apud ſummum pontificem orator Roma ad D. *de Villeroy* Henrici IV commentarienſem
1597. ſcribit 20 Junii 1597, ſe a rege commendatitias accepiſſe literas ut gratis impetraret bullas D in gratiam D. de Caſtellariis. Pace inter pontificem & regem conciliata, Clemens VIII bullas conceſſit Renato, qui poſſeſſionem per procuratorem Johannem *de Villais* iniit 18 Junii
1598. 1598, ipſe vero 23 menſis ejuſdem. Duas conflavit campanas. Aſt morbo correptus in paterno de Briancone caſtello, ibidem obiit 8
1600. Martii 1600. Delatum corpus ad caſtellum de Ludo, ibidem ſepelitur, cor vero jacet in prioratu de Caſtellis in Eremo.

LXIV. Arnaldus.

Armaniacenſis Novempopulanus Arnaldus, E Caſſanaberii in Auſcorum Aquitaniæ convenarum ignobili pago anno 1537 egenis obſcuriſque parentibus editus eſt in lucem: at morum integritate & ſuavitate, ſummo animi candore & omnium diſciplinarum ac politices abſoluta cognitione, ſingulare ſui temporis decus evaſit. Vix nonum attigerat annum, cum & parentibus & fortunæ donis orbatus, ſervire coactus fuit. Verum brevi qua erat ingenii felicitate præditus, domini ſui non ſolum æmulus ſed & magiſter ac pædagogus factus eſt. Cum eo Luteciam petiit die Veneris 27 Decembris 1559, ibique uſque ad annum 1562 tres adoleſcentes bonis artibus erudivit, quibus dimiſſis, philoſophiæ, mathematicis diſciplinis & theologiæ ſtudia impendit eo ſucceſſu, ut ad rhetoricam & poſt philoſophiam in Univerſitate Pariſienſi edocendum lectus fuerit. Hæc vero cum tanto non ſufficerent ingenio, apud Bituricas juriſprudentiæ ſub Jacobo Cujacio juriſconſultorum præſtantiſſimo incubuit. Pariſios reverſus, cauſas in foro defendit, munuſque conſiliarii in præſidiali apud Melodunum curia a rege obtinuit, cujus in diplomate dicitur abbas beatæ Mariæ de Varennis in Bituricibus, quam tamen non videtur poſſediſſe; ſed Vareni apud Rutenos decanus fuit, ut conſtat ex documentis reconciliationis Henrici IV. Dum in foro ageret, Paulo Foxio tunc Pariſienſi conſiliario, & poſt archiepiſcopo Toloſano eloquentia & ſcientia notus, hanc juris palæſtram abdicavit ejus ſuaſu; ejuſque in contubernium adſcitus, cum Romam apud Gregorium XIII a rege miſſus eſt orator Foxius, ab eodem a ſecretis epiſtolis ſcribendis præficitur Arnaldus. Poſt decennium ſublato e vivis Foxio, in cardinalis Ateſtini ſenioris negotiorum Galliæ apud ſedem apoſtolicam protectoris familiam exceptus Arnaldus, tandem poſt obitum Ateſtini, ob multiplicem peritiam rerum politicarum longo uſu partam, & in eis tractandis inſignem ac fidelem operam declaratus eſt ab Henrico III regius Romæ Gallicanorum negotiorum procurator, ad quem legationis mandata deſtinarentur, quam functionem laudatiſſime uſque ad obitum ſolus adminiſtravit. Animi quoque erga regem propenſam voluntatem teſtatus eſt, cum ab Henrico IV collega deligitur legationis Jacobi Perronii epiſcopi Ebroicenſis ad pontificem, ut de reconciliatione regis cum ſede apoſtolica, deque obtinenda ipſius abſolutione agerent. Quo in munere adeo prudenter ſe geſſit, ut nullum majus retroactis ſeculis apud ſanctam ſedem negotium confectum fuiſſe videatur, in quo peragendo & pontifici ſatisfecit, & regis ſummam gratiam iniit. Nam ex libellorum ſupplicum magiſtro & Vareni apud Rutenos decano nominatus a rege Redonenſis epiſcopus, gratias ei egit literis Romæ datis die 20 Februarii 1596. A Clemente VIII in conſiſtorio propoſitus die lunæ 9 Septembris bullas gratis obtinuit, & inauguratus eſt Romæ apud ſanctum Marcum die Dominica 27 Octob. ab Auguſtino cardinali Valerio epiſcopo Veronenſi. Commendatus ab Henrico IV purpura inſignitur a Clemente VIII 3 Maii 1599, tituli ſancti Euſebii, factus & prior Beliſmenſis, abbas Nanti & ſancti Nicolai Virdunenſis. Paulo poſt defuncto Renato *de Daillon*, dimiſſo Redonenſi epiſcopatu, ad Bajocenſem pervenit 26 Junii 1600, cujus poſſeſſionem per procuratorem Petrum *Ruel* conſiliarium ſenatus Pariſienſis iniit 4 Auguſti, indultumque apoſtolicum obtinuit idibus Novembris, & literas regias menſe Januar.

ANNI CHRISTI 1601. 1601, in commentarios Majoris consilii relatas A 27 Februarii. Interim a summo pontifice ad gravissimas de Tridentina synodo deque librorum delectu consultationes honorifico cooptatur elogio. Legatus quoque fuerat ad rempublicam Venetam, & ad Ferdinandum magnum Etruriæ ducem. Curavit & matrimonium dirimendum inter Henricum IV & Margaritam Franciæ. Attamen longiorem in curia Romana moram pertæsus, eo maxime quod in sua diœcesi permanere non valeret, sæpe episcopatui cedere voluit, quod tandem a rege obtinuit, ut discimus
1604. ex ejus literis 6 Martii 1604. Paucos post dies Romæ ubi senectutis domicilium fixerat, post 31 & amplius annos in hac aula felicissime transactos, ad meliorem vitam transiit pridie idus Martii 1604, annos natus 67. Sepulcro delatum corpus in basilica S. Ludovici Romæ, ubi ad dexteram aræ effigies monumentumque hoc epitaphio decorantur:

DEO OPT. MAX.

Arnaldo Ossato Gallo, sancti Eusebii presbytero cardinali, episcopo Bajocensi, qui omnium per multos annos Gallicanorum in urbe negotiorum consiliorumque particeps & administer, rarissimæ in reges suos fidei, egregiorumque meritorum testimonio sacra purpura ornatus, amplissimi ordinis dignitatem ea sapientiæ integritatisque fama cumulavit, cum tanta officiorum in omnes propensione, ut sui desiderium ceteris quoque nationibus cum admiratione reliquerit. Vixit annos 67, menses 6, dies 20. Decessit pridie idus Martii anno M. DCIV. *Petrus* Bossu *Lugdunensis, cubiculi præpositus a secretis, & Renatus* Courtin *Andegav. a cubiculo item & secretarius, ex trientibus heredes, patrono optimo & indulgentissimo S. P. P. C.*

Oratione funebri laudatus est a Tarquinio Gallucio Societatis Jesu in lucem edita anno 1604. Hoc quoque elogio commendatus fuit a D Scævola Sammarthano. *Sed & hunc sacrati ordinis aureum florem, ocellum nostræ Galliæ, sui denique seculi novum sidus Arnaldum Ossatum quo nunc piaculo prætercam! Is humili apud Auscos ortus loco, sed nobili & excelsa præditus indole, postquam in umbratilibus rhetorum & philosophorum scholis aliquandiu profitendo latuisset, foroque deinde se comparasset, ad alia studia se transtulit; Romamque mox in Pauli Foxii legati regii comitatu profectus, & eo postea sublato, in cardinalis Atestini rerum Gallicarum patroni familiam ascitus, erexit se ad grandiora, tractandisque magni momenti negotiis ita paulatim assuevit, ut in hoc laudis genere parem hæc ætas haberet proculdubio neminem. Itaque Henricus III omnis egregiæ virtutis liberalissimus admirator, eum ultro in Galliam revocare constituit, ut ab epistolis interioribusque consiliis ejus fideli opera & industria dubiis temporibus uteretur. Sed cum sacris initiatus esset, id munus tamquam a sua professione alienum modeste repudiavit. Nec defuere qui hoc ejus factum sic interpretarentur, quasi Romano cælo jam assuetus, & arridentis fortunæ sibi conscius ad ea se reservaret, quæ Romæ postea consecutus est longe majoris ampliorisque dignitatis ornamenta. Cum enim Henricus IV pacata invictis armis Gallia, cum summo quoque pontifice redire in gratiam statuisset, Ossatum inter alios delegit, qui una cum Ebroicensi episcopo Jacobo Davio Perrone singulari doctrina viro, nunc amplissimo cardinale, Romam in id a se tum legato, gravissimum illud opus conficeret, pacemque tanto labore partam aliquanto firmiore præsidio vinciret ac stabiliret. Quo demum negotio feliciter & ex animi sententia transacto, vir eximius, commendante rege, illustrem sacræ purpuræ honorem a grato & amico pontifice facile tulit: eoque facilius, quod insignis ejus candor &* B *probitas, amabilesque mores cum summa eruditionis & prudentiæ opinione conjuncti, omnium fere cardinalium animos jamdudum promeruissent, sibique conciliassent. Obiit in eo fortunæ splendore felicissimus senex, nobisque vel addita jam operi coronide, novum nec opinatum elogii conscribendi argumentum objecit. At vos, in quorum gratiam hæc sacra paravimus, ô celebrium tot virorum beati manes, este boni: nec enim dignius ea peragi sane poterant, quam si ad extremum tanto nomine appellato, rite convenienterque sic litaremus.*

Illustre etiam encomium Ossati apud Thuanum habemus in Historia ad an. M. DCIV. *Ultimus me-* C *morabitur Arnaldus Ossatus, nulli horum posthabendus, jam multoties a nobis perhonorifice appellatus, ut minime emortualem diem expectari oportuerit, ut memoria ejus celebraretur, sicut in plerisque aliis evenit, qui nullam alioqui partem in Historia faciunt; eoque licet pauciora de tanto viro dicenda occurrant, justa tamen vel amicitiæ ergo, quæ mihi arctissima cum eo intercessit, cum aliqua grati animi testatione persolvenda sunt. Is in Novempopulania nostra pago juxta Augustam Ausciorum ignobili ortus, obscuris adeo natalibus, ut cognatos & adfines prorsus ignoraret, & pauperes ac domesticos, nullos præterea heredes habuerit, sed donis ingenii, doctrina, pietate, morum probitate & insita prudentia a Deo largissime cumulatus, facile natalium defectum tanta accessione supplevit, ut Romæ in amplissimo orbis theatro, ceteros omnes natalium splendore & aliis fortunæ præsidiis illustres æquaverit, plerosque superaverit, æquabili irreprehensibilis vitæ tenore omnium amorem & admirationem promeritus, sicque in illa aula totis* XXXI *annis se gessit, ut nemini bene sentienti dubium reliquerit, quin si peccati originalis, quod vulgo vocant, fomes non obstitisset, qua moderatione maximos honores in ea citra ambitionem decurrerat, eodem in studio pergens, ad summum ecclesiasticæ potestatis fastigium inoffenso pede vaderet. Vixit annos 67, menses 6,* E *dies 20, ad beatum Ludovicum sepultus.*

Scripsit Ossatus epistolarum eruditissimarum libros aliquot editarum anno 1617, quæ apud omnes amplissimo testimonio teruntur, aliave opera, de quibus nomenclator sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui ab anno Christi millesimo quippiam commentati sunt.

LXV. JACOBUS. D'ANGEN

Dum de futura Arnaldi Ossati cessione fama volaret, non defuere qui successionem inhiarent,

ut ipse testatur in epistola ad D. *de Villeroy* A
mense Februario 1603. Hanc, si fides scriptori
Bajocensi, obtinuit Johannes *d'Angennes*, filius
Ludovici domini *de Maintenon*, baronis *de*
Meslay, equitis torquati, & Johannæ *d'O*. Huic
autem ante concessas bullas defuncto successit
germanus ejus Jacobus, qui sub signis regiis in
Italia militabat. Nominatus ab Henrico IV, & a
1606. Paulo V confirmatus, consecratur anno 1606.
Possessionem per procuratorem Ambrosium
Gauffre thesaurarium iniit 27 Julii 1606, ipse
1608. vero 20 Julii 1608. Generalibus regni comitiis
1614. deputatus a clero adsuit annis 1614 & 1616.
Congregationis Oratorii alumnos apud Cado- B
1615. mum admisit anno 1615. Moniales Carmelitas
ibidem excepit, earumque benedixit ecclesiam
1616. 28 Maii 1616. Senatus Parisiensis confirmavit
Jacobo jus dictum *Deport* in parochia sancti
1617. Vigoris juxta Bajocas die 7 Martii 1617, &
senatus Rotomagensis idem jus in omnibus
1620. parochiis ejus diœcesis 18 April. 1620. Cœtui
1625. cleri Gallicani interfuit anno 1625 Jacobus,
cui Franciscus *Veron* præco regius doctorque
theologus dicavit anno 1629 acta collationis
super omnes articulos fidei, maxime circa san-
ctissimam Eucharistiam, quam cum ministris
1626. Cadomi habuerat. Anno 1626 die 7 Maii, C
violatam ab hæreticis basilicam sancti Stephani
Cadomensis, cœmeteriaque nova benedictione
donavit & altaria denuo sacravit. Approbavit
anno eodem constitutiones sanctissimæ Trinitatis
Cadomensis, editas ab episcopo Agathensi. Ca-
pucinos Bajocis admisit anno eodem. Breviarium,
missale, rituale aliosque ecclesiasticos libros emen-
1627. davit, & novo prælo subjecit anno 1627.
Moniales Visitationis B. Mariæ Cadomi excepit
1630. anno 1630, Ursulinas vero ibidem 1624,
1631. Viriæ 1631, & Bajocis 1633; Benedictinas
1633. Cadomi 1640, apud Villarium 1643, Viriæ
1640. 1644, & Bajocis 1646; moniales S. Augustini D
1643. Cadomi 1639, & Bajocis 1643 & 1644, &
1644. moniales Cistercienses Torigniaci 1631, de
1646. consensu abbatis ejusdem loci. Seminarium Eu-
distarum Cadomi institui permisit 25 Martii
1643. Canonicos Præmonstratenses strictioris
observantiæ apud Ardenam introduxit, & col-
legium de Monte apud Cadomum patribus
Societatis Jesu confirmavit. Condemnavit die 2
Decemb. anno 1643 doctrinam Jacobi *du Pré*
doctoris Cadomensis de sanctissima Trinitate.
Dissidentes canonicos sancti Sepulcri Cadomensis
& parochos ejusdem urbis, de priore in suppli-
cationibus gradu conciliavit 16 Junii 1645, E
jusque canonicis concessit. Caroli *de Lavardin*
Cenomannensis episcopi exsequias in ecclesia
Cenomannensi celebravit mense Februar. 1638.
Denique post 41 regiminis felicissime peracti
annos, morbo correptus in prioratu suo de
Monasteriis in Pertico, ibidem e vivis sublatus
1647. est 16 Maii 1647, annos natus 73, humatusque
est in ecclesia castri gentilitii *de Maintenon* in
Cenomannis.

LXVI. Eduardus.

ANNI CHRISTI

Molé.

Matthæo *Molé*, qui regis procurator catho-
licus, & subinde senatus Parisiensis princeps
simul & procancellarius Franciæ fuit, ac Renata
filia Johannis *Nicolaï* supremæ rationum curiæ
primarii præsidis parentibus primogenitus est
Eduardus. Jam abbas sancti Pauli Virdunensis
& Herivallis erat, cum episcopus Bajocensis a
Ludovico XIV nominatus 22 Maii 1647,
consecratur Parisiis in sacello Sorbonico 14 Fe-
bruarii 1649, a Carolo *de Monchal* archiepisc. 1649.
Tolosano, assistentibus Johanne *de Lingendes*
Sarlatensi & Ludovico *de Bassompierre* Santonensi
episcopis. Possessionem per procuratorem Ro-
bertum *le Savoureux* canonicum Bajocensem
adipiscitur 9 Junii, ipse vero 14 Decembris
juravit in verba suæ ecclesiæ. Eodem anno fit
thesaurarius Sacræ capellæ Parisiensis Palatii.
Interfuit anno 1650 comitiis cleri Gallicani
Parisiensibus. Moniales beatæ Mariæ de Caritate
Bajocis institutas confirmavit 11 Aprilis 1650, 1650.
& Cadomi 8 Februarii 1651. Dissidia habuit 1651.
cum canonicis quæ composita sunt 18 Martii
anni ejusdem, quo 28 Decembris cum aliis
consecravit Franciscum Rotomagensem archi-
episcopum apud Cartusianos Parisienses. Sta-
tutum contra parochos non residentes promul-
gavit, & congregationem Eudistarum Cadomi
erectam subvertere tentavit, & eorum sacellum
clausit, quod germanus ejus restituit an. 1653.
Decessit 6 Aprilis 1652, Parisiis in domo the- 1652.
saurarii, ætatis 43, appositusque est ad patres
suos in ecclesia parthenonis dicti *Ave Maria*.

5 Franciscus *Molé* post Eduardum germanum
a rege episcopus renuntiatus, ejusdem in mani-
bus cessit.

LXVII. Franciscus I.

Servien.

Antonii consiliarii in Parlamento Gratiano-
politano & Dianæ *Bailly* filius Franciscus, ger-
manus autem Abelis, abbas S. Jovini de Marnis
& Morarum, ubi de eo diximus, & in ecclesia
Carcassonensi tom. VI, col. 926, ex hac ad
Bajocensem evocatur a rege 23 Maii 1654. 1654.
Ab Innocentio X bullis donatus v idus Novemb.
pontificatus anno XI, inauguratur 10 Januarii
1655 in abbatia Gaudii-vallis Carnotensis, ab 1655.
Henrico *de Maupas* episcopo Aniciensi, assisten-
tibus Ferdinando *de Neuville* Macloviensi & Har-
duino *de Perefixe* Rutenensi episcopis. Posses-
sionem per procuratorem Johannem Michaelem
Bagnol canonicum adipiscitur 10 Martii 1655,
ipse vero paulo post. Mense Junio sequenti con-
fessarios omnes interdixit, donec de novo fuissent
approbati. Mensis Aprilis 27 anni 1656 syno- 1656.
dum coegit, in qua nova condidit statuta, factus
anno eodem prior sanctæ Catharinæ Parisiensis.
Diœcesim suam frequenter perlustravit, multos-
que abusus rescidit. Filias B. Mariæ de Caritate
Bajocenses & Cadomenses confirmavit, harum-
que ecclesiam benedixit. Domum Refugii seu
novissime ad fidem & ecclesiam catholicam

ANNI CHRISTI

reductarum filiarum Cadomi erexit. Sacellum A Eudistarum a decessore suo clausum aperuit, eorumque institutum approbavit, & eis suum commisit seminarium anno 1656. Quin & regium pro Eudistis Cadomensibus obtinuit di-
1657. ploma 17 Novembris 1657. Monachos congregationis sancti Mauri in prioratum S. Vigoris
1658. Bajocensis introduxit anno 1658, eodemque anno reliquias S. Vigoris a monachis concessas in ecclesiam Bajocensem transtulit 14 Julii, & 26 Septembris ossa sancti Fausti martyris ab Alexandro VII donata. Hac autem in celebritate sex cappas, planetam, dalmaticas & tunicas liliis aureis coopertas ecclesiæ suæ obtulit. Die cra- B stina adstitit translationi reliquiarum S. Basiliæ virginis & martyris, e cathedrali in ecclesiam Hospitalariarum. Grave dissidium inter eum & Leonoram *de Rohan* abbatissam SS. Trinitatis Cadomensis, de jurisdictione exortum & ad summum pontificem delatum, prope diem dirimendum erat, cum Parisiis calculo correptus Franciscus, ad suam rediit ecclesiam, statimque ingravescente morbo e vivis excessit die 2
1659. Februarii anno 1659, ætatis 61. Post dies novem sepultus est in medio choro ecclesiæ cathedralis ab episcopo Quilalensi Hiberno. Funebri oratione commendatus a D. Ildefonso C *de Sainte Marie d'Apres* monacho congregationis sancti Mauri.

DE NESMOND.

LXVIII. FRANCISCUS II.

Parisiis natus est Franciscus prima Septemb. 1629 parentibus Theodoro *de Nesmond* ibidem præside infulato, & Anna *de Lamoignon.* Prior de Volta abbasque de Malo-leone 1646, & Casiaci anno sequenti, laurea doctoris Sorbonici insignitus 6 Maii 1654, insequenti ad generalia cleri Gallicani comitia est deputatus. Defuncto Bajocensi episcopo substituitur a rege, nominatus
1661. mense Martio 1661. Propter exortam inter D cardinalem Maldaquinum & cardinalem de Ursinis de pensione 11000 libr. super episcopatum Bajocensem contentionem, bullas a summo pontifice obtinere non valuit, nisi exeunte anno eodem. In ecclesia collegii Sorbonæ sacra deli-
1662. butus est unctione 19 Martii 1662 ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus veterano Constantiensi & Noviodunensi episcopis. Possessionem per procuratorem Johannem *Ratier* presbyterum Aginnensem adeptus est 19 April. Ecclesiæ Rotomagensi obsequium præstitit 4 Maii, ac die 15 sequenti ecclesiam suam solenniter ingressus est, qua in solennitate argenteas E beatæ Mariæ & sancti Exuperii statuas obtulit. In synodo 24 Maii statuta a decessore renovavit. Mortuo cardinali de Ursinis, extinctaque pensione, abbatiam suam in manibus regis dimisit, duosque prioratus in manibus summi pontificis. Monachos sancti Mauri in abbatiam S. Stephani
1663. Cadomensis introduxit 29 Septembris 1663. Ecclesiæ suæ breviarium mendis purgavit & in
1665. lucem edidit anno 1665. Statuta synodalia renovavit & publicavit in fine cærimonialis,

ANNI CHRISTI

Seminaria tria construxit, e quibus duo suis impensis erexit. Ecclesiastica colloquia ab ipso sunt instituta. Xenodochium pauperum construxit & fundavit anno 1666. In pauperes bene- 166
ficus, omni sagacitate curavit ne inopia premerentur. Domos etiam meritricibus concludendis destinavit. Pauperes scholasticos in seminariis suis sumtibus sustentavit. Hæreticorum templa 13 ex 18 destruxit. Beatificationem S. Francisci Salensis in ecclesia monialium de Visitatione celebravit anno 1662, harumque ecclesiam dedicavit an. 1668, & ecclesiam Capucinorum 166
1677. Episcopales apud Cadomum ædes refecit 167
anno 1678. Quam anno 1677 benedixerat 167
ecclesiam seminarii Cadomensis, consecravit anno 1685. Jesuitarum ecclesiam benedixit an. 1689, 168
pauperumque validorum ecclesiam anno 1690. 168
Johannem-Franciscum *de Gaillard* episcopum 169
Aptensem sacravit 1671, unctionique N. *de Meliand* episcopi Vapincensis unus e consecratoribus adstitit 4 Augusti 1680, sicut & sacro coadjutoris Rotomagensis. Abbatem de Valle benedixit 1677 in ecclesia canonicorum regularium Domus-Dei Cadomensis: alias ecclesias dedicavit & ornamentis decoravit. Cum Joachimo *de la Chetardie* presbytero Sulpiciano fundavit anno 1687 domum Filiarum a Cruce nuncupatarum in loco dicto *de Reuilly* in Bituricibus. Synodo provinciali apud Gallionem adstitit 30 Junii 1699. Librum cui titulus: *Durand commenté* a Petro *Calli* parocho sancti Martini Cado- 169
mensis scriptum, condemnavit 30 Martii 1701. 170
Contentiones quædam cum suis canonicis exortæ ita sedatæ sunt, ut in testimonium suæ erga eos benevolentiæ cathedrali dederit capellam argento inauratam ponderis 105 marcarum, necnon & summam 2000 librarum pro construendo odeo, similemque summam pro fundando anniversario. Denique episcoporum Franciæ & doctorum Sorbonæ antiquior, natus quippe annos 85, menses 9 & dies 16, obiit in sua diœcesi 16 171
Maii 1715, pauperibus maxime flebilis ob profusas eleemosynas. Francisco N. *Hermant* parochus *de Maltot* dicavit anno 1705 primam partem Historiæ diœcesis Bajocensis.

5 Josephus-Emmanuel *de la Trimoille* cardinalis, a rege nominatus episcopus Bajocensis ineunte Februario 1716, biennio post nondum 171
sacratus, ad metropolim Cameracensem transfertur 7 Maii 1718, ut diximus t. III, col. 64.

DE LORRA

LXIX. FRANCISCUS-ARMANDUS.

Ludovico comite Armeniacensi, magistro stabuli regii, equite torquato, & Catharina *de Neuville* parentibus natus 13 Februarii 1665 Franciscus-Armandus, doctor Facultatis Paris. abbas Regalis-montis, de Castellariis, S. Faronis & Dervensis monasteriorum, & primas Nanceii, episc. Bajocensis a rege renunciatus 7 Maii 1718, 171
inauguratur in ecclesia Paris. ab archiepiscopo 5 Novembris 1719, assistentibus Catalaunensi & 171
Blesensi episcopis. Regi fidem juravit 12 ejusdem mensis. Obiit Luteciæ v idus Junii 1728. 172

LXX.

LXX. Paulus.

Natus est Paulus 5 Februarii 1703 parentibus Honorato-Carolo duce *de Montfort*, & Maria-Anna-Johanna *de Courcillon*. Arma primum secutus, sacræ inde militiæ nomen dedit: tum factus abbas Cerasiensis anno 1727, biennio post episcopus Bajocensis a rege designatur mense Februario 1729, cum tunc esset vicarius generalis episcopi Meldensis. Romæ admissus est 6 Julii anni ejusdem, & sacratus Parisiis 25 Septembris in ecclesia Dominicanorum suburbii sancti Germani ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Santonensi & Abrincensi episcopis.

A Regi sacramentum dixit 2 Octobris. Adstitit & ipse archiepiscopo Cameracensi Matisconensem episcopum consecranti in sacello interiori seminarii sancti Sulpicii Parisiensis, 27 Julii 1732. ANNI CHRISTI 1732.
Primus Delfinæ ab eleemosynis factus est anno 1746, & a rege ad metropolim Senonensem 1746.
translatus 18 Augusti 1753. 1753.

LXXI. Petrus-Julius-Cæsar. DE ROCHECHOUART.

Ab Ebroicensi ad Bajocensem ecclesiam translatus Petrus-Julius-Cæsar 18 Augusti 1753, Romæ proclamatus est in consistorio 26 Septembris. Regi fidem dixit prima Novembris anni ejusdem.

DECANI ECCLESIÆ BAJOCENSIS.

I. Guillelmus I *de Ros* cantor, decanus & archidiaconus erat in ecclesia Bajocensi temporibus Odonis I episcopi, auctore Orderico Vitali lib. III, pag. 495, quo tempore Uticensibus monachis 40 libras sterlingorum dono dedit. Spretis inde seculi pompis, fit monachus Cadomensis, vixque elapso post professionem anno abbas Fiscannensis, ubi plura de eo legesis.

II. Guillelmus II subscripsit chartæ Odonis episcopi monasterium S. Vigoris a se fundatum monachis sancti Benigni Divionensis attribuentis 24 Maii 1096.

III. Stephanus I memoratus anno 1120 in chartulario, defungitur 12 Januarii.

IV. Richardus I *de Bohon*, cui & capitulo ab Imaro Tusculano episcopo & sedis apostolicæ legato interdictum est an. 1144, ne pecuniam & ipsa ecclesiastica vestimenta ab abbatibus Cadomensi & Fontanetensi amplius exigerent, decanus erat Bajocensis an. 1146, ex regestis capituli. Factus est anno 1150 episcopus Constantiensis.

V. Guillelmus III *de Tournebu*, ex canonico decanus, subscripsit donatæ a Philippo episcopo anno 1153 præbendæ S. Johannis Albi priori de Plessæo-Grimoldi, & transactioni capituli cum eodem priore. Subscripsit anno 1168 compositioni factæ a capitulo cum Richardo de Hometo. Cum Martino abbate Cerasii arbiter electus est anno 1179 ab Alexandro III, inter Elisabetham abbatissam de Pratellis & Johannem parochum de Villeio. Eodem anno assumtus est ad ecclesiam Constantiensem. At cum consecratio ejus per sexennium fuerit dilata, ad eum sicut ad episcopum dirigitur rescriptum Lucii III, quo tollit excommunicationem ab Honorio papa pronunciatam adversus episcopos & canonicos Bajocenses, qui alibi quam in monasterio sancti Vigoris sepulturam eligerent. Vide Petrum Blesensem pag. 771.

VI. Stephanus II canonicorum calculis electus est anno 1182. Ita pepigit anno 1185 cum Henrico episcopo, ut patronatus ecclesiæ de Logis episcopo & ecclesiæ de Ferraria *Haren* cesserint decano. Huic duas domos largitus est episcopus. Decanus nominatur in literis Henrici Bajocensis episcopi, ad quem scripsit Petrus Blesensis epistolas 50 & 159. Literæ illæ Henrici de donatione facta capitulo de domo Conani thesaurarii, sunt in appendice ad opera Petri Blesensis pag. 769. Adstitit dedicationi ecclesiæ Alnetensis anno 1190. Ch. XXV. col. 90.

VII. Richardus II *de Rohan*, aut *de Rohon*, forte *Bohon*, in actis capituli annis 1205 & 1207 capellanus & decanus audit. Querelam habuit cum parocho sanctæ Matris ecclesiæ, pro decimis ejusdem ecclesiæ, cujus arbitros instituit Innocentius III abbatem Vallis-Richerii & archidiaconum Bajocensem. Electum dicunt episcopum anno 1205 Richardum majori suffragiorum numero cessisse, & decessisse anno 1213. Ch. XXVI. col. 91.

VIII. Guillelmus IV canonicus erat & archidiaconus, cum post mortem Henrici episcopi inter alios electus, majori suffragiorum numero cedere coactus, Richardo defuncto successit electus anno 1213. Confirmavit statutum ab episcopo anno 1207, ut sex præbendæ totidem assignarentur presbyteris, qui quotidie tenerentur missam solennem celebrare, quæ persæpe a vicariis aut capellanis celebrabatur. Obitum suum de fructibus præbendæ suæ fundavit. Memoratur anno 1224 in chartis Fontanellensibus. Denique ad Franciscanos Bajocenses secessit & decessit anno 1226.

IX. Odo memoratur in regestis capituli ab anno 1227 ad 1237. Nonnulla dedit capitulo ad amnem Eburam, quæ confirmavit Petrus *de Conion* anno 1236.

X. Herbertus *de Charmont* anno 1240. Ratum habuit anno 1241 onus impositum a Stephano decessore, de prandio solvendo officiariis in festo Reliquiarum. Dedit capitulo 1243 decimas parochiæ *de Tracy*, & quidquid possidebat in territorio *de Douvres*, pro anniversario Petri *d'Ableges* thesaurarii, necnon fratrum & sororum suarum. Fundavit anniversarium pro se & Radulfo germano Encolismensi episcopo, anno 1248, decennioque post vel circiter obiit.

XI. Arnulfus Capuanus, Gregorii IX nepos & papæ capellanus, decanus erat cum an. 1260 a minore canonicorum parte electus episcopus,

a summo pontifice repudiatus est: unde mœrore A confectus, dignitati ipse suæ cessit, & Romanas partes repetiit.

XII. Gregorius *de Naples*, unde oriundus inde dictus, e prosapia comitum *de Segny*, & Gregorii IX nepos, ex canonico decanus per cessionem Arnulfi, Urbani IV capellanus 1263, decimam ecclesiæ univit decanatui anno eodem. Electus est judex & amicus compositor inter Stephanum Parisiensem episcopum & Matthæum abbatem sancti Dionysii, Sabbato post festum sanctorum Petri & Pauli 1271. Anniversarium Gregorii IX avunculi sui fundavit, & factus est Bajocensis episcopus anno 1274.

XIII. Petrus I *de Beneis* decanus adfuit anno 1275, die Mercurii ante festum sancti Andreæ fidei clientelari, quam Maria comitissa Vindocinensis exhibuit Petro de Brocia, a quo propositus regi ut in Flandriam pergeret Beguinam Nivellensem interrogaturus de morte Ludovici primogeniti regis, antequam proficisceretur, factus est episcopus Bajocensis anno 1276.

XIV. Theobaldus *de Pouancé* canonicus Dolensis & decanus Bajocensis, filius domini *de la Guerche*, adstitit Parlamento in die festo Omnium sanctorum 1279. Capellam sancti Laurentii dotavit biennio post adeptum decanatum, ad ecclesiam Dolensem assumtus mense Julio 1280.

XV. Robertus *de Bertencourt* electus a canonicis anno 1282, paulo post ordinem sancti Francisci ingreditur, in quo quinto a professione anno moritur 1288, memoratus nonis Januarii in obituario ecclesiæ Parisiensis, cui dedit 27 & dimidium arpenta terræ.

XVI. Johannes I *le Moine* canonicus Parisiensis & Ambianensis, auditor Rotæ, procancellarius ecclesiæ Romanæ, occurrit decanus Bajocensis ab anno 1288 ad 1292. Fundavit capellam sancti Johannis in parochia *de Than*, & quatuor anniversaria, quorum duo in ecclesia cathedrali & duo in ecclesia sancti Sepulcri Cadomensis. In sacello sancti Petri in cathedrali hæc leguntur in vitrea fenestra quam donaverat: *Johannes tit. SS. Marcellini & Petri cardinalis diaconus, decanus.* A Cœlestino enim V in collegium cardinalium adscriptus fuerat an. 1294. Collegium sui nominis fundavit Parisiis, ubi sepultus est prima Octobris 1314.

XVII. Raimundus Guillelmi *de Fargis* Burdegalensis, Clementis V ex sorore nepos, ex canonico decanus, capellam sancti Johannis a Johanne *le Moine* fundatam confirmavit. Factus est cardinalis ab avunculo 1310 exeunte. De eo agitur in regestis capituli ab an. 1314 ad 1348, quo ejus titulus sequenti datus est 28 Maii, unde concludendus saltem Raimundi obitus annus.

XVIII. Petrus II Rogerii *de Beaufort* canonicus Parisiensis & Bajocensis, archidiaconus Senonensis, Sacri palatii notarius, cardinalis diaconus tituli S. Mariæ-novæ 28 Maii 1348, eodem anno decanus Bajocensis, possessionem iniit die XI Julii: inde summus pontifex, dictus Gregorius XI anno 1370 exeunte.

XIX. Petrus III Flandrini e diœcesi Vivariensi, germanus Johannis archiepisc. Auxitani, de quo tom. I, col. 997, amplexus juris pontificii studium; unde auditor Sacri palatii & Gregorii XI referendarius, factus est Bajocensis decanus & canonicus in locum Gregorii XI avunculi. Possessionem per procuratorem adeptus est 3 Aprilis 1371, & cardinalis tituli sancti Eustachii factus anno eodem. Obiit Avenione 23 Januarii 1381.

XX. Amedeus de Saluciis filius Frederici *de Salusses* & Beatricis *de Geneve*, canonicus & decanus possessionem per procuratorem adeptus B est 7 Martii 1381. Biennio post jam electus Valentinensis episcopus, creatus est cardinalis tit. sanctæ Mariæ-novæ a consanguineo suo Clemente VII, die 23 Decembris 1383. Bajocensi ecclesiæ multa dedit, in his aquilam ex ære fusam, quæ nomen donatoris præfert & donationis tempus, 3 Junii 1385, & sex majora candelabra. Solemnius festum sanctissimæ Trinitatis fundavit anno 1395. Defunctus in villa S. Donati Viennensis diœcesis, 28 Junii 1419, Lugdunum delatus est, & sepultus in metropolitana sancti Johannis ecclesia.

XXI. Ricardus III filius baronis *de Courcy*, C ex canonico electus decanus 1419, pacifice possedit ad 10 Martii 1421, quo designato a summo pontifice libens cessit.

XXII. Bartholomæus hic inseritur ab Historico Bajocensi, qui fundavit anniversarium 8 Aprilis: annus quidem ignoratur, sed quia ab anno 1421 ad 1433 nullus decanus in actis occurrit, hunc Bartholomæo assignare locum visum ei est.

XXIII. Johannes II *du Homme* vicarius generalis & officialis Nicolai *Habart*, designatus a Martino V, fundavit anno 1433 ultimam supplicationem Quadragesimæ in capella S. Thomæ D Cantuariensis. Permutavit anno sequenti cum scholastico. Obitus ejus celebratur 19 Augusti.

XXIV. Guerricus *de Magni* obitum suum fundavit 14 Februarii.

XXV. Laurentius *le Berruyer* possessionem adeptus 1436, paulo post obiit.

XXVI. Martinus *Pinard* natus in vico de Nonanto prope Bajocas, Eugenio IV summo pontifici a secretis, ex canonico decanus electus a capitulo, commendante Eugenio anno 1437, ab eodem obtinuit confirmationem annuorum redituum præbendarum vacantium in gratiam capituli anno 1440, & facultatem excommuni- E catos in diœcesi absolvendi. Factus est anno 1442 episcopus Abrincensis. Fundavit obitum 24 Martii.

XXVII. Petrus IV diaconus cardinalis successit Martino, & possessionem per procuratorem adiit 12 Novemb. 1442. Is esse creditur Petrus ex sorore nepos Eugenii IV, qui cum a summis pontificibus diversis negotiis occuparetur, possessione non adepta abdicavit anno 1444, factus postea summus pontifex, dictus Paulus II.

XXVIII. Guillelmus V *le Bailleul* e diœcesi

Sagiensi, ex canonico decanus, possessionem per procuratorem adiit 9 Novembris 1444, ipse vero pontificio munitus diplomate, mense Aprili 1448. Missus est a capitulo anno 1450 ad regem, tunc apud Pontem-arcæ, fidem clientelarem præstiturus. Dinumerationem bonorum & ornamentorum ecclesiæ cathedralis fecit anno 1476. Insequenti permutavit cum episcopo feodum *de Sommervieu* pro decimis parochiæ *de Chef-du-Pont*. Officium duplex SS. Gervasii & Protasii procuravit in diœcesi. Adfuit scacariis annorum 1464 & 1474. Fundavit anniversarium anno 1476. Obiit 16 Februarii 1482, & sepultus est in ecclesia Fratrum Minorum Falesiæ, ut testamento suo caverat.

XXIX. Johannes III *de Vese* nobilis Delfinas, baccalaureus in decretis, sanctæ sedis protonotarius, canonicus & cantor Sacræ capellæ Paris. canonicus Bajocensis, decani dignitatem a Sixto IV obtinuit, unde canonicis perosus, quinque passus est æmulos totidemque lites, imo possessionem ineunti debiti denegati sunt honores; at humanitate, patientia & mansuetudine omnium sibi conciliavit animos. Factus est episcopus Venciensis anno 1491, & Agathensis 1494. Scacario adstitit anno 1497; inde abbas Caunensis 1519, permutatione facta cum sequenti.

XXX. Gabriel *le Veneur* alter ab episcopo Ebroicensi, protonotarius apostolicus & abbas sancti Petri de Caunis, priorque Plessæi-Grimoldi permutatione facta cum Johanne fit decanus 1519. Obiit 1523.

XXXI. Hieronymus I *Canossa* Veronensis, Ludovici episcopi nepos, ex canonico electus est a capitulo decanus, licet Ambrosius *le Veneur* Gabrielis nepos, a rege commendatus fuisset. Factus est inde abbas sancti Andreæ in Bosco, S. Apollinaris *de Canossa* cedente patruo, quem ob injurias ab incolis illatas in patriam repedantem secutus est nepos, postquam dignitati in gratiam sequentis cessisset.

XXXII. Ludovicus *du Bain* Italus, cedente Hieronymo decanus, æmulum passus est canonicum qui Hieronymi æmulus fuerat. Re coram archiepiscopo Rotomagensi discussa, vicit Ludovicus, & possessionem per procuratorem iniit 9 Januarii 1527, ipse vero 27 Martii. Fundavit obitum 1532, factusque decanus Mantuanensis, cessit in gratiam sequentis.

XXXIII. Egidius *de la Haye* per cessionem Ludovici decanus, & notarius apostolicus, bullis obtentis possessionem per procuratorem adeptus est 13 Septembris 1532, ipse vero 12 Maii, & obiit anno 1545.

XXXIV. Sebastianus *de l'Aubespine* bullas favore Henrici *Clutin* regii apud summum pontificem oratoris obtinuit, & possessionem per procuratorem adiit 1545, ipse vero 1547. Cessit paulo post sequenti, fitque Lemovicensis episcopus 23 Martii anno 1558.

XXXV. Carolus I *Clutin* cedente Sebastiano anno 1547 ob infirmitatem cessit nepoti; quo inopina morte sublato, reditus percepit Carolus favore Francisci I ad mortem usque, quæ contigit anno 1551.

XXXVI. Germanus *du Val* e familia *de Brevans*, prior de Pompona prope Latiniacum, & archidiaconus Bajocensis, vicarius generalis Caroli *d'Humieres* episcopi, ejus vice præfuit synodis 1550, 1551 & 1556. Electus a capitulo decanus, solennem iniit possessionem 18 Julii 1552. Propter bellorum tumultus in prioratum secessit, ibique obiit 1589, annos natus 72, & appositus est ad patres suos in ecclesia sancti Eustachii Parisiensis, ut testamento præcaverat.

XXXVII. Jacobus I *de la Morissiere* dominus *de Vic* e diœcesi Sagiensi, absens eligitur decanus a capitulo 4 Decembris 1589, ac 17 Januarii sequentis possessionem est adeptus. Duos passus est æmulos Antonium & Nicolaum *du Val*, quos evicit regio decreto ultima Septembris 1591, quo privilegium eligendi decani simul capitulo confirmatur. Duas Christi & beatæ Virginis imagines ecclesiæ dedit, quas Roma attulerat. Cessit in gratiam nepotis.

XXXVIII. Jacobus II *de la Morissiere* superioris nepos, eodem cedente decanus, possessionem iniit 10 Aprilis 1610. Dissidia habuit cum episcopo pro jurisdictione. Cum autem occidisset nobilem quemdam, & ipse interfectus est anno 1635.

XXXIX. Jacobus III *Turgot* filius Jacobi comitis consistoriani, annos natus 18 electus est a capitulo 4 Junii 1635. Æmulum passus est Robertum *le Comte* archidiaconum Cadomensem, qui bullis pontificiis munitus, causa cecidit 1637 in Senatu Redonensi, cui attributa fuerat. Jacobus autem clero valedicens, cessit parentis in manibus, togamque in senatu Rotomagensi induit.

XL. Jacobus IV *Turgot* superioris parens, possessionem iniit 28 Maii 1642. At negotiis publicis implicatus & ipse cessit pensione retenta, moriensque 10000 libras legavit ecclesiæ, in qua 25 Maii celebratur ejus anniversarium.

XLI. Carolus II *de Longaunay de Franqueville* filius marchionis *de Dampierre*, possessionem adeptus est 22 Augusti 1655. Primus decanus talari veste rubra usus est diebus solennibus, qua etiamnum utuntur cantor, thesaurarius & cancellarius. Francisci *de Nesmond* vicarius generalis obiit 7 Martii 1697.

XLII. Franciscus-Timoleon *de Choisy* prior sancti Laudi Rotomagensis, sancti Benedicti de Saltu & S. Gelasii, decanus Academiæ Gallicanæ, necnon & legatus ad regem Siamensem, electus decanus a capitulo, biennio circiter elapso cessit in gratiam sequentis. De eo egimus tom. IV, col. 703, in abbatibus sancti Sequani. Obiit Parisiis 2 Octobris 1724, 79 annos natus.

XLIII. Hieronymus II *du Faur de Pibrac* doctor theologus, abbas Miciacensis, possessionem iniit 29 Januarii 1700. Postea vicarius generalis episcopi, a quo donatus est præbenda de sancto Germano anno 1703; cessit 9 Novemb. 1730

in gratiam sequentis, sub annua pensione 2300 librarum.

XLIV. Johannes-Baptista *Durand de Missy* bullis obtentis 3 Decembris 1730, possessionem iniit 25 Maii 1731, & cessit 22 Octob. 1735, modo episcopus Abrincensis.

XLV. Ludovicus-Franciscus *Neel de Crestot* bullas adeptus VII idus Octobris 1735, possessionem iniit 4 Maii 1736, inde episcopus Sagiensis 5 Maii 1740.

XLVI. Johannes-Jacobus *de Biaudos* nobili in diœcesi Aquensi ortus familia, canonicus erat Rotomagensis ab anno 1735, cum per cessionem superioris factus canonicus & decanus Bajocensis, possessionem adeptus est 20 Aprilis 1741; inde ministerii in partem ab episcopo vicarius generalis adscitus est.

VETERA ECCLESIÆ BAJOCENSIS MONASTERIA.

I. Reviers. BEATUS VIGOR e patria egressus, in Bajocensem regionem pervenit ad vicum, cui nomen Redeverus, ubi monasterium condidit a vico Redeveriacum dictum. Quot rectores post ipsum Vigorem habuerit, & quando adæquatum solo sit ignoratur, nisi cladis illa contigerit, cum Normanni nondum christiani Neustriam infestarunt.

II. S. Vigor. Creatus episcopus S. Vigor cum aliquando venisset ad montem, qui Phænus vocabatur, milliario uno ab urbe ad occidentem, ubi saxeam mulieris effigiem, tanquam sacrum quiddam colebant incolæ, verbum Dei rusticis illis prædicare cœpit. Verum ab eis contemtus & ejectus, ad Childebertum regem confugit. Rex sanctitatem zelumque viri admiratus, montem qui regiæ ditionis erat, episcopo tradidit perpetuo possidendum. Hic statim prima monasterii fundamenta jecit in honorem S. Petri, monsque Chrismatis vocatus est a christianis, qui frequentes eo confluebant divinæ regenerationis sacramentum percepturi. Postremo tandem Chrismatense monasterium a conditore S. Vigoris nomen accepit. A Normannis solo adæquatum instauravit Odo Bajocensis episcopus, accitis e Monte sancti Michaëlis quinque monachis, quibus plenam totius villæ decimam cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus concessit, & religiosum sapientemque virum Robertum de Tumbalenia præposuit, ea lege ut omnium ejusdem loci abbatum Bajocensis episcopus electionem faceret, omnesque hujus loci abbates a Bajocensi episcopo baculum pastoralem acciperent. Verum cum Odo in carcerem a fratre suo Willelmo Anglorum rege conjectus fuisset, Robertus de Tumbalenia abbas Romam profectus, a Gregorio papa VII honorifice detentus est usque ad mortem ipsius pontificis, quo defuncto 25 Maii 1085, ad monasterium Montis sancti Michaëlis unde assumtus fuerat reversus est. Fundatore itaque vinculis mancipato & abbate ad Latias partes profecto, novellus grex monachorum hac illac dispersus est, nec ullus ex eis ad idem monasterium reversus, quod fuit in causa ut Odo Jarentoni abbati Divionensi hunc locum commiserit, cujus donationes & institutum confirmaverat dux Normannorum Robertus anno 1089. Cum enim forte ad concilium Claromontanum profecturus Odo Roberti patruus Divionem accessisset, ibique in sancti Benigni cœnobio a Jarentone abbate honorifice acceptus fuisset, huic beneficio ut aliquam rependeret vicem, adhortante insuper Willelmo Bajocensis ecclesiæ decano, pariterque Richardo Rotomagensi archidiacono, monasterium sancti Vigoris cum suis adjunctis sancto Benigno donavit, secutus exemplum majorum suorum Normanniæ comitum, qui in eumdem sanctum semper impense affecti fuerant, voluitque ut si quando hic locus adeo crevisset, ut abbas ibi esset instituendus, ejus electionem a sancti Benigni abbate in ipsius capitulo fieri, & electum eidem subesse. Hæc omnia Odo ad sua reversus scripto roboravit, ejusque donum confirmavit Robertus Normanniæ comes anno 1096, indictione IV, 24 Maii. Donationem eamdem comprobavere Urbanus II pridie idus Martii, biennio post Arvernense concilium, Paschalis II anno 1102, Honorius II an. 1127, & Alexander III XIII calend. Februarii. At cum ampliati non fuissent reditus, nec abbas constitui potuit, indignante licet & conquerente apud Lucium III Henrico Bajocensi episcopo, ab eoque tempore ecclesia sancti Vigoris cella fuit Divionensium monachorum. Verum eodem tempore cum Odo episcopus positis apud S. Vigorem monachis sepulturam suam, & successorum atque canonicorum ibidem in futurum assignasset, quod Honorius II sub anathematis pœna confirmaverat, causati canonici decessores suos in ecclesia Bajocensi prius sepultos fuisse, ab hoc onere a Lucio III absoluti sunt. Bullis quoque monachi ab eodem pontifice anno 1183, & ab Innocentio IV anno 1248 donati sunt. Ob reverentiam sane sancti Vigoris Bajocenses episcopi recens inaugurati priusquam solenni pompa in urbem deferantur, sancti Vigoris ecclesiam ab antiquo petunt, tum a priore & monachis ducti in monasterium congruenti excipiuntur hospitio. Postridie iterum ab eisdem ducti in ecclesiam, statuuntur in marmorea cathedra prope majus altare ad id muneris collocata, ubi pontificalibus induti vestibus capituli obsequia excipiunt, quibus & omni populo primam solenni more benedictionem impertiuntur. Hanc præter procurationem ab aliis quibuscumque monachos sancti Vigoris exemit Odo Bajocensis episcopus anno 1269, mense Augusto. In supplicatione quam ecclesiæ cathedralis canonici ad Vigorensem quotannis in solennitate Ramorum instituunt, monachi eosdem exeuntes subsequuntur, & cum uterque

chorus ad crucem in cœmeterio beatæ Mariæ A Ægyptiacæ erectam pervenit, canonici succinentibus monachis aliquot versus præcinunt, quibus expletis & adorata cruce in suam quisque reditum adornant. Fontes baptismales parochialis ecclesiæ sancti Vigoris more antiquitus recepto in vigiliis Paschæ & Pentecostes a priore monasterii nova benedictione initiantur. Denique anno 1658 Bartholomæus *Robin* Compendiensis sancti Cornelii monasterii alumnus & abbas de Soricinio, Vigorensem præfecturam monachis congregationis S. Mauri transmisit, qui eodem anno locum subiere.

Martinus Vertavensis abbas ab Anglia reversus, B geminos potentis viri filios, quos immatura mors sine baptismate rapuerat, meritis & precibus vitæ reddidit, conditoque in paternis eorum ruribus monasterio, monachos eos Deo dicavit. Construendi cœnobii cooperator idoneus fuit Ebrulfus adhuc divitiis & honoribus potens laïcus: non solum enim incipientes consilio adjuvit, hæsitantes corroboravit, & opibus ac fundis multisque modis res nuper incœptas augmentavit, verum etiam omnibus ibi se exuit, monasticamque vestem induit. *Antiquum ab eventu eidem loco nomen usque hodie perseverat, & ingens congeries lapidum in fundamentis ædificiorum & ruinis* C *maceriarum evidens testimonium dat, quod magnæ dignitatis hominum habitatio Bajocensem pagum illustraverit.* Ita Ordericus Vitalis lib. VI, pag. 609, quod de hoc monasterio seniorum relatione didicerat dignum duxit futuris breviter enodare, cujus proinde, ut pote auctoris gravis & domestici, ambagibus nonnullis & conjecturis quæ in chronologia remorari possent potior visa est sententia Mabillonio, quia annus incœpti Uticensis monasterii haud satis est compertus & exploratus. In actis episcoporum Cenomannensium laudatur abbas monasterii Duo-gemellensis sub Dagoberto rege ejus nominis primo; ibidem- D que Herlemundus ejus urbis episcopus, dimisso ob tyrannorum violentiam episcopatu orbatus oculis se recepisse ad monasterium quoddam, ubi frater suus abbas præerat, Duos-gemellos appellatum in pago Bajocassino. Id factum regnante Pipino rege. In testamento anno 831 condito, Ansegisus Fontanellensis abbas monasterio Duorum-gemellorum duas libras legavit. Post aliquot annos cœnobium a Normannis eversum, denuo excitatum non fuit, sed in manus laïcorum forsan pervenit. Nam Robertus *de Villiers* monasterio sancti Vigoris Cerasii, cujus Robertus tunc temporis erat abbas, dedit E prioratum de Duobus-gemellis, cum omnibus quæ ei cedebant & de jure patronatus sui erant, scilicet statum loci, ecclesiam sancti Martini & decimam villæ, dimidiam ecclesiam *de Ver*, &c. Robertus idem fundavit lampadem ante altare sancti Martini, cereumque pro missa de beata Virgine. Guillelmus *de Ver* anno 1224 & Sanson *Gurart* anno 1227 nonnulla largiti sunt pro eodem cereo. Denique in regestis Anglis custodia temporalium abbatiæ S. Vigoris Cerasii, necnon & prioratuum sancti Fromundi & sancti Martini de Duobus-gemellis, commissa legitur viris religiosis abbatiæ prædictæ anno VI Henrici V. Nunc simplex prioratus a Cerasio dependens, a Carentonio 5 aut 6 leucis distat.

Ebriciacum vicus est in diœcesi Bajocensi, IV. Evrecy. in quo Chedulfus abbas monasterium ædificavit seculo septimo. Huic successit Baldricus, cujus tempore monachi a recto tramite deviarunt. Baldricum excepit Annobertus, qui jam monachus a Chedulfo abbate pro causa beatæ Mariæ ad Childericum (II) regem directus, nullum ab eo responsum accepit, sed inter venandum inventus in basilica ubi missam celebrabat, postulata adeptus est. Dein cum Ebriciacum monasterium post Baldricum regendum suscepisset, monachosque ad officium revocare vellet, & secundum regulam sancti Benedicti doceret vivere, eorum in se odium & furorem eo usque concitavit, ut ipsius necem machinati sint. Quod ubi vicinis pontificibus, abbatibus, comitibus & viris illustribus innotuisset, hi ad ipsum monasterium Ebriciacum accedentes, monachos tantæ impietatis reos ab eodem cœnobio expulerunt, & alios quidem per alia monasteria dispersserunt, alios exsilio deputaverunt. Verum beatus Annobertus bonum pro malo rependere volens, eos misericorditer revocavit, eisque quidquid in ipsum deliquerant benigne indulsit. Nihilominus propositi tenax vir eos hortari non desinebat, ut secundum sanctorum Patrum instituta viverent, & normam sibi traditam servarent. Hinc tanta in illa congregatione districtio tenebatur, ut si quis horas canonicas psallendo aliquid deliquisset, ipsa die a potu abstineret, sed tamen senibus veniam poscentibus indulgebat. Tunc temporis in basilica Duorum-gemellorum diœcesis Bajocassinæ canonica vita ducebatur, quam apostolicus vir Gereboldus pontifex, quem vir Dei Annobertus in primitiis suæ confessionis erudierat, ad monasticum ordinem revocare volens, Annoberto assentiente monachos Ebriciaci cœnobii ad ipsam basilicam Duorum-gemellorum direxit, ut monasticus ordo secundum regulam sanctorum Patrum ibidem observaretur. Quod quidem, Deo miserante, feliciter successit, idemque in aliis cœnobiis, tam virorum quam feminarum seu virginum, factum est. Forte aliquando Annoberti animum subiit cogitatio de sanctitate eximiisque sancti Benedicti virtutibus, cui mox est revelatum ut ejus exempla imitaretur, & tunc demum ei similis fieret; quo ex tempore Annobertus spiritu prophetiæ præditus fuisse dicitur. Denique ubi prædicta cœnobia annis 31 rexisset, iis relictis, cum uno tantum socio nomine Turpino in solitudinem secessit. Defuncti XVII calendas Maii corpus cum processu temporis ad lucrandas fidelium eleemosynas per provincias deferretur, ubi ad cœnobium Maurinianæ-vallis in diœcesi Suessionensi delatum fuisset, tanto pondere illic defixum dicitur, ut illinc amoveri non potuerit. Illic hodie quoque præcipuo cultu honoratur, cujus depositio XVII calend. Maii & translatio

calendis Septembris celebrantur. Hoc autem in ultimo festo lectiones secundi nocturni propriæ recitantur, ex quibus prædicta elicere licuit, ubi nihil de Annoberti Sagiensi episcopatu habetur.

V. Livry. A Gereboldo priusquam episcopus fieret, conditum monasterium Liberiacum, ubi donatus est sepultura, quod ut aliæ ejusdem provinciæ ædes sacræ excidit, soloque æquatum etiamnum sub rudeto jacet absorptum, nisi quod inter possessiones abbatiæ Fontanellensis recensetur Liberiacum.

VI. La Magdeleine. In chronico Virdunensi apud Labbæum Bibliothecæ novæ tom. I, pag. 176, memoratur A monasterium beatæ Mariæ Magdalenæ in civitate Bajocensi situm, ad annum 1027, cujus nulla alia mentio.

Vetus beati Stephani monasterium memoratur in charta fundationis S. Stephani Cadomensis, & confirmationis factæ ab Henrico II Angliæ rege. Antiquissima censetur Cadomi parochia, quam a canonicis Bajocensis ecclesiæ acquisivit Matildis regina anno 1082, ut inde abbatiam sanctissimæ Trinitatis dotaret. Anno sequenti orta lis inter moniales SS. Trinitatis & monachos S. Stephani de parochia sancti Veteris Stephani, quæ verbo regis monialibus est attributa.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Sunt illæ numero quindecim, & unus prioratus.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Cerasium, *Cerisy.*
Fontanetum, *Fontenay.*
Troarnum, *Troarn.*
Sanctus Stephanus Cadomensis, *Saint Etienne de Caën.*
Longæ, *Longues.*

Feminarum.

SS. Trinitas Cadomensis, *la Trinité de Caën.*
Cordilio, *Cordillon.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Vallis beatæ Mariæ, *le Val.*
Plessæum-Grimoldi, prioratus, *Plessis-Grimould.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Alnetum, *Aulnay.*
Vallis-Richerii, *Val-Richer.*
Barbereium, *Barbery.*
Torigneium, *Thorigny.*

Feminarum.

Torigneium, *Thorigny.*

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Ardena, *Ardenne.*
Bella-stella, *Belle-étoile.*

CERASIUM. (Cerisy.)

ORdinis S. Benedicti, congregationis sancti Mauri monasterium, situm prope sanctum Laudum, quatuor leucis a Bajocis distat ad occasum. Primus auctor ipse sanctus Vigor, qui a Volusiano viro prædivite immanis serpentis ejus ex terris profligati in gratiam accepit locum, qui Cerisiacus dicebatur, & in circuitu ferme 25 viculos habebat. Ibi nondum episcopus Vigor monasterium a loco Cerasiense condidit, quod a primo conditore sanctus Vigor nuncupatur, cujus in honorem consecrata postea fuit ecclesia. Simile passa est excidium abbatia sancti Vigoris B Normannis Neustriam infestantibus, quod cetera ejusdem provinciæ monasteria pertulerunt. At a Normannis factis christianis restaurata est. Hanc dux Robertus, pater Guillelmi nothi patrum suorum vestigiis insistens, instaurare cœpit anno 1030, abbate constituto eam plurimis donis locupletavit anno 1032, pretiosisque reliquiis, quas a patriarcha Jerosolymitano obtinuerat, at- C tulitque ipsi Turstanus Oximensis comes anno 1034. Instauratam perfecit & propagavit abbatiam Willelmus Roberti filius, postea Angliæ rex, anno 1042. Avi & proavi donationes confirmavit Henricus I Angliæ rex anno 1120. Idipsum præstitere Francorum reges Ludovicus IX anno 1269, Carolus IV 1323, & Carolus VI 1398, necnon & Henricus V Angliæ rex anno 1417. Privilegiis gaudet monasteriorum ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinentium, cui Schirbunense olim Angliæ asceterium in agro Hantoniensi suberat. Denique congregationi sancti Mauri unitum est anno 1715 Cerasiense D monasterium, cujus documenta habes in Monastico Anglicano tom. III, pag. 958 & seqq. seriem vero abbatum ex monumentis hac illac dispersis, nam domestica desunt.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. DURANDUS, ex monacho sancti Audoëni Rotomagensis, primus fuit abbas Cerasiensis, ex Roberto de Monte.

II. Almodus, ex abbate sancti Michaëlis de Monte, Durando successit, & obiit 17 Maji 1033.

III. Warinus, ex monacho sancti Michaëlis E abbas Cerasii, adstitit dedicationi parthenonis Cadomensis anno 1066. Hunc Mabillonius perperam adscripsit abbatibus sancti Vigoris Bajocensis, qui Cerasiensis probatur ex rotulo sanctimonialium sanctissimæ Trinitatis. Ch. col. 6

IV. Hugo I monachus Troarnensis, subscripsit literis Roberti comitis Moritonii pro cœnobio Floriacensi, datis anno 1083.

V. Hugo II monachus ejusdem loci, quintus abbas, ex Roberto de Monte auctore coætaneo, quinquaginta fere annis rexit. Cum Algaro episc.

Constantiensi, Petro Montis-burgi, Theoderico sancti Laudi & Serlone Saviniacensi abbatibus subscripsit chartæ Engelgerii *de Bohun* donantis terram de Haseleia in insula Vectæ ecclesiæ de Quadraria. Transegit anno 1165 cum monachis sancti Geremari de decimis Vulpilliarum, obiitque anno 1167.

VI. Martinus ex monacho Cerasiensi abbas Hugoni successit, Roberto teste. Cum Guillelmo Bajocensis ecclesiæ decano delegatus a summo pontifice VII calendas Augusti 1179, conciliavit Isabellam abbatissam Pratellensem & Johannem presbyterum de Villeio, de decimis disceptantes. Lucio III testimonium perhibuit de jure monachorum sancti Audoëni in electione abbatum sancti Leufredi. Occurrit 1185 in chartis Saviniaci. Circa id tempus subscripsit diplomati Henrici II Anglorum regis pro Longis. Testis fuit in alia ejusdem charta ecclesiam S. Elerii de Insulis unientis cum abbatia Cæsaris-burgi anno 1187. Martini tempore & voluntate Willelmus de Humeto conslabularius regis Angliæ donationem fecit Roberto priori S. Fromundi.

VII. Robertus I adstitit dedicationi ecclesiæ Alneti, & subscripsit donationi huic factæ anno 1190. Occurrit eodem anno in chartis Saviniaci. Testis legitur in charta Roberti *de Villiers,* donantis Cerasio prioratum de Duobus-gemellis.

VIII. Bertrandus 1209.

IX. Johannes I 1218.

X. Thomas I 1222. Hi tres ex schedis domesticis.

XI. Nicolaus occurrit mense Februar. 1233, in charta Bellosannæ.

XII. R. 1239 ex chartis Mortui-maris, sone Radulfus, qui obiit IV idus Septembris, nisi idem sit, ac

XIII. Petrus I 1239, 1240 & 1246.

XIV. Osmundus.

XV. Laurentius I occurrit annis 1260, 1262 & 1273.

XVI. . . . . Abbati Cerasiensi ut regalium copiam faciat, regem rogat capitulum Bajocense anno 1276, sede vacante.

XVII. Guillelmus. Hiccine est quem Nicolaus III a se promotum pro hac vice regi commendat, pontificatus 3? Obiit 1284, sepultusque est in meditullio cœmeterii fratrum conversorum sancti Martini a Campis, cum hoc epitaphio:

Guillelmus morum puteus, speculum monachorum,
Gemmaque nigrorum, jacet hic nutritor honorum.
Ille Cerasii fuit abbas, ac oriundus
Villa Barberii, Burgundus, pacis alumnus.
Nobilitas generis hunc clarum reddidit, æris
Fusor erat miseris unguibus a teneris.
Pectoris egregia splendebat cella sophia,
Munera quippe pia dederat sibi gratia dia.
Anno milleno quarto deciesque viceno
Ac octogeno cælo fit civis amœno,
Matris in octabis sumtæ sine crimine labis.

XVIII. . . . . Monachi de Cerisiaco abbatis eligendi facultatem petunt anno 1284, eodemque vicarius generalis P. episcopi Bajocensis electum abbatem confirmat, eique potestatem dat ut a quolibet archiepiscopo seu episcopo catholico benedictionis munus percipiat, ex chartis thesauri. Numquid hæc ad Benedictum, qui sedebat anno 1291, ex schedis domesticis?

XIX. . . . . Monachi de Cerisiaco abbatis eligendi facultatem petunt an. 1292, ex chartis thesauri. Thomas II autem sedebat 1293, ex schedis domesticis.

XX. Robertus II anno 1294, in schedis domesticis.

XXI. . . . . Monachi de Cerisiaco abbatis eligendi facultatem petunt anno 1297, ex chartis thesauri.

XXII. Johannes II de Bouleya, ex monacho Becci Cerasii Dei & sedis Romanæ gratia abbas, occurrit in chartis authenticis D. *de Gaignieres,* ab anno 1366 ad annum 1380.

XXIII. Estoldus *d'Estouteville,* ex monacho Fiscannensi abbas Cerasii 1385 28 Januarii ibidem, dein Beccensis 1388, & post Fiscannensis.

XXIV. Simon *du Bosc* Rotomagensis, monachus S. Audoëni, in jure canonico licentiatus anno 1386, Cerasio præfectus a Clemente VII 13 Maii 1388, obsequium præstitit episcopo Bajocensi anno 1390, inde transfertur ad abbatiam Gemeticensem 6 Februarii 1391.

XXV. Robertus III, ex monacho Becci abbas Cerasii 1392 31 Maii, & 1393 4 Nov. a vicecomite Gisortii nomine Blancæ reginæ accepisse profitetur 56 libras pro jure cujusdam decimæ in silva *de Lions* prima Decemb. 1393.

XXVI. Johannes III anno 1397 6 Augusti.

XXVII. Thomas III memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1402 12 Januarii, 1416 23 Januarii, & 1427. Jussus a ducissa Aurelianensi, pro duce conjuge eleganter causam dixit anno 1408 adversus Burgundiæ ducem. Custodia temporalium abbatiæ & prioratuum sancti Fromundi ac sancti Martini de Duobus-gemellis monachis attributa est ab Henrico VI Angliæ rege anno VI, & abbati potestas commeandi ad se pro fide juranda anno IX. Consensit Thomas anno 1424 ut Fratres Minores in insula sancti Marculfi cœnobium exstruerent.

XXVIII. Johannes IV Parisiis studebat 1429 4 Junii. Memoratur & 1432 mense Februario apud D. *de Gaignieres.*

XXIX. Natalis *Jean Sabine* 1436 9 Febr. & 1445 ultima Februarii ibidem.

XXX. Richardus *Sabine* obsequium episcopo Bajocensi præstitit 10 Octob. 1446, protestatus immunem se ab auctoritate episcopali, de quo lis in Romana pendebat curia. Scacario adfuit anno 1448. Regi fidem dicit prima Augusti 1450. Moras obtinet ad præstandam regi fidem mense Decembri 1452. Ludovico XI jurat fidem mense Decembri 1461. Occurrit adhuc 1454 & 1462, necnon apud D. *de Gaignieres*

1446 7 Februarii, & 1470 19 Februarii. Claustrum exstruxit, & obiit XII cal. Januarii 1473, sepultus in sacello beatæ Mariæ, in quo sepulturam elegerat.

XXXI. Laurentius II *le Clerc* oriundus e parochia *de Litry* prope Cerasium, doctor in decretis, vota emisit Natali abbate; ipse vero ex abbate de Longis & priore sancti Fromundi fit abbas Cerasii per cessionem Richardi an. 1472, a summo pontifice nominatus. Memoratur in chartis D. *de Gaignieres* 1474 mense Julio. Regi fidem juravit 3 Julii 1484. Capitulum exstrui fecit vitreisque fenestris munivit anno 1491. Ibidem sepultus est, defunctus 27 Januarii 1497, aut 1499.

XXXII. Claudius *de Husson* episcopus Sagiensis & abbas commendatarius Cerasii 1508 22 Februarii, Marino *du Montchel* monacho, vicario generali utebatur.

XXXIII. Jacobus *de Silly* sedis apostolicæ protonotarius & abbas commendatarius 1509 28 Octobris, postea episcopus Sagiensis & abbas sancti Petri supra Divam; moritur 1539.

XXXIV. Georgius *d'Amboise* archiepiscopus Rotomagensis, commendam tenebat 1542. Cerasium venit 19 Augusti 1554.

XXXV. Ludovicus *de Clermont* filius Ludovici *de Clermont-Gallerande* & Renatæ *d'Amboise*, sedis apostolicæ protonotarius & commendatarius Cerasii, defunctus VII calendas Januarii 1555, sepultus est in ecclesia sanctissimæ Trinitatis Pictaviensis, ante altare & reliquias S. Antoninæ martyris, juxta matrem suam Renatam, prope sepulcrum Domini, quod mira prorsus elegantia sculpendum curavit pia matrona.

XXXVI. Antonius *d'Apchon* decretorum doctor, regique ab eleemosynis & consiliis, possessionem iniit 27 Junii 1557. Nominatus episcopus Tarbensis excepit 26 Novemb. 1556 rationes Guillelmi *de Leberon* vicarii generalis redituum episcopatus per annos 1551, 52 & 53. Procuratorem suum constituit die Veneris 20 Februarii 1557 (1558) Godefridum *de Gioran* adversus Claudium *d'Anthin* archidiaconum Tarbensem. Anno 1558 Johannes *d'Apchon* procurator Antonii *d'Apchon* cessit episcopatui in gratiam Gentiani *d'Amboise de Bucy* protonotarii apostolici: cessisse quoque videtur episcopatui Petrocoriensi in gratiam Petri *Fournier* abbatis sancti Mariani Autissiodorensis, quicum permutavit an. 1561. Quadriennio post 1565 fulgur super campanile & navim ecclesiæ cecidit.

XXXVII. Alexander *de la Guesle* 1580.

XXXVIII. Franciscus *de la Guesle* commendatarius 1584, obiit archiepiscopus Turonensis 1614.

XXXIX. Petrus II *Habert* 1620. Vide quæ de eo diximus in prioribus Crispeiensibus t. X, col. 1492.

XL. Ludovicus-Henricus *Habert*.

XLI. Renatus *Habert* senator Parisiensis, 17 Martii 1628.

XLII. Germanus *Habert*, per cessionem su-

A perioris germani anno 1630 fit abbas Cerasii; jam tenebat commendam de Rocha in diœcesi Parisiensi. Vitam Petri *de Berulle* Gallice scripsit. Obiit 1654, ætatis 40, sepultus in medio chori sub tumba ænea.

XLIII. Julius cardinalis *Mazarini* 1654, obiit 9 Martii 1661.

XLIV. Philippus *de Vendosme* major Franciæ prior, obiit Parisiis 24 Januarii 1727, annos natus 71, aliarumque abbatiarum commendatarius.

XLV. Paulus *d'Albert de Luynes* Romæ proclamatus 26 Junii 1727, possessionem per
B procuratorem iniit 9 Septembris. Fit episcopus Bajocensis 1729, & Senonensis archiepiscopus 1753.

FONTANETUM.

RADULFUS *Taisson* filius Radulfi Andegavensis & Alpaidis, adjutus ab Erneiso fratre suo, auctoritate Romani pontificis, nutu Willelmi Normannorum ducis, consensu Hugonis Bajocensis episcopi, & consilio Alberedæ uxoris suæ, cœnobium ordinis sancti Benedicti, in honorem sancti Stephani protomartyris, medio seculo XI fundavit in loco qui Fontanetum dicitur, ad
C Olnam fluvium, duabus a Cadomo dissitum leucis ad occasum, de propriis rebus & facultatibus suis opus incœpit & ad umbilicum perduxit, cujus tempore dedicata est ecclesia idibus Octobris 1055. Radulfi & Alberedæ filius Radulfus alter *Taisson*, Radulfo defuncto donationes a patre factas confirmavit & auxit, abbatem ab eodem Willelmo tunc Anglorum rege impetravit, Odone episcopo annuente. Post obitum vero Radulfi II, cum barones aliquot ob infantiam filii ejus Radulfi donationes a patre & filio factas vellent retrahere, Cadomum jussu Willelmi Anglorum regis, coram Ricardo Abrin-
D carum vicecomite & Willelmo Cadomensi abbate itum est, ubi rei veritate discussa & asserta, chartam de iis conscribi fecit Willelmus rex, quam & suo & optimatum suorum sigillis munivit. Willelmi exemplum variis temporibus secuti Angliæ reges Henricus I, II & V, Radulforum avi, patris & filii, Jordani, Radulfi, Erneisi *Taisson*, dona & fundationem rata habuere, quorum plurimi apud Fontanetum sepeliuntur. Solitis abhinc fatigatum infortuniis ad interitum vergebat asceterium illud, cum quod nequiverat avunculus Petrus-Daniel *Huet*, labore improbo & patientia incredibili id tandem assecutus est
E sororis ejus filius ac successor commendatarius Michael-Gabriel *Piedoux de Charsigné*, ut reformandum illud committeret monachis congregationis sancti Mauri. Debitæ accesserunt auctoritates diœcesani episcopi, regis christianissimi majorisque consilii, annis 1751 & 1752, quo ultimo novi reformatores assensis in unum omnibus loci possessionem adiere 24 Septembris; sed cave, ut quibusdam nominis similitudine deceptis placuit, ne Bajocense Fontanetum cum Sagiensi Fontaneto confundas, ubi vide.

ABBATES.

Abbates.

I. Gaufridus I, ex monacho Liræ primus abbas instituitur a Willelmo Anglorum rege & Normannorum principe, ad preces Radulfi filii fundatoris, & concedente Odone Bajocensi episcopo. Superstes adhuc erat, cum donationes a patre factas filio defuncto & nepote puerulo adversus Gaufridum repetiverunt barones, sed frustra : in placito enim Cadomensi monasterio a Willelmo rege assertæ sunt. Duas hic abbas emit terras memoratas in chartulario.

II. Hugo cognominatus Deodatus, ex monacho Troarni alter fuit Fontaneti abbas. Vide appendicem.

III. Herbertus, ex monacho Cadomi.

IV. Guillelmus I vero erat monachus Fontaneti.

V. Robertus I *de Curlé*, ex monacho Cadomi abbas Fontaneti, memoratur 1156 in chartis Saviniaci. Cum Hugone archiepiscopo, Rotrodo episcopo Ebroicensi & Vincentio abbate Conchensi, adfuit concordiæ initæ inter canonicos Bajocenses & monachos Cadomenses. Legitur anno 1165, XIII calendas Aprilis, in charta domestica, & 1168 in charta Henrici Bajocensis episcopi, pro Valle-Richerii. Obiit anno 1180.

VI. Robertus II, ex priore sancti Petri supra Divam, successit Roberto anno 1180, ex Roberto de Monte. Memoratur anno 1186 in chartis Vallis-Richerii, & in Fiscannensibus III idus Maii, Cœlestini III anno III, quo anno 1193 factus est abbas Fontanellensis.

VII. Gaufridus II, ex priore Cadomensi fit abbas Fontaneti.

VIII. Alexander sedebat annis 1213, 1215 & 1216, tempore Henrici episcopi.

IX. Radulfus reperitur in chartulario annis 1217 mense Septemb. 1228, 1231 & 1234.

X. Robertus III anno 1249 mense Augusto, ibidem.

XI. Andreas. Anno 1276 monachi Fontaneti eligendi facultatem petiere. Electusne Andreas qui occurrit in chartulario an. 1278 mense Januario, & 1283 Sabbato post Ascensionem Domini?

XII. Thomas I præerat anno 1289, Sabbato in festo Annunciationis, qua die a monasterio & a diœcesi aberat. Biennio post Nicolaus IV amplissimam monachis Fontanetensibus bullam concessit. Obiit Thomas XII cal. Augusti.

XIII. Alanus notatur 1319.

XIV. Herbertus II.

XV. Thomas II *le Vavasseur* 1333.

XVI. Johannes I regi fidem dixit 10 April. ante Pascha 1350 (1351).

XVII. Petrus I occurrit annis 1385, 1405 & 1408 8 Maii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XVIII. Johannes II studebat in Universitate Paris. an. 1429. Memoratur adhuc anno 1431.

XIX. Petrus II moras obtinet ad præstandam regi fidem 1434 & 1435.

A XX. Johannes III regi fidem jurat 6 Dec. 1461 & 18 Junii 1484 ; eumdem enim existimo abbatem qui Ludovico XI & Carolo VIII obsequium præstitit.

XXI. Laurentius 1490.

XXII. Johannes IV adfuit benedictioni Johannis *Ouenne* abbatis de Longis anno 1504, in sacello sancti Vigoris.

XXIII. Michael *Toustain* 1525, humatur in ecclesia.

XXIV. . . . . . *le Von* Bajocensis, apud Fontanetum sepultus.

XXV. . . . . . *Conseil* patria Bajocensis, B ibidem in ecclesia tumulatur.

XXVI. Martinus *Ruzé* canonicus & cantor ecclesiæ Parisiensis, commendam Fontanetensem tenebat anno 1549, de quo legitur in ecclesia Parisiensi : *Martino* Ruzé *Blesensi, qui Parisiis postquam in suprema curia senator religiosissimus annos 38 vixisset, & in æde ista & arte & summa muneris assiduitate commendatus 24, & canonicus 35, nuper autem Fontaneti abbas, incredibili apud omnes gratia, auctoritate & magna prudentiæ opinione annum agens 73, mortuus est ad diem 15 Novemb. anno reparationis humanæ 1553. Avunculo observantissimo & omni secum necessitudinis atque, C amicitiæ ratione conjunctissimo Jacobus* Spifame *Nivernorum episcopus, hunc mærens nepos tumulum beato & jam immortali condebat.*

XXVII. Petrus III *Duval* episc. Sagiensis, obiit 1564.

XXVIII. Joachimus *de Griffon* canonicus Sacræ capellæ Paris.

XXIX. Thomas III *Anger.*

XXX. Carolus I *de Bourbon* archiepiscopus Rotomagensis, Fontanetensem commendam tenebat 12 Aprilis 1598.

XXXI. Nicolaus *Duval de Fontenay* senator Parisiensis, commendatariusque Hami, sancti D Vincentii Silvanectensis & Fontaneti, obiit 5 Septembris 1603.

XXXII. Guido *Champion* dominus *de la Chaise* regi a consiliis & eleemosynis, canonicus ecclesiæ Parisiensis, Fontaneti commendam tenebat annis 1610 & 1611, fitque Trecorensis episcopus anno 1620.

XXXIII. Carolus II *Olivier* commendatarius sancti Quintini Bellovacensis & Fontaneti, defunctus est 1642 30 Januarii.

XXXIV. Guillelmus *Boivin de Vauroüy* senator Rotomagensis, & abbas Montismorelli & Fontaneti 1649. Obiit 25 Januarii 1665.

E XXXV. Jacobus-Ludovicus *de Beringhen*, filius alter Henrici *de Beringhen* & Annæ *de Blé d'Uxelles*, abbas erat Fontaneti, antequam die 14 Octobris 1677 uxorem duceret Mariam-Magdalenam-Elisabetham-Faram *d'Aumont*.

XXXVI. Clarus-Gilbertus *d'Ornaison de Chamarandes*, obiit 25 Januar. 1699, ætatis 78.

XXXVII. Petrus-Daniel *Huet* quondam episcopus Abrincensis, abbas de Alneto & de Fontaneto 19 Aprilis 1699, obiit Parisiis 25 Januarii 1721.

XXXVIII. Michael-Gabriel *Piedoux de Charsigné* superioris ex sorore nepos, doctor theologus facultatis Parisiensis, commenda per cessionem avunculi gaudet ab anno 1721.

TROARN.

TROARNUM.

Locus est ad Divam fluvium, tribus a Cadomo distans leucis, ubi Rogerius de Monte-gomerico Oximensis vicecomes, abbatiam instituere disponens anno 1022, duodecim canonicos instituerat, quibus ob morum turpitudinem ejectis, Fiscanno traditum fuit a Richardo II Normanniæ duce Troarnum. His vero temporibus dum monachorum nova per Neustriam surgerent ædificia, Rogerius Rogerii jam dicti filius & ipse Oximensis vicecomes, contribulibus suis invidens quod ipso amplius in amore Dei ferverent, consimile apud Troarnum opus pia æmulatione aggredi curavit an. 1050. Gislebertum itaque Conchensis monasterii primum abbatem cum monachis suis, quos Hugo & Robertus fratres apud Nuceretum collocaverant, accersivit. Hi regularibus instituti disciplinis, in ecclesia sancto Martino sacra districtam religionis normam instituerunt, suisque sequacibus usque ad mortem servandam tradiderunt; quam successores eorum sub eruditis patribus Gerberto, Durando & Arnulfo, usque hodie, inquit Ordericus, laudabiliter tenere fategerunt. Gerbertus autem ille cui Gislebertus Conchensis abbas novi monasterii ordinationem commisit, primus locum haud dubie rexit, forte abbatis titulo necdum donatus. Durandus enim primus abbas fuisse legitur institutus anno 1059, quando illius loci dedicata est ecclesia. Præter instrumentum anni 1022, de quo supra, exstant adhuc ineditæ tres chartæ pro fundatione monasterii, subscriptæ a Guillelmo conquæstore, Mathilde conjuge & sancto Anselmo. Solam editam habes confirmationem bonorum Troarni factam ab Henrico Normanniæ duce in Monast. Anglicano tom. III, pag. 1002. Denique monasterium ad priorem canonicorum statum postliminio rediit mense Martio 1690.

ABBATES.

I. Durandus I Gerardi Fontanellensis abbatis nepos, ejusdem loci a pueritia monachus, Isemberti abbatis Montis S. Catharinæ discipulus & auditor, tam in philosophia & in arte musica, quam in lege divina excelluit. Troarni primus abbas institutus est anno 1059, quo illius loci ecclesia ab Odone episcopo dedicata est die 13 Maii. Ainardi Divensis abbatis funus curavit anno 1073, cujus & epitaphium composuit. Subscripsit fundationi Plessæi-Grimoldi anno 1074. Adfuit dedicationi ecclesiæ S. Martini de Bosco a Fiscanno dependentis, factæ ab Hugone Lexoviensi episcopo. Concilio Rotomagensi adstitit anno 1080. Ejus tempore apud Troarnum sepulta est anno 1082 Mabilia uxor Rogerii de Monte-gomerico, occisa Hugonis de Salgeio militis gladio. Exequiis Guillelmi Angliæ regis apud Cadomum interfuit anno 1087 Durandus, qui & ipse obiit III idus Februarii 1088, inprimis commendatus ob scriptum opusculum de corpore & sanguine Domini, quod Ansfrido Pratellensi abbati nuncupavit. Illud ex MS. codice bibliothecæ Bigotianæ olim celeberrimæ, ad calcem operum beati Lanfranci Rotomagi edidit noster Dacherius. Durandi corpus in capitulo suo reverenter sepelierunt Troarnenses monachi, & in candido lapide qui suppositus est epitaphium hoc addiderunt:

Hac tegitur tumba bonus & venerabilis abba
Durandus, nostri norma monasterii.
Ad Domini laudem præsentem condidit ædem,
Qua sibi propitium credimus esse Deum.
Luce sub undena februi resolutus habena
Carnis, ad Angelicam dirigitur patriam.

II. Arnulfus e priore Sagiensi Durando suffectus anno 1088, Anselmum consuluit de obedientiæ promissione, quam episcopus Bajocensis eum benedicturus ab eo exigebat; quam sine ratione ulla ab eo exigi respondit Anselmus qui obedientiam promisit regularem. Aliam ei scripsit epistolam Anselmus, vacante sede Bajocensi anno 1106, ut illum infirmitatibus & multis angustiis pene attritum, ac de abjicienda præfectura cogitantem, ad patientiam adhortaretur. Tunc temporis enim Troarnenses æque ac Sagienses monachos vexavit Robertus Belismi dominus, vir omnium Dei famulorum insecutor sævissimus, quod ægre ferret hæc duo monasteria a suo patre condita fuisse, multisque bonis locupletata. Electioni Rogerii abbatis Uticensis adfuit Arnulfus anno 1091. Adfuit & dedicationi ecclesiæ sancti Ebrulfi anno 1099. Compositionis inter monachos Fiscannenses & sancti Taurini factæ testis fuit anno 1106. Huic abbati anonymus quidam monachus commentarium a se editum in Ecclesiasten nuncupavit. Post 24 fere annos regiminis obiit anno 1112, ex chronico Gofferni.

III. Andreas, ex monacho Troarnensi abbas, successit anno 1112. Concilio Rotomagensi adfuit an. 1118. Querelas habuit cum Philippo Bajocensi, quas terminarunt Lucius II & Eugenius III. Moritur anno 1147, ex chronico Gofferni.

IV. Richardus I, ex monacho Cluniacensi Troarnensis abbas, bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1148, defunctus 1149.

V. Gislebertus bullas obtinuit ab Hadriano IV anno 1155, & ab Alexandro III datam Signiæ VI idus Martii. Occurrit annis 1159, 1166 & 1170.

VI. Durandus II *de Gunerville* electus est 1178, ex chartis Gemeticensibus, seu 1180, ex Roberto de Monte. Dissidentes Sagienses sancti Martini & Cenomannenses sancti Vincentii monachos, ab Alexandro III delegatus composuit an. 1181. Cum Henrico Bajocensi episcopo, L. Cadomensi & M. Cerasiensi abbatibus testimonium perhibuit

Chart. III. col. 66.

Lucio III, pro abbatia S. Audoëni Rotomagensis. Cum Guillelmo abbate Hambeiæ composuit coram Henrico episcopo Bajocensi & P. abbate Cenomannensi. Occurrit annis 1185 & 1190 in chartis Saviniaci & Alneti. Cum priore sanctæ Barbaræ judex est delegatus in depositione abbatis Conchensis circa annum 1195.

VII. Robertus I bullam confirmationis bonorum obtinuit ab Innocentio III anno 1210 cal. Junii. Cœnobio S. Johannis apud Falesiam nonnulla a se data confirmavit anno 1221.

VIII. Suffredus, aut Saffredus, Waltero abbati Falesiano eadem anno eodem succedens confirmavit. Legitur 1224 mense Octobri, in chartis Fontanellensibus. Scacario Rotomagensi adfuit in diebus Paschatis anno 1231. Memoratur adhuc 1234 in tabulario domestico.

IX. O. eadem confirmavit Falesiano abbati, quæ decessores Suffredus & Robertus, ex Arturo.

X. Durandus III occurrit anno 1250.

XI. Guillelmus I memoratus in chartis Uticensibus anno 1258, permutavit cum priore de Brenthonia Bathoniensis in Anglia diœcesis, præbendam & canoniam in diœcesi Bathoniensi, pro præbenda & canonia in diœcesi Constantiensi. Permutationi quidem intercessit capitulum Constantiense anno 1263: at arbitrio Radulfi Albanensis episcopi, apostolicæ sedis legati, suum anno 1269 sortita est effectum. Insequenti monachi Troarnenses qui excessus quosdam commiserant abbati suo restituti sunt senatus Parisiensis consulto, 3 Septembris 1270.

XII. Philippus erat Rotomagi tempore scacarii anno 1270 fer. 6, ante S. Lucam, sedebat 1294 & 1297, ex tabulario domestico.

XIII. Johannes I annis 1311 & 1314.

XIV. Guillelmus II *aux Epaules*, e nobili inter Normannos prosapia, electus est abbas anno 1320.

XV. Aimericus memoratus anno 1327 in chartario, una cum episcopis Lemovicensi & Encolismensi a Johanne summo pontifice delegatus est Sabbato post Conceptionem 1329, ad examinandam sanctitatem & vitam Ivonis Helorii presbyteri Trecorensis, quod præstitit anno 1330.

XVI. Richardus II *le Gascoin*, 1347.

XVII. Goffridus superioris nepos, ex monacho Fiscannensi eligitur abbas Troarnensis anno 1352, & recepit hominium Roberti *de Montfort* pro feodo *de Foletot*, in festo sanctorum Johannis & Pauli.

XVIII. Nicolaus I Grospini reperitur 1367 23 Maii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, & 1374.

XIX. Guillelmus III fidem regi præstitit 4 Maii 1390 & 1391.

XX. Ludovicus I *de Chantemerle* qui abbatiam Beccensem frustra contra Guillelmum ambiverat, Troarnensem consecutus occurrit in chartis anno 1406. Regi fidem dixit an. 1409. Custodia temporalium abbatiæ commissa priori & monachis annis 6 & 7 Henrici V Anglorum regis, cui forte obedientiam non jurarat Ludovicus. Reperitur adhuc anno 1419, decennioque post juri canonico operam dabat Parisiis magistro Johanne abbate sancti Taurini prima Octobris 1429.

XXI. Durantus IV *Watier* moras obtinet ad fidem regi præstandam annis 1431 & 1432, ex regestis cameræ computorum.

XXII. Robertus II, ex literis Henrici VI Angliæ regis 24 Januarii 1448. Regi fidem dixit 11 Julii 1450 & 12 Octobris 1461. Adstitit scacario 5 Aprilis 1453, 1464 & 24 Septembris 1466. Propter bellum inter Anglos & Francos gravia passum est Troarnum annis 1467 & 1468. Legitur adhuc Robertus 4 Maii 1476.

XXIII. Guillelmus IV *de Silly* filius Johannis domini *de Longray* & Margaritæ *d'Achey*, prior de Deserto, fidem regi præstitit 14 Junii 1484. Scacario adfuit anno 1497. Occurrit adhuc 1491, 1498 & 1501.

XXIV. Ludovicus II *Robin* memoratus ab Arturo anno 1502, regi juravit fidem 14 Febr. 1504. Eodem adfuit benedictioni Johannis *Oüenne* abbatis de Longis. Memoratur 16 Febr. 1522 (1523) in chartis archiepiscopi Rotom.

XXV. Petrus *Clutin* consiliarius in curia Parlamenti Parisiensis, & in camera Inquæstarum præsidens, necnon canonicus ecclesiæ Parisiensis, Troarni commenda cessit in gratiam nepotis, ex Arturo, & obiit 23 Augusti 1532.

XXVI. Nicolaus II *de Longueil*, cedente avunculo abbas circa 1525, porticum abbatiæ exstruxit cum domo prioris. Defunctus sepultus est in ecclesia sancti Stephani Cadomensis.

XXVII. Henricus *Clutin* 1526, simul prior de Gornaio 4 Novemb. 1534, in chartis D. *de Gaignieres*.

XXVIII. Egidius *de la Haye* 1536.

XXIX. Johannes II *Languetot* 1545.

XXX. Christophorus *de Harville* 7 Januarii 1549, hic est 1550.

XXXI. Maturinus *de Harville* abbas regularis Clari-fontis & Troarni, filius Philippi domini *de la Grange du Bois*, & Claudiæ *de Rouville*, utriusque juris professor & regi a consiliis, 1552 & 1561. Obiit 1584, sepultus cum epitaphio apud Clarum-fontem.

XXXII. Antonius *de Brunsay* Maturini ex sorore nepos, prior sancti Martini de Thoiriaco, ultimus abbas regularis anno 1584. Defunctus circa 1618, sepelitur cum epitaphio.

XXXIII. Jacobus *du Bouchet* Honorati baronis *de Sourches* filius, bullis donatus anno 1618, commendam tenuit ad 1677, quo obiit.

XXXIV. Johannes-Ludovicus *du Bouchet* superioris nepos, filius Ludovici-Francisci marchionis *de Sourches*, magni regiæ domus præpositi, & Mariæ Genovefæ *de Chambes*, doctor facultatis Paris. regique ab eleemosynis, nominatur abbas Troarnensis 12 Junii 1677, al. 1690, & episcopus Dolensis 12 Januarii 1715. Obiit in sua diœcesi 30 Junii 1748, annum agens 75.

XXXV. . . . . . . *de Giry de Saint Cyr* Delphinæ ab eleemosynis & comes consistorianus, nominatus est a rege 18 Januarii 1749 abbas Troarnensis.

SAINT ETIENNE de Caen.

SANCTUS STEPHANUS.

Cadomense martyris Stephani cœnobium auctorem habet Guillelmum cognomento nothum, seu conquæstorem, Normannorum ducem, tum regem Anglorum, qui consobrinæ Mathildi Flandrorum comitis filiæ matrimonio conjunctus, ne dilectam uxorem ob proximiorem affinitatis gradum dimittere cogeretur, delicti veniam a Nicolao II pontifice consecutus est hoc pacto, ut ipse virorum, Mathildis vero puellarum cœnobia conderent. Motum ad id Lanfranci Beccensium prioris consilio Nicolaum tradit Willelmus Gemeticensis metu belli vel schismatis, ad quod ferociores adhuc seu principum Normannorum seu Flandrorum animi propensiores videbantur. Rem incunctanter aggressus Cadomum elegit Guillelmus, cujus in suburbio sacram ædem cum adjuncto monasterio erexit martyri Stephano, cujus sacrum caput Constantinopoli delatum cum brachio, ampulla sanguine ipsius plena & lapide quo vulneratus est, excepit. Ea fuit inchoatæ basilicæ ceterarumque ædium dignitas, ut quantumvis opus urgerent artifices, Alexandri II pontificatus anno 5, Christi 1066, necdum absolutæ forent. Ubi supremam illis manum imposuit Willelmus, amplissimis & qui centum ac viginti monachos alere commode possent reditibus atque latifundiis cœnobium dotavit. Quin etiam plures alias subinde cellas, multiplicem supellectilem, martyrum reliquias, libros, coronam, ceteraque eidem adjacentia ornamenta & parando sibi conditorio congessit pecuniam. Pii patris religionem æmulati sunt filii Ricardus & Henricus, quos secuti Rogerius de Monte-gomerico, Robertus comes de Moritonio, Ricardus filius Turstini vicecomes Abrincensis, Rannulfus vicecomes Bajocensis, Robertus Bertrannus, Eudo memor beneficii a beato Stephano in ægritudine collati, Robertus *de Molbray* comes *de Northumberland*, & Rainaldus regis Guillelmi camerarius, qui omnes in dedicatione hujus ecclesiæ sua dona contulerunt anno 1077 & 1082. Inter alia privilegia huic ad preces Guillelmi fundatoris Alexander II jus contulit exemtionis, consentiente Odone episcopo Bajocensi; & ne juri eidem in posterum derogaretur, cessa Odoni episcopo Ella silva, quam hactenus successores ejus & Bajocensis ecclesia possident. Hanc immunitatis prærogativam Alexander III, tum Honorius item III, roborarunt auxeruntque, utrique præiverant Willelmus & Rotrodus Rotomagenses archiepiscopi, & Henricus Bajocensium præsul, qui non solum ecclesias monasterio parentes enumerat, sed etiam villas omnes Cadomensium juris in episcopio suo positas absolvit ab episcopali jure, cœmeterii jus addit & factam Odoni episcopo Bajocensique ecclesiæ cessionem silvæ quam Ellam vocant

Chart. IV. col. 66. Chart. VI. col. 72. *Monastic. Anglic. tom. III. pag. 956 & 957.*

Neustria Pia, pag. 640 & 641. Ibid. pag. 643 & 644.

A contestatur anno 1172, addens se *prædecessores suos videlicet bonæ memoriæ Odonem ceterosque in hoc imitari, qui simili prærogativa prædictum cœnobium munierunt.* Clemens VII, Urbani VI æmulus, anno pontificatus 5, Christi 1383, datis literis hæc scribit: *Percepto quod dicti abbas & conventus in eodem monasterio ac tredecim parochialibus ecclesiis & locis earum, ac capellis eis adjacentibus, legitime haberent & possiderent, ac habuissent & possedissent hactenus, tam ipsi quam eorum prædecessores, continuo, libere, pacifice & quiete, & a tanto tempore, cujus initii memoria non exstabat, jurisdictionem spiritualem & ecclesiasticam, ac correctionem* B *in clericos & personas ecclesiasticas delinquentes ibidem, a qua quidem jurisdictione & eorum officiali, non ad episcopalem, sed Rotomagensem eorum metropoliticam, seu ad apostolicam sedem consuetum erat & fuerat regulariter a dicto tempore hactenus appellari, necnon dictarum ecclesiarum collatio earumque curæ commissio, visitatio & procuratio ad abbatem & conventum pertinebant. Eosdem nos volentes . . . . consideratione præmissorum specialibus privilegiis & honoris impendiis decorare . . . . . Roberto abbati & successoribus suis . . . . . . mitris aureis sive deauratis, lamnas & gemmas habentibus, & aurificiatis, & planis, annuloque, &* C *sandaliis, & aliis pontificalibus insigniis uti perpetuo* permittimus. Id quibusvis in locis etiam in frequenti synodo concessum vult pontifex, impartiendi populis solennem benedictionem addens facultatem, dummodo aliquis antistes, vel legatus sedis apostolicæ præsens non existat.

Verum nil in humanis adeo firmum, ut varias quandoque vices nusquam patiatur. Ejusce rei quam multa præbet exempla Cadomense cœnobium! Exortis ineunte seculo XIII Gallos inter & Anglos bellis, adversa multa tulere Cadomenses, præsertim anno 1205, quo Philippus Augustus urbem expugnavit. Anno 1317 Eduar- D dus II Anglorum rex Cadomum occupavit, quam in annos 33 Angli tenuerunt. Inde ad annum 1350, quo Carolus VII Francorum rex victor devictis Anglis urbem subegit, dici vix potest quot & quantis malis oppressi sint monachi & villarum coloni. Anni 1562 clade nihil acerbius. Quippe Maii die 9, furentes Calvinistæ basilicam invadunt, evertunt aras, organa, sacras icones, obvia quæque ministeria, vitreas speculares, chori stalla, denique omnia rapiunt, vastant, incendunt; Willelmi conditoris mausolæum regia dignum majestate violant, lapideam ejus imaginem ad vivum expressam mutilant. Tum inter- E jectis aliquot diebus loculum aperiunt spe thesauri reperiendi: sed cum ibi nihil præter cineres & ossa toti corporis compagini adhuc aptata cernerent, eadem projecta conculcataque relinquunt; superstes hactenus unum ex illis in sanctuario reconditur. Bonorum jactura rerum cœlestium jacturam secum involvit. Spoliati monachi hac illacque palabundi vitæ sese solutiori dederunt: nihil a senatu Rotomagensi intentatum, ut eos ad strictiorem revocarent normam, sicut edixerat ne quis superstites chori vel absidæ parietes

diruerat, jufferatque ut inftaurandis ædibus redituum pars cederet. Id quominus exfecutioni demandaretur, varia quæ referre longum effet, vetuerunt impedimenta. Res itaque videbatur interitui proxima, morefque ultra modum prolapfi erant, cum Anna-Genovefa *de Bourbon* Longavillæi ducis relicta, filii abbatis pueritiam regens, congregationis fancti Mauri monachos 30 Julii, anno 1663 Cadomum induxit difciplinam regularem excitaturos, qui ingreffi funt die fefto fancti Michaëlis anno eodem. Principis optimæ votis qualiter refponderint illi, teftes vel ipfi clamant lapides, teftis & Cadomenfis civitas univerfa. Hujus afceterii nonnullas habes chartas in Neuftria pia pag. 624 & feqq. & in Monaftico Anglic. tom. III, pag. 956 & feqq.

ABBATES.

I. LANFRANCUS fenatorii generis ex civitate Papia oriundus, in primæva ætate orbatus patre, ad celebrem patriæ fuæ academiam, forte Bononienfem profectus eft. Seculares edoctus literas domum rediit, ac paulo poft Alpes & Franciam transfgreffus, cum multo nobilium fcholarium comitatu Normanniam penetravit principatu Henrici regis & Guillelmi ducis, ubi apud Abrincatas demoratus aliquandiu literas docuit. Tum abdicandarum feculi rerum ftudio animatus, Rotomagum cum tenderet, in latrones incidit, qui rebus omnibus fpoliatum eum abduxerunt de via, & inter condenfa faltus fruteta dimiferunt. Primæ lucis crepufculo viatores illac iter carpentes audit, inclamat, auxilium petit. Hi ad vocis fonum profecti, folutis manibus reducunt ad viam, & vilius ac pauperius totius regionis cœnobium fibi defignari roganti, monafterium quod in proximo quidam homo Dei ædificabat, oftendunt. Mox ille Beccum pergit, ubi perlecta regula, refpondit fe omnia, Deo juvante, libenter fervaturum. Herluinus igitur monafticis eum induit veftibus anno 1042, ficque per tres annos Becci delituit, omnibus præter quam iis quibus loqui neceffe erat prorfus ignotus. Triennio elapfo fcholas ibi aperuit, factaque eft brevi celeberrima omnium Beccenfis academia. At cum regulæ effet tenaciffimus, fratrum invidiam in fe concitavit. Quare fugam meditatus, ab Herluino abbate impeditus eft. Jam prior Beccenfis erat, cum Leonem pontificem e Galliis Romam revertentem, feu a pontifice accitus, feu ab abbate fuo miffus, fecutus eft anno 1050. Circa id tempus literas ad eum dederat Berengarius, ex quibus non deterior de Berengario ipfo quam de Lanfranco vulgata eft opinio, quam brevi in concilio Romæ habito fidei fuæ expofitione omnino abfterfit. Vercellas inde cum pontifice acceffit, ibique ufque ad ipfam fynodum remanfit, in qua fides ecclefiæ quam adftruebat Lanfrancus, ab omnibus eft confirmata. Reverfus ex Italia, cum tribus monachis ab Herluino miffus eft ad veterem fancti Petri ecclefiam, quam Beccenfibus Willelmus de Efcalfoio dederat. Concilio Turonenfi adftitit

A 1055, ubi Berengarium veræ fidei fubfcribere coegit. Uticum anno 1056 cum aliis profectus, Theodoricum abbatem in fua præfectura confirmavit. Tanto autem apud Willelmum ducem in honore erat, ut eum dux confiliorum fuorum participem & confcientiæ fuæ arbitrum conftitueret. Verum non multo poft ejus offenfam incurrit ob hanc maxime, ut creditur, caufam, quod ejus conjugium cum Mathilde Balduini Flandriæ comitis filia, ob confanguinitatem improbaret, huncque e monafterio exturbari patriaque difcedere mandat Guillelmus, cui difcedens obviam factus Lanfrancus, in ampliffimam gratiam ilico receptus eft. Quin imo ab ipfo Guillelmo ad Nicolaum papam miffus circa annum 1059, ut ageret

B pro ipfo conjugio, concilio Romano adverfus Berengarium interfuit. Conjugium autem Nicolaus conceffit ea lege, ut dux & uxor ejus fexus utriufque duo monafteria conftruerent. Paruit dux apoftolicæ difpenfationi, & in burgo, quem antiquitas Cadomum nuncupabat, monafterium virorum in honorem fancti Stephani ædificavit magnifico opere. Huic præficiendum deftinavit Lanfrancum Beccenfium tum priorem, & fcholarum magiftrum. Sed quominus hanc fubiret curam Lanfrancus, obftabant Lanfranci voluntas & Herluini abbatis interceffio, quem Lanfrancus ad monafterium Becci transferendum impulerat,

C cujus ad fabricam ea quæ accipiebat a fcholaribus abbati conferebat. Vicit tamen utriufque animum ducis auctoritas, qui Lanfranco Cadomenfem commifit abbatiam anno 1063, ut volunt aliqui, feu eadem die qua Mainerii abbatis S. Ebrulfi facta eft electio medio anno 1066, ex chronico Uticenfi. Becco egrediens Lanfrancus, Radulfum poftea de Bello in Anglia abbatem fecum eduxit. Statim atque Cadomum advenit, mox eo ad converfionem accedere cœperunt complures viri nobiles & optimi clerici. Ubi Lanfrancum Cadomenfem abbatem intellexit Alexander papa ejus olim difcipulus, literis ei gratulatus eft,

D fimulque locum illum ejus rogatu fub patrocinio & tutela fedis apoftolicæ admifit. Defuncto anno 1067 Maurilio archiepifcopo Rotomagenfi, canonici Lanfrancum fibi præfulem elegerunt, ejufque electioni rex Willelmus ultro affenfus eft: at Lanfrancus fibi ad hunc apicem Johannem Abrincenfem præfulem præferri fategit, Romamque miffus a Willelmo ut hanc difpofitionem Alexandro probaret, non folum licentiam a pontifice, fed etiam pallium pro archiepifcopo reportavit. Sed qui Rotomagenfem archiepifcopatum recufarat, qua precibus, qua juffis victus

E Cantuarienfem fufcepit, IV cal. Septemb. 1070, confecratus archiepifcopus a Willelmo Londonienfi aliifque provincialibus epifcopis. Quid poftea egerit Lanfrancus, Anglorum efto negotium. Qui plura de Lanfranco fcire voluerit, confulat vitam, quam ex codice MS. cum obfervationibus edidit anno 1648 nofter Lucas Dacherius ante ejufdem Lanfranci opera, quorum hic elenchus: Commentarius in epiftolas beati Pauli alius ab edito, Libellus de corpore &

ſanguine Domini adverſus Berengarium, Annotatiunculæ in nonnullas collationes patrum Johannis Caſſiani, Decreta pro ordine S. Benedicti, Epiſtolarum liber, Syncope orationis quam habuit in concilio Anglicano, Libellus de celanda confeſſione. Præcipui ejus diſcipuli in academia Beccenſi fuere Alexander II ſummus pontifex, Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus, Guitmundus Averſanus, Willelmus Rotomagenſis, Hernoſtus & Gundulfus epiſcopi Roffenſes, Fulco Bellovacenſis & Ivo Carnotenſis, teſte Roberto de Monte.

II. Guillelmus I Bona-anima Radbodi poſtea Sagienſis epiſcopi filius & conſobrinus Guillelmi Ebroicenſium præſulis, Lanfranci diſcipulus, primum quidem Rotomagenſis canonicus & archidiaconus ſub Maurilio archiepiſcopo, tum ad ſacrum Chriſti Domini ſepulcrum cum Theodorico Uticenſi abbate profectus, dein poſt reditum cum habitum monaſticum Cadomi induiſſet, miſſus eſt Beccum ut ordinem ſeu diſciplinæ regularis normam illic addiſceret, propterea quod novella illa colonia necdum novitiis inſtituendis par eſſet. Poſtmodum Lanfranci adjutor in Cadomenſi monaſterio informando, eidem ſucceſſit ſecundus abbas, factuſque eſt anno 1079 archiepiſcopus Rotomag. biennio poſtquam dedicata fuerat eccleſia ſancti Stephani, ex chronico Cadomenſi.

III. Giſlebertus Callidus a Willelmo Gemeticenſi dictus, domo Conſtantinienſis, cum numeroſo monachorum, clericorum ac laïcorum comitatu proceſſit obviam feretro Guillelmi conquæſtoris, ejuſque interfuit exſequiis anno 1087. Memoratur in chartis Fiſcanni an. 1088. Teſtis anno 1089 donationis factæ eccleſiæ Bajocenſi a Roberto duce Normanniæ. Gaufridum epiſcopum Conſtantienſem morientem viſitavit anno 1093. Concilio Rotomagenſi interfuit anno 1095. Cum Jarentone abbate Divionenſi permutationem fecit, quam ineunte 1102 confirmavit Paſchalis papa. Giſlebertus autem jam obierat anno 1101, ex chronico Cadomenſi. Duæ exſtant ad eum ſancti Anſelmi epiſtolæ.

ſ Primi tres illi abbates ſicut & ſubſequentes Eudo, Petrus & Willelmus non ſolum plurima a benefactoribus compararunt, ſed & ipſi multa donarunt, emerunt & commutarunt, quæ videſis in charta confirmationis bonorum, data ab Henrico II Angliæ rege apud Arturum in Neuſtria pia, pag. 628.

IV. Rodbertus I Faleſiæ ſubita ægritudine percuſſus, hominem exuit menſe Januario 1107, indictione XV, in conventu procerum, Henrico I rege præſente.

V. Eudo I monachus Cadomenſis, Rodberti vices per plura poſtmodum luſtra ſupplevit, inquit Ordericus Vitalis lib. XI, pag. 831. Concilio Rotomagenſi adfuit menſe Octobri 1118, ex eodem, & alteri conventui, quem Matthæus Albanenſis epiſcopus ibidem habuit anno 1128. Eleemoſynam Moritonienſem quam Cadomenſibus donaverat Vitalis abbas Savigneienſis, ineunte ſeculo XII, eidem reſtituit Eudo, decedente Paſchali II, ſuccedente Gelaſio II anno 1118. Chartam dedit de acquiſitionibus & donationibus, cui ſubſcribunt Henricus rex, Ricardus Bajocenſ. Johannes Lexovienſis, Ricardus Conſtantienſis, Turgiſus Abrincenſis, Robertus Sagienſis epiſcopi, Robertus de Sigillo, Robertus comes Gloceſtriæ, & Walerannus comes *de Mellent*. Obiit Eudo anno 1140.

ſ Hugo *de Coilly* Stephani regis nepos, abbas erat Cadomenſis, cum electus eſt anno 1142 archiepiſcopus Eboracenſis, auctore Simeone Dunelmenſi, cujus electioni Innocentius papa conſentire noluit, niſi priorem honorem abdicaret. Non abdicaſſe certum eſt, alius enim ejus in locum ſubſtitutus mox eſt, ſed an tenuerit incertum, cum nulla ejus fiat mentio nec in chronico Cadomenſi, nec apud auctores coætaneos, nec in ſerie Cadomenſium abbatum.

VI. Alanus abbas Fontanellenſis a ſuis ejectus, a Cadomenſibus admittitur, pro cujus benedictione pecuniam & eccleſiaſtica veſtimenta qui exigebat R. decanus Bajocenſis, ab Imaro legato reprehenſus eſt poſt annum 1142. Obiit 1151, ex chronico.

VII. Petrus I ſeptimus e gremio electus abbas, denaſcitur 1156.

VIII. Guillelmus II teſtis in literis Hugonis vicecomitis Abrincenſis, poſtea Ceſtrenſis pro ſancto Severo Conſtantienſi cum Rotroco archiepiſcopo Rotomagenſi, Richardo Conſtantienſi & Henrico Bajocenſi epiſcopis. Diploma ampliſſimum obtinuit ab Henrico II rege, chartaſque a Rotroco archiepiſcopo Rotomagenſi & ab Henrico Bajocenſi epiſcopo anno 1172. Compoſuit cum Roberto abbate Vallis-Richerii anno 1177. Interiit 1179.

IX. Petrus II ex ſacriſta abbas, adſuit curiæ regis apud Cadomum in Natali Domini. Subſcripſit diplomati Henrici II Anglorum regis pro Longis, circa 1186. Occurrit anno 1190 in chartis Saviniacenſibus & Alneti. Bona monaſterii Richardi regis diplomate roborari ſtuduit & occubuit 1193.

X. Robertus II in Angliam a rege miſſus, Dominica Paſſionis dum pranderet cum archiepiſcopo Cantuarienſi apoplexia correptus, quinta poſt die Londini obiit 1196.

XI. Sanſon plurima acquiſivit anno 1197. Inter abbates ſancti Audoëni & ſancti Petri ſupra Divam arbiter fuit anno 1210. Defunctus eſt VII idus Martii 1214.

XII. Odo II præfuit annis 24. Memoratur anno 1218 in chartis ſancti Michaëlis de Monte, & 1224 in Abrincenſibus. Bullam ab Honorio III obtinuit 1221. Adſtitit ſcacario Gemeticenſi 1220, & Rotomagenſi 1231. Obiit 1237 III calend. Aprilis.

XIII. Adamus memoratus menſe Decembri 1249 in chartis Fontanellenſibus, rexit 16 annis, obiitque 1259, ex chronico.

XIV. Nicolaus I *Bechage* anno 1260 recepit

30 monachos. Præfuit 5 annis & obiit III idus
Junii 1265. Hactenus chronicon S. Stephani,
quod e manuscriptis reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

XV. Guillelmus III sanctum Ludovicum cum
tribus filiis Cadomi excepit anno 1269, mortuus 1288.

XVI. Gaufridus monachus Becci. Hic ille
sane est, quem monachi petita anno 1290 eligendi
licentia elegerunt. In possessionem immissus
est a Petro episcopo Bajocensi 9 Augusti 1292.
Reperitur anno 1296 in chartis Fontanellensibus.
Decimas ecclesiæ *de Cambys* sub annua sex ordei
modiorum & sex sextariorum frumenti pensione
Alnetensibus monachis concessit anno 1298.
Obiit VII nonas Martii 1300.

XVII. Ricardus in tabulis anno 1302 locum
habet, & obiit 1305.

XVIII. Simon *de Trevieres* genere nobilis,
annis 1315 & sequentibus sæpe memoratus in
tabulis, basilicæ chorum & absidem renovavit.
Jubente Benedicto XII priorem & Cadomensis
hospitalis fratres anno 1336 tutari atque protegere
cœpit. Exstinguitur anno 1344 Sabbato
post S. Lucam, & eleganti tumulo cooperitur.

XIX. Robertus III de jurisdictione transegit
cum episcopo Bajocensi 1353. Obiit anno 5
Innocentii VI, 1357.

XX. Thomas *de Rupallay*, al. *de Tibouville*,
interiit 29 Octob. anno 9 Innocentii VI, 1361.

XXI. Guillelmus IV *d'Harcourt* memoratus
5 Maii 1363 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*,
annuente Carolo VI cum Hospitalariis
Cadomensibus de Garsallorum decima paciscitur
anno 1366. Alia cum Ludovico Bajocensi episcopo
dissidia composuit prima Martii 1368.
Animam exhalavit 30 Septembris anni ejusdem.

XXII. Robertus IV *de Chambray* filius Johannis
cambellani Caroli Pulchri, obtinuit jus
insignia deferendi pontificalia a Clemente VII
anno 1383. Episcopo Bajocensi clientelare obsequium
præstitit anno 1390. Defunctus est 7
Septembris 1393. Nobilium gentilitia scuta
Normannorum in variis abbatiæ locis pingi
curavit, quæ nonnulli ad Guillelmi conquæstoris
ætatem stolide detorquent.

XXIII. Johannes I *le Senechal* mortuus est
mense Februario 1401.

XXIV. Nicolaus II *Milon* Bertrandi *Milon*
apud Armoricos nobilissimi filius, 25 Martii
eodem anno 1401 creatus abbas, post biennium
Carolo VI fidem juravit 16 Maii 1403. Reperitur
18 Augusti 1404 in chartis Fontanellensibus,
& 1412 in aliis. Defungitur anno 1414.

XXV. Guillelmus V *Cavé* sacræ theologiæ
professor, anno 1414 electus est abbas. Huic
anno 1418 Martinus IV literas misit adversus
Guillelmum *de Lorme* sancti Stephani de Plessæogrimoldi
priorem, quibus is suorum commodis
melius prospicere jubebatur. Anglorum regi
hominium fecit 15 Febr. 1419, qui temporalia
statim ei restituit. Occurrit in chartis D. *de
Gaignieres* 1420 28 Aprilis, & 1422. Moras
A obtinet ad præstandam regi fidem anno 1428.
Defunctus anno eodem, postquam dignitatem
sequenti consignasset 12 Novembris.

XXVI. Hugo *de Juvigny* Guillelmi nobilissimi
militis filius, magister artium, rogante
Johanne-Michaële Tregoro Cadomensis academiæ
primo rectore, pontificiis indutus vestibus
primæ academicorum supplicationi præsens adstitit
anno 1431. Regi fidem juravit 8 Augusti
1430, 6 Julii 1450, 2 Novembris 1451,
& 16 Septembris 1454. Scacario interfuit anno
1448. Cadomum obsidenti Carolo VII anno
1450 una cum Eustachio protoprætore obses
B adfuit Hugo, dedendæ urbis conditiones firmaturus.
Incertum an regi probata minus fuerit
Hugonis constantia, an superiores abbates in
suspicionem venissent, sed abbatiam contra posita
fuit turris ingens, cui *Chatimoine* inditum nomen.
Supererat adhuc Hugo 4 Novembris 1464.

XXVII. Guillelmus VI *Toustain* æmulum
passus est Petrum *de Vierville*, Philippo barone
de Creully & Maria de Monte-Albano parentibus
editum, electum forte a monachis anno 1467;
sed frustra: nam Guillelmus regi fidem dixit
18 Augusti 1468, & 20 Junii 1474. Memoratur
1470 28 Julii, 1471 21 Junii, & 1483
C 15 Junii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*,
ubi anno 1473 15 Novembr. contulit Thomæ
de la Touche capellam Leprosariæ SS. Trinitatis
de Umbilico Dei, vacantem per cessionem Johannis
Gallant. Legitur adhuc 19 Junii 1484
in charta Fiscannensi. Turrim quæ mediæ basilicæ
præeminet, & chori stalla construi curavit.
Sequenti dignitatem resignasse dicitur.

XXVIII. Carolus I *de Martigni* episcopus
Elnensis, regi a consiliis & legationibus, commendatarius
sancti Stephani, regi fidem juravit
ultima Aprilis 1485. Æmulum quoque passus
est Petrum *de Vierville* monachum Becci, mor-
D tuum nonis Januarii 1485, qui ei resignavit.
Scacario interfuit anno 1497. Reperitur abbas
annis 1501 & 1503. Ex Elnensi factus Castrensis
episcopus, cessit in gratiam Petri ex
fratre nepotis, qui admissus fuit Romæ 5 Octob.
1506. Abbatis ædes aliaque apud Tortamvallem
construxit Carolus, qui & immensam
conflavit campanam, quæ ex ejus nomine Carola
dicebatur, aliasque omnes totius regni, etiam
Rotomagensem Georgii Ambasiani, campanas
metalli pondere vincebat. Defunctus Parisiis VIII
idus Julii 1512, sepultus est in basilica sancti
Stephani Cadomensis, & insigni mausolæo do-
E natus, in quod anno 1562 a Calvinistis sævitum.

XXIX. Petrus III *de Martigni* Caroli nepos,
ex monacho Cadomensi episcopus Castrensis,
tum Bajocensis, cedente patruo abbas S. Stephani,
regi fidem dixit 18 Aprilis 1506. Celebrandis
Normanniæ comitiis generalibus majorem aulam
aptavit anno 1525. Ferrariensis quoque abbas
obiit 13 Septembris 1531, Mariano sacello
tumulatus.

XXX. Franciscus cardinalis *de Tournon*, 1532.

XXXI. Julianus *de Medicis*, 1533.

XXXII. Alexander Farnesius cardinalis Tusculanus episcopus, Pauli III nepos, legatus in Franciam, factus est abbas 1535, Luteciam ingressus est mense Augusto 1538. Inde Beccum profectus, a cardinali *le Veneur* laute ibidem excipitur, atque in Normanniam inferiorem declinaturus, dimittitur ad possessionem ineundam abbatiarum Cadomensis & Saviniacensis. Illius adiit anno 1543, qua potitus est ad annum 1577. Alexandri tempore Calvinistæ abbatiam expilarunt, ejusque & monachorum consensu Patres Capucini apud Cadomum instituti, locum cedentibus monachis anno 1575. Vicario generali usus est Alexander Bartholomæo de Nocsi.

XXXIII. Georgius *Pericard* filius Johannis procuratoris generalis in Parlamento Normanniæ, per cessionem superioris factus abbas, cessit in gratiam sequentis, fitque episcopus Abrincensis 1583, & obiit 13 Julii 1587.

XXXIV. Carolus II *d'O* dominus *de la Ferriere*, filius Johannis baronis *d'O*, clericus Carnotensis, juris utriusque doctor, abbas sancti Juliani Turonensis, cessione Georgii successor instituitur annum ætatis agens 22, bulla Gregorii papæ, data XIII calendas Januarii 1582, pontificatus anno 11. Possessionem adeptus est Dominica 17 Aprilis 1583. Vincentium *al.* Johannem *le Got* juris utriusque doctorem, archidiaconumque & canonicum ecclesiæ Abrincensis, vicarium suum generalem in abbatiis suis constituit 8 Januarii 1596. Utraque ejurata abbatia, naturæ debitum solvit Parisiis 1627.

XXXV. Johannes II *le Got* protonotarius apostolicus, abbas sancti Stephani Cadomensis dicitur a Carolo *d'O*, & confirmatur in comitiis Blesensibus. Archidiaconus Abrincensis, nominatusque abbas sancti Stephani adfuit abjurationi Henrici IV, factæ in basilica sancti Dionysii Dominica 25 Julii 1593, quo nomine subscripsit literis episcoporum ad summum pontificem scribentium nihil reverentiæ ipsi debitæ contrarium actum esse in abjuratione Henrici regis. Datæ sunt literæ VIII idus Augusti 1593. Sed Johanni nihil aut parum profuit Caroli abdicatio, nam Carolus opimos reditus percepit ad annum 1624, & haud modicam pensionem ad vitæ finem.

XXXVI. Antonius *de Bourbon* comes Moreti, filius naturalis Henrici IV ex Jaquelina *de Bueil*, ætatis anno 15 a Ludovico XIII dictus abbas 15 Martii 1622, bullas obtinuit a Gregorio XV VI calendas Maii anni ejusdem. Possessionem adiit per procuratorem Johannem *le Pericard* juniorem clericum, die Jovis 22 Sept. Simul abbas Saviniacensis & sancti Victoris Massiliensis, peremtus est in pugna Castri-Arrii prima Sept. 1632, per cujus obitum,

XXXVII. Alfonsus-Ludovicus *du Plessis* cardinalis *de Richelieu*, defuncto extra curiam Romanam Antonio, bulla donatur ab Urbano papa pridie idus Novembris 1632. Insequenti, die Sabbati 9 Aprilis, possessionem iniit per procuratorem Ludovicum *Marchier* presbyterum,
A juris utriusque doctorem, & sedis apostolicæ protonotarium. Obiit 23 Martii 1653. Vide tom. IV, col. 193.

XXXVIII. Julius cardinalis *Mazarini* possessionem iniit 6 Aprilis 1656, & defunctus est 9 Martii 1661.

XXXIX. Carolus-Parisius *d'Orléans* filius Henrici II ducis *de Longueville* & Annæ-Genovefæ *de Bourbon*, natus 29 Januarii 1649, per tres aut quatuor annos commendam tenuit. Monachos sancti Mauri accivit anno 1663, & cessit 1664.

XL. Carolus-Mauricius *le Tellier* archiepisc.
B Remensis, Cadomensem commendam adeptus mense Aprili 1668, obiit Parisiis 22 Februarii 1710, ætatis 69.

XLI. Josephus-Emmanuel cardinalis *de la Trimoille*, commendis quas jam tenebat Cadomensem addidit, quam obtinuit 12 Julii 1710, & possessionem per procuratorem obtinuit 6 Octobris sequentis. Obiit Romæ 9 Jan. 1720.

XLII. Franciscus cardinalis *de Mailly* archiepiscopus Remensis, Cadomensem abbatiam adeptus est 7 Decembris 1720. Possessionem iniit 21 Januarii 1721, & obiit 13 Septembris anni ejusdem.

C XLIII. Andreas-Hercules *de Fleury* cardinalis, natus 22 Junii 1653 apud Clarum-montem in Leutevensibus, episcopus Forojuliensis cessit ineunte anno 1715, tum regius Ludovici XV præceptor, summus reginæ eleemosynarius, primus etiam regis eleemosynarius mense Decemb. 1732, abbas Tornutii, tum sancti Stephani Cadomensis nominatus mense Octobri 1721, possessionem adeptus est 21 Januarii 1722. Regni administer, provisor domus Sorbonicæ, unus e 40 viris Academiæ Francicæ, honorariusque Academiarum scientiarum & inscriptionum, obiit Issiaci 29 Januarii 1743, annos natus 89,
D 7 menses & 7 dies; de abbatia bene meritus.

XLIV. Nicolaus III *de Saulx-Tavannes* archiepiscopus Rotomagensis, nominatus est a rege 24 Aprilis 1745. Summus reginæ eleemosynarius, ordinis sancti Spiritus commendator, possessionem per procuratorem iniit 13 Augusti 1745; ipse vero commendatariorum primus, & solus ecclesiam suam solenniter ingressus est 3 Octobris sequentis.

LONGÆ.

Lon

HUGO *Wac* vir nobilis, fundavit anno 1168 abbatiam beatæ Mariæ de Longis, ordinis Ch. col.
E sancti Benedicti, ab urbe Bajocensi una tantum distantem leuca ad occasum, cui cessit locum in quo fundata abbatia aliaque plura, quæ recensentur in charta Hugonis, quam habes in appendice. Hugonis parentis filius Balduinus, avi & patris Balduinus alter & Agnes uxor, donationes confirmavere an. 1223. Rogerius *Wac* Hugonis germanus, dedit ecclesiam, laudante Richardo Constantiensi episcopo, cujus erat parochianus. Reliquorum benefactorum nomina & dona videsis in diplomate Henrici II Anglorum regis, C col.
qui

qui & ipse monachis Longensibus largitus est medietatem ecclesiæ sancti Hilarii de Parvavilla, & terram de Pupevilla. Jus patronatus sancti Hilarii eisdem monachis apud Catenam morantibus, concessit Johanna de Carrogiis uxor Radulfi Sansonis militis. Filia primum Hambeiæ abbatia de Longis, ordini Cluniacensi adoptavit se nonnullis abhinc annis.

Abbates.

I. GUILLELMUS I primus abbas recensetur in necrologio xv calendas Januarii.

II. Fulco III nonas Maii, ibidem.

III. Martinus I sedebat anno 1190, ex chartis Saviniaci & Alneti, 1197 ex chartis Alneti, 1198 ex domesticis. Convenit cum Roberto abbate sancti Andreæ in *Goffer* anno 1207. Huic Guillelmus prior sancti Vigoris cessit anno 1207 capellam *de Foumichon*. Controversiam habuit cum abbate sancti Severi pro S. Albino de Vallibus, quæ coram Roberto Bajocensi episcopo terminata est anno 1208. Testis anno 1215 in charta episcopi Sagiensis pro Lira, & 1216 in charta prioratus *de Bohon*. Moritur v calendas Junii.

IV. Petrus I memoratur anno 1245 in codice nigro ecclesiæ Bajocensis. Adfuit capitulo generali ordinis apud Hambeiam 1248. Obiit XVII calendas Januarii.

V. Turstinus XIV cal. Augusti defunctus.

VI. Martinus II electus VII cal. Augusti.

VII. Hamon VI calendas Augusti.

VIII. Thomas I obiit 1306, IV idus Januarii.

IX. Rogerus 29 Julii & 17 Novembris, in necrologio.

X. Ranulfus die 2 Augusti, ibidem.

XI. Johannes I convenit cum religiosis Regalis-loci Compendiensis, super parochia de Linguebra, 28 Aprilis 1337. Memoratur & 1340. Defunctus 1361 XI calend. Julii.

XII. Guillelmus II mortuus 1364, XI calendas Julii.

XIII. Nicolaus decessit 1372, XIV. calend. Septembris.

XIV. Alanus I convenit cum monachis Exaquiensibus 23 Novembris 1387. Scacario interfuit 1399. Reperitur adhuc 1416 & 1419, quo obiit IX calendas Junii. Ejus tempore custodia temporalium monachis attributa fuit ab Henrico V Angliæ rege anno 6, qui 7 ea restituit abbati.

XV. Alanus II *des Roches* defunctus est 1455 idibus Septembris.

XVI. Laurentius *le Clerc* societatem iniit cum monachis Vindocinensibus anno 1458. Fit abbas Cerasiensis 1472, & obit VI calend. Februarii.

XVII. Richardus *Sabine*, ex abbate Cerasii abbas de Longis anno 1472, Cerasium revertitur 1473, ubi obiit, ut diximus.

XVIII. Thomas II *du Jardin* memoratus 1480, cessit in manibus summi pontificis. Superstes ad ann. 1510, quo obiit III idus Sept.

A XIX. Johannes II *Oüenne* nominatus a summo pontifice, facultate data a Renato Bajocensi episcopo benedictus est in capella sancti Vigoris Bajocensis coram Ludovico Troarnensi & Johanne Fontanetensi abbatibus, anno 1504. Hoc & sequenti vicarius generalis erat Jacobi *de Silly* abbatis Cerasiensis, ex chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Regularium postremus obiit 1516, VIII idus Augusti.

XX. Johannes III *d'Alloigny* primus commendam tenuit ad annum 1527, quo obiit.

XXI. Olivarius I a sancta Juliana, 1528.

XXII. Johannes IV *de Marseillac*, 1533; B quo cedente

XXIII. Antonius *de Marseillac* Johannis germanus, decanus Rotomagensis, commenda gaudebat 1558.

XXIV. Joachimus *Thiboust* monachus professus, per cessionem Antonii abbas 1565, rexit ad annum 1570, quo & ipse cessit, defunctus 1596 IV nonas Julii.

XXV. Ludovicus I *Hoüel*, cedente Joachimo abbas 1570, electus est 23 Aprilis 1600 a capitulo ordinis Cluniacensis visitator. Cessit primo Thomæ, quo defuncto, sequenti 1610, & obiit 1616.

C XXVI. Olivarius II *le Cocq* moritur 1629.

XXVII. Johannes V *de Tulles* episcopus Arausicanus & abbas de Longis 1630, defungitur 1640.

XXVIII. Johannes-Vincentius *de Tulles* Johannis nepos, coadjutor & episcopus Arausicanus, tum Vaurensis, abbas Blancæ-landæ & de Longis, obiit Parisiis 4 Decembris 1668.

XXIX. Ludovicus II *d'Anglure de Bourlemont* episcopus successive Tornacensis, Vaurensis, Forojuliensis & Carcassonensis, denique archiepiscopus Burdegalensis 1680, commendam quoque Longensem tenuit.

D XXX. Franciscus *Caillebot de la Salle* episcopus Tornacensis, 1690.

XXXI. Melchior *de Haros de Senenas* marchio *de Saint-Romain*, repentina morte corripitur Parisiis 14 Julii 1694.

XXXII. Petrus II *Huvet*, quo cedente,

XXXIII. Jacobus *Huvet* diaconus Lugdunensis, canonicus & præpositus sancti Justi Lugdunensis, fit commendatarius Longensis 1722 sub pensione. Obiit Parisiis 22 Octobris 1750, sepultus in ecclesia S. Germani Autissiodorensis.

XXXIV. . . . . . . *de Coulons* archidiaconus & canonicus Bajocensis, donatus est a rege E commenda Longensi 3 Decembris 1741.

SANCTISSIMA TRINITAS.

LA SAINTE TRINITE de Caen.

SUperius diximus Willelmo Normanniæ duci & Matildi ejus conjugi pro innuptarum nuptiarum piaculo injunxisse Nicolaum II summum pontificem, ut duo monasteria, virorum unum, alterum puellarum construerent, in quibus pro ipsis ab utroque sexu assiduæ Deo preces offerrentur. In condendo virginum monasterio non minus liberalis fuit Matildis quam Willelmus,

quem in hoc quoque opere adjutorem habuit. Atque ambo insigne illud sanctimonialium Benedictinarum construxerunt monasterium in altero Cadomi suburbio sanctissimæ Trinitati sacrum. Perfectum videtur fuisse istud ante sancti Stephani monasterium, cujus basilicæ dedicatio xv calendas Julii 1066 facta memoratur. Eadem utrique monasterio libertas eademque privilegia concessa, annuente Odone Bajocensi episcopo, ad cujus diœcesim hic locus pertinebat. Hanc ecclesiam Willelmus liberam esse voluit, tam in abbatissa & sanctimonialibus, quam in clericis & ejusdem ecclesiæ cibo sustentatis, ab omni pecuniæ cujuscumque debito, nisi quod divinæ subjaceret correptioni. Præterea Odo episcopus liberam ibidem Cadomensium concessit sepulturam, absque ulla presbyteri eorum exactione. Hoc in parthenone sepeliri voluit Matildis fundatrix, defuncta anno 1083 idibus Aprilis, Cadomum translata III nonas Novembris, ac demum calendis Decembris humata in medio basilicæ, in monumento ex auro & gemmis mirifice constructo, quod anno 1562 everterunt Calvinistæ. Anno quo Matildis defuncta, Willelmus rex mense Julio controversiam composuit inter monachos sancti Stephani & moniales sanctissimæ Trinitatis, de fundo & burgo sancti Stephani, monialibusque portionem burgi sui ad finiendam litem concessit. Duas hujus parthenonis chartas habes in Monastico Anglicano tom. III, pag. 958.

Chart. I. col. 61. — Charta V. col. 68. — Ch. VII. col. 75.

Abbatissæ.

I. Matildis I atavis edita regibus, vix nata sacrata Deo est in monasterio sancti Leodegarii Pratellensis; unde non annis sed meritis exigentibus assumta ad regendum, quod Matildis regina Cadomi construxerat cœnobium, anno prælationis suæ quinquagesimo quarto senex & dierum plena obiit pridie nonas Julias. Id aperte tradit epistola encyclica statim ab ejusdem morte ad varias, tum Franciæ tum Angliæ ecclesias, a Cadomensibus monialibus missa, quod & idem habetur in titulo, ut vocabant, S. Martini Turonensis ad easdem sanctimoniales postea misso, cujus aliorumque ad 254 in unum rotulum longum 17 circiter ulnas assutorum archetypum Matildis ætatem redolens asservatur in abbatia sanctæ Trinitatis. Quæ quidem instrumenti auctoritas adversatur Orderico Vitali & Willelmo Gemeticensi coævis auctoribus scribentibus Matildem defunctam 1112, præfuisse annis duntaxat 47 aut fere 48: at quoties falluntur hi scriptores! Exstat Anselmi epistola 84 ad Matildem, de proposito abdicandæ abbatiæ rescribentis.

II. Cecilia primogenita Guillelmi Angliæ regis & Matildis fundatorum, Deo ab ipsis oblata est ipsa die dedicationis ecclesiæ xv cal. Julii 1066, ut Deo in eodem loco perenniter deserviret. Id quoque testantur literæ Willelmi & Matildis de dedicatione, fundatione & dotatione monasterii, quibus potior videtur habenda fides, quam auctoribus licet coætaneis asserentibus Ceciliam anno 1075 die Paschæ in ecclesia Fiscannensi, per manum Johannis archiepiscopi, Deo a patre oblatam. Qua quidem in re ut in pluribus aliis falsi sunt scriptores illi, qui Ceciliam cum Matilde ejus germana confuderunt, quæ postrema obierat ante Matildem priorem abbatissam. Cecilia vero post Matildem pluribus annis præfuit (fere 14 assignat Ordericus lib. VII) & anno 1127, III idus Julii, de hoc seculo migravit, anno Henrici fratris sui 26: chronicon Cadomense habet 1126.

Charta I. col. 61.

III. Isabella I filia Willelmi consulis filii Stephani Blesensis, regimen ejusdem ecclesiæ post Ceciliam suscepit, ex Orderico; sed immatura morte præventa, parvo tempore tenuit. Moritur 12 Julii.

IV. Aalicia sedit eodem quo Matildis & Cecilia Henrico I rege Angliæ, qui obiit 1135, ex chartulario.

V. Beatrix I *de Hugueville* Ricardi filia, memoratur ab Orderico lib. III, pag. 490.

VI. Dunetta bullam obtinuit ab Eugenio III, datam Albæ per manum Bosonis sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, idibus Novembris, indict. XV, Incarnat. 1152, Eugenii III pontificis anno VIII. Sunt in chartulario chartæ Dunettæ abbatissæ.

VII. Verra fortuito hic ponitur, quæ in antiquo legitur chartulario in bibliotheca regia asservato.

VIII. Dionysia *d'Eschauffou* defuncta 26 Julii, sepelitur in capitulo.

IX. Johanna I *de Coulonges* querelam habuit cum Roberto filio Ricardi de Scrotonia, quæ terminata est in curia regis apud Cadomum 1173 ad Natale. Sedebat adhuc anno 1183, ac proinde si obiit 18 Maii, non anno certe 1181, ut in vulgatis legitur indicibus.

X. Matildis II soror Simonis abbatis Saviniacensis, e prosapia comitum Ebroicensium, ex priorissa de Fonte sancti Martini facta abbatissa, Cadomi defuncta est 9 Decembris 1194, ex schedis Saviniaci.

XI. Isabella II *d'Ivetot*, obiit 7 Junii.

XII. Adela *de Tibouville* ex dynastis *de la Rivierre de Tibouville*, fatis fungitur 28 Decemb.

XIII. Johanna II, cui primo nominis apice designatæ facta donatio mense Septemb. 1217, reperitur mense Julio 1223 in chartulario.

XIV. Juliana I de Sancto-Sereniano erat in Anglia x calendas Novemb. 1256, eodemque anno excessit e vivis 13 Decemb. ex epitaphio in capitulo.

XV. Juliana II memoratur 1262 mense Martio, in chartulario.

XVI. Beatrix II *Chambernon*. Monasterio abbatissæ regimine destituto, Beatrix *de Sarquex* * a monialium parte maxima, ab aliis paucis Nicolaa de Bosvilla electa est. Episcopus autem diœcesanus cum electionem Beatricis improbasset, ejus in locum Luciam *de Crevecoer* unam ex intercedentibus abbatissam dixit. Beatrix vero cum appellasset ad archiepiscopum Rotomagens.

* *f.* Sarcus

Odo electionem, tam Beatricis quam Luciæ, A nullam declaravit, ac Johannam de Castro monialem sancti Salvatoris Ebroicensis abbatissam SS. Trinitatis renuntiavit 13 Aprilis 1266, quæ suæ promotioni assentire noluit. Beatrix itaque & moniales quæ eam elegerant, ad summum pontificem appellarunt. Clemens IV cardinalem sancti Eustachii delegavit, quo referente electiones, tam Luciæ quam Johannæ irritas declaravit, Luciam ab administratione bonorum monasterii quam occupaverat, amovit, & Beatricem confirmavit literis Viterbii v idus Dec. pontificatus 2, Heliæ de Caturco Parisiensi canonico datis, quas habes Anecdot. tom. II, B col. 1813. Beatrix autem abbatissa erat mense Februario 1270, ex chartulario; & Julio 1280, ex chartis S. Vandregisili. Hæccine est Beatrix *Chambernon*, quæ defuncta XIII calend. Octobris 1289, sepelitur in capitulo cum epitaphio?

XVII. Amicia *de Gournay* decessit prima Martii 1293, sepulta in capitulo.

Matildis autem & Adelia, quæ a Sammarthanis & ab Arturo abbatissarum catalogo assutæ sunt, sepultæ quidem sunt in capitulo cum inscriptionibus, in quibus filia regis utraque dicitur; sed absque pedo, absque abbatissæ titulo, absque obitus tempore. Verum quid impedit quominus utraque filia Willelmi regis fuerit, C utraque sepulta in capitulo, cum utraque memoretur in epistola encyclica apud Mabillonium tom. V, pag. 689, Annalium Benedictinorum.

XVIII. Nicolaa I *de Chambly* filia Odardi de Chambliaco, ex moniali Suessionensi abbatissa Cadomensis, solo N. apice memoratur in chartulario mense Januario 1294, & Maio 1297. Canonicis sancti Sepulcri acquirere in burgo monialium ea lege concessit anno 1314 Sabbato post Assumtionem, ut duas quotannis missas celebrarent solenniter, sancti Spiritus pro Nicolaa superstite, & de defunctis pro eadem & ceteris sanctissimæ Trinitatis monialibus mortuis. Obiit D XIII calendas Octobris 1329.

XIX. Nicolaa II *de Toullevast* defuncta 10 Maii 1336, sepelitur in capitulo; post cujus obitum,

XX. Georgia *de Mollay* electa est 24 Maii 1336, qua sedente duæ ecclesiæ turres anno 1360 destructæ sunt a rege Navarræ dum bellum gereret adversus ducem Normanniæ. Memoratur anno 1362, fer. 3 post festum sancti Vincentii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Defuncta 12 Augusti 1376, sepelitur in capitulo.

XXI. Maria I *de Varignieres* post obitum Georgiæ, annos 25 nondum nata, monialium E ad preces sufficitur bulla data Massiliæ v calend. Octobris a Gregorio XI, pontificatus 6, 1376. Eidem pontifici clientelam professa est. Memoratur in chartis D. *de Gaignieres* 1377 24 Maii, 1383 13 Octobris, 1389 10 Novembris, 1399 14 Julii. Interiit 4 Aprilis 1407, sepulta in capitulo cum epitaphio.

XXII. Maria II *de Lorme* defuncta est, inquiunt, 5 Aprilis 1401.

XXIII. Margarita I *de Thieuville*, qua defuncta,

XXIV. Margarita II *de Varignieres* electa a monialibus, in possessionem immittitur prima Junii 1401. Memoratur 25 Augusti anni ejusdem, & 23 Augusti 1412 in chartis D. *de Gaignieres*, & 24 Martii 1404 in domesticis. Obiit 1 Novembris 1417, male prima Januarii 1460, in epitaphio.

XXV. Nicolaa III *de Rupallay* filia Johannis domini *de Rupallay*, quam electam credimus a monialibus convocatis ab Isabella priorissa ad eligendam abbatissam 18 Martii 1418, interiit 11 Aprilis 1426. Hujus tempore Henricus V, Angliæ rex, moniales sanctissimæ Trinitatis in regiam fidem accepit annis 5 & 8, & temporalia restituit anno 6.

XXVI. Maria III *de Survie* memorata ultima Aprilis 1429, in chartis D. *de Gaignieres*, defungitur 21 Junii 1434, & tumulatur in capitulo.

XXVII. Margarita III *de Thieuville de Guihebert* electa 12 Septembris 1434 post obitum Mariæ, moras obtinuit ad fidem regi præstandam annis 1434 & 1435. Reperitur 15 Maii 1439 in chartis D. *de Gaignieres*. Obiit 20 Februarii 1441, sepulta in capitulo.

XXVIII. Blanchetta *d'Auberville* filia Johannis *d'Auberville* & germana Guillelmi baronis *de Verbosc* & *de Chantelou*, ex cujus stirpe prognati Jacobus, Carolus & Odetus barones *de Chantelou*, ballivi Cadomenses, ex thesauraria electa per obitum Margaretæ 17 Martii 1441, possessionem iniit 6 Aprilis. Memoratur 7 Octobris 1445 in chartis D. *de Gaignieres*. Tempus obtinuit ab Henrico VI Angliæ rege, ad recensenda monasterii bona, 13 Junii 1447. Carolo VII Franciæ regi fidem dixit 25 Junii 1450, & Ludovico XI 24 Septemb. 1461. Reperitur adhuc apud D. *de Gaignieres* 12 Maii 1466. Obiit 29 Aprilis 1470, ex ejus epitaphio.

XXIX. Catharina *le Vicomte* filia Johannis, accepti & expensi codici abbatissæ chirographum apposuit 20 Decemb. 1461. Regi fidem juravit 11 Februarii 1468. Reperitur 1469 14 Octob. & 1482 9 Maii apud D. *de Gaignieres*. Obiit 26 Maii 1482, ex charta authentica, male 1492 in epitaphio, quod legitur in capitulo, ubi est sepulta.

XXX. Agnes *de Thieuville* Guillelmi equitis domini *de Guihebert* & Isabellæ *de Breully* filia, eligitur ipsa die obitus Catharinæ 1482, & possessionem iniit 21 Junii. Legitur 1483 17 Oct. 1485 23 Octobris, & 1487 2 Novembris, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Obiit die 15 Aprilis 1491, ex epitaphio.

XXXI. Renata *de Bourbon* abbatissa simul Fontis-ebraldi & Cadomi, bona hujusce parthenonis recensuit 1493. Cessit in gratiam germanæ. Obitum sundavit 4 Octobris 1496. Vide tomum II, col. 1325.

XXXII. Isabella III *de Bourbon* Renatæ germana, ex majore priorissa Fontis-ebraldi abbatissa Cadomensis jam anno 1496, a Ludovico Borbonio episcopo Abrincensi ejus fratre naturali

benedicta est apud Fontem ebraldum 22 Junii 1505. Litem habuit cum canonicis Bajocensibus anno 1507. Occurrit adhuc annis 1520 & 1530. Religiosam disciplinam restauravit, crates ferreas, campanas & aulæa confecit; & postquam laudabiliter præfuisset, devixit 12 Julii 1531, sepulta in choro 26 ejusdem mensis.

XXXIII. Catharina II *d'Albret* Henrici regis Navarræ germana, Johannis regis ex Catharina Fuxensi filia, primo monialis efficitur apud Fontem-ebraldum 3 Augusti 1527: unde ad sanctissimam Trinitatem evocata, pauco rexit tempore, defuncta 1532 mense Novembri.

XXXIV. Margarita III *Valois* nobilis Normanna, ex priorissa ultima a monialibus electa est abbatissa. Ad Almaniscas secessit an. 1539, ubi in fata concessit anno circiter 1543.

XXXV. Ludovica *de Mailly* Ferrici baronis *de Conty* & Ludovicæ *de Montmorenci* filia, abbatissa Lilii, Cadomensis a Francisco I nominata anno 1533, fidei clientelam professa est Clementi VII papæ mense Octobri 1534. Francisci I ad preces a Paulo III obtinuit mense Februario 1544, ut supprimerentur quatuor canonici, Cornetarii dicti, a Guillelmo duce instituti anno 1066, ut monialibus in omnibus consulerent, qui inconsulta abbatissa beneficia sua resignantes moniales diversimode inquietabant; hancque suppressionem confirmari impetravit ab Henrico II anno 1553. Exstruxit refectorium, dormitorium & alia loca regularia, & obiit 9 Augusti 1554, cujus epitaphium Ronsardus versibus Gallicis complexus est pag. 1116 operum suorum.

XXXVI. Anna *de Montmorenci* filia Annæ ducis *de Montmorenci* marescalli, archiœconomi & constabularii Franciæ, ex Magdalena Sabauda, Ludovicæ successit. Hujus in gratiam Henricus II rex renovavit 4 Septembris 1555 literas, quas prius Ludovicæ concesserat anno 1549, monasterium eximens a solvendis 100 libris, quas episcopus Bajocensis monasterio imposuerat pro ejus quota parte decimarum clero imperatarum; idem ei indulsit Henricus III 14 Aprilis 1576. Breviarium ad usum monialium SS. Trinitatis confici curavit. Ejus tempore hæretici an. 1562 campanile destruxerunt. Decessit 29 Julii 1588, 22 diebus post Ludovicam germanam & adjutricem, quæ defuncta fuerat die 7 eorumdem mensis & anni. Utraque sepulta cum epitaphio in ecclesia sub magnifico mausolæo, quod ipsis Magdalena sequens construxit anno 1592.

XXXVII. Jaquelina *du Saussay* Gaspardum *le Vasseur* vicarium generalem confirmat 1588 3 Augusti, quem instituerat anno 1585, prius constitutum ab Anna Monmorenciaca.

XXXVIII. Magdalena *de Montmorenci* Annæ & Ludovicæ superiorum germana, utrique successit ex abbatissa Gerciaci, nominata ab Henrico III. Huic annos natæ 59 propter infirmitates carnium esus a legato apostolico permissus est IX calendas Maii 1597. Exstruxit infirmariam, sacrarium ecclesiæ pretiosis decoravit ornamentis

A & aulæis, magnificumque construxit mausolæum, in quo cum duabus sororibus & Henrico fratre sepulta jacet, defuncta 10 Decembris 1598.

XXXIX. Laurentia *de Budos* filia Jacobi vicecomitis *des Portes* & Catharinæ Claromontanæ *de Montoison*, & germana Antonii-Herculis marchionis *des Portes* Franciæ vicethalassiarchæ, equitis torquati, & Balthazaris episcopi Agathens. ex moniali Calensi Cadomensis ab Henrico IV designata abbatissa 1598 17 Dec. possessionem iniit 9 Februarii 1599. Gaspardum *le Vasseur* vicarium generalem instituit 1603, aliosque officiarios fori ecclesiastici annis sequentibus. Monasterii bona regi recensuit 2 Martii 1606.
B Statuta & ordinationes pro bono regimine condidit anno 1623, quæ Franciscus Barberinus cardinalis legatus a Latere approbavit calendis Julii 1625. Hujus hoc est epitaphium in choro: *Hic tumulo subest, ubi caro præfuit, domina Laurentia* de Budos *hujus monasterii abbatissa, centum viginti monialium mater in Christo sponso, Borbonidum principum Montmorentiumque ducum matertera, consanguinea Matildum, tam fundatricis quam abbatissæ primæ, huic compar prælaturæ annis 48. Usurpatorum exactrix, dirutorum refectrix, inchoatorum perfectrix, perfectorum asservatrix, novatorum*
C *operatrix, non minus pie quam impense. Defuncta anno ætatis 66, Christi 1650, mense Junii 23, laudabilis in Deo juxta sequens anagramma: Laurentia* de Budos, *laudabor in te Deus. Requiescat in pace.*

XL. Maria-Eleonora *de Rohan*, de qua jam fuse diximus tomo VII, col. 592, designata Cadomensis abbatissa 23 Junii 1650, benedicta fuit mense Decembri Parisiis a cardinali Nicolao ex comitibus Guidiis a Balneo Athenarum archiepiscopo & nuncio apostolico, assistentibus abbatissa Fontis-ebraldi & coadjutrice Montis-martyrum, in æde Bernardinarum suburbii S. Germani
D a Pratis. Possessionem iniit 23 eorumdem mensis & anni, annos nondum nata 23. Exemta a jurisdictione episcopali appellavit mense Aprili 1656 a constitutionibus editis ab episcopo Bajocensi. Monasterium ære alieno obstrinxit, retentaque annua 6000 librarum pensione permutavit mense Novembri 1664 pro abbatia Malanoensi, ubi vide tom. VII.

XLI. Margarita-Henrica *Gouffier* filia Henrici marchionis *de Boissy* ex Anna-Maria *Hennequin* domina *du Peray*, monialis Suessionensis. Facta abbatissa Cadomensis per cessionem materteræ abbatissæ Malanoensis, possessionem iniit 31
E Octobris 1664; benedicta fuit 11 Novembris ab archiepiscopo Parisiensi in abbatia S. Victoris. Possessionem ipsa iniit 18 Decemb. anni ejusdem. Literas evocationis obtinuit 12 Februarii 1672. Post novem annos regiminis permutavit anno 1673 cum abbatissa Regalis-loci, unde ad Origniacum transiit, ac tandem annos nata 77 cessit, & secessit Parisios ad Portum-regium, ubi privata obiit 22 Febr. 1702, sepulta in choro.

XLII. Anna-Magdalena *de Cochefilet de Vaucelas* filia Andreæ *de Cochefilet* comitis *de Vaucelas*,

equitis torquati Francique regis ad Hispanum regem oratoris, & Elisabethæ *de l'Aubespine* filiæ cancellarii, novicia Montis-martyrum, vota emisit apud S. Lupum Aurelianensem, tum adjutrix ab abbatissa Regalis-loci assumta huic adstitit per annos viginti, demum abbatissa successit per 12 annos. Tandem cum Margarita-Henrica permutavit anno 1673. Abbatissa facta Cadomensis fidem præstitit regi mense Julio 1682. Hujusce parthenonis debita solvit. Gravis annis cessit in gratiam sequentis anno 1696; & decessit 30 Maii 1698, annos nata 84, sepulta in choro a monachis sancti Stephani, ut vivens enixe postularat, cum hoc epitaphio: *Hic jacet illustrissima domina Anna-Magdalena* de Cochefilet de Vaucelas *Regalis-loci 39 annorum spatio jam pridem abbatissa. Hinc instante Ludovico Magno ad hanc regalem abbatiam sanctissimæ Trinitatis rite translata, quam per 25 annos abbatissa rexit, restauravit, auxit, ubique intus & foris Benedictina. Obiit anno Domini 1698, die 30 Maii, ætatis vero suæ 84. Requiescat in pace.*

XLIII. Gabrielis-Francisca *de Froulay de Tessé* filia Renati & Magdalenæ *de Beaumanoir*, & germana soror Renati Franciæ marescalli, ex priorissa Viriacii, Cadomensis abbatissa a rege designata 22 Aprilis 1696, possessionem iniit 18 Januarii 1698. Temporibus difficillimis novum dormitorium eximii operis construxit, ecclesiam plurimum ornavit, bonisque operibus plena, obiit 14 Aprilis 1720.

XLIV. Francisca *de Froulay de Tessé* Gabrielis superioris neptis, filia Renati Franciæ marescalli, equitis torquati, & Mariæ-Franciscæ *Aubert*, ex abbatissa Viriacii facta a rege Cadomensis, possessionem iniit 17 Septembris 1720. Dejectas a pluribus seculis turres reposuit, ædes auxit, virtutumque amitæ æmulatrix vixit, & obiit 19 Maii 1729, annos nata 47.

XLV. Maria-Anna *de Scaglia de Verrue* Augusto, Mamfredo, Josepho, Ignatio *de Scaglia* comite *de Verrue* Sabaudo, equitum Gallicanorum præfecto generali, & Johanna-Baptista *d'Albert de Luynes* parentibus in Sabaudia nata 3 Maii 1684, monialis, tum abbatissa sanctæ Claræ Viennensis anno 1720, Cadomum translata est mense Junio 1729, ubi SS. Trinitatis iniit possessionem mense Decembri. Post obitum germanæ Parisios traducta ad Liberam abbatiam in Bosco anno 1745, recusavit. Cadomi & ipsa obiit 15 Januarii 1754.

XLVI. . . . . *de Belsunce* monialis Ronceraii, nominata est a rege abbatissa sanctissimæ Trinitatis Cadomensis 17 Febr. 1754.

¶ Has præter memoratur in archivis Francisca *de Bellay* electa a monialibus ad preces Ludovici XI, cujus cubicularius erat Franciscæ parens: verum ubi collocanda sit ignoramus.

S. LAURENTIUS *de Cordeillon*.

Saint Laurent de Cordeillon.

GUILLELMUS *de Soliers* miles, dominus *de Lingevre*, monialibus ordinis S. Benedicti concessit ineunte seculo XIII, ecclesiam sancti Laurentii *de Cordeillon*, & locum ad eam pertinentem, tribus a Bajocis, quatuor a Cadomo distantem leucis, via qua itur ad sanctum Laudum. Donationem confirmavit Robertus Bajocensis episcopus anno 1210, quam adauxit 1217 uxor fundatoris, quæ creditur Matildis *de Soliers* filia Jordani *Taisson* & Lætitiæ. Nonnulla concessit an. 1230 mense Julio Johannes *de Redvers* ad missam de beata Maria quotidie celebrandam. De monialibus bene meritus Philippus III rex, annuum censum eis indixit anno 1273, quem canonicis Sacræ capellæ Parisiensis assignavit anno 1318 Philippus V. Toties temporum injuria & bellorum clade afflictus est parthenon, ut mirum videri non debeat, quod plura, ac præsertim priorum abbatissarum interciderint nomina.

Ch. XXXIII. col. 94.

Ch. XLIII. col. 100.

SERIES ABBATISSARUM.

I. ASSELINA 1300.

II. Michaelina *de Combray*, 13 . .

III. Johanna I *de Tessel*, 1334.

IV. Nicolaa *de Feuguerolles*, 1340.

V. Philippa I *de la Lande*, 1358.

VI. Johanna II *de Tilly*, 1394 & 1400.

VII. Philippa II *Tessart de Tournebut*, 1408, 1418, 1440. Hujus tempore libertates parthenonis ab Henrico V Angliæ rege anno 5 confirmatæ sunt.

VIII. Peretta I *d'Ouville de Beaumont*, 1440.

IX. Margarita *de Loucelles*, 1456 & 1461.

X. Peretta II *de Lithearre*, 1472 & 1480.

XI. Johanna III *de Troismons*, 1486 & 1516.

XII. Radulfa filia Johannis *de Pellevé de Flers* & Franciscæ *Dubois*, rexit ab anno 1518 ad 1538, quo cessit in gratiam sequentis.

XIII. Bonna *de Harcourt* clientelam professa est canonicis Sacræ capellæ Parisiensis XI Novembris 1571.

XIV. Johanna IV *de Savonnieres* germana Maturini episcopi Bajocensis, sedebat an. 1586, obiitque 4 Novembris 1612, annos nata 100.

XV. Catharina *de Savonnieres* ordinem restituit, adjutricem adscivit neptim suam Franciscam *de Savonnieres*, quæ obiit 1640. Catharina vero anno sequenti defuncta est 1641, annos nata 80.

XVI. Maria I *Malon de Bercy* filia Claudii *Malon* præsidis in majori consilio, & Catharinæ *Habert de Montmort*, monialis Montis-martyrum, apud Torigniacum defuncta est mense Augusto 1643, cujus corpus ad sanctum Laurentium revectum est.

XVII. Maria II *le Prevost* Parisina, monialis quoque Montis-martyrum, unde Mariam *Malon* secuta, ejusdem facta adjutrix, defunctæ successit, nec sequenti cedere voluit nisi post mortem, quæ contigit anno 1658.

XVIII. Maria-Catharina *de Matignon* filia Francisci equitis torquati, & Annæ *Malon de Bercy*, nata apud *Lorroy* 6 Septembris 1636, vota emisit in manibus Mariæ *le Prevost*, cui successit. Possessionem adepta est 30 Mart. 1660.

Monialium auxit numerum, ecclesiam & dormitorium de novo construxit, & a matre adjuta, reditus parthenonis libris amplius 2500 ampliavit. Obiit XI Julii 1696, annos nata 60.

XIX. Maria-Francisca-Gabrielis *de Matignon* superioris neptis, filia quippe Henrici *de Matignon* & Mariæ-Franciscæ *le Tellier de la Luthumiere*, nata 7 Novembris 1654, nominatur abbatissa prima Novemb. 1696, & benedicitur 28 Octobris 1700 a Leonorio *de Matignon* episcopo Lexoviensi. Ædes totas exædificavit, & domus claustra explicavit. Cessit in gratiam sequentis 1716, defuncta 1722.

XX. Maria-Anna-Renata-Angelica *de Froulay de Tessé* filia Philippi-Caroli comitis *de Froulay*, & Mariæ-Annæ *de Megaudais*, nascitur 26 April. 1686; monialis sanctissimæ Trinitatis Cadomensis, nominatur abbatissa sancti Laurentii mense Novembri 1716, cujus possessionem iniit 4 Februarii 1717. Morbis conflictata obiit 27 Maii 1751.

XXI. Maria-Susanna *le Berceur* filia marchionis *de Fontenay*, ex moniali sancti Laurentii ejusdem a rege nominata abbatissa 17 Junii 1751, possessionem iniit 6 Septembris anni ejusdem.

VALLIS.

LE VAL.

EXSTAT abbatia canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, congregationis *de Friardel*, beatæ Mariæ sacra, Faleliam inter & pagum Turium, septem a Cadomo distans leucis. Fundatam credit Arturus anno 1155; sed Ricardus II episcopus Bajocensis donum huic abbatiæ confirmat anno 1125, factum a Gosselino *de la Pommeraye*, qui fundator dicitur in chartis Bajocensibus, Petronilla vero, Goscelini forsan uxor, fundatrix in necrologio Silliaci. Duodecim adhuc gaudent beneficiis regulares canonici, alia septem secularibus confert abbas. Quæ ad historiam spectant reliqua, ita deperdita seu neglecta fuere, ut aliquot vix abbatum supersint nomina.

ABBATES.

I. BERNARDUS canonicus sanctæ Genovefæ Parisiensis, diaconus anno 1172, abbas erat de Valle anno 1185 & 1191, de quo necrologium sanctæ Genovefæ ad 5 Decemb. (Ch. XXX. col. 93.)

II. Galterius annis 1192 & 1218.

¶ Defuncto abbate de Valle, canonici, ne alius ab ipsis ejus in locum substitueretur, unum e gremio suo abbatem elegerunt absque licentia prius petita, illudque confessi sunt datis 3 Decembris 1376 literis.

III. Petrus I regi juravit fidem 17 Augusti 1455: an idem Petrus qui sedebat anno 1484?

IV. Johannes 1520 & 12 Februarii 1522 (1523) in chartis archiepiscopi Rotomagensis.

V. Petrus II, 1526.

VI. Julianus, 1531.

VII. Franciscus-Dionysius *le Bouthillier de Rancé* abbas erat Vallis anno 1636 quo obiit; vide Trappam.

VIII. Armandus-Johannes *le Bouthillier de Rancé*, 1636. Transegit cum Francisco *Blanchart* superiore generali congregationis Gallicanæ, de reformanda Valle 31 Julii 1661; sed incassum: cessit itaque in gratiam sequentis, & ad Trappam secessit.

IX. Nicolaus *Druel* nobilis Rotomagensis, per cessionem Johannis-Armandi commendatarius Vallis anno 1662, post 14 annos regulam amplexus anno 1676, Vallem restituit, pietate commendandus.

X. N. . . . . *Clignet de la Chategneraie de Sainte-Foy* nepos avunculo successit.

XI. Dominicus *d'Escarts* vicarius generalis, canonicus & præpositus ecclesiæ Suessionensis, nominatus est a rege abbas anno 1742.

PLESSEIUM-GRIMOLDI.

LE PLESSIS-GRIMOULT.

PRioratus ordinis sancti Augustini congregationis Gallicanæ, Cadomo distat 8 leucis, Viria quinque, Alneto duabus, & tribus a Condeto, Plesseium-Grimoldi dictum a Grimoldo loci domino Bajocensis ecclesiæ cliente, qui pro reatu infidelitatis suæ & crimine insidiarum quibus perjuraverat adversus Guillelmum ducem Normannorum, terra sua ab ipso spoliatus est & apud Rotomagum carceri mancipatus, ubi sepultus est in cœmeterio sancti Gervasii. Quo defuncto, terram Plesseii sic occupatam ecclesiæ Bajocensi donavit Guillelmus anno 1074, Odonis ergo episcopi fratris sui qui de ea septem instituit præbendas, retentis in dominium suum manerio de Plesseio & silva de Monte-pinconis. Processu temporis canonicis regularibus sancti Augustini ecclesiam sancti Stephani de Plesseio largitus est Ricardus II filius Sansonis episcopus Bajocensis, ad preces & de consensu Ricardi Sansonis capellani Guillelmi regis Angliæ, sacerdotis, primi canonici & fundatoris canonicorum, ad quem ecclesia illa pertinebat, cui adjecit Ricardus episcopus decimas, &c. decimam silvæ, antiquam sacerdotis domum & terras quas sacerdos ab episcopo tenebat, quæ omnia confirmavit Henricus II Angliæ rex, qui dedit ecclesiam de Yvrandia. Ricardus idem II Bajocensis episcopus ecclesiam Plesseii dedicavit anno 1131, cui dedit tres burgenses in eadem villa. Successor ejus Ricardus III, ut secretius Deo deservirent regulares, de consensu canonicorum ecclesiæ Bajocensis, largitus eis est campum Osberti haud procul a burgo & castro de Plesseio, ubi nunc sita S. Stephani ecclesia quam huc transtulere. Philippus Ricardi III successor dedit canonicis illis præbendam de sancto Johanne *le Blanc*. Denique Henricus adjecit nemus, teste Alexandro III, qui ad exemplum decessorum suorum Anastasii 1154 & Adriani 1155, de canonicis regularibus de campo Osberti bene meritus est bulla data 1180. Ad congregationem Gallicanam accessit illa domus in melius convertenda studio Annæ *de Matignon* matris Jacobi prioris, 8 Octob. 1664, de consensu prius habito diœcesani episcopi & decreto Rotomagensis senatus.

PRIORUM INDICULUS.

I. RICARDUS *Sanson* sacerdos, primus canonicus & fundator canonicorum regularium merito censendus, cujus ad preces ecclesiam S. Stephani de Plesseio quæ ad ipsum pertinebat, eisdem canonicis largitus est Ricardus II episcopus Bajocensis. Obiit 3 Aprilis anno circiter 1150.

II. Nicolaus I *de Coquin* bullam obtinuit ab Anastasio summo pontifice anno 1154. Memoratur abbas anno 1165 in chartis Saviniaci, & ab Arturo annis 1162, 1169 & 1177. Ejus tempore Henricus episcopus dedit canonicis vadum luteum, quod confirmavit Robertus post eum episcopus.

III. Stephanus.

IV. Radulfus, 1190.

V. Guillelmus I, 1210.

VI. Petrus I *de la Baare*, 1234.

VII. Henricus, 1250.

VIII. Guillelmus II *Causson*, 1266.

IX. Richardus *le Moine*, 1290.

X. Guillelmus III *Pinçon*, 1314.

XI. Guillelmus IV *de Canteil*, 1340.

XII. Johannes I *Maufrac*, 1370.

XIII. Matthæus *de Chaumoncel*, 1398.

XIV. Petrus II *de Missy* anno 1400 circiter 2 Januarii.

XV. Guillelmus V de Ulmo 12 April. 1435.

XVI. Johannes II *Marmint* 22 Maii 1457.

XVII. Bertinus *Marmint* 1480, sepultus in capella a cornu epistolæ.

XVIII. Gabriel *le Veneur* decanus Bajocensis, regi a consiliis, ejusdem ad preces 26 Maii 1480 significatas electus prior, scacario interfuit 1484. Obiit abbas de Caunis 1523.

XIX. Nicolaus II *de Saint-Germain* 1523, ultimus regularis obiit 15 Februarii 1552, ex necrologio.

XX. Guillelmus VI *de Saint-Germain* primus commendatarius 1552, notatur 23 Januarii 1582 in necrologio.

XXI. Franciscus I *de Saint-Gelais*, 1582.

XXII. Ludovicus I *le Cochu* al. *Coulu*, per obitum Francisci nominatur a legato apostolico XIII calend. Maii 1597. Æmulum forte passus est Claudium *al.* Cosmam *du Rozel* bis ab eodem legato renuntiatum, primo quidem VIII idus Augusti 1596, secundo per obitum XII calend. Martii 1598.

XXIII. Johannes III *le Bel*, 1605.

XXIV. Franciscus II *de Montmorenci*, 1612.

XXV. Ludovicus II *de Montmorenci*, 1618.

XXVI. Stephanus *le Berger*, 1624.

XXVII. Georgius *du Fay* senator in Parlamento Rotomagensi, cujus tempore regularibus Plesseii canonicis indulsit Jacobus Bajocensis episcopus anno 1637 26 Septembris, ut libris ecclesiasticis ad usum Romanum pertinentibus uti possent. Supererat adhuc Georgius anno 1644.

XXVIII. Jacobus *Goyon de Matignon* Francisco equite torquato & Anna *Malon de Bercy* parentibus natus 27 Martii 1643, factus est prior sancti Stephani de Plesseio 1652; inde episcopus Condomiensis, abbas Fusniacensis, tum sancti Victoris Massiliensis, obiit Parisiis 15 Martii 1727, & sepultus est in ecclesia sancti Sulpicii. Canonicos regulares congregationis Gallicanæ accivit anno 1664, ut diximus supra.

XXIX. Eleonorius *Goyon de Matignon* filius Caroli-Augusti & Mariæ-Elisabethæ *Berthelot* patruo successit, fuitque episcopus Constantiensis, ubi vide.

ALNETUM. AUNAY.

SEptem a Bajocis totidemque fere a Cadomo distat leucis, via qua Viram itur, Alnetum, una e Saviniacensibus abbatiis quæ Cisterciensi ordini adjunctæ sunt anno 1147. Alneti fundationis tempus, quam ad 1131 15 Julii referunt Cistercienses, colligitur potius quam scitur ex diplomate Henrici I Angliæ regis ejus possessiones confirmantis. Fundatores audiunt Jordanus de Saio prope Argentomum & Lucia uxor, qui dederunt locum in quo constructa primum est abbatia, & dotaverunt. Horum dona confirmavit Ricardus *du Humet* conestabilis regis Angliæ, & plurimum auxit: quin & abbatiam transtulit, sedemque ubi posita nova fuit abbatia super Odonem fluvium donavit, mille passibus a veteri dissitam. Gilbertus Jordani filius largitus est anno 1151 terram de Venneis. Ricardi vero primogenitus Guillelmus dedit monachis terram de Lengronia III calendas Maii 1190, ipsa die qua dedicata est ecclesia in honorem B. Mariæ, ab episcopis Bajocensi & Constantiensi. De Alneto quoque bene meriti sunt Jordani & Richardi posteri, domini de Simillei & de Alneto, cujus baronia ad Tessæos transiit anno 1674, qui ea nunc potiuntur. Cistercienses etiam de Alneto monachos merendo memores sui fecere summi pontifices, Franciæ quoque & Angliæ reges, necnon & episcopi Bajocenses. Meliorem in ordinem redacta est hæc abbatia, quæ Torigneium mater peperit.

Ch. XXIV. col. 88. Ch. XXVI. col. 90. Ch. XXV. col. 90. Ch. XLIV. col. 100.

Præter hic memoratas chartas, tres alias habes in Monast. Anglicano t. III, pag. 1006 & seqq.

ABBATUM ORDO.

I. VIVIANUS bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1152 nonis Novemb. Inscribitur donationi factæ ecclesiæ S. Mariæ de Cenilleio.

II. Christianus abbatiam regebat annis 1164, ex chartis Saviniaci, 1170 & 1176. Subscripsit chartæ Ricardi *de Humet* pro monachis *de Bohun*.

III. Johannes I abbas tertius, quo sedente in honorem beatæ Mariæ dedicata est ecclesia III calendas Maii 1190. Sedebat adhuc annis 1200 & 1201.

IV. Henricus præerat annis 1209 & 1210. Capitulo Bajocensi dedit anno 1211 jus patronatus, decimas & terras ad suum monasterium pertinentes in parochia *de Longvilliers*.

V. Adam, cui Stephanus abbas Saviniaci nonnulla dedit anno 1231, mense Martio.

VI. Guillelmus I 1238, in charta Hugonis episcopi Constantiensis.

VII. Johannes II, cujus ad præsentationem Hugo Lincolniensis episcopus admisit vicarium perpetuum ecclesiæ de Limberga anno 1238.

VIII. Hugo.

IX. Renaudus, 1261 & 1263.

X. Illius nomen ignoratur.

XI. Nicolaus I, 1286, 1288 & 1292.

XII. Illius quoque siletur nomen.

XIII. Johannes III præerat anno 1302. Querelam habuit cum Guillelmo de Semilleio toparcha Alneti pro patibulo, anno 1308, & transegit anno 1323.

XIV. Johannes IV memoratur 1332.

XV. Godefridus anno 1341. Transegit cum canonicis sancti Laudi de ecclesia S. Ebremundi de Semilleio & capella S. Petri de castro.

XVI. Thomas de Manerio, ex procuratore domus abbas XVI, sedebat 1343. Quinque capellas circa chorum ædificavit anno 1349, quarum ante unam beatæ Mariæ sacram sepultus est, memoratus adhuc 1351.

XVII. Johannes V reperitur in chartis annis 1352, 1354, 1372. Protectionis literas obtinuit ab Eduardo III Angliæ rege, anno regni 32.

XVIII. Johannes VI *Gouze* legitur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, ab anno 1373 19 Novembris, ad 1415 14 Octobris. Clementi VII fidei sacramentum præstitit in manibus Hugonis cardinalis anno 1386.

XIX. Nicolaus II *des Mons* doctor theologus, abbas XIX, interfuit solenni supplicationi factæ Cadomi 1439 in gratiarum actionem fundatæ universitatis, cui monasterium Alnetense addixit. Cessit quatuor annis ante mortem, quæ contigit XI calendas Januarii 1445. Sepultus est ad latus sinistrum Thomæ de Manerio in cornu evangelii.

XX. Gaufridus *Denis*, ex procuratore domus abbas prima Novembris 1443, & 1446 22 Octobris in chartis D. *de Gaignieres*. Regi fidem dixit apud Vindocinum 26 Septemb. 1458, & 16 Julii 1484. Cessit quoque annos natus 80, & decessit 7 Junii 1490, tumulatus ante altare sancti Benedicti ad latus dextrum sub crucifixo, in introitu ecclesiæ.

XXI. Bardinus *Billet*, ex procuratore abbas electus, interfuit an. 1493 Parisiensibus ordinis comitiis. Defunctus 1499, sepultus est juxta decessorem coram altari sancti Benedicti.

XXII. Michael *Quesnot*, ex procuratore abbas successit anno 1500. Præfuit electioni Johannis abbatis Torigniaci anno 1514. Chori cathedras perfecit anno 1515, ecclesiamque & domum ditavit & auxit. Humatus est prope decessorem, ante altare sancti Benedicti.

XXIII. Egidius *Godin* juris utriusque doctor, notatur anno 1523 die 16 Februarii, cujus tempore reliquiæ, vasa sacra & ornamenta expilata fuere. Fato excessit mense Junio 1533.

XXIV. Olivarius *de Saint-Julien* Lemovicensis, primus commendam obtinuit, quam A tenebat annis 1534 & 1541, etiam commendatarius Longensis, &c.

XXV. Franciscus *de Saint-Julien* notarius apostolicus 1543; cujus tempore aliud furtum iteratum. Migravit ad Dominum anno 1562. Post ejus obitum, Calvinistis debacchantibus, monachi omnes fugam arripuere, præter unum podagra laborantem, quem hæretici necarunt anno 1563.

XXVI. Petrus I *le Prevôt*, qui rexit annis 1569 & 1594, dispersos adunavit monachos, bonaque requisivit abalienata.

XXVII. Johannes VII *Bertault* regi a secretis B & reginæ ab eleemosynis, abbas 1594, Sagiensis episcopus 1607, moritur 1611.

XXVIII. Petrus II *Bertault* Johannis germanus, commenda sub œconomi titulo potitus est annis tribus, quibus elapsis, uxorem duxit anno 1614.

XXIX. Ludovicus *de Bretel* archiepiscopus Aquensis, necnon commendatarius de Alneto 1614, & sancti Victoris de Caleto, obiit 26 Martii 1644. Ædes abbatis restituit. Vide tom. I, col. 338.

XXX. Johannes-Petrus *Camus* commendam obtinet 1630, prius episcopus Bellicensis, de- C functus 26 Aprilis 1652. Strictiorem observantiam amplexati sunt monachi 6 Novembris 1635.

XXXI. Carolus *du Four* superioris nepos, regi a consiliis & eleemosynis, protonotarius apostolicus, canonicus & thesaurarius ecclesiæ Rotomagensis, avunculo successit, defunctusque est 1679 17 Junii.

XXXII. Petrus-Daniel *Huet* secundarius præceptor Delfini, quondam episcopus Abrincensis, abbas Alneti prima Julii 1679, abbas quoque Fontaneti & decanus Academiæ Francicæ, obiit 25 Januarii anno 1721, ætatis 91.

D XXXIII. Renatus-Franciscus *de Froulay de Tessé* eques Melitensis, præceptor *de Schlip*, regius provinciæ Andegavensis præfectus, Flexiæ gubernator, factus abbas a rege 30 Aprilis 1721, Romæ admittitur 24 Septembris. Obiit apud castellum de Lavardino 28 Februarii 1734, annos natus 48.

XXXIV. Andreas-Franciscus *de Brancas* natus 12 Junii 1702, parentibus Henrico *de Brancas* barone *de Villeneuve*, & Ludovica *Porcelet d'Ubaye*, doctor theologus facultatis Parisiensis, regi ab eleemosynis, & Sacræ capellæ Parisiensis canonicus, Alneti commendam obti- E nuit anno 1734, 24 Septembris.

VALLIS-RICHERII.

V Ric

ROBERTUS Herneisi filius, S. Bernardo abbati Clarevallensi & ecclesiæ beatæ Mariæ de Soleuvria habitationem Fago pendenti vicinam circa 1146 tradiderat ad ædificandum ordinis Cisterciensis cœnobium in loco Solopera seu Soleuvria dicto, qui locus haud procul ab oppido Virio, vulgo *les Vaux de Souleuvre*, situs, episcopi Bajocensis erat. Algarus quoque Constantiensis episcopus

Ch col. 8

episcopus donationem a Willelmo Silvano in manu Nivardi fratris S. Bernardi factam confirmaverat; unde, sed perperam, inferunt Nivardum primum Soleuvriæ fuisse abbatem. Verum cum locus ille ob exiguitatem & incommoda abbatiæ minus aptus videretur, Philippus Bajocensis episcopus Vallem-Richerii duabus Lexovio distantem leucis in tractu Cameræ Osmeri, quæ de feodo quoque ecclesiæ Bajocensis & parochia erat, Thomæ abbati concessit, sicut abbas de Mortuo-mari antea ab ipso acceperat, & pro laboribus & impensis prioris monasterii decem modios annonæ & 60 libras Andegavensis monetæ ei tribuit. Thomas vero Philippo contradidit Solobriæ locum,* in quo prius abbatia ejus erat, ut in dominium Bajocensis episcopi sicut antea fuerat rediret. Commutationem ratam habuit anno 1150 Hugo Rotomagensis archiepiscopus: Vallem tamen Richerii non subiere monachi ante annum 1167, VIII calend. Julii, quibus Petrus *de Pratel* concessit anno 1203 insulam *d'Escrehou*, ad ædificandam basilicam, quinque a Constantiensi pago, tribusque ab insula Jersæi distitam leucis. Hæc insula Anglorum nunc est sicut & illa. Rogerius de Argentiis fundavit mense Maio 1248 quinque monachos apud Vallem-Richerii, cujus historiam scripsit N. *Routhier* loci monachus, unde sequentes desumpsimus abbates.

SERIES ABBATUM.

OMISSO Nivardo fratre sancti Bernardi abbatis, qui in sola Algari Constantiensis episcopi charta occurrit, absque abbatis titulo, primus appellandus a nobis,

I. Thomas I Claræ-Vallis monachus & discipulus sancti Bernardi, commutationem de qua supra, fecit cum Philippo Bajocensi episcopo an. 1150. Beneficum expertus est Gisslebertum *de Bruelcourt*, qui inter alia, dedit ei terram suam apud Favarcas. Omnia confirmavit Arnulfus Lexoviensis episcopus anno 1155.

II. Rogerus notatur in necrologio ad diem 27 Aprilis. Sepultus est in capitulo, cum titulo abbatis secundi, quo sedente Henricus II Angliæ rex, abbatiæ bona confirmavit, & exemit ab omni teloneo & seculari servitio. Diplomati subscripserunt, Philippus Bajocensis, Arnulfus Lexoviensis episcopi & Thomas cancellarius apud Rotomagum.

III. Robertus I bullam obtinuit ab Alexandro III nonis Junii 1164, & chartas ab Henrico Bajocensi episcopo, annis 1165 & 1168. Vineas apud *Airan* acquisivit anno 1170. Cum Guillelmo Cadomensi abbate de decimis de Bosvilla transegit 1177. Roberto concessit Arnulfus Lexoviensis episcopus libertatem in civitate & mercato Lexoviensi anno 1179. Subscripsit chartæ Roberti comitis Mellenti pro Barberio anno 1181. Cum eo, anno 1186, Alvaredus abbas sancti Petri supra Divam permutavit ecclesiam sancti Audoëni Pagani pro ecclesia *de Quatre-Puits*, & vavassoria. Cum Roberto abbate sancti Andreæ & Girardo Saviniaci Robertus adstitit dedicationi ecclesiæ Alnetensis anno 1190. Ch. xxv. col. 90.

IV. Ernaldus ex priore abbas electus est. Bullam obtinuit a Cœlestino III anno 1196 contra vexationes Hugonis militis de Grandi-Ductu, aliamque 1197, qua idem Pontifex monachos sub sua protectione suscipit, & eorum bona confirmat. Persolvit anno 1198 decano & capitulo Lexoviensi 200 marcas argenti, quas Willelmus Lexoviensis episcopus debebat Jordano cardinali sanctæ Pudentianæ. Eodem anno Innocentius III Simonis abbatis Conchensis causam ei & episcopo Lexoviensi commisit examinandam.

V. Alexander, cui anno 1203 Petrus de Pratellis, Anglus, dedit integram insulam *d'Escrehou*, & molendinum sancti Michaelis in insula Jersæi, arbiter delectus fuit anno 1208 a summo Pontifice inter Thesaurarium & Richardum decanum ecclesiæ Bajocensis.

VI. Petrus I arbiter anno 1215 inter Vitalem abbatem de Valacia & Guillelmum *Aquilon* militem, basilicam recens extructam consecrari curavit 21 Aprilis 1220 ab episcopo Bajocensi Roberto in honorem Præsentationis beatæ Mariæ. Eodem fere tempore consecrata ad januam monasterii capella S. Joannis-Baptistæ & sancti Jacobi, pro mulieribus quibus ingressu majoris ecclesiæ interdicebatur. Supererat adhuc Petrus anno 1233.

VII. Gisslebertus acquisivit anno 1240 nonnulla apud Englesquevillam & Bonam-Villam super Thoucam ab abbate beatæ Mariæ de Voto. Memoratur adhuc anno 1246. Rogerius de Argentiis fundavit quinque monachos mense Maio 1248, Gissleberto abbate, qui jacet in capitulo, ubi dicitur abbas septimus.

VIII. Laurentius I admissus est anno 1250.

IX. Robertus II jam sedebat anno 1254. Sanctus Ludovicus Franciæ rex anno 1259, mense Februario bona Vallis-Richerii confirmavit, dato diplomate in parthenone beatæ Mariæ de Malodumo. Robertus præsentavit anno 1278 ad ecclesiam sancti Egidii de Liveto.

X. Johannes I *de Woles* abbas 1301. Defunctus est 1324 die Martis ante Natale Domini, & tumulatus in capitulo.

XI. Gabriel, ex procuratore Barberii abbas Vallis-Richerii, duos monachos misit anno 1337 die Jovis ante Dominicam Palmarum, ad conservandam & regendam capellam beatæ Mariæ *d'Escrehou*. Obiit 1345.

XII. Laurentius II *de Heris*. Post mortem Gabrielis, abbates sancti Andreæ *de Gofer*, de Alneto & de Barberio ab abbate Clarevallensi deputati sunt anno 1349, ut ipsius nomine novæ præessent electioni. Electus tamen non est Laurentius, ex priore abbas, ante annum 1351 mense Octobri, iisdem præsidentibus. Occurrit adhuc 1353.

XIII. Robertus III, literis datis 23 Augusti

* Cessit postea canonicis regularibus Plessæi-Grimoldi, & in capellam desiit.

1366 testatus est Girardum *de Tournebu* militem A
dominum *d'Auvillers* & Johannam *de Brucourt* uxorem confirmasse terram *de Rumesnil*, quam anno superiore dederat monachis Robertus *de Brucourt* episcopus Ebroicensis.

XIV. Johannes II occurrit anno 1384 penultima Junii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XV. Vincentius *de Souloigne* al. *de Foulogne* electus a monachis, æmulum passus est Rollandum *Androuet* designatum a summo Pontifice, quicum litigabat in scacario Paschatis an. 1386. Occurrit adhuc Vincentius anno 1387.

XVI. Radulfus memoratus 3 Octob. 1394 B
& 2 Martii 1416, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, bonorum monasterii recensionem Carolo VI regi professus est anno 1395. Monasterii officiales instituit anno 1410. Legitur in chartis ordinis anno 1412, superstes 1417.

XVII. Johannes III *Frougier*, cujus forte tempore ab Henrico V Angliæ rege restituta monasterii bona anno regni 7, 1419, reperitur 1425 17 Martii & 1440 6 Januarii in chartis D. *de Gaignieres*, & 1442 in domesticis.

XVIII. Guillelmus *de Normandie* cellerarius de Barberio, a monachis Vallis-Richerii electus est abbas 28 Maii 1444. Regi fidem juravit C
post reductum Lexovium 29 Aprilis 1452, & 11 Maii 1454. Bonorum monasterii recensionem regi Carolo VII obtulit 1455, quo anno reperitur 12 Januarii apud D. *de Gaignieres*.

XIX. Philippus *Mignot* oriundus e parochia beatæ Mariæ de Altaribus sub *Corbon*, diœcesis Lexoviensis, abbas Vallis-Richerii, regi fidem juravit Carolo VII 11 Junii 1458, quo anno memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, die 3 Octobris, sicut 13 Aprilis 1466 & 1481. Monachum misit Cadomum 1461 laurea doctoris in Universitate insigniendum. Ludo- D
vico XI novo regi obsequium debitum præstitit 19 Januarii 1462. Præsentavit ad ecclesiam *de Grandouet* 1472. Septuagenario major cessit in gratiam sequentis 15 Junii 1482; & quadriennio elapso defunctus, sepultus est in ecclesia cum hoc epitaphio : *Anno Domini 1486, pridie calendas Aprilis, obiit bonæ memoriæ frater Philippus* Mignot *oriundus e parochia beatæ Mariæ de Altaribus subtus* Corbon *abbas XIX hujus monasterii, qui 23 annis & tribus mensibus laudabiliter rexit hanc domum.*

XX. Johannes IV *Richier* baccalaureus Facultatis Parisiensis, Philippo cedente factus abbas, E
regi fidem juravit 14 Novemb. 1482. Occurrit 1484 30 Junii in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, & 1484 23 Junii, & 1499 15 Februarii in regestis cameræ Computorum Parisiensium. Rexit ad annum 1515 aut 1516.

XXI. Thomas II *Aubert*. Post obitum Johannis, Johannes *de Mannoury*, dominus *de Chaumont*, presbyter nobilis, canonicus Lexoviensis & Bajoc. commendam obtinuit : at repulsus a monachis, post diversas lites amicabili compositione fractus recessit. Ut electum Thomam exagitaret, nova tentavit Johannes, sed frustra : Franciscus enim I regio diplomate Thomam abbatem confirmavit 17 Julii 1517, qui memoratur 1518 in chartis D. *de Gaignieres*. Sequentem adscivit successorem circa annum 1529 aut 1530.

XXII. Michael *Godefroy* canonicus regularis domus Dei de Novo Castro, Ordinis sancti Augustini, diœcesis Rotomagensis, ex rectore ecclesiæ de Altavilla supra mare, diœcesis Constantiensis, anno 1520 factus monachus Cisterciensis, Thoma cedente, fit abbas & confirmatur, quo nomine occurrit 20 Augusti 1530 in chartis D. *de Gaignieres*, & 3 Septemb. 1532 in regestis cameræ Computorum. Vix pedum capessivit, cum infensum quoque expertus est Johannem *de Mannoury*, qui jam tertio movere incepit. Huic totis viribus infractoque restitit animo Michael, quem defunctum ferunt anno 1539.

XXIII. Nicolaus I *le Roux* consiliarius in Parlamento Rotomagensi, dominus *d'Escrouilles*, prior Montis Leprosorum, diœcesis Rotomagensis, ac rector sanctæ Matris ecclesiæ in Constantiensi, Vallis-Richerii commendam obtinuit annum circiter 1540, quam tenuit ad annum 1548, quo permutavit pro commenda Albæ-Marlæ.

XXIV. Johannes-Baptista I *Jouvenel des Ursins* germanus Johannis ex decano Parisiensi episcopi Trecorensis, doctor in utroque jure, prior erat sancti Remigii & commendatarius de Albamarla, cum permutatione facta, Vallem-Richerii obtinuit calendis Augusti 1548. Biennio post Rotomagensis senatus consultum obtinuit, quo ei & monachis asseritur possessio juridice visitandi ecclesias sancti Audoëni & de Grandi-ductu. Memoratur 11 Junii 1558 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Obiit 1560.

5 Defuncto Johanne, Vallis-Richerii fiduciariorum præda fuit, quorum 1 Johannes *l'Amy*, sub larvato commendatarii titulo in duobus instrumentis annorum 1562 & 1563 legitur.

2 Dominicus *le Long*, cujus in tuendis ac vindicandis ecclesiæ bonis turpis & nefanda merito arguitur negligentia.

3 Robertus & Johannes *Petit* abbates modo, modo procuratores abbatum se ipsos inscribentes, his successere, & cum eis e prælatorum serie merito sunt explodendi : omnes enim fiduciarii nomen suum filiis N. *de Castellan* primarii reginæ matris medici commodaverunt. Quo defuncto, ejus relicta Antonia de *Libec*, quæ primum quasi videbatur abbatissa, simulatum dein procuratricis Dominici *le Long* gerens nomen, cum Gervasio *Hautin* de reditibus abbatiæ vili pretio pactum iniit 1570. Demum Robertus aut Johannes *Petit*, uti cum Antonia *de Libec* convenerat, commendam cessit sequenti.

XXV. Petrus *Chouard* canonicus Lexov. capellanus & eleemosynarius Catharinæ Mediceæ, & præceptor principis Lotharingiæ, possessionem adiit 14 Aprilis 1577. Vitam languore & tædio confectam ad annum 1587 vel 1588 produxisse videtur.

XXVI. Carolus *Coulomb* Petri consanguineus, canonicus quoque Lexoviensis, commendam tenuit annis 1588 & 1589, cujus tempore ab hæreticis ad nihilum redacta Vallis-Richerii.

XXVII. Guitardus *de Ratte* commendatarius Vallis-Richerii, tum episcopus Monspeliensis 1597, obiit 7 Julii 1602, ut diximus tom. VI, col. 814.

XXVIII. Nicolaus II *Tiercelin* Rotomagensis, in utroque jure licentiatus, regi a consiliis & eleemosynis, prior Duorum-Amantium in diœcesi Rotomagensi, commenda quoque Vallis-Richerii instructus fuit anno 1597. Patronatum ecclesiæ Prati Algiæ Rotomagensis senatus consulto revocavit, aliaque reduxisset, ni cita mors eum rapuisset anno 1608.

XXIX. Nicolaus III *de la Place* dominus a sancto Stephano, Rotomagensis, in utroque jure licentiatus, regi a consiliis & Mariæ Mediceæ ab eleemosynis priorque sancti Theobaldi de Vineis, commendatarius beatæ Mariæ de Augo jam ab anno 1601, commendam quoque Vallis-Richerii ab Henrico IV obtinuit, confirmatus a Paulo V anno 1608 XVIII calendas Julii. Hanc fratris filio transcripsit anno 1627, Augo contentus, ubi subito obiit 10 Septembris 1649.

XXX. Johannes-Baptista II *de la Place* doctor Facultatis Parisiensis, prior sancti Nicolai prope Juliobonam, cedente patruo, a Ludovico XIII nominatus, fit abbas ab Urbano VIII XII id. Martii 1627. Statim in melius convertendis monachorum moribus animum applicuit, quos adscitis ex Alneto & Barberio ascetis, ad strictiorem observantiam revocavit 21 Octobris 1645. Paucis post annis invitis parentibus, sed cum licentia papæ & regis, dignitatem consignavit 30 Novembris 1651 rectori Prati Algiæ ea lege, ut strictiorem Cisterciensis ordinis observantiam amplexaretur. Tum ipse sanctioris vitæ genus anhelans, humilem conversorum professionem sæpe & enixe expostulavit, qua toties denegata, philosophiam & theologiam in monasterio tam monachis quam extraneis legebat, conciones & catechismos in ecclesiis monasterio subditis habebat. Totus in illis, morbisque conflictatus, quos ad mortem æquo animo sustinuit, in extremis positus, Cisterciensi tunica ab abbate induitur, menteque & veste monachus, spiritum Deo reddidit hora sesquiquinta matutina 25 Novembris 1678. In superiori chori ingressu honorifice tumulatus est, hocque a successore donatus epitaphio: *Reverendo admodum patri & domino Johanni-Baptistæ* de la Place, *quem merita generis nobilitati juncta, Richeriæ-Vallis abbatem commendatarium, pietas sacerdotem devotissimum, scientia doctorem Sorbonicum, juge orationis studium, hominem vere mysticum ac theodidactum. religio hujus monasterii reformatorem, humilitas dignitate abbatiali sponte abdicata fratrem conversum, saltem ex voto, reipsa monachum Cisterciensem, virtutes denique omnes in cœlis, ut speramus, beatum effecerunt. In tesseram grati animi frater Dominicus*

A *abbas & monachi Vallis-Richerii posuerunt. Obiit 25 Novembris 1678, ætatis suæ 66. Requiescat in pace. Amen.*

XXXI. Dominicus *Georges* Trevirensis, studiorum cursu apud Lovanium & Mussipontem expleto, ad sacerdotium raptus, fit parochus *de Circour* in diœcesi Tullensi, unde bellorum turbinibus exagitatus, Parisios aufugit in seminarium sancti Nicolai de Cardineto. Ibi juniorum regimini præfectus, intermissa in Sorbona repetiit studia. Solitudinis amator præcipuus, secessum meditabatur, cum ab abbate Vallis-Richerii Johanne *de la Place*, cujus in seminario erat moderator,
B data ei est parochia de Prato Algiæ. Parochus, ea se gessit prudentia, ea sagacitate, ea religione, ut Johanni-Baptistæ decessori dignus visus sit, qui institutam ab ipso apud Vallem-Richerii observantiam strictiorem firmaret. Dominico itaque apud Barberium mox futuro novitio, abbatis munus totum conscripsit Johannes-Baptista 30 Nov. 1651, rarum humilitatis & zeli exemplum. Professus Dominicus 21 Dec. 1652, Vallis-Richerii possessionem iniit die 23, & sexto post die ab episcopo Sagiensi in ecclesia monialium Caniveti benedictus est abbas. Nec Johannem-Baptistam fefellit quam de Dominico conceperat opinio.
C Ea enim fuit abstinentia præditus, ut leguminibus & pane contentus, reliquum vitæ tempus exegerit. Virtutis ejus fama acciti episcopi Franciscus *de Servien* 7 Junii 1656, & Franciscus *de Nesmond*, 2 Julii 1662, præposuerunt eum vicarium generalem in exemtione Cameræ Osmeri cum omnimoda potestate. Tam abbates quam abbatissæ una voce syndicum generalem abbatiarum diœcesis jam eum dixerant Bajocis 26 Aprilis 1661. Superiores strictioris observantiæ ordinis in comitiis Luteciæ habitis mense Sept. 1664, deputarunt eum ad Alexandrum VII cum Armando *de Rancé* abbate Trappensi, ad tuendum
D & promovendum reformationis opus. In capitulis generalibus apud Cistercium definitorem egit annis 1672, 1683 & 1686. Visitavit anno 1669 provincias Normannam & Cenomannensem. Visitavit quoque, ab episcopo delegatus, monialium parthenones. Ad preces Jacobi *Colbert* archiepiscopi Rotomagensis condidit regulas & constitutiones pro monasteriis ordinis Cluniacensis. Archiepiscopi, episcopi, abbates regnique proceres sæpe eum, sive de ecclesiarum regimine, sive de conscientia multisque rebus maximi momenti literis consuluerunt, eumque adire & invisere non erubuerunt. Ast alienis intentus, suis
E ipse non defuit negotiis. Ecclesiam quippe, dormitorium, claustra aliasque domus officinas ex integro reparavit, aut a fundamentis erexit, lapidibus monasterium circumcinxit, omnes monasterii villas ab excidio vindicavit. Altare majus auro & picturis, chorum sedilibus affabre elaboratis, ecclesiam organis, campanile novem campanis, sacristiam vasis argenteis & sacra supellectile, ecclesiam tabellis, figuris, iconibus partim Roma allatis, libris, vitris, pavimentis ornavit, instruxit. Bibliothecam ædificavit, & amplius

2000 voluminibus refersit. Denique meritis A plenus, post quatuor aut quinque ingravescentis ex infirmitate morbi dies, inter omnium lacrymas & gemitus occubuit die 8 Novemb. 1693, ætatis 80. Sepultus est in medio sanctuario. Cujus vitam scripsit P. *Buffier* Societatis Jesu, ac Parisinis typis mandavit; & epitaphium marmori ad parietem tumulo vicinum appositum est his verbis: *Æterna dignus memoria presbyterii in medio jacet R. P. D. Dominicus* Georges *hujus Richeriæ Vallis abbas regularis 23. Ad pontificem Alexandrum VII pro reformatione ordinis Cisterciensis honorifica legatione functus. Per Normanniam, Britanniam &c. strictioris observantiæ* B *Cisterciensis visitator & superior ordinarius. Præsulibus Galliæ gratiosus, 39 & amplius sacerdotalium collationum hac in provincia & alibi auctor & moderator. Reverendissimi episcopi Bajocensis in tractu* de Cambremer *vicarius generalis, hujus domus & templi instaurator ac prope fundator. Obiit octavo die Novembris 1693, anno ætatis 80, regiminis 42. Posuerunt mœrentes fratres. Anima ejus requiescat in pace. Amen.*

XXXII. Franciscus *Blouet de Camilly* Rotomagæus, filius senatoris in parlamento Normanniæ, nominatus a rege commendatarius Vallis-Richerii 24 Decembris 1693, confirmatusque C a summo pontifice Innocentio XII, possessionem iniit mense Maio 1694, paucisque post diebus a rege designatus est vicarius generalis & officialis episcopi Argentinensis. Commendam quoque sancti Petri supra Divam obtinuit in Natali Domini 1699; tum ecclesiam Tullensem 11 Maii 1704, & post metropolim Turonensem, ubi obiit mense Octobri 1723.

XXXIII. Josephus-Gaspardus-Gilbertus *de Chabannes Curton* Thoma *de Chabannes* & Anna *Boyer* parentibus natus 1701, prior Sorbonæ 1724, doctor 1726, eodemque vicarius generalis episcopi Adurensis, & postea ejusdem D ecclesiæ archidiaconus, vicarius generalis archiepiscopi Turonensis 1730, & agens generalis cleri Gallicani 1732, commendam tenet ab anno 1723, quam obtinuit a rege nominatus mense octobri exeunte. Factus est anno 1735 episcopus Aginnensis.

BARBERIUM.

BARBERY.

VIÆ qua Cadomo Falesiam itur, adjacet Barberium, quatuor utrimque distans leucis, prope pagum Bretevillæ, super Aisam fluviolum. Abbatiam hic fundare proponens Robertus *Marmion*, quidquid apud Barberium tenebat, Sa- E viniaco dedit, cujus inter filias 18ª recensetur 16 Novembris 1140. Unde, cum primum jecerit fundamentum, primus quoque auctor audit. At cum inchoatum opus perficere non valuerit, Roberti bonorum ac virtutis heres ac filius Robertus alter opus consummavit. Quo autem anno hic hæret animus. Fundatam volunt Barberii abbatiam Sammarthani an. 1176, & certe Radulfus primus abbas, bulla donatus est ab Alexandro III anno 1177, qua confirmat summus

Neustria pia, pag. 683.

pontifex *locum ipsum in quo præscriptum monasterium constructum est cum omnibus pertinentiis suis, ex dono Roberti Marmione, & concessione Roberti filii sui, locum de Barberio qui prius fuit grangia de Savigneio, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet quidquid ad eos jure hereditario pertinere decebat, tam in terra quam in bosco, & in ceteris omnibus ad prædictos viros jure pertinentibus, &c.* Attamen in chronico Saviniacensi Joslenus legitur conventum misisse anno 1178 ad abbatiam Barberii; & Robertus *Marmion* secundarius fundator, præter donationes quas a patre factas confirmavit, plurima alia addidit; inter ea, terram ad abbatiam ædificandam anno 1181, quæ tamen omnia facile conciliari possunt. Chartam habes in Neustria pia p. 881, sed ita deformem, quemadmodum alias plerasque quas edidit, ut easdem recudere coacti simus. Felicior non est auctor, cui primorum abbatum arridet penuria, eo quod abbati generatim & monachis factæ sint primæ donationes, quasi desint catalogi, necrologia, epitaphia, sepulturæ, & quid non? at deest diligentia. Primus fundator, Robertus *Marmion* occisus anno 1143 in abbatia Coventrensi, sepultus est medius in Anglia, medius in capitulo Barberii, subtus stallum abbatis.

SYLLABUS ABBATUM.

I. RADULFUS bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1177, v calend. Febr.

II. Guillelmus I, ex monacho Saviniaci, abbas erat Barberii annis 1178 & 1185.

III. Ricardus convenit cum Roberto abbate de Fontaneto, tempore Roberti Marmionis, ex chartulario Fontaneti.

IV. Germanus *d'Ezzy* sepelitur in capitulo cum hac inscriptione:

Corpus Germani d'Ezzy *jacet hic tumulatum.*
Quod facit Albani festum cunctis memoratum.
M. CCI simul V, bene si numeretur,
Tempus quo mori datur a lectore scietur.
Sepultus est 9 Octobris M. CC. VI.

V. Guillelmus II præerat anno 1228, ex chartis Fontaneti: an Guillelmus de Sanctellis, qui jacet in capitulo?

VI. Philippus I sedebat anno 1246, quo consecrata fuit ecclesia.

VII. Gillebertus, qui regebat 1256 mense Aprili, convenit cum monachis de Fontaneto de jure patronatus parochiæ de Barberio 1263 mense Octobri, ex chartulario Fontaneti.

VIII. Robertus præerat anno 1273 mense Novembri, ex chartis Fontaneti. Depositus est a capitulo generali anno 1275 cum nonnullis aliis abbatibus, qui definitores injuriis affecerant. Alterum anni 1277 concessit capitulum ut eligibilis haberetur.

IX. Thomas legitur annis 1280 & 1283 in chartis Fontaneti. Hoc ejus est epitaphium in capitulo:

Thomas d'Ys *natus quondam fuit hic tumulatus,*
Abbas idoneus, huic miserere, Deus.
Mater virgo Dei, propitieris ei.

X. Galterius 1292, ex chartis S. Andreæ.

XI. Philippus II sepultus est in capitulo cum hoc epitaphio :

Abbas Philippus conventus atque sui plus
Istius ipse fuit, quem Deus arripuit.
M. sex atque C ter hunc sumsit cœlicus æther.
Huic æterna quies sit Deus atque dies.

XII. Guillelmus III memoratus 1315, sic inscribitur in capitulo : *Corpus Guillelmi jacet hic anno 1317.*

¶ In schedis Vallis-Richerii legitur Petrus abbas Barberii annis 1324, 1349 & 1351, at accurratæne illæ sunt?

XIII. Guillelmus IV. Hujus hoc legitur in capitulo epitaphium : *Hic jacet Guillelmus* Marmion *armiger, filius Jacobi* Marmion, *nobilis abbas, qui obiit anno 1339, cujus anima & omnium fidelium requiescat in pace, amen.*

XIV. Johannes I abbas Barberii regi fidem dixit 18 Julii 1350, ex regestis cameræ Computorum Parisiensis.

XV. Michaël *Brosart* al. *Brasart*, legitur 14 Martii 1362 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*, in regestis scacarii Paschatis 1392, & in capitulo : *Hic jacet dominus abbas Michaël* Brosart *abbas XIV.*

XVI. Guillelmus V *le Mazurier* sedebat mense Julio 1392. Sponte cessit servata sibi pensione, quam capitulum generale 1402 jussit inquiri num justo major esset.

XVII. Nicolaus I *le Conte* doctor theologus, præerat anno 1411.

XVIII. Johannes II *Pymeule* scacario adstitit mense Septembri 1456. Ejus tale legitur epitaphium in capitulo : *Hic jacet Johannes* Pymeule *quondam devotus ac pius abbas hujus loci, in quo abbatizavit egregie 42 annis. Obdormivit in Domino anno 1469.*

XIX. Nicolaus II *Gorland*, de quo legitur in capitulo : *Hic jacet venerabilis religiosus pater Nicolaus* Gorland *quondam superior hujus loci, qui obiit 1472 12 mensis Augusti.*

XX. Reginaldus *Levrard* memoratus 1483, obiit 1496. Hoc quoque donatur epitaphio in capitulo : *Mæsta dies Aprilis quinta, quem cœnobii hujus viris præfecerat religiosis, eadem dies solertem sed benignum abbatem Reginaldum* Levrard *abstulit & sub hoc clausit saxo.*

XXI. Johannes III *Levrard* Reginaldi nepos, tumulatur navis clathros inter & chori portam, cum hoc epitaphio :

Saxea nunc claudit Johannem petra sepultum,
Clarum quique suo doctorem tempore gessit,
Munere præsul Abelonis fuit ipse sacratæ,
Barberiæ domui studiosus præfuit abbas.
Obiit V calendas Junias 1530.

XXII. Dionysius *le Chevalier* a summo pontifice delegatus fuit ad supprimendos canonicos, quos Guillelmus conquæstor fundaverat in ab- A batia sanctissimæ Trinitatis Cadomensis. Hujus tale est epitaphium in eodem quo decessor loco :

Hic eques effosso dormit Dionysius antro.
Barbareo clero venerandus præfuit abbas.
Illustris quoque Abelonis præsul fuit almæ.
Sicut humi corpus, sic mens sit candida cœlo.
Obiit XIV calendas Novembris 1549.

XXIII. Ludovicus I *de la Menardiere* abbas Barberii & prior sanctæ Barbaræ in Algia, occurrit 6 Martii 1558 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Defunctus mense Maio 1573. B sepultus jacet ante altare beatæ Mariæ virginis.

XXIV. Egidius *de Montaigu* sequentem antecessit.

XXV. Petrus I *Aubourg* factus abbas a Petro *de Harcourt-Beuvron*, qui fundatorum affectabat locum, depositus est ab abbate Clarevallensi ut simoniacus, & factum deflens obiit 1561. Biennio post a Calvinistis expilatum est monasterium anno 1563.

XXVI. Annas *d'Escars* cardinalis *de Givry*, episcopus Lexoviensis, Barberiana gaudebat commenda 1582 & 1608, aliisque de quibus tom. IV, col. 728.

C XXVII. Jacobus *le Blanc* filius Jacobi *le Blanc* domini *du Raulet*, canonicus Rotomagensis, obiit anno 1615 aut sequenti.

XXVIII. Johannes IV *Tuyault* Clarimontis apud Cenomannos monachus, Barberii factus abbas favore Jacobi *du Raulet*, ejus filiæ pensionem 3600 librarum assignavit. Post 21 aut 22 regiminis annos obiit 1638, sepultusque est in collegio Cistercensium Parisiensi.

¶ Post ejus obitum possessionem iniit a rege nominatus ad ipsius ægroti preces monachus Barberii, qui designato a cardinale *de Richelieu* inscio cedere coactus est.

D XXIX. Ludovicus II *Quinet* Vallis-Richerii monachus, doctor Facultatis Parisiensis & confessarius cardinalis *de Richelieu*, ex priore Regalismontis, ubi regularem disciplinam instaurarat, cardinalis gratia factus abbas Barberii, a monachis repulsam passus est, Alnetumque secedere coactus, admissus tandem, Barberium quoque ad priores usus revocavit, ubi postquam 27 annis maxima cum laude præfuisset, cessit in gratiam sequentis circa 1658, defunctusque in capitulo sepultus est cum hoc epitaphio : *Hic cineri cinis jungitur, domno scilicet Guillelmo de Sanctellis septimo quondam hujus domus abbati, D. Ludovicus* Quinet E *ejusdem domus abbas, in qua primus monasticam disciplinam sub strictioris regulæ observantia restituit. Pie obiit 2 Januarii 1665, ætatis 68.* Aliquot edidit opera Cadomi & Parisiis annis 1651 & 1653.

XXX. Nicolaus III *le Guedois* ex priore Alneti Ludovico successit, ejusque vestigia pressit, nominatus in comitiis visitator Normanniæ annis 1660 & 1664. Anno ætatis 55 defunctus, sepultus est in capitulo cum hoc epitaphio : *Hic jacet R. in Christo pater D. Nicolaus* le

Guedois *hujus domus abbas, in qua præfuit 19 annis. Strictiorem regulæ observantiam a prædecessore suo instauratam mirifice coluit, fovit & ampliavit. Domno Guillelmo octavo quondam ejusdem domus abbati appositus est die 11 Octobris an. 1677.*

XXXI. Franciscus *Verjus* presbyter congregationis Oratorii Gallicani, factus est abbas Barberii, tum episcopus Grassensis, postea Glandavensis ac iterum Grassensis. Demum cum sequenti abbate Uterinæ-vallis permutavit anno 1695, obiitque 17 Decembris 1710.

XXXII. Petrus II *du Poisson* monachus Morimundi, ex abbate Uterinæ-vallis in diœcesi Spirensi permutatione facta abbas Barberii, monasterium instauravit, ædes abbatis construxit, ecclesiam vasis sacris ditavit, organisque decoravit. Coadjutorem paulo ante obitum accivit, qui accidit VI calendas Junii 1722, ætatis 70; sepultus est in sanctuario Barberii.

XXXIII. Ludovicus *Auderic de Lastours* monachus Fontis-frigidi, ex coadjutore Barberii abbas 1722, per decennium rexit. Jacet ad latus decessoris. Quo defuncto a rege nominatus est XI Aprilis 1733 D. *Fitzharbert* jam abbas Pietatis-Dei in diœcesi Trecensi. Hic autem paucis post diebus cessit.

XXXIV. Nicolaus IV *Lambelin* ex priore Regalis-montis renunciatus est abbas Barberii a rege 26 Julii 1733.

TORIGNY.

TORIGNEIUM I.

PRima asceterii Cisterciensis prope burgum de Torigneio siti, initia debentur Roberto de sancto Remigio, qui monachis de Alneto locum de Boleia concessit, *ea conditione ut si successu temporum, Domino disponente, ipse aut ejus successores possent abbatiam construere in dicto loco, de consilio & providentia Bajocensis & Constantiensis episcoporum, & trium Cisterciensis ordinis abbatum, tunc abbas & conventus de Alneto abbatem & conventum ad locum qui dicitur Boleia destinarent, & omnia, tam ab ipso (Roberto) quam a suo patre concessa, & ad eumdem locum pertinentia abbati & conventui de Boleia ex integro relinquere tenerentur perpetuo possidenda.* Hanc donationem firmavit Henricus II Bajocensis episcopus. Quin Boleiam incoluerint Cistercienses Alneti monachi dubitare non sinunt chartæ Guillelmi comitis Glocestriæ monachis de Boleia & Riulfæ de Hermevilla beatæ Mariæ & sancto Nicolao & monachis de Alneto apud Boleiam Deo servientibus donationes facientium. At diu eam non tenuerunt, quippe quam Johannes abbas Alneti cum appendicibus fruendam dedit Richardo presbytero de Condeto super Viriam; sed prioris adhuc visuntur rudera monasterii ad Boleiam prope ecclesiam sancti Nicolai. Tandem locus hic juxta auctorum mentem cessit monachis de Torigneio, quos uno a Boleia milliari Robertus *le Fevre* canonicus Bajocensis, archidiaconus Abrincensis, necnon clericus &

Ch. XLIV. col. 100. medicus Philippi IV, fundavit 15 Decembris

A 1307 in loco dicto *Fabriez* infra metas parochiæ B. Mariæ de Torigneio, cujus patronatum iis largitus est. Fundationem confirmavit & auxit 22 Maii 1308, defunctusque sepeliri voluit in ecclesia, ubi in sanctuario a latere evangelii sacris repræsentatur indutus vestibus. Guillelmus Bajocensis episcopus auctoritate sua munivit has Alneto factas donationes a Roberto annis 1307 & 1309; capitulum vero 1307, Philippus IV regio 1308, Clemens V pontificio 1310, diplomatibus asseruere.

TABULA ABBATUM.

B I. JOHANNES I de Boleia ex Alneti monacho abbas Torigneii 1309, bullam obtinuit a Clemente V anno 1310.

II. Petrus I sedebat 1315 & 1349, electus fuit abbas Saviniaci, ex chartulario Torigneii.

III. Ricardus 1386 & 1394 die 21 Febr.

IV. Johannes II abbas septimus 1408.

V. Nicolaus 1415 & 1454. Delegatus est a Patribus concilii Basileensis ad absolvendum Johannem abbatem de Hambeia ab excommunicatione quam incurrerat.

VI. Johannes III legitur annis 1454 & sequenti.

C VII. Johannes IV *Riaut* 1459, cujus tempore rotulus redituum monasterii conscriptus est.

VIII. Johannes V *d'Arquetot* 1483 10 Julii, scacario interfuit 1484, & regi dixit fidem 1489.

IX. Philippus *de Jouaye* abbas duodecimus, regebat 1496; obiit 1514.

X. Johannes VI *de Talvande* nobilibus procreatus, magister in artibus, vita & moribus commendatus, electus est 1514.

XI. Johannes VII *Adeline* monachus Alneti, abbas electus 1516, sedebat 1520. Cessit ante mortem, quæ accidit anno 1537. Sepultus est

D ante januam chori.

XII. Petrus II *Adeline* ordinis fuit vicarius generalis, & ab abbate Clarevallensi delegatus ad visitanda monasteria sancti Andreæ & Fontis-Danielis.

XIII. Guillelmus *Baudet* presbyter Constantiensis, vota emisit apud Torigneium, ut abbas fieret. Possessionem iniit 1582, moriensque declaravit se fiduciarium abbatem.

XIV. Leonorius I *de Matignon* episcopus Constantiensis, tum Lexoviensis 1652, abbas Exaquii & Torigneii. Obiit 14 Febr. 1680.

XV. Leonorius II *de Matignon* episcopus

E Lexoviensis, 1680; obiit mense Julio 1714.

XVI. . . . . . *Clignet de la Chasteigneraye de Sainte-Foy* præfuit ab anno 1714 ad 1733.

XVII. . . . . . *du Quesnoy* vicarius generalis episcopi Constantiensis, Torigneii commendam obtinuit 28 Februarii 1733, quam dimisit pro sancto Salvatore decennio post.

XVIII. . . . . . *de Suzy* nominatus est a rege exeunte anno 1743.

TORIGNEIUM II.

PRæter virorum est & apud Torigneium aliud ejusdem ordinis puellare cœnobium, quod erexit Leonora *d'Orléans* relicta Caroli *de Matignon* regii Normanniæ præfecti, curis & studio adjuta Guillelmi *le Miere* regi ab eleemosynis & parochiæ beatæ Mariæ rectoris. Ad hoc opus pia princeps e Villari-caniveto duas eduxit moniales, Bonam *de Malvoue* & Claram *Boulon*, quæ in eremum B. Magdalenæ primum admissæ 28 Nov. 1630, inde translatæ sunt 28 Sept. 1631, in locum ubi nunc sunt, dotantibus, tam Leonora quam Guillelmo, & acceptante abbate Cisterciensi D. Petro *Nivelle*, qui prioratum erexit 18 Martii 1632; accessit regium diploma mense Augusto 1634, in actus senatus Rotomagensis relatum anno 1635. Jam benedicta fuerat ecclesia 15 Aprilis 1633. Parthenonem inde rexere quæ modo priorissæ, modo dicuntur abbatissæ.

INDEX ABBATISSARUM.

I. BONA *de Malvoue* monialis Villaris-caniveti, a fundatrice accita, prima ab eadem nominatur priorissa & ab abbate Cisterciensi confirmatur 21 Aprilis 1633. Ætate gravis biennio ante obitum cessit 20 Januarii 1661; defuncta 15 Maii 1663, sepulta est in choro.

II. Genovefa *de Fouilleuse de Flavacourt* monialis Gomeri-fontis, a monialibus electa 20 Januarii 1661, possessionem iniit 2 Januarii 1662, per triennium rexit & cessit an. 1666 26 Julii, unde venerat reversa.

III. Leonora I *de Matignon* monialis loci, electa est 20 Octob. 1666 ad triennium, juxta Paris. senatus decretum obtentum a toparchis *de Matignon*, 17 Aprilis 1666, contra usus ordinis. Possessionem apprehendit 19 Novemb. quinquies itaque electa rexit ad annum 1682, quo translata est a rege ad Paraclitum Ambianensem.

IV. Vincentia *Varin* loci quoque monialis, electa est 21 Octobris 1682, & rexit ad ultimam Decembris diem 1689.

V. Leonora II *le Gentil* electa prima Januarii 1690, quam excepit

VI. Magdalena *Neel* electa 2 Januarii 1693, ad 1699 26 Augusti rexit.

VII. Johanna *de Mauroy* monialis de Claretis, præfuit ab anno 1699 27 Augusti, ad 1702.

VIII. Elizabetha-Leonora *de la Tour d'Auvergne* germana cardinalis cognominis & abbatissæ Montis-martyrum, monialis de Claretis, electa 16 Augusti 1702, possessionem iniit die 26. Cessit 13 Martii 1731, & ad Albas dominas prope Moritonium secessit, ubi obiit 2 Maii 1746.

IX. Maria-Angelica *de la Viefville*, ex moniali Gomeri-fontis Torigneii priorissa electa 12 Octobris 1731, possessionem apprehendit 14 Decembris.

ARDENA. ARDENNE.

A CAnonicorum Præmonstratensium monasterium Ardena, uno ab urbe Cadomensi distat milliari, in agri Bajocensis pene meditullio. Fundatores habuit Aiulfum de Foro & Asselinam ejus uxorem, qui in territorio ab antiquis Ardena dicto ecclesiam construxerunt. Hanc Richardus Bajocensis episcopus in honorem beatæ Chart. IX.
Mariæ dedicavit canonicisque regularibus administrandam commisit anno 1138, quibus Gil- col. 77.
lebertus prior præfuit. Canonicos autem illos Præmonstratenses fuisse evincit bulla Lucii II, Chart. X.
B data Gilleberto priori ejusque fratribus, sancientis col. 79.
anno 1144 ut ordo Præmonstratensium fratrum perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur, aliaque dona recensentis, tam ab Aiulfo quam ab ejus liberis facta, inter quæ præcipue notatur locus ipse Ardenæ cum toto feodo & tenemento in tota Normannia. Filiorum alter Walterus monasterio inter alios beneficum se præbuit, qui, si chronico Ardenensi fides, Præmonstratum profectus, a capitulo generali summis precibus obtinuit ut Ardena in abbatiam promoveretur, germanusque ejus Guarinus fundatorum filius, primus Ardenæ abbas dice-
C retur. Posterorum Aiulfi largitionibus aliorumque suffragati sunt episcopi Bajocenses Richardus, Ch. XXVII.
Philippus, Henricus, &c. Angliæ quoque reges col. 91. Ch. XXVIII.
Richardus & Johannes Ardenam ab omni tri- col. 92.
buto liberam auxerunt baronia de Thesnariis. Ch. XXIX. col. 92.
At veritatis amor cui soli servimus, dissimulare Ch. XXX.
nos non sinit Bajocensem episcopum Philippum col. 93.
canonicis de Lucerna dedisse locum Ardenæ Ch. XVI.
cum pertinentiis, & ecclesiam sancti Germani col. 82.
de Alba-herba quam prius Ardenensibus largitus fuerat, quæ Lucernæ confirmavit Alexander III anno 1161: & certe in catalogo abbatiarum Præmonstratensium decreto in capitulo generali
D seculi XIV, Ardena quarta recensetur filia Lucernæ; ita quoque in ipsis monumentis Domni-Martini & in bibliotheca Præmonstratensi. Anno 1422 die prima Decembris, Philippus abbas Lucernæ mandat abbati de Ardena, ut ad ecclesiam Bellæ-stellæ filiæ Lucernæ pastore destitutæ accedat, cum ipse suis negotiis occupatus, ire non possit. Quin & ipsi canonici Ardenæ ne priorem ab abbate Præmonstratensi designatum admittere cogerentur, Lucernæ abbatem patrem immediatum interposuere 24 Martii 1610, &c.

ABBATUM SERIES.

E I. GUARINUS Aiulfi fundatoris filius, primus abbas, litem de patronatu ecclesiæ sancti Germani de Alba-herba habuit adversus Robertum *de Bruecorts*, cujus ad præsentationem abbati ecclesiam contulit episcopus Bajocensis. Incœptum a Gilleberto priore monasterium absolvisse dicitur, defunctusque 8 Junii an. 1180, in patris tumulo sepulturam accepit.

II. Robertus I subscripsit fundationi Bello- Ch. XXVIII.
sanæ anno 1198. Post 26 regiminis annos col. 19.

ad ordinis apicem assumtus est anno 1206. A

III. Nicolaus I memoratus annis 1210, 1211 & 1213, una cum 25 canonicis a ruente templi fornice oppressus interiit. Notatur in necrologio Bellosanæ 23 Febr. & mense Julio in mortuologio sancti Justi.

IV. Ranulfus sedebat anno 1218, ex chartulario Fontaneti. Migravit e vita 6 Octobris 1260.

V. Guillelmus I rexit 22 annis, & obiit XVI calendas Julii 1282.

VI. Thomas I canonicus de Monte-Dei, post 15 annos diem clausit extremum III cal. Novembris 1297.

VII. Johannes I *le Bloud* templum Dei instaurare cœpit, & post 27 annos obiit 29 Augusti 1324; jacet in capitulo.

VIII. Nicolaus II *Aubery* parvum chartularium conficiendum curavit, & post 37 annos mortuus 19 Febr. 1360, sepelitur in capitulo.

IX. Guillelmus II *Graverent* post 25 annos decessit 23 Octobris 1385, sepultus in capitulo.

X. Gervasius post decennium moritur X cal. Martii 1395.

XI. Matthæus *Jordain* natus de Crisseyo, post quadriennium vitam finivit III calend. Octobris 1399. Præerat anno 1387 28 Julii, ex chartis Fiscanni.

XII. Henricus I post quinquennium moritur VII idus Septembris 1404, al. 1412, ex necrologio.

XIII. Petrus I sedit per annos 13, & obiit 1425.

XIV. Robertus II *le Caretier* presbyter, electus & confirmatus abbas obedientiam juravit Philippo abbati de Lucerna patrique abbati immediato Ardenæ, a quo recepit sigilla Ardenæ 6 Martii 1425, nunc 1426. Carolum VII Franciæ regem Cadomum ab Anglis occupatum obsidentem anno 1450, excepit hospitio. Scacario interfuit anno 1450. Claustrum domumque dormitorio contiguam exstruxit, chartulariumque majus compilavit, unde inditum ipsi volunt cognomen. Post 37 regiminis annos fatis functus Robertus 7 Maii 1463, ad gradus presbyterii majoris altaris cum epitaphio tumulatur.

Ch. XXI. col. 118.

XV. Johannes II *du Pont* regi fidem juravit 4 Januarii 1463 (1464). Mente & corpore fatiscens, coadjutorem Johannem *Turgis* Montis-Dei canonicum, a generali totius ordinis & ab abbate Lucernæ oblatum recusavit, & licet viribus impar abbatiam sola cum morte voluit commutare, quam tenuit ad annum 1478, quo migravit a seculo.

XVI. Richardus I *de Laval* de Monte-Martino oriundus, regi juravit fidem 24 Novemb. 1478. Lucernæ & post Ardenæ abbas monasterium utrumque tenuit ad mortem, quæ contigit 20 Martii 1496.

XVII. Richardus II *le Believre* electus Ardenæ ac prior *de Coulon*, obiit 21 Sept. 1497, ex necrologio Insulæ-Dei.

XVIII. Richardus III *de Laval* primi nepos, prior *de Coulon* & utriusque abbatiæ heres, Ardenam postmodum se recepit, ubi 21 Septembris occubuit anno 1507, ex necrologio Bellosanæ.

XIX. Petrus II *de Laval* rector parochiæ beatæ Mariæ de Rupella, Abrincensis diœcesis, per cessionem patruelis a Julio II nominatus, primus commendam per novem annos tenuit, quam qua obtinuerat arte eadem transtulit in sequentem anno 1515.

XX. Petrus III *du Vivier* memoratus 15 Februarii 1522 (1523) in chartis archiepi- B scopatus. Canonicorum ad preces abbatiam in pristinum regularem statum restituit anno 1523, quo obiit 23 Junii.

XXI. Thomas II *Chauvey* post 17 annos regiminis Bajocas profectus, inter epulas ultro cedit 1540, & moritur 20 Decemb. ibidem & anno eodem.

XXII. Margarinus *de la Bigne* doctor Sorbonicus, officialis Bajocensis, subreptam sic commendam per 18 annos tenuit ad obitum, qui contigit 7 Decembris 1558.

XXIII. Johannes-Baptista *de Villemor* ab Henrico II nominatus, bullisque a Pio IV do- C natus 9 Aprilis 1560, inter bellorum & hæreticorum procellas tantum non eversam vidit Ardenam, quam ut relevaret Johannem *de la Croix* e Bella stella accersivit anno 1595. Hic pietate & zelo restituit rem. Baptista interea germano cessit, & obiit 16 Decembris 1599.

XXIV. Petrus IV *de Villemor* senatus Parisiensis consiliarius, cessione Baptistæ vacantem commendam obtinuit ab Henrico IV, bulla donatus a Clemente VIII anno 1607, calendis Septembris. At fratri haud similis omnique bono operi contrarius, Johannem *de la Croix* semel & iterum expulit, ingratiis monachorum D qui abbatem Lucernæ patrem immediatum objiciebant, proventus deglutivit, religiosisque ac reformationi pro virili obstitit, donec retentis 1800 libris pro pensione cessit anno 1613.

XXV. Guillelmus III *Gallode* a Ludovico XIII & a Paulo V admissus anno 1614, cedentis vestigia pressit; & ut certius Rotomagensis senatus consultum eluderet, liberam religiosis anno 1621 redituum partem tertiam afferentis, vestem ordinis de manu generalis suscepit, votaque coram abbate de Blanca-landa emisit, falso existimans penes abbatem regularem omnia monasterii bona consistere: vana hac elusus E imagine, singulis modicam pensionem assignavit ad arctum victum canonicis. Hi vero professionem ejus impugnare non destitere. Hinc continuæ lites æternaque jurgia, quibus fatigatus primum Ludovico *Gosselin*, tum re infecta Georgio *Sallet* locum & dignitatem dimisit anno 1637. Obiit anno 1643.

XXVI. Georgius *Sallet* primogenitus Georgii procuratoris generalis in Parlamento Rotomagensi, protonotarius apostolicus, abbas a Ludovico XIII nominatus & ab Urbano VIII confirmatus,

confirmatus, majoris consilii decreto Ludovicum *Gosselin* æmulum evicit anno 1638. Pacem statim Ardenensibus attulit; at triennio post immatura morte raptus 8 Septembris 1641, annum agens 30, Ardenæ sepultus est in capella sancti Norberti in tumulo concavo, quem pro familia sepelienda construxerat.

XXVII. Antonius *de Morenviller*, favore D. *des Noyers* primi a sanctioribus consiliis regii secretarii, commendam assecutus ab Urbano VIII pridie calend. Februarii 1641, hanc ad 1661 tenuit. Ejus temporibus Johannes *de la Croix* prior, de quo jam diximus, qui disciplinam regularem in pluribus Normanniæ monasteriis restituerat, de Ardena optime meritus, obiit pridie nonas Jan. 1654, ætatis 83.

XXVIII. Henricus II *l'Aisné* commenda gavisus est ad annum 1670.

XXIX. Ludovicus-Anna *Aubert de Ville-serin* regi a consiliis & eleemosynis, cessione Henrici factus abbas a rege, bullas obtinere non valuit: at virtute decreti majoris consilii 8 Februarii 1670, possessionem iniit 8 Aprilis. Insequenti anno nominatus a rege episcopus Senecensis mense Aprili 1671, cessit commendæ.

XXX. Ludovicus *de Fourbin de la Marthe*, cedente Ludovico, fit abbas 4 Aprilis 1671, & decreto majoris consilii munitus 18 Julii, possessionem apprehendit die 5 Septembris.

XXXI. Joachimus *Fautrier* Autissiodorensis, primum eloquentissimus causarum patronus in Parlamento Parisiensi, dein secretarius in præfectura rei tormentariæ, postea præfectus in Hannonia, regi ab eleemosynis, quondam abbas sancti Lupi Trecensis, commendatarius Ardenæ a rege nominatus anno 1672, bullas obtinuit anno 1673. Nihil non movit ut novam bonorum partitionem obtineret; at frustra: prior enim ab ipso rege confirmata est 3 Julii 1692. Pace sic reddita, prioratui sancti Vincentii *de Lebisé* mensæ conventuali uniendo assensit anno 1698. Parisiis occubuit 11 Martii 1709, ætatis 82.

XXXII. Gaspardus *de Fogasses de la Bastie* presbyter Avenionensis, doctor facultatis Parisiensis 13 Martii 1702, canonicus honorarius 1717, & archidiaconus major Carnot. 1709, commendam Ardenæ obtinuit 5 Aprilis 1709. Vicarius generalis episcopi Carnotensis deputatusque a clero ejusdem ad generalia cleri Gallicani comitia, necnon abbas Intermontii Genevensis, Carnoti obiit 16 Febr. 1739, annum agens 65.

XXXIII. .... *de Saint-Vallier* a rege designatus est mense Aprili 1739.

BELLA-STELLA.

DUABUS a Condato super Noræum, tribus a Lonleio & quatuor a Viria leucis, ad radices & intra imminentium hinc inde montium fauces abbatiam Bellæ-stellæ erexit anno 1216 Henricus de Bella-fago, assensu & ad preces Ediciæ uxoris suæ, filiæ Ricardi *de Roumilly*. Erexit autem in parochia S. Johannis de Cereseio, cujus patronatus pertinebat ad monachos beatæ Mariæ de Lonleio, qui ut locus ad meliorem statum pervenire posset, eremitas inibi demorantes ab omni subjectione & jure exemerunt anno 1213, ea tamen lege ut in eo non susciperetur ordo Cisterciensis. Eremitarum locum excepere Præmonstratenses canonici, quibus Henricus dedit anno 1216 locum in quo sita est abbatia cum nemore eidem adjacenti. Fundationem confirmarunt anno eodem Robertus episcopus Bajocensis, & Robertus Rotomagensis metropolita, anno 1217. Henrici fundatoris defuncti 19 Septemb. 1217, relicta Edicia abbatiam perfecit, eique anno 1218 donavit quidquid sibi hereditario jure competebat in villa & parochia S. Johannis de Cereseio, defunctaque est 30 Julii 1234. Horum primogenitus Henricus, donationem fecit in fundamento majoris ecclesiæ, quam exstruxit anno 1238. E Lucernæ monasterio primi prodierunt Bellæ-stellæ incolæ, quorum successores ad strictiorem vitam revocavit P. Augustinus *Panier*, qui obiit 31 Maii 1623.

Charta XXXIV. col. 95. — Ch. XXXVI. col. 95. — Charta XXXVII. col. 96.

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. JOHANNES I *de Monsfray*, de quo necrologium 31 Octob. *Johannes prius eremita, postea canonicus & inceptor hujus ecclesiæ*. Dicitur primus abbas eadem die in necrolog. Bellosanæ.

II. Petrus I Ediciæ fundatrici spondet duos monachos in sacello Cereseii sacerdotii praestituros officia, 1218.

III. Guillelmus I 1229 20 Junii, in necrologio.

IV. Richardus I sedebat 1261 2 Junii.

V. Guillelmus II *Duredent* mortuus 4 Junii.

VI. Radulfus 18 Octobris.

VII. Richardus II 25 Octobris.

VIII. Thomas I 2 Maii.

IX. Robertus I *Augier* 28 Octobris.

X. Gaufridus 1300 14 Junii.

XI. Johannes II *de Saint-George* 1302, obiit 10 Novembris.

XII. Robertus II *Bon-amy*, 1307 & 1311.

XIII. Johannes III *de Brocotte* 1316, mortuus 31 Augusti.

XIV. Robertus III, 1379, 1382, 1396.

XV. Johannes IV *Frequepent* Italus, ex illustri familia oriundus, præerat anno 1417, quo ab Henrico V Angliæ rege restituta abbatiæ temporalia. Defunctus est 2 Novembris.

XVI. Robertus IV *Chaulier* al. *Chancié*, electus anno exeunte 1422 dicitur, at jam obsequium fidei præstiterat Henrico V Angliæ regi anno regni 7, qui temporalia restituerat anno 8. Reperitur adhuc 1424. Obiit prima Julii.

XVII. Michael *Baoust* 1433 ad 1445, obiit 11 Maii.

XVIII. Richardus III *Becquet*, 1449 & 1455 11 Octobris.

XIX. Johannes V *Hubert*, 1455 & 1475 2 Aprilis.

XX. Petrus II *le Prince*, 1482 12 Septemb. A

XXI. Richardus IV *Loison* Petro successit, & obiit 15 Octobris.

XXII. Johannes VI *Gallier* 1496; æmulum passus est Gaufridum *de Saint-Germain* protonotarium apostolicum. Partem claustri construxit; obiit prima Augusti.

XXIII. Thomas II *Chancerel* abbas 1501, 1502, 1505 & 1510, obiit 17 Maii 1531.

XXIV. Johannes VII *le Prince* abbas 24, ab anno 1518 ad 1537. Gaufridum *Gueroult* æmulum passus, obiit 22 Julii.

XXV. Jacobus I *d'Harcourt* filius Caroli baronis *de Beaufou* & *de Beuvron*, & Jacobæ *de* B *Vierville*, primus commendam tenuit 12 annis. Memoratur 21 Novemb. defunctus circa 1552.

XXVI. Philippus I *de la Grainerie* præpositus Massiliensis, regi a consiliis & eleemosynis, necnon magister requæstarum hospitii reginæ, possessionem iniit 27 Januarii 1553. Abbatiæ dispendio domesticos ditavit, & ut perduellis ab Henrico IV proscribitur 1589.

XXVII. Ægidius *Busnel*, cujus larvato nomine Antonius *de Crux* dominus *de Belle-fontaine* & baro *de l'Archant*, uxoratus & Calvinista, possessionem 1589 adeptus, bona & supellectilem diripuit, pulsosque ex ecclesia canonicos, ad C domesticam capellam secedere ut sacra facerent coegit. At paulo post cum suo fiduciario ejectus est auctoritate Parlamenti.

XXVIII. Petrus III *de Scarron* episcopus Gratianopolitanus, bullis donatus prima Martii 1620, cessit 1626.

XXIX. Jacobus II *Gaudart* presbyter Parisiensis, cessit 1628.

XXX. Petrus IV *Roussel* dominus de sancto Ægidio, senator in Parlamento Rotomagensi ab anno 1621, bullas obtinuit ultima Mart. 1629. Insequenti Bella-stella strictioris observantiæ congregationi nomen dedit, pro qua rex dederat literas 23 Februarii 1602, quæ 12 Junii in Parlamento Rotomag. comprobatæ sunt. Petrus autem obiit mense Septembri 1647.

XXXI. Jacobus III *Charton* doctor Sorbonicus, canonicus & pœnitentiarius ecclesiæ Parisiensis, & vicarius generalis episcopi, possessionem bullis donatus adiit 1648.

XXXII. Claudius *le Chappellier* doctor Sorbonæ, frater Henrici advocati generalis in curia juvaminum, & canonicus sancti Germani Autissiodorensis, anno 1657.

XXXIII. Philippus II *le Chappellier* dominus *de Bournonville*, Claudii germanus, doctor Sorbonicus & canonicus sancti Germani Autissiodorensis, necnon regi ab eleemosynis, commendatarius 1657, obiit 17 Maii 1694.

XXXIV. Carolus *de Mazoyer* dominus *de Verneuil*, canonicus & cantor Sacræ capellæ de Vivario in Bria, nominatus a rege 24 Decemb. 1694, obiit 1696.

XXXV. Johannes VIII *de Mazoyer* Caroli germanus, defungitur anno eodem.

XXXVI. Petrus V *de Villelongue* canonicus Sacræ capellæ Viennensis, 1697.

XXXVII. Johannes-*Gedeon de Thinet d'Armonville* nominatur mense Junio 1728, quo defuncto,

XXXVIII. . . . . . . *Brosseau* capellanus ordinarius regis & reginæ, nominatus est a rege 8 Decembris 1738.


XXXIX. . . . . . *de Rochefort* 1742.

Hos præter recensentur

Hugo 29 Octobr. in necrologio Insulæ-Dei.

Johannes Condani 30 Decemb. ex necrologio Bellosanæ.

Nicolaus *le Blanc* 3 Maii, ex obituario Montis-Dei.



ECCLESIA ABRINCENSIS.

IN notitiis plerisque provinciarum & civitatum Galliæ etiam vetustissimis, in provincia Lugdunensi II, civitas Abrincatum tertium tenet locum. Ingena vocabatur Ptolemæo teste; sed multarum Galliæ urbium more, deposito nomine proprio, gentis, cujus erat caput, appellationem suscepit. Hinc ab Abrincatuis, de quibus Cæsar, Abrincates olim, quos recentiores, Abrincenses, urbemque Abrincas vocant.

Civitas est Normanniæ inferioris sub metropoli & Parlamento Rotomagensi, in supercilio montis versus occidentem posita, unde gratissimus in planitiem prospectus & in prata circumvicina, quæ alluit Segia fluviolus *la Sée*. Dum in urbem acceditur per majus suburbium, pulcrum occurrit parvi palatii ambulacrum plurimis consitum arborum ordinibus. Non longe ab ecclesia parœciali ejusdem suburbii floret gymnasium erudiendæ juventutis gratia, civium expensis fotum, ubi & major vicus incipit, desinitque ad plateam fori consueti civitatis, & ad portam muris crassioribus firmatam. Castrum aspicias hinc & inde vallatum turribus rotundis, quæ fortissimam efficiunt civitatem. Parva hæc est, tota fere duobus constans majoribus vicis, quorum in altero conspicitur auditorium majoris palatii pro reddenda justitia, & in altero cathedralis ecclesia. Civitas regitur ab uno majore, duobus oppidanis consulibus, & annonæ urbis curatore. Hic annis singulis habentur nundinæ postridie festi sancti Andreæ, & forum singulis hebdomadum feriis tertia, quinta & Sabbatis. Inibi quoque sunt ballivii curia, tributa describentium jurisdictio, necnon exportationis & invectionis portorium; tituloque vicecomitatus urbs decoratur, quæ licet minus spatiosa, tres habet portas, triaque majora suburbia populo frequentia, quibus singulis singulæ sunt parochiæ, nimirum beatæ Mariæ, sancti Gervasii & sancti Saturnini, seminarium & gymnasium, prioratus feminarum ordinis sancti Benedicti, huc translatus e loco *de Moutons*, quod nomen retinuit, haud procul a Moretonio *Mortain*: familia Capucinorum, & pauperum publica domus.

Abest civitas Abrincensis tribus a Monte sancti Michaëlis, Ponte-Ursonis & Lucerna leucis, octo a Moretonio, & novem a Constantia & Viria; parumque distat a littore maris, quod reciprocationem habet in fluviolo Segia usque ad pontem civitatis.

Ecclesia cathedralis dedicata fuit in honorem sancti Andreæ apostoli tutelaris patroni an. 1121, xv calendas Octobris, cujus quotannis festum recolitur 17 Septembris. Quindecim illa in longum ab unoquoque latere fulcitur pilis, seu columnis, habetque latera submissiora circa chorum & navim; cujus & fastigium ad extra duabus in quadrum campanariis turribus, & altera pro majori horologio condecoratur. Hanc exstruxisse basilicam dicitur a Thoma *Corneille* geographo Ludovicus *de Bourbon* episcopus Abrincensis. Constat capitulum decano, cantore, thesaurario, scholastico, seu scholarum præfecto, duobus archidiaconis & 25 canonicis. Diœcesis longa decem leucas & lata quinque continet 180 parochias sub duobus archidiaconatibus; quatuor abbatias virorum, unam feminarum Cisterciensium, & prioratum itidem feminarum, de quo supra. Episcoporum seriem post Sammarthanos emendavimus, ut sequitur.

ABRINCENSES EPISCOPI.

I. LEONTIUS, qui primus in vulgatis elenchis episcoporum occurrit, inquiunt Sammarthani tom. II, quadripartitæ Galliæ christianæ, « expungendus est aliquorum judicio, vel certe postponendus Nepo, si unus idemque sit cum Leontio Santonensi, qui sanctum Machutum Alethensem episcopum jam senem excepisse fertur hospitio; quod adstruere videtur Cenalis. Quæ enim scripsit hic auctor de sancto Leontio apud Santonas quiescente, valde elevant fidem ejus elenchi Abrincensium episcoporum, præsertim cum statim ab initio ambigere videatur, fueritne Leontius Abrincensium præsul, an apostolus, an etiam geminas sedes tenuerit. Certe cum Sigebertus auctor sit Machutum claruisse anno 561, statuendum est omnino, Leontium Abrincensem, si quis unquam fuit, a Santonico diversum fuisse, alioquin male præponetur Nepo, A Perpetuo & Ægidio Abrincensibus item episcopis, qui, ut inscriptionibus 1, 2, 3, 4 & 5 concilii Aurelianensis constat, annum 561 præcesserunt. Igitur pronuntiandum est, Leontium Abrincensem, aut nullum, aut diversum a Santonico, eoque antiquiorem fuisse. Nullum autem vel inde conjici potest quod in calendariis Abrincensibus non exstet ejus memoria, quæ sane temporum lapsu non obsolevisset, si ex certa traditione Abrincensibus compertum esset, hunc Leontium in urbe præsulatu, vel apostolatu functum: huic autem de Leontio errori occasionem dedisse credimus acta sancti Paterni, in quibus legitur beatum virum a Leontiano episcopo diaconatu & presbyteratu initiatum. Cum enim Leontiani nomen citra sedis designationem ibi positum esset, opinati sunt imperitiores Leontianum hunc episcopum Abrincensem, cum

ANNI CHRISTI tamen Constantiensis fuerit. Deinde ex Leon- A
tiano Leontium efformantes, Paterno tanquam
» discipulo magistrum præposuerunt; atqui Pater-
» nus cum in territorio Constantiensi degeret in
» Sisiaco, seu Sessiaco monasterio, ordinari a pro-
» prio episcopo debuit. Itaque Cenali, viro alioqui
» eruditione præstanti subscribere non possumus,
» asserenti Paternum non a Leontiano Constan-
» tiensi, sed a Leontio Abrincensi ordinatum
» fuisse; in quo hallucinandi occasionem obtulit
» affinitas nominum, cum pro Leontiano seu
Leuciano, Leontium supposuit. »

Diximus olim de sancto Leontio Santonensi XIII episcopo tomo II nostræ Galliæ christianæ B col. 1060.

I. Nepus.

Subscripsit Nepus, seu Nepos, Aurelianensi
511. primo concilio anno 511. Et id quidem laudatus Cenalis suorum nomenclator decessorum expressit hoc distícho:

Vitam, Nepe, tuam cœtus sacer Aurelianus
Illustrat; cœca cetera nocte latent.

II. Sanctus Severus.

Sexto positus loco in veteri Gallia christiana sanctus Severus, circa Clodovei regis, ejusve C filiorum tempora, atque ante sanctum Paternum sedisse, fortasse inter Nepum & Perpetuum conjicitur a Johanne Bollando tom. I Febr. p. 177, qui a Cointio memoratur ad annum 523. Is e Constantiensi pago ingenuis parentibus oriundus, cum aliquando cujusdam patris familias *Corbeceni* nomine equarum armentum fideliter custodiret, jam tum inclarescere cœpit miraculis, quibus ipsummet herum suum adhuc gentilem & vicinos quosque ad veram adduxit religionem, quos nec prius informare desiit, quam in ea rite confirmatos viderit; at mox ut illis opem suam minime necessariam esse cognovit, propriæ D salutis sollicitus, vix ac ne vix quidem, quos initiaverat, sinentibus, vitam aggressus est solitariam, congruo ad id genus conversationis, non longe a ditione domini, accepto ejusdem munificentia loco, in quo discipulis aggregatis, tanta virtutum fama præluxit, ut non multo post viduata pastore Abrincensi ecclesia, ad eam regendam invitus accersitus fuerit. Cum vero hac in regione, non secus ac in patria gentilitas vigeret, illam ubique profligavit, adeo ut omnes intra breve temporis spatium Christi nomen publice profiterentur, & sub tali pastore erroris sui tenebras ponere se gauderent. Non dubium E certe, quin hac tanta fructuum ubertate pius exhilararetur agricola; sed tamen veritus ne pastoralis curæ gravi pondere, sibi inopinato ruinæ pararetur occasio, successorem sibi a populo dari expetiit, ut caram ipse solitudinem repeteret. Voti compos, ægre licet, effectus, ad consueta mox rediit divinæ contemplationis officia; Deusque vicissim viri sanctitatem maxime in sanandis energumenis testari voluit, mortisque diem prænunciavit. Sepultus est in ecclesia beatæ genitricis Dei Mariæ, quam ipse cum cœnobio ab ejus nomine sancti Severi dicto in valle Viriæ diœcesis Constantiensis exstruxerat. Incertus dies est ob fratrum omnium fugam ex irruentium post ejus mortem turbine Barbarorum, ita ut illic nemo remaneret; multoque tempore locus idem humano destitueretur solatio. Rotomagi tamen sancti Severi natalis agitur dies officio duplici prima Febr. quo fortassis die sub Richardo I duce & Roberto archiepiscopo isthuc allatæ sunt ejus reliquiæ. Recolitur autem pridie nonas Julii in cœnobio prænominato, die scilicet, quo ex urbe Rotomago aliquæ ipsius reliquiæ ad illud monasterium utcumque restauratum translatæ fuerunt. Abrincis denique celebratur officio duplici secundæ classis die 7 Julii, quo vetus abbatiæ de Lucerna codex MS sancti Severi corpus in ecclesia conditum docet asservari. Saussayus vero post Dadræum asserit sacras ejus reliquias inesse apud ecclesiam metropolitanam Rotomagensem, ex charta haud dubie Francisci archiepiscopi Rotomagensis & ejusdem ecclesiæ canonicorum regi Ludovico XIII petenti concedentium anno 1639 17 Januarii, ejusdem sancti reliquias, necnon sancti Sinerii decessoris * episcopi. Chartam hanc exscripsit Johannes Bollandus loco citato, pag. 196.

* l. t... ris a...

III. Perpetuus.

Synodo Aurelianensi II adstitit Perpetuus anno 533, delegavitque ad tertiam Baudastem 53
presbyterum 538, qui & ipsius vice quartæ 53
subscripsit anno 541. De eo Cenalis ita cecinit: 54

Perpetuo te Perpetuum celebrabit honore
Posteritas, nomen tollet in astra tuum.

IV. Ægidius.

Recensetur Ægidius inter præsules, qui synodo quintæ Aurelianensi subscripserunt anno 549. 54
Mortuus a Cointio scribitur anno sequenti 550. 55
Is esse videtur Ægidius, de quo sic in vita sancti Severi supra laudati, apud Bollandum tom. I Febr. cap. IV, pag. 190, de discipulis ejus: *Inter quos quidam Ægidius nomine, venerabilis vir enituit, qui beati viri in sancto proposito socius, atque cooperator præcipuus exstitit, &c.* De quo Bollandus ipse in commentario prævio sic habet pag. 188: *Dubitare fortasse quis possit, an non ille Ægidius sit, qui episcopus ecclesiæ Abrincatinæ subscripsit concilio Aurelianensi quinto.*

V. Sanctus Paternus.

Pictavis nobili genere prognatus S. Paternus, adolescens monachum egit in Ensionensi sancti Jovini monasterio, sub regimine Generosi cœnobiarchæ, a quo mox ad cellarii dispensationem deputatus est. Inde majoris gratia perfectionis, inito consilio cum Scubilione ejusdem loci monacho, in Constantiensi pago se libenter elegerunt fieri peregrinos pari contubernio. Nec mora, illic Paternus Sessiaci, fani celeberrimi eversione & gentilium juxta degentium inclaruit

conversione, inibique cellulis conditis discipulos aggregavit. Tum vir venerabilis Generosus quondam eorum abbas post triennium ad requirendos monachos tam bene ad Christum fugitivos perrexit, quibus inventis, auctor fuit pontifici Leontiano, ut Paternum sacris ordinibus initiaret. Itaque non multo post diaconus, ac mox presbyter ab eodem pontifice ordinatus, demum ex abbate annum ætatis septuagesimum agens, episcopus Abrincensis creatus est modo plane mirabili. Nam cum in cellula sua, quam primum ædificaverat Sessiaci, quiesceret quadam nocte, visus ei ipse locus mira claritate perfusus: simul autem visi sunt ad eum ingredi sancti episcopi, qui ad Dominum migraverant, Melanius, Leontianus & Vigor, ipsumque ordinare antistitem. Quo facto ipse stupefactus, sed apud se retinens, quamvis tunc tacuerit, post probavit; non longo enim intervallo ad supplicationem tam plebis quam principis, Abrincas, pastore recedente, successit, nec recusare poterat, quod jam secreta Dei dispensatione portentatum erat. Effectus ergo pontifex, ita sese in ecclesiis instaurandis, vel novis ædificandis exercuit, pauperumque providit administrationi, ut esset in singulis mirabilis & in omnibus singularis. Illum cardinalis Baronius Abrigensem vocans episcopum t. VII Annalium celebrat inter præsules, qui sanctitate & virtute conspicui Parisiensi concilio III, una
557. cum beato Germano anno 557 interfuerunt. Paternus jam tertium decimum agebat annum in pontificatu, cum altero die Paschæ fratres Sessiaci volens visitare, gravi morbo correptus est; pariter autem & sanctus Scubilio, quem sibi beatus Paternus in peregrinatione socium adsciverat, incidit in infirmitatem in Maudanensi monasterio. Dirigunt ad se invicem nuncios, ut priusquam e seculo discederent, sese visitarent. Missi obviam facti beatum Scubilionem commonere faciunt ut fratri Paterno occurreret; sed eadem nocte pariter beatus Paternus una cum Scubilione pias ad Christum animas emisere, & una eademque die ac hora Paternus a sancto Laudo Constantiensi præsule, qui huc ante dies octo ad visitandum eum advenerat, & Scubilio a Lascivo episcopo Bajocensi ante altare ecclesiæ, quæ nunc dicitur sancti Paterni, prope Grandivillam in eodem monumento sepeliuntur, & adhuc jacent quotidianis miraculis celebres, ait Mabillonius ad calcem eorum vitæ, auctore Fortunato episcopo Pictaviensi, Seculi II Bened. pag. 1103.

Visuntur usque hodie cenotaphia sanctorum Paterni & Scubilionis in vico sancti Paterni, vulgo *saint Pair* appellato, diœcesis Constantiensis ad oram maritimam oceani, haud procul ab oppido Grandi-villa. Illic haud dubie sita erat abbatia Sessiacensis, postea sancti Paterni dicta, quam Richardus II Normannorum dux attribuit monasterio sancti Michaëlis in Monte Tumba. Nunc locus redactus est in vicum, qui a prædicto sancti Michaëlis cœnobio hactenus dependet. Colitur in ecclesia sanctus Paternus die 16 Aprilis, qua memoratur in martyrologio Romano jussu papæ Gregorii XIII compilato. Ejus postea corpus, ait Saussayus in martyrologio, Danicæ deprædationis metu Exoldunum in Biturigibus translatum est, ac deinde relatum, seu ex toto, seu ex parte 23 Sept. Complures in diœcesibus Abrincensi & Constantiensi basilicæ Deo sub auspiciis beati Paterni dicatæ sunt, qui, dum viveret, varia in territoriis Abrincensi, Bajocensi, Constantiensi & Ebroicensi monasteria fundavit, multasque sacras ædes vetustate collabentes ac novas excitavit.

De versibus Venantii Fortunati, quos sancto Paterno attribuunt Sammarthani, ita Mabillonius Annal. lib. 3, num. LIII: *Nonnullis videtur is esse Paternus abbas, ad quem exstant hi versus, quod facile concederent, nisi temporis ratio repugnaret. At Paternus longe ante desiit esse abbas, quam ex Italia in Galliam accederet Fortunatus, qui nec eum viventem in Gallia episcopum videre potuit, mortuo quippe Paterno biennio ante Fortunati in Galliam adventum.*

VI. Sanctus Senerius.

Qui & Sinerius ac senator, sanctus Senerius ex Cottianivilla, seu Constantianivilla, secundum Robertum Cenalem, in antiquo breviario Abrincensis ecclesiæ successor sancti Paterni asseritur, quem scribit Cointius factum episcopum anno 563. Tanta miraculorum gratia præditus fuit, 563.
ut non solum febrium ardores sedare, sed surdis auditum, mutis sermonem, cæcis visum restituisse, & plurimas infirmitates curavisse constanti memoria feratur; sicque meritis clarus & miraculis evectus est in cœlum VI calendas Octob. ex Sammarthanis, seu XIV calendas Octobris, qua die festum ejus celebratur in diœcesi, ubi sub ejus nomine plures exstant basilicæ Deo consecratæ. Sancti Sinerii reliquiæ Rotomagum aliquando delatæ in theca majori asservantur. De eo quoque sic legitur in ecclesiæ Rotomagensis breviario recognito & edito 1627: *Sinerius, qui & senator, post Paternum virum sanctissimum, Abrincensem rexit ecclesiam. Is a pueritia piissimis moribus institutus, ita in episcopatu se gessit, ut cujus munus exceperat, famam quoque meritis adæquaret. Miraculorum laude illustris cuidam ex diuturno febris æstu, surdo & muto effecto, olei sacri infusione aurium & linguæ facultatem restituit. Ejus præterea oratione cæco nato lumen divinitus restitutum est, ac nefarii spiritus ex oppressis corporibus effugati sunt. His atque aliis mirabiliter editis, apud Sisiacum monasterium migravit e vita, in cujus morte cœlestem Angelorum concentum monachi audierunt. Sepultus est ibidem juxta sanctorum Paterni & Scubilionis corpora, XIV cal. Octobris.* Vide Bollandum tom. I Febr. pag. 188.

VII. Sanctus Leodovaldus.

Vivebat Leodovaldus, qui & Leodevaldus ac Leudevaldus, post annum 578, ætate Gregorii Turonensis, qui sic ejus meminit lib. 2 de Miraculis sancti Martini cap. 36: *Leodovaldus*

ANNI CHRISTI

Abrincatinæ civitatis episcopus, sancti Domni reliquias per presbyterum suum devotus expetiit, quibus acceptis, cum terminos ante dictæ civitatis ingressus fuisset, occurrit ei adhuc inter deserta posito paralyticus deferentium illatus manibus; osculatus autem velum, quo capsa sanctorum pignorum cooperta erat, mox in pedes constitit, ac propriis gressibus domum regressus est. Habet, inquit Robertus Cenalis, *ecclesiam suo nomine nuncupatam, & villam fanum Leonardi seu sancti Leodevaldi, Gallice* saint Leonard *seu* saint Leodevald. Hujus etiam in honorem scripsit hoc distichon :

Martino addictus nomen numenque colebas;
Ex quo non modicam plebs tua sensit opem.

VIII. Childoaldus.

Adfuit Childoaldus concilio Remensi sub Sonnatio archipræsule circa annum 625.

Circa 625. ſ Quædam forte post Childoaldum nomina pontificum Abrincensium interciderunt.

IX. Ragertrannus.

Ex archidiacono, Filiberto absenti post Chrodobertum a sancto Audoëno Rotomagensi antistite Gemeticensis abbas subrogatus Ragertrannus, locum Aicrado haud ægre admodum cessit, utpote meliori sorte in sedem Abrincatensem promotus circa annum 682.

Circiter 682. ſ Subscriptus Johannes anno 689, Rotomagensi concilio sub Ansberto archipræsule, conjicitur a Johanne Bollando fuisse Abrincensis episcopus.

X. Sanctus Autbertus.

In domesticis monasterii sancti Michaëlis de periculo maris monumentis legitur beati archangeli facta religiosissimo Autberto Abrincatensi episcopo apparitio, admonentis se velle ut in Monte Tumba ecclesia sub ipsius patrocinio erigeretur. Hærenti antistiti tertio idem intimatum, tandemque operi admota manus. Exstruxit itaque fabricam pontifex culmine non admodum celsam, in modum cryptæ rotundam, quæ homines fere centum caperet, instar illius, quæ in Gargano monte erecta fuerat. Inde, concedente Garganici montis abbate, allata huc dicitur pars rubei palliioli, quod Archangelus super altare reliquerat, cum parte itidem marmoris, super quod steterat. Omnibus rite dispositis facta est novæ basilicæ dedicatio XVII cal. Novembris, ab eodem Autberto episcopo. Quot postea sanctus Autbertus vixerit annos, haud produnt historiæ. Id unum constat post obitum in hac Montis sancti Michaëlis ecclesia conditum fuisse, cujus cum sanctissima ossa prolixiori tempore cunctis mansissent incognita, quod ea sacro inclusa loculo Bernerius quidam loci clericus abscondisset, superno tandem opifici ad loci decus ea manifestare placuit, Richardo II Normannicæ gentis principatum gubernante, & Hildeberto abbate cœnobium regente. Hæc igitur revelatio facta est anno circiter 1012, in qua præter sancti præsulis ossa, inventa est ipsius ara portatu facilis, cum scheda, cui hæc inerat inscriptio : *Hic requiescit corpus S. Auberti Abrincensis episcopi.* Integrum hactenus in ecclesiæ thesauro perseverat in pretiosa theca asservatum, præter caput, quod peculiari theca ibidem inclusum est, & brachium, quod Abrincensi capitulo monachi concesserunt. Illius autem revelationis memoria quotannis recolitur die 18 Junii, cum tanta olim celebritate, ut sub abbatum regularium regimine omnes prioratuum abbatiæ obnoxiorum monachi huc ad illud festum celebrandum concurrerent, ac postridie capitulum generale haberent. Altera corporis ejusdem sancti Autberti facta est revelatio a Roberto abbate monasterii an. 1158, ut ex ipsiusmet appendice discimus. In sancti Autberti laudem sequens distichon cecinit Robertus Cenalis :

Qua sacer æterno Michaël celebratur honore
Rupe, Autberte, tuo conditus es tumulo.

ſ Post Autbertum, nonnulla episcoporum Abrincensium nomina ab hominum memoria excidere, seu injuria bellorum, vel quod ii tantum in diptychis descripti sint, qui ex veterum monumentis posteritati innotuere.

XI. Johannes I.

Recensetur Johannes a Sammarthanis anno 840, forte ex fide Caroli *de la Saussaye* lib. 5 Annalium Aurelianensis ecclesiæ paragr. 40, ubi ostensioni sacrarum reliquiarum a Carolo Magno collectarum, hoc anno factæ, Johannes episcopus Abrincensis cum aliis multis interfuisse Aquisgrani legitur. 84[0]

XII. Ansegaudus.

In translatione corporum sanctorum Ragnoberti episcopi Bajocensis & Zenonis ipsius socii, ex ecclesia beati Victoris ad ecclesiam Salvatoris recens ab Herveo cum tribus altaribus constructam, tertium pontifex Abrincatensis urbis Ansegaudus in veneratione sanctæ Dei genitricis Mariæ & sancti Johannis-Baptistæ benedixit anno 847. Concilio II Suessionensi habito in æde sancti Medardi anno 853 mense Aprili, indict. prima, interfuit, & synodo Vermeriensi II, eodem anno mense Augusto. In Capitularibus regis Caroli Calvi titulo x, fit mentio Ansegaudi; quem conjicimus esse A. pontificem Abrincensem, ad quem exstat epistola CXX Lupi Ferrariensis in gravissima cœnobii sui necessitate auxilium ejus deposcentis. Sp[icil.] tom. [...] pag. [...] 847 853

XIII. Remedius.

Fuit is e præsulibus, qui conventui episcoporum apud Bonogilum habito 855, VIII cal. Septembris interfuerunt. Mart[ene] IV. A[mpl.] col. 6[...] 855

XIV. Waltbertus.

Synodo Tullensi apud Saponarias primæ interest Waltbertus anno 859, mense Junio, Tullensi secundæ apud Tusiacum anno 860, mense 859 860

Octobri, & Pistensi ad Sequanam, seu Suessionensi, ad quam urbem translata est anno 862, ubi præcepto Caroli Calvi pro Sandionysiano monasterio sigillum apposuit suum.

5 Aliquot adhuc præsulum Abrincensium nomenclatura seculo toto deficit.

XV. Norgotus.

Qui Norgodus etiam & Norgaudus, reperitur
Abrecentensis episcopus in authentico diplomate
Richardi I Normanniæ ducis, pro Fiscannensi
monasterio; hujus ecclesiæ dedicationi an. 990,
990. præsens interfuit. Subscripsit idem anno 1017,
1017. instrumento Willelmi Divionensis abbatis, libertatem Fructuariensis cœnobii asserentis. Denique Norgaudus, Mainardo abbate Montis sancti Michaëlis, hoc in monasterio, infulis depositis, monasticen amplexus est, cujus in obituario ad III idus Octobris legitur: *Norgodus episcopus Abrincensis, & postea monachus hujus loci.*

XVI. Maingisus.

Idem qui Mangisus, Maugisus, Maugisius
1022. atque Maugerius, subscripsit anno 1022 cum
multis provinciæ præsulibus documento Richardi
II Normanniæ ducis, abbatiam sancti Paterni &
alia plurima conferentis cœnobio S. Michaëlis
1024. in periculo maris. Anno 1024 testis occurrit
in charta Roberti archiepiscopi Rotomagensis,
qua ecclesiam de Fontinido Carnutensi S. Petri
monasterio jam subjectam, ab omni inquietudine,
tam episcopi quam archidiaconi, eximit eo modo,
quo Gesiaci cella, cui illa ecclesia subjecta est.
Itaque error est in chronica nota 1033, affixa
chartæ XII instrumentorum tom. VIII, col. 297,
sicut & chartæ XIII col. 298. Suum quoque
Maugisus nomen apposuit anno eodem 1024,
instrumento Richardi II Normanniæ ducis pro
Fontanellensi monasterio; & iterum anno sequenti
1025. 1025, mense Aug. in charta ejusdem Richardi
cœnobium beatæ Mariæ de Bernaio dotantis, ac
Gemeticensis possessiones confirmantis, hic *Maugerius* dictus, qui denuo *Maugisus* in alia Richardi
1026. ejusdem charta pro Fiscanno an. 1026. Demum
ejusdem Richardi chartam privilegia S. Michaëlis de Monte, ac præsertim exemtionem ejus ab episcopali jurisdictione, sua ante Robertum metropolitam subscriptione roboravit anno incerto. Maugisi obitus dies notatur 17 Aug. in codice MS sancti Michaëlis de Monte, *al.* XVII calend. Septembris, *seu* 16 Augusti.

XVII. Hugo I.

Accersitur Hugo Abrincensis episcopus anno
1028. 1028 a Roberto Normannorum duce, ad
ordinandum Johannem Fiscannensem abbatem,
ne scilicet officeretur libertati cœnobii Fiscannensis, si id officii Rotomagensis archiepiscopus
1032. impendisset. Subscripsit Hugo 1032 diplomati
Roberti Normanniæ ducis, pro Cerasiensi monasterio. Idem una cum Roberto metropolita & Hugone episcopo Ebroicensi, reperitur in charta restaurationis & exemtionis parthenonis Montisvillaris anno 1035, die 18 Januarii. Meminit ANNI CHRISTI 1035.
Hugonis Abrincensis episcopi chartularium cœnobii sancti Michaëlis de Monte ad annos 1048 1048.
& 1051. Cum Gaufrido Constantiensi, Herberto Lexoviensi, Ivone Sagiensi, & Hugone
Bajocensi præsulibus, anno 1049, convenit ad 1049.
synodum habitam Remis a Leone IX summo pontifice, in basilica Remigiana. Testis etiam est Hugo in charta Guillelmi filii Roberti Normanniæ ducis, donum quoddam S. Michaëli factum die Natali Domini, confirmantis anno
1054. Nomen Hugonis reperitur adhuc cum 1054.
Eduardi regis nomine, in charta ejusdem Guillelmi pro cœnobio sancti Michaëlis. Abrincis sepultum est corpus Hugonis episcopi, cujus obitus dies notatur 5 Aprilis in Abrincensi necrologio, ex codice MS abbatiæ de Lucerna.

XVIII. Johannes II. DE BAYEUX.

Radulfi Bajocarum & Ivreii comitis, qui frater uterinus erat Richardi senioris Normannorum ducis, & Erembergæ filius Johannes, frater autem Hugonis episcopi Bajocensis, ordi-
natur Abrincensis episcopus anno 1060, mense 1060.
Septembri, ex chronicis Goferni & Rotomagi, quem & chronica sancti Stephani Cadomensis
memorant anno 1061. Hoc autem convenit 1061.
cum abbate sancti Michaëlis in periculo maris, ut *Annal. Bened. tom. IV, pag. 614.*
abbas archidiaconi officio fungeretur in Monte, & minores causas ecclesiastico judicio definiret, majores vero, quales sunt matrimonii dissolutio, judicium ferri igniti & quædam similia ad episcopum referret: ea tamen lege, ut abbas singulis annis vestem episcopo convenientem offerret, tresque libras incensi & totidem piperis ac sex tabulas ceræ cum tribus cereis die Purificationis beatæ Mariæ; præterea ut monachi quotannis Abrincas procederent cum capite sancti Autberti in cathedralem sancti Andreæ ecclesiam, unde consilium & chrisma accipiunt ad baptisandos infantes. Circa id tempus subscripsit Johannes judicio lato a Willelmo duce Normannorum, inter Majoris-monasterii & S. Petri de Cultura
monachos. Idem anno 1063 recensitus in codice 1063.
MS sancti Michaëlis de Monte, interfuit eodem provinciali concilio Rotomagensi sub B. Maurilio archiepiscopo. Præsens adhuc legitur anno eodem 1063 in dedicatione cathedralis ecclesiæ Roto-
magensis, parthenonis Cadomensis 1066, & 1066.
Gemeticensis ecclesiæ anno 1067 calendis Julii. *Charta I. col. 61.* 1067.
Denique librum a se compositum de officiis ecclesiasticis dicavit metropolitæ suo, ut constat ex illius ad hunc epistola, quæ sic incipit: *Domino vere sancto & meritis honorando Maurilio, venerabili sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopo Johannes Abrincensis omnium episcoporum meritis infimus, corpore & spiritu totius obedientiæ munus, &c.* ex codice MS prioratus Salicosæ diœcesis Rotomagensis. Postquam Johannes annis septem tribusque mensibus Abrincensi ecclesiæ præfuisset, ad cathedram Rotomagensem assumtus est, quam Lanfrancus Cadomensis abbas oblatam recusaverat, Johanne designato. *Vir* (Lanfrancus) inquit

ANNI CHRISTI

Ordericus Vitalis lib. 3 Hist. *humilitati studens tanti primatus sarcinam refutavit, & sibi ad hunc apicem toto conatu Johannem Abrincensem præsulem præferre satègit. Porro ut canonice fieret ista conjugatio, Romam adiit, prædictæ ordinationis licentiam ab Alexandro papa impetravit, sacrum quoque pallium, unde & ipsi & toti Normanniæ gloriandum erat, cum licentia deportavit.* Tum vero Johannes munificus erga ecclesiam Abrincensem, huic contulit dimidiam terram *de Guevre* seu *de Weure*, (quam S. Filiberti baroniam vocant, in diœcesi Lexoviensi prope Pontem-Audomari). Et hæc donatio postmodum probata est a Guillelmo nato Willelmi filii Osberni, nepotisque Johannis anno 1091, ex Roberto Cenali. Reliqua de Johanne in archiepiscopis Rotomagensibus require col. 31.

XIX. Michael I.

Patria Italus Michaël Johanni ad metropolim translato successit, uti testatur Ordericus Vitalis lib. 3, pag. 507: *In loco ejus*, ait, *Michaël natione Italus, eruditione literarum imbutus, studio religionis venerandus, ad culmen Abrincatensis episcopatus electione legitima est promotus, qui plus quam viginti annis laudabilis pastor floruit, & Roberti ducis tempore beatus senex obiit.* Subscripsisse legitur chartæ fundationis abbatiæ sancti Stephani de Cadomo, factæ a Guillelmo Conquæstore, & alteri ejusdem principis documento donationes baronum & nobilium Normanniæ factas eidem monasterio confirmantis. Testis est anno 1071 in literis Johannis archiepiscopi Rotomagensis, quasdam ecclesias Sandionysiano cœnobio concedentis. Adfuit anno 1072 Rotomag. concilio in ecclesia beatæ Mariæ celebrato, præsente Guillelmo Conquæstore, qui non multo post Michaëli munus demandavit reconciliandi ecclesiam sancti Audoëni Rotomagensis, quæ anno 1073, ipso die festivitatis S. Audoëni, fœdata fuerat. Reperitur Michaël anno 1074 in tabulario Fontanellensi, eodemque Rotomagensi concilio adstitit, & alteri apud Juliobonam provinciali anno 1080, qui jam anno 1077 Gislebertum Maminotum consecraverat episcopum Lexoviensem, & subscripserat chartæ Willelmi Anglorum regis, pro S. Stephano Cadomensi. Præbuit assensum anno 1082 donationi ecclesiæ *de Vezins* suæ diœcesis, factæ monachis sancti Petri de Cultura. Subscripsit anno eodem dono ecclesiæ beatæ Mariæ de Rocheto, a Roberto Moritonii comite facto Majori-monasterio; & fundationem ecclesiæ collegiatæ sancti Ebrulfi factam in urbe Moretonio ab eodem comite confirmavit. Sigillum apposuit suum anno eodem chartis sancti Stephani & sanctissimæ Trinitatis Cadomensis. Testis est anno 1083 in charta Willelmi Angliæ regis, controversiam inter monachos sancti Stephani de Cadomo & sanctimoniales S. Trinitatis ejusdem loci dirimentis. Anno eodem Michaël Abrincensis, Gillebertus Lexoviensis episcopi, & Hugo Cerasiensis abbas, subscribunt chartæ Roberti comitis de Moretonio,

Monast. Anglic. tom II, pag. 956 & 957. col 2. Neustria pia, pag. 627. — 1071. — 1072. — 1073. — 1074. — 1080. — *Order. Vit. lib 5 ad hanc ann.* — Ch. IV. col 68. — 1082. — Chart. IV. col. 107. — Chart. V. col 72. Charta VI, col. 74. Chart. VII. col. 75. — 1083.

A decimum burgensem castri S. Hilarii Floriacensi monasterio largientis. Interfuit idem anno 1087 exsequiis Guillelmi Conquæstoris Angliæ regis. Præsens quoque anno 1091 occurrit in charta Guillelmi nepotis Johannis episcopi decessoris, donum prædii S. Filiberti a prædicto Johanne Abrincensi ecclesiæ factum approbantis in camera Guillelmi archiepiscopi, adstantibus Gisleberto Ebroicensi episcopo, Fulcone abbate sancti Petri supra Divam, & Geraldo Fontanellensi. Denique cum Michaël anno 1093 adiisset Constantiam ad invisendum Gaufridum episcopum morientem, ipsemet anno sequenti 1094 defunctus est, ex Antiquitatibus MSS Normanniæ, in Abrincensi ecclesia sepultus, cujus meminit necrologium Lucernæ VII calendas Februarii.

XX. Turgisus.

Turgisus, Tragisus quandoque, dictus etiam Turgedus, iniit pontificatum anno 1094, utpote cujus annus decimus octavus componitur cum anno Christi 1112, in chartis Radulfi Fulgeriensis, Savigneium dotantis & Henrici I Angliæ regis fundationem hanc confirmantis. Certe Turgisus adest provinciali concilio anno 1096, mense Februario, ubi præsentibus metropolita & sex comprovincialibus episcopis relecta sunt & approbata decreta concilii Claromontensis. Sedit in altera synodo Rotomagensi anno 1118, mense Octobri. Anno eodem Henrico Anglorum regi adstitit judicium ferenti inter Cadomenses & Savigneienses. Quidquid Majus-monasterium in diœcesi Abrincensi possidebat, ei Turgisus episcopus confirmavit anno 1120. Ab exercitu regis cum episcopis Constantiensi & Lexoviensi anno 1124 recessit, contendens episcopos Normanniæ ad id non teneri. Subscripsit chartæ fundationis Radingensis in Anglia cœnobii factæ an. 1125. Adfuit etiam Rotomagi episcoporum simul & abbatum Normanniæ conventui coram Henrico I Angliæ rege, præside Matthæo Albanensi pontifice legato apostolico anno 1128. Insequenti jam senex, ait Ordericus, celebravit nuptias Gaufridi comitis Andegavensis cum Mathilde Anglica Henrici I regis filia. Ab annis ferme triginta Turgisus præsulatum tenebat, cum Ordericus Vitalis pag. 507, librum 4 Historiæ scribebat, qui & ejusdem adhuc meminit lib. XII. Ad eumdem anxium, utris sibi invicem adversantibus præceptis apostolicis & regalibus obsequeretur, exstat epist. CCLXX Ivonis Carnotensis episc. Turgedum appellantis; quem grandævum e vivis excessisse VII idus Januarii anno 1133, testatur Molinæus lib. IX Histor. Normanniæ. Tumulatus est in ecclesia cathedrali.

XXI. Richardus I.

Henrici I regis Anglorum capellanus Richardus de Bellafago, ab eodem rege donatus est episcopatu anno 1134, auctore Roberto de Monte in appendice ad Sigebertum. Illum Ordericus Vitalis lib. XIII, pag. 897, factum episcopum narrat an. 1135, quo revera consecratus est

est ab Hugone *d'Amiens* Rotomagensi archiepiscopo. Insequenti 1136, anno secundo Stephani Angliæ regis canonicos S. Ebrulfi & monachos Moritonienses de jure sepulturæ oppidanorum disceptantes conciliavit. Circa id tempus subscripsit chartæ laudati regis, libertates Salopiensis in Anglia monasterii confirmantis. Mortuum ferunt Richardum anno 1142 chronica Normanniæ; obituaria vero abbatiarum Exaquii & Lucernæ cum Sanvictorino codice MS. 1143, VII cal. Maii. Conditus est in abbatia Beccensi, ubi pater & frater ejus suscepto habitu monastico vitam pie duxerant, teste Guillelmo Gemeticensi lib. 7, cap. 38.

XXII. HEBERTUS, *seu* HERBERTUS I.

Innotescit is ex charta authentica Majoris-monasterii, quam sicut & sequentem manibus nostris contrectavimus & oculis perlustravimus. Illius tenor est talis: *Hebertus, Dei gratia Abrincensis episcopus, omnibus Christi fidelibus salutem. Quoniam labilis est hominis ætas, & dies ejus velut fumus evanescunt, dignum duxi ea quæ in præsentia nostra geruntur, ad posterorum notitiam, litera mediante, servare, ut semper veritas valeat falsitati obviare. Eapropter sciant cuncti hoc scriptum legentes, quod ego Herbertus Abrincensis episcopus, dono & concedo ecclesiæ beatæ Mariæ Moretonii & priori Ranulfo, ecclesiam de Mesnil-Renfredi liberam & quietam in perpetuam eleemosynam jure perpetuo possidendam, quam de manu domini comitis Stephani acceperam, prædictæ ecclesiæ resignandam. Recepto igitur de prioris præsentatione Adelelmo, concessa est ei a priore jam dicta ecclesia, cum tertia parte decimarum, sub annua pensione quinque Cenomanensium solidorum. Ricardus etiam Rasor, & fratres ejus & filii, quidquid juris in eadem ecclesia habebant, Deo & beatæ Mariæ dederunt, ut monachi efficerentur, præter Petrum juvenem, qui a priore decem libras Andegavenses erat habiturus. Ruellenus vero* Cotte *& Guillelmus* Geslin, *qui super donationem ecclesiæ cum Ricardo contendebant, quidquid juris in ea reclamabant, ecclesiæ B. Mariæ concesserunt & in fraternitate recepti sunt. Postea Ruellenus de dominico suo quatuor acras terræ, & unum pratum cum decima medietatis sui molendini, ecclesiæ in eleemosynam contulit. Guillelmus a priore quinquaginta solidos pro caritate recepit. Et sic ecclesia ab omni reclamatione & calumpnia libera remansit. Ut autem imposterum omnis calumpnia sopita remaneret, rei veritatem literis expressam nostri impressione sigilli munitam & testibus subscriptis roboratam calumpniantibus dimisimus opponendam, quorum hæc sunt nomina: Hugo thesaurarius, Gaufridus archidiaconus, Gisbertus cantor, Robertus Pavo, Robertus* Fulcōn, *Guillelmus de sancto Senerio, Bertrannus capellanus, Herbertus, Gauterius, Simon, & plures alii. Acta sunt hæc apud Abrincas, anno Incarnationis M.° C.° XXX.° IX.°* 1139.

Est in tabulario Majoris-monasterii altera ejusdem auctoritatis & anni charta eademque de re: *Stephanus comes Moretonii, omnibus Christi fidelibus salutem. Notum sit præsentibus & futuris, quod dominus & prædecessor noster Robertus comes Moretonii a conquæstione regni Angliæ reversus, ecclesiam de Mesnil-Renfredi cum cimiterio, decimis & præsentatione capellani, quæ* * *in dominico ejus constat esse fundatam, cuidam fideli suo servienti Giroldo, ob remunerationem servitii, in perpetuam dedit hæreditatem, & de hærede in hæredem concessit possidendam. Cum vero sui hæredes per longum tempus eam in pace tenuissent, & quiete possedissent, tandem Ricardus Rasor, qui ejus hæres erat, eamdem ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis in manu mea deposuit, & per manum meam ecclesiæ beatæ Mariæ Moretonii & priori Ranulfo, in perpetuam eleemosynam concessit possidendam, conventione tali, ut Herbertus frater ejus & ipse, atque Oliverius filius ejus monachi efficerentur, & decem libræ Petro Rasor pro concessione ecclesiæ ejusdem a priore solverentur; prior vero de ecclesia, cimiterio, decimis & capellani præsentatione plenarie investitus, ad petitionem quorumdam nobilium, qui aderant, dedit eamdem ecclesiam Adelmo* * *clerico, cum tertia parte decimarum, & in eleemosynam concessit, tenore tali, ut ipse singulis annis de recognitione ejusdem ecclesiæ, quinque solidos Cenomanenses priori persolveret; in dominico vero ecclesiæ & prioris jus patronatus cum duabus decimæ partibus, cimiterio & aliis eleemosynis cum omni libertate remansit. Postea ego Stephanus comes, ne imposterum aliqua ecclesiæ & monachis emergeret calumpnia, prædictam ecclesiam cum cimiterio, decimis & præsentatione capellani, quæ omnia ad jurisdictionem meam jure dominici spectant, ecclesiæ beatæ Mariæ Moretonii, quam mei prædecessores fundaverunt, liberam & quietam in perpetuam eleemosynam dono & jure perpetuo possidendam concedo. Verum ut hoc donum ratum sit & firmum, & futuris fidelibus prospicuum, præsentem chartam præsenti meo sigillo munivi, & fidelibus testibus roboravi, quorum hæc sunt nomina: Henricus de Fulgeriis, Rogerus* de Mille, *Richardus* Pine, *Petrus de sancto Hilario, Philippus* de Juvine, *Ingelrannus* de Toschet, *Eudo* de Mose, *Robertus* de Fontēn, *Guillelmus præpositus, Robertus, & alii plures. Acta sunt hæc apud Moretonium, in aula comitis, anno Incarnati Verbi M.° C.° XXX.° VIIII.°*

* quam. — * Adelelmo, supra.

Ceterum tam incertus est finis episcopatus Heberti, quam incertum exordium.

XXIII. RICHARDUS II. — DE SUBLIGNY.

Nobili genere ex tractu Constantiensi oriundus erat Richardus, cujus familiam notat Cenalis multis suo tempore nominibus insignem. Ex decano factus episcopus memoratur anno 1142, in chartis sancti Michaëlis. Germanum habuit Hasculfum militem, fundatorem abbatiæ de Lucerna in nemore de Curba-fossa, ubi ipse ecclesiam in honorem sanctissimæ Trinitatis consecraverat prius, & postea fratri auctor fuit, ut canonicos regulares constitueret, quibus villam Lucernam concessit Hasculfus anno 1143, Richardus vero ecclesiam *de Montviron.* Biennio post consecravit anno 1145 altare in capella lignea, in valle juxta *Thar,* in quam venerant 1142. Chart. XII, col. 113. 1143. 1145.

ANNI CHRISTI 1151. Lucernenses. Gaufrido abbate sancti Michaëlis A
defuncto mense Januario anni 1151, monachis
auctor fuit, ut Richardum de Musca consangui-
neum suum eligerent, cujus electioni cum refra-
gatus fuisset Henricus II, elegerunt Robertum
Audacem Fiscanni cellerarium. Richardus autem
ab Eugenio III confirmatus, a Richardo episcopo
Abrincensi in ecclesia cathedrali pedo pastorali
donatus est, unaque cum episcopo Romam pergit,
ut Roberti Audacis, qui illuc pergebat, moli-
tionibus obsisteret. Dum autem irent una cum
episcopo Ebroicensi, episcopus uterque a præ-
donibus captus est & in castrum deductus, unde
opera & studio Guillelmi prioris S. Barbaræ in B
Algia uterque egressus est, quem redeuntem
honorifice procuravit Richardus episcopus. Sed
1153. in reditu obiit anno 1153, memoratus 14 Aug.
in necrologio Lucernæ, sepultusque apud *Sequel-
lammelle*, ex Arturo *du Monstier*.

XXIV. HERBERTUS II.

Normanniæ ducis capellanus Herbertus, qui
& Hebertus & aliquando Humbertus, episcopus
ordinatur, non 1152, secundum Normanniæ
chronica ad hunc annum: *Mortuo Richardo episc.
Abrincensi in itinere Romæ, cum illuc perrexisset causa
altercationis duorum electorum abbatiæ S. Michaëlis,* C
*Herbertus capellanus ducis Normanniæ factus est
episcopus prædictæ sedis.* Sed neque forsan anno
1153, quo diximus obiisse Richardum de-
cessorem; sic enim codex MS. Sanvictorinus:
*1154 Herbertus capellanus Henrici ducis & regis
Anglorum.* Certe huic anno suffragantur Nor-
manniæ antiquitates, necnon Robertus Cenalis.
Eodem anno Robertum de Torinneio abbatem
sancti Michaëlis apud sanctum Filibertum de
Monte-forti benedixit die festo S. Magdalenæ,
& adfuit sacro Henrici Angliæ regis apud West-
monasterium XIV calendas Januarii, Dominica
1154. ante Natale Domini 1154. Rem divinam in D
1156. ecclesia sancti Michaëlis peregit anno 1156.
1157. Insequenti 1157, in octavis Pentecostes, una
cum Hugone Rotomagensi, Richardo Constan-
tiensi, & Rotroco Ebroicensi præsulibus, corpus
B. Firmati levavit e tumulo apud Moretonium.
Chart. xx. col. 145. Nominatur Herbertus in præcepto Henrici An-
gliæ regis fundationem Cæsaris-burgi factam a
matre sua Mathilde imperatrice confirmantis.
Ejusdem Herberti nomen inscribitur libro nigro
1158. abbatiæ de Lucerna ad annum 1158, & archivo
1160. sancti Michaëlis de Monte ad annum 1160,
Charta xv. col. 114. quo ab archiepiscopo Rotomagensi inter Abrin-
censem episcopum & abbatem sancti Michaëlis E
de Monte conventio facta est super ecclesiis
1161. Pontis-Ursonis. Obiit Herbertus anno 1161,
mensis Septembris die 6, funeratus in ecclesia
beatæ Mariæ Beccensis communi cum Richardo I
sepultura, uti testatur Robertus de Monte in
supplemento.

XXV. ACHARDUS.

Quem diximus tomo VII, col. 665, nobilem
Normannum e comitatu Domni-frontis, qui
vero dicitur Anglus in epitaphio postea refe-
rendo, Achardus, ex abbate secundo S. Victoris
Parisiensis, *electus primum est in episcopum Sagien-
sem, sed non permissus est ordinari, quia electionem
ejus confirmaverat summus pontifex Adrianus IV,*
ait sanctus Thomas Cantuariensis epistola XIV
ad Alexandrum III, ubi & addit: *Quare permisit
rex, ut idem postmodum fieret episcopus Abrincensis!
Plane quia nulla voluntate præcessit electio.* Adscitus
ergo in episcopum Abrincensem Achardus, pon-
tificatum iniit anno 1161, Martii 27. Anno
eodem Alienoram regis Angliæ filiam de sacro
fonte suscepit una cum Roberto abbate sancti
Michaëlis de Monte, qui sic ea de re loquitur
ad annum 1161: *Regina Alienor apud Domnum-
frontem filiam peperit, quam Henricus presbyter
cardinalis & legatus Romanæ ecclesiæ baptisavit,
& Achardus episcopus Abrincensis & Robertus abbas
sancti Michaëlis de periculo maris, cum aliis multis
de fonte susceperunt; & vocata est Alienor de no-
mine matris suæ.* Circa id tempus, de communi
assensu capituli Abrincensis, fructus præbenda-
rum in Abrincensi ecclesia vacantium assignavit
anno integro abbati & conventui de Lucerna.
Hi quoque terram inter vivarium ipsorum &
nemus sitam, quam prius eis dederat Hasculfus
de Suligneio ei reddiderunt, qui dedit eam
Achardo episcopo; Achardus autem concessit
eam Willelmo de sancto Johanne ad fundandam
abbatiam in honorem sanctissimæ Trinitatis.
Adfuit Achardus anno 1163 translationi sancti
Eduardi Anglorum regis cum Hugone Roto-
magensi archiepiscopo. Scripsit anno 1164 ad
Henricum Bajocensem pro Johanne Saresberiensi.
Eodem anno cum Ansgoto abbate primarium
lapidem ecclesiæ Lucernensis in fundamento
posuit. Quædam opuscula Achardo tribuuntur,
qui diem clausit extremum 29 Martii 1171.
Quiescit in templo S. Trinitatis de Lucerna,
cujus audit benefactor insignis, tumulo conditus
aliquantisper a terra elevato, extra chorum qui-
dem, sed juxta parietem ipsius chori ad cornu
epistolæ, ante ostium quo itur in claustrum,
cum epitaphio, quod videsis Neustriæ piæ pag.
796, cujus loco hic alterum exscribam, auctore
Roberto Cenali:

Anglia me genuit, docuit me Gallia, legis
Doctorem tenuit illa patremque gregis,
Pontificem faciens fecit Normannia finem.
Hæc tulit, extulit hæc, abstulit hæc hominem.

Beatos inter viros ordinis canonicorum regu-
larium sancti Victoris Parisiensis, Achardus an-
numeratur a Gabriele Pennoto lib. 2 Histor.
clericorum canonicorum cap. 57, paragr. 2.

XXVI. RICHARDUS III.

Ex archidiacono Constantiensi Richardus
Abrincensis episcopus dedit chartam de restituta
a canonicis Lucernæ terra & attributa Willelmo
de sancto Johanne, ad fundandam abbatiam ab
Achardo prædecessore suo. Confirmavit anno
1171 abbati sancti Michaëlis Roberto ecclesiam

sancti Medardi de Drageio. Insequenti 1172 habitum est Abrincis concilium, in quo Henricus II Angliæ rex a sacrilega sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi nece jam ante per legatos absolutus, denuo restituitur ecclesiasticæ communioni. Testis est Richardus anno 1174 A
1174. in charta conventionis Willelmi Scotorum regis cum Henrico Angliæ rege. Memoratur idem in instrumento electionis Rollandi ex Abrincensi
1177. decano Dolensis pontificis anno 1177, cum Henrico Bajocensi antistite, & Roberto abbate sancti Michaëlis, ex ejusdem abbatis chronico.
1178. Interest 1178 dedicationi basilicæ Beccensis, XIV calendas Aprilis. Anno eodem, die sancti B Thomæ apostoli 21 Decembris, ascetas Lucernenses induxit in novam ecclesiam, cujus altare hoc ipso die in honorem omnium apostolorum consecravit. Motam inter abbates S. Michaëlis & Lucernæ controversiam, sedavit eodem anno Richardus cum Rotrodo Rotomagensi archipræsule, & Alberto Macloviensi episcopo. De Richardo sic legitur in chronico Saviniaci: *Anno*
1181. *Domini MCLXXXI, V* cal. Junii, dedicata est basilica sanctæ Katerinæ a domno Richardo Abrincensi episcopo;* eodemque præsente, Henricus Bajocensis episcopus dedicavit ecclesiam beatæ Mariæ de Voto in territorio Rotomagensi anno C 1181, III nonas Martii. Sub id tempus Arnulfi Lexoviensis episcopi causæ adversus canonicos judicum alter exstitit, de quo ut adversario scribens Arnulfus ad Lucium papam conqueritur.
1182. Vivere desiit Richardus anno 1182 IV calend. Augusti, ex necrologio Lucernæ, de quo sic habetur in appendice Roberti de Monte: *Obiit pater noster Richardus, vir magnæ literaturæ, tam secularis quam divinæ, morum honestate virgo ab utero laudandus.* Jacet in Abrincensi ecclesia e regione altaris S. Martini, inter ecclesiæ pilas.

XXVII. GUILLELMUS I.

D Ipsomet anno decessoris obitus renunciatur episcopus Guillelmus cognomento *Burellus*, de quo Robertus de Monte sic ad annum 1182: *Guillelmus decanus canonicorum sancti Petri de Curte, quæ est capella regis apud Genomannensem urbem, electus est ad episcopatum Abrincensem.* Memoratur in libro nigro Lucernæ ad annos
1184. Christi 1184, 1185, 1187, 1188, 1191 &
1185. 1194, & in chartulario S. Michaëlis de Monte
1186. ad annos 1186 & 1194. Præsens laudatur donationi abbatiæ beatæ Mariæ de Campania,
1188. factæ Cisterciensibus monachis anno 1188 E mense Decembri. Anno 1190, vel 1191, cum aliis provinciæ episcopis diremit controversiam motam inter ecclesiam Rotomagensem & Willelmum filium Radulfi senescallum Normanniæ. Ex dictis liquet Guillelmi obitum perperam
1191. assignari inter annos 1191 & 1194, in chro-
1194. nico Saviniaci, cujus in obituario dies notatur 18 Octobris, qui XVI calend. Aprilis in Gallia christiana quadripartita. Sepultus est Abrincis in ipso cathedralis ecclesiæ vestibuli ostio, cui ecclesiæ varia legata contulisse legitur.

ANNI CHRISTI

XXVIII. GUILLELMUS II. DE CHEMILLE al. DE CHIMELY.

Prætermissus a Sammarthanis Guillelmus de Chimeleio, ex archidiacono Richmundiæ factus est episcopus Abrincensis anno 1196, a Richardo 1196.
Angliæ rege, teste Hovedeno, & a metropolitano suo confirmatus, eodemque regem inter & Walterum archiepiscopum Rotomagensem factæ permutationi adhuc electus subscripsit. Postquam Ch. XXVI. col. 18.
in ecclesia Abrincensi aliquandiu tam in spiritualibus quam in temporalibus ministrasset, nondum consecratus, ab archiepiscopo Rotomagensi liber dimissus & absolutus est, & a Turonensi ad ecclesiam Andegavensem translatus. Quamobrem uterque archiepiscopus a confirmatione & consecratione pontificum, & Guillelmus ab officii pontificalis executione suspensus est a Bituricensi jusso ab Innocentio III, V cal. Maii 1198, qui ob urgentem ecclesiæ Andegavensis 1198.
necessitatem, evidentemque utilitatem eos absolvit III nonas Decembris anni ejusdem. Vide epistolas Innocentii III editionis Baluzianæ tom. I, epist. 117, 447, & 532.

XXIX. GUILLELMUS III. TOLLERMEN.

Willelmo ad ecclesiam Andegavensem ab archiepiscopo Turonensi translato, spretaque N. de Aquila magistri scholarum Abrincensium appellatione ne inconsulto summo pontifice eligerent canonici, W. *Tollermen*, seu Tolomeum clericum senescalli Normanniæ, curiæ nexibus adstrictum, filios habentem undecumque, illiteratum, & in minoribus ordinibus constitutum, diaconum ordinari fecerunt, & in octavis sanctæ Crucis 1198 elegerunt. Quod cum ad aures summi pontificis pervenisset, canonicos aliquot Romam vocavit VII idus Decembris, ad Dominicam qua cantatur *Lætare Jerusalem;* & Rotomagensi archiepiscopo præcepit nonis mensis ejusdem, ne interim ad confirmationem cujusquam, nec consecrationem procederet, electionemque nullam declaravit XVI calendas Aprilis, pontificatus secundo, & canonicis mandavit ut canonice & concorditer eligerent episcopum, qui tam præesse posset quam prodesse.

Electus iterum videtur Guillelmus, qui memoratur in literis Richardi Angliæ regis, dantis monachis de Voto immunitatem a quocumque tributo pro transitu rerum suarum XI Decemb. regni X, apud Rupem-Andeliaci. Meminit Guillelmi chartularium abbatiæ de Lucerna ad annos 1200 & 1202. Ecclesiam sancti Laudi super 1200.
Viriam consecravit hoc anno 1202, cum Viviano episcopo Constantiensi. Aliquot post annis 1202.
cum episcopis provinciæ subscripsit chartæ Walterii archiepiscopi capitulo Rotomagensi benefacientis. Scripsit cum metropolita & aliis coepiscopis ad Philippum Augustum Franciæ regem, paulo post subactam Normanniam super contentione mota de jure patronatus; qua de re scripsit idem Philippus ad ballivos Normanniæ anno 1207, mense Octobri. Anno eodem Guillelmus 1207.
cum capitulo transegit de reditibus præbendarum

ANNI CHRISTI Ch. XVII. col. 115. in ecclesia Abrincensi vacantium, quos canonicis
de Lucerna assignaverat Achardus quondam epi-
scopus. Occurrit adhuc anno 1209 in chartu-
1209. lario ecclesiæ cathedralis. Obiit Guillelmus anno
1210. 1210, ex chronico Saviniacensi, ultima Augusti
ex Sammarthanis, qui cognominant eum *Foulon*,
alii vero Ptolomeum & Folonei. Nos autem
Guillelmum reperimus defunctum XI calendas
Septembris, sepultumque ante majus altare a
parte dextra; ad cujus anniversarium solenniter
agendum se jure gratitudinis obligavit Abrin-
cense capitulum ob ingentia bona, quibus &
ecclesiam & canonicos cumulaverat.

BURELLUS.

XXX. Guillelmus IV.

Willelmo Tolomeo defuncto succedit Guil-
lelmus alter *Burellus* junior, ex chronico Savi-
niaci, de Ostilleio cognominatus, forte quia inde
erat ortus. Hujus autem, ut legitur in chronico,
cum crevit dignitas, crevit & probitas. Literis datis
1212. anno 1212 declaravit se aut successores interesse
non debere electioni abbatum sancti Michaëlis.
1213. Anno 1213 dissidium motum decanum inter
Abrincensem & abbatem sancti Michaëlis com-
1220. pescuit. Consecravit anno 1220, VI idus Maii,
novam Saviniaci basilicam, cum Roberto Pullo
Rotomagensi archiepiscopo, Roberto *d'Ablagel*
Bajocensi, Guillelmo *du Pont-de-l'arche* Lexo-
viensi, Hugone *de Morville* Constantiensi, &
Gervasio Sagiensi episcopis. Defuncti Philippi
Augusti Franciæ regis pridie idus Julii anno
1223. 1223, interfuit exsequiis apud S. Dionysium
Marten. t. I. Anecdot. col. 931 & 942. celebratis. Duas ad R. abbatem sancti Michaëlis
scripsit epistolas: prima anni 1225, die festo
sancti Gregorii, hoc est 1226, significat ei
1226. mandatum Romani legati excommunicantis om-
nes, qui regno & regi Franciæ adversus Albi-
genses Crucesignato molestiam inferrent; altera
1227. epistola anni 1227 jubetur abbas, ut latam ab
episcopo sententiam excommunicationis in per-
turbatores ecclesiasticæ pacis, tam in Abrincensi
capitulo quam in ceteris diœceseos ecclesiis
publicet, & faciat per viros idoneos solenniter
1230. publicari. Occurrit adhuc Guillelmus an. 1230
Ibidem, col. 962. mense Martio, die Mercurii post festum sancti
Albini, in charta initæ compositionis inter
Radulfum sancti Michaëlis quondam abbatem,
& ipsius successorem. Adstitit hoc anno scacario
apud Rotomagum, ex archivis Rotomagensis
archiepiscopi. Mense Novembri ejusdem anni,
Ampliss. Collect. Marten. tom. I, col. 1254. rex sanctus Ludovicus assignavit Guillelmo duo-
decim libratas Turonensis monetæ, ab ipso &
successoribus singulis annis percipiendas, in damni
compensationem, quod pertulerat in *jardino* suo,
quando rex fieri fecit fossata castri sui ad *infor-
tiandam* villam Abrincatensem. Memoratur in
1231. diversis chartulariis ab anno 1213 ad 1231.
Ch. XIX. col. 117. Pactum iniit cum Radulfo abbate Montis sancti
Michaëlis, super jurisdictione Montis & rebus
aliis. Guillelmi ejusdem auspiciis xenodochium
ab area S. Gervasii translatum est ad suburbium
in vicum *Maulone*, inter civitatem Abrincas &
villam de Pontibus, datis eleemosynæ titulo

A fundis vacuis; unde hi versus inibi leguntur:

Huic domui primum Guillelmus præbuit ortum,
Quem Dominus faciat cœli conscendere portum.

Obiit Guillelmus apud Abrincas anno 1236, in festo sanctorum Simonis & Judæ apostolorum, & in crastino cum multo honore est delatus Saviniacum, & ibidem die tertia est sepultus, ex chronico Saviniaci. Et certe anniversarium ejus solenniter agitur a canonicis ecclesiæ cathedralis, IV calendas Novembris.

XXXI. Guillelmus V.

B Ortus ex pago sanctæ Mariæ *al.* de sancta Matre ecclesia Guillelmus, ex decano Abrincensis ecclesiæ ejusdem electus est episcopus in crastino octavarum beati Andreæ apostoli. Confirmatus autem a P. electo Rotomagensi, eo præsente, consecratus fuit ab episcopo Silvanectensi mense Decembri anno 1236, ex chronicis Saviniaci & Rotomagensi. Insequenti composuit cum monachis sancti Michaëlis de juribus in villa Montis & intra septa monasterii die 2 Februarii, de quibus prius conventum fuerat inter W. de Ostilleio quondam episcopum, & R. abbatem. Eodem anno Petrum Rotomagensem electum in
C æde metropolitana consecravit in vigilia sancti Laurentii martyris, præsentibus archiepiscopis, episcopis, proceribus, &c. Memoratur in libro nigro Lucernæ ad annos 1242, 1243 & 1252. Quædam anno 1250 acquisivit apud Cadomum, eodemque, die Jovis ante festum S. Scholasticæ excusavit se Odoni Rotomagensi archiepiscopo, quod consecrationi J. electi Constantiensis, Dominica die ante Cathedram S. Petri, peragendæ interesse non posset. Is esse videtur Guillelmus, Abrincensis episcopus, qui a Bollando tom. I Januarii, pag. 1089, translationem corporis sanctæ Genovefæ e vetusta in capsam novam
D promovisse dicitur, regnante sancto Ludovico, & abbate Roberto de Firmitate-Milonis. Idem est, ut par est credere, quem diximus tomo VII, col. 740, ita commemorari in necrologio sanctæ Genovefæ Parisiensis: *V calend. Novembris anniversarium bonæ memoriæ Guillelmi Abrinc. episcopi, qui dedit nobis 20 libras Turonenses ad opus capsæ sanctæ Genovefæ. Anno 1252, XIII cal. Martii, magister Willelmus de sanctæ Mariæ ecclesia episcopus Abrincensis, migravit a seculo, vir admodum literatus & timens Deum, necnon & religionis amator.* Ita chronicon Saviniaci. Necrologium Lucernæ meminit ejusdem XII cal. Martii & XIII calend.
E Julii. Sepultus jacet Abrincis in capella beatæ Mariæ cathedralis ecclesiæ, e regione principis aræ ad sinistram; de quo in quadam sacrarum reliquiarum capsa, quæ majori supereminet altari, hæc leguntur, teste Roberto Cenali: *Anno Domini 1257, factum est latus hujus capsulæ de argento & pecunia Guillelmi* de sainte Marie *ecclesiæ quondam episcopi Abrincensis.*

XXXII. Richardus IV.

Omnibus in catalogis omissus Richardus sic

1253. enunciatur in chronico Saviniacensi ad annum 1253 : *Magister Richardus dictus* Laneus, *canonicus Abrincensis, qui tunc erat Romæ, canonice electus est, & a D. papa Innocentio consecratus episcopus Abrincensis,* qui regalia dimitti ei postulavit a ministris regis anno pontificatus XI, id
1254. est 1254. Ab aliquot canonicis electus fuerat, aliis ad sedem apostolicam appellantibus coram Odone Rotomagensi archiepiscopo anno 1253, die Martis post *Quasimodo*, unde forte Romam petierat. Anno eodem interfuit translationi corporis S. Juliani primi Cenomannensium episcopi,
1255. ex veteri in capsam novam. Auxit anno 1255 Marianum sacellum cathedralis uno capellano &
1256. clericis decem ; vicarioque utebatur anno 1256 in octavis Paschæ, A. decano Abrincensis ec-
1257. clesiæ. Recensetur adhuc annis 1253 & 1257, in libro nigro Lucernæ; & iterum anno 1257 in archivis Rotomagensis archiepiscopi.

XXXIII. GUILLELMUS VI.

Inter Guillelmum episcopum Abrincensem & archiepiscopum Rotomagensem inita est compositio pro jurisdictione anno 1257. Is est sane episcopus Abrincensis W. qui anno MCCLVIII
1258. die Dominica post translationem B. Benedicti, recognovit Lonlaii monachos habere decimam parochiæ *de Cherencey* Abrincensis diœcesis, ex apographo vetustissimo, quod exstat in tabulario Lonlaii.

XXXIV. RICHARDUS V.

Anglicus cognominatus Richardus in chronico sancti Michaëlis, qui *Anglus* a Sammarthanis & a Roberto Cenali *Angelus*, subscripsit anno
1259. 1259 literis episcoporum regi sancto Ludovico concedentium, ut piis operibus impenderet bona, quæ ignotis restituenda erant, ex thesauro chartarum. Occurrit in libro nigro Lucernæ
1262. annis 1262 & 1263, & in chartario sancti
1263. Michaëlis anno 1264. Memoratur cum Odone
1264. archiepiscopo 5 Septembris 1265. Insequenti
1265. 1266 occurrit in tabulario sancti Michaëlis,
1266. & in libro nigro Lucernæ anno 1267. Ei sanctus
1267. Ludovicus Francorum rex permisit duas ædiculas sacras ædificare, fossatis urbis contiguas, aliam sancto Egidio & aliam sancto Johanni Baptistæ
1268. sacram anno 1268. Obtinuit ab eodem rege
1269. anno 1269, mense Julio, licentiam protendendi vivarium suum usque ad portam, quæ vocatur etiamnum *Bandenge*. Denascitur hoc ipso anno 1269, quo in ejus defuncti locum petiere canonici a rege facultatem alterius eligendi, ex thesauro chartarum. Sepultus est Abrincis in ecclesia cathedrali, ante altare B. Mariæ. Richardi obitus dies (num hujus?) recolitur in ecclesia cathedrali Lexoviensi 24 Januarii, ex necrolog. hujus ecclesiæ.

5 « Subscriptus Hugo legitur an. 1264 donationi duarum ædium prope Palatium Thermarum Parisiis, factæ magistris & scholaribus, qui theologiæ A operam dabant (nunc celebre collegium est Sorbonæ dictum) quarum ædium permutatio facta fuit eodem anno regem inter S. Ludovicum & Robertum de Sorbona canonicum Parisiensem, quam idem Hugo confirmavit, uti ex chartis regiis colligere nobis licuit, aiunt Sammarthani. Sepultus est Hugo in ecclesia sua cathedrali, secundum antiquos cœnobii de Lucerna codices MSS. In martyrologio Abrincensi consignatur obitus cujusdam Hugonis episcopi die 5 Aprilis, sed utrum hujus, de quo nunc agimus, non constat, cum de anno nil prorsus habeatur ». Ita Sammarthani.

B

XXXV. RADULFUS, *seu* RODULFUS. DE THIEVILLE.

Thevillana editus familia Radulfus habuit ex fratre nepotem Guillelmum Constantiensem episcopum. Electus ipse Abrincensis episcopus, confirmatur anno 1269, III nonas Novemb. apud sanctum Georgium de Bochervilla ab Odone Rotomagensi archiepiscopo, qui anno eodem pro illo regalia petiit. Reperitur anno 1273 in libro albo Abrincensis ecclesiæ, & anno 1275 in libro nigro Lucernæ. Post 23 pontificatus annos exstinctus an. 1292, sepultus est Abrincis prope decessorem a dextris, ex catalogo Lucernæ. Huic appositum est epitaphium sequens :

Tom. II invent. thes. chart.
1273.
1275.
1292.

C

D. O. M.

En Rodolfus Thevillus, viator, Thevillanæ familiæ, unde tot martes, tot soles, sydus novum, proh dolor! occiduum. Lucebat nuper non Abrincatinæ tantum ecclesiæ, sed Francicæ universæ, sed exteris populis, nunc terris desiduum partim, partim astra inter defixum & alio micans orbe quiescit. Hic a se genere sublimis, virtute admodum humilis, a majoribus fortiter generosus, incredibili animi magnitudine ardua quæque ad ecclesiæ utilitatem aggressus superabat. Cleri D *custos & pater, pauperum confugium, oppressorum azylus, virtutum archetypus & pietatis, sacras ille infulas & dignitatis apostolicæ insignia, quibus vivens a populis honorem debitum satagebat exhiberi, hic moriens posuit. Non te pluribus, viator; quod nunc es fuit, fac sis quod tunc erat, eris enim brevi quod nunc est. Vale, & mortuo bene precare. Obiit anno* 1292.

XXXVI. GAUFRIDUS. BOUCHER.

Ex decano Abrincensi & canonico Parisiensi Gaufridus, dictus Lanius seu Carnifex, Abrincensis electus episcopus, anno 1293 confirmatus 1293.
E est ab Odone Rotomagensi archiepiscopo, qui hoc illi anno regalia dimitti postulavit a rege. Anno 1296 fuit arbiter Gaufridus inter Petrum 1296.
Bajocensem episcopum & priorem S. Gabrielis. Anno eodem ballivus pagi Constantiensis ei nomine regis cessit, & ejus ecclesiæ atque successoribus molendina quædam regia pro annuo censu; quæ Philippus rex confirmavit mense Junio anni 1303. Gaufridi nomen habetur in 1303.
concilio provinciali apud Pintarvillam an. 1304, Ch. XVII. col. 173.
die Martis post festum beatæ Agathæ, id est 1304.

ANNI CHRISTI 1305. anno 1305. Et certe Gaufridus sedem tenuit ab anno 1293 per annos tredecim, ut habent chartophylacia thesauri regii, inquiunt Sammarthani. Obiit II calendas Februarii anno 1305 (1306) ex chronico Saviniaci; die vero 12 Februarii e schedis D. *du Fourny*: *Et duravit*, inquit, *regalia usque ad diem Martis post Circumcisionem Domini 1306* (1307). Hunc quoque Gaufridi obitus diem 12 Februarii habet necrologium abbatiæ sancti Ebrulfi, his verbis: *II idus Februarii obiit D. Gaufridus Carnifex episcopus Abrincensis, qui nobis contulit ad usus pitanc. 80 libras (*al. *centum ter viginti) pro faciendo suo anniversario.* Abrincis sepulturam sortitus est in sacello beatæ Mariæ in cathedrali, non longe a Radulfo decessore, ex codice MS. S. Michaëlis,

1306. ubi mortuus dicitur 1306, die lunæ 14 Febr. sancto Valentino sacra, IV idus Aprilis, in codice MS. sancti Victoris Parisiensis, & 8 Martii in necrologio Cornevillæ.

DE LUSARCHES.

XXXVII. NICOLAUS.

De Nicolao jam diximus t. VII, col. 260, in decanis S. Germani Autissiodorensis apud Paris. Ex clerico regis & præposito de Awso * assumtus est ad infulas Abrincenses a Clemente V, pontificatus anno primo: qua de promotione pontifici grates rependit rex. Bullæ autem Clementis, inquiunt Sammarthani, exstat archetypum in tabulario regio; spoponderat enim Nicolaus regi exhibiturum se suæ promotionis literas, annuens si secus faceret, ut rem ipsius temporalem rex occuparet; quibus a rege visis literis, statim Nicolaus an. 1306, die Martis ante Epiphaniam, scilicet

* *forte* Auversio.

Baluz. vit. Pap. Aven. t. II. col. 87.

1307. anno 1307, regalia suscepit a rege Philippo IV. Cameræ apostolicæ solvit anno 1307, die 23 Junii. Anno eodem, Christo morienti sacra die invisit abbatiam sancti Michaëlis, in qua postridie sacros ordines celebravit, scripto professus nolle se monasterii juribus officere. Dissidium anno

1308. 1308, feria IV, post festum sancti Bartholomæi, composuit inter abbatem sancti Michaëlis &

1309. parochum de Curceio. Memoratur anno 1309 in libro nigro Lucernæ. Biennio post obiit, cum ecclesiam Abrincensem annis quatuor, totidemque mensibus rexisset; vixit enim ad annum

1311. 1311, circa festum S. Marci, qua die cœperunt regalia usque ad diem lunæ post Assumptionem beatæ Mariæ, ex D. *du Fourny*. Obitus ejus notatur dies VIII calendas Maii in necrologio Lucernæ. Jacet Parisiis apud sanctam Genovefam, qua de re Robertus Cenalis, cum urbs Abrinca sita sit in monte & ecclesia cathedralis sancto Andreæ apostolo sacra, ludens in verbis, hos duos composuit versus:

Ex monte in montem saliens, Nicolae, venisti,
Vivum te Andreas cepit, Genovefa sepultum.

DE PONTORSON.

XXXVIII. MICHAEL II.

Excepit Nicolaum Michael. Prima solum litera nominis M. designatus, occurrit Abrincensis episcopus an. 1311, die Natali Domini, dieque

A Dominica post Epiphaniam. Sedit anno uno & mensibus quinque, vita functus idibus Decemb. anno 1312, ex Sammarthanis, cujus obitus dies notatur IV idus Decemb. in necrologio Lucernæ. Jacet in ecclesia cathedrali.

A CHI 13

DE MOI

XXXIX. JOHANNES III.

Hanc ecclesiam suscepit administrandam Johannes, ex Antiquitatibus Normanniæ, mense Martio anni 1312. Passus tamen æmulum est Johannem *Tesson* rectorem ecclesiæ de Gothfrida, perduravitque interpontificium ab anno 1313 131

ad 1316, quo vacabat adhuc sedes feria V, in

B festo sancti Martini hiemalis. Numquid & tertius accessit competitor Guillelmus, quem a Johanne XXII confirmatum, regique commendatum anno pontificatus primo legimus? Vicisse tamen Johannes de Musca videtur; quippe qui anno 1316, die 17 Novemb. promisit cameræ, ex 131

libro obligationum, quique anno eodem Rotomagum adiit ut scacario præsideret, ex Antiquitatibus Normanniæ. Memoratur anno 1317 131

cum Johanne abbate Majoris-monasterii in libro albo Abrincensis ecclesiæ. Eodem tempore conventionem iniit cum Guidone Lexoviensi episcopo, de patronatu ecclesiarum de Sepe-spinosa,

C *d'Espineuse*, & sancti Audoëni de Fraxinosa. Pepigit quoque anno 1319 cum Simone abbate 131

sancti Stephani Cadomensis, de jure quarumdam piscariarum, & anno 1326 pacificum iniit con- 132

ventum cum priore *de Buaiz*. Præfuit Johannes undecim annis & quindecim diebus, ad annum videlicet 1327, ex Sammarthanis. Mortuus 132;

autem die 13 Martii, tumulo conditur in ecclesia Lucernæ juxta patrem, ante capellam sancti Michaëlis.

XL. JOHANNES IV.

DE VIEN

Oriundus ex oppido Vienna prope Bajocas,

D & inde cognomen sortitus Johannes, electus Abrincensis episcopus, cameræ apostolicæ promisit 17 Maii 1328, ex regestis Vaticani. 1328

Eodem anno a rege Philippo Valesio habuit in mandatis, Curtraci aliarumque arcium evertere propugnacula. Qua de re sic Robertus Gaguinus: *Eadem tempestate*, inquit, *rex Philippus animo volvens, quam proclives Flamingi ad seditionem semper exstitissent, misso Johanne Abrincensi antistite, portas Iprensis oppidi, atque Curtraci & aliarum arcium munitiones dirui confestim jubet.* Anno eodem Johannes regia munitus auctoritate, conditiones initæ pacis cum Belgis exsecutioni demandavit,

E absolvitque Brugenses ab excommunicatione. An. 1329 Johannes adhuc *electus* & *confirmatus*, 1329

obtinuit ab abbate sancti Michaëlis facultatem venandi in saltu *de Neron* per tres annos, ipso die 8 Septembris professus in suis ædibus Parci, se vel successores aut capitulum ex hac concessione nullum jus obtendere posse. Idem *electus Abrincensis* anno 1330, libellorum supplicum 1330

magister, pepigit die festo Purificationis beatæ Mariæ, cum abbate S. Michaëlis, super juribus in villa Montis & intra monasterii septa. Eodem,

tertio a sua confirmatione anno, necdum consecratus, Morinensi præfectus est ecclesiæ, & inde ad Remensem traductus, qua in metropoli quiescit, uti tomo IX dictum est. De eo Cenalis hunc in modum cecinit:

Pascis Abrincatuos, Morinosque ac denique Remos;
Sicque trimegistum te tua gesta probant.

XLI. JOHANNES V.

Cognomento *Austfrien*, al. *Hautfune*, Johannes, corrupte *Hautfrime*, ait Arturus, translato ad Morinensem ecclesiam Johanne *de Vienne*, Abrincensis electus promisit cameræ apostolicæ 4 B
1331. Februarii 1331. Insequenti cantoris officio in
1332. ecclesia Abrincensi præbendam annexuit. Ad concilium provinciæ Remensis convenit anno
1335. 1335, eodemque ad Angliæ regem cum Radulfo de Campionis & Henrico de Monte-felici a Philippo Franciæ rege missus est 29 Maii. Reperitur in regestis cameræ rationum Paris. anno
1338. 1338, de proventu totius terræ regis Navarræ,
1339. comitis Ebroicensis. Anno sequenti 1339 ob rerum agendarum peritiam, apud Normannos gratiam promeritus, memorabilem suscepit legationem pro immunitatibus & privilegiis hujus provinciæ servandis. Dedicavit ecclesiam mona- C sterii Beccensis in honorem B. Mariæ virginis
1342. & Omnium sanctorum anno 1342, die 15 Sept. præsentibus G. Lexoviensi & Johanne Papiensi episcopis, &c. Anno eodem, 14 Decembris, delegatus ab Aimerico archiepiscopo Rotomag. ipsiusque absentis vices gerens, cum G. Sagiensi & G. Lexoviensi episcopis, necnon G. Bajocensis, R. Ebroicensis atque G. Constantiensis præsulum procuratoribus, concilium habuit provinciæ in capella archiepiscopi Rotomagensis.
1346. Anno 1346 Johannes episcopus Abrincensis, Petrus abbas sancti Richarii & Petrus abbas de Cornevilla visitatores, inquisitores, reformatores D & correctores super monasterio sanctæ Trinitatis Fiscannensis, tam in capite quam in membris, a sede apostolica deputati sunt; necnon qui amice componerent Nicolaum abbatem cum monachis.
1348. Biennio post, 1348, invisit monasterium sancti Michaëlis, ibique mansit toto mense Septembri.
1354. Cameræ apostolicæ promisit 21 Aprilis 1354,
1355. ex regestis Vaticani. Occurrit anno 1355 in libro albo Abrincensis ecclesiæ. Rotomagi, quo propter bella Francos inter & Anglos, aufugerat, solenne sacrum in pontificalibus ad altare majus ecclesiæ metropolitanæ celebravit 11 Januarii,
1358. feria v, 1358, in exsequiis Haricuriani comitis, E quibus interfuit rex Navarræ cum multis aliis proceribus. Dedicavit anno eodem ecclesiam Gemeticensem. Munificum se præbuit erga monasterium sancti Michaëlis de Monte, largitus libras 50 ad comparandos reditus. Denique rexit ecclesiam Abrincensem annis septem & viginti, tribusque mensibus, & obiit die 4 Junii 1358, cujus elogium habet codex MS. sancti Victoris Parisiensis, his verbis: *Johannes noster sanctæ memoriæ, dilectus a Deo & hominibus, in*

A *prædicationibus, in ordinibus & divinis officiis sic devotus, ut insistentes ad devotionis augmentum promoveret. Hic devotissime ecclesiam beatæ Mariæ de Becco dedicavit in octava Nativitatis ejusdem Dei genitricis, & consequenter basilicam sancti Petri de Gemetico. Successu vero temporis propter guerras regum Francorum, Anglorum & Navarræorum, exsul ab urbe & diœcesi Rotomagum confugit ad securitatem, & tandem ibidem migravit ad Dominum, sepultusque est honorifice in tumulo lapideo, in monasterio S. Petri & Audoëni, secundum affectionis suæ . . . . . in capella præcipui patroni sui beati Andreæ apostoli, anno Domini 1358.* Ita quoque catalogus Lucernæ.

5 Sedente Johanne, Johannes alter Abrincensis ecclesiæ thesaurarius & canonicus, factus est cardinalis diaconus tituli sancti Georgii ad Velum-aureum.

XLII. FULCO. BARDOUL.

« Ortu Redonensis in Aremorica Fulco, ex decano Andegavensi præsul Abrincensis creatur « anno 1358. » Ita Sammarthani, qui tamen hunc omisere in serie decanorum Andegavensium. Codex vero MS. abbatiæ sancti Michaëlis de Monte, Fulconem perperam sequenti postpositum docet & mortuum anno 1380, die 22 Augusti. Florebat tunc temporis Fulco *Bardouil* regi a consiliis, cui sigillum Castelleti Parisiensis commissum fuit annis 1349 & 1357.

XLIII. ROBERTUS I. DE LA PORTE.

Patria Cadomensis & juris canonici professor Robertus, regis Navarræ cancellarius, electus Abrincensis a Carolo Delfino regni administro obtinuit die 5 Novemb. 1359 regalia. Episcopus 1359.
autem Caletum missus a Carolo Navarræ rege, pacem cum rege Franciæ composuit 24 Octob.
1360. Eodem obtinuit tutelare diploma ab 1360.
Eduardo III, die 22 Julii 1360, & per regnum suum commeandi facultatem 16 Julii 1362.
Solvit anno 1361, 22 Dec. cameræ apostolicæ. 1361.
Cum Guillelmo Cæsaris burgi abbate vocatur regis Navarræ consiliarius & vices gerens capitalis Boïorum locum tenentis Navarræ regis anno 1364.
1364, diebus 27 Junii & 8 Augusti in chartis
D. *de Gaignieres*, ubi memoratur 1365 die prima 1365.
Decemb. Anno sequenti, Roberto Cenali testante, 1366.
enatam pœnitentiarium inter & capellanos sacelli beatæ Mariæ contentionem sedavit. Die 5 Martii
1368 locum tenens capitalis Boïorum pro rege 1368.
Navarræ appellatur in charta D. *de Gaignieres*; & in altera ejusdem anni dicitur locum tenens regis Navarræ in Normannia. Admisit ad ecclesiam parochialem S. Sulpitii de Maceio Johannem de Porta, præsentatum a Guillelmo *d'Oranges* milite
anno 1375, die Veneris ante Resurrectionem 1375.
Domini. Pepigit hoc ipso anno 1376, fer. v ante 1376.
festum S. Andreæ, cum Gaufrido abbate sancti Michaëlis, utroque capitulo consentiente, de præsentatione ad ecclesiam S. Stephani *de Bacilli*. Anno eodem, die ultima Nov. Carolo regi Navarræ a consiliis Robertus codicillorum ejusdem

ANNI CHRISTI ultimæ voluntatis apud Pampilonam conditorum exsecutor delectus est. Denique tomo I Anecdot. Martenii col. 1529, exstant literæ Caroli V Franciæ regis ad curiam Parlamenti Parisiensis,
1378. datæ an. 1378, quibus episcopum Abrincensem Robertum perduellionis reum in causam adduci jubet, ipsius bonis, quandiu vixerit, addictis regio patrimonio. Diem clausit extremum Ro-
1379. bertus anno sequenti 1379, IV nonas Augusti, ex necrologio Lucernæ, *al.* X cal. Octobris.

XLIV. LAURENTIUS.

DE FAYE.

Gente Turonicus Laurentius e sede Briocensi ad Abrincensem traductus, promisit die 3 Oct.
1385. 1379, ex regesto Vaticani. Convenit an. 1385 cum Gaufrido abbate S. Michaëlis, cui recens summus pontifex privilegium confirmaverat insignia pontificalia deferendi, ordinesque minores sibi subditis conferendi, necnon sacrum ritu pontificali in Abrincensi ecclesia, Laurentio episcopo præsente, celebrandi. Occurrit Laurentius
1390. in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1390
1391. 18 Aprilis, ac 1391 die 24 Junii, proindeque mortuus non est anno 1390, uti asserunt Sammarthani. Fato repentino corripitur ingressus domum episcopalem, ex catalogo abbatiæ de Lucerna; quem tamen sepultum Arturus docet ad beatum Maximinum de Cainone.

XLV. JOHANNES VI.

DE SAINT-AVIT.

Castroduni in diœcesi Carnotensi natus Johannes, ex monacho sancti Dionysii abbas Mosomensis, tum sancti Medardi Suessionensis, factus episcopus Abrincensis, cameræ apostolicæ promisit 12 Octobris 1391, ex regestis Vaticani, solvitque 21 eorumdem mensis & anni.
1392. Reperitur feria IV 12 Martii 1392, & 1406 3 Decembris in chartis authenticis D. *de Gai-*
1393. *gnieres.* Formulam edidit Johannes anno 1393, ecclesiæ prædia recensentem. Fit ejusdem mentio
1398. anno 1398, diebus 24 Januarii & 22 Aprilis
1399. in chartis de parochia Baciliaci; invisitque 1399 monasterium sancti Michaëlis de Monte. Memo-
1408. ratur annis 1408, 1412, 1413 & 1414, in
1412. libro albo Abrincensis ecclesiæ. In gratiam Jo-
1413. hannis episcopi Johannes papa XXIII quasdam
1414. literas, quibus decanus & capitulum Abrincarum eximebantur ab ordinaria episcopi jurisdictione revocavit. *Datum Mantuæ IV calend. Februarii anno IV pontificatus.* Eodem anno, XV calendas Aprilis, literis Bononiæ datis, idem summus pontifex hanc exemtionis revocationem adhibito temperamento declaravit, aliisque literis Bononiæ datis idibus Septembris, anno IV pontificatus, plura constituit pro episcopo & ecclesia Abrincensi, super exemtione decani, canonicorum & ceterorum ecclesiæ ministrorum, necnon super ejusdem exemtionis revocatione & aliis. Insuper Johanni episcopo & successoribus ejus Johannes XXIII plenam & liberam largitus est licentiam omnes, tam suæ civitatis quam totius diœcesis, hospitales domos visitandi, reformandi rationes & administratores, ab earum rectoribus, seu

A administratoribus exemtis & non exemtis petendi, exigendi, audiendi, confirmandi, infirmandive rationes, quoties sibi & successoribus visum fuerit expedire. *Datum Constantiæ V idus Decembris anno V,* hoc est 1415. Johannem de Rupe- 14
scissa Rotomagensem archiepiscopum, qui ecclesiæ suæ adiit possessionem 22 Octobris 1423, 14
Johannes Abrincensis præsul comitatus est. Insequenti 1424, die 24 Junii, Johannes episc. 14
Julmensis Johannis Abrincensis episcopi legatus, contulit ordines minores in abbatia S. Michaëlis de Monte, scripto professus nolle se ob hanc rem ullum abbatiæ juribus damnum generari. Interfuit Johannes Abrincensis cum Ebroicensi præsule, quando Johannes dux Betfordiæ cano-
B nicus ad honores in æde Rotomagensi metropolitana receptus est. Tradit auctor Antiquitatum Normanniæ Johannem fuisse carceribus mancipatum Rotomagi an. 1432, propter suspicionem 14
tradendæ hujus civitatis, quam forte, ut dilueret, regi fidem obstrinxit suam 12 Januarii anno 1431. Spiritum extremum exhalavit an. 1442, 144
22 Julii, sepultus ad sancti Audoëni basilicam, in sacello sancti Andreæ retro chorum.

5 Quod addunt Sammarthani, Philibertum de Monte-joco episcopum Abrincensem jurasse in verba ecclesiæ Rotomagensis mense Januario anni 1442, si de Philiberto Constantiensi episc.
C agitur, jam obierat anno 1439; alterius nulla exstat mentio in vulgatis antistitum catalogis.

XLVI. MARTINUS.

PIN.

Ortus e Nonanto juxta Bajocas Martinus, ex Abrincensi canonico & Bajocensi decano fit episcopus ab Eugenio IV per obitum Johannis, III nonas Septemb. 1442, ex regestis Vaticani, ubi & obtulisse legitur cameræ die 10 ejusdem mensis & anni. Procuratores constituit an. 1444, 144
22 Augusti, qui se ipsius nomine sisterent Cadomi coram Richardo Eboraci duce, vicariam Franciæ & Normanniæ præfecturam habente.
D Anno 1448, die penultima Julii, accepit 130 144
libras Turonenses pro causa reformationis in pagis Cadomi & Rotomagi, quam rex illi commiserat, ex charta authentica collectionis D. *de Gaignieres*, ubi & anno 1449, die 9 Julii & 144
22 Martii, memoratur episcopus & administrator perpetuus Grandi-montis Rotomagensis. Jam 17 Februarii ejusdem anni regi fidem juraverat apud Grestanum. Solenne sacrum celebravit in ara principe sancti Michaëlis de Monte, die Dominica in Ramis Palmarum 1451. Martinus 145
denique post decem annos reginimis defunctus
E 1452, mense Januario die 10, ex Arturo, se- 145
pultus est in æde cathedrali, e regione sedis pontificalis.

XLVII. JOHANNES VII.

BOCHA... vel BOUCA...

Vaucellanus dictus a patria, suburbio sancti Laudi Constantiensis diœcesis Johannes *Bochard* Sammarthanis, & *Boucart* in Beccensi chronico, doctor Parisiensis, regi a confessionibus & eleemosynis, ex archidiacono Abrincensi factus episc. die

die 28 Aprilis an. 1453, regi fidem pollicitus est pro ecclesia sua, & pro baroniis Abrincensi & sancti Filiberti super Rillam anno eodem 2 Julii; tandemque Rotomagensi ecclesiæ spopondit obsequium eodem anno 10 Julii, uti acta capitularia docent. Memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1459 15 Martii, 1460 24 Septembris, 28 Februarii 1468 & 27 Aprilis, 1469 13 Decembris, & 1470; quo ultimo, annuente rege, tutelam suscepit liberorum defuncti J. *Campion* domini *de Vironney*. Adfuit eodem anno cum aliis præsulibus, regni generalibus comitiis. Occurrit etiam die 15 Januarii
1471. 1471, regi Ludovico XI dictus a confessionibus in diplomate Pauli II papæ ad archiepiscopum Turonensem, pro confirmando rege in sua de bello Turcico suscipiendo sententia. Cupiens idem rex Academiam Parisiensem florentissimam reddere, huic episcopo curam illius renovandæ commisit; & ut eam in pluribus reformaret jussit. Obsecutus præsul, in primis auctor fuit principi, ut Reales, quos vocant, philosophos confirmaret; & e contrario doctrinam Nominalium abrogaret, dato diplomate
1473. Silvanecti anno 1473, quo interdicitur lectio & interpretatio Nominalium, prout refertur in vita Ludovici regis, cui non multo post petenti, ut Johannes ex Abrincensi ad Constantiensem transferretur ecclesiam, & Guillelmus *d'Estouteville* ad Abrincensem promoveretur, abnuit, qui invitum transferre noluit, Sixtus IV pontifex,
1475. Romæ literis datis die 13 Februarii 1475, anno pontificatus quarto; sed aliis ad ejusdem Franciæ regis preces, die 7 Martii sequentis, abbatiam Brantolmiensem, cum vacare contingeret, se collaturum promisit Johanni episcopo, qui, utroque jubente, commendam Becci obtinuit primus
1476. anno 1476. Vicarius & procurator Johannis ejusdem episcopi memoratur Johannes *le Marchant* decanus & canonicus Abrincensis, vir eximiæ
1480. sagacitatis, anno 1480 27 Decemb. Obtinuit is præsul, die 20 Martii ejusdem anni, prorogationem ad recensenda Beccensis abbatiæ prædia,
1483. & iterum anno 1483, 29 Novembris, pro recensendis cum episcopatus, tum abbatiarum Becci & Cormeriaci bonis. Inter hæc Basinus Lexoviensis episcopus, plures ad Johannem scripsit epistolas, rogans, ut qua valebat apud regem gratia obtineret ipsum revocari Perpiniano, quo rex eum ablegaverat ad cancellarii munus obeundum, annis 1466 & 1467. Qua de re sic ipse Basinus loquitur in apologetico cap. 13: *Cum pro ea re, vice nostra, captata opportunitate, compellasset regem, benignum satis atque humanum responsum reportavit, &c.* Scripsit Johannes miro compendio in omnes bibliorum libros brevem expositionem, seu compilationem, Cenali teste. Tandem cum episcopatum tenuisset annis 30, mensibus novem, diebusque 21, vitam clausit apud sanctum Laudum 28 Novembris
1484. an. 1484, sepultus in choro Abrincensi sub tumba albi lapidis ad sinistrum latus Martini
A decessoris, a quo præter archidiaconatum plurimis donatus fuerat beneficiis.

Johannem aliquando cardinalem & apostolicæ sedis legatum schedis ad nos transmissis decepti scripsimus tom. IX, col. 1118.

ANNI CHRISTI

XLVIII. Ludovicus I. DE BOURBON-VENDOME.

Johannis Borbonii hujus nominis secundi, comitis Vindocinensis, & Guidonæ *Peignee*, dictæ *de la Vieuville*, non justæ uxoris filius Ludovicus, magister in artibus, licentiatus in legibus, clericus Carnotensis diœcesis, cantor ecclesiæ collegiatæ Vindocinensis, prior Espernonii, consi-
B liarius clericus in Parlamento Parisiensi, literis regiis datis 18 Februarii 1483, cum prærogativa sessionis in eadem curia & jure ferendi suffragii, 1484 die ultima Februarii præstito sacramento, admissus est 8 Aprilis, ex regestis curiæ. Electus vero Abrincensis per obitum Johannis, XVI calendas Januarii 1484, insequenti 22 Martii 1485.
regi Carolo fidem juravit de rebus temporalibus, & 26 Aprilis ejusdem anni ecclesiæ Rotomag. In chartario Vindocinensi occurrit anno 1492 1492.
Ludovicus, qui 1495 de sacro fonte suscepit 1495.
Ludovicam Borboniam, post abbatissam Fontis-ebraldi. Interfuit an. 1497 scacario Normanniæ, 1497.
C cujus in regesto laudatur an. 1500, mense Julio. 1500.
Anno superiore donatus fuit jure, quo prognati legitimo conjugio potiuntur, ex literis chartophylacii memorialium cameræ rationum, datis mense Novembri 1499. Insequenti, die 13 Junii, votum excepit Renatæ Borboniæ Fontebraldensis abbatissæ de perpetua intra monasterii claustra stabilitate. Eo circiter anno fuit commendatarius beatæ Mariæ Saviniacensis. Reperitur anno 1503 in pactis matrimonialibus inter 1503.
Ludovicum Borbonium principem Rupis ad Oyonem, & Loisiam Borboniam Calviniaci dominam, Molinii Boïorum. Biennio post,
D 1505, die Dominica 22 Junii, Isabellam Bor- 1505.
boniam majorem Fontis-ebraldi priorissam benedixit abbatissam sanctæ Trinitatis Cadomensis. Contra Ludovicum an. 1508, senatus consulto 1508.
Rotomagensi decretum est Abrincensem episcopum & abbatem sancti Michaëlis de Monte, vicibus alternis de more ad ecclesiam de Baciliaco præsentaturos. Denique Turonis dies absolvit Ludovicus anno 1510, XII calend. Novembris, 1510.
aiunt Sammarthani, dum Luteciæ moraretur, ex catalogo Lucernæ. Humatur in majori ecclesiæ cathedralis sacello beatæ Mariæ virginis. Hunc sequenti elogio celebrat episcopus Cenalis: *In*
E *regis ac regni utilitatem & gloriam legationibus functus est magna sui ac suorum laude, multisque beneficiis rem ecclesiasticam instauravit, ornavit & auxit. Episcopalem domum Abrincensem & arcem in castro de Parco munificentissime a fundamentis erexit. Præfuit annos 26.*

Tum his versiculis antistitem de ecclesia bene meritum epitaphii loco sic affatur:

Borboniam illustras & laude & nomine gentem,
Dent tibi supremos pia numina sedis honores.

ANNI CHRISTI
HERBERT.

XLIX. LUDOVICUS II.

Votis capituli in diversos distractis, nec ullo supra medietatem obtinente, propter lapsum temporis, jus eligendi devolutum est ad capitulum Rotomagense, sede archiepiscopali vacante. Quapropter idem capitulum Rotomagense Ludovico *Herbert* canonico Rotomagensi regiis literis commendato, Abrincensem episcopatum contulit 25 Februarii 1510. Ita fere D. *le Prevost* canonicus Rotomagensis, ex regestis capituli. Parisinus erat Ludovicus, patritia & quæstorii ordinis familia natus, parentibus Johanne *Herbert* ærarii Franciæ præfecto generali, & Johanna *Guerin*. B Fratres habuit Gaufridum Constantiensem episcopum, Johannem equitem toparcham *d'Aussonvilliers*, baronem *de Courcy*, regis cubicularium, Franciscum baronem *de la Hogue*, necnon Philippum archipræsulem Aquensem. Scientiis in academiis optime institutus, sacris ab ineunte ætate se dedit, factus Abrincensis canonicus & archidiaconus Constantiensis. Denique ex abbate sancti Laudi ad episcopalem sedem Abrincensem evectus est quo supra diximus modo, juxta literas Ludovici XII regis actis capitularibus insertas, diebusque 26 Novembris & 18 Decemb. anno 1510 subscriptas, quarum virtute admissus est C

1511. a capitulo 21 Januarii 1511; & eodem anno, die 3 Junii, possessionem adeptus, eodem 20 Julii, magistrum Johannem *le Roy* presbyterum bonorum episcopatus exactorem instituit. Urbem

1512. solenniter invectus 23 Maii 1512, occurrit

1513. 1513 29 Martii, 1515 21 Maii, & 1519

1515. 16 Junii, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

1519. Anno 1517, 3 Maii, subdiaconi functus est officio in consecratione Ludovici *de Bourbon* episcopi Laudunensis, in æde sanctæ Catharinæ Vallis-scholarium Luteciæ, eorumdemque mensis & anni die 10, adfuit coronationi Claudiæ reginæ uxoris Francisci I apud S. Dionysium in Francia. D Demum e vita migravit Ludovicus die 4 April.

1526. 1526 in castro de Parco, quod anno 1514 reædificaverat. Sepulturæ illatus est in ecclesiæ cathedralis capella abscondita B. Mariæ virginis de Pietate & in honorem Dominicæ Passionis dicata, quam ipse bellorum tum vigentium furore dirutam a fundamentis de novo exstruxerat. In archivis hujusce gentis habentur tabulæ, quibus constituitur Ludovicus curator liberorum fratris Johannis, cujus primogenitus Ludovicus baro *de Courcy* parens fuit Claudiæ *d'Aussonvilliers* in matrimonium collocatæ Francisco *de Montmorency* domino *de Hallot*, Neustriæ progubernatori. E Ludovicum episcopum plures fecisse fundationes testatur catalogus Lucernæ, quas inter 160 libr. Turonenses annui reditus dedisse legitur, per dominos de capitulo pauperibus quotannis erogandas; ecclesiæ vero suæ præclara tapetia, cruces argenteas, ornamenta, &c. contulisse.

§ Augustinus cardinalis Trivultius factus quidem episcopus Abrincensis per obitum, die 2 aut 11 Maii 1526, legitur in regestis Vaticani; A sed forte aut non acceptavit, aut paulo post cessit: nam

L. JOHANNES VIII.

Tristano domino *de Langeac* & Anna *d'Alegre* parentibus nobilibus in Arvernia natus Johannes, cum pluribus annis in aula regum floruisset libellorum supplicum magister, abbas Piperaci & Eschalleii, ac Brivatensis præpositus, post legationes summa prudentiæ laude obitas, ad episcopalem gradum Abrincensis ecclesiæ pervenit, bullis acceptis per obitum Ludovici 22 Octobris 1526, ex regesto Vaticani, regique Francisco I probatis die 6 Januarii sequentis, regni decimo tertio. Is porro consiliarius regis, & ad basilicam recuperatorius judex nuncupatus, anno 1527, diebus 15 & 19 Decembris sedit Luteciæ in consilio regis. De eo sic habetur apud Reginaldum Annal. eccles. *Johannes* Langeach *regis christianissimi apud Venetos orator anno 1528 die prima Octobris, diploma pontificium accepit*. Sedit pontifex in ecclesia Abrincensi septem propemodum annis, inde traductus ad Lemovicensem, cujus accepit possessionem anno 1533, uti tom. II, col. 539, dictum est.

LI. ROBERTUS II.

Natus Parisiis 1483 Robertus, in alma ejusdem civitatis theologica facultate Sorbonicus magni nominis renunciatus est doctor an. 1513; inde episcopus Venciensis nominatus a rege Francisco I anno 1523, & post biennium sacræ palatii capellæ thesaurarius, tum Regensis præsul, tandemque Abrincensis 1532, clientelari sacramento juravit in verba Rotomagensis ecclesiæ 10 Januarii 1533. Vir eruditionis laude conspicuus, theologicis studiis Francicæ & ecclesiasticæ antiquitatis cognitionem adjunxit; Gallicam quippe historiam Latine duobus tomis distributam evulgavit, quorum prior ad anthropologiam Gallici principatus, posterior ad soli chorographiam pertinet, quam Henrico II regi nuncupavit. Indicem quoque decessorum Abrincensium episcoporum scripsit, ex quo & variis auctoribus quædam a nobis hîc publicantur; item hierarchiam Neustriæ quinque partitam libris, relictam in membranis MSS. Horum vero librorum primus continet diœcesis Abrincensis descriptionem; alter episcoporum seriem; tertius elenchum Rotomagensium præsulum; ceteri miscellanea quædam; in his plurima mutuatur ab Orderico, Guillelmo Gemeticensi, Roberto de Monte, aliisve historicis. Pendente in Germania bello civili, Carolus V imperator ad sedandas, ut sibi videbatur, discordias, quorumdam theologorum consilio & ope, formulam, quam vocant *Interim*, capita quædam doctrinæ de præcipuis catholicis dogmatibus & cæremoniis continentem, a summo pontifice reprobatam cum publicasset, dum de religione in concilio universali ageretur, & definitum id fuisset a multis theologis, hæc improbata fuit inter

orthodoxos. Quamobrem antidotum contra hanc evulgavit Cenalis, de quo scribens doctissimus Henricus Spondanus Appamiarum episcopus tom. III Annalium ecclesiasticorum sub annum 1548, hæc subdit : *Fuit liber scriptis utriusque partis, tam catholicorum quam hæreticorum, impugnatus ; nam inter catholicos Robertus Cenalis episcopus Abrincensis, vir apprime doctus, antidotum publicavit ad proposita* (ut habet inscriptio) *per interim, non tam per modum, quam præter omnem religionis modum oblata : qui præsul totum opus exagitat, & ab ejus impia doctrina omnes sibi cavere monet, speciatim vero in duobus articulis, de connubio sacerdotum & communione sub utraque specie.* Robertus etiam opus edidit de ponderibus & mensuris, librum quoque inscriptum *Larva Sycophantica* in Calvinum, aliaque ingenii monumenta reliquit : de quo antistite Possevinus in apparatu sacro, & Genebrardus Aquensis archiepiscopus in chronologia. Inter hæc Robertus
1535. anno 1535, die 20 Septembris, ecclesiæ suæ
1537. bona recensuit & recognovit. Anno 1537, 10 Februarii, sacrum ritu pontificali in ecclesia Maturinorum Parisiis celebravit pro defuncto 28 Januarii Natali Beda syndico facultatis theologicæ Parisiensis. Ex licentia sibi concessa 2
1544. Maii 1544, dedicavit in eadem civitate anno
1545. 1545 24 Novembris, altare seu capellam in ecclesia Hospitalis domus sancti Gervasii, in honorem sanctissimæ Trinitatis, sanctorum Lazari, Mariæ-Magdalenæ, Marthæ, Dionysii & Blasii.
1556. Anno 1556, 17 Septembris, interfuit funeri Francisci *Picart* decani sancti Germani Autissiodorensis Luteciæ, ac postridie pro eodem solenne in pontificalibus sacrum celebravit in ecclesia Alborum Mantellorum, ubi tumulatus fuerat, & 19 ejusdem mensis Sabbato intra rem divinam in æde sacra Sorbonica funebrem ejus pronunciavit orationem ; quod etiam præstitit in exsequiis Jacobi *d'Annebaut* cardinalis & episcopi
1558. Lexoviensis, in ecclesia Lexoviensi, an. 1558. Denique postquam Cenalis per plures annos in Abrincensi cathedra sedisset, animam Deo
1560. reddidit Parisiis anno 1560, sepultus ad sanctum
a Paulum die 27 Aprilis, sub tumulo * marmoreo & ænea statua, episcopi referente personam, duosque pedibus calcante serpentes, hisce versibus adscriptis :

Jure sub hoc tumulo Pauli sacra continet ædes
Ejus præconem mentis & eloquii,
Quem fuerat vivens imitatus moribus, alto
Eloquio, scriptis, oreque fulmineo.
In hoc dissimilis, quod lecto es funera passus.
In reliquis, præsul candide, Paulus eras.
Principibus coram illius tu more fuisti
Vas lectum, constans, verbiger, æthereus,
Pastorum phœnix, ac declamator Iesu,
Et Pauli species altera visa loqui.
Tu, Cenalis, eras scriptis laus orbis, & urbis
Parisiensis honor, doctor & indigena.

* Hunc e sanctuario, ubi tum positus est, loco fuisse motum, cum ara maxima novis sumtibus reformata fuit, docet historia MS. Sacræ capellæ Parisiensis.

ANNI CHRISTI

A Sequentia ibidem a parte meridionali, in tabella cuprea spectantur verba :

Ego Jehovah : hoc est nomen meum
Uni trino numini ac nomini sacrum.
Huc ades quisquis es christianæ cultor
Pietatis, hoc monumentum vocat
Suadetque, ut te esse mortalem vel casibus
Discas nostris, tum quæ sequuntur legas.

Epitaphium Roberti Cenalis Arboricensis episcopi, doctoris theologi, ordine & origine Parisiensis, cujus ipsemet auctor exstitisse legitur
B tomo II Hierarchiæ Neustriæ :

En moriturus ego vixi quo vivere possim
Jam moriens, mortem vita beata manet.
Vixi equidem, fateor, sed quem vixisse pigeret,
Ni mihi spem faceret gratia larga Dei.
Busta tui miseranda vides qui forte Roberti,
Dic tandem, æterna pace fruatur, amen.

LII. Antonius.

LE CIRIER.

Senator Parisiensis & ecclesiæ cathedralis ejusdem civitatis decanus Antonius, evasit episcopus Abrincensis per cessionem seu obitum Roberti,
C Pii IV literis datis VI idus Maii 1560, ex regestis ecclesiæ, quæ citant Sammarthani, seu 2 Junii
1561, ex regestis Vaticani, dieque Veneris 28 1561.
Novembris ejusdem anni, ecclesiæ possessionem accepit per procuratorem, cum jam die Dominica 15 Junii, in supplicatione publica & solenni apud Parisios sanctissimum sacramentum detulisset, comitantibus abbate sanctæ Genovefæ & priore S. Catharinæ Vallis-scholarium, præeuntibusque episcopis Ebroicensi, Bajocensi, Ambianensi, Autissiodorensi, Lexoviensi, Catalaunensi, &c. sequentibus vero cardinalibus Borbonio, Armaniaco & Guisæo. Ita Sauvageus in additio-
D nibus ad Nicolaum Gillium in Annalibus Franciæ sub rege Carolo IX. Ecclesiam Abrincensem solenniter ingressus est Antonius anno 1562, die festo S. Andreæ * apostoli, ecclesiæ patroni ; adfuit hoc anno & sequenti concilio Tridentino. Dum Abrincatinam ecclesiam regeret, hanc 1562.
effuso cujusdam apparitoris sanguine fœdatam Bertrandus *de Marillac* episcopus Redonensis pristino restituit decori 29 Julii anno 1567. 1567.
Biennio post, 1569, Petrus Grassinus Ablonis 1569.
dominus, fundator collegii Grassinorum Parisiis, ultima voluntate statuit, ut Antonius consilio & monitis juvaret testamenti ipsius executores.
E Interfuit anno 1571, 25 Martii, coronationi 1571.
Elisabethæ reginæ uxoris Caroli IX, subdiaconusque ministravit cardinali a Lotharingia Sandionysiano abbati in ecclesia sancti Dionysii cæremoniam peragenti. Adfuit Parisiis cœtui cleri Gallicani an. 1573, ibique consecrationi Caroli 1573.
Augustodunensis episcopi, die 26 Julii ejusdem anni, ac Francisci Macloviensis 28 Februarii
1574. Defunctus est 17 Januarii 1575, se- 1574.
pultusque in choro Parisiensis ecclesiæ, cujus 1575.

* Sancti Audoeni, ex Sammarth.

ANNI CHRISTI

decanatum retinuerat usque ad triduum ante obitum, quo nepoti transcripsit 14 Januarii.

LE CIRIER.

LIII. Augustinus.

Decessoris ex fratre nepos Augustinus, senator Parisiensis & canonicus ac Sacræ capellæ Palatii, necnon Abrincensis canonicus & decanus, fuit etiam ecclesiæ Parisiensis decanus per resignationem patrui, tandemque per ejusdem obitum episcopus Abrincensis renunciatus a rege Carolo IX, bullisque donatus a Gregorio XIII x calend. Maii, ecclesiæ possessionem adiit per procuratorem 1575 Sabbato 13 Augusti. Interfuit anno
1577. 1577 comitiis regni Blesensibus, & 1579,
1579. mensibus Maio & Junio, celebri apud Melodunum cleri Gallicani conventui. Vixit Augustinus annos quadraginta, menses sex & tres dies, cujus obitus incidit, ex Sammarthanis, in 23
1580. Martii 1580; in tertium vero ejusdem mensis, ex codice sancti Michaëlis de Monte. Jacet in ecclesia cathedrali sub cenotaphio æneo, ante cathedram episcopalem.

DE PERICARD.

LIV. Georgius.

Ortu Rotomagæus Georgius, Johannis in senatu Rotomagensi regii cognitoris filius, cum esset Rotomagensis senator, scholasticus Abrincensis, abbas sancti Stephani Cadomensis & sancti Juliani Turonensis, promotus est ad episcopalem cathedram Abrincensem bullis a Gre-
1583. gorio XIII datis Romæ 1583 v calend. Aprilis, ex Sammarthanis, ipsismet vero calendis, ex Arturo. Sumsit possessionem nomine procuratorio, die Mercurii prima Junii ejusdem anni. Inse-
1584. quenti 1584, in parochia sancti Laudi Rotomagensis, celebravit exsequias illustris viri D. Jacobi *de Bauguemare* in curia Parlamenti protopræsidis. Fato interceptus Georgius in ipso ætatis flore
1587. anno 1587 die 22 Julii ex Sammarthanis, die vero 9 ex codice Montis sancti Michaëlis, jacet in cathedrali, in sacello sancti Georgii.

DE PERICARD.

LV. Franciscus.

Superioris frater Franciscus, Abrincensis ecclesiæ scholasticus & post decanus, senator & canonicus Rotomagensis, necnon comes consi-
1588. storianus, inauguratur episcopus anno 1588. Fuit unus ex delegatis, qui mense Maio &
1593. sequentibus anni 1593, cum aliis præsulibus & regni proceribus in vico Surisinarum duabus a Lutecia dissito leucis, convenerunt tempore nefandi illius belli civilis, regnante Henrico
1595. Magno, pro treuga & pace. Anno 1595, die 5 Septembris, celebravit exsequias D. Andreæ *de Brancas de Villars* maris in Francia præfecti,
1596. in ecclesia Rotomagensi sepulti. Anno 1596 adstitit Luteciæ cleri Gallicani comitiis, inibique cum Claudio *d'Angennes* episcopo Cenomannensi operam contulit in consecrationibus Guitardi *de Rate* Monspeliensis, in capitulo Cœlestinorum
1597. Paris. 18 Julii anno 1597, & apud sanctum Victorem 28 Decembris, Caroli *de Bourbon* archiepiscopi Rotomagensis. Roma reversus, quo

A perrexerat eodem anno circa festum S. Michaëlis, adstitit Parisiis Francisco cardinali *de Joyeuse* Gasparem *Dinet* Matisconensem episcopum inauguranti an. 1600 die sacra Epiphaniæ Domini, in sacello inferiori beatæ Mariæ intra monasterii sancti Germani a Pratis septa. Ad restituendam in diœcesi disciplinam ecclesiasticam, statuta condidit in synodo Abrincis habita 13 Aprilis anno 1600. Roma scripsit ad Franciscum cardinalis Perronius die XI Januarii anno 1607, se pro illo quamdam a summo pontifice gratiam obtinuisse. Peroravit bis Franciscus pro clero Parisiis convocato 1610 coram rege Lu-
B dovico XIII & regina matre. Adsuit 1612, die 16 Decembris, consecrationi Francisci Tarsensis episcopi Paris. ibidemque regni comitiis generalibus anno 1615, qua delegatus ab ordinibus Normanniæ. Præsens 1621 inaugurationi Leonori *d'Estampes* episcopi Carnotensis Parisiis, anno eodem interfuit cum sororis filio, jam ab anno 1616 coadjutore designato, cleri Gallicani cœtui Burdegalensi; & anno 1625 apud Hispaniarum regem legatione functus est. Capucinos interim anno 1618 Julii 15, ac moniales ordinis sancti Benedicti admisit in suburbiis; & Benedictinos e reformata sancti Mauri congre-
C gatione monachos in abbatia sancti Michaëlis de Monte constituit. Se vere pastorem in omnibus exhibuit; sed præsertim statutis plurimis synodalibus ad tuendam ecclesiasticam disciplinam conditis: inter quæ laudantur in primis quindecim ab eo sancita in synodo anni 1633 7 Aprilis, habita in suis ædibus. Missale & breviarium Romanum ex sacri concilii decreto editum promulgavit. Tanta in omnibus moderatione usus est Franciscus, maxime vero in ecclesiæ suæ administratione, quam per quinquaginta & amplius annos feliciter rexit, ut ne vel minimum quidem ipsum inter & capitulum
D ortum dissidium fuerit. Demum antiquior episcoporum Galliæ, cum victor rediret a defensione jurium episcopalium, luctu non suorum modo, sed & omnium, ad quos fama ejus pervenerat, repentina corruit morte in castro Condæo, quod est Ebroicensis episcopi, die 25 Novembr. sanctæ Catharinæ sacra anno 1639. In ecclesia Ebroicensi, communi cum Guillelmo ejusdem episcopo & ejus germano sepultura potitur: ejus tamen cor in Abrincensem ecclesiam delatum, sepultum est in sancti Georgii sacello, inter Georgium fratrem decessorem & Odoardum germanum alterum, ejusdem civitatis Abrin-
E censis gubernatorem.

5 Henricus *Boyvin* filius Johannis in suprema Rotomagensi curia senatoris, ex sorore Georgii & Francisci *de Pericard* episcoporum, cum jam esset decanus ecclesiæ Rotomagensis, abbas Montis-morelli & prior beatæ Mariæ de Bocherio prope Moretonium & de Denezeio, adscitus est ab avunculo in coadjutorem anno 1616, eodemque bullis donatus III nonas Augusti a Paulo V, sacratus est episcopus Tarsensis in ecclesia Abrincensi, 28 Maii 1617, per Franciscum avunculum,

Antonium *de Revol* Dolensem, & Guillelmum *le Gouverneur* Maclovienfem episcopos, & receptus in ecclesia Abrincensi 2 Junii ejusdem anni. Thesaurarii dignitatis in eadem ecclesia possessionem adeptus est 23 Aprilis 1618, & post decanus a capitulo delectus 26 Junii 1619, adfuit anno 1632 die 25 Maii, publicationi statutorum synodalium Francisci Rotomagensis archiepiscopi, ejusdem vicarius generalis; & anno 1635 pro Neustriæ provincia conventui Parisiensi generali. Roboreti prope Rotomagum vir pietate & doctrina insignis fato functus est 12 Februarii 1636, sepultus in ecclesia parœciali de Romereyo; sicque præpostero fato quem Franciscus episcopus Abrincensis destinarat sibi successorem, luxit decessorem.

LVI. Carolus.

Parisinus ortu Carolus, Felicis *Vialart* domini *de la Forest*, libellorum supplicum in regia magistri, & Johannæ *Hennequin* filius, Fuliensis congregationis monachus, a sancto Paulo nuncupatus, ex abbate B. Mariæ Fuliensis, ejusdemque congregationis præfecto generali, assumtus
1640. ad ecclesiam Abrincensem anno 1640, statim a Francisco Rotomagensi archiepiscopo amice
1642. salutatus est. Inauguratur biennio post, 1642 die 6 Julii, apud Fulienses Parisienses cum Felice filio fratris sui Catalaunensi episcopo, per Leonorium a Stampis Carnotensem præsulem, collaborantibus Nicolao Silvanectensi & Richardo Chalcedonensi episcopis. Ecclesiam suam eodem anno, die Veneris 26 Septemb. ingreditur solenni pompa. Constitutiones ecclesiasticas promulgavit
1643. in synodo Paschæ anno 1643 16 Aprilis. Insequenti fato fungitur annos natus 52, die 15
1644. Septembris 1644, apud Parcum, humatus in ecclesia cathedrali ad gradus majoris altaris. Præsul fuit in functionibus episcopalibus assiduus, uti & historiæ ecclesiasticæ peritissimus; scripsit nempe Geographiam sacram, sive notitiam antiquam episcopatuum ecclesiæ universæ, ex Conciliis, Patribus, Historia ecclesiastica & Geographis antiquis excerptam, eloquentiæ Gallicæ tabellam, aliaque opera; sed in hoc potissimum commendandus, ut de illo dici possit quod olim sanctus Maximus de beato Eusebio dixit: Carolum scilicet in tota sua diœcesi lustranda animas viventi in corpore jam defunctas & delictorum mole obrutas ac sepultas, ad emendationem, tanquam ad lucem vocando, Deo resuscitasse.

LVII. Rogerius.

Natalium splendore illustris Rogerius, frater erat Antonii ducis *d'Aumont* Franciæ marescalli, quorum fuere parentes Jacobus baro *de Chapes* præfecturæ Parisiensis prætor, & Carlotta-Catharina *de Villequier*, ac patruus heros ille Johannes *d'Aumont* comes *de Chateauroux*, equitum tribunus sub regibus Henrico III & IV. Rogerius autem jam commendatarius monasteriorum sancti Petri de Userchia, de Bello-loco, de Barzellis & de

A Longo-villari, præsul Abrincensis renunciatus est a rege Ludovico XIV adhuc impubere, 1644 mense Novembri, cui annuens summus pontifex Innocentius X, ea de re scripsit ad archiepiscopum Rotomagensem XIII calendas Aprilis 1645. Rogerius igitur mense Maio ejusdem anni, Luteciæ in æde sacra S. Catharinæ de Cultura inauguratus est a Nicolao ex comitibus Guidiis a Balneo Athenarum archipræsule ac sedis apostolicæ nuncio, assistentibus Henrico *de Bethune* episcopo Malleacensi, & Petro *Bertier* Uceticensi antistite, Montalbanensi coadjutore. Tum ad ecclesiam suam accedens undetricesima

ANNI CHRISTI 1645.

B die Aprilis anni 1646, solenniter ingressus est; 1646.
& proxima die Ascensioni sacra pontificaliter primum in cathedrali basilica sacris operatus, populo rite benedixit. Eodem anno, mense seq. synodum habuit parochorum, in qua plurima decreta pro bono diœcesis regimine promulgavit, iisque alia sequentibus synodis adjecit, maxime quæ ad parochorum in pagis degentium salaria spectant, & ad sacrorum ordinum collationem; ad quos promovendos, per quindecim dies in iis quæ uniuscujusque officii essent, erudiri, suisque sumtibus commorari & ali voluit in episcopali domo. Diœcesim pene totam intra biennium C lustravit, ædes episcopales instauravit, easque ad suum & successorum in episcopatu commodum non mediocriter amplificavit, novis ædificiis adjunctis, hortis, fontibus & arboribus decoravit. Episcopalis dignitatis & auctoritatis retinentissimus, maxime erga exemtos, conventum Capucinorum visitavit, quemadmodum & parthenonem sanctæ Annæ ordinis sancti Benedicti, & alium ejusdem ordinis *de Moutons* in suburbiis Abrincensibus, quos duos postremos ad regulæ normam reduxit.

Quæ vero circa monasterium S. Michaëlis in periculo maris adjiciunt Sammarthani, falsa D omnino evincunt plurimæ chartæ, quas ex ejusdem monasterii tabulario depromsimus, & in appendice nostra retulimus; quales sunt amicabilis compositio Willelmum de Ostilleio Abrincensem episcopum inter & Abrincense capitulum ex una parte, atque Radulfum abbatem & conventum sancti Michaëlis ex altera, anno 1236 die Purificationis beatæ Mariæ virginis. Altera majoris consilii decretum exhibet inter Rogerium *d'Aumont* Abrincensem episcopum, & Jacobum *de Souvré* abbatem sancti Michaëlis, ac priorem & conventum ejusdem, anno 1648 die 3 Februarii. Tertium his accedit, compro- E missum hos inter episcopum & abbatem de omnibus inter eos dissidiis, an. 1650 18 Junii. Felicior extitit Rogerius in magistratus a feudis episcopalibus dependentes, quorum plenam disponendi facultatem regii consistorii edictum penes ipsos antistites esse declarari curavit. Pium sodalitium in honorem sanctissimi corporis Christi, de capituli consensu, ad majus altare cathedralis erexit, ei de suo plurima largitus, & in multis aliis suæ diœceseos ecclesiis pariter instituit. Adfuit an. 1649 18 Aprilis, consecrationi 1649.

Ch. xix. col. 116.

Ch. xxiii. col. 120.

1648.

Ch. xxiv. col. 122.

ANNI CHRISTI 1650. Harduini Ruthenensis episcopi, in ecclesia vici *de Ruel* in agro Parisiensi, & anno sequenti, die 25 Martii, apud Cartusianos Parisienses inaugurationi Caroli *d'Anglure* episcopi Adurensis. Jurium episcopalium assertor, ne in patrimonium ecclesiæ nobiles quidam diœcesis involarent præcipue cavit; prorsus boni pastoris munus nomenque promeritus, qui animam suam dedit vel obtulit pro ovibus, seu pro filiis ac fratribus & consacerdotibus suis. Rogerio & episcopo Macloviensi anno 1650, Innocentius X demandavit provinciam ut cognoscerent sententiam latam an. 1647 a Roberto *Cupif* episc. Leonensi, adversus Redonensem præsulem & ejus vicarium generalem, Fratresque Minores custodiæ sanctissimæ Trinitatis in provincia Turonensi. Demum
1651. Rogerius episcopatu cessit anno 1651, ac vivere desiit Luteciæ 25 Martii 1653, conditus in ecclesia Patrum Recollectorum sancti Francisci *de Piquepuce* prope portam sancti Antonii, in sacello gentilitio familiæ de Alto-monte, die 27 ejusdem mensis.

BOISLEVE.

LVIII. GABRIEL.

Oriundus ex Andegavensi familia, quæ plures viros in utroque Parisiensi & Aremorico senatu togæ dignitatibus & advocatione regia functos protulit, Gabriel, filius fuit Caroli *Boisleve* senatorum antiquioris in Parlamento Britanniæ, cujus parens suos apud Andegavenses provinciæ præfecturam exercuit. Senator & ipse Gabriel primum in Aremorico senatu, transiit inde ad curiam Parisiensem. Canonicus ecclesiæ Paris. necnon regi ab eleemosynis, sublectus est ad episcopatum Abrincensem spontanea Rogerii *d'Aumont* abdicatione, die 5 Januarii 1651. Antistes in Romano consistorio designatus 26 Septembris, consecratur Parisiis 10 Decembris ejusdem anni, in ecclesia monialium S. Thomæ, a Roberto *Cupif* tunc episc. & comite Dolensi, assistentibus Claudio *Auvry* Constantiensi, & Johanne *d'Estrades* veterano Condomiensi præsulibus. Tum pro re temporali, die Dominica
1652. 28 Aprilis 1652 exhibito regi Ludovico XIV apud sanctum Germanum in Laya fidelitatis sacramento, possessionem adipiscitur, ecclesiam solenniter invectus 25 Augusti ejusdem anni. Fuit etiam abbas sancti Georgii ad Ligerim, sancti Albini de Bosco, & beatæ Mariæ Bardonarum Auxitanæ diœcesis, necnon aliquandiu prior S. Arnulfi de Crispeio. Obiit 3 Decembris
1667. 1667, sepultus Andegavi apud Fratres Minores Franciscanos.

DE FROULAY DE TESSÉ.

LIX. GABRIEL-PHILIPPUS.

Filius Renati *de Froulay* comitis *de Tessé*, ex Maria *d'Escoubleau-Sourdis* sorore Caroli marchionis *de Sourdis* equitis torquati Gabriel-Philippus, frater Caroli comitis *de Froulay* equitis torquati, & patruus Renati Franciæ marescalli, etiam equitis torquati, necnon abbatissæ sanctæ Trinitatis Cadomensis; abbas ipse Trisagii & prius Anglæ diœcesis Pictaviensis, anno tandem

1668 mense Septembri, nominatus episcopus Abrincensis loco Francisci *d'Aligre* abbatis sancti Jacobi de Pruvino, qui oblatam dignitatem mense Februario ejusdem anni recusavit, sacram unctionem accepit 20 Januarii anno 1669, in ecclesia Fulienfium Parisiis, ministerio Francisci *de Harlay* archiepiscopi Rotomagensis, adjuvantibus Arnaldo-Francisco *de Maytie* Oleronensi, & Henrico *de Laval* Rupellensi episcopis. Possessionem nactus 13 Aprilis subsequentis, statuta edidit 17 Octobris 1682. Sedit ad ann. 1689, quo mortuus est in sua diœcesi 4 Maii, *al.* apud Abrincas 27 Aprilis.

LX. PETRUS-DANIEL.

Cadomensis origine Petrus-Daniel, filius Juliani *Huet* Gisortii primarii prætoris, vir multarum literarum multiplicisque eruditionis, tam sacræ quam profanæ, fuit serenissimi Franciæ Delphini præceptor secundarius: tum a rege designatus episcopus Suessionensis die 13 Nov. anno 1685, antequam bullas accepisset, rege annuente, permutavit mensis Octobris die 5 anno 1689, cum Fabio *Brulart de Sillery*, nominato mense Junio anni ejusdem Abrincensi episcopo. Bullis donatus, inauguratus est Parisiis in æde sacra monialium a Visitatione vici sancti Jacobi, die 24 Augusti 1692, regique fidem juravit die 2 Septembris sequentis. Statuta edidit synodalia 23 Aprilis 1693. Jam diu vero allectus quadraginta viris Academiæ Franciceæ, rempublicam literariam pluribus ingenii fœtibus locupletavit; quales fuere Latina versio omnium Origenis operum, quam prælo subjecit Rotomagi primum 1668, deinde Londini in Anglia; libellus de origine Fabularium historiarum, &c. Sponte abdicavit anno 1699, retentis abbatiis Alneti & Fontaneti, quibus in secessibus, quemadmodum & Parisiis, musas beato in otio colere perrexit. Largitus est bibliothecam librorum delectu & multitudine præcipuam patribus Societatis Jesu domus professæ Parisiis, usu retento ad mortem, quæ Luteciæ demum contigit 25 Januarii 1721, cum tunc Academiæ Franciceæ decanus esset.

LXI. ROLANDUS-FRANCISCUS.

Frater marchionis *de Coëttensau* Rolandus-Franciscus, doctor theologus facultatis Parisiensis e domo Navarrea admissus die 3 Maii 1689, vacantem superioris cessione Abrincensem ecclesiam obtinuit nominatus a rege 19 Aprilis 1699. Sacratur eodem anno 29 Novembr. in ecclesia Noviciatus patrum Societatis Jesu Parisiis, ab archiepiscopo Rotomagensi, collaborantibus Laudunensi & Lingonensi præsulibus; eodemque anno, die 11 Decembris, regi fidem obstrinxit in castro regio Marliaci. In possessionem venit 17 Januarii 1700. Adfuit anno 1715 cleri Gallicani comitiis; quartoque post anno 1719 mense Octobri, fato functus Parisiis, sepultus est in æde parochiali sancti Sulpitii.

LXII. Cæsar.

Natus 15 Novemb. 1672 Cæsar, parentibus Ludovico *le Blanc* libellorum supplicum magistro, & Susanna *Bazin de Besons* sorore archiepiscopi Rotomagensis, frater autem rei bellicæ administri ac Dionysii-Alexandri episcopi Sarlatensis, primum fuit canonicus regularis sanctæ Crucis *de la Bretonnerie* Parisiis, doctor facultatis Parisiensis, ac prior Domni-Martini; tum a rege nominatus Abrincensis episcopus mense Novembri 1719, inauguratus fuit anno 1720 prima die mensis Maii, in hospitio regio Mutilatorum militum, vulgo *les Invalides*, ab avunculo Rotomagensi præsule, ferentibus opem Nannetensi & Claromontensi episcopis, adstantibusque triginta præsulibus, &c. magno apparatu. Regi fidem obligavit Cæsar die 5 Maii ejusdem anni. Obtinuit abbatiam sancti Saturi Bituricensis anno 1727. Parisiis vivere desiit 13 Martii 1746.

Anni Christi 1727. 1746.

LXIII. Petrus-Johannes-Baptista.

Durand de Missy.

Quem tom. VII, col. 278, in decanis ecclesiæ collegiatæ sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios diximus filium Augustini *Durand de Missy* & N. *le Guerchois*, Petrus-Johannes-Baptista, post plures ecclesiasticas rite obitas dignitates, vicarius erat generalis episcopi Bajocensis, cum a rege designatus fuit episcopus Abrincensis die 21 Aprilis 1746. Anno eodem 9 Octobris, unctus oleo sacro in sacello congregationis domus professæ patrum Societatis Jesu Parisiis ab episcopo Lascurrensi, adstantibus Aniciensi & sancti Claudii episcopis, 14 Octobris regi fidem apud Fontem-bellaqueum dixit.

ABRINCENSES ALIQUOT DECANI.

I. Richardus de Subligneio, ex decano erat episcopus anno 1143.

II. Hugo testis laudatur 1143 in charta fundationis abbatiæ de Lucerna.

III. Rollandus Abrincensis decanus anno 1171, suasione Roberti de Torinneio abbatis sancti Michaëlis in periculo maris creatus est episcopus Dolensis in Aremorica anno 1177, ac tandem diaconus cardinalis tit. sanctæ Mariæ in Porticu.

IV. Guido decanus subscripsit chartæ Guillelmi episcopi, tempore Mainerii abbatis sancti Florentii Salmuriensis, qui obiit 16 April. 1203.

V. Nicolaus de Aquila Abrincensis decanus, quem inter alios arbitrum Rotomagensis archiepiscopus & ejusdem ecclesiæ capitulum elegere super decima de Deppa anno 1211; decanus adhuc erat anno 1219. Is esse videtur N. de Aquila, antea scholarum Abrincensium magister, seu scholasticus, de quo Innocentius III epistola 442 libri primi editionis Balus. & epistola 18 libr. II.

VI. H. decanus recensetur arbiter in quadam controversia cum episcopo Dolensi anno 1219.

VII. Guillelmus I *de Sainte Mere-église* decanus erat ejusdem ecclesiæ anno 1232, ex chartis sancti Florentii; factus est episcopus anno 1236.

VIII. A. decanus & Richardi IV episcopi Abrincensis vicarius generalis, memoratur anno 1256 in octavis Paschæ, in literis de dono decimæ in parochia sancti Martini de Campis secus Abrincas, & mense Octobri in charta de capellania ab ipsomet instituta, ex regesto cameræ rationum Parif.

IX. Guillelmus II *Ruaud* decanus Abrincensis & canonicus Parisiensis, cum Guillelmo *de Macon* Ambianensi episcopo ad Nicolaum III missus est a rege anno 1278, pro subsidio ad iter Jerosolymitanum impetrando. Unus etiam fuit ex arbitris, quos, tam Stephanus episcopus Parisiensis, quam Matthæus abbas Sandionysianus simul litigantes elegere Sabbato post festum apostolorum Petri & Pauli, anno 1279. Guillelmus *de Villers* miles, & G. decanus Abrincensis, arbitrati sunt inter virum nobilem J. *Payan* militem, & conventum S. Michaëlis in periculo maris, anno 1280. Mittitur adhuc legatus ad Nicolaum papam a rege, cum Guillelmo *de Macon* Ambianensi episc. & Radulfo *d'Estrées* Franciæ marescallo, anno 1297, rogaturus pontificem, ut de vita sancti Ludovici fieri publicam inquisitionem curaret. Altero post anno defecit 1299, in festo sancti Thomæ martyris 29 Decembris, ex ipsius epitaphio in claustro Parisiensis ecclesiæ in hunc modum:

In cælis claudi valeas, Guillelme Ruaudi,
Qui vana laude non plenus eras, neque fraude.
Juris eras sanus consultor, Parisianus
Canonicus, planus verbis, Abricisque decanus.
Anno milleno c bis, novies quoque deno,
Ac terno membris exuto fine Decembris,*
Martyris in festo Thomæ, Deus huic pius esto,
Cæli solamen dans sibi semper, amen.

* *f.* nono

X. Bertrandus de Castanegho legum doctor, fuit Abrincensis decanus & sedis apostolicæ nuncius in provincia Tolosana, ex epistola quam ad eum scripsit Innocentius VI, data XII calend. Augusti, anno pontificatus nono; hic est annus Christi 1361.

XI. Johannes I *Roussel* decanus Abrincensis; occurrit an. 1364 in archivis Autissiodorensibus.

XII. Johannes II *le Marchant* decanus & canonicus Abrincensis, simul erat vicarius generalis & procurator Johannis Abrincensis episcopi, ut abbatis Beccensis anno 1480. Decessit anno 1509 vir eximiæ sagacitatis.

XIII. Robertus *de Bapaumes*, ex canonico & cantore cathedralis ecclesiæ, qui & præses in suprema scacarii curia, necnon canonicus Rotomagensis, in decanum Abrincensem eligitur die 3 Septembris anno 1509.

XIV. Guarinus *Sanguin* filius Claudii, Antonii cardinalis consobrini, domini *de Bomont*, ex Antonia *Hebert*, ad decanatus dignitatem ex canonico & archidiacono evectus est capituli electione. Varia ecclesiæ legata contulit, vir doctrina & pietate insignis. Moritur autem 25 Julii 1565, sepultus in ecclesia cathedrali sub tumba lapidis albi, in sacello beatæ Mariæ virginis de Pietate.

XV. Johannes III *Chesneau* juris utriusque doctor, in senatu Rotomagensi consiliarius, e scholastico Abrincensis ecclesiæ in decanum assumtus est a capitulo. Naturæ debitum solvit Rotomagi circa diem 15 Septemb. anno 1573. Jacet ad S. Paulum Luteciæ. Ita Sammarthani.

XVI. Augustinus *le Cirier*, ex Abrincensi canonico decanus eligitur a capitulo 23 Septemb. 1573. Fuit inde præsul Abrincensis, ubi vide.

XVII. Bernardus de Juvigneio, ex canonico electus a capitulo decanus 15 Julii anno 1575, obiit 26 Junii 1586. Conditur in ecclesiæ cathedralis sacello beatæ Mariæ de Pietate.

XVIII. Franciscus I *de Pericard*, e scholastico nominatus a capitulo decanus die 3 Julii anno 1586, ejusdem ecclesiæ pontificatum assecutus est 1588.

XIX. Jacobus I *Tragin*, ex canonico decanus 19 Augusti 1588, defecit 11 Martii 1598.

XX. Johannes IV *Fortin* facultatis Parisiensis doctor theologus & pœnitentiarius, eligitur decanus Abrincensis 18 Martii 1598, quo nomine reperitur anno 1602. Fato fungitur in parochia sancti Laurentii de Cupis, ubi sepelitur 17 Aug. 1619, cum prius decanatu cessisset.

XXI. Henricus *Boyvin* coadjutor Francisci *de Pericard* avunculi episcopi Abrincensis, & eo nomine consecratus episcopus Tarsensis, evasit thesaurarius, tandemque renunciatur a capitulo decanus 26 Junii 1619, quem mors præmatura, post abdicatum decanatum non sivit ibidem episcopum esse.

XXII. Guillelmus IV *Boyvin* Henrici superioris ex fratre nepos, abbas Montis-Morelli & de Fontaneto, prior etiam de Rupe-moretonii & de Denezeio, canonicus Rotomagensis & in senatu Normanniæ consiliarius, decanus Abrincensis receptus est anno 1629.

XXIII. Ludovicus *le Bourgeois de Heauville* oriundus e diœcesi Constantiensi, baccalaureus in theologia facultatis Parisiensis & abbas Cantumerulæ, decanatus possessionem adeptus est die ultima Julii anno 1642. Cessit aliquot post annos in curia Romana in gratiam sequentis, seque recepit in seminarium Waloniæ.

XXIV. Carolus *le Bourgeois* licentiatus in theologia & parochus *de Carnet*, cessione Ludovici superioris decanus, dignitatis possessionem iniit 23 Junii 1656, annoque 1677 eidem Ludovico resignavit in curia Romana.

XXV. Ludovicus *le Bourgeois* secundùm accepit possessionem 4 Octobris 1677. Obiit grandævus mense Septembri anni 1680, clarus in primis catechismo metrice scripto.

XXVI. Franciscus II *de Carbonnel-Canisy*, ex præcentore Lexoviensis ecclesiæ decanus Abrincensis electus anno 1680, tribus post annis evasit episcopus Lemovicensis.

XXVII. Jacobus II *de Carbonnel-Montreuil* baccalaureus in theologia, Francisci superioris cessione in curia Romana decanus, obtinuit possessionem anno 1684 6 Decembris.

XXVIII. Gabriel *Artur* doctor Sorbonicus, Jacobo in curia Romana cedente, dignitatis possessionem assecutus est anno 1704 17 Sept. superstes adhuc 1750 mense Maio.

SANCTI EBRULFI ECCLESIA COLLEGIATA.

EXstat in urbecula Moretoniensi *, haud ignobilis ecclesia collegiata sub sancti Ebrulfi patrocinio, cujus fundationem rex Philippus Valesius inspexit literis Parisiis anno 1330, mense Octobri datis, ex quibus hæc excerpsimus.

* Mortaing.

Anno ab Incarnatione Domini 1082, regnante Willelmo rege Anglorum & duce Normannorum, Robertus comes Moretoniensis cum Matilde uxore, ecclesiam in castro Moretonii in honorem Dei & sancti Ebrulfi confessoris construxit, & in ea canonicos de propriis & baronum suorum possessionibus & eleemosynis instituit, Willelmi regis, cujus ipse frater erat, & baronum assensu, atque Michaëlis Abrincensis episcopi calculo, pro salute animarum suarum, & Willelmi regis & antecessorum & heredum suorum. In eadem Robertus comes decanum fundavit, & alias octo præbendas; septem aliæ a suis baronibus fundatæ. Præterea constitutum est a comite, ne in tota Moretonii valle præter scholam sancti Ebrulfi (quæ adhuc subsistit) schola aliqua haberetur; quod si inveniretur alicubi, libri a canonicis caperentur de schola, & in thesauro ecclesiæ ponerentur; ut canonici, ubicumque cum comite forent, in oblatione sua partirentur tanquam proprii capellani; decanum vero & cantorem, quando apud Moretonium moraretur, ut proprios capellanos de mensa sua fore constituit. Indulsit idem canonicis, ne sine submonitione decani, & nisi in capitulo suo in causam ducerentur. In hominibus vero præbendarum suarum redditus seculares & *forsfacturas*, quas in eis comes habebat, canonicis concessit præter sanguinis vindictam, quam ad suæ justitiæ conservationem retinuit; omnes vero homines præbendarum per totum honorem Moretonii in Normannia a consuetudine liberos & immunes esse decrevit, & ne ii, vel eorum primogeniti milites retineri possent, instituit, &c.

Hanc igitur ecclesiam cum honoribus & præbendis, & aliis eleemosynis & libertatibus suis a comite Roberto Willelmi regis Anglorum fratre,

fratre, & a comite Willelmo ejus filio, & a A baronibus eorum in hunc modum fundatam, libertate etiam a synodo & ab omni consuetudine episcopali donavit episcopus Abrincensis, præterquam quod duo canonici synodo debent interesse, & capellanus a civitate Abrincarum sanctum chrisma deferre debet, & interdictum episcopale capitulum suscipere ab archidiaconis vel decanis. Basilicam dedicaverunt Willelmus Rotomagensis archiepiscopus, Michaël Abrincensis episcopus, Odo Bajocensis episcopus, Gaufridus Constantiensis episcopus, & Gilbertus Lexoviensis episcopus. Quoniam autem Michaël Abrincensis episc. hanc libertatem, consilio archiepiscopi & B episcopor. supra dictorum, rogatu regis Anglor. & ducis Normannorum & baronum, ecclesiæ concessit, comes Robertus præstitit ei dimidia placita episcopalia, quæ tunc illis erant communia, & decimam venationis Landæ putridæ, & accipitrem & unum cervum annuatim, in Landa putrida. Harum autem eleemosynarum & libertatis violatores, sive diminutores vel destructores archiepiscopus Willelmus & ceteri episcopi anathemati subjecerunt. Hactenus fundationis literæ.

Hanc Moretoniense capitulum libertatem servavit usque ad tempora Petri-Danielis *Huet*, a C quo sancitum est ut canonici, capellani, vicarii, &c. qui ab officiali suo ad Rotomagensem hactenus appellaverant, deinceps ad Abrincensem provocarent.

Constat illud canonicis sexdecim a comite nominandis, novem capellanis a capitulo, duobus æditituis & sex pueris choralibus.

Utuntur canonici breviario, cantu & rituali Parisiensis ecclesiæ; neque unquam ab episcopis Abrincensibus adduci potuere, ut hunc usum mutarent. Unde vero illa venerit consuetudo, ut jurisdictionis primus apparitor intra missarum solennia & ad supplicationes festorum solennium longum gerat gladium vagina vacuum, ab ipsismet canonicis ignoratur.

Certum est aliunde B. Vitalem Saviniaci fundatorem, canonicum fuisse hac in ecclesia, ad quam undique concurritur, ob translatum in eam corpus sancti Firmati, dicti vulgo Guillelmi *Firmat*, sub finem undecimi seculi, superstite Roberto Moretonii comite, qui S. Firmato dedit apud Telliolum quatuor acras terræ. Comes etiam Stephanus, qui fuit Angliæ rex, nonnulla tribuit *ad luminare altaris sancti Firmati.* Corpus ejus supra duas pilas elatum est in navi ad meridiem; caput vero & os brachii separatim posita sunt in duabus thecis, ad populorum devotionem & maxime tractus Cenomannorum inferioris, in quo sancte conversatus est. Præcipua sancti hujus festivitas cadit in 24 Aprilis; sed maximus est populi concursus postridie sanctissimæ Trinitatis, in quo festus dies agitur translationis aut elationis ejus corporis, de qua loquitur Continuator Sigeberti ad annum 1157.

ABBATIÆ DIŒCESIS ABRINCENSIS.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Sanctus Michaël in periculo maris, vulgo *le Mont saint Michel*, virorum.

Beata Maria *de Moutons*, feminarum, prioratus.

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Monsmorellus, *Montmorel*, virorum.

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Savigneium, *Savigny*, virorum.

Albæ-Dominæ, *les Blanches*, feminarum.

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Lucerna, *la Luserne*.

S. MICHAEL IN PERICULO MARIS.

Le Mont S. Michel.

IN confinio Britonum ac Normannorum, medio in mari, grandioris instar tumuli assurgit mons ducentos altus cubitos, sex millibus ab æstu oceani, inter ostia situs, ubi mari immergunt se flumina Segia * & Senuna, totidemque ab urbe Abrincatensi dissitus, cujus pagum qua occasum prospectat, a Britannia dirimit. Ab antiquis ob formam Mons Tumba, quandoque etiam Ad duas tumbas dictus legitur, quod alteri scopulo minori quidem, atque inde Tumbella sive Tumbellana dicto, sit proximus; denique In periculo maris etiamnum nuncupatur, quia D bis qualibet die tribus fere milliaribus undique cingitur oceano statis vicibus intumescente, ita ut incauti & ignari æstus oceani, si qui forte deprehensi fuerint, opprimantur, nec mortem possint evadere. Opacissima olim silva clausum fuisse hunc locum scribit auctor antiquus a Mabillonio laudatus, monachos ibidem inhabitasse, duasque ad suum usque tempus exstitisse ecclesias, quas illi, scilicet monachi, incolebant. Hæc erat loci facies, quando apparens anno 708 Michaël Archangelus Autbertum Abrincatensem episcopum monuit, ut ecclesiam in cacumine montis sub ipsius patrocinio erigeret. Hærenti bis antistiti cum tertio fuisset intimatum, operi E tandem manum admovit, congregati statim rustici, purgatus locus, complanatum spatium, duæ rupes disjectæ, quas ars nulla, nulla manus dimovere potuerat. Exstruxit itaque, addit idem auctor, fabricam pontifex culmine non admodum celsam, in modum cryptæ rotundam, quæ homines fere centum caperet instar illius, quæ in Gargano monte erecta fuerat; unde, loci abbate concedente, allata est pars rubei pallioli, quod Archangelus super altare reliquerat, cum parte marmoris, super quod steterat. Omnibus rite dispositis, facta est novæ basilicæ dedicatio XVII calend. Novembris 709 ab Autberto episcopo; qui dies olim non modo in Gallicanis Lugdunensis secundæ, aliisque, sed etiam in Anglicanis

* la Sée.

ecclesiis celebris erat, ut probat decretum synodi A Oxoniensis anni 1222. Illic a sancto Autberto forsan instituti degebant clerici, quorum solutiores mores Richardum I Normannorum ducem impulere, ut eis ejectis monachos substitueret anno 966. Illic delubrum miræ amplitudinis & spatiosa monasticæ habitationis ædificia dux construxit, teste Dudone, ibique monachos sub ærumnosa theoricæ vitæ palestra posuit severioribus vitæ regularis legibus adstrictos. Id factum consilio Hugonis Rotomagensis archiepiscopi & Radulfi comitis, assentiente etiam diœcesano episcopo Abrincatensi, quibus Lotharii regis ac Johannis papæ XIII accessit auctoritas. *Gonnor* B Richardi I uxor dedit monachis Bretevillam & Donnum-Johannem. Richardus II patris exemplum secutus, novam basilicam B. Michaëlis in monte Tumba inchoavit anno 1022, & monachis concessit abbatiam sancti Paterni in pago Constantiensi, terram in villa Rotoldi & monasterium sancti Petri situm in latere montis, ea lege ut clerici ibi constituerentur : dedit & in pago Bajocassino villam *Verlun*. Alanus Britanniæ comes & dux a parentibus factas donationes ratas habuit, alias restituit, alias de suo contulit. Guillelmus filius Rivallonis reddidit terram Landeguihum, quam patri ejus dederat Suppo abbas. C Quid moror cetera monasterio collata bona, de quibus inferius in abbatum syllabo erit dicendum. Inter insignia quibus decoratum fuit cœnobium, non minimum illud est, quod anno 1469 Ludovicus XI beneficiorum intercessione sancti Michaëlis acceptorum memor, equestrem illius nomini sacrum ordinem instituit, cujus omnes conventus & cæremoniæ ex prima institutione in monasterio sancti Michaëlis de Monte celebrari debent.

Chart. I. col. 105. Charta II. col. 106.

Non eadem perennavit facies, non fortuna sive ædificiorum, sive disciplinæ quæ ab initio instituta fuerant; imo utraque humanam sortem D pluries subiere : ædificia aëris inclementiam, regni inimicorum, Anglorum puta & nostratum Calvinistarum furores sensere. Ædificiis labentibus, lapsa est disciplina. Illa eo jam statu consistunt, quem Jacobus-Augustus Thuanus in vitæ suæ lib. 2 describit in hunc modum :

« Sancti Michaëlis Mons, quod est cœnobium maxime illustre in periculo maris, rupes undique prærupta, olim, ut putatur, continenti connexa, nunc mari accedente, duarum ab ea leucarum spatio dividitur, accedente æstu per vadosa loca equis aditur; ubi ad pedem saxi, quod conica specie assurgit, veneris, murus oc- E currit præraltus rupi in imo circumdatus, portaque aperta, statim per gradus in ea excavatos, nulla interjecta planitie, ascenditur, tabernis utrinque dispositis, quibus rosaria & imagines plumbeæ, ac hujusmodi donaria, quæ peregrini sibi comparare consueverunt, prostant, necnon diversoriis aliquot ad hospites recipiendos. In summo fastigio, quod in cacumen desinit, arx est & cœnobium tam spatiose porrectum, quam ima saxi crepido est, pilis ex ea in altum substructis, quæ tantam molem sustinent, & ex quibus in altum gravia onera per trochleas subvehuntur. Nam præter templum ipsum magnifice exstructum, cum turre præalta, in qua insignis S. Michaëlis archangeli deaurata species ad solis radios rutilans cernitur, bina porticus cum peristylio, altera alteri imposita fornicato opere, cænationes item fornicato opere, bibliotheca optimis libris manuscriptis olim referta, hypogæa, cisternæ, domus ipsa præsulis cum hypæthro in cacumine summo : tanta amplitudine sunt omnia, ut cum in iis pedem figis, in campestri planitie deambulare te credas. Hortus etiam terra importata ad occasum & meridiem vergens modico spatio præfecti ædibus adjacet, in quo, licet alioqui totus ille tractus frigidissimus sit, optimi melones proveniunt. Tot sumtibus toto regno, atque adeo Europa omni admiranda substructio, olim constitit loco solitario & importuoso, & ab omni commercio & frequentia longe discreto, difficili etiam cum mari alluitur, ad eum vel cum naviculis appulsu, quas difficultates majorum religio partim superavit, partim supplevit ».

Disciplinæ vero cum nulla deinceps alia relinqueretur instaurandæ ratio, Guisius dux ejusque conjux, suffragante Berullo Henrici a Lotharingia illorum filii necnon in tenera admodum ætate loci abbatis vicario generali, congregationis sancti Mauri monachos anno 1622 accivere, eosque sacri Montis custodes invigilaturos imposuerunt.

Abbatum Series.

I. Mainardus I Gandavensis seu Blandiniensis monachus, cum Fontanellense monasterium annis quinque rexisset & renovasset, a duce Richardo & Normanniæ primatibus ad Montem sancti Michaëlis compulsus est migrare, *quatenus ejectis clericis, monachos quibus præesset in regulari disciplina, deberet undecumque aggregare.* Id anno 966 factum. Richardus mox omnia bona clericis addicta confirmavit monachis, terras videlicet ac parochias *d'Huines* & *de Genest*, atque a Lothario Francorum rege & a Johanne XIII summo pontifice confirmari curavit. Abbatis Mainardi haud multo post pietate motus & exemplis Durandus clericorum illorum alter aggregari monachis enixe rogavit & obtinuit, quem Mainardus hujus ecclesiæ capellani munere donavit. Eodem abbate monachus S. Michaëlis Heriwardus, Herluini Gemblacensis abbatis frater, cui diu Gemblaci convixerat, anno 987 in fratris defuncti locum a Gemblacensibus suffectus est. Tertio post anno 990 Conanus Redonensis comes & totius Britanniæ Armoricæ Mainardo abbati & conventui Montis sancti Michaëlis eleemosynæ titulo dedit parochiam, terram ac toparchiam *de Villamer*, cum omnibus juribus & appendicibus, altam, infimam & mediam justitiam, &c. Huic dono subscribunt Querinus episcopus Redonensis, Gingonoëus archiepiscopus Doelnsis, Triscannus abbas, *Budic* comes, *Regalon*

& Triscannus ejus filius, Radulfus cantor, & Raffronius clericus. Devixit Mainardus anno 991, die 16 Aprilis.

II. Mainardus II primi nepos, ex priore Fontanellensi prior Montis, Mainardo successit abbas: *cujus tempore*, ex brevi chronico, *combustum fuit monasterium cum omnibus officinis*. Bona ipsius sollicitudine sua non mediocriter auxisse perhibetur. A Maïolo Cluniacensi abbate donatus est quibusdam prædiis in agro Turonensi. Ejus tempore Norgaudus Abrincatensis episcopus ibidem monachum induisse dicitur; Rollandus monachus, Dolensis episcopus factus est, & Garinus abbas Cerasii. Dolensis vero antistes Rollandus inibi sepeliri voluit anno 1004, ubi & Conanus Britanniæ dux pro voto sepultus est in capella sancti Martini veteris ecclesiæ, necnon Gaufridus filius ejus & successor. Mainardus demum senio gravatus successorem designavit Hildebertum, & Julii die 14 anno 1009 decessit; cum rexisset prope quindecim annos, quo tempore Ansgorius & Herveus germani fratres dedere S. Michaëli ecclesiam Pollei, dono subscribentibus Alano comite Britanniæ & Odone ipsius fratre, Warino episcopo Redonensi, & Gingonoëo Dolensi archiepiscopo.

III. Hildebertus I loci alumnus, *juvenili ævo floridus, sed acumine vivacis ingenii præclarus, morumque maturitate gravidus*, Mainardi jam præ senio regere impotentis & monachorum ad preces ei suffectus est a Richardo principe & marchione totius Neustriæ provinciæ an. 1009, indict. VII, regnante Roberto rege Francorum. Hugonem Cenomannensem comitem munificum expertus est, qui dedit anno 1014 terram de Vedobris cum ecclesia, molendino, pratis & vivariis. Subscripsit chartæ Gonnoris alodum Bretevillam sancto Michaëli donantis. Hildeberto sedente, corpus sancti Autberti Abrincatensis episcopi, quod a clericis olim absconsum fuerat, postea repertum, in pretiosa capsa inclusum fuit; quæ translatio sic per plura secula fuit celebris, ut monachi omnes e prioratibus abbatiæ obnoxiis ad eam quotannis convenirent hunc diem festum celebraturi, & postero generale capitulum habituri. Octo in regimine exactis annis Hildebertus vivere desiit anno 1017, mensis Januarii die 7, humatus in hortulo juxta presbyterium ecclesiæ.

IV. Hildebertus II filius Bernardi, nepos Hildeberti eidem successit, quo sedente Richardus II dux dedit abbatiam sancti Paterni in pago Constantiensi, necnon sancti Petri monasterium in ejusdem Montis latere, probantibus Roberto archiepiscopo Rotomagensi & episcopis provinciæ. Princeps idem loco ecclesiæ combustæ anno 1001 Mainardo II abbate, qui hanc utcumque reparaverat, speciosiorem alteram cum Hildeberto cœpit anno 1022 ædificare, qualis hodieque visitur, præter illam ecclesiæ partem, quæ superior, seu caput appellatur. Ut autem ad ecclesiæ fabricam spatium sat amplum in hujus cacumine Montis haberet, crassiores pilas, muros & fornices exstruxit cum capella subterranea, supra quam ecclesiæ navim collocavit. Hildebertus autem hoc ipso incœpti operis anno devixit die 3 Septembris 1023, sepultus juxta Hildebertum I.

Post Hildebertum Suppo Fructuariensis abbas hanc præfecturam adipisci tentavit, & dum huic negotio vacaret, duo abbates rexisse dicuntur.

V. Almodus patria Cenomannensis, successit Hildeberto, ex chronico, cui Alanus comes & dux Britanniæ duas ecclesias restituit in territorio *Pavalet* anno 1032. Infensum sibi Robertum Normanniæ ducem expertus, anno eodem secessit, quem dux mitigatus præposuit abbatiæ sancti Vigoris de Cerisiaco, ubi mortuum ferunt 17 Maii 1033.

VI. Theodoricus superioris germanus, si abbas Gemeticensis, ut legitur in chronico, Almodo præponendus est, quippe qui obiit anno 1030, sepultus apud Gemeticum: sin minus, post Almodum, ex chronico, mensibus aliquot rexit, iisdemque die & anno obiit 17 Maii 1033.

VII. Suppo patria Romanus, frater Theodorici & nepos Guillelmi Fiscannensis abbatis, Fructuariensis abbas, electus a decennio abbas Montis sancti Michaëlis, ordinatus est anno 1033. Ex Italia secum attulit plurimas reliquias, quibus abbatiam novam ditavit, vasisque aureis atque argenteis ecclesiam, librisque bibliothecam locupletavit. Huic, anno 13 Henrici regis, Raginaldus miles, cum Hersinde matre sua, donavit monasterium & burgum S. Victurii Cenomannensis ad supplementum victus. Suppone quoque sedente, Eduardus Anglorum rex dedit sancto Michaëli alterum sanctum Michaëlem juxta mare, in agro Cornubiensi. Post quindecim regiminis annos, a monachis de dilapidatione bonorum monasterii accusatus Suppo proprium repetiit solum, id est Fructuariense monasterium, ubi mortuus est 4 Novembris anno 1061.

VIII. Radulfus I *de Beaumont* Fiscannensis monachus, ex custode monasterii Bernaicensis, volente Guillelmo Normanniæ duce, fit abbas S. Michaëlis anno 1048. Ecclesiæ fundamenta, quæ posuerat dux Richardus II, continuavit absolvitque. Jerosolymam profectus, paulo post regressum, cum per decennium administrasset, occubuit 19 Julii 1058, ibidem sepultus.

IX. Ranulfus I ortu Bajocensis, qui Radulfi absentis gesserat vices, eidem post biennium suffectus, inprimis sollicitus fuit navim ecclesiæ, quam dux Richardus inchoaverat, absolvere. Exstruxit etiam porticus arcis a septentrione, necnon cœmeterium monachorum subter majori ecclesia. Apud Johannem Abrincensem episcopum conquestus est anno 1061 super quibusdam gravaminibus, quæ ab ejus ministris sæpe fiebant in clerum & populum Montis, qui Abrincas pergere cogebantur ad quaslibet citationes, nec excusare eos poterat vel mare insurgens, vel Britonum insidiæ, & si citationibus deforent, multis obnoxii erant. Abbatis querelas benigne excepit præsul. Itaque inter eos convenit, ut abbas archidiaconi officio in Monte fungeretur,

Annal. tom. I, p. 124.

Annal. Mabill. tom. IV, pag. 719.

Biblioth. Labb. tom. I, pag. 352.

Annal. Mabill. tom. IV, pag. 729.

Chart. III, col. 106.

& minores causas ecclesiastico judicio definiret, majores vero, quales sunt matrimonii dissolutio, judicium ferri igniti & quædam similia, ad episcopum referret. Sic facta compositio ea lege, ut abbas singulis annis vestem episcopo convenientem offerret, tresque libras incensi, totidemque piperis & sex tabulas ceræ cum tribus cereis die Purificationis beatæ Mariæ. Ad hæc, ut monachi quotannis Abrincas procederent cum capite sancti Autberti in cathedralem S. Andreæ ecclesiam, unde consilium & chrisma accipiunt ad baptisandos infantes. Adstitit Ranulfus dedicationi parthenonis Cadomensis anno 1066. Anglia devicta, ad Guillelmum conquæstorem sex naves optime instructas, cum aliquot monachis transmisit. Illis ad reditum in Normanniam usus est dux, relictis quatuor, quos Ranulfus miserat, monachis, ad restituendam ubique pessumdatam disciplinam regularem, qui omnes fuere postea abbates: Roaldus seu Rualdus Hildensis, Scollandus Cantuariensis, Serlo Glocestrensis, quod monasterium condiderat; & Guillelmus *de Agoru* sancti Petri Corneliensis seu de Cornelianis. Denique Guillelmus Angliæ rex, ut ad Normanniæ præsidium exstrueretur castellum, ubi erat prius ecclesia sancti Jacobi, *leugam cum sanguine & teloneo, & mercato de Cruce* comparavit a Ranulfo anno 1067. Obiit hic abbas an. 1085, prope decessorem tumulatus.

Chart. I. col. 61.

Annal. Mabill. tom. V. pag. 5.

X. Rogerius I, ex capellano regis Anglorum Cadomensis monachus, Monti præfectus est abbas a Guillelmo Angliæ rege anno 1085, cujus defuncti 1087 exequiis interfuit; cujus & filium Henricum vexatum a fratribus Guillelmo Anglorum rege & Roberto II Normanniæ duce in Montem sancti Michaëlis tanquam in perfugium suscepit; unde pace composita liberum abire obtinuit apud geminos fratres. Impetravit a Roberto Normannorum duce & filio ejus Willelmo, mercatum in villa *Ardevon*, terramque ad ædificandam domum in civitate Rotomago anno 1088. A Fulcone comite Andegavensi obtinuit anno 1090, ut terræ & vineæ quas in pagis Andegavensi & Turonensi monachi possidebant, in anno non caperentur pro foris facto, quod in terra Normannica vel etiam altera factum foret. Anno 1103 pars non modica ecclesiæ corruit, cujus ruina portio monasterii eversa est. Triennio post conquestis monachis apud regem, quod expulsione fratrum suorum, quos rex ad nutum abbatis in varia Normanniæ ablegaverat monasteria, desolatus esset hic locus, citatus abbas coram rege causam dicturus apud Cadomum, cum non haberet unde se purgaret, pedum deposuit anno 1106 in manibus regis, a quo factus est abbas Corneliensis in Anglia, ubi efflavit animam.

Charta V. col. 108.

XI. Rogerius II prior Gemeticensis, vir religiosus & sapiens, ab Henrico rege Monti præpositus est anno 1106. Neglectam a decessore disciplinam brevi restituit. At ignis e cœlo delapsus die Veneris 25 Aprilis anno 1113, totum cœnobium incendio consumsit, præter pilas & fornices turrim fulcientes. Thomas dominus sancti Johannis occupavit baronias sancti Paterni & *de Genest*, cum nemoribus *de Carpoul* & *de Brivoye*, quæ devastavit; verum non ita multo post facti pœnitens cum fratribus ad monasterium accessit, eique totum quod ceperat restituit, addita bonorum suorum parte in compensationem damnorum, quæ intulerat. Rogerius autem hac excitatus accessione, a septentrione funditus exstruxit dormitorium, refectorium & equitum magnificam aulam opere non minus solido, quam lauto. Sed accusatus coram Henrico rege quasi terram quamdam non suam retineret, Gemeticum ablegatus est, viginti quinque marcis argenti singulis, dum viveret, annis ex sancti Michaëlis reditibus ipsi assignatis a rege. Posito itaque baculo super altare beati Michaëlis ipso die festo ejusdem anno 1123, remeavit Gemeticum, ubi anno sequenti defunctus die 2 April. & sepultus est. De eo chronicon MS. sancti Michaëlis: *Iste fecit multa bona in ædificiis & ornamentis; omnes officinas quæ combustæ fuerant, reparavit. Insuper arcam claustri, quæ prius erat lignea, lapideam fecit, & subtus ipsam, aulam & cameras lapideas, & in tertio ordine stabula equorum, fornicibus super fornices libratis mirabiliter adaptavit.*

XII. Richardus I *de Mere* genere nobilis, Cluniacensis ordinis monachus & pene laïcus, Henrici regis Anglorum auctoritate constituitur abbas anno 1123. Hoc ipso clerus & populus Maclovienses Danoaldum Montis S. Michaëlis monachum accersierunt episcopum. Subscripsit 1125 Richardus chartæ fundationis Readingensis cœnobii in agro Berrocensi. Anno eodem duo Montis sancti Michaëlis monachi electi sunt abbates, alter sancti Florentii Salmuriensis, & alter sancti Benedicti Floriacensis. Adhuc memoratur Richardus abbas anno 1128, III idus Julii; at non multo post de eo querelis ad regem & ad Matthæum e Cluniacensi monacho episcopum Albanensem & sanctæ sedis legatum delatis, ad sancti Pancratii prioratum Cluniacensem in Anglia, ubi Richardus habitum religionis susceperat, relegatus est, ibique Januarii 12, anno 1131, ex Sanmarthanis, vivere desiit & conditus est. Vacavit inde abbatia fere per triennium, cujus bona regis ad manum apposita sunt, æris alieni dissolvendi gratia, quod Richardus abbas contraxerat.

XIII. Bernardus asceta Beccensis & prior Cremonensis al. *de Cernon*, ab Henrico rege, qui tum Rotomagi demorabatur, in festo sanctæ Agathæ abbatia S. Michaëlis de Monte donatus fuit, *vir sapientissimus, doctissimus & nimiæ eloquentiæ* nuncupatus in codicibus MSS. Benedictus a Turgiso Abrincatensi præsule, recognitionem accepit ab Hugone de Truncheto anno 1135, regnante Ludovico rege Francorum & Guidone episcopo Cenomannensi. Dedicari fecit ecclesiam prioratus sancti Michaëlis de Cornubia per Exoniensem episcopum, *in novo anno regni regis Stephani*, hoc est anno primo, 1135, quæ inchoata

fuerat *in anno quo hominem exuit rex Henricus*, eodem 1135. Data cum appendicibus vetus ecclesia fuerat a Roberto Moritonii comite, uterino fratre Guillelmi Conquæstoris, qui Robertus gerebat in exercitibus vexillum sancti Michaëlis. Multa Bernardus bona monasterio fecisse dicitur; in his beati Autberti episcopi ossa aureo & argenteo vase inclusisse, *duo signa*, id est campanas duas fudisse, & in Anglia apud sanctum Michaëlem de Cermeria cellam duodecim monachorum præter priorem constituisse. Ædificia restituit & sarta tecta tuitus est, inprimisque navis ecclesiæ latus septentrionale, quod ante annos triginta tres corruerat, refecit. Prioratus quoque non modo instauravit, verum & novum instituit in rupe vicina, dicta *de Tumbelania*, in qua utpote solitudini magis congrua cellas aliquot erexit, ut illuc quandoque cum selectis fratribus secedens attentius vacaret orationi. An. 1138, tertio post obitum Henrici regis anno, tertium accidit incendium ex bello civili, quo, dum urbes Normanniæ sese mutuo devastant, quidam sine lare ex Abrincensi urbe irruentes in Montem sancti Michaëlis, admoto igne domos omnes succenderunt, necnon omnia monasterii loca regularia, sola ecclesia superstite cum præcipuis ædibus, quas a Rogerio II diximus ædificatas. Hoc incendium sic depingit chronicon loci MS. *Eodem anno debacchatione Abrincatensium furentium combustum est castrum Montis, excepta ecclesia & officinis monachorum, mense Augusto.* Memoratur adhuc Bernradus an. 1142, Hugone Rotomagensi archiepiscopo, & Richardo Abrincensi præsule. Superstes ad annum 1149, jam senio gravis defecit eodem, die 8 Maii, in ecclesia tumulatus.

XIV. Gaufridus I loci alumnus, Bernardo decessori necdum sepulto præpropera fratrum electione substitutus, confirmatusque ab Eugenio papa III bulla data XVIII calendas Januarii anno 1149, benedicitur ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo, in ecclesia S. Georgii de Bochervilla. Quæ cum rescivisset dux, abbatis bona temporalia invasit, nec nisi multo ære placari potuit. Verum non diu hac dignitate potitus est Gaufridus, qui die Januarii 4 anni 1150 obiit, monasterium relinquens multo ære alieno, *causa ipsius pacis erga comitem*, oppressum. Sepultus est in porticu ecclesiæ.

§ Richardus *de la Mouche* Montis sancti Michaëlis monachus, anno ab obitu Gaufridi elapso, quo eligere metu principis ausi non fuerant monachi, suadente demum Richardo Abrincensi episcopo ejus consanguineo, electus est abbas, cujus electioni refragatus Henricus II, satellites misit ad Montem, ablaturos inde crucem & calices, quibus abbas Bernardus aliique decessores monasterium ditaverant. Quin & expulit abbatem non solum ex Monte, verum etiam ex tota Normannia; & laïcos tres clericosque duos gerendis abbatiæ rebus adhibuit, a quibus sacra supellex ex parte direpta, prædiaque dilapidata sunt. His ut monachi mederentur incom-

A modis, favente duce, Robertum *Hardy* monachum & cellerarium Fiscanni eligunt, quem veteres MSS. codices ferunt neque monachum, neque laïcum exstitisse. Quod ut rescivit Richardus, Romam perrexit, Eugenium III adiit, cujus præcepto, a Richardo Abrincensi episcopo benedictus est in ecclesia cathedrali Abrincensi, uno tantum adstante monacho sancti Michaëlis, qui Romani socius itineris fuerat. Tandem missis monachis Romam pro utraque parte, inquit chronographus, uterque, scilicet Richardus de Musca & Robertus Harditi, & etiam Richardus episcopus Abrincensis eos subsecuti sunt, & intra B breve spatium peregre obierunt, scilicet anno 1153. Quoniam vero neuter, aiunt Sammarthani, administrationem gessit, inter abbatum seriem non adnumerantur a plerisque. Et certe successor Robertus decessorum chronographus quatuordecim tantum, ex quibus fuere decem de extraneis monasteriis, numerat in libro de Immutatione ordinis monachorum cap. X, edito ad calcem operum Guiberti abbatis de Novigento.

XV. Robertus *de Torigny*, vulgariter dictus Robertus de Monte, a loco abbatiæ cognominatus, vir genere, ingenio & virtute clarus, ex monacho & priore claustrali Beccensis cœnobii, C in quo habitum religionis anno 1128 induerat, ex chronico sancti Michaëlis, fratrum omnium Montis sancti Michaëlis assensu creatur abbas anno 1154. Is ipse in appendice ad hunc annum de promotione sua, quasi de alio agens scribit in hunc modum: *Mense Maio, VI cal. Junii, feria V, infra octavam Pentecostes, monasterium beati Michaëlis de periculo maris post tribulationem, quam per quinquennium fere jugem passum fuerat, Deo miserante, aliquantulum respiravit, electo unanimiter ab omni conventu Roberto de Torinneio priore claustrali Beccensis monasterii.* Tum de sua confirmatione a principe facta, hæc subdit: *Eodem* D *mense dux Henricus rediens de Aquitania, ubi Alienordem a Ludovico juniori repudiatam desponsaverat, Rotomagi in die festivitatis sancti Johannis-Baptistæ grataunter assensum præbuit prædictæ electioni, quam archiepiscopus Rotomagensis Hugo vir summæ religionis & industriæ, cum imperatrice Mathilde, antea ut præsentes libentissime confirmaverant. Sequenti vero mense, in festivitate sanctæ Mariæ Magdalenæ, prædictus electus benedictus est in abbatem apud sanctum Filibertum de Monte-forti (cellam monasterii Beccensis ad fluvium Riselam,* la Rille*) ab Herberto episcopo Abrincensi & Gerardo Sagiensi, præsentibus abbatibus Rogerio Beccensi,* E *Michaële Pratellensi, Hugone de sancto Salvatore Constantini.* Hæc ille de seipso. Præclara sunt quæ fecit ad amplitudinem monasterii, cum ad restituendam augendamque rem familiarem, tum ad amplificandam bibliothecam, quam multis codicibus, quorum pauci supersunt, instruxit. Ejus tempore Robertus *de saint Plaucheis* monachus sancti Michaëlis de Monte evasit abbas de Cornelianis in Anglia. Anno 1155, ineunte Aprili, factus in Burgundia ingens terræ motus ad Montem sancti Michaëlis penetravit, quem

ita concussisse tradit Robertus ipse, ut singulis momentis putaretur intra viscera terræ absorbendus.

Tanta autem jam ab initio erat apud omnes Roberti existimatio, ut anno 1156 archiepiscopus Rotomagensis, episcopi Constantiensis, Abrincensis & Bajocensis, illum inviserint, quatriduo apud eum manentes. Quin & Angliæ rex Henricus II illuc honoris causa conveniens, in refectorio comedit ad latus abbatis sedens. Biennio post regem inter eumdem & Ludovicum VII Franciæ regem habito congressu, ambo simul Montem sancti Michaëlis adiere, multis comitantibus tam cardinalibus, quam archiepiscopis & episcopis. Alienor quoque Angliæ regina & Normanniæ ducissa, cum filiam principem apud Domnum-frontem enixa esset an. 1161, delegit, Henrico conjuge suo annuente, Achardum episcopum Abrincensem & Robertum abbatem, qui puellulam e sacro fonte susciperent, quam matris nomine Alienordem dixerunt. Sed nec hîc stetit Henrici regis erga Robertum abbatem benevolentia. Cum enim Abrincenses cives de injuriis quas cum præfectus castri Pontorsonii, tum ejus milites pagis inferebant circumvicinis, admonuissent regem, amoto præfecto rex Roberto contulit custodiam castelli, qua honorifice functus est vir *duplicis virtutis* dictus in MS. Henricus Hugoni archiepiscopo Rotomagensi mandavit, ut Roberto concederet facultatem divina celebrandi in ecclesiis de Ponte-ursonis, quas ei confirmaverat.

Chart. XV. col. 114.

Alexander etiam III summus pontifex tanto habuit Robertum in pretio, ut cum anno 1163 ad exstinctionem schismatis Octaviani pseudopontificis, Turonis habere concilium vellet, ei ut adesset, speciali mandato injunxerit. Robertus post concilium, Romam contendit, unde complures bullas retulit, quibus non modo prædia cœnobii ac privilegia confirmantur, verum & a decessoribus alienata bona redimendi facultas condonatur. Ex urbe redux, mense Maio anni 1169, delegatur Redonas ad solennem ingressum Gaufridi principis, Henrici II regis Anglorum filii, possessionem ducatus Britanniæ accepturi, quem in ecclesia cathedrali S. Petri Stephanus civitatis episcopus, Aubertus Maclovienfis præsul, & Robertus abbas exceperunt; quibus præsentibus nobiles omnes Aremorici cum plebe novo duci hominium præstiterunt. Exstincto Dolensi episcopo anno 1177, Robertus enixe rogatus a clero & populo civitatis, ut adesset electioni, Rollandum decanum Abrincensis ecclesiæ indicavit, qui mox unanimi consensu in episcopum electus est. Inde Robertus in Angliam trajecit ob res monasterii, quibus absolutis, continuo reversus, ecclesiam *de Genest*, quam exstruxerat, dedicari sollicitus fuit. Pepigit 1179 cum Rotgerio filio Johannis præpositi de Villarento. Id vero inprimis demirandum est, hæc inter & alia plurima negotia non minus eum providisse omnibus necessariis, quæ ad regimen spectabant monasterii & decorem; curavit enim abbatiæ

A cuncta ordinem ad optimum revocari: ædificia nova condidit, collabentia reparavit, ecclesiam plurimis ornamentis instruxit, plures reliquias honorifice decoravit, de quibus supplementum ejus ad Sigebertum, ad annum 1165. Necnon interea studiis assiduis operam dabat, vir in omni genere literarum versatissimus, quibus in omnibus scientiis peritus evasit. Et certe historia MS. cœnobii asserit ipsum centum & quadraginta volumina composuisse, quæ pro maxima parte ruina turris & impluvio computruerunt. Quorumdam superstitum texuit catalogum Dacherius noster, editum ad calcem operum Guiberti ab-
B batis: Accessiones ad Sigeberti chronicon: Chronicon seu appendix ad Sigebertum ab anno 1110 ad 1186: Gesta Henrici II regis Anglorum: Tractatus de immutationibus monachorum: De abbatibus & abbatiis Norman. &c. Commentarii ex verbis S. Augustini in epistolas beati Pauli, quorum prologum solum Dacherius edidit. Denique vir plenus meritis Robertus post 32 annos ab electione meliorem vitam ingreditur 24 Junii 1186, cujus synchronus Stephanus episcopus Redonensis laudes carmine celebravit.

XVI. Martinus e gremio post tredecim ab
C obitu Roberti menses successor electus, honorifice rexit, inquit chronographus, nulla dissipavit, sed antea dispersa recollegit. Occubuit 19 Febr. anno 1191, sepulturam nactus in abbatia.

XVII. Jordanus Montis alumnus Martino successit, electus 12 Martii 1191. Cum Abrincatensi episcopo de jure visitandi prioratus a monasterio in diœcesi dependentes pactum iniit an. 1194, pollicitus illi se quotannis soluturum septem libras cum tribus solidis; idque summus pontifex Innocentius III ratum habuit. Circa hoc tempus Jordanus apud eumdem papam de multis accusatus est, quæ vide, si lubet, in col-
D lectione conciliorum Normanniæ, auctore Guillelmo *Bessin*, qui laudat MS. codicem sancti Michaëlis in periculo maris, pag. 369. Quartum anno 1203 monasterium patitur incendium a Britonibus, qui Philippo regi sese adjunxerant, dum adversum Johannem ducem Normanniæ, *Sine terra* dictum, bellum ille gereret. Interemtis enim omnibus promiscue civibus, cum in abbatiam penetrare haud possent, urbi flammas intulere, quæ cœnobium totum, exceptis muris & fornicibus in cineres redegerunt. Quod ut Philippus rex audivit, ad resarciendas ædes, ingentem pecuniæ summam misit ad abbatem, qui
E cura singulari manum admovit operi, sed non absolvit, morte præventus die 6 Augusti anno 1212, post 21 annos administrationis, menses quatuor & dies 25. Corpus jacet pro voto ejus in prioratu *de Tombelaine*, uno milliari a Monte distante, a quo pendet, inter arenas maris, sed cujus arx & castrum anno 1667 metu hostium diruta sunt.

XVIII. Radulfus II *des Isles*. Jordano defuncto, Guillelmus Abrincensis episcopus Montem adiit electioni ut præsideret; sed introitus in ecclesiam

tantummodo ad orandum ei concessus est. Eo itaque inconsulto electus est Radulfus, qui anno 1218 pepigit cum Willelmo *de Leiseaus* milite, de officio camerarii abbatis. Anno 1220 approbavit compositionem inter priorem de sancto Victurio Cenomannensi, & magistros ac sodales domus Ardentium beati Juliani, de annuo reditu sancto Michaëli ab utraque parte debito. Circa sexdecim annos strenue & viriliter gubernavit, dissidentes monachos ad pacem reduxit, devios ad ordinem revocavit, debita solvit, bona alienata de manibus creditorum liberavit, ædificia refecit, & nova construxit, præsertim claustrum, quod an. 1228 perfectum fuit; verbo dicam, ordinis regulam stabilivit. Sed paralysi correptus, administrationis curam abjecit. Tantorum vero beneficiorum memores monachi, huic assignarunt provisionem quam statuit episcopus Abrincensis, loci ordinarius. Quiete potitus est ea Radulfus usque ad tempora alterius Radulfi mediati successoris, quem monachum fecerat. Hic enim veteranum abbatem & excommunicavit & spoliavit provisione, cui ipse consenserat. Excommunicatus Radulfus spreto officiali Abrincensi, summum appellavit pontificem Gregorium IX, qui XII calendas Januarii, pontificatus IV, 1230, causam abbatibus Exaquii & Cæsaris-burgi cognoscendam attribuit. Uterque abbas interim de arbitris convenit monachis sancti Michaëlis, quorum judicio lato mense Martio 1230, cum stare recusasset veteranus abbas, ab arbitris excommunicatus est & apostolicis delegatis denunciatus anno 1231.

XIX. Thomas *des Chambres* quam Radulfo cedenti assignatam ab episcopo Abrincensi provisionem cum monachis habuerat ratam, hanc pacifice tolerando factus abbas confirmavit. Idem pietati maxime, orationi & solitudini addictus, ad superos evolavit die 5 Julii, non 1225, ut apud Sammarthanos, sed forte 1230.

XX. Radulfus III de Villa-Dei factus monachus a Radulfo de Insulis, huic attributam provisionem non solum abbas impugnavit, sed & eum excommunicavit & spoliavit. Paulo tamen post cum eo de arbitris convenit, quorum judicio refragatus veteranus abbas excommunicationis vinculo est innodatus. Novus vero auxit monasterii census, pluribus acquisitis in pagis *de Brecé, Bretheville* & *Verson*. Claustrum perfecit, in quo sancti Francisci Assisinatis statua cum primigenio habitu cernitur cum his verbis: *Sanctus Franciscus canonizatus fuit anno MCCXXVIII, quo claustrum istud perfectum fuit*. Bullam obtinuit anno 1235 a summo pontifice adversus Guillelmum Abrincensem episcopum, qui visitandi abbatiam & monachos interrogandi jus sibi arrogabat. Quare anno sequenti inter partes convenit, ut *abbas prædicti Montis haberet institutionem & destitutionem ecclesiarum de Monte & presbyterorum, qui curam animarum perciperent ab abbate; ita tamen*, &c. ut habetur in appendice chart. XIX, col. 116. Obiit Radulfus die 12 Februarii anno 1237.

XXI. Richardus III *Turstin* electus e gremio, observanda plura statuta accepit a Gregorio IX, quibus acquiescere noluit. Sed mortuo Gregorio, immunitatem ab iisdem petiit & obtinuit ab Innocentio IV, tam pro se quam pro fratribus, quos & absolvendi a censuris licentiam impetravit bulla data III idus Februarii anno 1253. Jam anno 1245 bullam acceperat ab eodem, ut imminente frigore monachi gestare possent, præterquam missæ tempore, pileolos in capite. Significavit anno 1248 ab hominio se liberasse pro terra Gaufridi *Pigasse* Alanum *d'Acigny* militem, ut regi hominium præstaret. Anno 1250 societatem precum iniit cum Reginaldo abbate S. Florentii Salmuriensis. Primus anno 1254 obtinuit ab Alexandro IV, privilegium utendi pontificiis ornamentis, quæ servantur etiamnum; primam quoque conferendi tonsuram & ordines minores, diebusque solennibus dandi populo benedictionem, bulla Anagniæ data VI calendas Octobris. Hanc duabus aliis confirmari curavit, data prima III idus Januarii, & altera XIV calendas Julii anno 1257. Tum splendidus abbas inchoavit ædificia in extrema parte claustri in ædibus stationi militum adjacentibus, quæ cum sine immodicis expensis fieri non possent, abbasque duriori erga fratres uteretur imperio; hinc rixæ, inde lites, quas ut compesceret summus pontifex, Abrincensem episcopum delegit. At cum præsul utrique parti displiceret, appellatum ad archiepiscopum Rotomagensem, qui neutri quoque satisfecit, sicut nec cardinales quos papa delegaverat ad causam discutiendam. Hanc itaque provinciam demandavit summus pontifex Guillelmo *de la Haye* ordinis Prædicatorum, & Johanni a sancto Leonardo ordinis Fratrum Minorum, qui tandem concordiam restituerunt; sicque abbas & monachi unanimiter augendis abbatiæ bonis operam navarunt, necnon recuperandis ab ea distractis, seu per clericos seu per laïcos, bulla donati anno 1264 ab Urbano IV, qui Dolensem officialem delegavit. Obiit hoc anno 29 Julii Richardus abbas, postridieque sepultus est in postera parte navis ecclesiæ.

Tom. I, Invent. thes. chart. Molanges, fol. 220, verso.

XXII. Nicolaus I *Alexandre* post septem annos regiminis, vivendi finem fecit die 7 Nov. anno 1271. Narratur a Roberto Gaguino in vita S. Ludovici Francorum regis anno 1270, in Montem sancti Michaëlis cecidisse lapillum, cui nomen inscriptum *Jesu Christi*.

XXIII. Nicolaus-Franciscus *Famigot*, ex priore abbas effectus, 8 annis in præfectura exactis, cessit 19 Martii 1279, seu 1280, statimque monachi a rege petierunt eligendi licentiam, & obtinuerunt.

XXIV. Ranulfus II de Borgueyo loci alumnus, successit ad breve tempus, utpote cujus defuncti in locum, alterius eligendi licentiam a rege postularunt monachi die Martis post octavam sancti Martini 1280.

XXV. Johannes I *le Faë* anno 1282, die Mercurii festo sancti Martini hiemalis, excepit hominium Roberti Hambeiæ abbatis, pro tenemento seu dono, quod Hambeiæ fecerat

Guillelmus de Cantu-lupi miles, in parochia de A Ponte-ursonis. Bullam obtinuit a Martino IV, qua monasterii bona & privilegia confirmantur eodem anno; & quinto post, 1287, diploma regium Philippi Pulchri, piscium regalium monachis attribuentis capturam in tota baronia *de Genest*. Insequenti 1288, Nicolaus Papa IV, bulla data XII calendas Septembris, Johanni abbati permisit noviciorum bona, feodalibus exceptis, hereditario jure possidere. Altera V calendas Novembris 1289, delegatur abbas sancti Melanii Redonensis ad cogendos censuris ecclesiasticis quosdam toparchas diœcesis Redonensis, qui debitos abbatiæ Montis solvere pro- B ventus detrectabant. Similem quoque provinciam dedit eadem bulla pontifex abbati Cadomensi, ut factas in diœcesi Bajocensi bonorum Montis S. Michaëlis alienationes revocaret & irritaret. Johannes adhuc die lunæ festo S. Benedicti anno 1295, memoratur in tabulis, triennio post defunctus 1298, die 13 Julii.

XXVI. Guillelmus I *du Chateau* loci alumnus altero post obitum decessoris anno & mensibus aliquot electus abbas 1299, & ab episcopo Abrincensi benedictus in ecclesia cathedrali, vidit anno 1300, 13 Julii Montis ecclesiam, delapso fulmine maximam partem concrematam C & liquefactas campanas, quarum metallum tecta ædificiorum aliquot tanto succendit ardore, ut carbones in urbem ipsam prorumpentes pene totam absumpserint. Composuit an. 1302 cum Roberto abbate S. Nicolai de Blanca-landa super decimis *de Rotour*. Damna vero ex incendio illata, toto vitæ residuo tempore fategit resarcire, incipiens ab ecclesia, quæ anno 1306 restaurata fuit. Nicolao Abrincensi episcopo apud Montem conferre ordines cogitanti obstitit abbas, donec episcopus scripto profiteretur se nullum in abbatiam jus obtendere, cujus privilegia recens firmaverat Clemens V bulla data Burdegalis IV D nonas Junii an. 1305. Altera vice accedentem episcopum indutus pontificalia excepit abbas. Francorum rex Philippus cognomento Pulcher, mense Martio anni 1310, nundinas Montis S. Michaëlis indulsit ad diem 8 Maii sacram apparitioni S. Michaëlis; idemque devotionis ergo ad hunc Montem anno sequenti accedens, plurimis eum ditavit ornamentis ecclesiasticis, sacrisque reliquiis, quas inter eminent duæ spinæ coronæ Salvatoris etiamnum exstantes in thesauro, uti & veræ crucis fragmentum insigne. Dedit præterea rex mille ducentos nummos ducatos, ex quibus imago S. Michaëlis in ecclesiæ E navi ad pedes crucifixi fabricata fuit. Denique Guillelmus exactis in regimine 14 annis, obiit XI Septemb. 1314, & in ecclesia sepultus est.

XXVII. Johannes II *de la Porte* assumptus est e gremio anno 1314. Excepit anno 1315, die sabbati inter octavas Epiphaniæ hominium a Roberto abbate Hambeiæ de quodam *tenemento* apud Pontem-ursonis. Reperitur anno 1325, die lunæ post festum beati Christophori. Anno 1326, a ballivio Constantiensi, obtentu belli Anglici, bona prioratus S. Germani in diœcesi Constantiensi dependentis a Monte S. Michaëlis occupata, Carolus IV rex Franciæ restitui jussit 5 Novembris, modo tamen nullus Anglus tempore belli in illo prioratu, seu prioratibus aliis aut locis remaneret. Ludovicus Borbonii dux tria majora candelabra ex argento inaurato, sancto Michaëli dedit anno 1329. Bullam obtinuit Johannes anno 1330 a Johanne XXII, ut distracta in diœcesi Redonensi bona monasterii restituerentur, quæ cum ceteris confirmavit. Rex quoque Franciæ Philippus Valesius, plurima monasterio privilegia indulsit, & præsidiarios milites sumtibus suis posuit ad custodiendum Montem. Johannes autem observantiæ regularis zelator, die Parasceves 14 Aprilis 1334 seu 1335 defunctus, sepulturam accepit in sacello S. Johannis Evangelistæ, quod exstruxerat in transversa cruce ad meridiem ante aram sanctissimæ Trinitatis, ubi modo asservantur reliquiæ, quo in loco visitur adhuc ejus tumulus cum effigie sculpta in pontificalibus.

XXVIII. Nicolaus II *le Vitrier* indigena Montis, ex priore abbas electus, pro more decessorum, Abrincis munus percepit benedictionis, statimque juravit servaturum se jura monasterii, nec quidquam in ejusdem constitutionibus innovaturum. Fortalitium Montis, inquit chronographus, per religiosos & servitores, omnibus invadentibus repulsis, in obedientia regis Franciæ fecit custodire. Quapropter principi fidelis, ab eo primus institutus est Montis præfectus, cum facultate vicarium substituendi. Primus etiam bona inter abbatem & monachos hactenus communia divisit. Ejus tempore, Simon abbas Majoris-monasterii delegatus a Benedicto XII, ad visitanda monasteria Turonensis & Normanniæ provinciarum, statuit anno 1337 25 Febr. seu 1338, ut ex monasterio sancti Michaëlis duo Parisios, totidemque Cadomum mitterentur monachi ad studendum, quorum provideretur sustentationi à prioribus monasterii. Occurrit Nicolaus anno 1347 mense Octobri in chartis D. *de Gaignieres*. Anno 1350 delapso fulmine, maxima ædificiorum pars conflagravit: verumtamen aliquot post annos, sic illis reparandis incubuit abbas, ut in optimum statum ea restituerit; quin & nonnulla monasterio acquisierit. Bullam denique protectionis obtinuit ab Urbano V, anno 1362, & hoc ipso anno, die 30 Oct. defunctus est.

5 R. abbas in chronico & catalogis omissus, Abrincensis ecclesiæ thesaurum, bello sæviente, transportatum ad Montem S. Michaëlis, finito bello, restituit anno 1366, ex chirographo capituli. Eodem R. *Dei & apostolicæ sedis gratia* abbate, anno 1368, 23 Martii, seu 1369, consecravit plura altaria in ecclesia S. Michaëlis Johannes Gabulensis episcopus, de licentia Roberti Abrincensis; sed error est in apice, nam

XXIX. Gaufridus II *de Servon* ortu Abrincensis, ex priore quinque post Nicolai mortem mensibus subrogatus legitur. Obtinuit a rege, ut nemo

nemo cum armis, ne cultello quidem, Montem ingrederetur. Vassallos constituit festo quolibet sancti Michaëlis comparere, armatosque viros ad ecclesiæ custodiam mittere; ab eo denique omnia quæ circa ejusmodi res observantur, instituta sunt. Quin & duodecim feoda totidem provinciæ primoribus contulit, ut illorum exciperet hominia, & ab iis festo die sancti Michaëlis stiparetur ad pompam. Damna illata ab incendio, quo 18 Julii an. 1374, ecclesia, dormitoria, aliaque ædificia cum quibusdam urbis ædibus fulminis igne exarserant, brevi reparavit, novamque in honorem sanctæ Catharinæ exstruxit capellam, qua nunc abbates pro ædibus utuntur. Sub extrema Gaufridi tempora, cum episcopus Abrincensis Laurentius, & capitulum bullam Alexandri IV indultam olim Ricardo *Turstin* abbati de usu pontificalium, &c. impugnarent, causantes revocatam fuisse altera bulla, quam præ manibus se habere dicebant, quæ denunciata fuerat abbati & monachis; *nec debuisse abbates uti privilegio, nisi in locis ubi jurisdictionem quasi episcopalem noscuntur obtinere;* Clemens VII bulla data Avenione, pontificatus anno septimo nonis Aprilis, inscripta Exaquii & sancti Laudi abbatibus, cantorique Macloviensis ecclesiæ, Gaufrido abbati & successoribus indulsit, ut solennem ubique, etiam in ecclesia Abrincensi, & in Laurentii episcopi & successorum, ac cujuscumque antistitis, etiam metropolitani sui præsentia benedictionem dare, mitra, aliisque omnibus uti libere & licite valerent. Verum cum dissensiones & discordiæ occasione istius concessionis essent exortæ; sex post menses, hanc sic temperavit summus pontifex, ut ea gaudere non possent successores absque ipsius diœcesani loci licentia speciali. Gaufridus rexit per 23 annos & sex menses, ex chronico. Animam exhalavit die ultima Februarii an. 1385 seu 1386, & in ecclesia sua conditus est.

XXX. Petrus *le Roy* oriundus ex parochia *d'Orval* in diœcesi Constantiensi, juris canonici doctor, primum fuit abbas sancti Taurini Ebroicensis, tum Exaquiensis, ac denique Montis sancti Michaëlis anno 1386, ob singularem doctrinam & cæteras animi dotes, quibus abunde cumulatus erat. Disciplinam in cœnobio restituit, ecclesiam supellectile sacra honestavit & bibliothecam pluribus libris locupletavit; chartas & regesta monasterii transcripsit, & chartularia confecit. Monasterio etiam fecit uniri prioratus de sancto Paterno, de Brione, de Genetio, de Balento & de sancto Melorio, necnon officium sacristiæ, quæ tunc a cardinalibus & curialibus occupabantur. Castelli maximam partem construxit. Literas quoque in abbatia sua florere curavit, non dedignatus ipse fratres antiquiores docere, selectis aliis, qui juniores instruerent. Lutetiæ sacros canones tanta utique fama interpretatus est, ut cum Galliarum rex Carolus VI sancti Michaëlis ecclesiam, vota soluturus adiisset, Montis illum confirmaverit præfectum; quem & virum industrium & prudentem in aulam evocavit, ut eo variis in negotiis uteretur. Quare ipsi assignati sunt a rege pro pensione annua mille franci aurei literis regiis anno 1398, & Alexandri *le Boursier* quæstoris regii 27 Decemb. an. 1400. Memoratur 1387 13 Octob. & 1398 29 Augusti, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Delegatur in Angliam anno 1395, ab universitate Parisiensi; & a Carolo rege Franciæ, ad regem Arragonum & ad Benedictum XIII anno 1399, pro unione ecclesiæ. (*Du Puy, hist. schism. pag. 265.*) Parisiis adfuit anno 1406, cœtui cleri Gallicani eodem de negotio. Pisano adstitit concilio anno 1409, regis orator, ubi Alexandri V in pontificem promotioni plurimum favit, a quo referendarius creatus est; quo etiam munere sub Johanne XXIII egregie functus, Bononiæ tandem vitæ stadium clausit, vulgo dictus *notabilis prælatus, clericus optimus,* die 14 Februarii anno 1410 seu 1411, ætatis anno 61. Sepulcro ibidem illatus est apud Dominicanos juxta famosos doctores Andream & Johannem de Ligniano. Magna prudentia per 24 annos abbatiam moderatus tam in spiritualibus, quam in temporalibus, primus creditur stemma suum apposuisse chori sedilibus, quæ confici curaverat, qualia hucusque supersunt.

XXXI. Robertus II *Jolivet* de Monte-Pinchonis in diœcesi Dolensi oriundus, unde Brito dictus, monachus sancti Michaëlis Simonem abbatem Gemeticensem Parisiis jus publice docentem audivit. Inde prior sancti Broladii Dolensis & monasterii procurator a Petro decessore in aulam Caroli regis accito socius & capellanus appellatus est, quem Bononiæ defunctum sepelivit. Statim a summo pontifice ejus in locum suffectus est XI calendas Aprilis, pontificatus 1, qui 40 dies de injunctis pœnitentiis relaxavit iis, qui adforent officiis divinis, quæ celebraret in pontificalibus Robertus, eique indulsit, ut monachos anno ætatis 22, posset ad presbyteratus ordinem promovere. Reversus ad Montem Robertus, a monachis abbas confirmatus est, & a rege præfectus Monti 18 Junii 1411, a quo litium monasterii ad parlamentum Parisiense translationem obtinuit. Ex legatis a Petro decessore ipsique creditis 4000 aureis nummis ecclesiam sacris ditavit ornamentis, vasisque aureis & argenteis, puta pedo pontificio, mitra, cruce majore, calicibus duobus, aureo & argenteo, totidemque thuribulis. Monasterium quoque & omnia illius prædia instauravit, urbem muris firmissimis vallavit, ampliata custodia, omnibusque necessariis abunde cumulata. Sed cum nihilominus eo moderante, seu ob studia absente, dissidia ferverent, horum tædio affectus, Rotomagum se recepit ad Anglorum regem Henricum, qui 29 Octobris 1420, fructus, reditus, & bona quæcumque ad abbatiam spectantia ei concessit, eumque 10 Octobris 1421 præfecit negotio de Treuga cum Britannis ineunda. Insequenti 1422 die 4 Febr. seu 1423, custos sigilli ducis *de Betford* proregis in regno Franciæ, & 18 Martii ejusdem cancellarius dicitur in

chartis D. *de Gaignieres*. Quin & Normanniæ cancellarius anno 1423 adstitit Annæ Burgundæ matrimonium suum cum duce Betfordiensi, celebratum a Johanne Fontaneti abbate, ratum habenti. A duce eodem missus est 1 Maii 1425, ad recuperandam sedem sancti Michaëlis, ex chartis D. *de Gaignieres*, in quibus occurrit ad annum 1443 Junii 23. Occidit Rotomagi 17 Julii 1444, sepultusque est in ecclesia parochiali sancti Michaëlis, quæ pendet a Monte.

5 Johannes *Gonault* Montis alumnus, & prior sancti Victurii Cenomannensis, abscedente Roberto, regimini a summo pontifice admotus est vicarius generalis, quo regente, ruit ecclesia 20 septembris 1421. Non solum autem, sed & Anglis urbem obsidentibus, abbatiæque fructibus a Roberto absumptis, extrema laborabant inopia monachi. His in angustiis summum æs alienum contrahere coacti sunt. Querelas itaque ad concilium Basileense adversus Robertum omnia deglutientem detulerunt, a quibus jussus quidem est Robertus necessaria monachis subministrare, & sarta tecta facere VII idus Julii 1437. Ast Anglorum fretus potentia, mandatum concilii posthabuit. Monachorum sortem miseratus Carolus VII Franciæ rex ab omnibus eos exemit vectigalibus an. 1439. Idem præstitit 1442 Franciscus natu major Johannis V Britanniæ ducis in tota Britannia. Tandem defuncto Roberto anno 1444, Johannes electus a monachis, confirmationem petiit ab Abrincensi episcopo, a quo repulsam passus, Rotomagensem metropolitanum adiit, quo etiam denegante, non a vicariis generalibus Æduensis episcopi sede Lugdunensi vacante administratoris absentis confirmatus est 1445, 25 Oct. ut diximus tom. IV. col. 323, fide domini *de Saint-George* Lugdunensis archiepiscopi; sed ad Lugdunensem, qui tunc erat, archiepiscopum, ut Galliarum primatem confugit, de cujus absentis mandato, vicarius ejus generalis electum confirmare renuit, referendumque negotium ad summum pontificem censuit, qui idibus Augusti cardinali *d'Estouteville* commendam contulit, Gonaltum actione sua exclusit, eumque ac fautores anathemate perculit, ni intra 30 dies cederet. Supremo quidem Senatui Parisiensi causam detulit Gonaltus; litemque forsan obtinuisset, nisi sollicitationibus, minis ac promissis victus, cum cardinali transegisset & sub pacto annuæ pensionis, vel beneficii ejusdem valoris, a lite & jure descivisset. Sicque ille Esaü sua primogenita vendidit pretio boni temporalis, ut legitur in codice manuscripto sancti Michaëlis.

XXXII. Guillelmus II *d'Estouteville* cardinalis, de quo jam diximus tom. VII, col. 537 & præsenti, col. 90, favore Ludovici *d'Estouteville* Montis gubernatoris, qui Montem adversus Anglos fortiter defenderat anno 1427, commendatus a rege Carolo VII, bullas obtinuit ab Eugenio IV an. 1445, idibus Augusti, Eugenii anno 15. Cainone regi fidem juravit 3 Febr. ejusdem anni, seu 1446, quo anno 26 Dec. occurrit in charta authentica D. *de Gaignieres*.

Ch. XXII. col. 119.

A Continuo misit ad Montem vicarios generales, Tahonem canonicum sancti Martini Andegavensis, & Guillelmum *de Herbert* secretarium suum, qui Matthæo sancti Melanii Redonensis abbati, & Gaufrido *Bertrand* priori *de Josselin*, spiritualia & temporalia monasterii committerent. His intercessit in curia Parisiensi Johannes *Gonault*, qui paulo post tamen annua pensione contentus, jure suo cessit. Anno 1448, Carolus VII rex Abrincensis & Constantiensis episcoporum & canonicorum, necnon abbatum Saviniani, Montis morelli & Lucernæ, qui juraverant in fidem Anglorum, bona & reditus addixit Monti sancti

B Michaëlis, donec resipiscerent. Anno 1450, rex idem altero diplomate jura omnia loci & privilegia confirmavit, & in specialem tutelam assumsit. Anno 1452, 19 Februarii, seu 1453, Guillelmus & monachi fidem obligarunt suam regi se daturos hominem viventem & mortuum pro dominio *de Sceaulx*, in vicecomitatu Abrincensi. Anno eodem Guillelmus legatus in Franciam a Nicolao III pontifice, bullam ejusdem promulgavit unius anni & 40 dierum, iis omnibus indulgentiam concedentis, qui reparandæ Montis ecclesiæ conferrent eleemosynas; ceteris ipse præivit exemplo, propriis ad hoc

C opus fructibus concessis: unde quinquennio sequenti pars ecclesiæ superior orbicularis a fundamentis ad fornices capellarum perducitur, quas plumbo cardinalis cooperuit, decemque pilas, summum altare circumstantes ad eamdem perduxit altitudinem. Regressus Romam Guillelmus, a Calixto III obtinuit ut monachi anno ætatis 22 initiarentur sacerdotio a quocumque episcopo, & ut prior ac subprior celebrare possent missam in altari portatu facili. Pius II concessit abbati Guillelmo & successoribus, potestatem instituendi aut amovendi duos presbyteros seculares vel regulares, qui peregrinos absolverent a casibus re-

D servatis, præterquam sedi apostolicæ. Biennio post mortuo Carolo VII rege, successor Ludovicus XI, devotus adiit Montem sancti Michaëlis, cujus monachis dedit sexcenta scuta aurea, Parisiosque reversus, misit per virum nobilem sancti Michaëlis imaginem cum aurea catena, quam ipse prius in collo gesserat; voluitque ut tribus prioris abbatiæ stemmatis conchis alia quatuor adderentur triaque lilia. Monachos exemit anno 1469, a suppeditandis viris armatis in bellum & a vectigalibus, quæ ad arces vicinasque urbes reparandas, muniendasve colligebantur. Eodem anno instituit ordinem equitum sancti Michaëlis,

E cujus generalia comitia quotannis ibidem diu moris fuit celebrari. Firmavit etiam anno 1477 abbatiæ privilegia, quam & absolvit a quibuscumque tributis. Guillelmus an. sequenti vicariis generalibus mandavit, ut quod incœperat navis ecclesiæ laquear perficerent. Romæ interiit anno 1482, X calend. Febr. al. 17 Januarii.

XXXIII. Andreas *Laure* patria Delphinas e nobili familia *de Vessilly*, ac propinquus comitis *du Boschage* præfecti Montis sancti Michaëlis, hujus loci monachus, cantor & archidiaconus,

necnon prior Pontis-ursonis eligitur abbas 1483, A quo nomine 10 Januarii anni 1484 & 15 Octobris reperitur in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Doctor in utroque jure, toto pene regiminis tempore mansit Parisiis, donec morti proximus abbatiam repetiit, in qua dies absolvit 25 Martii anni 1499 seu 1500, postquam septemdecim annos præfuisset, ac capellas exornasset vitris, in quibus depingi curavit historiam fundati monasterii, regum Francorum inaugurationem, stemmaque suum cum insignibus decessoris. Jacet in sacello S. Trinitatis ante altare sancti Salvatoris.

XXXIV. Guillelmus III *de Lamps* Delphinas quoque & Andreæ affinis e stemmate B *de Mouchet*, sedem ab uno mense vacantem electus a sodalibus occupavit. Laudatur 1504, 21 Junii, in charta domestica, & 1507, die 26 Junii, in charta authentica D. *de Gaignieres*. Præter ornamenta plurima, decem millia librarum insumsit vasis argenteis comparandis ad cultum divinum necessariis; ædes abbatiales construxit, domum quoque eleemosynariam, majoremque cisternam & alia id genus multa. Cum fulmen delapsum anno 1509, campanile, campanas & ecclesiæ tectum incendisset, damnum non modo Guillelmus cito restituit, verum & C incœptam superiorem ecclesiæ partem ad secundas fenestras evexit. Vivere desiit calendis Martii anni 1510 seu 1511, conditus in sacello B. Mariæ pone chorum ad latus Evangelii, ubi frater successor ejus Johannes illi tumulum ab humo elevatum cum ipsius effigie in pontificalibus excitavit, duabus ad utrumque latus adjectis tabulis æreis, quibus incisa sunt insigniora Guillelmi facinora; pro quo & Ludovicus *Hebert* episcopus Abrincensis certas constituit preces.

XXXV. Guerinus *Laure* Andreæ germanus, ex abbate Exaquiensi pedum Montis S. Michaëlis D obtinuit favente avunculo Imberto *de Baterney* comite *du Boschage* apud regem Ludovicum XII, cujus erat major cambellanus, ejusdem ordinis eques & Montis S. Michaëlis præfectus. Defecit Guerinus die 10 vel 17 Februarii anni 1513 seu 1514, apud Brionem, unde allatus, in sacello B. Mariæ juxta decessorem humatus est.

XXXVI. Johannes II *de Lamps* Guillelmi III germanus, ex priore Montis ultimus abbas regularis a fratribus electus est die 28 Martii an. 1513 seu 1514. Occurrit an. 1516 Martii ultima in charta authentica D. *de Gaignieres*. Fratris æmulus & imitator fabricam superioris ecclesiæ partis absolvit; ornavitque fenestras E picturis elegantioribus. Perfecit etiam quæ frater inchoaverat apud Brionem & *Loiseliere* ædificia. Denique cum regem Franciscum I stipatum frequentia primorum regni an. 1518 in Monte sancti Michaëlis excepisset honorifice, & ab eodem privilegia monasterii obtinuisset confirmari, spiritum emisit 4 Decemb. 1523, tumulatus in sacello B. Mariæ Virginis ad latus epistolæ, ubi effigiem habet supra columnam genibus flexis, & stemma diversum a fratre.

5 *Renatus de Maria abbas sancti Michaëlis* innotescit e numismate, circa quod hæc verba leguntur, & in aversa facie sunt ejusdem insignia in scuto quadripartito, cujus prima & quarta pars leonem erectum, secunda & tertia stellam argenteam in arca cærulea repræsentant cum his circum verbis: *In te Domine speravi, non confundar in æternum*. Et sub scuto legitur annus *M. DXXIIII.* Nimirum Renatus defuncto Johanni subrogatus fuit a monachis; sed frustra, prævalente regis auctoritate.

XXXVII. Johannes III *le Veneur* primus monachorum ingratiis commendatarius nominatur a rege Francisco I anno 1524, fuit episcopus Lexoviensis, cardinalis, major Franciæ eleemosynarius & abbas Beccensis. An. 1539 in manibus Pauli IV summi pontificis dimisit episcopatum & abbatiam S. Michaëlis in gratiam sequentis, hujus, dum viveret, reditibus retentis.

XXXVIII. Jacobus I *d'Annebault*, cessione Johannis bullis donatus est 18 Augusti anni 1539, fuit episcopus Lexoviensis, cardinalis, oratorii regis summus magister, abbas Beccensis, Boni-portus, sancti Taurini Ebroicensis & sancti Sergii Andegavensis. Die 24 Januar. an. 1544 regi Francisco I hominium præstitit in manibus Francisci *Olivier* protopræsidis Parisiensis & sigillorum custodis. Rotomagi moritur die 7 Junii anni 1558.

XXXIX. Franciscus I *le Roux* protonotarius apostolicus regique a secretis, occurrit commendatarius annis 1559 & 1560. Solvendi gratia vectigalis a rege constituti, vendidit terram *de Monrouault*. Arsit ejus tempore 7 Junii anni 1564 monasterium, ad cujus damna resarcienda anno 1569 parlamenti Rotomagensis decreto damnatus Franciscus, permutavit cum sequenti commendatario sancti Melanii Redonensis anno 1570. Biennio post exstinctus est.

XL. Arturus *de Cossé* Constantiensis episcopus, commendatarius Exaquiensis, sancti Jovini de Marnis in Pictonibus & sancti Melanii Redonensis, facta cum Francisco permutatione, sancti Michaëlis possessionem accepit die 6 Junii an. 1570. Cum vero non multo post sacram vellet distrahere supellectilem, ut faceret satis non solum supradicto consulto, verum etiam pecuniario subsidio, quod clero Gallicano rex imposuerat ad belli pondus contra Novatores sustinendum, reluctantem viriliter Johannem *de Grimonville* majorem priorem expertus est. Quod iniquius ferens Arturus edictum a senatu Rotomagensi obtinuit, ut monachi majorem priorem amoverent, novumque singulis trienniis eligerent. At rex anno 1572 Johannem nominavit abbatem Lucernæ; quem nihilominus sancti Michaëlis monachi anno 1575 secundo nominarunt priorem. Hoc autem circiter tempore, curiæ Rotomagensis placito coactus Arturus restituere monasterio quam vi abstulerat sacram supellectilem, ut id exsequeretur, vendidit collegium Montis apud Cadomum & ligna luci *de Mansneville*, quorum ex pretio cuncta præter

calicem aureum restituit. Obiit die 7 Oct. 1587. A

XLI. Franciscus II *de Joyeuse* cardinalis, de quo diximus tom. VI & præsenti, ab Henrico III rege nominatus fuit abbas anno 1588. Eo sedente, anno 1594, post iteratas heterodoxorum in Montem, sed vanas irruptiones, fulmen cecidit in ecclesiæ turrim, quam incendit cum tecto & campanis. Hæc damna cum lubens resarcire nollet Franciscus, coactus anno 1609 senatus Rotomagensis consulto, in integrum resarcivit. Arrogata quoque sibi omnium beneficiorum collatione, ab eodem senatu repressus est an. 1614, a quo huic aut ejus vicario indultum in capitulo suffragium; quod etiamnum servatur. B Defecit Avenione 23 Augusti anno 1615.

XLII. Henricus *de Lorraine Guise* filius Caroli Guisiæ ducis ex Catharina-Henrica *de Joyeuse*, quinquennis a rege Ludovico XIII abbatia donatus est, cui administrandæ, donec junior abbas ætatem legitimam attigisset, Petrus *de Berulle* cardinalis a summo pontifice præpositus fuit. Intra 26 annos quibus potitus est Henricus, monasterium in multis non modo quoad temporalia, verum & quoad spiritualia renovatum est: addictum quippe feria quinta 27 Octob. an. 1622 sancti Mauri reformatæ congregationi. Henricus vero rebellis factus, abbatiam amisit anno 1614, C factus postea Guisiæ dux.

5 Johannes *Ruzé Deffiat* successisse visus est favore Francisci *Deffiat* domini *de Cinqmars* ipsius germani, sed non obtinuit bullas, procrastinante summo pontifice, spe reconciliationis Henrici superioris. Johannes nihilominus jam abbas sancti Saturnini Tolosani, se quoque pro Montis sancti Michaëlis abbate gerens, gravissimam de baronia *d'Ardevon* litem intendit monachis, quæ tunc injudicata remansit, ob fratrem abbatis capite plexum, & ipsum abbatem gratia privatum principis, amandatumque in abbatiam S. Saturnini.

XLIII. Jacobus II *de Souvré* frater Johannis D marchionis *de Courtanvaux* & Egidii episcopi Autissiodorensis, major prior Franciæ, abbas Ulterioris-portus & sancti Ambrosii Bituricensis, Montis quoque S. Michaëlis renuntiatus abbas a rege 1643, mense Aprili, bullisque donatus 19 Maii 1644, mox iniit possessionem per procuratorem canonicum Abrincensem. Biennio post initum de reparationibus cum monachis pactum a curia parlamenti confirmari fecit 18 Junii an. 1646. Convenit de jurisdictione an. 1650 cum episcopo Abrincensi. Obtento 1666 regali præcepto, Montis præfecturam asseri fecit priori monasterii. Obiit Parisiis abbas optimus E 22 Maii an. 1670, tumulatus in Templo.

Ch. xxIII. col. 120. Ch. xxIV. col. 122.

XLIV. Stephanus *Texier de Hautefeuille* Melitensis eques, præceptor Villæ-Dei in Monte, major Aquitaniæ prior, abbas Tironelli & ordinis Melitensis ad regem legatus extraordinarius, donatus ab eodem abbatia Montis 14 Aug. 1670, possessionem nactus est 12 Septembris sequentis. Parisiis decessit 4 Martii an. 1703, ætatis 77.

XLV. Johannes-Fredericus *Karq* Baro *de Bebenbourg*, dominus *de Kirchstetten*, Bambergæ in Franconia natus 19 Februarii 1648, fuit episcopo Bambergensi ab intimis consiliis, tum decanus Monachiensis, & Electori Bavariæ a secretioribus consiliis, ejusdemque consilii ecclesiastici moderator, destinatus ab Imperatore Leopoldo ad episcopatum Neustatensem in Austria; tandemque serenissimi Electoris Coloniensis major cancellarius & principalium onerum adjutor. Die 26 Martii anni 1703 renuntiatus abbas Montis sancti Michaëlis, bullas accepit 15 Octobris ejusdem anni & possessionem per procuratorem 7 Febr. 1704. Fato functus est 1719 mense Decembri.

XLVI. Carolus-Mauricius *de Broglie*, de quo jam diximus tom. VII, col. 898, in abbatibus Vallium-sernaii, abbas item Balmæ in diœcesi Vesuntionensi, Montis quoque sancti Michaëlis commendam obtinuit ineunte an. 1721. Romæ admissus est in consistorio pontificio die 16 Julii ejusdem anni.

S. MARIA *de Mostons*.

Mou

SAnctimonialium ordinis sancti Benedicti prioratus, semileuca dissitus Moretonio, *Mortain*, versus Domnifrontem, fundatorem agnoscit regem Anglorum Henricum I memoratum in bulla Alexandri III bona monasterii hujus confirmantis ad preces Hammæ priorissæ. Monialibus dedit Radulfus abbas Exaquii ecclesiam sancti Michaëlis in silva *de Luteare*, quam in diœcesi Constantiensi sitam consecravit Richardus Constantiensis episcopus circa 1150. Inibi vix ac ne vix quidem abhinc subsistere moniales, quas pluries ad se evocavere priorissæ B. Mariæ *de Mostons*, sed incassum; subsistunt enim adhuc apud sanctum Michaëlem moniales aliquot cum priorissa. Stephanus quoque Boloniæ & Moretonii comes, postea que Anglorum rex, libertati loci *de Moutons* per ministeriales suos cavit. Parthenonem vero de *Moutons* Petrus Daniel *Huet* episcopus Abrincensis transtulit Abrincas in suburbium anno 1693, & univit parthenoni sub patrocinio sanctæ Annæ Abrincis anno 1635 instituto. De eo contexte dicemus infra.

PRIORISSARUM INDICULUS.

I. HAMMA, cui Alexander Papa III bona omnia monasterii confirmavit an. 1163, & inter alia *ecclesiam S. Mariæ* de Mostons, *quam Henricus Angliæ rex vobis & per vos ecclesiæ vestræ rationabiliter concessit . . . . . Ex dono Radulfi abbatis Exaquii, & totius ejusdem ecclesiæ conventus ecclesiam S. Michaëlis in foresta de Luteara.* Ch. col. 34

II. Alienor *de Falaise*.

III. Richarda de Bellofago.

IV. Willemetta. Hæ tres innotescunt absque nota temporis ex quodam priorissarum indice, ubi & sequens eodem ordine.

V. Guina de Villeriis anno 1275.

VI. Petronilla I *de Cangé* visitationi, quam archidiaconus Abrincensis exercere in monasterio

intendebat, anno 1322 intercessit, occurrit & 1338. A

VII. Ludovica I *du Pont.*

VIII. Blanca *de Mauny.*

IX. Opportuna sanctimoniæ famam post se reliquit.

X. Tanneguida.

XI. Petronilla II *de Cangé.*

XII. Martina *de Crepon* 1343.

XIII. Laurentia *de Coujon* 1362.

XIV. Gondrea *du Val.*

XV. Nicolaa *Seveſtre.*

XVI. Johanna *Carbonnel de Caniſy* an. 1463.

XVII. Roberta *de Silly* 1487, eodemque anno mense Maio prioratus *de Vignaz* possessionem apprehendit. B

XVIII. Margarita *Thibouſt.* 1496.

XIX. Renata *du Parc* sæpius occurrit in chartis ab anno 1515 ad 1530.

XX. Magdalena *de Clinchamps* 1560.

XXI. Ludovica II *de Courtravel* 1560, resignavit sequenti.

XXII. Ludovica III *de Favieres* missa a sancti Sulpicii Redonensis abbatissa ut primigeniam addisceret disciplinam, præcedentis cessione facta priorissa, bullam obtinuit adversus eos, qui parthenonem diripuerant & incenderant. Diu litigavit cum Margarita *des Escotais,* quam evicit decreto majoris consilii an. 1562 10 Octobr. C

XXIII. Jacoba *du Pleſſis,* quam dicunt amitam cardinalis Richelii, æmulam similiter passa est & evicit Mariam *de Ligny,* quicum litigabat anno 1580 & 1583. Disciplinam neglexisse carpitur, occurrit & 1595.

XXIV. Maria I *Chapelain* bonorum monasterii professionem dedit anno 1598.

XXV. Petronilla III *de Bois-Jourdain* professa regulam 1578 in abbatia sancti Sulpicii Redonensis, & inde priorissa *de Moutons,* resignavit sequenti anno 1603 mense Februario. D

XXVI. Elisabeth *de Bouillé* filia Renati comitis *de Creances,* & Renatæ *de Laval-Bois-Dauphin* loci alumna professa 27 Octobris anni 1602, prioratum obtinuit ex cessione superioris, bullis donata 1605. De extinguendo parthenone S. Michaëlis de bosco convenit cum barone de *Varengebec* fundatorum persona 18 Oct. 1625, sed non cum monialibus, quæ ruinæ ipsius semper intercessere. Obiit Elisabeth 22 Septembris an. 1637.

XXVII. Maria II *de Bouillé* monialis Prati Cenomannensis, germanæ successit a rege nominata 1637 24 Octob. Reformationem induxit, votumque intra monasterii claustra sese perpetuo continendi constituit. Defuncta est an. 1660. E

XXVIII. Renata-Maria *de Bouillé* cum Carola *le Fevre* de prioratu litigavit per septennium, aliis alii faventibus monialibus. Prima quidem causam vicit, sed cum habere pacem nequiret, cessit in gratiam sequentis.

XXIX. Maria III *de Beaux-Oncles* facta per cessionem præcedentis priorissa, obiit 1693, quo anno hujusce prioratus facta est unio cum Benedictino parthenone Abrincis anno 1635 instituto.

ſ Catharina *de Gaſton* sanctissimæ Trinitatis Pictaviensis alumna professa, Abrincis cum aliquot monialibus sedem fixit anno 1635, die 5 Decemb. inibique parthenonem instituit, quem decennio rexit, ad annum scilicet 1645; quo a sororibus male habita, Pictavos moritura repedavit; cujus & neptis virgo piissima inde fuit expulsa; tumque regimen per triennium institutum est, sed parum duravit, nam

ſ Maria *de Froulay* germana comitis *de Teſſé* Franciæ marescalli, monialis ordinis sancti Dominici apud Cenomannos, tunc apud Orgniacum convivens, cujus abbatissa erat ejus amita, a patruo Gabriele *de Froulay* Abrincensi episcopo evocata, priusquam adiret Abrincas, ordinis habitum suscepit apud Montem martyrum. Obiit anno 1685.

ſ Susanna *de Froulay* patruelis Mariæ, hanc excepit mortua 1689. Post cujus obitum facta est unio prædicta, utraque domo in unam coalescente, quæ *de Moutons* nomen retinuit, deincepsque illam rexere

XXX. Maria-Magdalena *de Madaillan de Montataire* ex moniali sanctissimæ Trinitatis Cadomensis priorissa parthenonis *de Laſſay* in diœcesi Cenomannensi, prima post unionem adiit possessionem 4 Augusti 1694. Rexit septem annis, & pacis ergo recessit ad pristinum *de Laſſay* prioratum, ubi vivere desiit an. 1704.

XXXI. Maria IV *de Servon* Armorica, monialis sancti Sulpicii Redonensis, locum a superiore desertum capessivit, summaque cum pace gubernavit.

XXXII. . . . . . *de Vargemont* priorissa nominatur a rege 1749, die festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli.

MONSMORELLUS. MONTMOREL.

SAcrum B. Virgini Mariæ, ordinis sancti Augustini canonicorum regularium sub Gallicana congregatione monasterium jacet ad meridiem semileuca a burgo *de Ducey,* tribus a civitate Abrincensi leucis, totidemque cum dimidia a Monte sancti Michaëlis, ad radices collis quammaxime prærupti opertique silva cædua, in peninsula, quam efficiunt duo amnes *Ardée* & *Beuvron,* quorum alter alteri confunditur in extrema parte septorum monasterii.

Unde vero Sammarthani fratres hauserunt, primam cœnobii sedem designatam fuisse in quadam domo campestri nuncupata de *Longa tumba,* & auctor Neustriæ Piæ, in villa nomine *Longue-touche,* cum in vicinia nulla sint loca hisce donata nominibus? Unum quidem abbatiæ prædium nomen præfert *la Tombe* alterumque *Longue-touche,* quod a Johanne *de Subligni eccleſiæ B. Mariæ de Montemorelli & canonicis ibidem Deo ſervientibus* traditum est. Sed inde colligi non potest in alterutro loco habitasse primum canonicos.

Ex Achardi episcopi Abrincensis charta, quam dicunt Montis morelli vetustiorem, discimus Radulfum fundatorem dedisse feodum, in quo ædificatum est monasterium; hanc patrui donationem confirmasse nepotes ex fratre Galebranum & Valerianum, *dedisse locum habitationis hujus loci & collem nemoris superincumbentis* cum plurimis terræ fragmentis, quibus hodie septa monasterii constant; Ruellonem aut Rualemum de Hulmo cessisse reditibus & servitiis, quæ percipiebat ex feodo, quod possidebat Radulfus, & locum dedisse, in quo molendinum exstructum est, necnon cessisse cum Hasculfo Britone ejusque fratribus, quibusdam juribus in amne. Præter ea cœnobio dedit Ruello de Hulmo ecclesiam de Poilleio, quæ parœcia est Montis morelli, & ecclesiam de Preccio; unde fundator nuncupatur in necrologio ad diem 30 Maii, sic: *Obiit Rualemus de Hulmo patronus & fundator hujus domus & canonicus noster professus.* At necrologium nonnisi seculo XV recognitum fuit abbatis Guillelmi de Hulmo, ejusdem cum Rualemo gentis ætate; cujus vel successoris tempore cum gens de Hulmo statuendam in medio chori tumbam sic inscriptam: *Les seigneurs de Houme sont foudateurs de cette abbaye,* & in circuitu ejusdem chori atro colore pingendum cingulum cum insignibus gentilitiis curavissent, domina de sancto Petro e gente *de Subligni* decem post annos auferri tumbam & cingulum eradi cum insignibus obtinuit, suaque substitui in præcipuo chori vitro, qualia huc usque superesse dicuntur. Monsmorellus enim qui initio solum prioratus erat Achardi episcopi Abrincensis tempore, Richardo succedente, ad abbatiæ dignitatem pervenit. Hujus prærogativæ auctor fuit Johannes *de Subligni*, qui plurimis ecclesiis, aliisque bonis monasterio collatis, ex prioratu abbatiam fecit & Radulfum priorem, ut abbas benediceretur, Abrincensi episcopo Richardo præsentavit coram Philippo de Hulmo, uti legitur in charta Guillelmi Abrincensis episcopi. Præterea docent complures chartæ Abrincensium episcoporum, Rotomagensium archiepiscoporum & Henrici II Angliæ regis, Johannem *de Subligni* dedisse, seu confirmasse fundum ubi sita est abbatia, *sedem ejusdem loci, sedem ecclesiæ & collem nemoris qui eidem loco supereminet:* Galebranus enim & Valerianus fratres jam dederant *locum habitationis hujusce loci & collem nemoris superincumbentis.* Quatuor adhuc ecclesias Johannes cum pluribus terris & bonis Montimorello concessit. Quintam adjecit ecclesiam Hasculfus Johannis filius. Philippus quoque *de Terregaste* suasu ejusdem Johannis sese erga idem monasterium inprimis munificum præbuit. Ipsius chartis appensum gentis *de Subligni* sigillum non incerto quidem innuit hunc fuisse ex eadem gente, qua Johannes *de Subligni*, qui rursus impulit Johannem *du Bois*, ut eidem loco patronatum daret sancti Laurentii *de Terregaste* & Guillelmum *de Ducey*, ut largiretur ecclesiam sancti Paterni, quæ parochia est burgi *de Ducey*, cum capella sancti Germani & arenaria *de la* A *Touche*, ad ædificia ecclesiæ construenda, cujus adhuc fundamenta cernuntur, haud procul ab ecclesia hodierna, diu post exstructa. Obitus Johannis *de Subligni* notatur in necrologio 30 Maii hunc in modum: *Obiit Johannes de Subligni patronus noster & canonicus ad succurrendum.*

Abbatum Series.

I. Radulfus fundator appellatus in tabulis Achardi episcopi, e cœnobio S. Victoris Parisiensis assumtus, feodum tribuit, in quo monasterium conditum est, primusque fuit ejusdem prior, ac proinde non ante annum 1162, quo B sedere cœpit Achardus, nec serius 1171 quo vivere desiit. Primus quoque fuit abbas, præsentatus a Johanne *de Subligni*, & a Richardo Achardi successore benedictione donatus. Rexisse annis octo dicitur in necrologio, quod sic habet ad diem 10 Octobris: *Obiit Radulfus abbas hujus ecclesiæ fundator & incola primus.*

II. Tualdus anno 1200 memoratus, Radulfo successit in septem annos ex necrologio, in quo notatur obitus ejus die 27 Augusti.

III. Gervasius præfuit annis septemdecim, cujus memoria est in charta an. 1214. Obiit 29 Oct.

IV. Durandus rexit duobus annis ex necro- C logio, ubi notatur 2 Decembris.

V. Albericus post tredecim annos defunctus est 10 Decembris.

VI. Ranulfus sedit annis 3, mortuus 12 Aug.

VII. Richardus I recensitus in charta anni 1238, defecit exactis sexdecim annis, die 11 Martii.

VIII. Stephanus I post regimen quatuordecim annorum occubuit 2 Novembris.

IX. Robertus *Pillon*, quo sedente, an. 1262 inita est societas inter abbatias Montis morelli & Lonleii, Philippo hujus abbate, & sub idem tempus inter abbatias Montis morelli & Montis D sancti Michaëlis, cujus abbas erat Nicolaus. Cum rexisset annis septemdecim, obiit 23 Februarii, de quo sic obituarium abbatiæ Montis-Dei: *VII cal. Martii D. Robertus Pillon quondam abbas de Montmorello, pro cujus anima D. Julianus rector ecclesiæ de Guillebervilla, dedit nobis centum solidos ad obitum faciendum.*

X. Richardus II de Riparia, *de la Rivière,* occurrit anno 1276. Regimen obtinuit decem annis, mortuus 16 Octobris.

XI. Richardus III *de Troitemer* septemdecim annorum abbas, vivere desiit 23 Decembris.

XII. Guillelmus I de Freceio, *de Frecy*, me- E moratus in bullis successoris, sedit annos 18, exstinctus die 6 Januarii.

XIII. Guillelmus II *Godard* electus a canonicis, bullisque donatus a Johanne XXII die XI Martii, an. pontificatus secundo, id est 1318, obiit 20 Novembris post sex annos regiminis: Ita necrologium.

XIV. Johannes I de Appentitio reperitur annis 1345-46-48 & 1353. Sedisse annos 21 docet necrologium, consignatque obitum ejus die 28 Junii.

XV. Stephanus II de Appentitio annis octo A gubernavit secundum necrologium, quod indubie fallit, cum decessor adhuc regeret 1353, & successor jam anno 1358. Notatur ibidem obitus ejus 24 Julii.

XVI. Robertus II de Breceio occurrit annis 1358, 1377 23 Octobris, 1385 & 1386 die 4 Junii in chartis D. *de Gaignieres*, cognominatus *de Brecé;* cujus proinde abbatis tempore, anno 1364, cum hostiles copiæ (Navarricæ aut Anglicæ) Montem morellum invasissent, seseque ibi vallassent, illas inde Bertrandus *du Guesclin* expulit, ratusque canonicos invadentibus haud obstitisse, multavit eos quadraginta libris, B quibus tamen, cum comperisset per vim hostes domum occupasse, eos liberavit. Obiit Robertus 26 Januarii.

XVII. Guillelmus III de Cathedra, *de la Chaise*, legitur abbas 1390, 1391 die 8 Aprilis, 1393, 1395, 1403 & 1405 die 6 Maii in chartis D. *de Gaignieres*, quarum forte aliquot sequentem spectant. Guillelmi hujus dies obitus notatur in necrologio 18 Januarii.

XVIII. Guillelmus IV de Hulmo, *de Houme*, comparet in actis annor. 1406, 1407, 1408, 1427, 1432 & 1441 die Maii ultima, plerisque D. *de Gaignieres*. Animam exhalavit 14 C Maii, in choro sepultus, ex necrologio, cujus eum volunt auctorem esse, & ubi Ruello *de Houme* Montis morelli fundator dicitur.

XIX. Nicolaus *Eschart* nobilis Armoricus, cœnobii possessionem accepit 24 Julii 1448; Regi fidem juravit 2 Julii 1450, & iterum 28 Julii 1462, ex regestis cameræ rationum. Interim occurrit 1452 die ultima Novembris, & adhuc 1475 27 Aprilis in chartis D. *de Gaignieres*. Post abbatiam nepoti transcriptam, obiit Nicolaus 14 Maii, conditus in sanctuario.

XX. Johannes II *Eschart* patrui cessione reperitur abbas annis 1480, 12 & 20 Martii in D chartis D. *de Gaignieres*, 1483 15 Martii, 1484 7 Augusti, 1488 26 Aprilis, 1492, 1511 3 Novembris & 1512. Primus abbatis reditus a reditibus conventus secrevit. Majorem domus abbatis partem, claustrum, odeum ecclesiæ, &c. construxit. Fratri denique abbatiam resignavit, retenta pensione 70 nummorum aureorum. Moritur 16 Januarii, conditus in choro ante principem aram.

XXI. Julianus *Eschart* superioris frater, sacræ theologiæ professor & doctor eximius, simul fuit Montis morelli abbas, pœnitentiarius & canonicus Abrincensis, parochus de Veteri-vico, *de* E *Vievy* in diœcesi Redonensi; pensione insuper in parochiam *de Vezins* fruebatur. Occurrit abbas 14 Septembris 1515, quo anno bullas obtinuit 25 Decembris. Laudatur & 1520 4 Augusti, superstes anno sequenti. Fato functus 14 Oct. sepelitur in choro ante majus altare.

XXII. Stephanus III *le Belley* recensetur 2 Februarii 1522 in chartis D. *de Gaignieres*, & 8 Febr. in tabulis archiepiscopatus Rotomagensis. Ejus adhuc mentio fit 1541 22 Julii in chartis D. *de Gaignieres*. Abbatia cessit anno 1543 in gratiam sequentis, nec multo post defunctus, die 6 Februarii humo depositus est in choro ante majus altare.

XXIII. Egidius *le Belley* bullis donatus est 28 Aprilis 1543, in quibus commendatarius dicitur. Benedictus tamen est in ecclesia sancti Georgii Redonensis 10 Februarii 1549. Cessit & ipse in gratiam sequentis 3 Aprilis 1557, retentis annua quingentarum librarum pensione, abbatis domo cum supellectile & ad omnia beneficia præsentatione. Obiit 6 April. humatus in choro ante majus altare.

XXIV. Petrus *Cornille* cessione superioris probata regi Henrico II, bullas accepit die 9 Maii 1558. Occurrit an. sequenti 12 Martii in chartis D. *de Gaignieres*. Plurimum vexatus est a Ludovico *de Mongommery* Calvinista & abbate Falesiæ. Cum enim rex Henricus II dominis *de Mongommery* toparchis *de Ducey* dedisset abbatiam Montis morelli, ut in ea quem vellent abbatem constituerent, junior autem esset Ludovicus *de Mongommery* tum cum Petrus *Cornille* abbas nominatus est, ille demum assecutus ætatem legitimam, voluit Petrum abbatia privare, quam ei solum creditam fuisse obtendebat: Petrus vero hoc indigne ferens, nec tamen obsistere par Ludovici violentiæ, in Montem S. Michaëlis abscedens, in tutelam regis Caroli IX se recepit, a quo tuitionis literas obtinuit 2 Jan. 1573. Petrus tandem abbatia cessit in gratiam sequentis ex sorore nepotis 31 Augusti 1575, retenta mille librarum pensione. Deinde fuit parochus ecclesiæ *de Terregaste* a Monte morello dependentis. Inibi defecit 8 Januarii 1589, depositusque est in choro Montis morelli ante majus altare.

XXV. Johannes III *Louvel* bullis obtentis die 26 Dec. 1576, non nisi 2 Februarii 1578 abbatiæ possessionem accepit, qua dimissa in gratiam sequentis, e medio sublatus est 9 Januarii 1595, terræque mandatus ante majus altare, in cujus tumba, tametsi non esset nobilis, scutum cernitur tria præferens capita lupi.

XXVI. Robertus II *Morel* decreto majoris consilii dato 18 Augusti 1594, ante bullas acceptas, quia rex Henricus IV prohibuerat, ne quis pro ullo beneficio ad curiam Romanam confugeret, iniit possessionem, quam bullis 1 Novemb. 1596 donatus repetere coactus est. Benedictionem Constantiæ percepit ab hujus civitatis episcopo 25 Januarii 1598. Vivere desiit 13 Januarii 1602, humatus ante majus altare sub tumba, quam sibi paraverat ante tres annos, cum hac inscriptione:

Robertus Morel, *diligentia, virtute, obedientia abbas hujus domus, illo adhuc vivente, hîc me poni fecit anno Domini 1599. Intra vel extra corpus, anima ejus requiescat in pace. Amen.*

XXVII. Johannes IV *Bailleul* oriundus e vicinia Montis morelli, baccalaureus in theologia, licentiatus in jure, regique ab eleemosynis, abbas

nominatus est a domino de *Mongonmeri* toparcha *de Ducey*, quem penes ab ætate regis Henrici II erat Montis morelli abbates dicere. De abbatia bene meritus organa construxit, quorum sola restat species, plurimaque reparavit cum in ecclesia, tum in locis regularibus. Obtinuit anno 1608 pro se & successoribus jus pontificalium. Ast abbatiam ob simoniaca quæ cum toparchis *de Mongonmeri* confecerat pacta, amisit, aliusque haud æquior cum eisdem pepigit Henricus *de Boyvin*, qui ab eisdem Johannis in locum substitutus, & a summo pontifice ad redimendam vexationem confirmatus est: Johannes vero obiit 4 Junii 1639, sepulcro illatus in ala sinistra ecclesiæ, non longe a choro, sub tumba, quam sustulit Guillelmus *de Boyvin* Henrici nepos.

XXVIII. Henricus *de Boyvin de Vaurouy* decanus ecclesiæ Rotomagensis, Abrincensis coadjutor, sacratus sub titulo Tarsensis episcopi, thesaurarius quoque & post decanus Abrincensis ecclesiæ, prior B. Mariæ de Rupe-moretonii & de Denezeio, diœcesis Andegavensis, bullis donatus 13 Novembris 1625, rescissa a majore consilio Johannis *Bailleul* intercessione, possessionem Montis morelli assecutus est. Obiit 12 Febr. 1637, conditus in ecclesia S. Stephani de Roboreto, *de Rouvray*, prope Rotomagum, cum prius in gratiam sequentis cessisset.

XXIX. Guillelmus V *de Boyvin de Vaurouy* Henrici nepos, in parlamento Rotomagensi senator admissus 17 Januarii 1633, canonicus Rotomagensis & Abrincensis decanus, abbas quoque sancti Stephani de Fonteneto & prior beatæ Mariæ de Rupe-moretonii & Challiaci, Montis morelli, cedente patruo, possessionem apprehendit an. 1637. De partitione mensarum litigabat cum canonicis anno 1659, quo reformatos e Gallicana congregatione canonicos adscivit 24 Decembris, quibuscum convenit de annua tantum bis mille quadringentarum librarum pensione, cum ad eorum antiquorumque canonicorum necessaria, tum ad resarcienda ecclesiam & loca regularia. Defecit anno 1665 die 25 Januarii.

XXX. Stephanus-Franciscus *de Beauvais* statim a decessoris morte successor designatus, iniit possessionem mense Julio ejusdem anni. Adscitus est in consiliarium clericum senatus Rotomagensis 15 Maii 1677. De tertia bonorum parte continuo litigavit cum canonicis tanta cum pertinacia, ut non semel a domo extorres fecerit, cujus post modum loca regularia instaurarunt.

XXXI. Henricus-Xaverius *de Belsunce* Massiliensis episcopus, a rege nominatur 8 Januarii anno 1721.

XXXII. Johannes-Baptista-Antonius *de Brancas* archiepiscopus Aquensis, designatur abbas mense Octobri anno 1729.

SAVIGNY.

SAVIGNEIUM.

EXstat in confinio Normanniæ, Britanniæ & Cenomannicæ regionis Domnifrontem inter & Montem S. Michaëlis ordinis Cisterciensis monasterium, Savigneium seu Saviniacum dictum. Hujus auctor fuit Vitalis de Mauritonio eremita, cui Radulfus de Filgeriis aptum condendo monasterio concessit locum, partem scilicet silvæ contiguam vico de Savigneio inter fluvios Chambam & Chambesnetam; Turgisus vero Abrincensis episcopus ut monachorum quieti consuleret, hos ab omni consuetudinum episcopalium exactione immunes esse voluit. Serius anno 1105 statui non posse videtur ista fundatio: hoc enim anno frater Vitalis Saviniacensis abbas dicitur in literis Guillelmi comitis Moritonii pro constructione Noviburgi Moritoniensis. Huic quidem epochæ adversari videntur primariæ literæ Radulfi fundatoris, Turgisi episcopi & Henrici I Angliæ regis atque chronicon Saviniacense apud Baluzium, &c. ad annum enim 1112 passim revocatur Saviniaci fundatio. Ast in primariis literis donatio non facta, sed confirmata & signata legitur an. 1112; & chronicon, quod in pluribus fallit, loquitur de absoluta monasterii constructione, quæ per septennium duravit, teste Orderico Vitali.

Quin inibi regulam sancti Benedicti instituerit Vitalis, dubitare non sinunt, & charta Henrici I Anglorum regis Vitali restitutam ab Eudone abbate Cadomensi Moritoniensem eleemosynam confirmantis anno 1118, in qua ibidem Vitalis fratres sub B. Benedicti regula congregasse dicitur; & bulla Lucii II. data Serloni anno 1144. 2.° Monumenta ecclesiarum Saviniacensis, Furnesiensis & Bellæ-landæ in Anglia, ac Iperii chronicon. 3.° Vita B. Gaufridi secundi abbatis, qui e Cerasio Saviniacum veniens habitum tantum *griseum* & usus mutavit. Nonnihil tamen Vitali detrahit Ordericus Vitalis, quod antiquis monasteriorum consuetudinibus novas Neophytorum institutiones prætulerit, id est Cisterciensium, quos Neophytorum nomine Ordericus solet appellare; idque in Gaufrido abbate Vitalis successore etiam carpit. Vitalem & Gaufridum longe superavit Serlo quartus abbas, qui Saviniacum ipsum cum monasteriis sibi subjectis, quæ numero 31 erant, Cisterciensi familiæ per manus Bernardi Clarevallensis abbatis adjunxit, hoc abbati Saviniacensi ob tam insignem accessionem dato, ut primus post quatuor primos patres, & abbatem Prulliacensem, qui loco sibi debito cedere noluit, in ordinis comitiis consideret. Annus hujusce adhæsionis vulgo habetur 1148: sed hanc ad annum superiorem revocandam arbitror; 1.° enim bulla Eugenii III Saviniacensium ordini Cisterciensi unionem confirmantis post capitulum generale, cui adfuerat ipse pontifex, data est apud sanctum Sequanum XIII cal. Octobris, ac proinde an. 1147: Eugenius enim Galliis Vercellas in Italia jam pervenerat 16 Junii 1148, quo anno capitulo generali, quod idibus Septembr. celebrari mos erat, adesse non potuit. 2.° Idem pontifex in concilio Remensi bullam aliam solennem eidem Serloni dedit Remis IV idus Aprilis 1148, ut observantia Cisterciensis ordinis in ejus monasterio & ab eo dependentibus teneretur.

teneretur. Et certe in schedis monasteriorum & Saviniaci & Vallium-sernaii facta hæc unio dicitur anno 1147.

Præter primarium fundatorem, alios benefactores recensent Saviniacenses, Henricum I Angliæ regem, qui data a fundatoribus confirmavit anno 1112, quibus addidit ecclesiam S. Petri de Domno-Petro, ecclesiam Alvei & domum Dei de Fresneia, vineam de Abrincis, & vineam reginæ, unde discimus vineas tunc in his regionibus fuisse; Stephanum, Henricum II & Eduardum, cujus amplissimum est diploma in monastico Anglicano tom. IV, pag. 997; reginam Mathildem, Conanum & Odonem Britanniæ duces; summos pontifices Paschalem II, Callistum II, Honorium II, Lucium II, Eugenium III, in cujus bulla 13 abbatiæ in Anglia memorantur: Anastasium IV qui 31 recenset, quæ successu temporis ita excreverunt, ut 69 numerentur, quæ ex hoc fœcundissimo egressæ sunt alveo; Adrianum IV, Alexandrum III, Gregorium VIII, &c. De Savigneio quoque bene meriti sunt dynastæ de Vitreio, de sancto Claro, de S. Hilario, de Mellento, de Gorronio, de Meduana, de Landivio, de Vireio, de Subligneio, Tassones, ac præsertim toparchæ de Filgeriis, e quibus Henricus filius Radulfi primas confirmavit donationes, & novas addidit in dedicatione ecclesiæ, aliasque an. 1150, tempore æstivo, quando factus est monachus ejusdem loci.

Basilica una totius Normanniæ inter amplissimas & pulcherrimas patronum primum agnovit SS. Trinitatem, cujus in honorem a fundatore condita est: posteriorem B. Virginem, cui dedicatæ sunt omnes abbatiæ Cisterc. ordinis. In ea quiescunt exuviæ SS. Vitalis & Gaufridi abbatum, ac Guillelmi, Hamonis & Petri monachorum Savigneii. Abbatum seriem ex monumentis ubi ubi sparsis collegimus. Historiam quoque celebris hujus asceterii ipse accurate concinnavit hodiernus prior meritissimus D. Guillelmus *Licgard*, quam perofficiose ad nos transmisit.

Abbates.

I. Sanctus Vitalis in villa Tigerii apud Bajocasses, & quidem in pago Moritonii, aliis mendose Mauritaniæ, ex quo cognomen de Mauritania habuit, parentibus Reigfrido & Roharde natus est. Literis cum esset apprime imbutus, collegiatæ S. Ebrulfi Moritoniensis ecclesiæ canonicus & comitis capellanus est institutus, apud quem tanta valuit gratia, ut Moritoniensem eleemosynam illi largitus sit Willelmus comes ad honorem sanctissimæ Trinitatis, quam postea abbati Cadomensi donavit Vitalis de consensu Henrici I regis. Post diutinam in aula comitis moram, in solitudinem Credonensem se recepit in loco dicto Domnipetra, ubi 17 fere annis diversatus, a Roberto de Arbrisello & Bernardo de Tironio nonnunquam invisebatur, plurimosque suis sermonibus convertisse dicitur. Regressus in patriam, cum monasterium ad multorum salutem ædificare constituisset, Radulfum de Filgeriis adiit, a quo vicum Savigneium, partemque ei adjacentis nemoris obtinuit. Jam incœperat domum, cujus abbas existebat, cum Guillelmus Moritonii comes anno 1105 abbatiam sanctimonialium construxit in honorem sanctissimæ Trinitatis in Novoburgo Moritoniensi, eidemque abbati multa prædia ad opus Dei & ad sanctimonialium usus assignavit. Apud Savigneium vero fratres sub regula B. Benedicti aggregavit, cui modernas institutiones in aliquibus similes Cisterciensibus adjunxit. Fratrum quieti consulens Paschalis II summus pontifex concessit, ut pro interdicto communis parochiæ, in qua manebant, (ecclesiæ Abrincensis) eorum ecclesia nullo modo divinis careret officiis. Vitalis autem literarum eruditione satis excultus, insignique facundia & ad quidvis persuadendum efficaci præditus, nec principibus, nec infimis parcebat; unde reges & duces eum reverebantur, & ad eum audiendum certatim omnes prima luce conveniebant. Hinc factum, ut non minima ad eum multitudo confluxerit utriusque sexus personarum, scilicet plusquam septies viginti, cujus necessitatibus cum sufficere non posset, eleemosynam Moritoniensem ab Eudone abbate Cadomensi repetiit, quam perpetuo possidendam recepit an. 1118. Ceterum etsi Romana, id est Gallica lingua verba faceret ad populum in Anglia, ab iis tamen, qui hanc linguam minime callebant, intellectum fuisse tradit ipsius vitæ scriptor. Bullam obtinuit a Callisto II, datam Andegavis v idus Septembris 1119, ad episcopos Abrincensem & Cenomannensem, Moritoniensem comitem, ac dominos castellorum Filgeriarum, Meduanæ & sancti Hilarii, ut monasterium & fratres adjuvare curarent & defendere. Anno eodem Vitalis in concilio Remensi concionatus est coram Callisto II de officio summi pontificis, ut hunc virum apostolicum decebat. Denique vir sanctus Domnipetram prioratum, quem illi rex Henricus I ante annos tres dederat, aliquando profectus, post decem ab absoluto cœnobio regiminis annos, subito cœpit ægrotare. Cum autem nec infirmitati cedere, nec a consuetis orationibus declinare vellet, ipsa nocte, qua defunctus est, ad matutinos de B. Maria, cujus officium instituerat Saviniaci recitandum, lectori poscenti benedictionem dedit, & statim spiritum emisit XVI calen. Octobris 1122. Corpus translatum Savigneium ad septentrionalem ecclesiæ plagam sepelitur. Inde levatum asservatur in capsa lapidea. Festum ejus 16 Septembris in ecclesia Saviniacensi celebrandum instituit generale capitulum apud Cistercium habitum anno 1738. Exstat ad Vitalem Marbodi episcopi Redonensis epistola, qua eum rogat ut puellam dote carentem in parthenone a se instituto admittat. Ante & post mortem virtutibus claruit & miraculis Vitalis, cujus vitam scripsit Stephanus de Filgeriis Henrici II Anglorum regis capellanus, & postea Redonensis episcopus defunctus 1178, qui & vitam scripsit Hamonis monachi Saviniacensis, cujus reliquiæ ibi quoque asservantur.

Anecd. t. 1, col. 336.

Charta X. col. 111.

Ampliss. Collect. tom. 1, col. 659.

II. Gaufridus nobilibus ortus parentibus apud Bajocas, patrem habuit Alanum militem. Post emensum Parisiis studiorum cursum, monasticen cum Serlone discipulo suo in cœnobio Cerasiensi professus est; inde majoris perfectionis desiderio anhelans, Savigneium transiit anno 1113, ubi a Vitale institutus prior, defuncto eidem communi monachorum voto substitutus est an. 1122. Tanta vero apud principes & magnates, & maxime Henricum I Angliæ regem gratia polluit, ut 29 in suo dominio abbatias tam matres quam filias fundarit. His & Savigneiensibus suis consuetudines prioribus altiores imposuit; unde culpatur ab Orderico Vitali, quod immoderatis adinventionibus studuerit, durumque jugum super cervices discipulorum aggregaverit. Ecclesiam, quam ad odeum usque erexerat Vitalis, perfecit & consecrandam curavit Gaufridus VI idus Maii 1124 ab episcopis vicinis, Turgisio Abrincensi, Richardo Constantiensi, Richardo Bajocensi, Johanne Sagiensi & Hildeberto Cenomannensi. Visitationes & capitulum generale totius generationis abbatum apud Savigneium per triduum quotannis in festo sanctissimæ Trinitatis instituit an. 1132. Bullam obtinuit ab Honorio II ad preces Turstini Eboracensis archiepiscopi V idus Decembris. Johannes Constantiensis huic dicavit librum de Computo ecclesiastico 1136. Præfuit annis 16 Gaufridus, & defunctus est anno 1138, ex chronographo Saviniaci. Legitur tamen mortuus VIII idus Julii 1139 in vita ejus, quam manuscriptam præ manibus habemus. Sepultus est in tumulo lapideo, inde levatus, & positus ante altare B. Nicolai.

Anecdot. t. I, col. 361.

Ibidem, col. 962.

III. Ewanus *l'Anglois* de Abrincis, unde autumat Sammarthanus noster natum eum apud Abrincas parentibus Anglis, inter B. Vitalis discipulos enituit, & a B. Gaufrido monasterii Furnesii in Anglia anno 1127 fundati primus abbas fuit institutus, & a Turstino Eboracensi archiepiscopo benedictus. Defuncto Gaufrido parentavit & successit, ac modico quo præfuit tempore monasterium de B. Maria Dubliniensi in Hibernia condidit.

IV. B. Serlo de valle Badonis juxta Bajocas oriundus, Gaufridi superioris in seculo discipulus & cum eo Cerasii monachus, majoris perfectionis ergo Savigneium quoque expetiit, ubi Ewano succedens 1140 abbas, testis nominatur in charta Willelmi comitis de Pontivo XIII cal. Octobris 1143, inscripta Radulfo abbati sancti Andreæ in Gofferno. Bullam obtinuit a Lucio II VII idus Decembris ad Henricum Filgeriensem & Juhellum Meduanensem, ut Savigneium defenderent, & ad ejusdem loci augmentum sedulo intenderent. Duas adhuc bullas ab eodem pontifice impetravit nonis Decembris 1144; unam, qua confirmat recensens bona monasterii, alteram, qua cœnobium illud sub sua protectione suscipit cum suis adjunctis, statuitque ut ordinem monasticum secundum B. Benedicti regulam & instituta regulæ competentia inviolabiliter observent; *si quis vero ex abbatibus, monachis quoque vel conversis vestræ, inquit, congregationis a proposito & ordine exorbitaverit, & secundo tertiove commonitus incorrigibilis remanserit, abbate absque ulla contradictione retento, juxta providentiam Savigneiensis abbatis qui pro tempore fuerit, loco ipsius alius idoneus substituatur, monachus vero, si contumax fuerit, regulariter corrigatur.* Ad hæc vetat pontifex, ne ullus abbas schisma in isto ordine facere ausit, aut commissum sibi monasterium absque assensu communi alterius ditioni subjicere. Tertio post anno cum cœpisset intelligere Serlo, quod quidam coabbatum suorum de subjectione Savigneiensi colla molirentur excutere, ac tardius & tepidius quam solebant, ad capitulum venirent, cum Osmundo Bellibecci abbate ad Cisterciense capitulum venit, ubi Eugenio III summo pontifice præsente, tam Savigneium, quam cetera omnia ad illud pertinentia monasteria ordini Cisterciensi contradidit & subjecit in manibus sancti Bernardi abbatis Clarevallensis: quamobrem ab abbate Cisterciensi & quatuor primis abbatibus concessum ei est, ut primum post quinque primos abbates in consessu locum ipse & successores tenerent. Hanc Eugenius III ad ordinem Cisterciensem adjunctionem confirmavit, bulla data monachis Savigneiensibus & abbatibus monasteriorum subjectorum, apud sanctum Sequanum XIII calen. Octobris paucis diebus post capitulum generale, quod idibus Septembris celebrari mos erat, ac proinde anno 1147, eodem scilicet, quo Gallias intravit Eugenius, ex Godefrido in vita sancti Bernardi lib. IV, cap. 7. Continuo post factam unionem S. Bernardus dedit abbatiæ Savigneiensi priorem & eruditorem ordinis Cisterciensis Theobaldum, qui ex infirmario sancti Dionysii monachus Clarevallensis, factus est abbas de Fontanis, & post Castellionis in diœcesi Virdunensi. Anno sequenti in concilio Remensi idem pontifex bulla solenni data IV idus Aprilis 1148, voluit ut observantia Cisterciensis ordinis in Savigneiensi monasterio, & ab eo dependentibus teneretur. Sola quidem recenset monasteria Anglicana, quia soli unioni refragabantur Angli. Et certe hanc bullam monasteriis in Anglia sitis statim significavit Serlo, auctoritate apostolica præcipiendo, ut constitutiones Cisterc. ordinis & habitum, sicut papa Eugenius in generali concilio Remis celebrato anno 1147 (1148) ordinaverat, omnes de generatione ordinis Savigneiensis sine mora accepto mandato sumerent & conservarent. Quidam tamen seu abbates seu monachi a subjectione Savigneii inde arrepta occasione subtrahere se voluerunt, quos compescuit Eugenius bulla data Serloni XII calend. Novembris 1148, cui liberam concessit facultatem disponendi & ordinandi in omnibus monasteriis, tam a Savigneio egressis, quam quæ de egressis ab eodem monasterio prodierant, juxta Cisterciensium institutionem. Denique defuncto sancto Bernardo, qui Serloni post unionem abdicare cupienti semper obstiterat, ut Deo liberius posset vacare, relicta monasteriorum cura,

Ch. IX. col. 163.

Anecdot. t. I, col. 396.

Ampliss. Collect. t. I, col. 775.

Spicil. t. X, p. 384.

Ampl. collect. t. I, 807.

Spicil. p. 371

Anecdo. col. 40

Monast. Anglic. tom. pag. 87

Ampliss. collect. t. I, 813.

in Claravalle delituit mense Octobri 1153, ubi post quinque sanctissime transactos annos, obdormivit in Domino v idus Sept. 1158, pro sancto semper in ordine habitus; cujus duos digitos & aliquot dentes Petrus Clarevallensis abbas an. 1184 attulit apud Saviniacum, qui in majori reliquiarum theca inibi reverenter asservantur. Pia quædam scripsit opera, sermones de variis, quos edidit D. Bertrandus *Tessier* in bibliotheca patrum Cisterciensium, sententias in plura scripturæ loca & tractatum de Oratione Dominica, quæ manuscripta supersunt in bibliotheca regia.

V. Guillelmus I Serloni abdicanti successit. Id & constat ex charta ipsius Guillelmi, in qua B ecclesiæ de Bella-landa confirmat abbatiam de Jorevalle ad instar decessoris sui piæ memoriæ D. Serlonis abbatis de Saviniaco, & ex charta Ricardi successoris, decessorum suorum piæ memoriæ DD. Serlonis & Willelmi abbatum Saviniacensium chartas ea de re confirmantis. Defunctus est exeunte Martio 1154.

VI. Ricardus I *de Curcy* ex priore Saviniaci abbas, ecclesiæ de Bella-landa confirmat abbatiam de Jorevalle, sicut decessores sui Serlo & Willelmus. Bullam obtinuit ab Anastasio IV, in qua recensentur 31 abbatiæ subjectæ, XII cal. Maii 1154; tres itidem bullas ab Adriano IV, C & duo diplomata confirmationis bonorum ab Henrico II Angliæ rege anno 1157. Præ animi demissione cessit 1158, ex chronico.

VII. Alexander ex monacho Clarevallensi abbas Grandis-silvæ, de consilio Clarevallensis abbatis Fastredi, a monachis Saviniacensibus electus abbas anno 1158, post triennium cessit, ex chronico. Memoratur adhuc mense Decemb. 1161, quo forte cessit, factus post sexennium abbas Cisterciensis.

VIII. Willelmus II de Tolosa, oriundus e Cadomo, inter scholares doctor magni nominis in seculo, a sancto Hamone novitiorum magistro D monachus factus, paulo post abbas bis Savigneio præfuit. Prima vice tres bullas obtinuit ab Alexandro III; primam VI idus Martii 1163, quam habes Ampliss. collect. tom. I, col. 859, Parisiis datam, in qua summus pontifex præcipit, ut abbatiæ quæ ad jus ipsius monasterii pertinebant, in ejus successorumque obedientia permaneant; alteram ibidem V idus ejusdem mensis & anni; tertiam denique datam Senonis nonis Januarii (1164.) Auctor vitæ sancti Hamonis testatur per Guillelmum multa eidem abbatiæ bona a Deo facta.

IX. Joslenus per 16 annos rexisse legitur in E chronico. Hodiernæ ecclesiæ fundamenta jecit anno 1173. Misit anno 1178, conventum ad abbatiam Barberii, eodemque cessit anno, ex chronico: quod cum chronologia Fontanensi stare vix potest. Suæ cessioni superstes memoratur 1181.

X. Willelmus de Tolosa secundùm, Alexandrum abbatem Fontanensem ab administratione absolvit an. saltem 1177, si vera Peregrini abbatis computandi ratio, Robertumque priorem A in ejus locum subrogavit, minitans si male ageret, uti abscissionis ferro. Obiit abbas Cisterciensis, teste Peregrino coævo abbate Fontanensi, cui consonat chronicon Saviniacense, in quo legitur electus abbas Cisterciensis anno 1179, minime vero nostra Gallia Christiana tom. IV, ubi de Cistercio.

XI. Simon, quem comitibus Ebroicensibus editum volunt, germanus Mathildis abbatissæ Cadomensis, ex abbate S. Andreæ in Gofferno Savigneiensis electus mense Octobri 1179, per quinquennium rexit, ex chronico. Basilicam sanctæ Catharinæ a Richardo Abrincensi præsule dedicari curavit V cal. Junii 1181. Transtulit in eam 30 Martii feria III Paschæ 1182, corpora sanctorum Saviniacensium Vitalis & Gaufridi abbatum, Hamonis & Petri monachorum, Guillelmi novitii & Adelinæ sororis S. Vitalis priorissæ Moritoniensis. Misit monachos ad abbatiam de Bona-requie 1184. Is esse creditur, de quo queritur Arnulfus Lexoviensis episc. ad Lucium papam tanquam de judice sibi infenso. Oculis captus cessit mense Septembri 1186, Saviniacique sanctissime perseveravit ad obitum, qui contigit anno 1189. *Spicil. t. II, p. 483.*

XII. Gerardus electus mense Octobri 1186, uno tantum rexit anno, defunctus 1187.

XIII. Guillelmus III *de Douvre* 21 annis pedum tenuit. Bullam obtinuit a Gregorio VIII nonis Decembris 1187, ut monasterium Savigneiense, quod ab antiquo alterius ordinis fuerat, suo jure quod in monasteriis vel ecclesiis habet, obtentu monachorum Cisterciensium, qui ibi sunt instituti, non fraudetur; simul promittit eidem eorum intuitu specialiter & diligenter adfuturum. Præfuit electioni Peregrini abbatis Fontanensis mense Junio 1188; subscripsit literis Juhelli de Meduana ad G. abbatem Majoris monasterii 1189. Interfuit dedicationi ecclesiæ de Alneto 1190. Hodiernam Saviniacensem basilicam ab abbate Josleno inchoatam, ad crucis speciem lapidibus sectilibus ædificatam, 247 pedes intra parietes longam, 80 latam, altam vero magis 70, magnifice consummavit, quam ingressi sunt monachi 15 Augusti 1200. Ratam habuit anno 1201 transactionem factam inter Longum-villare & Clarum-mariscum. Obiit an. 1207 IV idus Octobris, ex chronico Gofferni, seu 10 Aprilis, ex Saviniacensi. *Neustria pia, pag. 685. Ch. XXV. col. 90.*

XIV. Radulfus I ex archidiacono Bajocensi monachus, ex monacho abbas, per 14 annos rexit. Assensum præbuit erectioni Portus-regii in abbatiam circa 1214. Capitulo generali adfuit anno 1215. Novam basilicam consecrari curavit VI idus Maii 1220, a Roberto Pullano archiepiscopo Rotomagensi, Guillelmo *d'Ostilly* Abrincensi, Roberto *d'Ablagel* Bajocensi, Hugone *de Morville* Constantiensi & Gervasio Sagiensi episcopis. Defuncti anno eodem funus celebravit Guillelmus Abrincensis episcopus.

XV. Rogerius *Bissonet* oriundus ex Alneto, electus abbas ex priore 1220, per quinquennium præfuit. Capitulo generali adstitit an. 1222.

Memoratur 1224; excessit e vivis 1225, nonis Augusti.

XVI. Lucas ortu Bajocensis, tribus annis & mensibus aliquot in regimine transactis, cessit in die Ascensionis Domini 1229.

XVII. Stephanus I *de Lexington* ex abbate Stanleghensi in Anglia Saviniacensis electus 1229, monachos usque ad 40 augmentavit: abbatiam ædificiis multis decoravit. Ut pater immediatus Portus-regii inhibuit mense Novembri 1233, ne ultra 60 moniales in monasterio deinceps assumerentur. A Gregorio IX delegatus est anno 1238, ad reformandos Rotonenses monachos. Occurrit hoc anno in chartis Fulcardi-montis, & 1230, ac 1239, in tabulis Monceii. Capitulo generali adfuit anno 1242, de cujus licentia corpora sanctorum Saviniacensium a Gaufrido *de Majet* Sagiensi episcopo ex ecclesia sanctæ Catharinæ in majorem transferri curavit 1 Maii 1243. Post annos 14 regiminis electus est anno eodem abbas Clarevallensis in festo sancti Nicolai hiemalis, ubi vide tom. IV, col. 806.

XVIII. Stephanus II *de Chateaudun* ex decano Rotomagensi monachus, tum abbas Bellibecci, demum Saviniacensis electus est anno 1244, in cathedra sancti Petri. Hugonem comitem Marchiæ cum Johanna filia Radulfi de Filgeriis matrimonio rite conjunxit IV calendas Febr. 1253. Fatis concessit exeunte an. 1255.

XIX. Guillelmus IV *de Courty* electus anno 1256 ineunte, testis adfuit an. 1260, pactioni inter abbatem sancti Andreæ & Robertum abbatem Becci. Licentiam obtinuit idibus Julii anni ejusdem ab Alexandro IV, Cistercienfibus monachis minores ordines conferendi, pallasque & alia ornamenta ecclesiastica benedicendi. Exemtus est e vivis anno 1261.

XX. Johannes I *de Balou* abbas primum Tironelli, tum S. Andreæ in Gofferno, postea Saviniaci eligitur anno 1261. Cum Philippo abbate Clarevallis summum pontificem Urbanum IV adiit anno 1263, pro Cisterciensi ordine reformando, & ordinanda electione definitorum in capitulo generali. Anno sequenti insignem hac de re apud Claram-vallem scripsit epistolam in crastino Natalis Domini 1264, ad coabbates suos in Anglia & Wallia. Creatum volunt Johannem abbatem Cisterciensem, de quo vide quæ diximus tom. IV, col. 997. Obiit VIII idus Augusti, ex necrologio Gofferni.

Monastic. Anglic. t. II, p. 700.

XXI. G. vendidit anno 1277, abbati & conventui de Noa 40 solidos in præpositura Ebroicensi, ex chartis Noæ.

XXII. Johannes II legitur anno 1281, die Jovis post festum S. Agathæ in chartis Thesauri: attamen

XXIII. Petrus I de Cardis occurrit 1280, forte 1281, in chartis Saviniacensibus, & 1286, in Alnetensibus.

XXIV. Johannes III, al. Rogerius *d'Hibernie* erat abbas mense Junio 1286, ex chartis domesticis. Obiit 7 Julii 1289.

A XXV. Guarinus, qui Vallium-fernaii fuerat abbas, Johanni suffectus anno 1289, parumper rexit.

XXVI. Radulfus II obiit 1297.

XXVII. Nicolaus I *de Cufors* ex cellerario abbas 1297, obiit 1 Maii 1305.

XXVIII. Thomas monachus Fulcardi-montis electus est Saviniacensis abbas 1305, ex chronico, quod in eo desinit, dicens Thomam multum laborasse contra comitissam pro conventu ejus domus.

XXIX. Petrus II *Dondaines* abbas fuerat S. Andreæ in Gofferno, fuit & Saviniaci post

B Thomam. Paulisper rexit, & obiit V cal. Aug.

XXX. Radulfus III *de Jouy*, qui Petro abbati sancti Andreæ successerat, eidem Saviniacensi successit, & decessit VI cal. Martii 1314.

XXXI. Johannes IV *de Terville* electus 1314, memoratur 1318 & 1325, in chartis Monceii.

XXXII. Richardus II mortuus 28 Julii.

XXXIII. Nicolaus II reperitur in chartis domesticis annis 1344 & 1349.

XXXIV. Michaël de Castroduno.

XXXV. Sanson recensitus 1373, reperitur 1380 16 Octobris, in chartis authenticis col-

C lectionis D. *de Gaignieres.*

XXXVI. Robertus 1384 & 1386 ibidem, defunctus est 2 Aprilis.

XXXVII. Julianus electus 1389 dicitur.

XXXVIII. Johannes V *le Verrier* memoratur 9 Julii 1390, 20 Novembris 1392 & 18 Aprilis 1408, in chartis D. *de Gaignieres.* Defunctus quoque dicitur 15 Sept. & in capitulo legitur: *Hic jacet dominus Johannes Verarii abbas XXX hujus loci, qui obiit 1409 12 Septembris.*

XXXIX. Johannes VI *Aleaume* electus desinente anno 1409, memoratur 16 Octobr. 1412, in chartis D. *de Gaignieres.* Obtinuit a

D Martino V jus mitræ & aliorum pontificalium anno 1418. Memoratur adhuc 1433.

XL. Alanus *de Boschen* sententiam obtinuit 1433, adversus abbatem Vallium-fernaii pro 44 libris, quas commodaverat ejus decessori Johanni de Gallardone an. 1423, adhuc monachus Saviniaci. In ea dicitur abbas Saviniaci & baccalaureus in sacra theologia. Ab abbate Cisterciensi delegatus, confirmavit electum Guillelmum *Jouachin* ex priore Saviniaci abbatem Veteris-villæ. Cum Martino Abrincensi episcopo occurrit in chartis archiepiscopatus 3 Nov. 1445. Sedebat adhuc 17 Julii 1446, defunctus 10 Maii 1449.

E XLI. Johannes VII *Grivel* electus 1449, memoratur 1458 14 Martii, in chartis D. *de Gaignieres.* Cessit servata pensione 200 regalium aureorum, de licentia Pii II data XVII calendas Julii 1463.

XLII. Nicolaus II *des Mazures de Plat-Pinson,* cedente Johanne, a Pio II institutus abbas 1463, comitiis generalibus ordinis adfuit 1493. Post 37 regiminis annos, obiit 1500, quo anno mense Maio Gaufridus episcopus Constantiensis, & Claudius *de Dinteville* abbas de Firmitate, ac

frater *Haurteau*, litigabant pro abbatia Saviniacensi in scacario Rotomagensi: sed illorum nullus eam adeptus est; nam

XLIII. Ludovicus I *de Bourbon* Abrincensis episcopus, primus commendam tenuit, nominatus a rege Ludovico XII. Memoratur mense Augusto 1501. Annis 1503 & 1504, duos abbates Vallium-sernaii nominavit, sed irrito conatu. Domum abbatis ædificavit, saltem ex majori parte. Turonis obiit 21 Octob. 1510. Corpus Abrincas relatum in sacello B. Mariæ jacet, cor vero Saviniacum delatum sub eodem lapide ac ossa Guillelmi *d'Ostilly* Abrincensis episcopi in urna conditur.

XLIV. Philippus *de Sainte-Marie* ultimus a monachis 36, est electus 14 Novembr. 1510, Julii 11 anno septimo, electioni præsente ac præsidente Johanne abbate sancti Andreæ in Gofferno, ab abbate Clarevallensi deputato. Confirmatus est a capitulo generali 1511. Memoratur 1513, in chartis Monceii. Post septem annos & aliquot quieti regiminis menses fatis concessit anno 1517.

XLV. Ludovicus II *d'Estouteville* filius Jacobi & Ludovicæ *d'Albret*, commendatarius a Francisco I rege nominatus, abbatem Vallium-sernaii nominavit anno 1516, sed incassum. Reperitur 20 Decembris 1518 in chartis D. *de Gaignieres*, & 24 Junii 1527 in chartis Bellibecci: erat etiam abbas Validi-montis.

XLVI. Johannes Dominicus *Cuppi* Romanus, archiepiscopus Traniensis in regno Neapolitano, cardinalis creatus an. 1517 a Leone X, ac tandem sacri collegii decanus & episcopus Ostiensis, Galliæ negotiorum in curia Romana patronus, a Francisco I rege Saviniacensi commenda donatus, cessit an. 1552, & obiit 10 Decemb. 1553.

XLVII. Bernardinus *Cuppi* Romanus, episcopus Ossimensis in Piceno, patruo cedente, commendæ possessionem iniit 10 Julii 1552, quam tenuit ad annum 1562, memoratus interim 1554 15 Octobr. & 1555 26 Septemb. in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XLVIII. Cæsar *de Brancas* possessionem iniit 3 Maii 1562, quo anno 10 Septembris trucidatus est a Calvinistis, qui mense Augusto superiori Saviniacum ingressi, chorum, organa, campanas, ecclesiæ tectum incenderant, tabellas aut abstulerant, aut discerpserant, domum & sacrarium expilaverant, 14 calices, e quibus 4 aureos, pedum abbatis, mitras, gemmas, thesaurum denique prædati erant. Humatus fuit Cæsar in choro parochiæ de Mantilliaco. Quinta post ejus necem die monachi numero 24 abbatem elegerunt Robertum *de Luysiere* tunc priorem, qui sequenti cedere coactus fuit.

XLIX. Carolus I. *d'Angennes* cardinalis *de Rambouillet*, episcopus Cenomannensis, a Carolo IX rege nominatus, possessionem adeptus est 24 Martii 1563. Occurrit 15 Novembris 1565 in chartis D. *de Gaignieres*. Variis legationibus ad summos pontifices, & Europæ principes clarissimus, obiit Corneti in Etruria x cal. Apr. 1587.

A L. Claudius *du Bellay* ex antiqua & nobili stirpe Bellaia, Renati domini *du Bellay* principis *d'Ivetot* ex Maria *du Bellay* tertius natu filius, prior *de Cunant* in Andegavia, & regi a secretioribus consiliis, designatus abbas Saviniaci commendatarius 30 Martii 1588, regi fidem juravit in camera rationum Britanniæ 1603. Abbatiam plurimum auxit & instauravit, multaque bona pro illius reficienda basilica a novatoribus excisa, testamenti codicillis legavit. Sancti Bernardi abbatis opera quædam Gallice edidit. Pie decessit die 20 Decembris an. 1609, sepulturamque nactus est in æde S. Catharinæ nunc

B diruta, ubi sequens legebatur illius epitaphium:

DEO OPT. MAX.

En Claudius Bellaius, viator, Bellaiæ familiæ alterum sydus, non exoriens, sed occiduum, deciduumque terris, & alio jam micans orbe. Fuit hujus Saviniacæ domus archimandrita, juvenis quidem, sed vernus senex, & prævertens annos sapientia, religione pius, moribus probus, & incredibili animi fortitudine ad virtutem se ferens, quod habuit a majoribus, a se vero quod genere sublimis, tamen ultra gradum humilis, eremi confratribus monachis affabilis, suis amabilis, exteris desiderabilis, & in pauperes libe-

C *ralis maxime, quos pavit & fovit, quibusque favit incredibiliter; his ornatus dotibus regii consistorii arcanique adsessor fuit. Sed ô miseriam! vix illuxit, cum luxit mortuum Francia, interque Francos Andia tam illustris nidus amœnus familiæ. Sed quid te pluribus, viator! quod nunc es, fuit & hic nuper; tu quod erat, fac sis: nam quod nunc est, eris; mors quippe mortalium illudit nemini. Vale, & mortuo bene precare. Obiit die 20 Decembris anno salutis 1609.*

LI. Antonius *de Bourbon* filius naturalis Henrici IV, ex Jacquelina *de Beuil*, comes Moreti,

D præter commendas sancti Stephani Cadomensis & sancti Victoris Massiliensis, Saviniacensem adeptus est 29 Aprilis 1610. Cessit sequenti 1622, decennio post occisus in prœlio apud Castellum novum Arrii 1 Septembris 1632.

LII. Nicolaus III *Longis* doctor theologus, regi a consiliis & eleemosynis 1616, canonicus sancti Thomæ Parisiensis, præpositus sancti Petri Evahonensis in Lemovicibus, cedente Antonio, de regis licentia fit commendatarius mense Oct. 1622, cujus causas ad majus consilium evocavit rex 14 Decemb. edicto, quod in commentarios relatum est 23 Febr. 1623. Obiit 1629.

E LIII. Carolus II dux *de la Vieuville* commenda cessit in gratiam sequentis anno 1644.

LIV. Henricus *de la Vieuville* eques Melitensis germano cedenti successit, cessitque ipse 1650, defunctus 12 Junii 1652, occisus in prœlio Stampensi.

LV. Carolus-Franciscus *de la Vieuville* episcopus Redonensis, abbasque sancti Launomari Blesensis & sancti Martialis Lemovicensis, per cessionem fratris, Saviniaci possessionem iniit 17 Julii 1650. Pepigit cum monachis an. 1664.

Decessit 23 Jan. 1676. Huic a Leone Allatio dicatum poema Græco-Latinum super natali Ludovici XIV.

LVI. Franciscus-Maria *de la Vieuville*, decedente patruo, episcopus Redonensis & commendatarius Saviniacensis a rege designatus 3 Febr. 1676, strictiorem ordinis observantiam apud Saviniacum eodem introduxit anno. Sublatus est e vivis 3 Aprilis 1689.

LVII. Tussanus *de Forbin* cardinalis *de Janson*, episcopus Bellovacensis, a duce *de Bournonville* nominato 2 Junii 1690 recusatam adeptus commendam, possessionem adiit 15 Augusti 1690, obiitque 24 Martii 1713.

LVIII. Franciscus *Gaultier* presbyter Sagiensis, abbas Oliveti, regisque legatus & procurator apud Angliæ regem, Tussanum excepit 23 Januarii 1714. Fatis concessit 13 Junii 1720.

LIX. Johannes-Baptista *Massillon* natus apud Insulas Olbienses, congregationem Oratorianam ingressus, maxima cum laude per plures annos verbum Dei disseminavit. Nominatus a rege Claromontensis episcopus 6 Nov. 1717, sacratus est 21 Decem. 1718, in sacello palatii *des Thuilleries* ab Hercule *de Fleury* veterano Forojulii episcopo, adstantibus episcopis Nannetensi & Venetensi, coram ipso rege, cui fidem juravit 3 Januarii 1719. Quadraginta viris academiæ Gallicanæ annumeratus est 23 Febr. sequentis; & commenda Savigneiensi donatus 8 Januarii 1721, admissus Romæ 28 Maii & propositus 24 Septembris, possessionem iniit 3 Decemb. anni ejusdem. Funebres Elisabethæ-Carolæ *de Baviere* ducissæ Aurelianensis laudes celebravit in basilica sancti Dionysii 5 Februarii 1723. Obiit in sua diœcesi 28 Septembris 1742, annos natus 79.

LX. Franciscus-Odetus *d'Aydie* doctor theologus, Turonensis canonicus & decanus, regi prius ab eleemosynis, nominatus a rege commendatarius mense Aprili 1745, possessionem adeptus est 15 Junii anni ejusdem.

Saviniacensis Abbatiæ Generatio in Francia.

Bellum-beccum, in diœcesi Rotomagensi.
Valles-fernaii, in Parisiensi.
Chalocheium, in Andegavensi.
Sanctus Andreas in Gofferno, in Sagiensi.
Fulcardimons, in Rotomagensi.
Alnetum, in Bajocensi.
Buxeria, in Andegavensi.
Fontanæ-albæ, in Turonensi.
Longum-villare, in Boloniensi.
Brolium-Benedicti, in Ebroicensi, filia Vallium-fernaii.
Vetus-villa, in Dolensi.
Lanneium, in Bellovacensi, filia Belli-becci.
Trappa, in Sagiensi, filia Brolii-Benedicti.
Tironellum, in Cenomannensi, filia S. Andreæ in Gofferno.

A Barberium, in Bajocensi.
Bona-requies, in Corisopitensi.
Campania, in Cenomannensi.
Locus-Dei, in Ambianensi, filia Fulcardi-montis.
Toriginacum, in Bajocensi, filia Alneti.

Monialium Abbatiæ.

Albæ-dominæ, seu abbatia Moretoniensis, in Abrincensi.
Villarium Caniveti, in Sagiensi.
Bivallium, in Rotomagensi.
Bondevilla, in Rotomagensi.
Thesaurus, in Rotomagensi, filia Vallium-fernaii.
B Portus-regalis, in Parisiensi, filia Vallium-fernaii.
Monceium, in Turonensi.
Clareti, in Carnotensi, filia Trappæ.

In Anglia et Hibernia.

Furnesium, in diœcesi Eboracensi, fundatum nonis Julii 1127, a Stephano comite Moritonii & Boloniæ.

Carrike al. *Ynes*, in diœcesi Dunensi, filia Furnesii; fundatur in Ultonia anno 1127, a Magnello Ultoniæ rege & transfertur 1180, in insulam *Ynes* a Johanne *de Curcy*.

Nethum fundatur in agro Glamorganensi anno C 1129, a Richardo de Grainvilla.

Basingwerch fundatur in agro Flintensi an. 1131, a Willelmo *Peverell*.

Quarrera fundatur in insula Vectæ in diœcesi Oxoniensi anno 1132, a Balduino *de Rivers* comite Oxoniæ.

Cumbermere fundatur in diœcesi Conventricensi ab Hugone *Malbanc* anno 1133.

Swinesheved al. Hoillandia, fundatur an. 1134, in diœcesi Lincolniensi, a Roberto *Gresle*.

Kaldra in diœcesi Cestrensi, filia Furnesii, fundatur anno 1134, a Ranulfo *Meschin*.

Bella-landa fundatur 1134, in diœcesi Eboracensi, a Rogero *de Monbray*. D

Buckfestre fundatur in diœcesi Oxoniensi anno 1134, ab Etelwardo filio Guillelmi *Pomerey*.

Russinum filia Furnesii, fundatur in insula Manniæ, & diœcesi Sodorensi anno 1134, ab Olavo Manniæ principe.

Billewas fundatur 1135, in diœcesi Cestrensi, a Rogero episcopo Cestriæ.

Stratford, al. Mamma vel Homma, fundatur 1135, in agro Essexiensi a Willelmo *de Montefichet*.

Sancta Maria juxta Dubliniam in Hibernia, al. *Oustamby*, fundatur anno 1139, a Malachino E principe Hiberniæ.

Mawmaniel filia Furnesii, fundatur in insula Mamnæ anno 1140.

Cogeshalum, al. Forda, (Claritas Dei) filia Bellæ-landæ, fundatur 1142, in diœcesi Nortwicensi, a Stephano rege & Mathilde ejus uxore.

Jorevallis filia Bellæ-landæ, fundatur 1145, in agro Eboracensi, ab Akario filio Berdolfi.

Belbech filia Belli-becci, fundatur circa 1147, deinde Furnesio subjicitur.

Stanlegh filia Quarreræ, fundatur 1151, in agro

Wiltoniensi, a Mathilde imperatrice.

Pultena, al. *Deulacres,* filia Cumbermeræ, fundatur 1153, in agro Cestrensi, a Roberto pincerna.

Drogonisfons, al. *Gruchn Grenard,* fundatur anno saltem 1154.

Castrum-Dei, al. *Fermoy,* filia Furnesii, fundatur in Hibernia & diœcesi Clovensi anno 1160.

Stanlaw, al. Locus-benedictus & Walleia, fundatur primum anno 1178, in agro Cestrensi, a Johanne constabulario Cestriæ, transfertur inde ad Walleiam 1296, ob nimias maris exundationes.

Vallis sanctæ Mariæ *de Crokesden,* filia Alneti, fundatur in agro Straffordiensi anno 1178, a Bertranno *de Verdun.*

Portus sanctæ Mariæ, al. *Dumbrothy,* filia Bildevasii, fundatur in Hibernia in comitatu Vexfordiæ, ab Herveo de Monte-morisco marescallo Hiberniæ anno 1170.

Sancta Crux, al. *Wethirlagam,* filia Furnesii, fundatur 1183, in diœcesi Cassellensi & comitatu Tiperoriæ in Hibernia.

Wythnea filia Furnesii, fundatur in diœcesi Hiberniæ Imelensi 1188.

Petra Fertilis, al. *Corkonrouth,* filia Furnesii, fundatur in diœcesi Hiberniæ Ficcoborensi 1197.

Surium, al. *Yncselughenught,* filia Furnesii, fundatur in diœcesi Hiberniæ Lismorensi anno 1249.

Arkelum filia Furnesii, fundatur a Theobaldo pincerna Hiberniæ.

Bokland, al. *Boschen,* filia Quarreræ, fundatur in agro Devoniensi, ab Amicia comitissa Devoniensi.

Vallis sancti Salvatoris, al. *Dowyskir,* fundatur in Hibernia a Willelmo marescallo comite Penbrochiæ.

Prioratus in Gallia modo exstincti.

Domnipetra, *Dompierre,* fundatur in diœcesi Cenomannensi. Hunc locum S. Vitalis ab Henrico Anglorum rege dono acceperat.

Vireium, *Viré,* fundatur 1125, in diœcesi Ebroicensi, a Ranulfo & Roberto loci dynastis.

Villarium-fossardi, *Villiers-Fossard,* fundatur 1139, a Guillelmo de S. Claro.

Breceium, *Brecé,* in diœcesi Abrincensi.

Valles, *Vaux,* in diœcesi Redonensi.

Fayellum, *Fayel,* in diœcesi Redonensi.

In Anglia.

Benington, in diœcesi Lincolniensi.

Feldaling, in agro Norfolciensi.

Limbroke ab Alneto.

ALBÆ-DOMINÆ.

III Rancus. Anno Domini 1105 Guillelmus Moretonii comes, filius Roberti, qui fuit frater Guillelmi regis Anglorum, construxit abbatiam sanctimonialium in honorem sanctissimæ Trinitatis in A novo burgo Moretonii, adjuvante fratre Vitali, tunc temporis abbate Saviniacensi. Sic habent fundationis literæ tom. XIII Spicilegii, p. 298, quas in appendice nostra recudimus. Ex illis inducitur subjacuisse ab initio sanctimoniales cum in temporalibus, tum in spiritualibus arbitrio Vitalis abbatis Saviniacensis & successorum; quidni ergo primum Benedictinæ fuerint, ut Saviniacenses, factæ postea Cistercienses, quando B. Serlo quartus abbas Saviniaci tam monasterium suum, quam appendices ordini Cisterciensi aggregavit, subjecitque in manibus S. Bernardi abbatis Clarevallensis; ab eoque tempore primum B appellatas fuisse *Albas-dominas* a colore habitus, quem primo tunc induere, ad discrimen sanctimonialium prioratus *de Moutons* ordinis sancti Benedicti? Chart. VI, col. 108.

Posita est hæc abbatia semiquadrante leucæ a Moretonio, in valle profunda & angustissima, saxisque præruptis circumsepta, unde rivuli duo defluunt, qui simul juncti locum ab humiditate tristissimum faciunt. Cum autem ab Anglis & post ab heterodoxis pessime habita fuisset, abbatiæ titulum amisisse aliquando visa est, quem non nisi seculo proxime præterito recuperavit; neque enim audiendus est Neustriæ Piæ auctor, C qui & contra fidem literarum fundationis privat hunc locum abbatiali dignitate, & constituit eum in diœcesi Constantiensi; quod quidem posterius non aliam forte ob causam tuetur, quam quod Johannes episcopus Constantiensis jurgium exortum super hujusce domus regimine anno 1264 inter abbatem Saviniacensem, qui pater illius erat & provisor, & abbatem Hambeiensem compescuit: quasi vero non sufficeret, ut arbiter hujus querelæ Constantiensis episcopus esset, ad suam diœcesim Hambeiam pertinuisse. Ceterum ob clades prædictas, mirum videri non debet, primarum excidisse abbatissarum nomina, præter D duas aut tres quæ sequuntur.

Abbatissæ.

I. Sancta Adelina soror sancti Vitalis, reperitur 1120 in chartis Saviniaci. Obiit circa 1125.

II. Minguidia, seu Mainguidia, in tabulis Saviniaci anno eodem 1182 modo dicitur abbatissa, modo priorissa.

III. B. Bergonia Moretoniensis abbatissa, sanctitate florebat anno circiter 1170.

Priorissæ.

E

I. Clementia *de Sousvillers* 1350.

II. Mathildis eodem anno 1350.

III. Margarita I *de Creully* 1352.

IV. Michaëlis *de Heureou* 1411.

V. Margarita II *d'Argouges* 1412.

VI. Margarita III *de Croessi* 1435.

VII. Guillelmina *du Valborel* electa 1520.

VIII. Ludovica *de Carbonel* 1550, defuncta 1578.

IX. Johanna *de Grimonville* 1584.

X. Jacquelina *du Saussay* 1590, quo anno duæ tantum supererant moniales.

XI. Francisca *de Baise* ex alumna Villaris Caniveti prope Falesiam domus Albarum-dominarum adepta possessionem anno 1590, in ea disciplinam restituit. Postea cessit in gratiam sequentis an. 1604. Superstes ad 1638 12 Oct.

XII. Isabella *du Saussay* filia baronis *de Clais*, facta monialis anno 1590 ab amita Jacquelina *du Saussay*, cedenti Franciscæ successit an. 1604. Res monasterii tam spirituales quam temporales curavit, alienata plurima bona recuperavit, ecclesiam reparavit & ornavit, votaque intra claustra sese perpetuo continendi sancivit. Plures quoque admisit alumnas, quin & ex suis aliquot misit ad urbem Domnifrontem, parthenonis instituendi causa, quas episcopus Cenomannensis ea sola conditione admisit, ut ordinem mutarent & habitum nigrum ordinis sancti Benedicti assumerent. Isabella denique plena bonis operibus, sequenti resignavit 22 Julii an. 1631.

Abbatissæ.

IV. Henrietta *de Quelain*, vel *de Clain*, filia Nicolai senatoris in parlamento Parisiensi & Angelicæ *de Longueil*, ex moniali Longi campi juxta Parisios, cessione superioris transiit ad Albas-dominas, ubi alteram emisit professionem. Interruptum abbatiæ titulum restitui curavit, quem ad obtinendum, benedictionem percepit in ecclesia Portus-regis a Johanne-Francisco Paulo *de Gondi* coadjutore Parisiensi Corinthiorum archiepiscopo 18 Augusti 1649. Cessit anno 1684, mortua sequenti 1685, die 8 Martii.

V. Maria-Magdalena *Marin* ex moniali Fontebraldensis ordinis professa in parthenone Fontis *les Nonains* secus Meldas, rectrix perpetua Braii ad Sequanam ordinis Cisterciensis, electa est abbatissa Moretonii 1684 mense Aprili.

VI. Genovefa *de la Roque* a rege nominata 1722, obiit 1748 exeunte Aprili.

VII. N. *Geraldin* monialis Benedictina, nominatur a rege 4 Junii anni 1748.

LUCERNA.

LA LUSERNE.

Vicus est Lucerna in finibus diœcesis Abrincensis quatuor ab urbe, tribusque a Grandivilla leucis, hanc inter & Montem S. Michaëlis mediis. Huic in loco humido & solitario adjacet reformatæ Præmonstratensium congregationis abbatia cognominis. Primarius audit auctor Hasculfus de Suligneio, qui anno 1143 Hugonis archiepiscopi Rotomagensis & Richardi fratris sui Abrincensis episcopi consilio canonicos regulares in nemore, quod ab antiquis Curba-fossa appellabatur, constituit, quibus dedit ecclesiam, quam in honorem sanctissimæ Trinitatis jam dedicaverat frater suus Richardus, quidquid in villa Lucernæ possidebat, &c. Canonicis primum præfuit prior Tancheredus e Domno-martino in Ambianensibus assumtus. Hunc excepit Tescelinus dictus abbas Curbæ-fossæ in bulla Eugenii III (Ch XII. col. 112.) an. 1145, quo ob importunitatem loci exeuntes canonici de nemore die festo S. Lucæ, demigrarunt in vallem juxta rivulum *Thar*, ubi a Richardo episcopo Hasculfi germano suscepti sunt, qui altare illis consecravit. Manserunt illic aliquot annis, quo tempore Philippus Bajocensis episcopus dedit illis & concessit Ardenam cum pertinentiis, quas eis confirmavit Alexander III bulla data an. 1161. Hoc autem anno exeunte Ansgotus abbas & canonici Lucernenses terram, quam eis dederat Hasculfus fundator, eidem in præsentia Achardi Abrinc. episcopi & Richardi Constantiensis archidiaconi reddiderunt, quam liberam & absolutam Achardo tradidit Hasculfus; terram vero illam in Willelmum de S. Johanne transtulit ad fundandam in ea abbatiam sanctissimæ Trinitatis. Guillelmus itaque, loco in quo fundata est abbatia concesso anno 1162, fundatoris honorem est adeptus. Eodemque anno canonici relinquentes vallem in qua per 16 annos, 6 menses & dies 5 morati fuerant, ad terram vivario & nemore hinc & inde alluentibus rivulis *de Thar* & *Tharnet* cinctam, quæ populari vocabulo Lucerna appellabatur, fecesserunt Dominica secunda post Pascha. Biennio post novæ jacta sunt ecclesiæ fundamenta anno 1164 ab Hasculfo de Suligneio & Guillelmo de sancto Johanne, cujus primarium lapidem Achardus episcopus & Ansgotus abbas posuere. Hac ad umbilicum perfecta, canonicos introduxit Richardus Achardi successor, & altare in honorem omnium Apostolorum consecravit anno 1178, die festo sancti Thomæ.

Præter jam memoratos benefactores eorumque successores, Lucernenses numerant summos pontifices, archiepiscopos Rotomagenses, plurimos episcopos Abrincenses & Constantienses, Franciæ & Angliæ reges, necnon vicinos toparchas de Sartilleio, de Verduno, *de Mortagne*, *de Lesceaux* & de Campellis.

Ex his autem quæ prælibavimus, nemo non videt Tancredum non ex Ardena, sed e Domno-martino evocatum; Ardenam datam Lucernæ ab episcopo Bajocensi diœcesano; Lucernam longe ante Ardenam abbatiæ dignitate decoratam fuisse; nec immerito tam in indice domorum ordinis, quam in chartulario Domni-martini Ardenam inter filias Lucernæ recenseri, sicut sunt Mons-Dei, Bella stella & Bellus-portus.

Elenchus Abbatum.

Tancheredus ex Britannia Armorica oriundus, assumtus ex Domno-martino an. 1143 circa festum S. Sebastiani, novellum Lucernæ gregem prior per annum rexit. Evolavit ad cœlos VIII idus Junii 1144.

I. Tescelinus memoratur his verbis in antiquo codice MS. Lucernæ: *Anno Domini 1144, promotus est in abbatem piæ memoriæ D. Tescelinus circa festum sancti Sebastiani;* hoc est 1145, quo anno bullam obtinuit ab Eugenio III. *Anno Domini 1156 obiit Tescelinus primus abbas XV calendas Februarii*, seu 1157, ibid. (Anal. Præm. t. 1 col. LXI.)

II.

II. Ansgotus *anno 1157 XI calendas Maii suscepit curam Lucernensis ecclesiæ*, ex laudato MS. codice. Reperitur annis 1174 & 1200. Bullam impetravit ab Urbano III anno 1185. De eo sic habet chronicon MS. *Anno 1206 vigilia Apostolorum Simonis & Judæ, Ansgotus abbas, cum hujus ecclesiæ curam per 49 annos, sex mensibus quinque diebus minus, habuisset, ætatis suæ insufficientiam metuens, ordinis consilio requisito, de bona sua voluntate resignavit, utiliori eam committi desiderans, qui postea obiit x calendas Aprilis.* Ejus tempore Lucernensibus Achardus episcopus fructus præbendarum in ecclesia Abrincensi vacantium, anno integro in puram & perpetuam eleemosynam assignavit, ea lege ut cuilibet canonico decedenti solenniter parentarent Lucernenses.

III. Radulfus I de Dragavilla, ex priore abbas, notatur ad annos 1213 & 1216, quo anno decessit VII idus Novembris. Radulfo sedente, Lucernenses attendentes ecclesiæ Abrincensis indigentiam, medietatem fructuum præbendarum in eadem ecclesia vacantium, quas eis integras indulserat Achardus episcopus, relaxarunt ad reparationem & conservationem fabricæ ejusdem ecclesiæ, vicissimque gratus Willelmus Achardi successor concessit anno 1207, ut paribus pietatis officiis canonicos Lucernenses prosequerentur mortuos Abrincenses canonici, quibus antea soli adstringebantur canonici Lucernenses.

IV. Daniel regimen obtinebat anno 1225, quem non excessit. Notatur ejus obitus ad VII idus Septembris.

V. Radulfus II hoc ipso anno 1225 pactum iniit cum capitulo Constantiensi super decimis de Tesseio, ex libro nigro ecclesiæ Constant. Initiali nominis litera R. Dei patientia abbas Lucernæ dicitur anno 1226 in charta prioratus *de Bohon*. Rad. testis legitur in literis Willelmi II de sancto Johanne confirmantis donationes factas in prædio *de Mundeham* a Guillelmo de sancto Johanne antecessore suo. Radulfus e vita migravit idibus Martii.

VI. Thomas I omnibus in catalogis hoc ordine positus, obiit pridie calendas Aprilis, ex laudato codice manuscripto.

VII. Nicolaus *Bouteroye* electus anno 1235, nonnulla mense Augusto anni 1253 tractavit cum Philippo priore & fratribus Domus-Dei Constantiensis. Defunctus est calendis Octobris.

VIII. Petrus *de Tourville* suffectus an. 1257 sabbato post octavas Apostolorum Petri & Pauli, obiit 1274 pridie calendas Julii.

IX. Johannes I *de Bouterie* creatus abbas 1275, die 12 post festum S. Matthæi, occubuit IX calendas Julii 1289, ex necrologio Bellosanæ.

§ Egidius de Musca ab auctore solo Neustriæ Piæ syllabo abbatum inscribitur anno 1289.

X. Robertus Johannis rexit 36 annis, quibus ædes abbatiales construxit, & majorem campanam appendit ecclesiæ turri. Dedit anno 1306 in feodum Johanni de Torvilla militi unam virgatam terræ, quam in partibus Anglicanis conventus habebat ex dono Guillelmi de sancto Johanne militis quondam fundatoris sui, die lunæ ante festum sanctæ Petronillæ. Johannem *de Ver* procuratorem suum constituit an. 1310. Extinctus 1326 XVII calendas Decembris, sepultus est in capella SS. Michaëlis & Gatiani.

XI. Thomas II *Barbou* e diœcesi Constantiensi oriundus, nominatus abbas 1326, & mortuus 1333 XI calendas Martii, jacet juxta chorum sub tumba ante capellam beatæ Mariæ virginis.

XII. Radulfus III *le Clerc* & ipse Constantiensis, ortus de Landa *d'Arou*, unde dictus de Landa, Thomæ subrogatus anno 1334, vivere desiit 1370 XVII calend. Aprilis. Ejus tempore sæviente bello inter Galliæ & Angliæ reges, diruta peneque vastata fuit Lucerna.

XIII. Thomas III *Tacon* Mardaqueriæ natus, cum annos ferme octo rexisset, diem clausit extremum XV calendas Augusti 1378.

XIV. Johannes II *de Talevende* patre toparcha de Mesnillo-Roberti natus, sedere cœpit anno 1378, die 6 Martii, seu 1379. Præerat & an. 1384 14 Junii, 1386 9 Junii & 1387 die 1 Decemb. Alius tamen, Robertus nomine, in chartis D. *de Gaignieres* occurrit 1385 5 Novembris & 1386 penultima Decembris. Obiit Johannes anno 1396 V idus Februarii, sepultus juxta capellam sancti Dionysii.

XV. Johannes III *du Rocher* de Gaverio oriundus, æmulum passus est, quicum a summo pontifice remissus ad abbatem ordinis generalem, ab ipso confirmatus & benedictus est. Memoratur in chartis D. *de Gaignieres* anno 1396 feria secunda 12 Febr. seu 1397 & 1407 4 April. post Pascha. Rexit annis undecim, quo tempore turrim & portam ecclesiæ reparavit. Decessit 1407 calendis Maii, sepultus in capitulo sub tumba Roberti Johannis.

XVI. Philippus *Badin* de S. Petro *Langier* baccalaureus in decretis, vir eminentis scientiæ, sedebat anno 1407 8 Septembr. & 1451 18 Novembr. ex chartis prædictis. Plurima, dum rexit, recuperavit, auxit & reædificavit. Juramentum accepit anno 1425 Roberti *le Caretier* electi & confirmati abbatis de Ardena, quicum præfuit an. 1447 electioni abbatis Blancæ-landæ. Primarium Grandis villæ ab Anglis ædificatæ lapidem posuit, præsentibus patriæ proceribus an. 1440. Delegavit 1442 Gaufridum *le Court* Lucernæ subpriorem ad recipiendum juramentum abbatis Belli-portus. Denique Philippus cum ecclesiam suam annis fere 45 gubernasset, defecit anno 1452 XIV calendas Junii; jacet ad lævam in capellis novis quas fieri curaverat, sub tumba marmorea, subter altari erecto in capella de Suligneio.

Ch. XXI. col. 118.

Annal. Præmonst. t. II. col. LXIV.

XVII. Gaufridus *le Court* ex subpriore abbas electus est, præsentibus Thoma S. Nicolai de Blanca-landa & Petro Montis-Dei abbatibus an. 1452. Memoratur ann. 1453 4 Apr. & 1463 23 Maii, in chartis laudatis. Pontificalium usum

Ibidem, col. LVII

obtinuit ab Alano apostolicæ sedis legato 30 Maii 1456. Chori cathedras seu stalla exstruxit, aliisque multis nominibus de abbatia bene meritus, a seculo migravit an. 1463 pridie calend. Octobris, sepultus in capella sancti Petri.

XVIII. Richardus I *de Laval* per obitum Gaufridi electus abbas, confirmatur a Johanne abbate sancti Judoci in nemore, cum facultate benedictionis accipiendæ ab episcopo Abrincensi, 17 Octobris, non 1408, ut legitur in probationibus annalium, sed 1463 : nam abbas occurrit 1464 17 Maii, & adhuc 1488 30 Apr. in chartis D. *de Gaignieres*. Fuit insimul abbas Ardenæ, ut diximus col. 461. Defunctus est 20 Martii, al. 9 Junii 1496.

Annal. Præmonst. t. II. col. LXII.

XIX. Richardus II *de Laval* superioris nepos ex fratre, & duorum beneficiorum heres, dimisso Lucernensi post novem annos regiminis, se contulit ad Ardenense anno 1504, ubi vitæ finem invenit anno 1507.

XX. Franciscus I *Caignou* baccalaureus in decretis, canonicus professus Bellæ-stellæ, a Thoma abbate ad Lucernam ablegatus, & abbas hujus anno 1507 renunciatus, habuit æmulum Jacobum *Cacquetier*, qui 7 Junii an. 1508 cessit sub conditione unius vel duorum ejusdem ordinis beneficiorum valoris omnino 160 librarum annui reditus, ex regestis scacarii. Franciscus autem reperitur abbas in chartis D. *de Gaignieres* annis 1508 4 Augusti, & 1522 die 1 Febr. Præfuit annis 22, cujus paternitatem agnovit Johannes *Ferrey* abbas Montis-Dei anno 1525. Lucernæ Franciscus ædes abbatiales innovavit, & privilegiorum confirmationem accepit a Francorum rege Francisco I, obiitque apud Ardenam anno 1528, ubi sepultus est III calendas Augusti.

XXI. Gabriel *de Grammont* cardinalis & episcopus Tarbensis, Lucernensi donatus commenda, biennio quo possedit electo an. 1528 27 Julii, solvit pensionem Johanni *de Pirou*. Anno 1530 cessit in gratiam sequentis.

Ibidem, col. LXIII.

XXII. Franciscus II *de la Guiche* frater abbatis de Bello-becco, permutatione cum cardinali *de Grammont* commendam tenuit annis 18.

XXIII. Odetus cardinalis *de Chatillon* possessionem per procuratorem adeptus 1 Septemb. 1548, per biennium potitus est ad 1550.

XXIV. Andreas *de Guidotti* Anglus, commendæ possessionem adeptus est 1551 26 Aug. Huic 15 Nov. Henricus rex imperatum monasterio subsidium decimarum remisit, ex chartis D. *de Gaignieres*, ubi reperitur adhuc an. 1555 12 Januarii, hoc est 1556. Post annos 20 spiritum emisit anno 1571 pridie idus Martii, sepultus in ecclesiæ navi.

XXV. Johannes IV *de Grimonville* ex priore sancti Michaëlis in periculo maris, a rege nominatur abbas Lucernæ anno 1572 in tres circiter annos, quibus elapsis, in Monte obiit.

XXVI. Renatus *Jourdain* licet commendatarius, vere se monasterii patrem exhibuit, qui census, fundos & reditus abalienatos recuperavit. Verum accurrentes e Ponte Ursionis Calvinistæ

A 22 Januarii 1594, omnia pessumdant, abbatemque podagra laborantem in carcerem conjiciunt, unde ereptus Rupellam petiit, ibique obiit an. 1594 19 Decemb. Medio in choro jacet.

5 Petrus *Morillant* die 10 Maii anni 1592 in abbatem regularem admissus, interiit 1599, ex auctore Neustriæ Piæ & annalista ordinis.

XXVII. Johannes V *de la Belliere* canonicus regularis, professus sancti Thomæ de Bloteria, *de la Blouterie*, ordinis sancti Augustini anno 1585, factus ab Henrico IV abbas anno 1596, in monasterio de Ardena XI Decembris 1599 habitum ordinis Præmonstratensis suscepit, & ab Abrincensi episcopo benedictus est an. 1601.

B Monasterium tam in spiritualibus quam in temporalibus reformavit, cujus reditus admodum auxit. Neustriæ monasteriorum visitator institutus a Francisco *de Longpré* abbate generali Præmonstratensi, pro instauranda disciplina strenue adlaboravit. Denique cum anno 1619 capitulo generali definitor assedisset, obdormivit anno 1634 15 Junii, ætatis 63, sepultus in medio sanctuarii.

XXVIII. Franciscus III *de la Belliere* doctor theologus & provinciæ visitator, patrui cessione jam cœnobii regimen nactus anno 1631, ut professione, sic virtute & dignitate patruum

C imitatus est, cui monumentum posuit an. 1636. Obiit 1656 12 Aprilis, ætatis 57, tumulatus ad sinistram patrui.

XXIX. N. *le Prevost* senator Parisiensis, a rege quidem commenda donatus est, cujus cum a summo pontifice confirmationem obtinere non posset, sequentis in favorem cessit.

XXX. Dionysius *le Corsonnois* Falesius, canonicus sancti Martini Laudunensis, Vallis-Dei abbas erat, quando Lucernæ possessionem adeptus est 23 Januarii 1659. Eo sedente & invito Lucerna reformationem amplexata, congregationi strictæ observationis adjungitur 28 Octob.

D anni ejusdem, agente potissimum P. Johanne *Anquetile* Lucernæ professo & Perredii novi priore, qui majoris consilii decretum obtinuit 4 Febr. 1665. Dionysius decessit 15 Septemb. anni 1669, jacet in sanctuario.

XXXI. Valentinus *de Bigorre* clericus Tolosanus, a rege nominatus, inita possessione 19 Martii 1672, abbatiam possedit 27 annis, a canonicis segregatus, illisque semper adversus. Obiit Parisiis, ubi fere continuo manebat, an. 1697 30 mensis Octobris.

XXXII. N. *de Barriere* camerarius papæ,

E postridie obitus Valentini a rege quidem designatur abbas 31 Octobris 1697; sed a summo pontifice reprobatur, ut pote non regularis. Cessit itaque in manibus regis, qui tamen haud nominavit alterum nisi post ejus mortem, quæ contigit anno 1700.

XXXIII. Johannes VI *Etheart* reformatæ congregationis Præmonstratensis vicarius generalis, vacante abbatia Lucernæ per obitum Valentini ultimi possessoris donatus a rege 29 Mart.

1700, bullisque a summo pontifice nonis Junii ejusdem anni, adeptus est possessionem die 5 Septembris cum pedo, mitra & annulo. Benedictionem in Ardenæ ecclesia percepit a Francisco *de Nesmond* episcopo Bajocensi, die dominica 10 Octobris ejusdem anni. Sedulo statim intendit reformationi conservandæ, divinis officiis decenter celebrandis, ornandæ sacristiæ, reædificandis claustris, ceterisque regularibus locis, quæ funditus eversa erant, ac bonis abalienatis monasterio iterum adjungendis. Totus in illis Johannes ex Lucerna a rege ad abbatiam sancti Pauli Virdunensis translatus est, sed ante possessionem adeptam, occubuit Parisiis 6 Novembris 1712 in domo sanctissimi Sacramenti, ætatis 71, ibidemque sepultus est.

XXXIV. Franciscus-Hyacinthus *Jean des Noires-terres* Cadomæus, e gremio reformationis assumtus, brevi regio donatus est 24 Decemb. 1712, & pontificio 28 Febr. 1713. Possessionem per procuratorem apprehendit 12 April. Apud Cuissiacum in generali reformatorum consessu benedictus est ab abbate Salivæ vallis, assistentibus Cuissiaci & Montis-Dei abbatibus, 30 Apr. Successorem reliquit, quem prius designarat coadjutorem. Defunctus 15 Novembris 1726, ætatis 81, jacet in sanctuario.

XXXV. Johannes-Baptista *Pelvé* Falesius, decessori adjutor datus a Ludovico XV die 11 Novembris 1719, bullas obtinuit 4 Februarii 1724; possessionem per procuratorem iniit 28 Maii 1725, biennioque post benedictus est Parisiis 12 Januarii 1727 ab episcopo Abrincensi, adstantibus abbatibus Cuissiaci & Marchasii-Radulfi. Tria domus sacerdotia secularibus ablata, suis restituit canonicis, & abbatiam de novo construxit. Mortuus 3 Februarii 1748, anno ætatis 69, sepultus est in cœmeterio quod ipse paraverat & consecrarat.

XXXVI. Petrus-Renatus *Cuvigny* congregationis reformatæ vicarius generalis & visitator, ejusdem ad votum Lucernæ renunciatus est abbas a rege 25 Febr. 1748. Bullis donatus VII idus Maii sequentis, possessionem iniit 8 Octobris, & benedictionem accepit in ecclesia Lucernæ ab episcopo Abrincensi, assistentibus Montis-Dei & Blancæ-landæ abbatibus, 27 Octobr. 1748.

Hos præter abbates, alii absque nota temporis memorantur in Neustria Pia sic:

Gaufridus *le Bouclier* ex obituario Lucernæ, idibus Februarii.

Marinus *de Cauroy*, seu *de Cauron*, V idus Januarii, ex obituario Falesiæ.

Ivelinus, IV idus Januarii, ibidem.

Michaël, calendis Decembris, ex obituario Bellæ-stellæ.

¶ In fine columnæ 486 timidi, quia ignari, annotavimus ex Sammarthanis, Hugonem Abrincensem episcopum subscripsisse anno 1264 ædium duarum donationi factæ Roberto de Sorbonio, & permutationi inter eumdem & sanctum Ludovicum. Has ex chartis regiis citant Sammarthani. Verum ab edita Abrincensi ecclesia, nostris ipsi oculis quatuor inspeximus authenticas hac de re chartas in archivis Sorbonæ, in quibus episcopus solo apice *H* innotescit, & episcopus *Appren.* appellatur. Videat, lector, & judicet.



ECCLESIA EBROICENSIS.

EBROICÆ civitas est Normanniæ ad Ittonem fluvium sita, qui urbem præterfluens non longe hinc in Auduram dilabitur. Leucis non amplius decem a metropoli versus Aquilonem distat. Nomen sumsit, ut pleræque civitates, a populis, Aulercis Eburovicibus, quorum meminit Cæsar lib. III, cap. 7, ubi eos cum Lexoviis conjungit. His Sequanæ propiores Eburovices Mediolanum oppidum incolebant, teste Ptolemæo, ut est in Peutingeriana Theodosii tabula & Antonini itinere. Urbis nobilitatem Ammianus ostendit, qui lib. XV, cap. 27 Mediolanum unam e duabus urbibus ponit, quæ Lugdunensem secundam illius ævo nitore suo illustrabant. Alia gentis nomina, qualia Eburones apud ipsum Cæsarem, Ebroicorum civitas in notitia Galliæ quarto loco posita, Eburo & castrum Ebroæ apud Usuardum, Ebroæ & Ebroicacensis urbs Dudoni libro de actis Normannorum, Evanticorum Orderico Vitali, corrupta sunt & depravata, pro quibus restituendi passim Eburovices, unde natæ Ebroicæ, gentis nunc & civitatis nomen usitatum. Hanc nobilitant prætura ac præsidialis sedes, quæ nobilissimorum comitum regumque Navarræ quondam sedes fuit. Comitatus Ebroicensis tunc longe angustioribus urbis aliquotque vicorum circumscriptus erat terminis, quem multo ampliorem medio seculo XVII a Ludovico XIV obtinuere Bullonii duces.

Ad religionem quod attinet, eamdem fere sortem subiere Ebroicenses, quam alii provinciæ populi, quibus non multo post metropolim evangelii lux oborta est. Cathedralis patrona est Deipara virgo, in qua decanus, archidiaconi tres, Ebroicensis, Noviburgi & Uticensis, thesaurarius & pœnitentiarius totidem dignitates, quibus præter decanum & cantorem non adjuncta canonicatus & præbenda. Canonici præbendati sunt numero 31, quorum primus abbas de Becco, primum etiamnum post dignitates in ecclesia & capitulo locum tenet. E canonicis octo baronum titulo gaudent, ob baroniam de Angervilla capitulo primitus donatam. Quatuor vicarii canonicorum ægrorum seu absentium vices supplent. Succentor denique & capellani 45 totum ecclesiæ ministerium complent. Universa diœcesis millibus 25 in longitudinem, 15 in latitudinem patens, terminatur Sequana ad ortum, Magno Pertico ad Austrum, Lexoviensi agro ad occasum, & Rotomagensi ad Septentrionem. Numerantur in tota diœcesi 550 parochiæ, e quibus octo in urbe & suburbiis. Utriusque sexus abbatias sigillatim recensebimus. Præterea computantur triginta & amplius prioratus. Præcipui sunt monasteria de Bellomonte Rogerii ordinis S. Benedicti, ab ejusdem loci comitibus conditum & sanctorum reliquiis clarum, beatæ Mariæ de Parco prope Haricuriam ordinis sancti Augustini, sanctorum Petri & Pauli de Lierruto ejusdem ordinis, de Grandimonte in silva Bellimontis, de Bisiaco in suburbio Vernonensi ordinis sancti Benedicti, Pontis arcus & de Aquila ejusdem ordinis, Casa Dei Fontebraldensis, & Strata Cisterciensis. Sunt adhuc moniales Ursulinæ Ebroicis, Franciscanæ apud Lucoverios, de Congregatione apud Vernonem, & sancti Augustini apud Haricuriam. Inclytum Cartusiani ad Gallionem habent monasterium, ubi amœna & superbo opere constructa domus suburbana archiepiscopi Rotomagensis: Ebroicensis autem episcopus castrum suum habet apud Condetum. Dominicani a sancto Ludovico fundati conventum habent Ebroicis, Franciscani apud Ebroicas, Vernonem & Vernolium, Capucini apud Ebroicas & Vernonem, Pœnitentes tertii ordinis prope Lucoverios, Lucoveriis, apud Pontem arcæ & Aquilam, religiosi de Redemtione captivorum apud Pultariam, Carmelitæ discalceati Desertum incolunt. Sunt adhuc quatuor ecclesiæ collegiatæ, beatæ Mariæ de Vernone, sancti Ludovici de Saussëia, S. Antonii & S. Georgii apud Gallionem. Loca sanctitate & curationibus inclyta recensentur, B. Virgo gratiæ frequentia hominum celebrata, S. Leufredus & Fons S. Dionysii. Tria denique ad erudiendam juventutem fundata gymnasia, Ebroicense, Vernoliense & Vernonense.

Ebroicensium episcoporum seriem primus compendiario texuit Johannes *le Jau* pœnitentiarius & canonicus Ebroicensis, necnon vicarius generalis episcopi anno 1622. Hunc secuti Robertus & Sammarthani, quos emendare conatus est *N. le Brasseur* Franciæ cancellarii bibliothecarius in historia civili & ecclesiastica comitatus Ebroicensis, quam in lucem edidit Parisiis an. 1722. Ex his aliisque documentis publicis & chartis nostra quam damus concinnata series est.

EBROICENSES EPISCOPI.

I. SANCTUS TAURINUS.

SANCTUM TAURINUM primum Ebroicorum fuisse episcopum inter omnes convenit: a quo autem missus fuerit & quonam vixerit tempore, non ita certum. « Acta enim ejus ab Adeodato scripta ita confusa sunt, ut veritatis lumen aliquod vix luceat », inquit Bosquetus ecclesiæ Gallicanæ hist. lib. I, p. 53. Nam sub Domitiano natum recitant, a Clemente summo pontifice baptisatum, in Gallias cum beato Dionysio profectum, & ab eo Ebroicensibus datum

episcopum. Legationem quoque ad Sixtum Romanum episcopum a Taurino missam, qui mox Romam venerit, & accepta a Sixto benedictione in Gallias redierit, pauloque post Sixti obitum Gallias a barbaris occupatas referunt. Hæc autem omnia perpendens Bosquetus, & Galliarum a barbaris gentibus depopulationes repetens, ad Alemannorum sub Gallieno irruptionem referenda Taurini tempora existimat. « Nam eodem imperante Sixtus secundus episcopus Romanus passus est circa annum Christi 260. Quare Taurinum longa ætate provectum sub Valeriano & Gallieno cum aliis episcopis, de quibus Gregorius Turonensis, Saturnino nimirum, Paulo, Gatiano & Stremonio missum fuisse oportet ». Ita Bosquetus, quem annotarunt Sammarthani, & secutus fuisse videtur Tillemontius. Postremus vero historiæ Ebroicensis scriptor, ecclesiæ suæ antiquitati minus indulgens, negat ecclesias suffraganeas ante metropolitanam evangelii luce collustratas; toto tertio seculo inferioris Neustriæ populos paganismi adhuc tenebris mersos cum scriptore Bajocensi contendit, ducentorum annorum intercapedinem a sancto Taurino ad sanctum Gaudum ad pauciores redigit; denique occupatas a Vandalis Gallias sub initium seculi quinti cum pluribus aliis opinatur, quo tempore mortem oppetierit Taurinus. Defuncti III idus Augusti extra urbem pro Romanorum more sepultum corpus, a terra exeunte seculo VI levatum. Super ejus tumulum ædificata statim capella, postea in abbatiam excrevit, de qua suo loco. Plura sibi hujus sancti reliquias vindicant loca, præsertim Taurinense, Fiscannense & Gigniacense monasteria, de quibus consule Bollandistas tom. II Augusti, pag. 635.

II. Sanctus Gaudus.

Post aliquantum ob dirutam barbarorum incursionibus Aulercorum Eburovicum civitatem temporis intervallum, Taurino successit Gaudus, al. Waldus, a Germano Rotomagensi episcopo ordinatus, quem post annos 40 regiminis memoriæ proditum est abdicato episcopatu secessisse in secretiorem inferioris Neustriæ locum, ubi dissolvi cupiens & esse cum Christo, voti compos factus est anno circiter 491. Inventum est anno 1131 corpus sancti Gaudi in vico S. Paterni diœcesis Constantiensis, non procul a Grandivilla oppido ad littus oceani, ubi situm fuisse olim monasterium Sesciacense produnt, & an. 1664 e terra levatum a D. *de Lesseville* Constantiensi episcopo, qui os brachii ecclesiæ Ebroicensi largitus est. Nomen sancti Gaudi variis martyrologiis adscriptum est ad 31 Januarii.

III. Maurusio.

A sancto Gaudo successor designatus circa an. 480, Maurusio episcopus ecclesiæ Ebroicinæ,
511. concilio primo Aurelianensi subscripsit an. 511. Mortuus creditur anno sequenti.

IV. Licinius.

Licinius, quem nonnulli Lucinium vocant, & diversum opinantur aliqui, subscripsit conciliis Aurelianensibus III anni 538, & V anni 549. ANNI CHRISTI 538. 549.

E duobus vero episcopis qui Licinium in tabulis ecclesiæ sequuntur, Valerius non subscripsit concilio V Aurelianensi, ut volunt: Laban vero episcopus erat Elusensis.

V. Ferrocinctus.

Ferrocinctum, qui subscripsit synodo Parisiensi anno 557, dissimulato sedis suæ nomine, 557.
Carolus Cointius autumat fuisse episcopum Ebroicensem, nec vanæ sunt ejus conjecturæ, quas videsis ad annum 557 n. XXXVII.

VI. Viator.

Inventum a S. Landulfo corpus S. Taurini e terra levavit Viator, ex actis S. Landulfi.

VII. Sanctus Landulfus.

Clericus Ebroicensis Landulfus speluncam incoluit contemplationis causa altero milliari ab urbe semotam, ubi ecclesia in ejus honorem ædificata est. Sancti Taurini reliquias septimo seculo ineunte detexit, atque capella texit. Factus post Viatorem episcopus, colitur 13 Augusti.

VIII. Deodatus.

In diplomate Chlotarii II Romanum electum Rotomagensem confirmantis inter suffraganeos recensetur Deodatus, qui in indice Thuano locum habet.

IX. Ragnericus.

Concilio Cabilonensi anno circiter 648 cum S. Audoëno & quatuor aliis Neustriæ episcopis interfuit Ragnericus.

X. Concessus.

Privilegiis Emmonis Senonensis antistitis pro monasteriis S. Petri vivi & S. Columbæ anno
658 subscriptus legitur Concessus, qui subscripsit 658.
quoque privilegio, quod S. Drausius episcopus
Suessionensis concessit anno 666 parthenoni 666.
B. Mariæ.

XI. Sanctus Æternus.

Æternus, qui & Ætherius, Aquilinum præcessit ex actis S. Aquilini apud Surium. Martyr colitur 16 Julii in ecclesia Ebroicensi, die vero primo Septembris apud Lusarchias in diœcesi Parisiensi, ubi ejus translatio celebratur 13 Augusti: ibi enim ejus asservantur reliquiæ, illuc forte ob Normannorum metum delatæ.

XII. Sanctus Aquilinus.

Nobilibus apud Bajocas ortus parentibus Aquilinus, uxorem duxit, ex qua liberos procreavit. Sub Chlodovæo II militiam secutus, contra barbaros qui fines regni desolabant, viriliter decertavit. Ad propria reversus, una cum conjuge votum perpetuæ castitatis emisit. Defuncto Ætherio, a clero & populo renunciatus episcopus, sanctitate enituit. Concilio Rotomagensi

ANNI CHRISTI
sub Ansberto an. 689 interfuit. Illud singulare A est, quod orbari oculis consecutus sit, sæpe
689. Deum precatus ut corporis sui fenestras aut obscuraret, aut custodiret, ne per eas noxia irreperet concupiscentia. Post duos & quadraginta annos regiminis, al. 32, al. 24, obiisse dicitur. Defunctus Aquilinus sepelitur in capella quam in burgo exstruxerat, cujus sicut nec tumuli ullum superest vestigium. Hujus nomine exstat Ebroicis parochialis ecclesia, ubi ejus festivitas 19 Octob. agitur; & certe memoratur XV cal. Novembris in martyrologio sancti Hieronymi. Vitam sancti Aquilini scripsit Hecelo monachus & cuidam Audoëno dicavit, quam recitat Surius B tomo V. In hac autem cum legatur Aquilinus sub Chlodovæo I adversus Wisigothos Arianos militasse, id ansam præbuit duos distinguendi Aquilinos, quorum primus factitius est, cum Chlodovæus I in Neustria nullam potestatem habuerit.

XIII. Desiderius.

De eo in vita sancti Leufredi legitur cap. XI. *Per idem tempus pontificatum Ebroicensis ecclesiæ Desiderius agebat, a qua non longe, duabus scilicet leucis, ipse locus distabat. Qui cum opinionem viri Dei audivisset, & quia plures ab ipso lumine veri-* C *tatis accensi vitam apostolicam sequerentur, zelo invidiæ superatus, quod in diœcesi sua talia agere præsumsisset*, (scilicet monasterium & xenodochium ædificare ipso inconsulto) *quadam die assumtis officialibus suis ad cellam viri Dei perrexit.* Quem cum post graves increpationes secum in urbem ducere statuisset gravius puniendum, in itinere ex equo in terram excussus ac fauciatus, intelligens id sibi accidisse, quod in virum Dei exarsisset, ipsum ad monasterium redire jussit & deinceps impense coluit. Hæc autem omnia contigere Ansberto Rotomagensi præsule.

XIV. Stephanus.

Post Desiderium in aula palatii episcopalis depictus, Stephanus memoratur in veteri charta sancti Audoëni Rotomagensis & in manuscripto codice archivorum ecclesiæ Ebroicensis.

XV. Maurinus.

765. Conventui Attiniacensi anno 765 adfuit Maurinus.

XVI. Gervoldus.

Nobilibus Walgario & Walda parentibus ortus Gervoldus, clero nomen dedit, atque ad pala- E tium perductus, Bertradæ reginæ matris Caroli magni capellanus effectus est. Hujus favore vacantem Ebroicensem sedem a Carolo accepit. Sed post mortem Widonislaici Fontanellensis abbatis Gervoldus suggestione sua a Carolo rege illud cœnobium episcopatu deserto impetravit anno tertio postquam Bertrada regina obierat,
788. ineunte anno 788, ex chronico Fontanellensi cap. XV; ex quibus concludit Cointius alia non opus esse argumentatione, ut Gervoldus habeatur longe diversus a Gerbodo, de cujus depositione post annos sex actum in synodo Francofordiensi anno 794, canone decimo, ubi sic legitur: *Definitum a domino rege & a sancta synodo esse dinoscitur, ut Gerbodus, qui se episcopum esse dicebat, & suæ ordinationis testes non habuit; qui tamen episcopalia a Magenardo metropolitano episcopo consecutus est, qui etiam professus est diaconum & presbyterum, non secundum canonicam ordinationem ordinatum esse, ut ab eodem gradu episcopatus, quem se habere dicebat, deponeretur a prædicto metropolitano, sive a comprovincialibus episcopis.* Ibi autem non dicitur Gerbodus episcopus Ebroicensis, nec an fuerit ulla constat auctoritate. Fuerit vero, successisset Gervoldo quicum non confundendus videtur Gerbodus.

XVII. Oinus.

In codice Thuano Gervoldum sequitur Oinus, modo idem non sit ac Audoënus, de quo postea. Vetustissimi enim catalogi plerumque in prioribus episcopis cespitant.

XVIII. Joseph.

Ebroicensis ille creditur episcopus Joseph, qui defuncto Ansegiso abbatiam Fontanellensem occupavit, quam in divortio tenuit menses 7 cum diebus 12; id est a VI cal. Septem. 833, 83[illegible]
ad IV idus Martii 834: hoc enim anno XVII 83[illegible]
cal. Aprilis Fulconi locum commisere monachi, occasionem fortasse nacti ex Lotharii cui favebat Joseph fuga & Ludovici pii redintegratione calendis Martii ejusdem anni facta. Josephum autem Lothario favisse patet, ex eo quod in edicto ejusdem imperatoris Ebonem archiepiscopum Remensem restituentis inter episcopos subscriptus inveniatur Joseph anno 840; qui 84[illegible]
abbatiam quoque Fontanellensem circa id tempus recuperasse videtur: hoc enim cœnobium re- D gebat an. 842 Joseph archiepiscopus, ex chro- 842
nographo Fontanellensi apud Chesnium tom. 2 rerum Francicarum, pag. 387, ubi archiepiscopus forte dicitur, quod inter suffraganeos primum teneret locum.

XIX. Guntbertus.

Synodis Parisiensibus annorum 847 & 849 847
adfuit Guntbertus, qui corpus sancti Leufredi 849
abbatis, quod propter incursiones Normannorum humi defossum fuerat, levavit 22 Junii 851, in capsa recondidit & ad monasterium 851
S. Crucis transtulit. Adstitit anno 853 conciliis 853
Suessionensi II & Vermeriensi II, Bonogilensi vero anno 855, Tullensi I apud Saponarias anno 855.
859, Tusiacensi 860, Aquisgranensi III & 859.
Pistensi 861 & Suessionensi 862. 860.
5 Wenilo depingitur quidem in aula palatii 861.
episcopalis sub nomine Guanilonis, quo falso 862.
donatur a Scipione *du Pleix*, sed diversus non videtur a Wenilone tunc temporis archiepiscopo Rotomagensi; aut si Ebroïcis sederit, pauco admodum rexit tempore.

ANNI CHRISTI

XX. Hilduinus.

864. Perperam a Bilduino distinctus Hilduinus,
866. subscripsit conciliis Pistensi II 864, Suessio-
867. nensi III 866, Tricassino 867 & Vermeriensi
869. 869.

XXI. Sebar.

Professioni Hincmari Laudunensis episcopi Carolo regi & Hincmaro archiepiscopo Remensi
870. apud Attiniacum porrectæ an. 870, subscripsit *de Provincia Rotomagensi Sebardus Ebroicensis episcopus.* Cum Riculfo archiepiscopo visitavit
872. anno 872 corpus sancti Nicasii primi Rotomagensis episcopi, in ipso martyrii loco ad Vadum Nicasii, Gallice *Gany*. Subscripsit chartæ donationis sancto Audoëno factæ ab eodem Riculfo. Rolloni sævienti restitit: cumque è Parisiensi obsidione Rollo copiosas turmas quæ Ebroicas invaderent & episcopum sibi sisterent destinasset,
892. Sebar quasi divinitus evasit anno 892.

XXII. Cerdegarius.

Ecclesiæ Ebroicensi præfuisse Cerdegarium testatur ejus effigies in aula episcopali, sed quo anno incertum. MS. codex semiustus hujus ecclesiæ eum tunc sedisse refert, cum Normanni regionem sibi subjicerent. Adstitit concilio Trosleiano anno 909, si fides scriptori Ebroicensi.
[illegible] Sancti Leodegarii martyris Ebroicensis episcopi corpore potiri se gloriantur incolæ vici dicti *Souppes* in territorio Wastinensi, cujus reliquias ex Anglia accersivit regina quædam Blanca lepræ morbo laborans. Numquid is est Cerdegarius a Normannis forte peremtus?

XXIII. Hugo I.

Hugonem quoque in aula episcopali effigies testatur pontificatum tenuisse. Cum aliis Normanniæ episcopis baptismo Richardi I Normanniæ ducis adfuisse volunt in palatio Fiscannensi. Hugonis etiam meminit MS. semiustum, si forte distinguendus ab Hugone II.

XXIV. Guichardus.

Guichardus, al. Gunhardus, subscripsit chartæ restaurationis monasterii sancti Petri in Valle Carnotensi, a Ragenfredo episcopo factæ circa
969. annum 954. Superstes adhuc 969.

XXV. Gerardus.

Translationi reliquiarum S. Audoëni adfuit Gerardus, qui adfuit dedicationi basilicæ Fiscan-
990. nensis an. 990, & subscripsit chartæ Richardi II pro eodem monasterio an. circiter 1006.

XXVI. Gislebertus I.

Cum Roberto archiepiscopo Rotomagensi subscripsit Gislebertus chartæ prioratus de Au-
Chart. I. col. 183. titio, vulgo de Longavilla prope Vernonium
1012. an. 1012.

XXVII. Hugo II.

Pluribus chartis subscriptus reperitur Hugo,
A videlicet donationi factæ a Richardo Normannorum duce ecclesiæ collegiatæ sancti Quintini Veromanduensis anno 1015, chartæ Guillelmi Chart. II. col. 285.
Divionensis abbatis pro monasterio Fructuariensi 1015.
anno 1017, donatæ S. Michaëli abbatiæ sancti 1017.
Paterni anno 1022, diplomatibus Richardi II 1022.
ducis pro monasterio Fiscannensi anno 1023, 1023.
pro Fontanellensi 1024, pro Gemeticensi 1025, 1025.
fundationi Bernaii 1025, donationibus factis a Richardo II monachis Gemeticensibus & Fiscannensibus anno 1027, chartæ Roberti archiepiscopi Rotomagensis ecclesiam de Fonte nitido
liberam asserentis S. Petro in Valle circa 1032, 1032.
B fundationi Cerasiaci 1032, chartæ pro restau-
ratione abbatiæ Montis villaris anno 1035, do- 1035.
nationi factæ Castellionensi monasterio a Rogerio Chart. V.
de Toënio anno 1035, & chartæ Roberti filii col. 129.
Richardi archiepiscopi pro Gemeticensibus anno
1038, &c. Cum Roberto Constantiensi episcopo 1038.
adfuit concilio Rotomagensi sub Malgerio. Anniversaria ejus memoria agitur in ecclesia Ebroicensi die 20 Aprilis.

XXVIII. Willelmus I.

Gerardi Flertelli filius Willelmus subscripsit
fundationi monasterii Lirensis circa an. 1046, Chart. II.
C cujus ecclesiam dedicavit. Subscripsit chartæ re- col. 125.
staurationis monasterii Uticensis anno 1050, & 1050.
confirmatæ monachis sancti Audoëni terræ de Pyris super Andelam fluvium a Malgerio archiepiscopo. Circa id tempus medietatem terræ quam in *Bethencort* in suo dominio tenebat, monasterio
Fontanellensi donavit. Subscripsit anno 1051 1051.
fundationi sancti Leodegarii Pratellensis. In concilio Lexoviensi cum episcopis Sedunensi & Lexoviensi a summo pontifice deputatus, de-
posuit Malgerium archiepiscopum anno 1055; 1055.
eodemque anno adstitit concilio Rotomagensi habito a Maurilio; quo sedente Fiscannum a
D Johanne abbate invitatus adiisse dicitur, & in ipso Paschali sabbato presbyterorum ordinationes fecisse. Roberto Uticensi abbati benedictionis
munus largitus est pridie calendas Julii 1059. 1059.
Subscripsit fundationi S. Salvatoris anno 1060. Chart. III.
Concilio apud Cadomum adfuit anno 1061, & col. 127. 1061.
Rotomagum 1063, in quo dedicata est ecclesia 1063.
Rotomagensis. Obiit III idus Februarii 1066, 1066.
laudatus ab Orderico Vitali ob divini cultus fervorem aliasque virtutes, pagg. 478 & 493.

Nescio quis ille sit Michaël Ebroicensis episcopus, qui cum Maurilio archiepiscopo testis legitur in duabus chartis Geroldi militis pro
E sanctimonialibus sancti Amandi Rotomagensis; in una quidem dicitur Abrincensis, sed Michaël non erat Abrincensis tempore Maurilii, cui successit Johannes Abrincensis, quem excepit Michaël. In Ebroicensi autem ecclesia Willelmo immediate succedere potuit alter Michaël, cujus nullum aliud vestigium.

XXIX. Balduinus.

Defuncto Guillelmo Ebroicensi episcopo, Balduinus ducis capellanus successit, inquit Ordericus

ANNI CHRISTI

Pag. 520. Interfuit dedicationi parthenonis Cadomensis anno 1066, & ecclesiæ Gemeticensis
Chart. I. col. 61. 1 Julii 1067, teste Willelmo Gemeticensi
1069. p. 288. Subscripsit anno 1069 diplomati Willelmi I Anglorum regis pro cœnobio Deorhyrtensi in agro Gloucestrensi, cella sancti Dionysii in Francia. Monachos Fiscanni inconsulto Rotomagensi archiepiscopo ordinavit. Balduinus autem non successit Guillelmo, ut creditur, non successit 1070, non rexit septem annis contra Ordericum Vitalem, qui in hoc ut in pluribus aliis erravit. Obiisse videtur Balduinus an. 1070, & quidem x cal. Januarii, ex necrologio sancti Leufredi. Anniversarium ejus celebratur in ecclesia Gemeticensi, fundatum ab ejus archidiacono abbate Achardo. Ejus tempore Thomas canonicus Ebroicensis creatus est archiepiscopus Eboracensis in Anglia.

XXX. GISLEBERTUS II.

Osberni filius Gislebertus, qui pro sua proceritate cognominabatur *Grus*, canonicus & archidiaconus Lexoviensis, a Guillelmo Normanniæ duce ad Alexandrum II papam legatus anno 1066, cum summa pontificis benevolentia & muneribus rediit. Ex archidiacono factus Ebroi-
1071. censis episcopus, subscripsit anno 1071 literis Johannis archiepiscopi ecclesias pagi Velocassium monasterio sancti Dionysii concedentis, & donationi factæ monasterio Bernaicensi. Excepit
1072. an. 1072 Lanfrancum Cantuariensem & Thomam Eboracensem archiepisc. Roma redeuntes.
Chart. XII. col. 17. Eodem anno concilio Rotomagensi adfuit &
1074. 1074, ac subscripsit diplomati Willelmi regis
Chart. III. col. 66. pro Fontanella, chartæ fundationis & dotationis
Chart. IV. col. 68. prioratus de Plesseio Grimoldi, & erectioni S. Victoris in abbatiam. Anno 1076 ecclesia
1076. Ebroicensis a Johanne archiepiscopo dedicata
1077. est. Adstitit Gislebertus anno 1077 dedicationi ecclesiæ S. Stephani Cadomensis, & subscripsit chartis donationum tunc temporis huic cœnobio factarum, tam a rege quam a baronibus & nobilibus. Lexovium eodem missus anno, Hugonis episcopi defuncti corpus in choro sanctimonialium beatæ Mariæ honorifice sepelivit. Adfuit adhuc dedicationi Beccensis ecclesiæ, a Lantfranco x calend. Novembris peractæ. Herluini
1078. abbatis Beccensis funus curavit an. 1078. Inse-
1079. quenti Johannis archiepiscopi paralysi detenti vice missam celebravit in ecclesia sancti Audoëni festo ejus die. Anselmum abbatem Beccensem benedixit VIII cal. Martias. Guillelmo archiepiscopo unctionis munus impendit, a quo habitæ
1080. apud Juliobonam synodo an. 1080 adstitit, sicut
1082. & conventui apud Oxellum 1082, quo anno Gerardum Sagiensem episcopum consecravit.
Ch. V. col. 72. Ch. VI. col. 74. Ch. VII. col. 76. Subscripsit chartis Guillelmi Anglorum regis pro S. Stephano Cadomensi & pro parthenone sanctissimæ Trinitatis Cadomensis annis 1082
1083. & 1083. Corpus Richerii de Aquila in ecclesia
1085. sancti Sulpitii tumulavit an. 1085, & Gisleberti
1086. fratris Richerii anno 1091. Interfuit an. 1087 apud Cadomum exequiis Guillelmi Angliæ con-

A quæstoris, quem publica coram episcopis oratione laudavit. Memoratur in chartis Fiscanni annis 1085 & 1088. Anselmus factus Cantuariensis archiepiscopus anno 1093, scripsit ad Gislebertum epistolam, in qua vocat eum patrem suum reverendum, se vero fidelem ejus servum & filium. Concilio Claromontano adfuit Gislebertus anno 1095, deinde provinciali apud Rotomagum, in quo palam cum archidiacono Claromontani decreta publicavit mense Febr. 1096. Eodem subscripsit donatæ monachis S. Luciani Bellovacensis ecclesiæ sancti Martini de Alciaco. Jerosolymitanum iter cum Roberto duce aggres-
B sus, Odonem Bajocensem episcopum Panormi sepelivit mense Februario 1098. Inde reversus, in dedicatione Uticensis basilicæ idibus Novemb. 1099 consecravit altare ad Austrum in honorem omnium apostolorum, & die sequenti aram matutinalis missæ in honorem omnium sanctorum, & XVII cal. Novemb. altare ad meridiem in honorem omnium confessorum sanctificavit, completoque missæ sacrificio in capitulum venit, ac sanctis exhortationibus, piisque precibus & benedictionibus monachos in Dei cultu corroboravit. Gisleberto & Guillelmo metropolitano scripsit Ivo Carnotensis episcopus epistolam 153,
C ut ejecto Rannulfo Dunelmensi episcopo sufficerent Guillelmum de Paceio, qui ex archidiacono Ebroicensi electus fuerat Lexoviensis episcopus. Compositionis inter abbates Fiscanni & sancti Taurini initæ anno 1106 testis fuit Gislebertus, qui postquam 42 annis episcopatum viriliter tenuisset, resque ecclesiæ multis modis auxisset, solertiaque sua emendavisset, *anno ab incarnatione Domini 1112*, inquit Ordericus pag. 840, *Gislebertus senex Ebroicensis episcopus, postquam in episcopatu XXXIV annis vixit, in senectute bona IV calend. Septembris obiit, & in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est: quam*
D *ipse perfecit, dedicari fecit, possessionibus & ornamentis ditavit, clerum ampliavit & ecclesiastico cultui nocte dieque mancipavit.* Memoratur VII calend. Septemb. in necrologio sancti Ebrulfi.

XXXI. AUDINUS.

Audinus, qui Audoënus, Aldoëus, Oynus, atque etiam passim legitur Odo, Bajocis oriundus, germanus Turstini Eboracensis archiepiscopi, Henrici I Anglorum regis capellanus, sequenti anno 1113 successit, inquit Ordericus loco citato, *qui traditione literarum imbutus, sibi commissis gregibus viam Dei regulariter monstravit.*
E Huic designato præsuli scripsit his verbis epistolam 223 Ivo Carnotensis episcopus: *In Domino gavisi sumus, quia vos utile vas in domo Dei futurum esse credimus; simul expetentes ut familiarem inter nos dilectionem confirmemus, & vicina ab invicem solatia atque præsidia pro eventuum & actionum ecclesiasticarum necessitate exspectemus. Initia vestri episcopatus visitare decrevimus, ut a modo fraterna dilectione pro invicem sentiamus, onera nostra invicem portemus, quatinus secundum canonicam institutionem oppressorem ecclesiasticorum pauperum gladio*

gladio spiritus unanimiter persequamur. Epistola 242 ad eumdem Ivo adstruit invalidum esse conjugium inter liberum & ancillam, & vice versa, ubi servilis conditio ignota erat, quam
1118. quæstionem attigerat epist. 221. Anno 1118 *Amalricus de Monteforti Simonis & Agnetis filius, ex sorore nepos Guillelmi comitis, Ebroicensem comitatum expetiit, quem prorsus ei rex Henricus consilio Audini ejusdem urbis episcopi denegavit. Ille igitur totis nisibus insurrexit . . . . . . Eodem anno Guillelmus Punctellus in Octobri arcem ei Ebroicensem tradidit, & tota civitas prædonibus patuit. Episcopium quoque totum deprædatum est, & Audinus præsul cum clericis & clientibus suis fugere*
46. *compulsus est . . . . . Indictione* XI *nonis Oct. concilium Rotomagi congregatum est . . . . . . Audinus vero præsul Ebroicensis, per legatum suum mandavit quod pro tutela patriæ (occupatus) contra publicos hostes non interfuerit . . . . Eadem die turris Amalrico Ebroicensi tradita est . . . . . invasores arcis episcopium & urbem invaserunt, & omnem episcopi supellectilem cum libris & ornamentis diripuerunt, sibique bellica vi circumjacentem pro-*
847. *vinciam subegerunt. Audinus autem episcopus ne occideretur cum domesticis aufugit, & per unum annum hac & illac pervagatus exulavit, barbam vero suam non rasit, habituque suo luctum ecclesiasticæ desolationis monstravit. Tribulatio ejusmodi Ebroas afflixit, & fugatis inde clericis, per unum annum ibidem di-*
1119. *vinum officium cessavit. Anno 1119 Henricus rex*
852. *pagum Ebroicensem adiit, & Ebroas cum valida manu impugnare cœpit. Sed oppidanis qui intrinsecus erant cum civibus viriliter repugnantibus, introire nequivit. Erant cum illo Ricardus filius ejus & Stephanus comes nepos ejus, Rodulfus* de Guader *& maxima vis Normannorum. Quibus ante regem convocatis in unum, rex dixit ad Audinum episcopum: videsne, domine præsul, quod repellimur ab hostibus, nec eos nisi per ignem subjugare poterimus! Verum si ignis immittitur, ecclesiæ comburentur & insontibus ingens damnum inferetur. Nunc ergo, pastor ecclesiæ, diligenter considera, & quod utilius prospexeris provide nobis insinua. Si victoria nobis per incendium divinitus conceditur, opitulante Deo ecclesiæ detrimenta restaurabuntur: quia de thesauris nostris commodos sumtus gratanter largiemur, unde domus Dei, ut reor, in melius reædificabuntur. Hæsitat in tanto discrimine præsul anxius, ignorat quid jubeat divinæ dispositioni competentius, nescit quid debeat magis velle vel eligere salubrius. Tandem prudentum consultu præcepit ignem immitti & civitatem concremari, ut ab anathematizatis proditoribus liberaretur & legitimis habitatoribus restitueretur. Radulfus igitur* de Guader *a parte Aquilonali primus ignem injecit, & effrænis flamma per urbem statim volavit, & omnia (tempus enim Autumni siccum erat) corripuit. Tunc combusta est basilica S. Salvatoris, quam sanctimoniales incolebant, & celebris aula gloriosæ virginis & matris Mariæ, cui præsul & clerus serviebant, ubi pontificalem curiam parochiani frequentabant. Rex & cuncti optimates sui episcopo pro ecclesiarum combustione vadimonium suppliciter dederunt, & uberes impensas de*

A *opibus suis ad restaurationem earum palam spoponderunt.* Et certe ecclesia cathedralis tanta arte fuit reædificata, ut, teste Guillelmo Gemeticensi pag. 309, omnes fere ecclesias Neustriæ sua pulchritudine superaret. In concilio Remensi anni 1119, inquit Ordericus pag. 859, *barbatus Audinus Ebroicensis episcopus clamorem de Amalrico fecit, a quo & se turpiter expulsum & episcopium abominabiliter incensum denuntiavit. Protinus e contra capellanus Amalrici palam respondendo audacter occurrit, & mendacem episcopum liquido coram omni cœtu vocitavit. Non Amalricus, inquit, sed nequitia tua te merito expulit & episcopium combussit.* B *Ipse profecto, quem rex (Henricus I) per fraudulentam malignitatem tuam exheredavit, ut strenuissimus miles, armis pollens & amicis, debitum honorem recuperavit. Rex siquidem cum pluribus catervis suorum urbem obsedit, imperioque tuo ignem injecit, & basilicas omnes cum ædibus concremavit. Tali tantoque damno peracto recessit, nec adhuc arcem seu civitatem obtinuit. Videat & judicet hæc sancta synodus quis magis pro combustis ecclesiis condemnandus est, Audinus, an Amalricus.* Anno eodem Audinus præsens fuit fundationi abbatiæ beatæ Mariæ Augiensis. Anno 1125 sub Odonis nomine subscripsit fundationi Readingensis in C agro Berocensi in Anglia monasterii, eodemque anno chartæ Stephani comitis Boloniæ & Moretonii pro ecclesia Furnesiensi, ubi legitur Audinus. Subscripsit 1126 chartæ Henrici regis pro Exaquio. Memoratur eodem in bulla Honorii II Anglorum regem forte absolventis, qui post combustam majorem ecclesiam pro redimendo sacrilegio ecclesiæ Ebroicensis possessiones auxit, concessis ecclesiis & decimis de Vernolio & de Nonnancuria, una cum juribus nundinarum Ebroicensium. Pace tandem reddita Ebroicas reversus Audinus, consecravit ecclesiam sancti Salvatoris jam ab incendio restauratam. Concilio D Rotomagensi adfuit anno 1128; dedicationi ecclesiæ Cantuariensis adstitit mense Maio 1131; ecclesiam B. Mariæ de Casa-Dei parthenonis Fontebraldensis cum Turstino archiepisc. Eboracensi dedicavit anno 1132. Testis legitur in chartis Henrici I annis 1130 & 1134. Insequenti regi eidem morienti apud castrum Leonis adfuit cum Hugone archiepiscopo, quicum proceres omnes obsecravit ut domini sui corpus ad mare deducerent. Dedicavit anno 1135 ecclesiam de Deserto in silva Britolii. Electioni Theobaldi quinti abbatis Beccensis ut assensum præberet Hugo Rotomagensis archiepiscopus, ob- E tinuit Audinus anno 1137. *Anno 1139*, inquit Ordericus lib. XIII, pag. 919, *Audinus Ebroicensis episcopus Paschali septimana in Angliam profectus est, ibique* VI *nonas Julii Melitonæ in canonicali cœnobio defunctus & sepultus est. Hic in Bajocensi pago ortus, studia literarum inquisivit, peritiaque liberalium artium imbutus, inter doctissimos coaluit, & regi Henrico familiaris effectus, inter præcipuos scribas complacuit. Denique de capella regis provectus,* XXIV *annis Ebroicensem diœcesim tenuit, clerum, subjectamque plebem ad servandam*

ANNI CHRISTI
Ch. XVII. col. 11.
1125.
1126.
1128.
1131.
1132.
1134.
Charta V. col. 133.
1135.
1137.
1139.

ANNI CHRISTI

Dei legem erudivit, ecclesiasque cultum solerter exercuit, & basilicam B. Dei genitricis Mariæ, quæ tempore illo combusta fuerat, a fundamentis reparavit.

DE WARVIC.

XXXII. Rotrodus.

Henrico *de Beaumont* comite *de Warvic*, & Margarita filia Goifredi de Mauritania parentibus natus Rotrodus qui & Rotrocus, prima religionis & doctrinæ rudimenta didicit in monasterio Caritatis super Ligerim; tum Gilbertum Porretanum magistrum audiit, qui in concilio Remensi anno 1148 erroris accusatus, doctrinæ suæ testes produxit Rotrodum episcopum Ebroicensem & Ivonem quondam Carnotensem. Ipse vero ex archidiacono Rotomagensi, Audino successit Ebroicensis episcopus, & ab Hugone archiepiscopo Rotomagensi consecratus est, vir religiosus, bonis ornatus moribus & dilectus ab omnibus, ut loquitur ad annum 1139 Robertus de Monte. Dedicavit anno eodem ecclesiam Grestani Rotrodus, qui Johannem Lexoviensem episcopum sepelivit in ecclesia beati Petri anno
1141. 1141. Memoratur an. 1142 in chartis Fon-
1142. tanellensium, & Beccensium 1143, quibus donationes a decessoribus factas confirmavit. Anno
1143. 1143 Simon de Monteforti comes Ebroicensis duas in ecclesia Ebroicensi fundavit præbendas.
1144. Adstitit Rotrodus an. 1144 dedicationi ecclesiæ sancti Dionysii in Francia, & consecravit altare sancti Hilari. Circa id tempus memoratur in charta donatæ Beccensibus monachis cellæ sancti Imerii, & dedicavit ecclesiam beatæ Mariæ de Noa. Unus fuit ex arbitris dissidii inter monachos Cadomenses & canonicos Bajocenses anno
1147. 1147, sicut inter eosdem Cadomenses & Fontanellenses. Eodem anno Arnulfi Lexoviensis episcopi iter Jerosolymitanum aggredientis vicarius delegatus, diœcesis illius diu curam egit. Conventui Luteciæ indicto ab Eugenio III ad-
1148. fuit anno 1148 cum Sugerio abbate S. Dionysii & episcopis, coram quibus discutiendæ erant propositiones Gilberti Porretani magistri sui, qui doctrinæ suæ testem illum allegaverat. Letardi
1149. abbatis Beccensis exsequias celebravit an. 1149; donationes factas ecclesiæ *de Walmont* confirmavit
1150. anno 1150; ecclesiam Montisburgi consecravit
1152. anno 1152. Eodem Romam profectus una cum Abrincensi episcopo, a prædonibus captus est, nec nisi precibus B. Guillelmi prioris S. Barbaræ in Algia ereptus, quicum Romæ adfuit festo S. Barbaræ. Ibi forte papæ ad exemplum donationes factas monialibus sancti Salvatoris confirmavit anno eodem; obtinuit quoque ab Eugenio III IV idus Decembris ut adjudicatam ab H. Rotomagensi archiepiscopo Letardo abbati Beccensi ecclesiam S. Trinitatis de Bellomonte confirmaret, sicut prius ab Innocentio II obti-
1153. nuerat VI calend. Martii. Subscripsit anno 1153 factæ Pratellis donationi a Gualeranno comite de Mellento, residens in curia ipsius apud Brio-
Ch. XXII. col. 25. nium. Eodem anno donatæ Fontanellensi monasterio ecclesiæ sancti Sidonii subscripsit. Testis
1154. anno 1154 in diplomate Mathildis imperatricis

A confirmantis abbatiam Silleii, & in charta Henrici II regis Angliæ pro Lucerna. Angliæ & Ch
Franciæ regum nuncius summum pontificem col
adiit anno 1155 cum Roberto abbate S. Albani 1
& episcopis Lexoviensi & Cenomannensi. Roma rediens Pascha apud Vizeliacum celebravit anno
1156, minoresque ordines in oratorio beatæ 1
Mariæ contulit. Subscripsit anno eodem chartæ Margaritæ comitissæ Warwici pro militibus templi Salomonis in Anglia. Cum aliis episcopis
elevavit corpus sancti Firmati anno 1157, quo 11
adfuit Henrico II Angliæ regi fundationem sancti Nicolai de Blancalanda confirmanti, &
B Mathildi imperatrici Henrici matri Valassiam condenti. Anno eodem dedit chartam coram Roberto episcopo Carnotensi, & Willelmo decano Ebroicensi, & Roberto de Novoburgo nepote Rotrodi canonico Ebroicensi de præpositura Normanniæ, de ecclesia de Isleis & decimis a Simone de Aneto domino Isleiarum & Willelmo Gulferio datis ecclesiæ beatæ Mariæ & sancti Petri Carnotensis. Subscripsit adhuc an. 1157 chartæ Silvestri abbatis sancti Augustini Cantuariensis archiepiscopi jurisdictionem agnoscentis. Memo-
ratur an. 1159 in chartis Becci. Circa id tempus 11
unus fuit e legatis regis Angliæ in negotio pacis
C tractandæ, ut liquet ex duabus epistolis Hugonis episcopi Suessionensis ad Ludovicum regem apud Quercetanum t. IV, p. 633 & 635. Subscripsit
an. 1160 confirmationi abbatiæ de Noa. Circa 116
id tempus thesaurarium in ecclesia cathedrali
instituit. Subscripsit an. 1161 diplomati Henrici 116
regis pro S. Stephano Cadomensi; subscripsit & aliis ejusdem principis diplomatibus pro monasterio Tironensi, pro S. Ebrulfo, pro Mortuo mari. Consecravit anno 1161 ecclesiam Becci in vigilia Assumtionis B. Mariæ. Memoratur
anno 1162 in chartis Saviniaci. Interfuit anno 116
eodem V nonas Martii apud Fiscannum transla-
D tioni reliquiarum & corporum ducum factæ ab Henrico cardinali in Gallia legato, & subscripsit diplomati Henrici regis pro eodem mo-
nasterio. Adstitit anno 1163 concilio Turonensi 116
& translationi sancti Eduardi regis Angliæ apud Westmonasterium; eodemque anno, inquit Robertus de Monte, Rotrocus & Rainaldus de sancto Valerio fecerunt in Normannia recognoscere jussu regis per episcopatus regales reditus & consuetudines ad regem & barones pertinentes. De-
functo anno 1164 Hugone, ad ecclesiam Ro- 1164
tomagensem traducitur Rotrodus anno 1165, 1165
inquiunt Robertus de Monte & Albericus. De-
E cimas sancti Albini de Rothoriis ab Audino decessore monachis sancti Leufredi donatas confirmaverat episcopus Ebroicensis: factus autem archiepiscopus, totum & integrum jus in illa ecclesia assensu capituli Ebroicensis sede vacante eis restituit idibus Januarii 1179. Judex quoque electus a partibus in controversia de jurisdictione & exemtione inter Egidium episcopum & capitulum, sententiam tulit archiepisc. Rotrodus.

5 Unus & alter post Rotrodum inseruntur a scriptore Ebroicensi episcopi, omissi in catalogo

tempore Egidii sequentis concinnato, e quibus
Richardus, inquit, subscripsit diplomati Henrici II regis Anglorum pro sancto Johanne de
Falesia anno 1162. At 1.° Rotrodus ad metropolim translatus anno 1165, adhuc sedebat
Ebroicis an. 1162; 2.° episcoporum quibuscum subscripsit nomina ignorantur. Arnulfus enim,
non Litassus, Lexoviensem, Frogerius, non Girardus, Sagiensem ecclesias tunc gubernabant. Alter
Walterius una nititur charta Henrici II Anglorum regis chronicis notis destituta, data in favorem
leprosorum in Monte Rotomagensi, quam scriptor urbis Rotomagensis ad annum 1175,
editor vero conciliorum Normanniæ ad annum 1166 referunt. Sed ubinam charta illa est? cur
diverse notatur ab historicis? cur omissus Walterius tunc temporis in catalogis? Nec dicas
verisimile non esse hanc sedem per annos quinque vacasse: nam S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus,
scribens ad Alexandrum III, conqueritur de longa episcopalium ecclesiarum vacatione
sub Henrico II rege, qui novo regaliorum jure fructus ecclesiarum vacantium percipiebat. Præterea
in charta S. Petri Carnotensis an. 1227 mense Decembri tempore R. episcopi leguntur
Rotrodus episcopus Ebroicensis, & post illum Eg. item episcopus Ebroicensis.

XXXIII. Egidius I.

Ex illustri comitum Perticensium familia oriundus Egidius, seu Gilo, Rotrodi decessoris
agnatus, archidiaconus Rotomagensis, duas ab Arnulfo Lexoviensi accepit epistolas, quibus
Arnulfus dicat ei collectionem epistolarum & sermonem habitum in concilio Turonensi anno
1170. 1163. Facto quoque Ebroicensi anno 1170,
congratulatus est ei idem præsul epistola, ex qua discimus Egidium ut in Normannia enutritum,
educatum & honoribus ampliatum, ita summa cum Arnulfo necessitate fuisse conjunctum.
Eximia quoque apud Henricum Angliæ regem valuit gratia, a quo una cum Rotrodo archiepiscopo
Rotomagensi, & Rogero Wigornensi
1171. episcopo, Romam missus est anno 1171 ad
summum pontificem, ut duos cardinales impetrarent ad cognoscendam causam quæ vertebatur
inter regem & ecclesiam Cantuariensem, & de morte Cantuariensis martyris, &c. Dedit anno
eodem monasterio S. Barbaræ ecclesiam sancti
1172. Martini de Osmundi villa. Insequenti cum iisdem episcopis qui supra in Angliam transfretavit
ad coronandum Henricum filium Henrici regis Angliæ, & Margaretam filiam Ludovici
Franciæ regis, quos coronaverunt episcopi Wintoniæ in ecclesia S. Suithuni VI cal. Sept. die
Dominica, statimque in Normanniam remeavit Egidius, ubi circa id tempus abbatem & monachos
Lirenses absolvit super quæstione quæ inter eos & abbatem Becci vertebatur de ecclesia
de Bruherland. Sacrum chrisma in ecclesia Ro-
1173. tomagensi consecrabat an. 1173 fer. V majoris
hebdomadæ, cum ignis in urbe exortus tredecim parochias cum ecclesiis consumsit. Conciliavit

A anno eodem aut superiori, Rogerium S. Salvatoris & Henricum Pratellensem abbates. Johannam
filiam regis Anglorum Panormum in Sicilia
deduxit anno 1176, Guillelmi regis futuram 1176.
uxorem, cujus in capella regia desponsationi & coronationi adstitit Dominica ante ingressum
septuagesimæ an. 1177. Inde reversus, præsens 1177.
fuit initæ concordiæ inter reges Franciæ & Angliæ mense Septembri anni ejusdem. Cum
aliis episcopis dedicavit ecclesiam Becci in media
quadragesima an. 1178. In præsentia Petri car- 1178.
dinalis sedis apostolicæ legati & ejus auctoritate adjudicaverat Egidius Stephano abbati S. Petri
B Carnotensis præsentationem clerici in ecclesia *de Chamzi* in perpetuam eleemosynam, teste
Guidone decano Ebroicensi; ad ejusdem abbatis præsentationem admisit Rotrodum archidiaconum
ecclesiæ suæ ad vicariam ejusdem ecclesiæ *de Chamzi* salvis debitis sibi reditibus, sicut
tempore Mascelini quondam presbyteri tenebant monachi S. Petri, & sicut in charta R. Rotomagensis
archiepiscopi quondam Ebroicensis episcopi continebatur, præsente Richardo decano
an. 1178. Solus e provincia Rotomagensi con-
venit ad concilium Lateranense an. 1179. Re- 1179.
versus, canonicos & parochos qui simul anni-
C versaria in ecclesia cathedrali celebrabant separavit, iisque distributiones manuales assignavit, & abstulit
portionem panis quæ in duabus synodis parochis distribuebatur. Confirmavit fundatam
a Rogerio *de Thevray* præbendam in ecclesia cathedrali; privilegia ab Audoëno Liræ concessa
confirmavit. Querelam habuit cum capitulo super jurisdictione & exemtione, quam sedavit arbiter
electus Rotrodus Rotomagensis archiepiscopus. Subscripsit diplomatibus Henrici II Angliæ regis
pro monasteriis Gemeticensi & beatæ Mariæ de Voto. Denique in dedicatione ecclesiæ sancti
Lamberti in eremo dedit ei tres acras terræ &
D pratum juxta eam an. 1179, necnon 60 solidos a G. de Tilleriis annuatim persolvendos, quibus
sese obstrinxerat ob incendium villæ de Condato. Hoc autem anno catharro impediente in
fata concessit Egidius VI vel V idus Septembris, ex necrologio abbatiæ sancti Leufredi; & certe
sedes vacabat idibus Januarii anni 1179, id est
1180, ex chartis ejusdem monasterii. Egidio 1180.
aliquot ad Alexandrum papam tribuuntur epistolæ, de quarum sinceritate dubitandi est locus.

XXXIV. Johannes I.

Lucæ filius Johannes nobilis, ex clerico regis
E Angliæ ab eodem pontificatum Ebroicensem
adeptus est anno 1181, uti habet Rogerus *de* 1181.
Hoveden. Eodem anno pontificatus I convenit cum Waltero abbate sanctæ Crucis. Insequenti
a Lucio III delegatus cum duobus aliis terminat controversiam inter abbatem sancti Audoëni &
Fulbertum subdiaconum VI calend. Julii 1182, 1182.
Henrico in Anglia regnante, Normanniæ & Aquitaniæ ducatus & consulatum Andegaviæ
possidente. Mirum igitur quod in instrumento dato die festo sancti Bartholomæi hujus anni

ANNI CHRISTI pro mittendo priore in monasterium S. Pancratii A
de Lewes, in bibliotheca Cluniacensi pag. 1446,
1183. electus adhuc dicatur Johannes, qui an. 1183
cum episcopis Cantuariensi, Bajocensi, &c. Cadomum convenit in monasterio sancti Stephani, quibuscum publico feriit anathemate eos omnes qui pacem & concordiam inter regem Angliæ ejusque filios faciendam impedirent. Conciliavit anno eodem monachos S. Crucis cum canonicis de Salicosa, biennioque post Robertum comitem Drocensem cum monachis Columbensibus &
1185. canonicis Magdunensibus. Memoratur an. 1185
1186. in chartis Majoris monasterii, & 1186 in Ge-
Ch. xix. col. 84. meticensibus. Circa id tempus subscripsit diplo- B mati Henrici II Anglorum regis pro Longis.
1188. Subscripsit anno 1188 donationi de Wallone factæ monasterio S. Crucis. Consilio Henrici II apud Cenomannum adfuit anno eodem, in quo statutum est de subsidio pro expeditione terræ sanctæ. Una cum Waltero Rotomagensi archiepisc. & Willelmo marescallo ad regem Franciæ delegatus est ab eodem Angliæ rege, ut ei damnorum fieret restitutio. Ejusdem regis diplomatibus pro ecclesia beatæ Mariæ de Longis & pro Exaquio subscripsit. Defuncto Henrico II
1189. anno 1189, Johannes cum Walterio Rotomagensi & Henrico Bajocensi in Angliam profe- C ctus est mense Julio, ubi coronationi Richardi I adfuisse creditur; & certe ibidem paulo post adstitit consilio regis habito in abbatia de *Pipervel.* Subscripsit ejusdem diplomati pro cœnobio Framptonensi in agro Dorsetensi dato 20 Mart. regni 1, sicut & diplomatibus pro S. Ebrulfo & pro Valassia. Bona Liræ confirmavit anno
1190. 1190, & donationes factas monasterio sanctæ Crucis; eodem antequam Jerosolymam proficisceretur Ricardus I dedit ei castrum & terram de Condato cum mercato & feria. Ipse vero L. canonicum Ebroicensem futurum postea episcopum procuratorem episcopalium proventuum D reliquit, qui eos per plures annos percepit. Profectus itaque cum ceteris anno 1190 Johannes, Pisis infirmabatur, cum rex Angliæ 19 Augusti huc accessit. Statim vero ac convaluit, Richardum regem apud Messanam assecutus est, cujus pacis tenorem & formam cum Tancredo Siciliæ rege initæ juravit mense Octobri. Paulo post sententiam Joachim abbatis de Curacio de adventu antichristi coram rege cum aliis episcopis multis argumentis confutare conatus est. Beringeram filiam regis Navarræ Angliæ regi desponsatam
1191. die Dominica IV idus Maii 1191 coronavit & consecravit reginam Angliæ in Insula *de Cypre* E apud *Limesum*, administrantibus illi in officio illo archiepiscopis de Apamia, & de Auxia & episcopo de Baionia. Cum aliis episcopis dedicavit 16 Julii anni ejusdem ecclesias civitatis *Accon* quas pagani polluerant, & ædificaverunt altaria, in quibus missas celebrarunt. Mense Septembri Joppen Syriæ urbem pervenit Richardus Angliæ rex, quem comitatus Johannes, ibidem obiit, ut legitur in vetustissimo martyrologio, ubi multa ecclesiæ & capitulo bona contulisse dicitur. Memoratur 1 Junii in necrologio sancti Mellonis Pontisarensis, quæ si obitus ejus dies est, defunctus est 1 Junii 1192. A CII.

XXXV. Guarinus. I CII.

In pago Ebroicensi nobilibus ortus parentibus Guarinus, patrem habuit Adamum, germanum vero Guillelmum, qui fundavit præbendam de Bernienvilla & Pithienvilla pro animabus sua & fratris sui Ebroicensis episcopi anno 1194. Richardo rege in Alemannia captivo electus Guarinus eo profectus est quo tempore Ebroicensis communia facta est. Richardus autem detentus fuit in Alemannia a die 22 Decemb. 1192 ad 4 Februarii 1194, quo anno rex Franciæ venit 119
ad civitatem Ebroicarum, & eam penitus subvertit, & ecclesias destruxit, non parcens ætati vel sexui, & reliquias sanctorum inde adsportavit. Diplomati Richardi regis Angliæ pro sancto Char. col. 1.
Taurino Guarinus subscripsit 15 Januarii 1195. 119
Adstitit eidem 300 modios vini ecclesiæ Rotomagensi donanti. Circa id tempus destructo sancti Ch.
Salvatoris parthenoni dedit terram de feodo suo col. 14
ad construendam novam abbatiam. Subscripsit chartæ regis Angliæ pro excambio Andeliaci Ch. 2 col. 18
1 Octobris 1196. Anno 1197 ob contemtum 119
interdictum, cui Galterus totam provinciam 119
Rotomagensem subjecerat, Guarinus & Lexoviensis episcopus judicio sedis apostolicæ ad pedes archiepiscopi provoluti mitram & pedum pontificium deponere in ecclesia metropolitana coacti sunt, ubi veniam & absolutionem cum petiissent, recesserunt. In Alemanniam anno 1198 a Ri- 1198
chardo rege missus est, ut comitiis creandi imperatoris, defuncto Henrico, ejus nomine præsens adesset. Occurrit anno eodem in chartis Becci. Conchensis monasterii possessiones confirmavit an. 1199. Adjudicavit eodem Lirensibus mona- 1199
chis patronatum ecclesiæ de Cornulio, de quo lis erat inter eos & Gilbertum de Mineriis. Iisdem ad reparandum monasterium hostili incursu afflictum, concessit duas partes decimarum ecclesiæ de Bosco Renoldi. Graves habuit querelas cum Simone abbate de Conchis, quem jussu summi pontificis de monasterio expulit anno eodem. Guarino sedente, Robertus comes Leicestriæ in Anglia & Bretolii in Normannia, tres modios vini ac unum sextarium frumenti ecclesiæ Ebroicensi quotannis assignavit in præpositura de Passeio ad vinum & panem pro celebrandis missis.
An. 1200 rex Angliæ Johannes cum Philippo 1200.
Franciæ rege fœdus pacis iniit, eique & heredibus donavit civitatem Ebroicarum & Ebro- Ch. xi col. 14.
cinium cum omnibus feudis & dominiis. Insequenti defunctus est Guarinus anno 1201, ex 1201.
chronico Uticensi, & sepultus est in choro ecclesiæ monasterii de Noa prope sanctuarium, & in concavo parietis, ubi ejus effigies lapidea olim conspiciebatur, circum fornicem hi versus leguntur:

Ecce sub hoc tumulo præsul Guarinus humatur.
Dux pius in populo, vermibus esca datur.

Anniversaria ejus memoria recolitur in ecclesia A
Ebroicensi 14 Augusti & 7 Decembris, & in
Conchensi XVIII calendas Septembris.

Nescio cur annis 1195, 1197 & 1198
Guarinus dicatur electus.

XXXVI. Robertus I.

Guarino successit Robertus de Roya, sic dictus
a parochia cognomine in pago Rotomagensi &
decanatu Pontis Aldemari: & certe in charta se-
quentis memorantur Guarinus & Robertus Lucæ
03. decessores. Obiit 1203, ex chronico Uticensi,
quo anno, scilicet 6 pontificatus Innocentii III,
quam canonici Ebroicenses gravem de episcopo B
querelam in duodecim articulos distinctam ad
summum pontificem detulerant, hanc abbas de
Persenia cum duobus aliis delegatus contra epi-
scopum dicens juridice sopivit.

XXXVII. Lucas.

Johannis* superioris agnatus Lucas, ejusdem
dum in Syria moraretur vicarius generalis &
procurator fuit. Ex canonico archidiaconus, ex
archidiacono decanus, ex decano episcopus Ro-
bertum excepit an. 1203, ex chronico Uticensi,
& confirmatur die 16 Feb. ab apostolica sede.
Reperitur in chartis sancti Taurini ab an. 1203. C
Gaufrido abbati sancti Audoëni partem decimæ
parochiæ *de Dalboe* in usus infirmorum illius
204. monasterii indulsit 1204, quo anno Rogerius
de Mellento Philippo regi cessit vicecomitatum
205. Ebroicensem. Confirmavit anno 1205 fratribus
Vallis Richerii terras & census apud Haiam
Calevillam. Cum Guillelmo Abrincensi & Jor-
dano Lexoviensi benedixit anno eodem eccle-
siam sancti Antonii de Gallione. Circa id tempus
subscripsit literis Walteri Rotomagensis archie-
piscopi decimam de Deppa & de Botellis do-
nantis capitulo Rotomagensi. Confirmavit anno
1206. 1206 electum abbatem sancti Taurini. Unus D
est ex episcopis Lucas, qui subacta Normannia
scripserunt ad Philippum Augustum de finiendis
controversiis pro jure patronatus. Præbendam
& canonicatum *de Marbœuf* Beccensibus abba-
1207. tibus concessit anno 1207, quibus ut primi
canonici ab omni onere & residentia liberi po-
tiuntur, quo major precum & bonorum spiri-
tualium capitulum inter & monachos Beccenses
foret communio. Monasterio Albæ curiæ con-
firmavit anno eodem decimam de Bretignollis
& de Garenceria omniaque alia bona. Multa
1209. quoque Liræ largitus legitur an. 1209 ad restau-
randum monasterium. Ecclesiam B. Mariæ de E
Strata confirmavit anno eodem. Cum decano
Ebroicensi & aliis confirmavit compositionem
factam inter archidiaconum ex una parte, &
conventum S. Vincentii de Nemore ex altera
anno eodem. Circa id temporis reliquiæ sancti
Taurini quæ defossæ in terra fuerant corio cor-
vino inclusæ tempore infestationis Normanno-
rum, inventæ sunt & in pretiosa capsa inclusæ.
1210. Ibriacensium bona confirmavit Lucas an. 1209
1211. & 1210. Judex electus anno 1211 in causa
quæ vertebatur inter archiepiscopum Rotoma- ANNI CHRISTI
gensem & capitulum ejus ratione decimarum
de Deppa, quas capitulo donaverat Galterus
decessor, propter quam canonici a divinis cessa-
verant, statuit ut canonici archiepiscopo suo sa-
tisfacerent ac veniam peterent. Approbavit anno
eodem constructam in urbe Conchensi novam
ecclesiam. Reperitur an. 1212 in chartis Geme- 1212.
ticensibus, & in Lirensibus annis 1209, 1214 1214.
& 1215. Romæ erat anno 1214, quo anno
die Martis post festum sancti Andreæ subscripsit
chartæ Roberti archiepiscopi. Monachis sancti
Taurini dedit anno 1215 mense Sept. aliquid 1215.
in prioratu de Sitteio. Ordinatum est an. eodem
in festo Omnium Sanctorum, & a summo pon-
tifice confirmatum, decanum absente episcopo
in festis solennibus & annuis eodem modo,
iisdemque honoribus & cæremoniis, ac eodem
ministrorum seu adstantium numero, demto
socio, ad altare ministraturum. Canonicos sancti
Antonii de Gallione & rectores sancti Antonii
ejusdem loci de pertinentiis & juribus S. Antonii
disceptantes conciliavit 14 Decembris 1215.
Ratas habuit Lucas donationes factas monasterio
Conchensi an. 1216. Canonicis Vernonensibus a 1216.
Willelmo principe Vernonensi fundatis an. 1160,
jurisdictionem temporalem in clericos urbis im-
pertitus est an. 1217. Testis fuit III idus Aprilis 1217.
1218 compositionis inter Johannem abbatem 1218.
sancti Taurini & Thomam de Loiis pro patro-
natu ecclesiæ ejusdem loci. Monachis S. Taurini
decimas apud Longam villam in parochia sancti
Marcelli a Guillelmo *Havart* milite donatas con-
firmavit mense Junio 1219. Præterea Lucas 1219.
parochiam de Locoveris in duas divisit, priora-
tum sancti Johannis *de Lasqui* in Hibernia mo-
nachis S. Taurini confirmavit. Leprosis villæ de
Nonnancuria cœmeterium pro ipsis ipsorumque
domesticis concessit. Subscripsit chartæ confir-
mationis monasterii de Brolio: ecclesias de sancta
Columba & de Gauvilla, de quibus inter capi-
tulum Ebroicense & locorum dominos inerat
controversia, judex electus a partibus capitulo
adjudicavit. Decretalem epistolam, quæ refertur
in capit. *exhibita* extra de homicidiis, Hono-
rius III direxit ad Lucam, qui ex necrologio
Uticensi obiit anno 1219 30 Januarii, id est
1220. Memoratur in necrologiis Ebroicensi
31 Januarii, 7 Julii & 26 Septembris, sancti
Taurini 26 Februarii, sancti Leufredi III calend.
Februarii, & Bellæ stellæ 27 Junii.

XXXVIII. Radulfus I. DE CIERREY.

Gente eadem qua Guarinus decessorum alter
Radulfus, ex decano Lucam excepit an. 1219,
ex chronico Uticensi, eodemque bona Liræ
confirmavit. Insequenti, si adstitit, adstitit de-
dicationi ecclesiæ Trappensis. Memoratur anno
1220 in chartis Becci, Liræ & Noæ. Ecclesias 1220.
& decimas capitulo Ebroicensi confirmavit an.
1221. Abbatem Liræ benedixit, & sententiam 1221.
tulit in festo sancti Clementis inter monachos
sancti Ebrulfi & militem quemdam de patronatu

ANNI CHRISTI de Sarneriis. Præsens aderat anno 1222, cum Gaufrido abbati sanctæ Crucis datæ sunt reli-
1222. quiæ sancti Leufredi a Guidone episcopo Carcassonensi, de consensu Galteri abbatis sancti
1223. Germani Pratensis. Confirmavit an. 1223 cum consensu capituli donatam in parochia de Wichenvilla decimam a Richardo ecclesiæ sancti Salvatoris, ex ejusdem loci tabulis, in quibus occurrit idem episcopus 1221 mense Februar. Insuper confirmavit abbati & monachis sancti Leufredi jus exemtionis in quinque parochiis, & abbatibus Becci præbendam de Marboto & canonicatum in ecclesia Ebroicensi concessum a Luca decessore. Ecclesiam & decimam *de Barquet*, cujus loci dominus fuerat, capitulo concessit. Festum Annunciationis B. Mariæ in tota diœcesi solenniter celebrari jussit, omnibusque in festis solennibus septem cereos ardentes ante majus altare apponi, duosque ante episcopum celebrantem deferri voluit. Scripsit ad Simonem abbatem de Conchis. Obiit Radulfus 18 Martii 1223, ex chronico Uticensi; & certe an. 1224 in charta Roberti de Villareto legitur: *Ego R. in diebus venerabilis patris mei R. bonæ memoriæ quondam Ebroicensis episcopi.* Radulfi meminit Innocentius Cironius in notis ad 5 compilationem decretalium Honorii III, lib. 1, tit. V de Electione. Huic quoque Honorius rescripsit ibid. lib. 2, tit. 16 de Except. cap. 3.

XXXIX. Ricardus.

DE BELLEVUE.

A natali solo dictus de sancto Leodegario Ricardus, ex abbate Becci electus episcopus XVI calend. Augusti 1223, inauguratur VI calend. Septemb. Rotomagi a Theobaldo archiepiscopo, ex chronico Becci. Pridie cal. mensis ejusdem dedicavit in foro Fiscanni ecclesiam S. Leodegarii monachosque Fiscannenses ad acolythorum & exorcistarum evexit gradus. Adstitit 28 Martii
1224. 1224 concilio Rotomagensi. Ecclesiam beatæ
Ch. XVI. col. 143. Mariæ de Brolio cum Galtero Carnotensi consecravit in die Ascensionis, nonnullaque confirmavit Gaufrido abbati sanctæ Crucis anno
1225. eodem. Insequenti adfuit solennitati ecclesiæ *Sarum* in Anglia die sancti Michaëlis. Eodem
1226. memoratur in chartis Becci, & 1226 in tabulis sancti Taurini. Hoc quoque anno bona Liræ
Ch. XVII. col. 143. confirmavit, & ecclesiam de Haia comitis *les Louviers* dedicavit, huicque donaria contulit ad emendos quinque solidos annui redditus. Dedi-
1227. cavit ecclesiam abbatiæ de Noa an. 1227, literisque eodem anno datis in vigilia S. Laurentii testatus est Lambertum Cadocum omnia sua regi cessisse. Decimas de Toënio Conchensibus adjudicavit contra Galterium abbatem Bernaii.
Ch. XVIII. col. 143. Donationes Brolio factas confirmavit mense Feb. 1227 (1228). Præsens fuit compositioni inter Guillelmum abbatem sancti Taurini & Radulfum de Malovicino pro decimis prati de S. Andrea
1228. mense Decembri 1228. Eodem Ibriacensium bona confirmavit, & ad se devolutam ecclesiam de Vacaria ob dissidium inter moniales sancti Salvatoris & dominum loci contulit. Subscripsit

A mense Octobri 1229 chartæ sancti Salvatoris super decimis, jure patronatus & constructione novæ ecclesiæ loci de Essartis. Legitur an. 1229 & 1230 in chartis Beccensibus. Scacario Paschatis adstitit Rotomagi anno 1231. Eodem donum factum canonicis S. Vincentii de nemore ab Hugone de Cheminguio milite patrono ecclesiæ de Conlaio confirmavit. Præsens adfuit anno eodem assisiæ regis apud Bernaium habitæ die Lunæ in crastino sancti Thomæ apostoli. Subscripsit anno eodem diplomati regis Angliæ pro ecclesia de Falesia. Ecclesiæ Ebroicensi dedit an. 1232 ecclesiam de Jumellis & duos modios
B bladi pro quatuor anniversariis ibidem celebrandis. Convenit eodem cum rege super collatione beneficiorum ecclesiæ de Gallione mense Maio, & declaravit mense Decembri ecclesiam sancti Christophori esse de patronatu S. Petri Carnotensis. Contulit adhuc anno eodem ecclesiam de Gonfreria ad sanctum Ebrulfum pertinentem: in instrumento collationis dicitur ex abbate Becci episcopus Ebroicensis. Detinuit 5 Martii 1233 decimas parochiæ sancti Landulfi de Chavigneio ad reparandam ecclesiam. Confirmavit mense Maio 1234 unionem eremi de Deserto cum abbatia de Lira. Recognovit
C anno 1234 patronatum ecclesiæ de Bello loco, & 1235 patronatum ecclesiæ S. Christophori pertinere ad Gilonem abbatem S. Petri. Anno 1236 mense Februar. coram Ricardo Nicolaus *de Condé* sacerdos juravit, ex chartulario sancti Taurini. Anno 1236 obiit Ricardus episcopus Ebroicensis, abbas Becci (ita legitur in chronico Uticensi) cujus corpus F. Decanus & W. de Broovilla archidiaconus, testamenti ejus exsecutores, post mortem duxerunt ad monasterium sancti Taurini, cui dederunt 20 solidos pro luminari a monachis administrato, ex chirographo exsecutorum dato mense Martio 1237. Anni-
D versarium in ecclesia Rotomagensi mense Febr. celebrandum fundavit Ricardus, cujus obitus memoria variis diebus agitur, at die 4 Aprilis in necrologio Beccensi, & pridie nonas Aprilis in Uticensi.

Expungendi ergo Walterus & Ricardus de Ibreio, quorum ultimus eadem die defunctus dicitur, quæ notatur pro Ricardo de S. Leodegario in necrologio Beccensi.

XL. Radulfus II.

DE CIERR[EY]

Ex canonico & archidiacono post defunctum Ricardum electus episcopus Radulfus an. 1236
E die lunæ post octavam sanctissimæ Trinitatis via scrutinii, confirmatur a capitulo Rotomagensi, sede metropolitana vacante, & a Thoma Bajocensi episc. presbyter ordinatur sabbato quatuor temporum Septembris, ac postridie ab eodem episcopus consecratur in ecclesia Rotomagensi de mandato capituli. Interfuit anno 1237 consecrationi Petri de Collemedio archiepiscopi Rotomagensis. Querelam habuit cum monachis S. Audoëni, quorum in ecclesia cum solenniter in festo hujus sancti celebrare teneretur, nec hoc

ANNI CHRISTI anno celebrasset, censum debitum ipsi denega- A
bant monachi, quem solvere coacti sunt ab
1237. archiepiscopo arbitro electo an. 1237. Dedicavit
ecclesiam monasterii Conchensis 10 Januarii
1238. 1238. Jurisdictionem capitulo Vernonensi a
1239. Luca decessore concessam confirmavit 1239,
sicut & eleemosynam fratribus beatæ Mariæ de
Deserto a Simone *de Chambray* factam. Dimisit
an. 1239 monachis S. Taurini procurationem
sibi debitam apud Luparias pro certa pecunia.
Confirmavit anno eodem Conchensibus decimas
1240. in ecclesiis de novo constructis in silva Con-
1241. chensi. Reperitur adhuc annis 1240 & 1241
1242. in chartis Lirensibus, & 1242 in Fontanellen- B
1243. sibus. Obiit 18 Januarii 1243.

XLI. Johannes II.

De Curia.

Jus Ebroicensi ecclesiæ providendi ad se de-
volutum cum ab Innocentio IV summo pontifice
accepisset Petrus Rotomagensis archiepiscopus,
Johannem de Curia decanum ecclesiæ sancti
Martini Turonensis Ebroicensem episcopum re-
nuntiavit dato apud Aquam pendentem instru-
1244. mento in festo S. Gregorii indict. 2 an. 1244.
Franciæ fuerat cancellarius Johannes, cujus ob
officia in regem reginamque matrem collata,
nepoti ejus Guillelmo *d'Aubergenville* dedit rex C
manerium de Rintervilla mense Maio 1248.
Electum sic Johannem Innocentius IV confir-
mavit, & ei injunxit ut electioni assensum præ-
beret bulla data Laterani anno pontificatus I.
1245. Concilio Lugdunensi adfuit 24 Junii 1245.
Dedicationi sacræ capellæ Parisiensis, & apud
Cluniacum missæ solenniter ab Innocentio IV
in festo sancti Andreæ celebratæ adstitit eodem
anno. Circa id tempus duas in ecclesia cathe-
drali fundavit capellas in honorem S. Stephani,
duasque in honorem sancti Laurentii & sancti
Vincentii. Judex fuit delegatus in celebri causa
inter Fiscannenses & sancti Taurini monachos D
litigantes, cum episcopis Lexoviensi & Sagiensi
ac 16 abbatibus. Robertum abbatem Becci an.
1247. 1247 in ecclesia Rotomagensi de licentia ca-
1248. pituli vacante sede benedixit. Anno 1248 una
cum Philippo Bituricensi & Adamo Silvane-
ctensi præsulibus subscripsit chartæ S. Ludovici
in gratiam Odonis de sancto Dionysio doctoris
& canonici Parisiensis. Subscripsit cuidam chartæ
pro abbate sanctæ Genovefæ datæ apud Ponti-
1250. saram anno 1250. Præsens fuit an. 1251, die
1251. lunæ ante Nativitatem sancti Johannis-Baptistæ,
sacramento præstito Blancæ reginæ a Parisiensibus.
Una cum G. Aurelianensi, A. Silvanectensi & E
R. Parisiensi scripsit mense Januario 1251 de
regalibus postulatis a Petro Turonensi electo &
promissis a regina Blanca. Sedit consiliarius in
1252. parlamento Parisiensi in festo S. Mathiæ 1252.
1253. Ecclesiam de Baucis parochialem fecit an. 1253.
Corpora sancti Taurini & sancti Landulfi in
capsis argenteis deposuit ad preces Gilleberti
1255. abbatis an. 1255. Regem rogavit anno eodem
ut confirmatæ a se abbatissæ S. Salvatoris rega-
lium faceret copiam. Eodem a summo pontifice
delegatus est qui religiosos Mendicantes adversus ANNI CHRISTI
universitatem Parisiensem defenderet. Feodum
de Baucis Britolii de suo episcopis & capitulo
acquisivit ab abbatissa & monialibus B. Mariæ
regalis prope Pontisaram. Obiit die 1 Junii 1256, 1256.
sepultusque est in navi ecclesiæ majoris a parte
dextra ante aram sanctorum martyrum Stephani,
Laurentii & Vincentii sub tumulo æneo cum hoc
epitaphio :

Civibus Ebroicis dum præfuit iste Johannes,
Sub vice pontificis vitiorum sorbuit amnes.
Juni prima dies, anni quoque mille ducenti
Sex quini decies finem dant huic morienti.
Summe Deus, si forte reus fuit iste, reatum
Tolle suum, quicumque tuum facis esse beatum.

Johannis memoria celebris est 3 Martii, 1 Junii, 2 Septembris & 1 Decembris.

XLII. Radulfus III.

Grosparmi.

Johanne defuncto, canonici Ebroicenses epi-
scopi eligendi facultatem a rege petierunt anno
1256 : qua scilicet obtenta, elegerunt Radulfum
Grosparmi canonicum Bajocensem, & Radul-
fum *d'Aubusson* concanonicum suum. Hic autem
nec regi, nec summo pontifici gratus, post
triennium, quo sedes idcirco vacavit, juri suo
cessit in gratiam Radulfi *Grosparmi*, ut constat
ex bulla Alexandri IV data pontificatus anno
quarto, qui regi scripsit ut episcopatus bona
sublevarentur propter regaliam Ebroicensem va-
cantem per abdicationem jurium Radulfi de Al-
buconio. Radulfus autem præclaro Grosparmio-
rum ortus genere, quod in Pellevæos desiit, Piris
natus, & de Piris dictus, villa haud procul sancto
Laudo in Normannia inferiori sita, canonicus
Bajocensis, thesaurarius sancti Frambaldi Silva-
nectensis, custos S. Fursæi Peronensis, decanus
sancti Martini Turonensis, necnon Franciæ can-
cellarius annis 1253, 1258 & 1260, electus,
ut diximus, episcopus Ebroicensis per cessionem
alterius Radulfi, consecratus est ab Odone Roto-
magensi archiepiscopo in ecclesia sancti Taurini
XIII cal. Nov. 1259, assistentibus Lexoviensi, 1259.
Constantiensi & Sagiensi episcopis, coram rege
& duobus ejus filiis, archiepiscopo Remensi,
episcopo Aurelianensi, Simone de Monteforti
comite Leicestriæ, comite Augi, &c. Mense se-
quenti in parlamento sancti Martini hiemalis
apud Parisios Radulfo satisfecit abbas Fiscannensis
de capella, quæ episcopo in ecclesia Ebroicensi
recens instituto debebatur ab ecclesia Fiscannensi.
Subscripsit anno eodem literis episcoporum sancto
Ludovico indulgentium, ut quæ ignotis restituere
bona non poterat, pia in opera impenderet.
Missus a rege ad summum pontificem an. 1260, 1260.
injunctam sibi legationem non solum prudenter
sollicitequc exsecutus est, sed etiam tantam apud
pontificem obtinuit fidem, ut Radulfo sicut sibi
ipsi voluerit regem credere in iis quæ ipsi pro-
positurus erat. Pluribus chartis capituli Ebroicensis
& monasterii Conchensis subscripsit anno eodem,

ANNI CHRISTI quo parlamento Purificationis B. Mariæ adstitit cum Odone metropolitano. Memoratur mense
1261. Julio 1261 in chartis Fontanellensibus. Anno eodem exeunte Radulfus moribus & consiliis aptus in collegium cardinalium ab Urbano IV mense Decemb. accitus est, paucisque post diebus Odoni Rotomagensi hanc promotionem significavit Ludovicus rex III idus Januarii sequentis anni. Factus sic Radulfus cardinalis & episcopus Albanensis, Ebroicensi cessit episcopatu pro more horumce temporum, ne duas simul possideret ecclesias; sedesque Ebroicensis vacabat 3 Dec.
1262. 1262. Biennio post Radulfus fundavit capellam Conceptionis B. Mariæ in ecclesia Ebroicensi de decimis silvæ vallis Rodolii per ipsum dum fuerat episcopus Ebroicensis partim acquisitis, partim ipsi a Ludovico rege donatis. Anno 1265 legati apostolici munere donatus, Carolum regem Siciliæ & Beatricem ejus uxorem Romæ in basilica Constantiniana in festo Epiphaniæ coronavit, comitantibus Anchero S. Praxedis, Richardo S. Angeli, Gotifredo sancti Georgii & Matthæo Ursino sanctæ Mariæ in Porticu cardinalibus, ut significat Clemens IV bulla data Perusiæ IV cal. Jan. an. I. Eumdem Carolum in Siciliam properantem pontificis jussu comitatus est, ut eum in regni Siculi possessionem deduceret. Ecclesiam sanctæ Claræ Assisii coram Clemente IV consecravit I Septembris 1266. Subscripsit anno eodem bullæ Clementis IV pro sancto Eparchio Encolismensi. Ab eodem pontifice in Franciam legatus pro negotio crucis, assiduus ferme cum rege erat, imo cum ipso per regni provincias obambulabat, sicque XII cal. Augusti 1269 cum ipso & filiis Cadomum usque profectus, ibi in monasterio sancti Stephani per triduum hospitatus est, quo forte tempore pactum Radulfi Ebroicensis episcopi cum monachis sancti Taurini confirmavit. Circa id tempus inter clerum & populum Lugdunensem arbiter seditionem compescuit & dissidium extinxit, interdictosque sacris Lugdunenses ab Augustodunensi episcopo ecclesiæ restituit. Denique in orientem expeditionis maritimæ legatus apostolicus Radulfus contra infideles, Ludovico regi in Tunetana expeditione comes addictus, ibidem gravi occubuit letho IV idus Augusti 1270. Memoratur in necrologio sancti Frambaldi IV calend. Febr. ecclesiæ Ebroicensis & sancti Petri Lexoviensis 3 Augusti, ubi dicitur Radulfus *Grosparmi* cardinalis & episcopus Albanensis.

Radulfo *Grosparmi* Ebroicensi episcopo, fundantur Fratres Minores in suburbio Ebroicensi a Johanne *de Garencieres* milite, & xenodochium apud Vernonem a Ludovico IX Francorum rege.

DE CHEVRY.

XLIII. Radulfus IV.

Radulfo cardinali successit Radulfus de Capriaco vico pagi Parisiensis in Briegio, archidiaconus & canonicus Parisiensis, qui in ecclesia Rotomagensi cum Odone Bajoc. consecratus ab Odone
1263. archiepiscopo IV calend. Augusti 1263, biduo

A post possessionem iniit pridie easdem calendas. Eodem anno in parlamento S. Martini hiemalis solita ab abbate Fiscannensi donatus est capella. Solemnem cum capitulo Ebroicensi de nemoribus ecclesiæ seu mensæ episcopalis iniit compositionem anno 1265, quam episcopi Ebroicenses possessionem adeuntes etiamnum se servaturos jurant. Apposuit anno eodem mense Decembri sigillum instrumento compositionis inter Ricardum abbatem sancti Taurini & M. abbatissam sancti Salvatoris. Anno 1266 parochiam sancti Dionysii ad locum ubi nunc est de ecclesia Ebroicensi transtulit, servato successoribus patro-
B natus jure; donationi factæ S. Cruci subscripsit; quædam Liræ largitus est. Circa id tempus nonnihil eum rogavit Clemens IV occasione exercitus euntis in Apuliam & de Apulia redeuntis, quod cum implere se non potuisse causatus fuisset Radulfus, prudentiam ejus laudat summus pontifex epistola data pridie calendas Junii anno 2. Eodem anno in vigilia S. Michaëlis subscripsit cum Odone Rotomagensi & Guidone Autissiodorensi præsulibus pactis matrimonialibus inter Fernandum Castellæ regis filium, & Blancam filiam S. Ludovici. Anno 1266 in pervigilio S. Marci scacario Normanniæ Rotomagi adfuit, ubi post
C quatuor præsides, archiepiscopum Rotomagensem & episcopum Bajocensem recensetur septimo loco Radulfus *de Chevryé* Ebroicensis episcopus.
Probavit an. 1268 compositionem factam inter canonicos cathedralis & Ricardum abbatem sancti Taurini pro jure abbatum & conventus in cæremoniis exsequiarum, & sepultura episcoporum Ebroicensium; conquestus enim fuerat quod corpus antecessoris sui Johannis a monachis sancti Taurini non fuisset receptum: simul fit concordia inter eum & monachos tam pro excipiendo episcopo in die jucundi adventus, quam pro recipiendo ejus corpore post obitum, com-
D positionem confirmante Radulfo Albanensi tunc, quondam Ebroicensi episcopo, apostolicæ sedis legato. Publicavit anno eodem mense Aprili statuta de visitatione, procuratione & jurisdictione archidiaconorum aliaque ad clerum spectantia. Vice archiepiscopi Rotomagensis celebravit ordines apud Vernonem XI cal. Januarii 1268, & apud *Maretot* in capella regis VII
idus Martii anni ejusdem. Anno 1269 feria secunda post octavas SS. apostolorum Petri & Pauli, Aubertum rectorem sancti Petri ad Boves apud Parisios procuratorem instituit ad petendum & recipiendum 300 libras sibi debitas a Fr.
E Guillelmo priore B. Mariæ de Campis, solvente pro abbate & conventu Majoris monasterii, in quibus hi tenebantur. Obiit Radulfus 29 Nov. 1269 testamento condito, quod ab officiali Parisiensi visum est mense Februario 1270. In eo Johanni nepoti suo vineas suas de Fuciaco cum domo sita in valle, & post eum ecclesiæ Fossatensi legat; ecclesiæ quoque Parisiensi largitur portionem decimæ de Braia, de qua capitulum composuit mense Februario 1273 cum Margarita abbatissa de Edera. In eadem ecclesia, cujus

A CHI[STI] 12[65] 12[66] 1268 1269.

cujus fuerat canonicus, fundavit officium semi-duplum S. Mariæ Ægyptiacæ, & anniversarium, quod III nonas Aprilis notatur in necrologio illius ecclesiæ. Sepultus est in ecclesia S. Eligii de Longo-jumello, cui plurima largitus fuerat. In ecclesia de Hibernali non ita pridem ante majus altare sub lampade visebatur tumba plana lapidea cum octo figuris, quarum quatuor priores 1 Radulfus episcopus Ebroicensis, 2 J. *de Chevry*, 3 Margarita ejus conjux, 4 frater An..... abbas de Hibernali: quatuor inferiores 1 frater Johannes prior hospitalis, 2 soror Agnes abbatissa S. Pauli, 3 Guillelmus *de Chevry*, 4 E. ejus conjux; & circum legebatur: *l'an de grace* MCCLXVIII, *le jo* . . . . Radulfi elogium scripsit Claudius *Clemens* Societatis Jesu alumnus in 8.° Lugduni apud *Juilleron* anno 1624.

XLIV. Philippus I.

Defuncto Radulfo, electus Matthæus Vindocinensis sancti Dionysii in Francia abbas, infulas Ebroicenses deprecatus est. Substitutus itaque Philippus de Caturco, filius Benedicti-Johannis & Petronillæ, ac germanus Benedicti, Raimundi ac Gauscelini-Johannis, thesaurarius S. Frambaldi Silvanectensis & scholasticus Bajocensis, confirmatur ab archiepiscopo Rotomagensi, qui regem literis rogavit ut regalia ei concederet an. 1269. Electus adhuc dicitur in autographo testamenti sancti Ludovici, qui executorem eum cum Stephano Parisiensi episcopo nominavit mense
1270. Februario 1269 (1270) iterque arripiens Matthæo abbati sancti Dionysii, cui rerum administrationem committebat, subrogavit mense Martio. Sancto Ludovico defuncto, Philippus ejus filius Philippum Petro fratri suo adjunxit regni administrum, executoremque testamenti sui instituit conditi in castris prope Carthaginem die festo sancti Remigii 1270. Adstitit Philippus hominio quod comes de Barro Stephano Parisiensi episcopo præstitit die Martis in vigilia
1271. sancti Martini hiemalis 1271. Acquisivit anno
1273. 1273 a Guillelmo *de Courtenay* domino *de Nonnancourt*, feodum *d'Illiers*. Concilio Lugdu-
1274. nensi adstitit anno 1274. Testis fuit potestatis factæ a Philippo rege monialibus S. Salvatoris insumendi ligna in silva Ebroicensi tam ad ædi-
1275. ficandum quam ad urendum mense Julio 1275.
1276. Univit mense Octobri 1276 duas parochias seu ecclesias contiguas, scilicet sanctæ Mariæ *de Mourchene* & sancti Johannis *de Mourchene* ob modicos reditus. Sedit in parlamento Parisiensi
1277. in festo beatæ Magdalenæ anno 1277. Eodem cœnobium Dominicanorum construxit. Adstitit translationi corporis sancti Firmini Ambianensis
1279. episcopi an. 1279. Composuit anno 1280 die
1280. Martis post festum sancti Matthæi, dissidia inter abbatissam sancti Salvatoris ac Thomam presbyterum de Houdovilla. Numerum monialium ejusdem parthenonis ad 50 præter abbatissam reduxit Sabbato post festum S. Martini. Ornamenta episcopalia ad usum episcoporum Ebroicensium capitulo dedit anno eodem sub certis conditionibus, & ecclesiam in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli de Lierruto ordinis sancti Augustini dedicavit. Cum Matthæo abbate sancti Dionysii & Henrico de Viziliaco thesaurario Laudunensi electus arbiter inter regem & episcopum Carnotensem super collationibus quibusdam, cum eis pronuntiavit in festo sancti Petri ad vincula 1281. Defunctus mensis ejusdem 1281.
die 21 [a], sepelitur in medio chori ecclesiæ a
Dominicanorum, ubi prostat ejus effigies super tumbam æream hæcque leguntur:

Continet hæc fossa Philippi præsulis ossa,
Quem, precor, ad cœtus cœlestes collige, Christe:
Nam pavit lætus in egenis sæpe tuis te.
Hinc obitum disce migrantis ad atria cœli:
Per semel M, *bis* C, *bis quater* X, *semel* I.
Luxit & Augusti B. tertia funere justi.

Omitto Gaufridum de ordine Prædicatorum Ebroicensem episcopum, vicarium generalem Eliæ Patriarchæ Jerosolymitani, cujus est epistola ad Eduardum I Angliæ regem de statu terræ sanctæ, data apud *Accon* die 5 Octobris anni 1280, apud Thomam *Rimers* collect. Act. public. t. II, p. 160. Gaufridus enim non Ebroicensis, sed Ebronensis erat episcopus, ut optime advertit Jacobus Echard Dominicanus in scriptoribus ordinis Prædicatorum t. I, p. 382. Utriusque nominis vicinitas plurimos in errorem lectores injecit.

XLV. Nicolaus. D'Auteuil.

Post obitum Philippi electus Nicolaus de Altolio, ex thesaurario sancti Frambaldi Silvanectensis, confirmatus est Rotomagi die Mercurii post festum S. Lucæ 1281, consecratusque Dominica sequenti, quo tempore apud sanctum Audoënum hospitatus, cavit indemnitati monasterii. Æmulum passus est Eustachium de Rotomago ordinis Minorum, qui a Martino IV institutus, possessionem adeptus est anno 1282 in festo sanctorum Simonis & Judæ, quem idem pontifex Constantiensi præfecit ecclesiæ victum a Nicolao. Is autem Guidonis de Altolio militis consanguineus, cum Philippo superiori regni consiliarius nominatus fuerat, eratque thesaurarius S. Frambaldi Silvanectensis & canonicus sancti Quintini, cum ad Ebroicensem assumtus est
sedem. Abbatem Liræ confirmavit anno 1282, 1282.
& subscripsit chartis S. Taurini die Jovis ante Pentecosten. Regni administros rogavit anno
1284 ut regalia concederent abbati S. Taurini, 1284.
quem petita & obtenta ab episcopo licentia Parisiis confirmaverat. Controversiam habuit an.
1286 cum monachis sancti Audoëni pro jure 1286.
celebrandi missam in eorum ecclesia die festo sancti Audoëni, de quo composuerunt. Reperitur
annis 1286, 1287 & 1297 in chartis Becci. 1287.
Transegit cum capitulo Ebroicensi anno 1288 1288.
ea lege, ut electus decanus ipsi præsentaretur

[a] Inchoata die Veneris ante festum sancti Bartholomæi 1281 regalia, duravit ad Sabbatum ante sanctum Dionysium.

ANNI CHRISTI confirmandus. Donatam eidem capitulo decimam in parochia *de Jouville* a Margareta *de*
1289. *Fresne de Chambray* confirmavit anno 1289. Contentionem habuit cum monachis S. Taurini tum de procurandis necessariis episcopo Ebroicensi accedenti ad ecclesiam suam ejusque comitatui, tum etiam de procuratione simili debita decano & capitulo corpus episcopi defuncti ad ecclesiam sancti Taurini deferentibus, quam disceptationem composuit Guillelmus archiepisc.
1290. Rotomagensis anno 1290. Fundato a Roberto Constantiensi episcopo prioratui de Parco assen-
1292. sum præbuit. Anno 1292 ad preces abbatis sancti Petri Carnotensis imminuit debitam sibi procurationem in prioratibus de Chanzeio & de sancto Georgio. Pœnitentiarium in ecclesia sua
1293. instituit anno 1293. Electum abbatem sancti
1296. Taurini confirmavit an. 1296. Quatuor episcopatus baroniis jus altæ justitiæ a rege impetravit anno eodem, sicut & immunitatem a servitio aliisque oneribus, ad quæ ratione earumdem tenebantur episcopi Ebroicenses tempore belli. Consilio regio apud Luparam adfuit 21 Jan. 1296
1297. (1297). Denique anno 1298 mense Martio
1298. in festo S. Gregorii confirmavit factam rectori scholarium Ebroicensium donationem a Petro *de Senlis* decano Ebroicensi. Migravit e vita XVI calendas Junii anni ejusdem. Ejus tamen anniversarium die 15 Sept. in ecclesia Ebroicensi celebratur, IV nonas Maii in obituario ecclesiæ Rotomagensis, 17 Maii in Gemeticensi necrologio, alibi vero aliis diebus.

Nicolao sedente floruit Nicolaus alter de Auxilio, Nonnancuriæ in diœcesi Ebroicensi ortus, qui ob præclaras virtutes factus est presbyter cardinalis tituli S. Laurentii in Damaso. Defunctus Anagniæ, sepultus est in choro ecclesiæ Ebroicensis sub tumulo æreo cum epitaphio, quo docemur eum obiisse 9 Septem. 1299.

DE BAR.

XLVI. GAUFRIDUS I.

E civitate Barri ad Sequanam oriundus Gaufridus, sicut & Nicolaus ejus nepos Matisconensis episcopus, inde cognomen traxit, perperam dictus de Barroio aut de Barrecio. Innotescit ex fragmento chartulæ in vetusto ecclesiæ pergameno, cujus is tenor: *Magister Guillelmus Ruaudi die 15 mensis Junii anni 1309 in nostro capitulo nobis humiliter supplicavit, quatenus nuper obtinuisset duas missas in ecclesia Ebroicensi celebrari, unam pro anima bonæ memoriæ domini sui Gaufridi de Barroio, quondam Ebroicensis episcopi, &c.*
1299. Defunctum tradit Gaufridum 18 Aprilis 1299 scriptor comitatus Ebroicensis, pag. 208. Quidquid insuper additur, nullo nititur fundamento.

DES ESSARTS.

XLVII. MATTHÆUS.

Ebroicensis ecclesiæ cantor Matthæus anno 1295, electus episcopus, possessionem iniit Sabbato ante festum Assumtionis beatæ Mariæ an. 1299, & octava post die instituit festum sancti Ludovici sub officio semiduplici, hebdomadaque eadem dedicavit ecclesiam Dominicanorum in

A honorem ejusdem sancti regis. Duos vicarios perpetuos, qui vices canonicorum in quotidiana divini officii celebratione supplerent, instituit in ecclesia Ebroicensi anno 1301, unum quidem super bonis unius e portionibus capellæ sancti Johannis domus episcopalis, & alterum super capella sancti Ludovici, quam in eadem ecclesia fundaverat. Abbatem sanctæ Crucis & parochum de Heudevilla de decimis disceptantes conciliavit anno 1302. Cum ceteris Franciæ præsulibus & proceribus appellavit an. 1303 ad concilium generale adversus Bonifacium VIII. Adstitit an. 1304 concilio provinciæ apud Devillam, &
B alteri an. 1305 apud Pintarvillam. An. 1306, die Martis ante festum Pentecostes, adfuit translationi capitis S. Ludovici in ecclesiam sacræ capellæ Parisiensis. Approbavit mense Januario 1307 compositionem quam David abbas sancti Launomari inierat anno superiore pro decimis novalium in terra *de Yray* cum parocho. Matthæi ad preces Philippus Sagiensis episcopus de licentia G. Parisiensis benedixit Parisiis abbatissam sancti Salvatoris 1308, quo anno mense Februario Philippus rex propter exhibita cum laude obsequia, concessit ei ut de 50 libris Turonensibus a Stephano de Compendio milite emtis,
C sitis prope domum episcopalem de Condeto, erogare posset ad pios usus Ebroicensis ecclesiæ. Matthæi assensu Guillelmus *de Tourquebu* dominus *de Marbeuf* dotavit capellaniam in suo castro, quæ mortuæ manus juri mancipata est a Philippo rege apud Britolium an. 1309. Ecclesiam beatæ Mariæ de Garenna ad præsentationem abbatis sancti Audoëni contulit die Jovis ante festum S. Petri ad vincula an. 1310. Statutum a capitulo confirmavit ut canonici & eorum heredes fructibus præbendarum potirentur ad Dominicam *Lætare*. Ordinavit Pœnitentiarium episcopo de residentia juramentum præstiturum. Ecclesiam
D Minorum dicavit, & cœnobio *de la Poutiere* ordinis Redemtionis captivorum erigendo assensum præbuit. De ecclesia sua bene meritus obiit 1 Octobris 1310, regaliaque aperta fuit a die 3 mensis ejusdem ad 1 Junii 1311. Sedes vacare legitur anno 1310 in Natali Domini in chartulario sancti Taurini. Præsulis hujus tumulus cum lapidea imagine conspicitur in abside parietis sancti Claudii, effigies autem in vitro.

XLVIII. GAUFRIDUS II.

DU PLES

Nepos Gaufridi cancellarii ecclesiæ Turonensis & sedis apostolicæ notarii Gaufridus, electus
E Ebroicensis, a rege legatus est 14 Febr. 1310 (1311) ad feriendum fœdus inter reges Francorum & Romanorum. Solvit cameræ apostolicæ ultima Febr. & 14 Maii, electus adhuc dictus 5 Martii 1311 in regestis Vaticani. Conciliavit 1311.
anno 1312 mense Augusto canonicum præben- 1312.
datum de Critone in ecclesia Ebroicensi & rectorem parochiæ disceptantes super decimis & jure novalium ejusdem loci. Bulla Clementis V data Viennæ v idus Aprilis pontificatus 7, commissarius statuitur cum Gaufrido de Plesseio

cancellario Turonensis ecclesiæ. Legitur mense Decembri 1313 in regesto 53 chartarum the-
1313. sauri regii. Præsens fuit dedicationi ecclesiæ de Escoiaco circa annum 1314. Capituli chartis
1315. subscripsit annis 1315, 1318, 1321 & 1324,
1316. monasterii Conchensis an. 1316, 1317, 1321.
1317. Cornevillæ 1317, S. Salvatoris, 1318, sancti
1318. Taurini 1320, Becci 1322. Instituit an. 1318
1320. festum SS. Sacramenti. Confirmavit mense Oct.
1321. 1320 institutos 13 canonicos & unum cleri-
1322. cum in parochia S. Martini de Cornice. Eodem
1324. anno approbavit fundatas capellas sancti Petri & sancti Johannis in ecclesia beatæ Mariæ Vernonensis. Gaufrido Ebroicensi nepoti suo Gaufridus de Plesseio apostolicus notarius collegii cognominis a se fundati regimen inter alios commisit die 11 Jan. 1322, quod confirmavit Johannes papa XXII die III cal. Augusti pontificatus 10.
1326. Confirmavit anno 1326 ea quæ Guillelmus abbas Liræ dederat vicario sancti Martini de Ambeneio. Defunctus creditur anno 1327. Ac proinde vel nullus, vel Gaufridi æmulus tantum censendus est Radulfus *d'Elbœuf*, quem fundationi collegiatæ de Salceia annuisse volunt circa 1312, concilio apud Pontem arcæ adsuisse & chartis Taurinensibus subscripsisse anno 1314, cujus ex necrologio anniversarium in ecclesia cathedrali celebratur 5 Junii.

Numquid ille est Gaufridus, de quo legitur in necrologio ecclesiæ Ebroicensis: *Die 13 Nov. commemoratio D. Gaufridi episcopi Ebroicensis, ad quam canonici debent habere 40 solidos, quos tenentur solvere abbas & conventus sancti Taurini Ebroicensis, usque quod eos situaverint admortizatos pro emenda facta, eo quod in fuum seu corpus ipsius virgis inhumaniter sævierint.*

§ Adamus *de l'Isle Adam* filius Ancelli & Mariæ *Mauvoisin*, consiliarius regis, professor legum & licentiatus in decretis, ex decano electus episcopus, cameræ apostolicæ promisit 18 Febr.
1328. 1328, & ante adeptas unctionem & possessionem defunctus 24 Martii anni ejusdem, sepultus est in choro beatæ Mariæ de Valle in diœcesi Parisiensi a latere evangelii, ubi toparcharum de Insula Adami mausolæum, cum hoc epitaphio: *Hic jacet dominus Adam de Insula decanus electus in episcopum Ebroicensem, consiliarius regis Caroli, & fuit professor legum & licentiatus in decretis, qui obiit in vigilia Annunciationis beatæ Mariæ virginis anno 1327* (more Gallico) *cujus anima requiescat in pace. Amen.* In necrologio Ebroicensi de eo legitur ad diem 23 Octobris *obitus Adæ de Insula electi confirmati in episcopum Ebroicensem*, & in martyrologio Vallis: *IX cal. April. obiit Dom. Adam de Insula canonicus Ebroicensis electus in pontificem.*

§ Johannem de Vienna non curo, qui perperam dicitur Ebroicensis episcopus pro Abrincensi in chronico Nangii t. XI. Spicileg. p. 741.

XLIX. Johannes III.

Prat.

Ebroicis natus Johannes, & ordinis sancti Dominici alumnus, sacræ theologiæ magister in

A facultate Parisiensi, Adamo suffectus a Johanne XXII Avenione, ut aiunt, cameræ apostolicæ recognovit 14 Aprilis 1328, ex regestis Vaticani. Ordinatus autem XII cal. Martii 1329, 1329.
parochiam de Locoveris in tres divisit die 5 Nov. 1330, probantibus decano & capitulo. 1330.
Interfuit dedicationi ecclesiæ sancti Ludovici Pisciacensis 12 Februarii 1330 (1331). Aucto- 1331.
ritate sancivit sua anno 1332 pacta inter capitu- 1332.
lum Vernonense, capellanum atque thesaurarios S. Genovefæ urbis ejusdem. Monasterio sancti Taurini univit ecclesiam de Locoveris literis datis anno 1333 die Veneris post Pentecosten, 1333.
B in quibus laudat Taurinensium monachorum observantiam, mutuam caritatem & hospitalitatem. Vacabat sedes anno 1334, quo regaliæ 1334.
jura aperta Ebroicis leguntur in actis: unde alii volunt anno superiore 5 Julii defunctum Johannem, alii ad ordinem suum reversum, inquisitorem Carcassonæ positum fuisse, quod munus gessit ad annum 1338; & certe in regestis inquisitionis Carcassonensis legitur Johannes *du Prat* ab anno 1335 ad 1338. In rubricis Clementis VI legitur Johannes bonæ memoriæ Ebroicensis episcopus VIII idus Novemb. anno secundo ejusdem Pontificis Michaëlem ejus testamenti exsecutorem damnantis, quod legata ejus
C dissipavisset. Depictus conspicitur cum insigniis & inscriptione in vitrea fenestra ecclesiæ. Duplex ejus commemoratio 8 Februarii & 15 Julii in necrologio cathedralis. Johannis tempore limites positi sunt in urbe ad separandum territorium comitis a territorio episcopi.

L. Guillelmus II.

Des Essarts.

Martini de Essartis consiliarii regis filius Guillelmus, canonicus Tornacensis & decanus sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios, bullam a Johanne XXII obtinuit Avenione datam XVI cal. Decemb. pontificatus 17, qua ei indulget
D summus pontifex ut studio literarum in loco ubi illud generale vigeat insistere possit. Alia anno sequenti idibus Octob. pontificatus anno 18, summus pontifex Guillelmo electo Ebroicensi ad preces Philippi regis, tempus recipiendi munus consecrationis ad calendas Septembris sequentis anni prorogat, & ut beneficia ecclesiastica una cum episcopatu Ebroicensi licite retinere valeat concedit ad solvendum Johanni decessori & creditori. Eodem anno 1333 electus adhuc interfuit celebri apud Vicennas habito conventui Dominica IV Adventus, alterique post Parisiis die 27 Decemb. in quibus actum de opinione
E Johannis XXII circa visionem beatificam. Electus confirmatur a Petro Rotomagensi 8 Augusti 1334, quo forte tempore ab eodem consecratus fuit: nam instrumenta duo quibus subscripsit in archivo capituli, non modo eum electum, sed & munia episcopalia exercuisse satis declarant. Præterea qui per ejus consecrationem vacabant canonicatus & decanatus, post eamdem impetrati sunt anno 1335. Defunctum dicunt 17 Octobris 1334 Avenione, quam ad diem

ANNI CHRISTI necrologium cathedralis ecclesiæ sic habet: *An-
niversarium pro DD. Guillelmo & Vincentio de
Essartis fratribus, qui quidem fratres fuerunt epi-
scopi Ebroicenses unus post alium.*

DES ESSARTS.

LI. Vincentius.

Guillelmi germanus Vincentius, præpositus
de Ingreio in ecclesia Carnotensi, eamdem ac
Guillelmus de qua supra a Johanne XXII ob-
tinuit bullam anno 1332, episcopatumque per
obitum Guillelmi pontificatus anno 18, quo
nomine cameræ apostolicæ promisit 4 Novemb.
1334, & obiit mense Martio sequenti.

FAC.

LII. Gaufridus III.

Ex priore de Prato Gaufridus abbas Becci,
ex abbate Ebroicensis episcopus electus est die
1335. 1 Aprilis ante Pascha 1334, id est 1335,
juxta chronicon Beccense, de eo sic loquens:
*Postquam ipsum monasterium laudabiliter strenueque
rexit per spatium ferme septem annorum, suis cognitis
meritis ad episcopatum Ebroicensem electus est anno
Dominicæ Incarnationis 1334, nec propter ejus
dignitatem habitum dimisit regularem ecclesiæ Bec-
censis; sed semper omni loco usus fuit vestimentis
albis, & maxime cuculla alba, quæ specialis habitus
ecclesiæ existit. Hic temporibus suis auxit & am-
pliavit fabricam ecclesiæ Ebroicensis & præcipue
chorum.* Abbatiam dimisit 23 Junii 1335. Con-
cilio provinciali apud Rotomagum habito in
monasterio beatæ Mariæ de Prato per procura-
torem adfuit mense Septembri anni ejusdem. In
diplomate Johannis filii regis Franciæ ducis
1337. Normanniæ apud Pisciacum mense Febr. 1337
morticinii jure donantis fundandam capellam in
ecclesia Ebroicensi nominatur Gaufridus, qui
1338. an. 1338 dotavit capellam B. Annæ. Statutum
conscriptum in parvo textuario ecclesiæ Ebroi-
1339. censis approbavit 9 Septemb. 1339. Fundavit
in eadem anniversarium Johannis XXII, cui
1340. erat acceptissimus. *Anno Domini 1340 15 die
Aprilis, obiit piæ memoriæ dominus Gaufridus* Fac
*XX abbas Becci, postea episcopus Ebroicensis, non
immemor ecclesiæ Beccensis. sed apud eam delatus,
& in ipsa sepultus in sinistra chori parte, ut ejus
sepultura manifestat, cujus anima in pace requiescat.*
Ita chronicon Beccense. Anniversaria ejus me-
moria fit in ecclesia Ebroicensi 27 Maii, cui
multa bona contulit ad ejusdem fabricæ restau-
rationem. Depingitur in quatuor vitris chori
cum insigniis Becci & hac inscriptione: *Dominus
Gaufridus abbas Becci, postea episcopus Ebroicensis.*

DE BRUCOUR.

LIII. Robertus II.

Sic cognominatus Robertus a pago cogno-
mine juxta Paceium sito, de Cella appellatur
in regestis ecclesiæ Ambianensis, cujus erat ca-
nonicus & decanus Ebroicensis, cum factus epi-
scopus 20 Octobris 1340, cameræ apostolicæ
promisit die 3 Novemb. ratamque habuit fun-
dationem capellæ sancti Eustachii 28 Decemb.
Nonnulla monachis Lirensibus largitus est anno
1341. 1341. Concilio Rotomagensi per procuratorem
A adstitit anno 1342. In jus vocavit anno 1343
Michaëlem parochum de Blainvilla executorem
testamenti Johannis de Prato episcopi Ebroi-
censis, cujus legata dissipaverat. Damnati a Cle-
mente VI de bonis Michaëlis Robertus fundavit
capellam S. Jacobi, & dotavit capellam sanctæ
Annæ 12 Novembris & 4 Decembris 1348.
Aimerici metropolitani exsequias solenniter ce-
lebravit Rotomagi mense Jan. 1347. Abrahamo 1:
de Haia rectori ecclesiæ sancti Petri de Autreio
licentiam fecit fundandæ & dotandæ capellaniæ 13
ad altare sancti Nicolai in eadem parochia die
1 Februarii anni ejusdem. Quatuor exstinctis
B præbendis an. 1350, duos adjecit vicarios per- 13
petuos duobus a Matthæo *des Essarts* institutis.
Eodem anno sodalitium vulgo dictum *du Par-
don*, seu Romipetarum instituitur in ecclesia
Ebroicensi per Carolum Navarræ regem & co-
mitem Ebroicensem, ac Johannam ejus uxorem,
quod ita celebre fuit, ut ei plurimi principes,
in his Philippus Navarræ rex & Ludovicus ejus
frater nomen dederint. Circa id tempus Robertus
ad preces comitis Ebroicensis jus procurationis
seu pastus, quem in septem præcipuis anni festi-
vitatibus episcopi Ebroicenses canonicis & ca-
pellanis ejusdem ecclesiæ præstare tenebantur,
C renovavit. Benedixit an. 1353 mense Julio cœ- 135
meterium domus Dei de Locoveris. Cameræ
apostolicæ promisit 23 Decemb. anni ejusdem.
Anno 1355 basilica, domus episcopalis & ma- 135
xima pars urbis conflagravit occasione belli inter
regem Franciæ & Carolum Navarræ regem comi-
temque Ebroicensem, unde episcopus, decanus
& plerique canonici Vernonem secesserunt, ubi
in ecclesia collegiata cum ejusdem canonicis offi-
cium divinum celebrarunt, quatuor tantum ca-
nonicis in cathedrali ecclesia Ebroicis remanen-
tibus. Permisit anno 1359 fundationem capellæ 135
Annuntiationis beatæ Mariæ in ecclesia sanctæ
D Fidis. Memoratur anno 1361 in chartis Con- 136
chensibus, & 1365 in chartulario Vallis Richerii. 136
Aderat in curia, quando Johannes Britanniæ
dux hominium fecit Carolo Francorum regi 5
Decembris 1366. Interfuit baptismo delfini filii 1366
Caroli V regis Luteciæ in ecclesia S. Pauli die
Mercurii XI Decemb. 1368. Adfuit parlamento 1368
solenni 9 Maii 1369. Præ senio muniis episco- 1369
palibus vacare non valens, citatus est 3 Martii
1373 ad assumendum coadjutorem. Obiisse di- 1373
citur Parisiis 24 Januarii 1374. Sepultus tamen 1374
est in ecclesia Ebroicensi ad majus altare. Obitus
illius die 15 Decembris celebratur; at 1 Martii
E in ecclesia Ambianensi.

D'ESTOTEVILLE

LIV. Guillelmus III.

Johannis *d'Estouteville* & Johannæ *de Fiennes*
filius Guillelmus, primus præses curiæ vectiga-
lium Parisiensium, ex canonico Rotomagensi
factus episcopus Ebroicensis, cameræ apostolicæ
promisit ultima Febr. 1374. Capellam episcopis
Ebroicensibus a monachis Fiscannensibus dari
consuetam recens episcopus petiit 12 Maii 1375, 1375.
& adfuit proclamationi edicti pro majoritate

regum in parlamento 21 eorumdem mensis & A anni. Litem habuit cum capitulo super jure exemtionis ejusdem & procurationum, quæ ad votum capituli terminata est. Episcopatus autem erat in regalia anno 1375, & Guillelmus recognovit 2 Martii 1377 pro Nicolao decessore in ecclesia Autissiodorensi, ad quam translatus est, & post ad Lexoviensem.

LV. Bernardus.

Bertrandi archidiaconi Augi & canonici in ecclesia Rotomagensi nepos Bernardus, ex cano-
6. nico Ebroicensi factus episcopus anno 1376, promisit & recognovit cameræ apostolicæ pro B
7. Guillelmo decessore 2 Martii 1377, & fidei sacramentum præstitit in manibus Guillelmi metropolitani 12 Septembris anni ejusdem, quo 17 Junii canonicis Ebroicensibus rex assignavit 200 libras auri ad reficienda chori subsellia. Primus vicarios generales in partem sollicitudinis accivit anno 1377. Carolo IV imperatori ad S. Dionysium accedenti obviam ivit ineunte
78. anno 1378. Parlamento solenni pro judicio comitis Britanniæ adfuit 9 Dec. & conventui generali pro majoritate regum post obitum Ca-
80. roli V die Martis 2 Octobris 1380. Accepit mense Novembri anni ejusdem 200 libras a C Roberto *de Lettre* vicecomite & quæstore regio apud Ebroicas, deductis 487 libris, quinque solidis & quatuor denariis, quibus tenebatur rex Navarræ erga Robertum *de Brucour* episcopum olim Ebroicensem Bernardi decessorem. Composuit an. 1380 cum capitulo super jure exemtionis. Sacramentum Petri abbatis sancti Taurini
1381. excepit die Mercurii 23 Octobris 1381. Basilicam de Conchis a Richardo abbate restauratam
1383. consecravit an. 1383. Moritur hoc anno mense Augusto, sepultusque est juxta majus altare a parte sinistra, ubi ejus effigies adhuc conspicitur. Capitulo Rotomagensi donavit terras dictas *Salinques* & *Caillot*, ad celebranda anniversaria D Bertrandi & alterius *Cariti* patruorum suorum, & Clementis VI nunciorum.

LVI. Philippus II.

E diœcesi Nivernensi oriundus Philippus, Johanni, Carolo V & Carolo VI regibus a consiliis & secretis, canonicus & cantor ecclesiæ Parisiensis, pensione annua 600 librarum ultra vadia sua parlamenti potiebatur. Vicarius episcopi Parisiensis recognovit mense Octobri 1383 electionem abbatis sancti Victoris. Paulo post factus episcopus Ebroicensis, cameræ apostolicæ pro- E misit die 14 Novembris anni ejusdem, ordi-
1384. natusque est Parisiis die 10 Januarii sequentis a Johanne patriarcha Alexandrino & administratore Tolosano, qui hac in consecratione fecit *arengam*, ut ipse dicit, coram Carolo VI, qui Philippo episcopo hac die donavit annulum aureum gemmis ornatum, pretio 280 librarum, & 10 Februarii assignavit illi pensionem annuam mille librarum, quo nomine occurrit ann. 1384, 1385, 1387 & 1388. Sigillorum custos Caroli Navarræ regis & Petri ipsius germani, 600 libras accepit 13 Sept. 1384. Adeptus tantum est possessionem anno 1385, quo anno 1385. destinatus a summo pontifice ad imponendam decimam recens regi concessam, mille libras honoris gratia accepit. Judicio solenni adstitit 15 Octobris 1386. Testis subscripsit pactis ma- 1386. trimonialibus inter Ludovicum filium Caroli V & Valentinam filiam Galeatii comitis Mediolanensis 27 Januarii 1386. Cognato & exsecutori testamenti Petri Laudunensis episcopi Philippo cura collegii Montis-acuti ab eodem morienti commissa est, pro cujus regimine statuta condidit anno 1388, quo ad Noviomensem ecclesiam 1388. translatus, cameræ apostolicæ promisit 2 Dec. anni ejusdem. Ebroicensi ecclesiæ imaginem argenteam B. Virginis dono dedit, ubi ejus conspiciuntur insignia.

Philippo Petrum, patruo nepotem successisse volunt, ex decano Ebroicensis ecclesiæ electum episcopum, ex archivis ecclesiæ metropolitanæ, defunctumque die 10 Julii sequentis, quo ejus anniversarium celebratur in ecclesia Ebroicensi: attamen

LVII. Guillelmus IV. DE VALLAN.

Dominicanus Autissiodorensis Guillelmus, doctor Parisiensis, regi Carolo VI a confessionibus, ex Bethleemitano antistite ad hanc cathedram promotus, cameræ apostolicæ promisit & recognovit pro decessore suo die 2 Decemb. 1388, eadem qua Philippus pro ecclesia Noviomensi, tempusque ei ad solvendum prorogatum 28 Sept. & 7 Dec. 1391, & 28 Febr. 1392. Ad preces universitatis a rege amandatus, quod de conceptione immaculata beatæ Mariæ perperam sentire diceretur, universitati fecit satis, & a rege instanter petiit 17 Febr. 1389, qua- 1389. tenus regi Aragonum scriberet ut Fr. Johannem de Montesono captum Parisios remitteret puniendum. Memoratur Guillelmus anno eodem in regesto cameræ computorum. Translationi reliquiarum S. Ludovici in monasterio S. Dionysii Parisiensi adfuit anno 1392. Abbatem Lirensem 1392. debitum episcopo fidei sacramentum abnuentem anathemate percussit, at postea resipiscentem absolvit anno eodem. Adfuit parlamento Parisiensi 8 Julii 1393. Solennem in ecclesia Autissio- 1393. dorensi celebravit missam in die festo omnium Sanctorum anno 1396, pacemque inter episco- 1396. pum & capitulum reformare tentavit. Domum venditam a Simone abbate sancti Taurini approbavit 22 Aprilis 1398. Obiit 23 April. 1400, 1400. ut constat ex literis Caroli VI regis, inquiunt Sammarthani, episcopatusque vacabat hoc anno in scacario Paschæ, ex archivis Ebroicensibus. In necrologio ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ Autissiodorensis legitur: *Obitus Rev. D. Guillelmi de Valano Autissiodorensis diœcesis, quondam episcopi Ebroicensis, qui ecclesiæ beatæ Mariæ in civitate Autissiodorensi dedit XL libras Turonenses ad emendos reditus pro suo anniversario annuatim faciendo.*

ANNI CHRISTI DE CANTIERS.

LVIII. Guillelmus V.

E Vulcassino Normanno oriundus Guillelmus, consiliarius clericus in parlamento Parisiensi annis 1392, 1395, 1398 & 1399 vadia parlamenti accepit. Canonicus Ebroicensis ecclesiæ a capitulo hoc ultimo anno deputatus fuit ad comitia ecclesiæ Gallicanæ Parisiis habenda. Insequenti electus a capitulo, a Benedicto XIII promotus consecratusque, in ineundo adventu dedit vitram, in qua annus 1400 electionis suæ depictus conspicitur. Consilio regio adstitit die
1402. Sabbati 25 Febr. 1401 (1402). Memoratur 3 Febr. 1402 in chartis prioratus de Chandeio, & prioratus sancti Georgii super Anduram 21
1403. Octobris 1403. Cum aliis episcopis missus est
1407. anno 1407 ad duos de summo pontificatu contendentes Romam & Avenionem regius orator. Reversus sedit in parlamento Parisiensi 26 Dec. anni ejusdem. Cum Guillelmo Lexoviensi episcopo a concilio generali ecclesiæ Gallicanæ deputatus ad adjudicandum archiepiscopatum Rotomagensem, pronuntiavit secundum Ludovicum *de Harcourt* a capitulo postulatum adversus Johannem *d'Armagnac* Auscienſem archiepisco-
1409. pum a Benedicto XIII nominatum. An. 1409 secundum usum & computationem ecclesiæ Gallicanæ obtulit capitulo sacræ capellæ Parisiensis literas regias, quibus Jacobus *de Bourbon* instituebatur thesaurarius. Ad concilium Pisanum profectus an. 1409, die Sabbati 4 Maii sessioni septimæ interfuit, & missam in majori ecclesia coram synodo celebravit, & in octava cum episcopo Carnotensi subtractionem omnimodam & absolutam viriliter defendit. Controversiam habuit cum capitulo super jurisdictione, exemtione aliisque capitibus, quæ a senatu Parisiensi
1410. terminata est anno 1410. Dedicavit an. 1411
1411. sacellum hospitalis sancti Gervasii Parisiensis in honorem sanctæ Anastasiæ. Subscripsit 24 Maii
1413. 1413 regio diplomati in gratiam Parisiensium. A rege Carolo VI anno eodem ad ducem Burgundiæ missus, cum post festum omnium Sanctorum apud Insulam Flandriæ convenit, cui exprobrata principum Franciæ discordia, mox Luteciam rediit. Deputatus a clero Gallicano
1414. ad concilium Constantiense 10 Novemb. 1414,
1415. in sessione sexta 17 Aprilis 1415 inter alios Gallos Johanni papæ propositus est procurator ad ejus faciendam renuntiationem. Mense Julio ad regem christianissimum & academiam Parisiensem a synodo & Sigismundo imperatore missus, in ducatu Barrensi una cum collegis suis ab Henrico *de la Tour* interceptus, spoliatus, detentus vexatusque est: at in sessione decima sexta flagitii auctores a synodo anathemate perculsi, deputatique a synodo ejusdem auctoritate dimissi, sessioni vigesimæ die 21 Novemb. adfuerunt. In gratiam Burgundiæ ducis habitum 7
1416. Novemb. 1416 celebre a Carolo VI consilium, cui adstitit Guillelmus. Capsam sancti Landulfi in ecclesia sancti Taurini aperuit anno eodem, contentasque in ea reliquias recognovit. Abbatem

A Vindocinensem benedixit 29 Maii Parisiis in ecclesia Fratrum Minorum 1417. Insequenti Burgundionibus Luteciam ingressis, incarceratus fuit Guillelmus & custodiæ traditus cujusdam capellani, quasi Armaniacensibus faveret, & 12 Junii 1418 crudeliter interemtus est Parisiis cum aliis in seditione a Burgundis commota, quorum interfectorum corpora postea ad sanctum Martinum sepulta creduntur. Et certe post captas ab Anglis anno 1417 Ebroicas, Angliæ rex capitulo Ebroicensi facultatem dedit eligendi episcopi in locum Guillelmi *de Cantiers* defuncti, datis literis in castris ante Rotomagum 18 Sept.
B 1418. Vacabat adhuc sedes 13 Dec. 1419, ut constat ex chartis Fiscannensium, qui monachos Rotomagum ordinandos miserant, quos episcopus Ebroicensis ordinare consueverat, quorum ordinationem monasterii privilegiis & consuetudini nocere nolunt vicarii generales Rotomagenses datis hac die literis.

LIX. Paulus.

Gente Romanus Paulus, germanus frater Dominici & Angeli cardinalium, Martini V papæ secretarius & camerarius, ab eodem Ebroicensis electus, tarde tamen, scilicet 17 Aprilis 1420, 14..
C Henrico V Angliæ regi fidei sacramentum præstitit 17 Junii per Jacobum Narniensem episcopum, qui ecclesiæ Ebroicensi omnium primus Pauli procurator super altare majus juramentum præstitit & possessionem adeptus est 23 Junii anni ejusdem, cum licentia Henrici V Angliæ regis, qui data venia eligendi episcopi an. 1418, electo commeatum indulsit anno 1420, ordinatoque tempus ad præstandum sacramentum confirmavit annis 1420, 1421 & 1422, quo 142.
ultimo ecclesiæ Ebroicensis jura & bona, quæ occasione bellorum a multis nobilibus occupata
D fuerant, eidem vindicavit, restituit & confirmavit. Hoc eodem anno 1422 Guillelmus episcopus Ebronensis Pauli vicarius generalis consecravit 26 Augusti sacellum infirmorum in monasterio Liræ. Guillelmi prioris sancti Jacobi de hospitali ad preces Paulus instituit anno 1423 142.
in urbe Ebroicensi sodalitium de caritate dictum ad inhumanda defunctorum corpora. Biennio post mense Junio 1425 festum sancti Barnabæ 1425
apostoli substituit cuidam festo ridiculo & paganismum redolenti. Translatus ad ecclesiam Beneventanam XVI cal. Julii 1427, Ebroicensem 1427
liquit sequenti.

LX. Martialis.

FORMIE al. FOURNIS

E Translato Paulo, canonici Ebroicenses episcopi eligendi ab Angliæ rege Henrico VI facultatem petunt anno 1427, ex regesto 16 chartarum thesauri. In regestis vero Vaticani Ebroicensi ecclesiæ per translationem Pauli de Capranica Ebroicensis episcopi ad ecclesiam Beneventanam vacanti providet Martinus V de persona Martialis Formerii juris utriusque doctoris & sacri palatii causarum auditoris XVI calendas Julii 1427. Electus occurrit ibidem Martialis 1 Julii an. 1●

Martini V. Archidiaconus Vulcassini erat insuper A in ecclesia Rotomagensi, & canonicus in Parisiensi, cujus ad ecclesiam Ebroicensem promoti praebenda die 20 Januarii 1428 Johanni de Gaucuria collata est, ex regestis capituli Parisiensis. Cancellarius praeterea ducis *de Bethfort* proregis Henrici VI in Galliis. Factus tandem Ebroicensis episcopus, ecclesiae Rotomagensi sacramentum praestitit 26 Septembris 1427, & Ebroicensi per procuratorem Johannem Domestici, qui possessionem iniit 28 eorumdem mensis & anni, ipse vero 8 Decemb. Confirmavit die
1428. Jovis 5 Febr. anni 1428 festum translationis sancti Maximi Reiensis episcopi patroni Vernonensis, quod ab omnibus oppidanis sicut dies B Domini sub poena excommunicationis celebrari voluit, concessis 40 indulgentiarum diebus. Ac-
1429. cepit 8 Febr. 1429, 120 libras pretium capellae Ebroicensibus episcopis dari solitae ab abbatibus Fiscannensibus, quorum monachos ordinabant. Nonnulla Martiali & Ludovico Tarvanensi episcopo 14 Junii largitus est Johannes dux *de Bethfort*, quem canonicum Rotomagensem a capitulo metropolitano admissum, & habitu canonico indutum e sede capitulari ad chorum ecclesiae Rotomagensis cum episcopis Bellovacensi & Abrincensi solenniter deduxit Martialis C
1430. 23 Octobris 1430. Rotomago scripserat die 5 Septembris anni ejusdem civibus Ebroicensibus de lite quam cum capitulo habebat & arbitris committere paratus erat. In literis regiis quas
1431. contra capitulum obtinuit mense Febr. 1431, dicitur studens & actu residens Parisiis, qui proinde extra muros Parisienses trahi non poterat. Anglorum regi Henrico VI fidem apud sanctum Dionysium juravit 17 Decembris ejusdem anni, eumque festive Parisiis cum Parisiensi, Noviodunensi & Bellovacensi episcopis excepit. In capitulo Rotomagensis ecclesiae satisfecit Hugoni Rotomagensi archiepiscopo 24 Martii 1434, D eo quod absque ejus licentia abbatem S. Taurini
1432. solenniter Rotomagi benedixisset anno 1432.
1434. Testis fuit an. 1435 in tractatu Rotomagi inito
1435. inter Johannem archiepiscopum & cives Bisuntinenses. Dicitur anno eodem canonicus Parisiensis die Mercurii 26 Octobris in regestis capituli Parisiensis. Adstitit XI Decemb. Amedeo Lugduni archiepiscopo pallium tradenti Hugoni archiepiscopo Rotomagensi. Sub eo ecclesia cathedralis Ebroicensis reparata est curis & impensis capituli. Sub eo reditus episcopatus deprehensi fuere ad sustentationem & procurationem cardinalium ac episcoporum a concilio Basileensi ad E reges Franciae & Angliae legatorum, praeter canonicis & capitulo assignatos. Denique Martialis unus est e tribus episcopis, qui ad effugiendas molestissimas curas & perturbationes quae hac tempestate in Francia grassabantur, Basileam se contulere tempore concilii. Ibi in morbum delapsus, Argentoratum petiit, ubi in domo Tem-
1439. pliariorum obiit idibus Aug. 1439, & sepultus est. Omnia sua Ebroicensi ecclesiae legavit testamento, cujus executores nominati sunt a concilii Basileensis patribus. Martiali a capitulo datum successorem volunt Radulfum *Rouxel* ecclesiae Ebroicensis canonicum, qui non confirmatus, ad metropolitanam ecclesiam, cujus erat thesaurarius, exeunte anno 1443 assumtus fuerit.

Nescio autem quis ille sit Guillelmus Ebroicensis episc. qui benedictioni Mariae *de Breauté* abbatissae sancti Amandi Rotomagensis adstitit *Hist. Ebroic. prob. p. 120.* anno 1433 Dominica 17 Maii, Eugenii IV anno tertio, nisi sit Ebronensis episcopus.

LXI. Pasquerius. DE VAUX.

Defuncto Martiali, e Meldensi, capta a Francis urbe, ad Ebroicensem translatus urbem ab Eugenio IV Pasquerius Anglorum fautor 9 Octobris 1439, ex regestis Vaticani, ibidem occurrit 20 ejusdem mensis. Possessionem per procuratorem Hectorem *Cocherel* adiit eodem anno. Ecclesiae metropolitanae obsequium debitum praestitit 28 Julii 1440, & ultima die 1440.
Augusti de superiorum licentia abbatem Lirae benedixit Rotomagi in sacello sancti Marci. Hoc autem anno & sequenti dicitur administrator 1441.
perpetuus prioratus B. Mariae de Parco Grandimontensis prope Rotomagum, cui moriens mille libras Turonenses testamento reliquit, dicitur & regi Angliae a consiliis & praeses camerae computorum Rotomagensium. Angli vero regis adeo partibus favebat, ut post captam a Roberto *de Flocques* an. 1441 urbem Ebroicensem, adduci nunquam potuerit Pasquerius, ut Carolum VII pro rege & domino haberet. Hanc ob rem rex Carolus in omnia Pasquerii bona ubicumque forent in regno suo, manum suam injecit 3 Jan. 1441 (1442), Pasqueriusque ad ecclesiam 1442.
Lexoviensem, quae adhuc pro Anglo stabat, translatus est ab Eugenio IV v cal. Feb. 1443. 1443.

LXII. Petrus I. DE COMBORN.

Ex canonico Ebroicensi Carnotensis episcopus Petrus, Ebroicensis ab Angliae rege, cujus partes sectabatur, nominatus, e Carnotensi ad Ebroicensem vacantem per translationem Pasquerii ad Lexoviensem translatus est ab Eugenio IV v cal. Februarii 1443, ut docent regesta Vaticani, in quibus adhuc legitur 9 Febr. Statimque datus ei est a summo pontifice vicarius generalis Radulfus *Hebert* magister in artibus & baccalaureus in decretis, ad receptionem & administrationem spiritalem episcopatus Ebroicensis. Sic factus episcopus Petrus regi suo fidem juravit Pictavis 8 Julii anni ejusdem, & mense Martio, sequenti 1444.
sane, legitur in regestis parlamenti: aemulum enim passus est Guillelmum *Flocques*, cui victori datae sunt vindiciae senatus consulto 14 Augusti 1447. Verum expulsis e Normannia hostibus, 1447.
Anglis videlicet, pendentem litem prosecutus est Petrus, qui tandem exhausta controversia, decretorio judicio curiae episcopalem hanc sedem contra Guillelmum obtinuit. Itaque die 20 Sept. 1456 capitulo juramentum praestitit per pro- 1456.
curatorem suum Guillelmum *de Canteleu*, quod ipse confirmavit Petrus penultima mensis Jan.

ANNI CHRISTI

sequentis. Et certe accepit anno 1457 15 Maii
a rege per manum Rogerii *Canu* conductoris,
1457. cereum 12 librarum sibi debitum ob præposituram Ebroicensem in die Purificationis beatæ Mariæ. Insequenti dictum cereum excepit 3 Martii per manum Guillelmi *le Bouchier*. Accepit
1458. 14 Octob. 1458 cervum & aprum sibi a rege debitos annuatim in silva Britolii in hospitio episcopali apud Condetum. In archivo Obazinensi Petrus dicitur episcopus Ebroicensis, ad-
1460. ministrator perpetuus Obazinæ 4 April. 1460.
1461. Occurrit anno 1461 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Subscripsit duabus chartis sancti
1462. Leufredi annis 1462 & 1463, quo anno die
1463. 10 Junii sanctissimum sudarium de ejus manibus recuperatum est ab abbate Caduinensi. Hoc ultimo quoque anno unus e vicariis generalibus quos instituerat mense Julio, Petro *de Serres* mense Decembri præbendam contulit. At paulo post cessit, factus episcopus sancti Pontii anno 1465, ut diximus tom. VI, col. 246, Petroque episcopo Ebroicensi renuntianti assignata 150 scuta annui reditus XV cal. Junii anni ejusdem, ex regestis Vaticani. Præter Obazinam administrator quoque fuit Belliloci Lemovicensis, pro cujus possessione & saisina contra Berardum de Moleco, dictum *Marsillac*, senatus consultum obtinuit 1445, ubi dicitur episc. Ebroicensis.

DE FLOQUES.

LXIII. GUILLELMUS V.

Translato ad Lexoviensem ecclesiam Pasquerio, Robertus *de Floques*, qui nuper urbem Ebroicensem ab Anglorum jugo liberaverat, & Carolo VII Francorum regi subdiderat, scilicet mense Oct. anni 1441, ab Ebroicensis ecclesiæ capitulo qua minis qua precibus impetravit, ut Guillelmus ejus filius monachus ordinis sancti Benedicti, episcopus eligeretur, quod factum 10 Julii 1443. Qui cum ab archiepiscopo Rotomagensi confirmationem electionis suæ obtinere non potuisset, sive quod nominatus ab Anglo Petrus *de Comborn* a summo pontifice promotus fuisset, sive quod Rotomagum Anglis Roberto *de Floques* valde infensis pareret adhuc, conservandi sui juris gratia confugit ad Augustodunensem episcopum Lugdunensis ecclesiæ tunc sede vacante administratorem, qui hanc electionem ratam habuit & confirmavit, Guillelmusque per procuratorem Petrum Francisci possessionem adeptus est 16 Junii 1445, & regi fidem dixit Bituricis 24 Augusti 1446. Interim Petrus qui & ab Anglo rege & a summo pontifice episcopatus collationem consecutus fuerat, litem Guillelmo intentavit in senatu Parisiensi, cujus consulto 14 Aug. 1447 datæ Guillelmo vindiciæ. Is vi hujusce consulti post obtentum ad recensenda episcopatus temporalia in camera computorum die ultima Augusti quinquennium, & post præstitum de more capitulo obsequium, episcopatus possessionem iniit die 5 Sept. sequentis, quo deinceps per aliquot annos potitus est: hoc enim nomine visitavit anno 1449 in ecclesia cathedrali reliquias sanctorum martyrum *Abdon* & *Sennen*, eodemque anno duabus partibus costarum utriusque sanctæ Mariæ, Jacobi & Salome, a Renato rege Siciliæ donatus est in monasterio Montis sanctæ Catharinæ die 4 Nov. Privilegia episcopatus a rege confirmari obtinuit an. 1455. Demum occurrit in chartis authenticis D. *de Gaignieres* ab anno 1447 ad 1456 29 Augusti. Nam post expulsos Anglos priorem retractanti litem Petro cedere coactus Guillelmus, absque tamen expensis & restitutione fructuum, Bernaium, cujus erat abbas, se recepit, ibique per septennium mansit, donec Petro cedente forsan, in episcopum iterum assumtus, & tum primum in regestis Vaticani memoratus bis Guillelmus VII idus Jan. 1464, ad Ebroicensem rediit 16 Martii, quo scilicet die capitulum ipsi in jucundo adventu munera obtulit. Anno eodem circa horam decimam noctis præcedentis diem Dominicam 25 Novemb. e vivis excessit, ejusque obitum capitulo nunciarunt Carolus *Peön* & Johannes *Cherronet* presbyteri. Jacet infra gradus sanctuarii a latere evangelii in sinistra parte cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ devotæque religionis dominus Guillelmus* de Floques *hujus ecclesiæ Ebroicensis episcopus, qui obiit in Domino anno millesimo quadringentesimo sexagesimo in mense Anima ejus in pace requiescat, amen. Robertus* de Floques *miles nepos ejus P.* Spatia hæc in epitaphio vacua relicta innuunt inscriptionem factam vivente adhuc Guillelmo. Post *sexagesimo* addendum *quarto*, & post *mense*, *Novembri*.

Guillelmus de Mara canonicus Ebroicensis, dicavit Guillelmo opusculum de sacrosancta Eucharistia.

LXIV. JOHANNES IV.

BA

Apud Virdunum in Pictonibus natus Johannes, ad supremos dignitatum titulos ingenii sagacitate potius quam originis nobilitate sibi gradum fecit. At quam fortunæ instabilis ludus! ab infimo statu ad supremos fere evectus, inde præceps ruit in carcerem, a quo post ingentes ærumnas liber ad majora evolavit. A prima ergo juventute ecclesiæ nomen dedit, & in famulatum Jacobi Juvenalis *des Ursins* Pictaviensis episcopi adscitus, sic ipsius animum sibi astu obsequii devinxit, ut negotiis omnibus præpositi Johannis arbitrio omnia familiæ Jacobi negotia transigerentur. Testamenti denique executor nominatus, defuncto episcopo, hanc tamen administrationem non ita fideliter implevit, quin plurima in suum commodum flecteret. Ditior inde factus, ad Johannis de Bellavalle episcopi Andegavensis novum famulatum transiit, cujus cum benevolentiam captasset, vicarius generalis ab ipso institutus est. Commendatus etiam a Carolo *de Melun* Ludovico XI, quæstor ærarii publici, tum ab intimis secretis regius scriba deligitur, quo in munere tanta industria versatus est, ut Ludovici animum facile occuparit, ejusque gratia sibi ad potiora viam paraverit. Clericali igitur professioni addictus, & regis eleemosynarius atque etiam confessarius,

confessarius, varia subinde sacerdotia impetravit: A
nam canonicus Andegavensis receptus 14 Oct.
1461, præbendam brevi ejuravit, aliamque habuit 1 Septemb. 1462, missus in possessionem
thesaurariæ 10 Aprilis 1464, factus postea senator clericus in curia parlamenti, commendatarius Fiscanni & sancti Theoderici; obtinuit
18 Decembris 1464 jus regaliæ episcopatus
Ebroicensis vacantis per obitum Guillelmi *de Floques* ultimi possessoris. Demum episcopus
eligitur a capitulo per viam scrutinii 4 Febr.
1465. ineuntis anni 1465, ut patet ex literis capituli
ad archiepiscopum Rotomagensem datis 1 Martii,
& confirmatur a summo pontifice Paulo II per B
cessionem Petri sancti Pontii Tomeriarum electi
XIII calendas Junii, & a vicario generali cardinalis *d'Estouteville* archiepiscopi Rotomagensis.
Donatur eodem tempore commendis S. Johannis
Angeriacensis & sancti Eligii Parisiensis, regique
fidem jurat ut episcopus & abbas Balgentiaci
14 Julii. Sacram unctionem accepit in ecclesia
Parisiensi die Dominica 4 Augusti, & quam jam
per Johannem *de Quincarnon* procuratorem inierat, hanc ipse adeptus est possessionem die 22
eorumdem mensis & anni: obsequium vero quod
ecclesiæ Rotomagensi prius denegarat, cognita
postthac rei veritate exhibuit. Circa id tempus C
qua major Franciæ eleemosynarius Stephano
Thibault presbytero contulit 18 Augusti xenodochium Pontisarense, quod vacabat per obitum
ultimi possessoris. Anno eodem Ludovici favore
pollens, ab eo Lutetiam mittitur ut Parisienses
in regis obsequio contineret inter varios belli
æstus quibus Francia vexabatur & aliarum urbium defectiones, Galliæ principibus cum Burgundo in Ludovicum conjurantibus. Ille ergo
anno 1465 cum rege die Dominica 8 Sept.
magnæ civium Parisiensium confraternitati nomen dedit & adscriptus est in ecclesia sanctæ
Magdalenæ: tum militis & ducis potius quam D
antistitis munia obiens, indutus tamen sacerdotali
veste ac mulæ insidens, cum de nocte per urbem
equitaret, gladiis & fustibus impetitus sub finem
mensis ejusdem graviter vulneratus est, propter
quod a rege protinus decreta inquisitio & in
reos lata vindicta. Parlamento adstitit 12 Oct.
1466. 1465. Insequenti armatus Parisiensium cohortes
extra urbem sub vexillis recensebat, cum, teste
Gaguino, comes Domni Martini insignis bellator
eum argute irridens petiit a rege delegationem ut
proficisceretur Ebroicas ad examen faciendum
ordinandorum sacerdotum, quandoquidem Johannes, quod ejus muneris erat, milites ad bellum E
exercebat. Cum ejus ambitioni supremis honoribus, regiique ministerii dispensatione non esset
factum satis, qua ratione adductus nescitur, Andegavensem sedem impotenter etiam ambivit & obtinuit, ad eam translatus a summo pontifice nonis
1467. Julii 1467. Multa autem præstitit ad ecclesiæ
Ebroicensis utilitatem; nam ad ipsius preces Ludovicus XI tholum, pinnaculum & cruciatam
basilicæ a parte domus episcopalis, sacristiam,
sacellum B. Mariæ retro chorum, bibliothecam,
partem claustri & plures arcus & pilas ad fulciendum chorum construxit, privilegiaque ecclesiæ aut denuo confirmavit, aut auxit.

§ Antonius *Balue* Johannis germanus, camerarius monasterii S. Johannis Angeriacensis
expresse professus, qui præbenda Ebroicensi jure
regaliæ a Ludovico XI post obitum Guillelmi
de Floques anno 1464 donatus fuerat, translato
Johanne ad ecclesiam Andegavensem, electus
confirmatusque est Ebroicensis nonis Julii 1467;
at nondum adeptus possessionem, vacanti per
obitum Petri *de Comborn* Tomeriensi ecclesiæ
præfectus est a summo pontifice III cal. Nov.
1467, ex regestis Vaticani.

§ Iterius rector ecclesiæ parochialis de Peregnito in diœcesi Santonensi, electus dicitur a
capitulo in bulla Pauli II pro Petro sequenti,
inquit scriptor Ebroicensis pag. 303, & cessisse
in manibus summi pontificis. Præsto non est
bulla Pauli II; at in regestis Vaticani legitur
Iterius per translationem Antonii tunc Ebroicensis ad Tomeriensem electus Ebroicensis III
cal. Novemb. 1467. Verum ejusmodi electio
nullum sortita videtur effectum, nam

LXV. PETRUS II. TURPIN.

Canonicus Andegavensis Petrus, licentiatus
in legibus, de militum & baronum genere,
electus & confirmatus Ebroicensis per translationem Antonii ab Ebroicensi ad Tomeriensem
legitur V idus Martii 1470 in regestis Vaticani. 1470.
Filius erat Antonii domini *de Crissey* nobilis Andegavensis, & Annæ *de la Gresille*. Regi fidem
juravit penultima Maii 1471, eademque die 1471.
ecclesiæ Ebroicensi per procuratorem Ambrosium *de Buré*, ipse vero die lunæ in festo beatæ
Magdalenæ. Memoratur hoc anno in chartis
Conchensibus, & sequenti in tabulis S. Leufredi. 1472.
Auxit plurimum sacram supellectilem, qua
etiamnum ornantur majus altare & chorus, licet
ad breve tempus sederit; nam obiit 1473 in 1473.
castro de Condeto, unde ad domum episcopalem, tum ad ecclesiam sancti Taurini, denique
ad cathedralem delatum corpus, sepultum fuit
ad ingressum chori a parte dextra juxta cathedram episcopi. Soror ejus germana Martina
Turpin domina *de Beuil*, comitissa *de Sancerre*,
testamenti ejus primaria exsecutrix sententiam in
scacario Normanniæ obtinuit anno 1474, qua
tenebatur Fiscannensis abbas eidem persolvere
120 libras episcopis Ebroicensibus debitas, statim atque possessionem inierunt.

§ In monumentis pro ecclesia Ebroicensi nil
reperitur de Guillelmo *du Riglet*, quem in abbatibus de Faisia diximus episcopum Ebroicensem
ex charta monasterii Caduinensis, defunctum XI *Tom. II. col. 889.*
Januarii 1472. Forte erat Ebronensis, aut si
Ebroicensis, ab altero victus est, aut, &c.

LXVI. JOHANNES V. HEBERGE.

Ludovico XI perfamiliaris & a consiliis
Johannes, canonicus Cameracensis & Carnotensis, Ebroicensis electus per obitum Petri

ANNI CHRISTI

legitur XV cal. Dec. 1473 in regestis Vaticani. A
Regi fidem juravit 4 Aprilis anni sequentis, &
1474. ecclesiæ Ebroicensi obsequium præstitit per procuratorem Nicolaum *Fradet* 9 ejusdem mensis. Ad cœtum Bovinensem inter regem & Burgundiæ ducem missus est anno 1474 cum domino *de Curton*. Eodem cameræ apostolicæ solvit ultima Maii. Commendam Burgulii obtinuit a
1475. Sixto IV 1475, quo anno a Philippo Cominio recensetur regis Franciæ orator & pacis conciliator inter reges Franciæ & Angliæ. Ecclesiæ Ebroicensis ipse possessionem apprehendit 3
1477. Augusti 1477, diœcesimque lustrare cœpit die 23 mensis ejusdem. Concilio apud Aurelianos B
1478. a plurimis episcopis habito interfuit an. 1478.
1479. Parisiis defunctus 28 Augusti 1479, sepultus est in capella subterranea beatæ Mariæ sacra apud S. Victorem cum epitaphio, quod non amplius legitur.

Heredes habuit Johannes tres milites germanos filios Matthæi *Tiercelin* militis & Franciscæ *Olivier*, quæ prius Nicolao *Heberge* nupserat, scilicet Johannem dominum *de Brosses*, Franciscum dominum *de la Grauche* & tertium Jacobum dominum *de la Roche du Maine*, qui duos priores nomine suo & matris suæ constituit 10 Sept. 1479 procuratores hereditatis Johannis *Heberge*. C

5 Guillelmus *de Clugny* ab ecclesia Ebroicensi ad Pictaviensem translatus legitur VI cal. Novembris 1479 in regestis Vaticani.

DU FOU. LXVII. RADULFUS V.

Nobilis Brito Radulfus, germanus Johannis & Ivonis Ludovici XI consiliariorum & cubiculariorum, abbas sancti Theoderici Remensis, electus confirmatusque est Petragoricensis a summo pontifice VI idus Junii 1468, eademque die obtinuit commendam sancti Juniani de Nobiliaco. E Petragoricensi ad Encolismensem translatus est pridie nonas Julii 1470, indeque D ad Ebroicensem pridie idus Novembris 1479. Cameræ apostolicæ solvit 10 Decemb. & regi
1480. juravit fidem 4 Februarii 1480, ecclesiæ vero Ebroicensi 14 ejusdem mensis per procuratorem, quod ipse postea præstitit. Fuit præterea commendatarius B. Mariæ de Valentia, de Nucariis, sancti Taurini, sancti Mauri de Fossatis & prior *de Coudres* in diœcesi Ebroicensi. Anno 1480 die 11 Augusti cum archiepiscopo Burdegalensi, episcopisque Lexoviensi & sancti Pauli a rege obviam missus est Juliano cardinali sedis apostolicæ legato, cui regis & regni libertates & privilegia significarent. Ædes episcopales de novo E
1481. construxit anno 1481. Duo anniversaria fun-
1485. davit 9 Septemb. 1485 in gratiam eorum qui ad ecclesiam reparandam de suo aliquid conferrent. Ecclesiæ Rotomagensi debitum præstitit obse-
1490. quium 20 Aprilis 1490. Dedicationi ecclesiæ collegiatæ de Blainvilla a Roberto archiepiscopo
1491. celebratæ adfuit an. 1491. Sedit in parlamento
1493. Parisiensi die lunæ 8 Julii 1493. Johannem *Nervet* abbatem Juliaci benedixit Parisiis 6 Sep-
1496. temb. 1496. Abbatem Conchensem confirmavit 1497. Caroli VIII exsequiis adstitit Dominica 29 Aprilis 1498, & die 2 Julii Ludovico XII Parisios ingredienti. Datus est anno eodem adjutor Georgio de Ambasia facto gubernatori Normanniæ, & adstitit scacario. Vicario generali usus est D. Martino *d'Orgis* Franciscano, Ebronensi episcopo, qui Ebroicas intravit ad munus suum vicarii obeundum 11 Februarii 1500, & obibat adhuc anno 1509. Memoratur Radulfus in chartis authenticis D. *de Gaignieres* annis 1480, 1484, 1485, 1489, 1493, 1494, 1496 & 1505. Commendatarius S. Taurini 15
juramentum præstitit 1 Junii 1506, unde mirum 15
quod in regesto Alexandri VI legatur Johannes Caphurius in sacerdotio Romanam curiam per plures annos secutus, electus Ebroicensis XVII cal. Januarii 1500. Radulfo sedente, fundata est ecclesia collegiata castri de Gallione a Georgio de Ambasia archiepiscopo Rotomagensi quicum ei fuit maxima necessitudo; omnes pene urbis ecclesiæ ruinæ proximæ reparantur, & Alexander VI ejus ad preces præbendam & canonicatum *de Quittebœuf* pueris chori sustentandis assignavit. Obiit Radulfus 2 Feb. 1510 (1511). Tumulus 151
ejus ex ære in medio chori cathedralis hoc honestatur epitaphio: *Hic jacet memorandæ recordationis dominus Radulfus* du Fou, *quem genuit inclyta Britannia, Corisopitensis diœcesis, ortu nobilis, moribus clarissimus, religionis decore venustus, hujusce ecclesiæ annis 32 pastor dignissimus, amantissimus pacis zelotes, magnificentissimus ædificiorum restaurator, liberalissimus eleemosynarum largitor, invincibilis ecclesiasticorum jurium defensor, ac in omnibus fidelissimus minister, qui obiit 2 die Feb. an. 1510.*

LXVIII. AMBROSIUS.

Philippi baronis *de Tillieres* & Mariæ *Blosset* filius Ambrosius, germanus autem Johannis cardinalis episcopi Lexoviensis & Gabrielis decani Lexoviensis, ex canonico Parisiensi, canonico & archidiacono Lexoviensi, decano vero Ebroicensi ultimus a capitulo eligitur episcopus anno 1511, & a capitulo Rotomagensi sede vacante confirmatur cum facultate consecrationis a quocumque episcopo accipiendæ. Querelam habuit cum eodem capitulo de juramento & præstatione ipsis a novo præstandis episcopo, qua ad utriusque partis votum terminata, solitum eidem ecclesiæ exhibuit juramentum 9 Aug. 1513, quo anno 1513
ecclesiæ suæ possessionem adeptus est. Eodem Guillelmus Pepinus ex ordine sancti Dominici dicavit ei Rosarium aureum mysticum. Castrum rurale episcoporum, Condetum dictum, & domum decani pulcherrimis exornavit ædificiis. Suffraganeos seu vicarios generales habuit Fr. Tussanum, al. Stephanum *Varin* ordinis Eremitarum S. Augustini, archiepiscopum Thessalonicensem, & Nicolaum *de Coquinvilliers* episcopum in partibus infidelium. Factum per mortem Gabrielis germani decanum Lexoviensem dicemus Ambrosium an. 1523, cum vacatione præsentiæ. 1523
Tutor liberorum Gastonis *de l'Estendart*, litem intentavit anno 1524 Johanni *de Loresse* pro 1524

restituenda terra *de Maintenon*. Interfuit anno A
1530 coronationi Eleonoræ reginæ uxoris Fran-
1530. cisci I in ecclesia sancti Dionysii. Adstitit &
exsequiis Ludovici *de Brezé* Normanniæ sene-
1531. scalli in ecclesia Rotomagensi 18 Augusti 1531. Abbatiam beatæ Mariæ de Lira in commendam tenuit: episcopatum vero cessit in gratiam sequentis anno eodem. In autographo anni 1533 22 Julii dicitur nuper episcopus Ebroicensis, & tunc vicarius in spiritalibus & temporalibus generalis & irrevocabilis episcopatus Ebroicensis, plenariam habens auctoritatem disponendi de singulis & omnibus beneficiis & officiis ad dictum episcopatum pertinentibus, vicariusque in spiri- B talibus & temporalibus domini Johannis etiam *le Veneur* episcopi Lexoviensis & abbatis commendatarii beatæ Mariæ de Lira. Moritur die 23 Septembris anni 1536, & sepelitur in choro ecclesiæ. In ecclesia Lexoviensi ipsius obitus celebratur 10 Aprilis, 10 Junii & 23 Septemb. in Lirensi vero VII idus Augusti.

LXIX. Gabriel.

Johanne Ambrosii nepote & Gilonna *de Montejean* sorore Renati equitum Franciæ tribuni parentibus natus Gabriel, germanum habuit Taneguidum primum comitem *de Tillieres*. Cedente C propatruo, vi concordatorum inter Leonem X & Franciscum I primus a rege sedis hujus designatur episcopus scriptis Abbatis villæ codicillis per Britonem Quatuorvirum a secretis ad summum pontificem, pro Gabriele in locum superioris cedentis ad episcopatum promovendo, die ultima Decembris 1531. At cum annos non amplius 14 natus esset Gabriel, vix ac ne vix quidem bullas a summo pontifice impetrare potuit. Quapropter aliæ referuntur Francisci I
1532. literæ datæ hanc in rem 20 Julii 1532. Clemens quoque hac de re literas dedit ad Johannem *le Veneur* cardinalem Gabrielis etiam propatruum D 15 Septemb. 1532. Verumtamen eodem anno pontificatus sui nono Clemens VII Gabrielem creavit episcopum Thessalonicensem, & ecclesiæ Ebroicensis administratorem, suffraganeosque ei adjunxit Ambrosium & Johannem propatruos ad episcopalia munia exercenda. Eodem itaque anno ecclesiæ Ebroicensi juramentum per procuratorem præstitit Gabriel 24 Decembris, in quo dicitur clericus & juvenis egregius ac Ebroicensis ecclesiæ administrator electus. Interea Inquisitionis totius Normanniæ apud Ebroicas in conventu Dominicanorum erectum a Francisco I institutumque
1540. tribunal 17 Septembris 1540, parum diu stetit. E
A vicario generali Parisiensi licentiam obtinuit consecrationis munus recipiendi 19 Jan. 1549
1549. Gabriel, qui realem ipse die 2 Martii 1549 cum omni potestate episcopali episcopatus possessionem nactus est. Cardinali Borbonio apud sanctum Dionysium Catharinam Mediceam reginam inauguranti 10 Junii anni ejusdem minister adstitit, ipsaque regina Parisios intrante 18 mensis ejusdem Gabriel legatum Venetorum comitabatur. Sedit anno eodem in parlamento
Parisiensi 2 Julii. Insequenti in Britanniam pro- ANNI CHRISTI
fectus est 1 Maii. Eodem anno adstitit exsequiis 1550.
Claudii Lotaringi ducis Guisiæ apud Jonvillam. Cœtui notabilium habito feria IV 5 Januarii in aula sancti Ludovici curiæ parlamenti Parisiensis
interfuit 1557. In exsequiis Henrici II regis in 1557.
ecclesia S. Dionysii cardinali Lotaringo sacrum
celebranti 13 Augusti 1559 subdiaconus mini- 1559.
stravit. Anno 1562 ab obsidione neotericorum 1562.
Ebroicensis civitas mirabiliter est liberata die 5 Februarii. Cum Claudio *de Saintes* & Simone *Vigor* insignibus theologis ad synodum Tridentinam profectus anno eodem Gabriel, inter excellentissimos ecclesiæ Gallicanæ præsules enituit.
Anno 1571 mense Maio numerum adminis- 1571.
tratorum pauperum Ebroicensium a rege præfiniri curavit. Coronationi Elizabetæ Franciæ reginæ interfuit anno eodem. Multa bona ecclesiæ suæ contulit, nam majorem campanam & organa quæ nunc visuntur donavit, basilicam igne labefactatam reparavit, ornavitque ejus propylæum, in quo conspiciuntur ejus insignia, multas denique in navi capellas ædificavit. Sub ejus episcopatu hæresis Calviniana in urbe grassata est, quam etiam perduelles inani conatu obsederunt, & prioratus S. Nicolai Leprosorum unitur hospitali Ebroicensi, bonaque prioratus S. Jacobi de Hospitali partim ad sustentandos pauperes, partim ad remunerandos rectorem & magistros collegii Ebroicensis insumta, salva tamen re divina. Monasteria S. Taurini, Liræ, S. Ebrulfi & Gemetici in commendam tenuit Gabriel, qui regii ordinis S. Michaelis cancellarius, obiit matutinis
horis dominica 16 Maii 1574 in castro paterno 1574.
de Tillieres, & die Mercurii 4 Augusti delatus ad S. Taurinum, die 5 sequenti sepultus est in choro ecclesiæ Ebroicensis a Simone *Vigor* archiepiscopo Narbonensi.

LXX. Claudius. DE SAINCTES.

Perticensis ortu Claudius, canonicorum regularium B. Augustini ordinem in monasterio S. Carauni diœcesis Carnotensis primum professus est anno 1540. Adolescens cum in re litteraria minimos fecisset progressus, utpote tardioris ingenii, B. Virginis, ut ferunt annales monasterii, solatio quodam recreatus & puriori lumine scientiarum collustratus, se totum theologicis studiis assiduo labore mancipavit eo eventu, ut ipse in omni sacrarum linguarum genere excultus, rara ingenii felicitate claresceret, quod ad posteritatem edita scripta abunde testantur. Laurea ergo donatus in regia domo Navarrica anno 1555, inde parochus Bellævillæ in diœcesi Carnotensi, postea Boissiacensi apud Parisios gymnasio præfectus est anno 1561, quod multis postea reditibus ad aliquos e suo genere alendos alumnos episcopus simul & gymnasiarcha ex dispensatione apostolica auxit. Tantam autem sibi apud viros eruditos existimationem paraverat, ut a cardinale Lotaringo commendatus, ad colloquium Pisciacense anno 1561 a regina matre missus fuerit, & paulo post una cum Simone *Vigor* præstanti

ANNI CHRISTI

item theologo, academiæ Parisiensis legatus ad concilium Tridentinum, ubi inter præcipuos enituit. Reversus in Gallias, magni ingenii acumine & summa fidei ac eruditionis opinione percelebris, scriptis pro fide stylum exercuit. Circa id tempus, abbatia S. Remigii Lunevillaris donatus, æmuli in gratiam aliquot post annos cessit. Ad Ebroicensem dein cathedram
1575. assumtus penultima Martii 1575, possessionem iniit 27 Novembris deducentibus monachis S. Taurini. Comitiis Blesensibus adstitit anno
1576. 1576, quo instituit sodalitium de SS. Sacramento apud Luparias, ad reparandum scandalum in ecclesia prædicta in festo Paschæ perpetratum. Auctor est Genebrardus in Pio V
1577. Claudium & Simonem *Vigor* anno 1577 disputationem seu collationem contra Roserium & Spinam ministros Calvinistas habuisse. Hoc autem anno cœpit synodos celebrare Claudius.
1581. Concilio Rotomagensi adstitit anno 1581, cujus acta latine & gallice descripsit, vulgatis etiam statutis suæ diœceseos cum breviario & rituali novis. Instituit festum S. Æterni die 16 Julii sub ritu duplici. Circa id tempus, priori S. Catharinæ ædes episcoporum Ebroicensium Parisiis sitas in vico S. Antonii divendidit ad subve-
1582. niendum factiosis. Visitavit anno 1582 reliquias S. Taurini & S. Landulfi, & capsas benedixit. Festum dedicationis omnium diœcesis ecclesia-
1585. rum ad diem 2 Septemb. assignavit anno 1585. Hæreticos quosvis absolvendi ab Inquisitione obtinuit facultatem 17 Octobris anni ejusdem. Insimulatus quod neotericos ad ecclesiam redeuntes iterum baptizandos vellet, a summo pontifice reprehensus, contrarium asseruit in synodo
1587. an. 1587. Obsessis a marescallo Bironio Ebroicis
1591. anno 1591, aufugit Claudius & Luparias secessit. Eodem anno, Henricus IV rex Franciæ, in expugnatione Lupariarum 5 Junii 1591, Claudium episcopum cepit, qui Cadomum ductus est, ubi tunc sedebat supremus Normanniæ senatus, a quo morti erat addicendus, quod in ejus schedis inventum esset scriptum, in quo parricidium in Henricum III approbabat, & licitum esse ejus successorem interficere contendebat. Attamen rex victus precibus cardinalis Borbonii multorumque episcoporum, voluit ut pœna mortis in perpetuam incarcerationem commutaretur, de qua indulgentia loquens Augustus Thuanus in historia, ait : *Non sacri ordinis prærogativæ in crimine majestatis apud nos ratio habetur, sed in convictos, sive sacerdotes, sive episcopi sint, tanquam solutos & profanos legum severitas exercetur.* Ad castrum ergo de Crepicordio diœcesis Lexoviensis ablegatus, & in ergastulum conjectus, ibidem, non sine suspicione veneni ab hæreticis, vel ut quidam volunt, a nepte, quæ ex perturbatione rerum deterius aliquid reformidabat, propinati, alias ultima necessitate, decessit anno 1591, ætatis 65. Sepultus est in ecclesia Ebroicensi, a latere sinistro chori, juxta majus altare, anno 1596, mense Septembri, ubi hoc legitur epitaphium ad parietem : *Siste, quisquis*

A *hanc ædem oraturus adis, hospes, sive incola. Claudius* de Sainctes, *magnus ille theologus, Eburovicensis antistes, hoc angulo pompa tenui situs est. Quod sepulcrum imagines columnæve non exornant, ne mirare : sufficit angustus parvo corpori locus; nec pompas mortuus optabit, qui vivens fastus & seculi risit ludibria. Et quæ columna satis digna erigi potuit illi, qui columna fuit ecclesiæ! Imago, non corporis, vanum, sed ingenii mentisque divinæ illius in libris admirandis cernitur. Conciones in conspectu regum populique frequentis habitæ, sat nomen illustrant. Si hæc nescis cæcus & surdus, ista non sunt scripta tibi. Vade & ora. Obiit anno*
B *M. D XCI.* Et certe plurima pietatis & ingenii reliquit monimenta toti ecclesiæ christianæ nota, inter quæ ingens opus eminet libris decem de Eucharistia exaratum, de quo hoc est Francisci Turriani theologi judicium : *Claudius* de Sainctes, *episcopus Ebroicensis, diuturnis vigiliis & lucubrationibus, studio scribendi de Eucharistia ex voto consecratis, ingens opus in libros decem digestum, ita ex optimis quibusque tum suis, tum alienis miro ingenio & industria ac pari labore compositum emisit, ut nihil reliquerit, quod vel in aliorum de ea re libris qui erant prope infiniti, quærere opus sit, vel in multiplici rei quæstione desiderari possit.*

C

LXXI. Jacobus I.

Ætatis suæ vir celeberrimus fuit Jacobus, ecclesiæ Gallicanæ lumen splendidum, quod hæreseos tenebras & caliginem dissipavit. Stirpe Perroniorum *de Creteville* & *de Languerville* apud S. Laudum in inferiori Normannia editus, matrem habuit Ursinam *le Cointe*, patrem vero Julianum *du Perron*, qui Genevam primum religionis ergo confugiens, ibi per aliquod tempus medicinam humanioresque literas professus est : inde Bernam secedens, Jacobo ortum dedit, qui inibi nascitur 25 Novembris 1556. Ejus
D corpori egregiam speciem cum natura indidisset, longe præstantius ingenium elargita est, quo omnium scientiarum facillime obtinuit principatum. Memoria valebat usque ad stuporem, acumine mentis, suavitate sermonis admirabili. A teneris ergo annis ab ipso parente viro literato lingua latina & mathesi eruditus, ex se ipso discens cum vix decennium evasisset, non tantum linguæ græcæ rudimenta exacte didicit, sed difficilem poëtarum Græcorum lectionem aggressus, in versibus etiam gallice pangendis peramœno & felici ingenio sese diligenter excoluit. Postea Peripateticæ Philosophiæ cum ani-
E mum intendisset, mirum est quanta animi subtilitate acutissimas difficultates enodabat. His præsidiis munitus, ad aulam accessit, favente Philippo Portæo abbate Tironensi, qui tam grande Perronii ingenium demiratus, non eum modo sua dignum amicitia judicavit, sed & Henrici III benevolentia singulari. Philippi igitur commendatione inductus in regis colloquium, facile sui maximam existimationem apud eum excitavit, quæ sane Perronium non mediocriter impulerunt tum ut errorem Protestantium, in quo

educatus fuerat, ejuraret, tum ut ad potiora A
scientiarum munimina se conferret. Scholasticæ ergo theologiæ palæstram ingressus, profundæ Philosophorum & S. Thomæ intelligentiæ adjecit SS. Patrum & maxime S. Augustini accuratam lectionem. Sanctioris etiam vitæ amore percitus, ecclesiasticum ordinem professus est. Tum vero incredibilis ingenii vis & scientiæ ejus altitudo emicuit, sive cum adversus hæreticos disputaret, sive cum carmina componeret, sive cum oratoriam artem exerceret. Deligitur enim annos natus 27, ut principi poëtarum sui seculi Ronsardo 1586, tum Henrici III jussu ut Scotiæ reginæ oratione funebri parentaret. B
Mortuo autem duce *de Joyeuse*, a quo unice diligebatur, emisit in lucem præclarum illud poëma, quod inter ejus opera numeratur. Ipse denique rex ejus opera in multis usus est, maxime in illo sermone quem in Blesensibus comitiis habuit. Defuncto rege, cardinali Borbonio in cujus familiam ascitus est, conciliata sibi Johannis Tuchardi cardinalis olim præceptoris amicitia, sese addixit. Interim zelo & eruditione vehementissima cum hæreticos insectaretur, multos ab errore revocavit. Præcipuos inter exstitit Henricus Spondanus Apamiensis episcopus de ecclesia & literatis omnibus optime C
meritus, ut ipse testatur in epistola qua Perronio epitomen Annalium Baronii consecrat. Non multo post cum in obsidione Rotomagensi Henricum IV prima vice salutasset, rex ejus societate delectatus & ingenii magnitudine, eum majoris negotii rebus adhibuit, & cum Meduntæ catholici ab hæreticis provocati essent, Perronius fidei catholicæ partes ita est tutatus, ut de adversariis non ignobilem victoriam reportaret, quæ res Henrici conversionem plurimum promovit: nam ipsi cum pergratus esset, ejus suasione præsulum illustrem cœtum convocavit, ut de hæreseos abjuratione consultius deliberaret, quos inter proceres D
ut sedem meritis dignam teneret Perronius, ipsum Ebroicensem episcopum designavit. Tanto autem argumentorum pondere calvinistarum dogmata confutavit, tanta luce eorum argumenta diluit, tanta majestate & doctrina fidei decreta asseruit, ut paulo post, ipso præsente, rex pravo errori
1593. nuncium mitteret die Jovis 22 Julii 1593 in basilica S. Dionysii. Supererat tamen magnæ difficultatis negotium, rex ut in pontificis gratiam rediret, cui totis artibus obnitebatur Hispanus, ut Galliæ tumultus foveret. Pluribus ergo legatis ab Henrico missis non exauditis, denique Nivernensis dux cum episcopo Cenomannensi E
& Perronio destinatur, qui Clementis animum hactenus asperiorem usque adeo delinivit, ut compositis de quibus disceptabatur conditionibus pro absolutione & pœnitentia regis, felicissimum exitum res obtineret: nam vice Henrici IV Perronius & Ossatus in porticu basilicæ S. Petri coram Papa humiliati & procumbentes, pœnitentium castigationem subeuntes, pro rege absolutionem vinculi hæreseos receperunt. Quæ res pontificis animum ipsi conciliavit, a quo multis

ANNI CHRISTI

in difficillimis ecclesiasticæ gubernationis & religionis rebus in consilium advocatus, eum amoris testificandi gratia in consistorio publico
proposuit 16 Decembris 1595, eique episco- 1595.
palem annulum dono dedit, quo semper est usus. Igitur, post obtentam a Clemente VIII absolutionis sententiam, a cardinali de Joyosa archiepiscopo Rotomagensi Romæ in ecclesia S. Ludovici anno 1595 Decembris 27 die festo S. Johannis Evangelistæ episcopus Ebroicensis est consecratus, sacræ inaugurationi operantibus Guillelmo *d'Avançon* Ebredunensi archipræsule & Anna *d'Escars* Lexoviensi episcopo. Roma
discessit 28 Martii 1596. Antequam vero 1596.
Ambianum ad regem pervenisset, scripsit ei literas summus pontifex datas 10 Maii 1596. Reversus in Gallias a rege perhumaniter susceptus est. Per procuratorem Johannem *des Champs* archidiaconum in possessionem ecclesiæ suæ inducitur die Lunæ 8 Julii 1596. Præsens adfuit exeunte Julio, & festum conversionis Henrici IV per 20 annos instituit ad 17 Sept. Ad comitia regni apud Rotomagum a rege vo-
catus convenit ultima Augusti. Insequenti anno 1597.
auctor fuit regi ut in collegio Sorbonæ duos lectores in theologia constitueret, & ad regios ministros plures dedit literas pro sublevanda civitate Ebroicensi, quæ ab annis novem pastore fuerat destituta. Interim Philippus Mornæus Salmuriensi arci præfectus, vir inter Protestantes magni nominis, cum librum emisisset in lumen Gallico idiomate de Eucharistia, ejus antiquo usu & abusu, ut rudioribus fucum faceret, cum hinc inde multis scripturarum & SS. Patrum pessime citatis & intellectis locis opus suum conspersisset, Perronius ejusmodi novatorum acerrimus insectator, palam professus est se quingentos hoc in opere pinguissimos errores clare demonstraturum: unde apud Fontembellaquam nominatissimum illud colloquium a rege indictum est, ad quod convenientibus multis ecclesiæ proceribus, necnon adversariorum fautoribus, insignem
de Mornæo triumphum retulit anno 1600, quo 1600.
factum est ut plures viri, tum ingenio, tum sanguine clari, ad fidem avitam redirent; & cum antea Harlæus Sancius baro hæresim abjecisset, Philippus quoque *Canaye* pro rege apud Venetos magnæ prudentiæ legatus, ecclesiæ catholicæ omnium bonorum gratulatione nomen dedit. Quin etiam Catharinæ Navarræ Henrici regis sororis præpositus est instructioni. Denique Aldobrandinum cardinalem cum Sabaudo duce conciliavit, quos inter disceptabatur de S. Catharinæ propugnaculi eversione. Nec interim vacabat a dispensatione sacri verbi & a studiis vir improbi laboris, ut monstrum hæreseos verbis & scriptis edomaret. Post multa ergo prœlia & victorias purpurei galeri insigne ornamentum
obtinuit 17 Septembris 1603, adhortante rege 1603.
Henrico IV Clementem VIII, a quo 1604 1604.
die 9 Junii titulo S. Agnetis in agone donatus est. Inde fatis proxime cessuro pontifice Romam proficiscitur, ceteris cum Galliæ cardinalibus

ANNI CHRISTI

admissus in sacrum collegium, & summo cum honore habitus in congregationibus, ingenii singularia reliquit monimenta. Quantum vero potuit ad sedem apostolicam Baronium cardinalem promoveri enixus est, quod tamen Hispanorum factione prohibitum, ut qui ab eo propter ejus scripta essent alieni. Ibi quoque Montaltensi & Aldobrandino cardinalibus, pontificum superiorum nepotibus, inter se graviter dissidentibus, omnium precibus felicissime ad pacem & concordiam revocatis, Paulus V electus est, a quo amplissimo diplomate motu proprio donatus est
1605. 6 Julii 1605. Postea cum de auxiliis gratiæ & liberi arbitrii cœpta Romæ congregatio sub Clemente VIII & fere absoluta, iterum convocata esset, eique aggregatus Perronius, partim ejus consilio quæstio inter theologicas difficillima, quæ tamdiu totius Europæ celeberrima ingenia exercuit, interminata remansit. Relicta Roma, cum Jacobus Anglorum rex librum publicasset quo varias de fide controversias agitabat, jussu Henrici IV responsionem scripsit Perronius, qua solida plane doctrina e Patrum, conciliorum & ecclesiasticis regulis hausta illum confutavit. Decedente Belnensi Senonum archiepiscopo, huic metropoli præfectus est, majorque Galliarum eleemosynarius renunciatus mense Oc-
1606. tobri 1606. Denique facta cum sequenti abbate S. Taurini permutatione, huic Ebroicensem cessit ecclesiam. Reliqua in Senonensibus.

DE PERICARD.

LXXII. Guillelmus VI.

E familia togata apud Normannos ortus Guillelmus, Normanniæ senatus consiliarius, canonicus, cantor, dein decanus ecclesiæ Rotomagensis, archiepiscopi vicarius generalis abbasque commendatarius S. Taurini, permutatione facta cum Jacobo, fit episcopus Ebroicensis, & possessionem per procuratorem init die Veneris
1608. 5 Septembris 1608. Abhinc ad biennium, ex dispensatione apostolica, decanatus Rotomagensis fructus percepit. Solennem ipse ingressum fecit
1609. Dominica 12 Octobris 1609. Restaurando statim S. Salvatoris parthenoni incubuit: coad-
1612. jutorem accivit 1612, quo anno fundantur Capucini. Defunctus Guillelmus 26 Novembris 1613, delatus est ad S. Taurinum, tum sepultus in choro cathedralis ecclesiæ.

DE PERICARD.

LXXIII. Franciscus.

Johannis generalis in senatu Rotomagensi procuratoris, germani Abrincensis & Ebroicensis episcoporum filius Franciscus, libellorum supplicum magister, canonicus & decanus Rotomagensis, patruo datur coadjutor cum titulo episcopi Tarsensis, & inauguratur mense Decembri 1612; quo nomine ecclesiæ Ebroicensi obse-
1613. quium præstitit 13 Novembris 1613, quod iteravit factus episcopus post mortem patrui die Lunæ 2 Decembris anni ejusdem, & possessionem init die 4. Regi fidem juravit Parisiis die 11 eorumdem mensis & anni. Ecclesiam suam ingressus est deducentibus monachis S. Taurini

A 26 Januarii 1614. Synodum habuit 15 Maii, in qua statuta condidit pro parochis, vicariis & sacerdotibus suæ diœcesis. Parisiensibus cleri Gallicani comitiis interfuit anno eodem & Burdigalensibus anno 1621. Seriem episcoporum Ebroicensium huic dicavit anno 1622 Johannes *le Jau* canonicus, pœnitentiarius & vicarius generalis, cujus exequias celebravit 15 Septembris 1631. Moniales Ursulinas in urbem accivit anno 1623. Prioratum S. Antonii de Pontearcæ fundatum anno 1635 approbavit, sicut & parthenonem de Novoburgo anno 1638. Dedicavit 29 Maii 1636 ecclesiam Capucinorum
B Vernonensium & in ecclesia collegiata B. Mariæ in eodem oppido altare in honorem S. Barnabæ apostoli. Rogatus anno 1639 calendis Januarii ut S. Adjutoris honorem in diœcesi latius protenderet, literis datis 13 Aprilis ejusdem anni libenter annuit, cujus etiam cultum amplificavit literis datis 27 mensis ejusdem. Meduntanis comitiis a provincia deputatus interfuit anno 1641, in quibus pro cleri Gallicani defensione ita se gessit, ut a Ludovico rege in suam diœcesim abire jussus fuerit; sed rex paulo post cognita rei veritate, eum in gratiam restituit. Moniales S. Francisci quæ apud Luparias admissæ
C fuerant anno 1622, paulo post pro possessis a dæmone habitæ, maximam curam & sollicitudinem Francisco ab anno 1643 ad mortem procrearunt: unde sævitum est in auctores maleficiorum in senatu Normanniæ. Ipsius quoque curis & munificentiæ non minima ex parte debetur fundatio monasterii S. Nicolai apud Vernolium pro monialibus Benedictinis. Monachos congregationis S. Mauri admisit 2 Martii 1642 ad instaurandam in Taurinensi cœnobio monasticam disciplinam, rogante Jacobo *le Noel* abbate, qui ei in episcopali cathedra successit. Unus fuit e judicibus a sancta sede delegatis in causa epis-
D copi Leonensis anno 1645. Naturæ debitum solvit Luteciæ die 21 Julii 1646, unde delatus ad S. Taurinum 18 Novembris a Jacobo successore designato, die 19 sepultus est in ecclesia Ebroicensi ad dextrum latus majoris altaris ab eodem; cor vero tumulatum in ecclesia S. Nicolai de Vernolio.

LXXIV. Jacobus II.

LE NO[EL] DE PERR[ON].

De Jacobo jam diximus tom. II. col. 1021. Filius erat Roberti *le Noel* domini *de Groucy* & Mariæ *Davi* sororis cardinalis *du Perron*, quod cognomen suo adjecit. Abbas S. Taurini
E & Liræ, ex Encolismensi ad Ebroicensem a rege transfertur post obitum Francisci, commendatus a regina Angliæ, cujus major erat eleemosynarius, 30 Augusti 1646. Designatus adhuc erat, cum unus e judicibus ab Innocentio X delegatis 23 Decembris 1645, Renatum *de Rieux* episcopum Leonensem cum aliis restituit 6 Septembris 1646. Regi fidem dixit apud S. Germanum in Laya 13 Octobris 1648. Eccle- 1648
siæ suæ possessionem per procuratorem Johannem *de la Marre* iniit 26 eorumdem mensis & anni,

per se ipsum vero die Dominica 15 Novemb. maximo apparatu & ingressu solenni, deducentibus monachis S. Taurini, quibus 56 aureos dedit pretium equi & annuli aurei, quia pedes advenerat. In jucundo adventu crucem & sex candelabra argentea, quæ in festis solennibus altare majus decorant, ecclesiæ Ebroicensi donavit, majora donaturus, si vixisset: ast inter civiles civitatis suæ motus, dum aufugere tentat, a civibus impeditur. Tædio confectus, obiit Ebroicis die
1649. 17 Februarii 1649. Corpus ejus propter bellorum tumultus ad S. Taurinum non fuit delatum, sed in choro ecclesiæ cathedralis ante majus altare sepultum est die 30 Martii ejusdem anni : cor vero in ædem S. Ludovici Patrum societatis Jesu apud Parisios deportatum, ut testamento caverat suo, collocatum est juxta corda cardinalis Perronii ejusque fratris Johannis Senonensium archiepiscoporum, quibus epitaphia in ecclesia Senonensi inscribenda curaverat.

LXXV. EGIDIUS II.

Translatus ob causam quam diximus tom. I. col. 1170. Egidius ex Adurensi ad Ebroicensem ecclesiam mense Februario, al. 17 Aprilis 1649 & ab Innocentio X bullis donatus, ecclesiæ Romanæ fidem jurat Parisiis 15 Febr. 1650. Possessionem per procuratorem Johannem *de Beaumesnil* cantorem Ebroicensem apprehendit
1650. 18 mensis ejusdem; ipse vero 5 Aprilis sequentis. Synodum statim totius diœcesis habuit, cujus statuta publicavit. Ludovicam de *Choiseul* abbatissam Salvatorii Laudunensis benedixit in mo-
1653. nasterio S. Germani Parisiensis an. 1653. Unus e duobus inter præsules a rege delegatus est judex, ut in sacro consistorio cleri negotia tue-
1654. retur anno 1654. Collabentibus in sua diœcesi sacra episcoporum jurisdictione, ecclesiastica disciplina, privilegiis & immunitatibus, ea restaurare sategit, unde gravissimæ ac molestissimæ lites cum capitulo exortæ, quibus finis impositus
1658. per judices electos die ultima Februarii 1658. Jurisdictionem quoque capituli Vernonensis a Luca episcopo concessam & a canonicis plus æquo extensam, senatus Normanniæ consulto ad certos fines reduxit. Corpus Henrici Lotaringi ducis Elbodii, Parisiis defuncti die 30 Novembris 1657, Elbodium advectum excepit, & crastina 1 Dec. in ecclesia S. Johannis missarum solennia celebravit, quibus peractis, illud ad ecclesiam S. Ludovici de Saussëia in tumulo majorum sepeliendum deduxit. Corpus quoque ducissæ Bullionii Parisiis allatum, in choro ecclesiæ S. Taurini prope conjugem deposuit 17 Julii 1658. Apologiam casuistarum
1659. reprobavit 15 Januarii 1659. Synodo Pontifarensi adfuit 15 Aprilis 1660, & subscripsit bullis Innocentii X & Alexandri VII. Obiit
1661. Parisiis 11 Martii 1661, annos natus 66. Corpus Ebroicas delatum ad S. Taurinum die 14, in episcoporum tumulo die 15 sepulturæ mandatur, defuncti laudes prosequente N. *l'Escalopier* regio concionatore ordinario.

ANNI CHRISTI

§ In diariis publicis legitur Josephus Zongo Onde-Dei ex Forojuliensi translatus a rege ad Ebroicensem ecclesiam mense Martio 1661, sed hæc translatio suum sortita non est effectum; nam

LXXVI. HENRICUS.

CAUCHON DE MAUPAS DU TOUR.

Henricum jam attigimus, tom. II. col. 738. Natus parentibus quos diximus, adolescens commendis S. Dionysii Remensis & Insulæ Calveti donatur. Per decennium Remensem diœcesim tam in spiritalibus quam in temporalibus vicarius generalis cum administrasset, inde primus Annæ Austriacæ eleemosynarius, ad ecclesiam Aniciensem promotus est a rege anno 1641; unde ad Ebroicensem translatus 1 Julii 1661, eodem anno de regis mandato & totius cleri Gallicani cum episcopo Suessionensi Romam profectus est ad procurandam canonizationem Francisci Salesii. Anno 1664, quasi invitus & jussu, ut ita 1664.
dicam, Alexandri VII summi pontificis, cui se ipsum & totum negotium commendaverat impulsus, possessionem episcopus Ebroicensis per Rodolfum *Fournier* apprehendit die 19 Maii. Regi fidem dixit 7 Augusti 1665. Seminarium 1665.
Ebroicense fundavit 14 Januarii anno 1667, 1667.
sicut Aniciense olim fundaverat. Corpus S. Juventii martyris Roma ad Casam Dei allatum recognovit 10 Maii anni ejusdem, sicut & caput S. Porciani apud Aquilam anno 1673. Cessit 1673.
in gratiam sequentis mense Februario an. 1680, 1680.
ætatis annum agens 80, quo anno dum e pago non longe distito, quo populum cœlesti verbo recreaturus perrexerat, Ebroicas revertitur, equorum quatuor impetu abreptus, dum rheda se proripere tentat, lapsus & rotis protritus, e terra fere exanimis levatus est, & post dies duos sacramentis ecclesiasticis munitus, animam exhalavit 12 Augusti anni ejusdem. Sepultus est in ecclesia Ebroicensi, in qua festum S. Francisci fundaverat, capellamque Martyrum ornaverat. Commendatur maxime ob ecclesiasticam disciplinam, admirabilem pietatem, scientiam & zelum animarum, virtutum odorem, doctrinæ lumen, eximiumque erga pauperes amorem.

§ Ludovicus Joseph *Adhemar de Monteil de Grignan* cleri Gallicani procurator generalis, a rege designatus 23 Februarii 1680, per cessionem Henrici ætate gravis, Romæque proclamatus a cardinali *d'Estrées* 29 Martii 1681, bullis non obtentis, ad Carcassonensem mense Maio transfertur, ubi vide tom. VI.

LXXVII. JACOBUS III.

POTIER DE NOVION.

Gente Parisinus Jacobus, deuterogenitus Nicolai *Potier* domini *de Novion*, *Villebon*, *Grignan*, *&c.* protopræsidis in senatu Parisiensi & Catharinæ *Gallard*, laurea doctoris in facultate Parisiensi donatus 2 Julii 1676 abbasque Eleemosynæ, ex episcopo Sistaricensi Forojuliensis, ex Forojuliensi Ebroicensis a rege nominatus mense Maio 1681, possessionem obtinuit 16 1681.
Maii 1682. Conventui episcoporum provinciæ 1682.

ANNI CHRISTI 1699. 1709.

apud Gallionem adstitit per procuratorem anno 1699. Obiit in sua diœcesi 14 Octobris 1709, annos natus 62, sepultusque est in choro a parte sinistra.

5 Gasto Armandus *Sublet de Heudicourt* patre Michaele marchione *de Heudicourt,* matre Bona *de Pons* natus, abbas de Rota, vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis apud Pontisaram, episcopus Ebroicensis nominatus a rege 1 Nov. 1709, per obitum Jacobi, nondum bullas adeptus obiit Rotomagi 10 Febr. 1710 & in ecclesia *de Heudicourt* diœcesis Rotomagensis sepultus est.

LE NORMAND

LXXVIII. JOHANNES VI.

Parentibus N. *le Normand* Aurelianensi cive & N. *Chaillou* Aurelianis natus Johannes anno 1662, sua sibi virtute ad dignitates ecclesiasticas gradum fecit. In societatem collegii Sorbonici adscitus 5 Maii 1683, laurea doctoris insignitur 16 Maii 1686. Canonicus S. Honorati capituli perdiu res gessit. Ab archiepiscopo Parisiensi primum promotor mense Januario 1700, dein 12 Aprilis 1709 fori ecclesiastici constitutus judex, cleri ipsius Gallicani procurator designatus anno 1705, a provincia Parisiensi ad comitia ejusdem generalia deputatur
1710. anno 1710. Quo tempore, defuncto Gastone Armando, a rege episcopus Ebroicensis renunciatur 12 Julii 1710. Consecratur ab Antonio cardinali *de Noailles* archiepiscopo Parisiensi in ecclesia collegii Sorbonæ die Dominica 21 Dec. assistentibus episcopis Tornacensi & Maclovienſi. Possessionem per procuratorem Nicolaum *Petit de Captot* cantorem Ebroicensem init 29 eorumdem mensis & anni, ipse vero 1 Aprilis 1711. Biennio post commenda S. Taurini donatur anno 1713. Plurima suppressit festa anno 1716, quæ omnibus gravia, a pluribus non celebrabantur. Obiit in sua diœcesi die 7 Maii 1733, annos natus 78.

LXXIX. PETRUS JULIUS CÆSAR.

Ludovici domini *de Montigny, du Monceau, &c.* ac Elizabetæ *de Cugnac* filius Petrus Julius Cæsar, prior S. Laudi Rotomagensis & vicarius generalis episcopi Aurelianensis, nominatus a rege episcopus Ebroicensis ineunte Septembri 1733, Romæ proclamatur 2 Decembris anni ejusdem, & proponitur 16 Februarii 1734. Parisiis inauguratur in ecclesia novitiatus Jesuitarum ab archiepiscopo Rotomagensi, cooperantibus Constantiensi & Metensi episcopis die 21 Martii, & quatriduo post regi juravit fidem 25 Martii 1734. Commenda Bonæ-cumbæ Rutenensis donatus est 18 Septembris 1738, & Conchensi mense Maio 1747. Translatus est ad ecclesiam Bajocensem 18 Augusti 1753.

LXXX. ARTURUS RICARDUS.

Vicarius erat generalis archiepiscopi Rotomagensis apud Pontisaram Arturus Ricardus, cum a rege nominatus episcopus Ebroicensis 18 Aug. 1753, Romæ proclamatus est 26 Septembris, inunctus 28 Octobris, regi sacramentum fidei præstitit Versaliis 17 Decembris anni ejusdem.

DECANI EBROICENSES.

I. FULCO *de Garlenville* discipulus Fulberti Carnotensis episcopi, decanus Ebroicensis, nobilem sociam Orieldam habuit, ex qua filios octo & duas filias suscepit. Pravum hunc morem ortum apud clericos ex Normannorum recens conversorum barbarie ait Ordericus Vitalis lib. V. p. 574. Postea diutinæ corruptionis saniem purgaturus, Uticum venit, ubi monachus factus, multa dedit monasterio circa 1080.

II. Girardus I ex decano Ebroicensi factus est episcopus Sagiensis anno 1082.

III. Rogerius erat decanus tempore Gisleberti episcopi & Eustachii abbatis S. Petri Carnotensis.

IV. Odo 1139.

V. Osbernus 1142, notatur 2 Januarii in necrologio.

VI. Guillelmus I de Gloto 1150. Memoratur 1157 in chartis S. Petri Carnotensis, præfuitque Romæ sedentibus Eugenio III & Adriano IV, & Ebroicis Rotrodo.

VII. Robertus I *de Neubourg* nepos Rotrodi episcopi, memoratur anno 1158 in chartulario. Cum Egidio episcopo Ebroicensi & Rogero Wigornensi missus est Romam anno 1171 pro Henrico Angliæ rege post obitum Thomæ archiepiscopi Cantuariensis. Præerat adhuc anno 1176, inde decanus Rotomagensis.

VIII. Guido Egidio episcopo & Stephano abbate Carnotensi memoratur decanus.

IX. Richardus I anno 1178, ex chartis S. Petri Carnotensis.

X. Guillelmus II *de Sabluel,* bullam obtinuit ab Alexandro, an III?

XI. Rotrodus occurrit in charta Radulfi de Bosco anno 1183, & die 8 Martii in necrologio.

XII. Ricardus II memoratur in inquisitione facta a Sansone abbate S. Audoëni jussu Cœlestini III anno 1193.

XIII. Petrus I de Carooto in charta fundationis præbendæ de Bernienvilla in ecclesia Ebroicensi occurrit.

XIV. Robertus II præerat Guarino præsule.

XV. Lucas in chartulario Noæ anno 1190 & 1197, in Ebroicensi 1200 & 1202, inde episcopus.

XVI. Radulfus *de Cierrey* anno 1201 in regesto 31 chartarum thesauri, solo primo apice *R* notus, testis fuit cum Luca episcopo compositionis factæ inter Johannem abbatem S. Taurini & Thomam de Loiis pro patronatu ejusdem

ejusdem ecclesiæ, vulgo *Lanois*. Anno 1206 A die 10 Martii, una cum capitulo, dedit literas de viso a se rescripto Lucæ episcopi dantis abbati & monachis S. Taurini tertiam garbam in ecclesia de Silleio, retento uno modio bladi. Reperitur adhuc annis 1207, 1209 & 1219 variis in chartulariis. Fit ultimo hoc anno episcopus, ut diximus col. 583.

XVII. Henricus præerat annis 1221, 1223, 1224 & 1225. Notatur 9 Januarii in necrologio.

XVIII. Robertus III 1226, 1228, 1229, 1232.

XIX. Humbertus 1233. B

XX. *F.* reperitur 1234 in chartis Becci. Præfuit electioni Radulfi episcopi die Lunæ post Dominicam SS. Trinitatis 1236. Cum W. de Broovilla archidiacono fuit exsecutor testamenti Ricardi episcopi, ex ejusdem chirographo dato mense Martio 1237. Idem forte est ac Firminus memoratus in necrologio 26 Augusti.

XXI. Johannes 1248 & 1252 in chartulario.

XXII. Girardus II *d'Aumale* decanus memoratur anno 1262 cum Philippo abbate Fulcardi-montis. Radulfi episcopi statutis pro visitatione, procuratione & jurisdictione archidia- C conorum editis anno 1268 & publicatis mense Aprili subscripsit *G.* Notatur 6 Aprilis in necrologio.

XXIII. Bartholomæus *de Robercourt* 1273.

XXIV. Garinus 1280, Philippo episcopo; 1281 in chartis Becci, 1282 S. Catharinæ. Arbiter eligitur inter abbatissam S. Salvatoris & Robertum de Mellevilla 1284. Occurit adhuc 1285.

XXV. Petrus II *le Tiolois* Silvanectensis, ex decano S. Frambaldi decanus Ebroicensis, testis fuit dati cervi abbatissæ S. Salvatoris pro decima venationis anno 1289. Approbavit compromis- D sum factum a Nicolao episcopo cum eadem abbatissa anno 1291. Reperitur adhuc annis 1298, 1299, 1300 & 1302.

XXVI. Adamus de Insula-Adæ frater Guillelmi de Insula cancellarii ecclesiæ Rotomagensis, decanus erat Ebroicensis annis 1308, 1318, 1320. Legata a patre Ansello monachis B. Mariæ de Valle approbavit mense Maio 1324. Electum diximus Episcopum 1328.

XXVII. Robertus IV *de Brucourt* præfuit ab anno 1330 ad 1340, quo factus est episcopus. Divisionem parochiæ de Locoveris in tres parochias approbavit cum capitulo anno E 1332.

XXVIII. Robertus V *de Bistaut de Heudebonville* decanus Ebroicensis & canonicus Rotomagensis, Caroli regis Navarræ consiliarius, fundavit anno 1348 capellam Angelorum in ecclesia Ebroicensi. Præerat adhuc 1359 mense Septembri.

XXIX. Petrus *de Moulins*, quem ex decano electum volunt episcopum anno 1388.

XXX. Guillelmus III *le Gaignant* 1393.

XXXI. Petrus IV de Ogero in utroque jure licentiatus, canonicus Parisiensis, consiliarius parlamenti Parisiensis, decanus Ebroicensis, adstitit concilio Parisiensi 1414. Instituit anniversarium de 30 solidis Turonensibus. Obiit IV idus Maii. Jacet infra introitum capellæ B. Mariæ.

XXXII. Guillelmus IV de Cella Petro successit electus 1421.

XXXIII. Gaudentius de Sternante de Novaria, electus est 1427 mense Martio.

XXXIV. Robertus VI *Cibole* e Britolio ortus, doctor theologus facultatis Parisiensis, universitatis cancellarius, camerarius Nicolai V, decanus erat anno 1453, ex regestis Scacarii. Anno sequenti, Nicolaus papa indulsit ei ut quæcumque beneficia tenere posset etiam absens, locumque eligere valetudini sanum & sociis commodum. Sepultus est in ecclesia Parisiensi anno 1458.

XXXV. Simon *Chevestre* e nobili apud Ebroicas familia, canonicus præbendatus S. Columbæ, electus decanus 1458, feodum S. Germani de Angulis dedit capitulo & ecclesiæ argenteam B. Virginis imaginem. Legitur anno 1453 & 1477 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XXXVI. Oliverius *de Pontbriant* 1491 in regestis capituli.

XXXVII. Ambrosius *le Veneur* decanus an. 1506, episcopus 1511.

XXXVIII. Gabriel *le Veneur* prior Plessæi Grimoldi, decanus erat XI Octobris 1508.

XXXIX. Johannes I *le Veneur* Ambrosii & Gabrielis germanus, licet episcopus Lexoviensis, Ebroicensem decanatum tenuit ad annum 1535.

XL. Jacobus I *d'Annebaut* canonicus præbendæ *de Thevray* & archidiaconus Ebroicensis, ex decano Ebroicensi fit episcopus Lexoviensis 1539.

XLI. Johannes II *de Morvilliers* decanus erat ecclesiæ Ebroicensis, cum electus est episcopus Aurelianensis 27 Aprilis 1552, ex regestis Vaticani.

XLII. Johannes III *de Fages* mortuus est anno 1556.

XLIII. Michael *Guiffart* consiliarius in parlamento Normanniæ, decanus erat annis 1564 & 1565.

XLIV. Johannes IV *Guiffart* nepos Michaelis, patruo successisse videtur anno 1579 ad 1588 mense Aprili. Forte æmulum habuit sequentem.

XLV. Franciscus I *de Canouville* decreto senatus Rotomagensis dictus est decanus, quod Johanni *Guiffart* denunciatum est 12 Aprilis 1588. Et certe mense Maio sequenti & in capitulo generali dicitur decanus. Defunctus mense Martio 1589, sepultus est prope sacellum, ubi decanus sacrum celebrare solet.

XLVI. Christophorus *Eudes* in necrologio dicitur decanus & officialis Ebroicensis, & antea officialis Ebroicensis & vicarius generalis cardinalis *de Bourbon* archiepiscopi Rotomagensis & Gabrielis *le Veneur* episcopi defuncti 1574. Memoratur 5 Novembris in necrologio.

XLVII. Johannes V *Guesbert* ex magistro scholarum pœnitentiarius, ex pœnitentiario decanus anno 1594 mensibus Januario & Martio, mortuus est anno 1602 & sepultus prope altare B. Mariæ retro chorum.

XLVIII. Petrus V *de la Marre* an. 1604, forte æmulum passus Johannem *Saulmon*.

XLIX. Franciscus II *Joulet* ex canonico & cantore decanus a Clemente VIII dictus, æmulum passus est Johannem *du Prey*, quem intrusum vocat Clemens & repulit senatus Parisiensis anno 1606, a quo in possessionem missus est Franciscus.

L. Renatus *de Joingny Blondet* Boloniensis, permutatione facta cum Francisco decanus, possessionem adeptus est 27 Junii 1612. Sedis apostolicæ protonotarius erat, & prior S. Audomari *de Bousson*. Ejus insignia adhuc conspiciuntur in capellis Angelorum & B. Mariæ-Magdalenæ. Obiit anno 1623.

LI. Johannes VI *le Jau* nobilis Parisinus, ex pœnitentiario decanus electus 7 Julii 1623, vicarius generalis fuit Francisci *de Pericard* episcopi. Parthenonem Ursulinarum fundavit anno 1626. E vivis excessit 1631, cujus exsequias celebravit 15 Septembris Franciscus episcopus in capella, quam in ecclesia Capucinorum construxerat Johannes.

LII. Robertus VII *Boullenc* ex archidiacono & canonico electus decanus 29 Sept. 1631, defunctus est anno 1634.

LIII. Adrianus *de Quesnel*.

LIV. Robertus VIII *Boullenc* penultimi nepos cessit 1647.

LV. Jacobus II *le Doux de Melleville* nobilis Ebroicensis, ex canonico & archidiacono factus permutatione decanus, possessionem iniit 28 Octobris 1647. Jura capituli viriliter tutatus est. Seminarium partim fundavit, cujus in sacello, defunctus anno 1680, sepeliri voluit, ubi legitur ejus epitaphium supra marmoream tumbam.

LVI. Robertus-Maria *d'Eu* nobilis Cenomannus, a rege commendatus, a capitulo eligitur mense Martio 1680.

LVII. Franciscus III *Bitaut* e familia in senatu Parisiensi togata, doctor & socius Sorbonicus, permutatione facta cum Roberto decanus, possessionem apprehendit 28 Septembris 1695. Privilegia capituli ea sagacitate defendit, ut decanus a Lingonensibus appetitus, ab Ebroicensibus enixe rogatus fuerit ut maneret. Horum precibus annuens, illorum vota elusit. Comitiis generalibus cleri Gallicani adfuit 25 Octobris 1715. Vicarius generalis episcopi obiit 27 Junii 1738.

LVIII. Petrus-Ludovicus *de Savary* Ebroicensis, abbas Belliloci Lingonensis, ex canonico decanus, possessionem adeptus est 3 Julii 1738.

Hos præter leguntur in necrologio.

Robertus *d'Aviron* 11 Januarii.
Guillelmus de Porpincheio die eadem.
Richardus 14 Februarii.
Gaudencius *l'Escrivain* 23 Februarii.
Ricardus *de Fecan* 12 Aprilis.
Guillelmus de Gaugiaco 5 Maii.
Johannes *Poucin* 18 Julii.
Johannes *Rebours* 29 Julii.
Robertus 7 Septembris.
Petrus 13 Septembris.
Guillelmus *Bole* de Maritolio 27 Septembris.
Radulfus de Roya 28 Septembris.
Philippus.
Stephanus *le Noble*.
Nicolaus *le Blanc*.

ABBATIÆ DIŒCESIS EBROICENSIS

Sunt numero quatuordecim, nempe:

ORDINIS S. BENEDICTI.

Virorum.

Sanctus Taurinus, *S. Taurin.*
Crux S. Leufredi, *la Croix S. Leufroy.*
Conchæ, *Conches.*
Lira, *Lire.*
Ibreium, *Ivry.*

Feminarum.

S. Salvator, *S. Sauveur.*
S. Nicolaus de Vernolio, *S. Nicolas de Verneuil.*
Novus burgus *Neuf-bourg.*
Paceium, *Pacy.*

ORDINIS S. AUGUSTINI.

Feminarum.

S. Ludovicus de Vernone, *S. Louis de Vernon.*

ORDINIS CISTERCIENSIS.

Virorum.

Brolium Benedicti, *Breuil-Benoît.*
Noa, *la Noë.*
Bonus portus, *Bon-port.*

Feminarum.

Strata, *l'Estrée.*

Has præter abbatias, Arturus & Sammarthani abbatiam de Valle in diœcesi Ebroicensi distinguunt, quam anno 1137 die 15 Novembris fundatam vult Arturus, monachosque ex Alneto accitos. Benefactores recenset comites de Longavilla in Normannia & *de Bukingham* in Anglia, præter Philippum Franciæ regem, hancque sitam olim tradunt in parochiali nunc ecclesia *dicta de Berengeville-la-Rivière*, ubi non ita pridem defossi sunt tumuli, repertæque inscriptiones ac imagines monachorum & militum. Hujus erat abbas Henricus Bajocensis episcopus anno 1165.

S. TAURINUS.

PRIMUS Ebroicensium episcopus S. Taurinus defunctus, sepultus est in loco, ubi paulo post & ecclesia & monasterium ejus in honorem erecta sunt. Jam exstabat monasterium exeunte seculo septimo, in quo nempe S. Leufredus monasterii S. Crucis auctor primas didicit literas. Et certe inter antiquiora a Willelmo Gemeticensi recensetur Normanniæ cœnobia, quæ a Normannis adhuc paganis destructa, studio bonorum principum reædificata sunt. S. Taurini restaurator in necrologio legitur Ricardus senex dux Normannorum qui obiit anno 996, cujus habes in appendice donationes, in quibus Willelmi filius dicitur abbatiam in honorem S. Taurini instituisse. Ricardo quidem ejus filio hanc fundationem tribuit Robertus de Monte, nimirum quod inchoata a patre ædificia perfecerit. Ricardi II Robertus filius in compensationem Villaris monasterii a Ricardo patre Fiscannensibus prius concessi, monasterium S. Taurini eisdem largitus est anno 1035. Hinc e Fiscanno primi educti abbates, quæ servitus per annos fere ducentos duravit ad annum scilicet 1240. Taurinenses enim jugi impatientes unum e suis elegerunt & Fiscannensium imperium detrectaverunt judicio ab arbitris lato, quod confirmavit Innocentius X bulla data Lugduni x cal. Augusti pontificatus 1. Nonnullis aliis privilegiis gaudet monasterium, quibus gaudere solent monasteria ab antiquo instituta, quale est adventantem episcopum excipere, ad ecclesiam suam deducere, defunctoque in ecclesia S. Taurini corpori parentare. Alia fuit ante commendam prærogativa, qua regulares potiti sunt abbates, præbenda scilicet in ecclesia Constantiensi, qua ab episcopis illius ecclesiæ donati sunt. Suas quoque clades perpessa est abbatia: aliis communem omitto, Normannorum invasionem: at Philippus Augustus anno 1195 ad civitatem Ebroicarum veniens, eam penitus subvertit, ecclesiasque destruxit, nec ecclesiæ S. Taurini pepercit, ait Guillelmus Neubrigensis. Carolus VI Francorum rex die 18 Martii anno 1410, ad restaurandum cœnobium quod conflagrarat occasione bellorum adversus Navarræ regem, & destructum jacebat, concessit materiam necessariam in silva Ebroicensi. Seculo vix elapso, Guillelmus episcopus Ebroicensis, literis datis anno 1510, abbates, abbatissas, priores & priorissas suæ diœcesis hortatus est ad largas eleemosynas conferendas monasterio S. Taurini, & concessit conferentibus 40 indulgentiarum dies de injunctis pœnis pro pœnitentia indultis. Similes literæ annis 1515 & 1516 datæ leguntur. Anno 1565 cum monachi Taurinenses Calvinianæ vesaniæ vitandæ ergo reliquias humi occultassent, catholici quidam rei conscii loculos noctu furati, in lacunas projecerunt reliquias, quæ ipsis confitentibus & postea capite plexis reperiuntur. Denique monasterium S. Taurini unum est ex Ebroicensibus quæ reformationem S. Mauri subiere. Jam anno 1617 auctore cardinali Perronio abbate Cazalinæ disciplinæ dederant nomen Taurinenses, quæ postea Maurinæ cessit anno scilicet 1642. En abbates, non ex Arturo, sed ex chartis monumentisque superstitibus.

SERIES ABBATUM.

SEPTEM primi eruuntur ex historia manuscripta Ebroicensi, auctore J. B. *Macland* e societate Jesu, hique sunt.

I. Henricus.

II. Almundus.

III. Arnulfus.

IV. Ricardus I.

V. Anscherius.

VI. Garicus.

VII. Helgotus.

VIII. Fromundus subscripsit chartæ fundationis monasterii Conchensis anno 1035.

IX. Radulfus I ex monacho Fiscannensi abbas S. Taurini; quo defuncto, exorta lite inter Fiscannenses & Taurinenses circa electionem abbatis, causa hi cecidere post duos annos & dimidium, anno scilicet 1106. Charta IV. col. 127.

X. Willelmus I ex priore Fiscanni, electus est abbas 7 Novembris 1106, ex chartis Fiscannensibus.

XI. Paulus.

XII. Philippus I concilio Rotomagensi adfuit anno 1128.

XIII. Ranulfus I Fiscanni quoque monachus sedebat anno 1154, cui Ricardus de Milleriis restituit ecclesiam cognominem.

§ Quinque hi postremi monachi Fiscanni, Roberti de Monte tempore, S. Taurino præfuisse ab eodem dicuntur.

XIV. Lambertus anno 1157; de quo exstant literæ Richardi episcopi Constantiensis, ex quibus liquet Odonem sacerdotem ecclesiæ de Milleriis huic abbati fecisse satis. Obiit 1159.

XV. Ranulfus II adfuit translationi corporis S. Firmati apud Moretonium factæ ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo, qui obiit anno 1164. Ranulfus autem præerat adhuc annis 1166 & 1172.

XVI. Richardus II anno 1173.

XVII. Matthæus in chartis Fiscanni legitur III idus Maii anno 3.° Cœlestini III cum *R.* abbate Grestanensi, *A.* Divensi, *R.* Fontanetensi & *D.* Troarnensi. Biennio post Ricardus I Angliæ rex omnes S. Taurini possessiones confirmavit anno 1195. Charta XI. col. 138.

XVIII. Willelmus II testis legitur in charta *H.* Cluniacensis abbatis pro Nivelone de Lehuno anno 1205 mense Aprili.

XIX. Johannes I *de Martigny* Sagiensis, decimam de Calido becco emit anno 1206 a Roberto *Louvet*. Transegit mense Januario 1207 cum Philippo-Augusto de feria Ebroicensi, cujus medietas monachis assignata. Cum Johannes ejusque conventus concessissent *H.* episcopo Constantiensi absolutam & liberam dispositionem ecclesiarum de Piresis, *Periez*, & *Gaudrilmaisnil*,

ipse præfato abbati eisdemque monachis dedit ecclesiam de Pirescis in usus proprios convertendam nomine præbendæ, cujus quilibet abbas S. Taurini pro tempore foret canonicus, habens stallum in choro, locum in capitulo & plenum participium in omnibus agendis ecclesiæ, salvo eo quod ad electionem episcopi nisi de voluntate capituli non accederet, anno 1208. Hac autem præbenda ad annum 1526 potiti sunt abbates S. Taurini. Composuit Johannes anno 1214 cum Roberto archiepiscopo Rotomagensi de his quæ ad se pertinebant in nemore de Locoveris. Transegit anno 1218 cum Thoma de *Louviers* de patronatu ecclesiæ cognominis. Huic B anno 1219 Willelmus *Havart* miles dedit decimas apud Longam villam in parochia S. Marcelli. Vixit ad annum circiter 1223.

XX. Guillelmus III *de Courdieu* ex monacho Becci abbas S. Taurini, de consensu Richardi Ebroicensis episcopi, certis conditionibus confirmavit anno 1226 mense Maio locationem, quam Johannes anno 1211 fecerat Martino filio Galteri. Mense Julio, de consilio ejusdem episcopi, composuit litem ortam inter eum & Martinum Galterumque de Medonta ejus filium. Quædam cessit ad vitam anno 1228 Gilleberto *de la Forest* canonico Ebroicensi. Composuit C anno eodem mense Decembri cum Radulfo Malo-vicino coram Ricardo episcopo. Redemit anno 1239 procurationem quam episcopus Ebroicensis sibi vindicabat apud Locoveros. Factus est anno 1240 abbas Gemeticensis.

XXI. Gillebertus de S. Martino ex camerario S. Taurini electus abbas, ansam dedit liti inter abbates S. Taurini & Fiscannensem qui contendebat nullum eligi posse nisi monachum Fiscannensem. Secus judicarunt electi ab utraque parte arbitri Petrus abbas de Cruce S. Leufredi & Johannes *de Ros* canonicus Lexoviensis anno 1246, quorum judicium confirmavit Innocen- D tius IV bulla data Lugduni x cal. Aug. pontificatus 5. Reperitur adhuc Gillebertus anno 1252 in chartis Becci. Obiit 1255 in natali Domini.

XXII. Thomas, cujus & Odonis archiepiscopi Rotomagensis exstant literæ anno 1257 de quibusdam negotiis pro Locoveris, præerat adhuc annis 1258 & 1259.

XXIII. Ricardus II ex priore Gemeticensi abbas S. Taurini annis 1261 & 1262, composuit mense Decembri 1265 cum abbatissa S. Salvatoris pro quibusdam juribus quæ utraque pars in teloneo præposituræ Ebroicensis sibi E vindicabat. Eodem anno mense Februario dedit ad perpetuam firmam Roberto *Payart* præceptori domorum templi in Normannia omnes decimas in parochia de Saquenvilla. Defunctus est VII cal. Maii 1283.

XXIV. Simon I, quem Nicolaus Ebroicensis episcopus a se confirmatum testatur datis anno 1286 literis, notatur annis 1293 & 1294, defunctus 1296 pridie non. Aprilis.

XXV. Richardus III de Corneliis receptus A est die Veneris post Epiphaniam anno 1299 (1300) mortuusque 1312.

XXVI. Robertus I *de Cornuel* ecclesiæ Ebroicensi juramentum præstitit anno 1312. Bona & possessiones monasterii scriptis recensuit, sic jubente Benedicto XII, in capitulo generali apud majus monasterium habito anno 1337. Decessit calendis Aprilis.

XXVII. Jacobus I *de Senlis G.* episcopo obedientiam promisit 2 Junii 1338.

XXVIII. Guillelmus III *Guitard* monachus ordinis S. Benedicti Lemovicensis diœcesis, factus a Clemente VI abbas S. Taurini, *R.* episcopo Ebroicensi obedientiam promisit 24 Octobris. Inde episcopus S. Pauli Tricastrinensis cameræ apostolicæ solvit 19 Augusti 1348, & post Lexoviensis, ubi vide.

XXIX. Johannes II, decanus dictus, sedebat, inquiunt, Roberto de Brucuria episcopo.

XXX. Robertus II obiit anno 1 Innocentii VI, ex commentariis Henrici *Suarez*.

XXXI. Adam *Pinchemont* Roberto successit anno 1353. Memoratur in chartis authenticis *D. de Gaignieres* annis 1378 & 1379.

XXXII. Petrus I *le Roy* e diœcesi Constantiensi oriundus, doctor in decretis, *B.* episcopo juravit obedientiam 23 Octobris 1381. Occurrit apud *D. de Gaignieres* 6 Novembris 1384. Inde abbas Exaquii 1385 & Montis S. Michaelis 1386.

XXXIII. Simon II *Chauvin P.* episcopo obedientiam promisit 19 Octobris 1385. Legitur in chartis authenticis *D. de Gaignieres* ab anno 1385 ad 1408.

XXXIV. Philippus II *Prunelé G.* episcopo obedientiam promisit 7 Decembris 1408. Concilio Pisano adfuit anno 1409. Huic datus salvus conductus ad Henricum V Angliæ regem, regni 6.° Monasterium bellis destructum sumtibus diœcesis restaurari curavit 1417. Defunctus est ante diem XI Aprilis 1420.

XXXV. Robertus III *Beuriere* data ab Henrico V eligendi licentia regni anno 8.° electus abbas, *P.* episcopo obedientiam juravit anno 1421 die Lunæ post Pascha in vigilia Annuntiationis.

XXXVI. Johannes III *de Surville* doctor regens in decretis Parisiis, Paulo episcopo juravit obedientiam 20 Martii 1424. Transegit cum Johanne archiepiscopo Rotomagensi 1426. Memoratur 27 Maii 1428 in chartis *D. de Gaignieres;* inde abbas S. Mauri Fossatensis 1431, forte permutatione facta cum sequenti. Memoratur VII cal. Martii in necrologio S. Eligii Parisiensis.

XXXVII. Ludovicus de Castellione ex abbate Fossatensi Taurinensis, regi juravit fidem 7 Aprilis 1431. Martiali episcopo obedientiam promisit die Dominica 15 Aprilis 1431.

XXXVIII. Johannes IV *Trunquet* regi juravit fidem 15 Martii 1432. A Martiali episcopo Ebroicensi Rotomagi benedictus, eidem obedientiam promisit die Veneris 20 eorumdem

mensis & anni. Sedi apostolicæ solvit anno eodem. Johannis ad preces aperta est 15 Augusti 1434 capsa S. Landulfi a Guillelmo episcopo Ebronensi de licentia Martialis episcopi Ebroicensis. Reperitur Johannes ab anno 1448 ad 1472.

XXXIX. Stephanus I *Berthier* abbas B. Mariæ de Columbis & commendatarius S. Taurini, regi defuncto a consiliis & eleemosynis, J. episcopo obedientiam promisit penultima Maii 1474. Carolo VIII regi fidem juravit anno 1484. Memoratur adhuc 1487 & 1489.

XL. Benedictus *le Duc* Radulfo episcopo obedientiam promisit 10 Januarii 1491. Sedilia chori & pulpitum construxit. Præfuit per annos 13 & obiit v cal. Martii 1502.

XLI. Rodulfus II *du Fou* episcopus Ebroicensis, commendam Taurinensem statim obtinuit, quo nomine regi fidem juravit 1 Junii 1506. Obiit 2 Februarii 1510 (1511) ut diximus. Claustrum & dormitorium reparavit.

XLII. Stephanus II de *Saint-Amand* episcopo futuro obedientiam promisit 26 Februarii 1511. Eo quoque tempore fidei sacramentum præstitit pro bonis monasterii. Illa recensuit 20 Junii 1521. Rexit 13 annis. Cessit 1526. Obiit 10 Augusti 1528, sepultusque est in navi ante Crucifixum cum epitaphio, in quo laudatur orfanorum & viduarum consolator & eleemosynarum liberalis largitor.

XLIII. Johannes V *le Grand* Ebroicensis, Stephani nepos, per cessionem ejusdem obtinuit a Francisco I licentiam possessionis adeundæ 1526, quo anno regi juravit fidem & occurrit die Jovis quarta Aprilis ante Pascha. Ambrosio episcopo promisit obedientiam 22 Maii ejusdem anni. Occurrit adhuc 1527, 1532 & 1538 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Æmulum passus est Johannem *de Luxembourg* abbatem Ivriaci, qui a monachis a Johanne durius habitis advocatus & literis Cancellariæ Rotomagensis munitus 13 Maii 1529, vim adhibuit ad ineundam per procuratorem possessionem. Advocavit ipse cardinalem *d'Annebaut* commendatarium, cui cedere coactus est, annua pensione contentus factusque præcentor in ecclesia Ebroicensi. Johannes interim regularium postremus, munere canonici functus est in ecclesia Constantiensi pro jure abbatum S. Taurini. Obiit 16 Aprilis 1540, sepultus in navi ecclesiæ prope Crucifixum.

XLIV. Jacobus II *d'Annebaut* cardinalis S. Susannæ, episcopus Lexoviensis & commendatarius S. Taurini bullis Pauli III vi cal. Dec. anni 1540, obiit 1 Junii 1558.

XLV. Gabriel *le Veneur* episcopus Ebroicensis, bullis donatus est, quas ut executioni demandarent, judicibus Ebroicensibus Carolus IX rex mandavit Aurelianis 26 Januarii 1560 regni 1. Hujus tempore reliquiæ S. Taurini & S. Landulfi a furibus raptæ mense Novembri 1564, repertæ sunt & relatæ 2 Januarii 1567. Obiit 16 Maii 1574.

XLVI. Johannes VI *le Doys* notatus annis 1576 & 1578, obiit 1580.

XLVII. Guillelmus IV *de Pericard* decanus & canonicus Rotomagensis, necnon consiliarius in senatu Normanniæ, episcopo Ebroicensi obedientiam promisit die 7 Aprilis 1580. Interim Maximilianus *de Bethune* marchio *de Rosny*, donatus ab Henrico III abbatiæ reditibus, potitus est ad annum 1594, quo cessit in gratiam thalassiarchæ *de Villars*. Attamen Guillelmus nomine saltem tenus commendatarius pro clero Ebroicensis Balliviæ adfuit anno 1593 comitiis regni generalibus Lutetiæ habitis. Fit vicarius generalis cardinalis *de Joyeuse* archiepiscopi Rotomagensis anno 1603. Commendam pro episcopatu permutavit anno 1608. Capsas S. Taurini & S. Landulfi argento inaurato conflari curavit.

XLVIII. Jacobus III *du Perron* nepotem suum coadjutorem accivit anno 1616 & obiit nonis Septembris 1618.

XLIX. Jacobus IV *le Noel du Perron* episcopus Encolismensis, coadjutor patrui bulla Pauli V data xii cal. Junii 1616, episcopo Ebroicensi promisit obedientiam 11 Septembris 1628. Monachos S. Mauri ad reformandum monasterium accivit & cum eis transegit 16 Januarii 1642, annuente Francisco diœcesano episcopo, qui eos ipse in possessionem misit Sabbato 1 Martii anni ejusdem. Huic Jacobus successit an. 1646, ut diximus.

L. Franciscus *Vaultier* Arelatensis, regis archiater, ab eo quidem nominatus est commendatarius, gavisusque est per biennium; at medicinam desinere nolenti nec bullas concessit Innocentius X. Obiit Franciscus anno 1652.

LI. Julius cardinalis *Mazarini* obiit 9 Martii 1661.

LII. Henricus *de Bourbon* filius naturalis Henrici IV & Catharinæ-Henriettæ *de Balzac d'Entragues*, dux Vernolii, episcopus Metensis, abbas S. Germani a pratis, Taurinensem quoque commendam adeptus est bulla Alexandri VII data xvii cal. Januarii 1655. Transegit cum monachis 1661, sed uxorem duxit 1668.

LIII. Johannes-Casimirus rex Poloniæ, abbas S. Germani Pratensis, bulla quoque pro commenda Taurinensi donatus est a Clemente IX die 8 Martii 1669, triennioque post obiit 14 Decembris 1672.

LIV. Nicolaus *de Fresnoy* Parisinus, frater Johannis *de Fresnoy* majoris Campaniæ prioris, eques Melitensis, nominatus a rege commendatarius 24 Decembris 1672 annos tantum 14 natus, bullas obtinuit a Clemente IX xviii cal. Octobris 1674. Cessit mense Martio 1685, retenta in gratiam fratris sui Johannis pensione.

LV. Hercules *Meriadec de Rohan* natus 8 Maii 1669 parentibus Francisco *de Rohan* & Anna *Chabot de Rohan*, designatur a rege mense Aprili 1685. Defuncto autem 5 Novembris 1689 Ludovico majore ejus fratre, clero valedixit & uxorem duxit, dictus princeps *de Rohan*, a quo principes *de Soubise*.

LVI. Daniel *de Cosnac* archiepiscopus Aquensis, renuntiatus a rege 1 Novembris

1689, cessit 1695; obiit vero 18 Januarii 1708.

LVII. Julius *de Clerambault de Palluau* filius Philippi comitis *de Palluau* Franciæ marescalli & Ludovicæ-Franciscæ *Bouthillier*, abbas S. Savini Pictaviensis & Jardi, S. Taurinum obtinuit 8 Septembris 1695, obiitque Luteciæ 17 Augusti 1714.

LVIII. Johannes VII *le Normant* episcopus Ebroicensis, factus commendatarius 1 Novemb. 1714, possessionem iniit 23 Junii 1715. Ædis ad frontem nonnihil contulit, cujus primarium posuit lapidem 20 Novembris anni ejusdem. Obiit 7 Martii 1733.

LIX. Ludovicus-Abraham *de Harcourt de Beuvron* decanus ecclesiæ Parisiensis cessit anno 1747. Abbas Signiaci & S. Leodegarii Santonensis, Taurinensis quoque a rege designatur 25 Julii 1733. Romæ proclamatur 2 Decemb. & proponitur 17 ejusdem mensis. Nominatus est a rege commendator ordinis S. Spiritus 21 Maii 1747. Factus dux & par Franciæ per obitum germani marescalli *d'Harcourt* defuncti 10 Julii 1750, obiit ipse anno eodem 27 Septembris, annum agens 56.

LX. .... *de Beaupoil de Saint-Aulaire* vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, nominatus est a rege mense Martio 1753 commendatarius S. Taurini Ebroicensis.

LA CROIX SAINT-LEUFROY.

CRUX S. LEUFREDI.

IN pago Madriacensi Ebroicas inter & castrum Gallionis, duabus ab utroque leucis, super Auturam fluvium, consilio Ansberti Rotomagensis præsulis, circa annum 692 Leutfredus natione Neustrius, in loco ubi S. Audoënus ob conspectum ibidem Crucis signum Crucem olim defixerat, basilicam in honorem S. Crucis ac SS. Apostolorum, necnon S. Audoëni cum monasterio exædificavit, cui xenodochium ad excipiendos pauperes postmodum adjunxit. Hinc primum absolute monasterium Crucis, seu Crucis S. Audoëni, aliquando Crucis Heltonis, demum Crucis S. Leufredi vocabulum obtinuit. Huic Ansegisus Fontanellensis abbas testamento anno 831 condito libras duas legavit. Seculo eodem exeunte, cum in Neustria grassarentur Normanni, monachi Crucis S. Audoëni corpus S. Leufredi cum reliquiis S. Audoëni & B. Agofredi Parisios attulere, & in Pratensi S. Germani basilica reposuere, ubi illi etiam in Pratensium societatem & consortium admissi sunt; & ad preces Roberti comitis Parisiorum & abbatis S. Germani rex concessit anno 918, donavit & subjecit illam abbatiam, cujus caput est in Madriacensi pago super flumen Auturæ, S. Germano & monachis ejus ad eorum mensam, præter partem abbatiæ, quam annuit Normannis Sequanensibus Rolloni suisque comitibus. Non multo post Crucis S. Audoëni monachi pace cum Normannis composita, amore patriæ capti, ad proprias sedes remigrarunt, accepto altero brachio S. Leutfredi, cujus reliquum corpus Sangermanenses retinuere.

A Instaurationem hanc revocat Robertus de Monte ad tempora Guillelmi Nothi, qui principatum capessivit ab anno 1035. Certe Albericus, quem abbatem primum appellat, sedebat hoc anno, assumtus sicut & alii quidam ex abbatia S. Audoëni, cui idcirco per plures annos subjectum fuit monasterium Crucis S. Audoëni, ut constat ex literis Alexandri III; sed ab ea decreto Innocentii III anno 1199 absolutum fuit. Inter præcipuos benefactores recensent comites de Mellento. Nunc ad priores, tum ad posteriores abbates dirigatur oratio.

B

ABBATUM ORDO.

I. LEUTFREDUS in pago Madriacensi parentibus pietate ac genere conspicuis natus, primas didicit literas in suburbana S. Taurini ecclesia. Inde Carnutas profectus est, ubi diversa studia florere noverat. In natale solum reversus, literas pueros docuit, tum oratorium extruxit, cujus aditum feminis denegabat. Monasteriolum Varennam mox adiens, cito deserit, quod locus mulieribus pateret. Itaque ad Sidonium abbatem se conferens haud procul a Rotomago degentem, monasticas ab eo vestes ac tonsuram accepit. Quo sub magistro in regulari disciplina multum C jam profecerat, cum Ansbertus Rotomagensis præsul illuc accedens, auctor illi fuit ut natale solum repeteret. Consilio paruit Leutfredus, eoque in loco ubi S. Audoënus Ansberti decessor ob conspectum ibidem Crucis signum olim Crucem defixerat, basilicam in honorem S. Crucis ac SS. Apostolorum, necnon S. Audoëni cum monasterio exædificavit, cui xenodochium ad excipiendos pauperes postmodum adjunxit. Verum cum id minime consulto egisset episcopo, Desiderius illuc accedens, graviter eum increpavit, graviusque puniendum secum in urbem adducere statuit. Ast in reditu sauciatus, ad mo- D nasterium eum redire jussit. Exinde Leutfredi fama magnopere aucta est, cum ob præclaras ejus virtutes, tum ob miracula ab ipso perpetrata. Annum Incarnationis 738 attigerat, cum febre correptus, eulogias ad monasteria vicina misit, religiosorum virorum preces implorans. Denique postquam per 48 annos Madriacensi monasterio præfuisset, ultimum diem absolvit XI cal. Julii. Sepultus est in basilica S. Pauli, postea translatus in majorem basilicam S. Crucis & S. Audoëni post medium seculum IX, quo tempore anonymus vitam ejus literis mandavit. Post obitum Leutfredi, monasterium illud communem E aliorum pertulit sortem, expositum rapacitati hominum secularium & laïcorum, qui sanctorum locorum possessiones devorabant. Leutfredi corpus cum reliquiis S. Thuriavi & S. Agofredi e Madriacensi S. Crucis monasterio seculo ineunte decimo Parisios ob infestationem Normannorum delatum est, repositumque in basilica S. Germani a Pratis. Non multo post patriam repetentes monachi Crucis S. Audoëni, excepto S. Leutfredi brachio, reliquum corpus Germanensibus reliquere.

II. Humbaldus unus fuit ex his potentibus, qui principatu Caroli magni abbatiæ res ita invasit, ut necessaria monachis alimenta vix suppeditarentur. Qua de re conquestus Odo decanus & diem festum S. Leutfredi causatus, nominis hujus irrisorem invenit: sed temeritatis suæ brevi pœnas luit Humbaldus, qui a monacho dudum vita perfuncto læsus, post modicum humanis rebus excessit.

III. Purchartus *Abba* ex monasterio Crucis S. Audoëni memoratur in pervetusto Augiensi necrologio.

IV. Albericus ex monacho S. Audoëni abbas Crucis S. Leutfredi, subscripsit donationibus factis B monasterio Conchensi anno 1035. Notatur XII cal. Junii in necrologio domestico & 21 Maii in obituario Ulterioris-Portus.

V. Odilo ex monacho quoque S. Audoëni abbas S. Leutfredi de Cruce, quæ ad S. Audoënum respiciebat, in curia Johannis archiepiscopi Rotomagensis dimisit monachis Majoris monasterii ecclesiam S. Audoëni de Gisortio, quam eis *calumniaverat*, anno 1070 XIII cal. Martii, illudque capitulo suo significavit IX easdem calendas. Guitmundum monachum suum post Johannem electum archiepiscopum & licentiam peregrinandi petentem abire permisit anno C 1079, quem Gregorius VII ad se venientem cardinalem creavit, & Urbanus papa Adversis urbis episcopum ordinavit, ex Orderico Vitali. Odiloni Radulfus de Toënio dedit nemus super Salliacum. Defunctus est VI cal. Novembris.

VI. Henricus monachus S. Audoëni XVI cal. Octobris in necrologio.

VII. Guillelmus I monachus S. Audoëni, adstitit concilio Rotomagensi nonis Octobris 1118.

VIII. Garnerius monachus S. Crucis, quo sedente Rogerius de Conchis abbatiam cum suis commilitonibus violavit anno 1136, burgum D monachorum impugnavit, de monasticis penetralibus fugitivos inibi latentes rapuit, spolia vero monachorum ac ad eos confugientium diripuit; sed Deo æquissimo judice vindicante, paulo post omnia perdidit, ex Orderico lib. VI. p. 907.

IX. Rogerius, seu Roderius, aut Rodericus monachus S. Crucis.

X. Radulfus I, cui Johannes Sagiensis episcopus confirmavit ecclesiam S. Paterni de Tornaio ad preces Hugonis archiepiscopi Rotomagensis & Rotrodi Ebroicensis episcopi. Huic idem Hugo asseruit donationem de Salliaco an. E 1143. Memoratur 1158 in chartis S. Audoëni, & XVIII cal. Maii in necrologio.

XI. Silvester jam sedebat anno 1160 Radulfi successor. Anno vero 1179 Rotrodus Rotomagensis archiepiscopus huic reddidit decimas S. Albini de Rothoriis, quas Audinus & ipse Rotrodus Ebroicenses episcopi ipsis prius confirmaverant. Has postea tempore Radulfi abbatis cum violenter invasissent duo presbyteri, Hugonis archiepiscopi judicio sancitum, ut monachi jus suum sacramento probarent, quod fecere apud A Ebroas in curia Rotrodi episcopi, de cujus consilio Radulfus cum clericis compositionem tunc fecit. Rotrodus autem factus archiepiscopus, quoniam dicta compositio non tenebat, nisi in vita duorum clericorum, integrum jus in ecclesia S. Albini reddidit Silvestro abbati assensu capituli Ebroicensis, quoniam sedes illa vacabat, idibus Januarii 1179. Silvestro comes Ebroicensis multa dedit, qui commutationem fecit cum Guerrico abbate Marchasii Radulfi. Obiit V cal. Octobris.

XII. Galterius de S. Paulo bullam obtinuit a Lucio III an. 1181. Convenit anno eodem cum Johanne Ebroicensi episcopo, & cum priore de Salicosa anno 1183. Huic facta donatio de Wallone a Guillelmo *Pointel* anno 1188. & decimas S. Albini confirmavit 1190 Johannes episcopus Ebroicensis. Regio metu compulsus, secessit ad tempus Galterius, ex bulla Innocentii III.

XIII. Richardus I electus a monachis S. Crucis de ipsorum gremio, quominus benediceretur a Gaufrido abbate S. Audoëni prohibitus est. Re ad summum pontificem delata, Innocentius III judices delegavit Henricum episcopum, Henricum cantorem & R. archidiaconum Bajocensem, qui secundum monachos S. Crucis sententiam dixere, quam confirmavit Innocentius III, electumque benedicere curavit III non. Junii pontificatus 2 anno 1199, & bullam ei concessit XIII cal. Julii, in qua bona recensentur & confirmantur. Hanc habes sicut & alteram inter epistolas Innocentii III, tom. I. pp. 385 & 401 edit. Baluzianæ.

XIV. Radulfus II occurrit anno 1206 in chartis S. Audoëni, idem forte ac prior, omissus quippe in necrologio, quo casu unus est uterque Richardus.

XV. Richardus II de Anfrevilla convenit cum Radulfo de Tornaio anno 1209, & cum priore S. Barbaræ, compositionem approbante Silvestro Sagiensi episcopo anno 1214. Obiit V cal. Maii.

XVI. Gaufridus, cui Radulfus Ebroicensis episcopus confirmavit anno 1222 quatuor ecclesias de Fontibus, de Cruce, de Cailliaco & de Escardevilla. Translationi corporis S. Leutfredi a Galtero abbate S. Germani a Pratis factæ eodem anno adstitit & accepit os brachii. Gaufrido nonnulla confirmavit Richardus Ebroicensis episcopus anno 1224. Societatem iniit cum Ibreiensibus anno 1226. Notatur in necrologio V idus Februarii.

XVII. Guillelmus II *Rachine* abbas datus est monachis S. Crucis ab episcopo Ebroicensi, concessa ei a Lateranensi concilio potestate, vicissimque monachi literis anno 1231 datis rogant regem ut ad fidem præstandam eum admittat. Videtur is esse Guillelmus, qui composuit cum Guidone *Bigot* super *usuagio* silvæ *de Campenart* an. 1233, cum Guillelmo abbate Conchensi 1237, cum E. abbatissa S. Salvatoris 1238, cum Guillelmo Albæ-curiæ 1241, cum Margarita abbatissa monasterii Villaris 1243, cum Willelmo priore de Salicosa 1244 & cum G.

abbate de Nöa 1245. Migravit ad Dominum A pridie calendas Januarii.

XVIII. Petrus I de Hestreio notatur annis 1245 & 1250 in chartis Salicosæ & 1257 in archivis Becci. Composuit cum abbate Conchensi anno 1260, cum J. abbatissa S. Trinitatis de Cadomo & Richardo abbate S. Taurini anno 1267. Obiit v idus Julii.

XIX. Radulfus III hic reponitur ab Arturo, ex instrumento, in quo Radulfus occurrit cum Radulfo episcopo Ebroicensi, qui hoc tempore sedebat. At plures hujus nominis fuere Ebroicenses episcopi.

XX. Guillelmus III de Aguerneio compo- B suit cum parocho de Heudevilla pro decimis an. 1302, arbitro Matthæo episcopo. Notatur in necrologio III cal. Decembris.

XXI. Johannes I de Mortuo-mari XVIII cal. Maii 1325 defunctus est.

XXII. Petrus II Religatoris recensionem bonorum monasterii fecit regi Navarræ 1347, mortuus III cal. Martii.

XXIII. Johannes II obiit anno 4.° Innocentii VI 1356.

XXIV. Johannes III successit Johanni 1356, defunctus anno 8.° Urbani V 1369.

XXV. Petrus III prior de Salliaco suffectus C est in locum Johannis, ex schedis D. *Suarès.*

XXVI. Guillelmus IV de Monasterio obiit VII cal. Octobris.

XXVII. Guillelmus V *Semaisnon* monasterium clausit. Obiit pridie idus Septembris.

XXVIII. Johannes IV *Loquet*, bullam Lucii III exhibuit an. 1404, defunctus 1411. Vide Arturum p. 358. Idem forte est ac Johannes *Filleul* consiliarius regis in curia parlamenti, qui legitur exsecutor testamenti Nicolai *du Bois* episcopi Bajocensis conditi 19 Septemb. 1408, in vitro majoris altaris abbatiæ S. Leutfredi. D

XXIX. Nicolaus I *Loquet* notatus in necrologio VIII cal. Junii, campanile restituit.

XXX. Nicolaus II *le Roux* monachus Gemeticensis & prior de Joyaco, eidem abbatiæ vacanti per obitum Nicolai alterius præficitur a Johanne XXIII, qui eam sibi reservaverat XIII calend. Aug. pontificatus 3. (1412). Parisiis decreta docebat 12 Octobris 1414, attestante Johanne *de Romoy* rectore. Translatus est ad Gemeticum anno 1418.

XXXI. Guillelmus VI *le Goys*, *le Gris*, aut *le Gros*, data ab Henrico V Angliæ rege eligendi licentia anno regni 6, factus abbas 1418, ab E eodem recepit temporalia. Decessit e vita III calendas Septembris.

XXXII. Johannes V *du Chemin* 1440, defunctus pridie calendas Martii.

XXXIII. Johannes VI de Saussеio regi fidem dixit Ebroicis 3 Septembris 1449, defunctus IV idus Februarii.

XXXIV. Guillelmus VII *d'Aupegart* XVII calendas Novembris in obituario.

XXXV. Johannes VII *Donte* seu *d'Auton* regi fidem jurat 9 Januarii 1461. Præerat adhuc 27 Septembris 1467, defunctus pridie calendas Aprilis.

XXXVI. Stephanus *Passart* abbas 1473, Johanni episcopo Ebroicensi obedientiam promisit anno 1474. Regi juravit fidem 29 Julii 1484. Reperitur adhuc 1486. Ecclesiam aliaque loca reædificavit. Obiit XV cal. Januarii 1501.

XXXVII. Simon *Passart* defunctus est 24 Februarii 1505.

XXXVIII. Richardus III *le Mercier* notatus 1505, sacristiam & capitulum renovavit. Moritur III idus Junii 1522, sedesque vacabat 18 Februarii 1522, modo 1523.

XXXIX. Johannes VIII *de la Mothe* 1524, mortuus 4 Maii 1527.

XL. Nicolaus III *Hebert* ex priore abbas 9 Julii 1531, campanas octo conflari curavit, ecclesiæque ornamenta plurima impertivit. Animam exhalavit XVIII calendas Octobris 1566.

XLI. Christophorus *de Blaru de Tilly* abbas 1569 & 1574, mortuus est XV cal. Junii 1587.

XLII. Jacobus *le Sueur* defunctus est cal. Septembris 1588.

XLIII. Claudius I *de Mailloc de Sacquenville* obiit VIII idus Julii 1612.

XLIV. Claudius II *de Baudry de Piencourt* avunculo suo successit. Pontificalibus insigniis a Paulo V donatus VII idus Aprilis 1618, Romæ benedictus fuit in ecclesia S. Blasii in monte Citorio a Johanne *de Bonzi* cardinali. Antiquiorum Benedictinorum in Normannia generalis electus 1643, excessit mense Januario 1669.

XLV. Franciscus-Placidus *de Baudry de Piencourt* Claudii nepos, doctor Sorbonicus, ex coadjutore abbas, benedictus est 10 Feb. 1669 Parisiis in ecclesia S. Germani a Pratis ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Præmonstrati & Albæ-curiæ abbatibus, præsentibus episcopis Ebroicensi, Engolismensi & Suessionensi, ac multis nobilibus. Factus inde episcopus Mimatensis, regularium postremus, cessit ineunte anno 1677.

XLVI. Paulus *Pelot* commendam, quam primus a rege obtinuit mense Julio 1677, tenuit ad 1726, quo obiit 25 Januarii.

XLVII. Ludovicus-Guillelmus *de Mathan* a rege nominatus mense Martio 1726, nihilnon molitus est ab anno 1740, ut expulsis monachis eorum reditus parvo seminario applicarentur, votique compos tandem factus est.

CONCHÆ.

CONCI

SITUM est SS. Petri & Pauli ordinis S. Benedicti monasterium ad prospectum urbis Concharum orientalem, media ferme via qua Conchis itur Ebroicas. Fundatur anno 1035 a Rogerio Toparcha de Toënio, qui locus est prope Gallionis castrum haud procul a Sequana, ex quo Toëniorum seu Toteniorum stirps originem duxit. Rogerius autem filius Radulfi, totius Normanniæ signiferi, qui sub ducibus Richardo, Roberto & Guillelmo viriliter militaverat, hoc cœnobium

cœnobium fundavit in villa de Castellione dicta, mille passibus a castello de veteribus Conchis quod habitabat distita. Præter toparchas de Toënio inibi sepultos, benefactores audiunt Henricus I & II Angliæ reges, Robertus & Petrus de Curtiniaco, comites Ebroicenses, de Romiliaco, de Britolio, de Vernolio, de Verno palatio, de Pissiaco, &c. domini *de Garentieres*. Consumtis igne ædibus anno 1357, ad asylum sibi in urbe a Carolo V concessum sese recepere monachi, qui priorem restitutam sedem repetiere anno 1383. Mores temporum lapsu deturpatos renovarunt huc acciti anno 1630 monachi congregationis S. Mauri.

Abbatum nomina & gesta hic ex chartis habes.

Abbates.

I. Gilbertus I Fiscannensis monachus, vir magnæ honestatis & sapientiæ, Orderico teste, primus Castellionis abbas fuit. Monachorum coloniam in Troarnense monasterium induxit. Subscripsit anno 1050 instrumento pro instauratione monasterii Uticensis, cui priorem, ut vocant, Rainerium monachum suum suppeditavit, tametsi eum postmodum apud Willelmum ducem, quasi ei detraxisset, accusavit. Obiit cal. Decembris.

II. Guillelmus I monachus quoque Fiscannensis, in fata concessit XV cal. Januarii.

III. Guillelmus II Blesensis S. Launomari monachus, decessit e vita IV idus Junii.

IV. Letardus alumnus S. Launomari. Hoc aut altero sedente, in obsidione urbis Conchensis anno 1090 mense Nov. Ricardus de Monteforti, dum cœnobialem curiam B. Petri Castellionis invaderet, nec pro reverentia monachorum, qui cum fletibus vociferantes Dominum interpellabant, ab incœptis desisteret, hostili telo repente percussus est, ipsoque die mortuus, ex Orderic. Vital. lib. VIII p. 688.

V. Sulpitius e monasterio de Columbis assumtus, vixit tempore Henrici I Anglorum regis & Radulfi de Toënio. Huic Robertus Rogerii filius comes de Bellomonte pro salute animarum patris ac matris suæ, pro anima domini sui Guillelmi regis Anglorum, pro domino suo Henrico rege, pro uxore ejus multa dedit. Transegit Sulpitius pro decimis *de Cravençon* cum Fontanellensibus anno 1108, notatus in necrologio 7 Augusti.

VI. Gillebertus II ex Beccensi congregatione Willelmi abbatis discipulus, electus est abbas Castellionis anno 1130, ex schedis Becci.

VII. Vincentius e cœnobio de Columbis eductus, accepit ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo ecclesiam & decimas de Warengevilla juxta Deppam anno 1140, qui anno 1147 confirmavit illud donum & duarum aliarum ecclesiarum. Vincentii legitur nomen in pacificatione abbatis Cadomensis cum canonicis Bajocensibus. Transegit cum Rogerio de Toënio pro molendino de Fontana, voluitque ut in gratiam benefactorum lampas continuo in capitulo coram

A eorum tumulis arderet, arsitque ad annum circiter 1600, quo privati calceia flagni de Fontana monachi, lampadem exstinxerunt.

VIII. Bernerius ex eodem asceterio ac Vincentius accitus est. Huic Guillelmus Capreolus monasticum habitum induens dedit omnem decimam villæ quam habebat in valle Albæ-viæ.

IX. Silvester ex Lirensi monacho abbas an. 1155, obtinet confirmationem omnium possessionum ab Adriano papa IV. Legitur 6 Nov. in necrologio. Obiit anno 1160.

X. Gilbertus III convenit anno 1160 cum Rotrodo episcopo Ebroicensi de decimis Wa- B rengevillæ.

XI. Rad. abbas Castellionis sub annuo censu id quod habebat apud Mortuum mare dat priori ejusdem loci, ordinis Cluniacensis; quod confirmat Rotrodus factus archiepiscopus Rotomagensis, ex chartulario pag. 73.

XII. Herbertus ex plurimis chartis notissimus est, præcipue charta Simonis Ebroicensis comitis. Cum præfato Rotrodo aliquandiu litigavit, a quo tandem obtinuit duas chartas pro decimis Warengevillæ. Cum canonicis Londinensibus societatem precum iniit. Floruit annis 1179 & 1180, quo Alexander III bulla confirmavit C bona monasterii.

XIII. Gillebertus IV, cui Radulfus episcopus Lexoviensis confirmat decimas & jus patronatus in ecclesia de Vileriis, idem forte est ac G. memoratus in chartulario Meldensi anno 1186.

XIV. Simon bullam obtinuit ab Urbano III. Huic Radulfus episcopus Lexoviensis confirmavit jus præsentationis in ecclesia *de Uncins*. Cum Gaufrido abbate Liræ commutavit decimas anno quo Philippus Francorum & Ricardus Anglorum reges Jerosolymam profecti sunt, Christi 1190. Variis turbinibus & procellis actus, cum a monachis accusaretur corporis in- D continentiæ & dilapidationis bonorum apud Cælestinum III & Innocentium III, a causa sua totaliter excidit Simon anno 1200, & ejurata abbatia, alio solum vertere coactus est. Totius negotii seriem videsis in epistolis Innocentii III 301 lib. I. & 38 lib. II.

XV. Theodardus successit Simoni dejecto. Notatur 15 Septembris in necrologio.

XVI. Hebertus II, cujus fit mentio in chartulario ad annum 1211, tempore Lucæ Ebroicensis episcopi.

XVII. Robertus I *le Rivet* memoratus in chartulario Liræ anno 1217, reperitur quoque E in chartario domestico. Obiit VI idus Januarii, aut idibus Februarii.

XVIII. Rogerus I 1223.

XIX. Lucas I defunctus est anno 1224 in vigilia Annuntiationis B. Mariæ x cal. Aprilis, non 1226, ut placet Arturo, sepultusque in ingressu capituli.

XX. Radulfus sub finem anni 1224 abbas legitur ad annum 1229, quo ordinavit solennem obitum Rogerii de Toënio fundatoris. Cessit anno 1230, superstes adhuc 1232, quo anno

abbatis sui nomine consensit sententiæ latæ ab R. episcopo Ebroicensi de decimis de Aquigniaco. Notatur 8 Maii in necrologio.

XXI. Renaldus sedebat annis 1230 & 1231, quo mense Martio die Veneris post Annuntiationem Maurilius archiepiscopus Rotomagensis auctoritate concilii Lateranensis pleno jure nominavit parochum de Enguevilla, salvo jure abbatis Conchensis. Legitur 7 Januarii in necrologio.

Ch. xix. col. 143. XXII. Guillelmus III, cui inscribitur bulla Gregorii IX pro confirmatione jurium & possessionum, data anno 8 ejus pontificatus, Christi 1234. Eodem Robertus de Curtiniaco Franciæ buticularius, dominus Concharum, cum assensu Matildis uxoris & Petri primogeniti dedit denuo & confirmavit omnes consuetudines, decimas, &c. monasterio S. Petri de Castellione. Willelmus Radulfum monachum procuratorem constituit negotiorum in Anglia Sabbato post Pentecosten 1235. Obiisse fertur 1237, quo anno 10 Januarii, seu 1238, dedicata est ecclesia a Radulfo Ebroicensi episcopo. Ch. xxi. col. 148.

XXIII. Clemens sedebat annis 1238 & 1239. De cantanda post capitulum singulis diebus una antiphona in honorem B. Mariæ decretum fecit anno 1240.

XXIV. Philippus in charta Petri de Curtiniaco ad annum 1240 laudatur. Ejus in gratiam Gualterius Wigorniensis episcopus bona monasterii in Anglia sita confirmavit literis an. 1242. Mortuus legitur Philippus prid. non. Junii.

XXV. Robertus II *de Gopilieres* Philippo successit ex charta Petri de Curtiniaco, in qua legitur quod cum Petrus de Curtiniaco petiisset a D. Roberto *de Gopilieres* abbate S. Petri de Castellione homagium sibi, ut aiebat, olim redditum a Philippo ejus antecessore, nec consentiret Robertus, re ad trutinam revocata, patuit non homagium, sed solam fidelitatem deberi D. Petro de Curtiniaco, idque præstitum a Roberto apud Conchas in Pratello, juxta capellam S. Hilarii anno Domini 1244 die Lunæ proxima ad Purificationem B. Virginis. Ex multis tabulis eruitur ejus administrationem pervenisse usque ad annum 1261.

XXVI. Gilbertus V, al. Galterus de Leppa, cujus mentio fit usque ad annum 1269. Hoc anno Robertus Atrebatensis comes, dominus Ch. xxiv. col. 150. Concharum & Domni-frontis ac Amicia de Curtiniaco monasterio de novo asseruerunt omnia olim a fundatoribus & aliis benefactoribus collata. Actum & datum Parisiis die Veneris post Brandones 1269.

XXVII. Lucas II an. 1269 memoratur in charta Roberti comitis Atrebatensis, qui accersito huic abbati Parisios dimisit omnem piscationem vivariorum Fontanæ. Anno 1273 quinque vicarii in parochiis ministrantes agnoverunt jus abbatis & monachorum qui ecclesiarum illarum sunt rectores primarii. Notatur adhuc Lucas anno 1275 in parvo chartulario. Societatem iniit anno 1276 cum Richardo abbate Corneliensi. Defunctum volunt 23 Martii 1278.

XXVIII. Radulfus II occurrit annis 1281 & 1284, quo ultimo obiit 9 Julii.

XXIX. Johannes I *Halebout* Tironensibus monachis in feodum dedit decimas de Chavigniaco anno 1285. Componit anno 1288 cum Radulfo abbate de Nöa. Reperitur adhuc 1289 & 1292. Mortuus est 30 Maii.

XXX. Petrus I *Maurens* nominatur plurimis in chartis, præsertim ad annum 1298. Unde liquet ejus tempore Philippum natu majorem comitis Atrebatensis domini Concharum voluisse sibi vindicare jus eligendi abbatem. Ejusdem fit mentio an. 1307 pro decimis de Louvercio, & forte 1316 pro decimis de Romeliaco. Defunctus est pridie idus Septembris.

XXXI. Petrus II *de Cerilly* anno 1342 recipit homagium a Renaldo de Campania. Moritur eodem anno XIII cal. Martii & sepelitur in capella S. Eustachii.

XXXII. Stephanus *Bertier* mortuus est VI cal. Januarii.

XXXIII. Johannes II *Papillon*, dictus a S. Dionysio, doctor in decretis; cujus tempore diruta ecclesia Conchensi anno 1357, monachi in asylum sibi a Carolo V concessum confugere. Sedit usque ad annum 1362. Factus abbas Gemeticensis, tamquam raptor iniquus, sacrilegus & apostata a lege christiana, multa furatus legitur e monasterio Conchensi.

XXXIV. Petrus III obiit anno 6 Urbani V.

XXXV. Rotgerius II succedit anno eodem & moritur anno 7 Urbani V.

XXXVI. Rotgerius III electus a capitulo, excepit Rotgerium anno 7 Urbani V, ex commentariis *D. Suarez*. Huic Urbanus V bullam concessit ad confirmationem omnium bonorum anno 1368. Obiit XV cal. Decembris.

XXXVII. Richardus *Haudouf* electus an. 1380, monasterium ab Anglis combustum reparavit anno 1381, quod anno 1383 reconciliatum fuit, sexque altaria consecrata. Legitur Richardus in chartis authenticis *D. de Gaignieres* 6 Febr. 1380 & 6 Nov. 1385. Ut dilapidator bonorum monasterii sede dejectus est, & obiit III nonas Dec.

XXXVIII. Jacobus *Gaudion* doctor in decretis, abbas a summo pontifice dictus 8 Martii 1390, Carolo VI Francorum regi sacramentum fidelitatis præstitit 5 Aprilis 1391; rex vero abbatiam stare ex fundatione regia asseruit, ideoque solis regiis judicibus apud Rotomagum judicium omnium causarum ad monachos Conchenses spectantium commisit. Litigabat an. 1396 contra Richardum decessorem coram conservatoribus privilegiorum universitatis Parisiensis. Legitur 26 Octobris 1400 in chartis *D. de Gaignieres* & 13 Januarii in necrologio.

XXXIX. Johannes III *Baillard* Carolo regi hominium præstitit 30 Junii an. 1401. Legitur 1403, 1404, 1411 & 1412 apud *D. de Gaignieres*. Componit anno 1413 cum Lieurtanis canonicis, notatus 18 Octob. in necrologio.

XL. Galterus memoratus anno 1416, hominem exuit VI idus Septembris.

XLI. Guillelmus IV *du Chesney* Anglorum regi fidem dixit 18 Februarii 1419, qui quidem rex temporalia ei restituit anno regni 6. Occurrit 12 Junii in chartis *D. de Gaignieres*. Diversusne est a Guillelmo, qui moras obtinuit ad præstandam regi fidem annis 1432, 1433 & 1434? Notatur 3 Septembris in necrologio.

XLII. Michael *du Chesney* obiit 1438, notatus 24 Octobris in necrologio.

XLIII. Robertus III moras obtinet ad recensenda monasterii bona 2 Martii 1446. Regi fidem dixit apud Luparias 7 Septembris 1449.

XLIV. Guillelmus V *Prestrel* ex priore de Aquigniaco jam sedebat abbas anno 1450. Regi juravit fidem 11 Febr. 1453. Nominatur in regestis Scacarii anno 1459, & apud *D. de Gaignieres* 1454, 1459 & 1462. Ejus tempore, die 7 Maii 1463, reperta sunt corpora Rogerii de Toënio, uxoris & filiorum ejus fundatorum in sepulcro in quo ea esse suspicabantur. Sepultus creditur Guillelmus in choro subtus lampadem.

XLV. Johannes IV *le Gros* electus a monachis 6 Julii 1465, superstite adhuc Guillelmo, regi juravit fidem 24 Augusti. Reperitur in chartis *D. de Gaignieres* annis 1466 &.1471. Societatem renovavit cum Constantino abbate Cormeliensi 8 Maii 1473. Duos lectionarios pro choro comparavit 1479. Obiit idib. Martii 1483. (1484.) De ecclesia sua bene meritus, sepultusque est in capella S. Sebastiani a latere evangelii.

XLVI. Robertus IV *Rosse* prior de Hacquevilla & baillivus monasterii, eodem anno die 24 Martii eligitur a monachis qui erant numero viginti, hominiumque regi præstitit pro temporalibus 3 Maii 1484. Æmulum passus est Hugonem de Albinhaco abbatem de Pessano in diœcesi Auxitana, qui ab Innocentio VIII, quia Sixtus IV provisionem hujus abbatiæ vacatione adveniente reservarat, nominatus, fidei obsequium regi præstitit 25 Novemb. 1484. Ast Robertus reperitur annis 1485 & 1487, quo ultimo defunctus est.

XLVII. Nicolaus I *le Grossier* memoratus 19 Augusti 1491 in archivis cameræ computorum Parisiensium, & 1494 mense Januario in chartis *D. de Gaignieres*, societatem iniit cum Johanne abbate Montis S. Catharinæ 1494. Fato functus est 30 Octobris 1497. Memoratur 2 Novemb. in necrologio.

XLVIII. Johannes V *des Perrois* nobilis Normannus, prior de Aquigniaco, successor datus est Nicolao 13 Novemb. 1497 & a Radulfo episcopo Ebroicensi confirmatus. Post restitutam ecclesiæ navim, quæ vetustate collapsa erat, multaque utiliter pro monasterio gesta, obiit 1509, sepultus infra chorum prope odæum & notatus 10 Decembris in necrologio.

XLIX. Nicolaus II *le Vavasseur* prior de Aquigniaco, electus 1509 per obitum Johannis, confirmatus est a Martino episcopo Ebronensi vicario generali Radulfi episcopi Ebroicensis. Chartularium confici curavit anno 1514. Legitur 1515, 1521, 1522 & 1524. Defuncti 1 Novemb. 1525 corpus jacet in ecclesia de Aquigniaco, ubi obiit; cor vero in ecclesia Conchensi inter decessorem & successorem.

L. Johannes VI *le Vavasseur* Nicolai nepos, electus 24 Julii 1526, memoratur in chartis authenticis *D. de Gaignieres* 6 Febr. 1526 & 9 Januarii 1527. Transegit cum Francisco *de Fontenay* abbate Gemeticensi 1528. Regi anno 1547 mutuo dedit 1560 libras & 5 solidos. Memoratur adhuc die ultima Maii 1554 apud *D. de Gaignieres*. Defunctus 18 Octobris 1556, sepultus est in navi ecclesiæ juxta patruum ultimus abbas regularis. Dictus autem est pater pauperum, chori sedilia fecit & chartularium absolvit, memoratus 26 Octobris in necrologio. Vacabat vero sedes annis 1557, 1559 & 1560, quibus redditus a delegato administrabantur.

LI. Robertus V *de Quesnel* pastor ecclesiæ de Bonavilla, gratia Dianæ Pictaviensis commendam de Nöa, mox Conchensem primus obtinuit 1558. Coram regiis ministris bona monasterii recensuit an. 1569. Defunctus 23 Sept. 1584, annos natus 79, sepultus est apud Nöam.

LII. Gabriel *de Quesnel* pronepos Roberti, dominus *de Fresne*, nominatus a rege 1584, cardinalem *de Richelieu* adjutorem adscivit, eique supervixit. Monachos S. Mauri admisit 22 Sept. 1630. Mortuus 14 Septembris 1646, annos natus 83, sepultus est in capella B. Virginis, quam decoraverat. Cor jacet in choro ecclesiæ S. Leonardi de Fraxino.

LIII. Guillelmus VI *de Longueil* filius Renati domini *de Maisons* summi ærarii tribuni regiique administri, ex Magdalena *Boullenc de Crevecœur*, a rege nominatus anno 1646 annos natus 17, ornandæ ecclesiæ sollicitus fuit, ædes abbatis ampliavit, & Castellionensium civium protector, omnibus gratissimus præfuit ad annum 1669, quo repentina morte correptus est 28 Januarii, simul abbas Belliloci & S. Carauni.

LIV. Johannes VI *d'Estrades*, de quo diximus tom. II, col. 971, nominatus anno 1670, possessionem iniit 22 Febr. 1671, & cessit mense Octobri 1672 in gratiam sequentis. Fuerat episcopus Condomiensis, abbasque erat S. Melanii Redonensis.

LV. Johannes VII *d'Estrées* episcopus Laudunensis, possessionem ipse iniit 22 Februarii 1673, & obiit 1 Decembris 1694.

LVI. Henricus Oswaldus *de la Tour-d'Auvergne* cardinalis, quondam archiepiscopus Viennensis, tum vero abbas Cluniacensis, &c. Conchensi potitus est commenda a die 24 Decemb. 1694 ad 23 Aprilis 1747, quo obiit Parisiis, annos natus 76.

LVII. Petrus-Julius-Cæsar *de Rochechouart* episcopus Ebroicensis, dictus a rege est commendatarius mense Maio 1747.

LVIII. Carolus-Franciscus-Simeon *de S. Simon-Sandricourt* parentibus Ludovico-Francisco *de S. Simon* marchione *de Sandricourt* & Maria-Ludovica-Gabriele *de Gourgues* natus est 5 April.

1727. Theologicæ facultatis Parisiensis licentiatus, archidiaconus major ecclesiæ, necnon vicarius generalis episcopi Metensis, Conchensem obtinuit commendam a rege nominatus 7 Nov. 1753 & possessionem iniit 5 Martii 1754.

LIRE.

LIRA.

Antiquus est Ebroicinæ diœcesis vicus Lira, quem prisca donationum instrumenta veterem Liram solent cognominare. Dictum inde fuit Lirense monasterium eo loci positum duos inter montes, ubi vetus exstabat S. Christophori martyris ecclesia, secus Riselam seu Rillam fluvium, æquali fere spatio Conchis, Utico, Bernaicensique cœnobiis intermedium. Monasterii natales ad annum 1046 referunt Guillelmus Gemeticensis & chronicon Liræ. Eos alii prævertunt annis quatuor, contra differendos in annum 1050 volunt alii. Rectum forsan tenebit ille, qui post tentatam ab anno 1042 erigendi cœnobii rationem, monachos Liram sub Roberto abbate missos, receptosque anno 1046 definierit. Conditores audiunt Willelmus comes Normanniæ dapifer, Osberni filius, qui ex utraque linea Willelmum ducem cognatione attingebat, & Adelicia conjux filia Rogerii de Toënio. His amplissima patrimonia erant in Anglia & in Neustria: nam Willelmus Herefordensis comes erat, idemque Britolii in Neustria dominus, atque ad eum multa prædia in Ebroicensi & Lexoviensi pagis pertinebant. Ex quibus ambo conjuges duo monasteria construxerunt in honorem B. Mariæ, unum apud Liram in diœcesi Ebroicensi, alterum apud Cormelias in Lexoviensi, quorum posterius Willelmus, prius illud Adelicia sepultura sua honorarunt. In primariis ejusdem monasterii literis Willelmus concedit ecclesiæ B. Mariæ totam villam quæ dicitur vetus Lira, quartam partem novæ Liræ, totam aquam a nova Lira usque ad *Chalet*, &c. Guillelmus *de Breteuil* filius Willelmi & Eustachius cum filiis suis donationes avi & patris confirmarunt. Præter conditores, de Lira quoque bene meriti sunt Henricus I Angliæ rex, Robertus I, II & III comites Leicestriæ, Henricus II Angliæ rex, Galerannus & Robertus comites de Mellento, Henricus de Novoburgo, Amicia *de Leicestre* uxor Simonis comitis de Monteforti, Gilbertus & Guillelmus de Mineriis, Hugo de Ferrariis, Robertus & Petrus de Curtiniaco, Robertus & Philippus *d'Artois*, Francorum reges, episcopi Ebroicenses & summi pontifices, quorum ut plurimum 28 extant chartæ in monastico Anglicano t. III p. 85 & seq. Paria cum Uticensibus religione clarissimis fecisse Lirenses constat ex continua primorum abbatum octo serie, qui omnes Utico secundum Ordericum & alios educti, acceptam ibi normam Lirensibus inspirarunt. Primus omnium Beccenses regulas cum habitu candido videtur invexisse Radulfus abbas ex Beccensium grege, qui docentibus schedis veteribus atrum monasticæ cucullæ colorem vertit in album, & disciplinam immutavit: & quidem ad Astorgium abbatem, hoc est in annum 1392 duravit candidæ vestis usus. At longe citius refrixisse disciplinam vetera docent monumenta, quandoquidem emendandis suorum moribus Gislebertus abbas jam ineunte seculo XII, tum Radulfus operam locarunt. Contigit hæc labes ante monasterii combustionem, quæ anno 1188 totas ædes invasit. Restitutæ fuerunt illæ quidem in melius; at bellorum, litium & humanæ sortis conditione medio seculo XIII adeo deferbuerat norma regularis, ut Gislebertus eo nomine secundus abbas violatæ disciplinæ reus, solutionem a censuris ob fracta licenter regulæ statuta juraque postularit, & quod hominis probat socordiam, ab ordinis legibus, uti dicebant, asperioribus, quæ de votorum & regulæ substantia non erant, tum sibi, tum monachis remissionem atque indulgentiam impetrarit. Gliscenti morbo viresque non modicas in dies accipienti remedium afferre tentavit Astorgius abbas anno 1392, quo tempore candidas abjecit vestes, receptumque ubique passim apud Benedictinos atrum colorem Lirensibus suis reddidit. At nunquam abinde constitit integer disciplinæ vigor, cui penitus labefactando post invectas commendas Calvinisticæ strages omnia contulerunt. Serenior quidem ineunte superiore seculo visa rerum facies, abbate cardinali Perronio, qui Liram studiorum ergo secedere amabat. Eo satagente Lirenses Exemtorum societati dederunt nomen & aliquot ecclesiæ decora reddiderunt: at majora non attigerunt. His omnibus efficacius attulit remedium Jacobus Perronius nepos cardinalis, qui anno 1646 congregationis S. Mauri monachos Liram invitavit. Quanta illis ornandæ basilicæ, restituendis ædibus, bonis non semel recuperandis, plebium eruditioni rebusque sacris debitum ad concentum reducendis cura insederit, clamant ipsi parietes.

Charta I. col. 123. — Charta II. col. 124. — Ch. XIV. col. 142.

Præter veterem, de qua modo diximus, Liram, altera nova est seu parva, uno lapide a vetere distans, ex qua prodiit insignis ille Minorita, Nicolaus de Lira ob id cognominatus, qui in epitaphio suo ita loquens inducitur.

Lira brevis vicus Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ janua forsque fuit.

LIRÆ ABBATES.

I. Robertus I *de Chalet* sic dictus, quod primum hoc in loco mille passibus a vetere Lira dissito eremitam ageret, vir fuit venerandæ simplicitatis, jubente Deo permotus ad cœnobii constructionem. Notatur XII calendas Maii in necrologio. Ch. col. I

II. Berno Uticensis monachus 9 Aprilis in obituario.

III. Ersastus fuit Uticensis quoque cœnobii alumnus, secundus abbas numeratur a Roberto de Monte, V nonas Maii denatus est.

IV. Ernaldus asceta S. Ebrulfi Lirenses regebat ante annum 1072: memoratur quippe in tabulis cum Willelmo conditore, qui hoc anno

obiit. Precum iniit societatem cum Fulcone abbate S. Petri supra Divam. Signatur in necrologio pridie nonas Julii.

V. Hildebertus Uticensis pariter monachus, ultimus est e quinque primis Liræ abbatibus, quos monialium Cadomensium precibus commendant Lirenses in responso ad epistolam earumdem de morte Matildis abbatissæ, quæ obiit 1116 aut sequenti, ac proinde tunc defunctus erat Hildebertus. Obiit 20 Martii.

VI. Gilbertus I de Glotis, uti priores, monachus Uticensis abbate Rogerio, vir nobilis & facundus, Lirense cœnobium fere decem annis rexit & in multis emendavit, fato functus 1 Septembris ex necrologio Uticensi.

VII. Guillelmus I ex monacho Liræ abbas, ex Roberto de Monte, defunctus 19 Sept.

VIII. Radulfus I Beccensis monachus, ordinem emendasse fertur ab Orderico & Roberto, quo nomine putem invectas Liram cum alba veste Beccensium constitutiones. Devixit VI cal. Maii.

IX. Paulus Liræ abbas subscribit donatæ sergenteriæ Lirensi Amfrido de Thalamo & heredibus a Roberto comite Leicestriæ, filio Petronillæ comitissæ Leicestriensis.

X. Hildierus I, Hikdierius, Hildarius & Hildearius monachus S. Ebrulfi, subscribit anno 1142 chartæ unionis ecclesiæ collegiatæ Bellimontis Rogerii cum abbatia Beccensi. Literas bona monasterii firmantes accepit ab Hugone Rotomagensium archiepiscopo anno 1145. In Angliam pro rebus sui monasterii transfretavit, ubi nonnulla largitus est Gervasio abbati de Quadraria. Notatur in necrologio S. Ebrulfi VIII calendas Januarii.

XI. Guillelmus II ex Uticensibus monachis postremus Liræ abbas a Roberto memoratus, obtinuit anno 1148 ab Eugenio III Remis synodum agente rerum ac jurium confirmationem. Obiit 1166, ex Arturo, die vero 23 Aprilis, ex necrologio.

XII. Osbertus Willelmi germanus, anno 1171 Alexandri III bulla firmatas curavit monasterii possessiones. *Anno 1177*, ait Robertus de Monte, *nihilominus etiam satisfecit humanæ vitæ Osbertus abbas Liræ, cui successit frater ejus .... junior, sicut & ipse successerat seniori fratri suo Willelmo, quod vix aut nunquam invenies, ut tres fratres sibi invicem succedant in regimine alicujus ecclesiæ*. Notatur Osbertus in necrologio S. Ebrulfi III idus Januarii.

XIII. Gaufridus I sedebat annis 1179 & 1187. Hujus tempore monasterium de novo combustum est anno 1188. Cum Simone Conchensi abbate fœdus iniit de rebus apud Villare positis, anno quo Philippus rex Franciæ & Richardus Angliæ Jerosolymam perrexerunt, qui ad annum 1190 pertinet. Bullam pro monasterii rebus a Cœlestino III impetravit anno 1193.

XIV. Guillelmus III de Ferrariis ex priore abbas præerat annis 1206, 1209, 1214. Judex a summo pontifice delegatus, ecclesiam de Villeriis monasterio Conchensi adjudicavit anno 1208. Hoc vel sequenti abbate, Lirensis abbas creatus est canonicus Herfordiensis, institutaque inter utramque ecclesiam societas.

XV. Robertus I de Insula, ex præposito abbas reperitur in chartis ab anno 1216 ad 1221, quo obiit in festivitate B. Mariæ, quæ sequitur Translationem S. Benedicti. Hujus tempore fundata capella S. Nicolai de Malo passu anno 1216. Signatur in necrologio 20 Aug.

XVI. Ricardus *de Leicestre* ex priore ejusdem loci, concessa a Philippo rege eligendi licentia 1221 mense Augusto electus, rexit abbatiam Liræ quatuor annis & totidem mensibus, qui gravi detentus infirmitate, in manu Ricardi Ebroicensis episcopi curam reliquit pastoralem anno 1225 in octavis SS. Innocentium. Memoratur in necrologio 15 Aprilis.

XVII. Johannes I *d'Aumenesches* ex priore anno 1226 in octava Epiphaniæ ab omnibus una electus est abbas voce, qui cum Rogero abbate Uticensi pactum iniit anno 1229. Sedit ad annum 1241. Notatur in necrologio 30 Maii.

XVIII. Gaufridus II de Valeia memoratur abbas mense Februario 1243, id est 1244, quo circiter anno ecclesia B. Mariæ de Deserto unita est ecclesiæ Lirensi.

XIX. Radulfus II quondam abbas an. 1249 superstes, a successore ad reginam flectendam cum priore & quatuor monachis missus est.

XX. Gillebertus II de Haia anno 1248 mense Januario composuit cum abbatissa S. Salvatoris super quibusdam terris sitis in parochia de Capellis. Anno 1249 a Blanca regina S. Ludovici parente multa tulit, ne monialibus Malidumi Pontisarensibus a Blanca dotatis Lirensem capellam in Britoliensi nemore positam cederet. Hinc coram regina Franciam moderante causam dicere jussus, judicum multatus sententia, quin etiam episcopi decreto communione privatus, a tuendo jure deterreri non potuit, idque demum studiis effecit suis ut intacta Lirensibus capella servaretur anno 1251. At ipsemet datis anno 1252 ad Innocentium papam literis remissionem a severioribus regulæ decretis cum sibi, tum monachis, & ob impune violata violandaque sacrorum jura missionem a censuris impetravit: næ tutissimum se putans, si munitus istius modi subrepto diplomate patentem ad libidines portam aperiret. Vixit ad annum 1262, notatus in necrologiis 28 Septembris.

XXI. Robertus II *de Gauville* præfuit ab an. 1262, quo condidit statuta, ad annum 1281. Bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1271. Notatur in necrologio 28 Januarii.

XXII. Radulfus III *de Romilly* rexit ab anno 1282, quo monachi eligendi facultatem postularunt, ad annum 1288, al. 1296, quo adversa valetudine laborans, munus abdicavit sub certis conditionibus in manibus Nicolai Ebroicensis episcopi, qui suas hac de re literas dedit hoc anno die Lunæ post festum S. Martini hiemalis.

XXIII. Guillelmus IV *Edouard* postulata a monachis eligendi facultate anno 1297 electus, rexit ad annum 1329, quo ultimo precum societatem iniit cum Walterio abbate de Hida. Huic Philippus Francorum rex an. 1329 munus abjiciendi successoremque eligendi fecit potestatem.

XXIV. Hilderius II obedientiam promisit episcopo Ebroicensi anno 1330 die Martis post Pentecosten coram R. decano.

XXV. Guillelmus V ab anno 1331 ad 1350 rexit, ex chartis.

XXVI. Robertus III annos tres præfuisse dicitur.

XXVII. Johannes II legitur anno 1362 22 Novemb. in chartis authenticis *D. de Gaignieres.*

XXVIII. Guillelmus VI Blondi revocavit 11 Julii 1363 potestatem quam fecerat prioribus & procuratoribus suis in regno Angliæ, absolvendi eos qui e dicto regno exirent absque ejus licentia. Obiit anno 5 Urbani V, id est 1366 aut 1367.

XXIX. Guillelmus VII Guillelmo succedit, ex commentariis *D. Suarez*, nisi sit error in nomine.

XXX. Georgius Nicerii notatur annis 1374, 1379, 1388 & 1389 in chartis *D. de Gaignieres*, & 27 Maii in necrologio.

XXXI. Astorgius *de Beauclerc* memoratus 9 Junii 1390 & 20 Maii 1400 in chartis *D. de Gaignieres*, Ebroicensi episcopo obedientiam spopondit per procuratorem 13 Sept. 1392. Insequenti revocavit nigrum vestium colorem, indulgente Clemente VII, cal. Julii 1393. Signatur in necrologio 26 Julii.

XXXII. Stephanus *du Pré* recensetur in chartis *D. de Gaignieres* 14 Maii 1400 ante Pascha, id est 1401. Tempus ei prorogatur ad recensenda monasterii bona 6 Julii 1401. Legitur ibidem 1402, 1403, 1408 & 1413. Annuente conventu cessit in gratiam sequentis, sic notatus in necrologio ad 20 Julii : *Obiit D. Stephanus abbas hujus loci valde probus & ædificator novus.*

XXXIII. Simon de Moncello Romelii supra Andellam ortum duxit. Jam legitur abbas 4 Julii 1414 in chartis *D. de Gaignieres.* Ad concilium Constantiense 24 Julii 1417 appellavit adversus Angliæ regem, qui bona Liræ in Anglia sita ad Cartusiam exstruendam insumserat. Henricus V Angliæ rex regni 6 temporalia ei restituit & salvum conductum dedit ad sacramentum fidei præstandum, quod præstitit 16 Februarii 1419. In possessionem Eremi *de Longboüel*, quem abbas alter cognato cuidam suo donaverat, restitutus est a Martino V anno 1421. Collapsum B. Magdalenæ sacellum in infirmorum gratiam restauravit anno 1416, & in dormitorio S. Catharinæ sacellum erexit 1428. Precum ac suffragiorum communionem cum Cormeliensibus statuit anno 1431. Legitur adhuc 1440 die 4 Aprilis post Pascha in chartis A *D. de Gaignieres*, & 20 Augusti in necrologio.

5 Post Simonis obitum electus a monachis Gaufridus *Gatine*, at non confirmatus, cedere coactus est sequenti, factus prior de Deserto.

XXXIV. Guillelmus VIII *le Bas* monachus Gemeticensis, a summo pontifice factus abbas contra electum a monachis, benedictus est Rotomagi ultima Augusti 1440 in sacello S. Marci a Pasquerio episcopo Lexoviensi. Cum nonnullis armatis, Anglis scilicet, quorum una nitebatur gratia & virtute, possessionem iniit. Occurrit 22 Novembris 1440 in chartis *D. de Gaignieres*, 1448, 1458, 1462 & 1463. B Tempus ei ad recensenda monasterii bona prorogatur 21 Junii 1443. Regi fidem dixit apud Luparias 2 Octobris 1449. Cum autem monachos semper infensos haberet, cessit in gratiam Ludovici *d'Harcourt*, cujus auctoritate factus est a Pio II episcopus Abellonensis, cum facultate mense Octobri 1463 consecrationis a quocumque episcopo percipiendæ. Superstes adhuc 1467, aliquam difficultatem cum monachis expertus est pro pensione quam sibi retinuerat. De eo legitur in necrologio 12 Maii : *Obiit D. Guillelmus hujus quondam cœnobii abbas primum, ac deinde postmodum episcopus Abellonensis. Hic dum adhuc* C *cœnobium administraret, fecit nova subsellia conspersa liliis, arcusque lapideos omnes super quos turris ædificata consurgit. Aquilam comparavit æneam, vestesque sacras virides quibus angeli sunt intexti. Ipse est qui primum fratribus vestiarium constituit in pecunia numerata, sacerdotibus 12 libras, & ceteris 8. Obiit 12 Maii.*

XXXV. Johannes III *le Bas* memoratur 9 Januarii 1458 & 1466 16 Decemb. in chartis *D. de Gaignieres*, forte consanguineus Guillelmi, cui primum cesserit.

XXXVI. Ludovicus I *d'Harcourt* patriarcha Jerosolymitanus, episcopus Bajocensis, archiepi- D scopus Narbonensis, commendatarius Liræ regi fidem dicit 17 Martii 1463. Occurrit in chartis *D. de Gaignieres* ad annum 1479 4 Aprilis. Testamenti exsecutor Radulfi Boverii defuncti 9 Julii 1469 cum Boissello doctore theologo, monachis tradidit opus Nicolai de Lira super Biblia in septem voluminibus.

XXXVII. Petrus I *d'Amboise* abbas S. Jovini, jus regaliæ & administrationem abbatiæ Lirensis a rege accepit 16 Decembris 1479. Regi jurat fidem 12 Novembris 1480. Factus episcopus Pictaviensis XI cal. Decemb. 1481, Lira cessit.

E XXXVIII. Benedictus *de Chamery* ex venatore Ludovici regis fit monachus S. Juliani Turonensis. Cum per negligentiam suam amisisset abbatiam S. Juliani, Lirensem consecutus est gratia marescalli de Guisia ejus cognati, quo nomine occurrit 1481, 1483 & 1484. Attamen cum abbatiam S. Juliani, cujus erat monachus, sitiret, permutavit cum Johanne *de Quedillac*, Lirensibusque alterius eligendi veniam dedit, qui statim abbatem elegerunt. Permutatione Parisiensis senatus consulto firmata, Benedictus

Turonos profectus, obnitentem Johannem nactus est. Liram itaque rediit, quem Lirenses quoque ejecerunt. Vindiciæ tamen ei a judicibus secularibus sponsore dato adjudicatæ sunt, quibus potitus est, donec obiit Turonibus 18 Maii 1500.

XXXIX. Johannes IV *de Clery* monachus Lirensis, permutatione a Benedicto facta a monachis electus, ipso mortuo eligitur rursum & ab episcopo confirmatur. Æmulum passus est Johannem *de Quedillac* abbatem S. Juliani Turonensis & de Oratorio, qui manu armata possessionem iniit 19 Junii 1500. Lite ad Scacarium delata, judices secundum Johannem *de Quedillac* dixerunt. Sic sua spe defraudatus Johannes *de Clery*, juri suo cessit in gratiam Renati *de Prie* cardinalis.

XL. Renatus *de Prie* cardinalis, episcopus Bajocensis, commendatarius Lirensis per cessionem Johannis *de Clery* litem ad majus consilium transtulit, decretumque obtinuit, quo Johannis electio ab episcopo & metropolitano confirmata confirmabatur. His præsidiis munitus, possessionem apprehendit Renatus & reditibus potitus est, intercederet licet Johannes *de Quedillac*, qui & privatum consilium appellavit, a quo majoris consilii decretum confirmatum est Blesis 26 Martii 1512. Memoratur 10 Augusti in necrologio Renatus, defunctus anno 1516.

XLI. Ambrosius *le Veneur* episcopus Ebroicensis Renatum excepit & commendam tenuit in annum 1527, notatus in necrologio 23 Septembris.

XLII. Johannes V *le Veneur* cardinalis episcopus Lexoviensis, commenda potiebatur anno 1533. Obiit 7 Augusti 1543.

XLIII. Gabriel *le Veneur* episcopus Ebroicensis, abbas 1548.

XLIV. Hippolytus *d'Est* cardinalis, archiepiscopus Narbonensis, &c. priorque S. Imerii, Liræ possessionem per procuratorem iniit 11 Julii 1549, quam tenuit ad annum 1572.

XLV. Aloysius *d'Est* diaconus cardinalis S. Luciæ, bullas obtinuit IV nonas Decembris 1572, qua die Hippolytus Romæ obiit; ipse vero defunctus est mense Decembri 1587.

XLVI. Ludovicus II *de Guise* cardinalis, archiepiscopus Remensis, commendatarius erat Liræ, quando occisus est Blesis anno 1588, statimque ab Henrico III nominatus est rei Lirensis administrator Thomas *Morieult*, qua ad reparandum monasterium interim usi sunt monachi in annum 1595.

XLVII. Ludovicus III *de Lorraine*, filius Henrici *de Guise* Blesis occisi, bullas obtinuit IV nonas Maii 1592, & *vi commissionis ab illustrissimo & potentissimo principe D. D. Carolo a Lotharingia duce* de Mayenne, *status & coronæ Franciæ locum tenente generali, ab urbe Senonensium die 25 mensis Septembris novissime præteriti emanatæ, ac etiam virtute edicti ac senatusconsulti supremæ parlamenti Rotomagensis curiæ* possessionem per procuratorem iniit 21 Januarii 1593 in ecclesia Rotomagensi *per ingressum capellæ B. Mariæ retro chorum & osculum altaris ejusdem, ad onus tamen ipsam reiterandi in dicto monasterio, dum tutior ad illud via patebit.* Vicario generali usus est Johanne *de Piles* commendatario Orbacensi & præposito Remensi, qui præsentavit ad ecclesiam S. Egidii 3 Martii 1593.

XLVIII. Carolus *de Bourbon* archiepiscopus Rotomagensis, commendatarius erat Liræ annis 1598 & 1599.

XLIX. Jacobus I *Davy du Perron* episcopus Ebroicensis, tum cardinalis & Senonensis archiepiscopus, Liræ commendatarius bona cum monachis partitus est 9 Septembris 1604, quibus necessaria ad 19 monachos sustentandos largitus est. Campanile chori lapsum relevavit an. 1613. Obiit 1618.

L. Johannes VI *du Perron* Jacobi germanus, archiepiscopus quoque Senonensis, Jacobo commendatario datur coadjutor bullis pontificiis 21 Junii 1616. Obiit 1621.

LI. Jacobus II *le Noel du Perron* Jacobi & Johannis sororis filius, episcopus Encolismensis, tum Ebroicensis, abbasque S. Taurini & prior de Aquigniaco, commendam Lirensem tenebat 24 Junii 1622. Monachos S. Mauri accivit 24 Junii 1646. Sedilia chori reparavit. Obiit 1649.

LII. Ludovicus IV *Barbier de la Riviere* regi ab omnibus consiliis, regni administer, commendator cancellarius regiorum ordinum, Liræ possessionem adipiscitur anno 1649. Episcopus Lingonensis obiit Parisiis 30 Januarii 1670, annos natus 77.

LIII. Jacobus III *Bretel de Gremonville* præceptor Melitensis, commendam obtinet anno 1671. Monachos litibus & contumeliis fatigavit, & obiit Parisiis 29 Novembris 1686.

LIV. Johannes-Jacobus *Seguier de la Verriere* relicto episcopatu Nemausensi factus abbas 24 Decembris 1686, obiit 8 Novemb. 1689.

LV. Ludovicus V *de Calvieres* filius naturalis Marci *de Calvieres* toparchæ *de Saint-Cesaire* consiliarii in parlamento Tolosano, abbas Psalmodiensis post Johannem cognominem, cessit abbatia pro episcopatu Alesiensi insumenda, & factus est commendatarius Liræ 22 Novembris 1689. Obiit Rotomagi 4 Martii 1698.

LVI. Armandus-Gasto *de Rohan Soubise* cardinalis, episcopus Argentoratensis, designatus abbas die sancto Paschæ 1698, cessit an. 1713.

LVII. Petrus II *de Pardaillan de Gondrin d'Antin* episcopus Lingonensis, donatus a rege commenda Lirensi 22 Aprilis 1713, obiit in sua diœcesi 2 Octobris 1733, annos natus 41.

LVIII. Ludovicus-Constantinus *de Rohan* filius Caroli principis *de Guemené*, ducis *de Montbazon* & Carlottæ-Elisabethæ *de Cochefilet*, eques Melitensis, ecclesiæ nomen dedit, & obtinuit commendam Liræ anno 1734 nominatus 23 Maii, cujus possessionem iniit 3 Septembris. Factus est postea primus regis eleemosynarius & præceptor ordinis S. Spiritus 2 Februarii 1753.

IVRY.

IBREIUM.

IBREIA, vel Ibreium, sive Ivreium, Ivriacum & Iberium, munitissimum olim castrum, Henrici IV Francorum regis adversus fœderatos rebelles victoria celebre, in extremis Eburovicium finibus, qua Carnotenses attingunt, situm, Normanniam a Francia dirimit, Autura interfluente, qui post irrigatos Perticensem atque Carnutensem pagos Sequanæ commiscetur. In ejus castri suburbio locus est, Pratum dictus, Auturæ proximus, ubi posita fuit monasterii B. Mariæ nuncupati sedes versus orientalem plagam, haud procul ab aggere publico, qui ad Ebroicas sex B inde millibus Gallicis remotas tenditur. Monasterium excitavit Rogerius de Ibreio Guillelmi nothi regis Anglorum pincerna, qui consanguineorum & affinium mutuis sese fœdantium cædibus crimen exosus, hanc placandi numinis tesseram posuit *anno quinto postquam Guillelmus comes Normannorum in bello superavit Anglos*, hic est annus 1071, & alendis quindecim cum abbate monachis census idoneos delegavit, ea lege ut abbates in Columbensium essent potestate, quandiu illi secundum ordinem Majoris monasterii & Cluniacensium instituta vitam conformarent, quod a Guillelmo rege probatum. At C post aliquot annos, sive quod a rigore deflexerint Columbenses, seu amor libertatis Ibriacenses ab illis averterit, nullos præter unum aut alterum inde assumtos abbates legimus, liberamque eligendi abbatis facultatem fecit illis Innocentius IV anno 1244. Grave damnum pertulit sub finem undecimi seculi Ibriacense monasterium, cum adversus Guillelmum Brituliensem Ibriaci dominum rebellavit Ascelinus, cognomento Göellus, qui arcem a Guillelmo extorserat. Hanc munitionem in cœnobio monachorum testante Orderico militibus suis constituere coactus est Guillelmus, ad quam expugnandam Göellus D ignem in locum injecit, quo basilicam ædesque monachorum cum eorum supellectili penitus consumsit. Multas alias subinde clades pertulit illud monasterium, tum a Francis Normannisque bello contendentibus, tum a Calvinistis, qui anno 1563 monasterium expilarunt, ecclesiæ navim everterunt, eoque locum redegerunt, ut actum foret de illo cœnobio, nisi congregationis S. Mauri monachi subvenissent, quorum ope ac subsidiis nova loco forma & dignitas restituta est. Præter Ibreii toparchas, de monasterio quoque bene meriti sunt toparchæ *de Richebourg*, de Alneto, episcopi Ebroicenses, &c. E

ABBATES.

I. PETRUS I Columbensis monachus urgente Rogerio conditore, Guillelmique regis adnisu regendam Ibreiensem abbatiam suscepit primus, ibique monasticum vivendi genus, quale Columbis secundum Majoris monasterii Turonensis ordinem & Cluniaci decreta servabatur, instituit.

II. Herbertus, aliis Hubertus, Columbensis A pariter monachus, prædecessoris exemplo disciplinæ studiosus vixit.

III. Durandus Becci monachus.

IV. Osbernus asceta Fiscannensis.

V. Guillelmus I monachus Beccensis, VII calendas Februarii signatur in necrologio.

VI. Normannus Becci monachus.

VII. Rogerius I præerat annis 1168 & 1172.

VIII. Radulfus I Becci monachus, an. 1175 præerat, defunctusque notatur in Beccensi necrologio VI idus Februarii.

IX. Rogerius II anno 1185 in literis Lucii B Papæ.

X. Hubertus Carnotensis S. Petri monachus, annis 1195 & 1200 vivebat. Reliquorum ætas discitur ex tabulis.

XI. Guillelmus II an. 1204.

XII. Richardus 1205.

XIII. Vivianus I 1206.

XIV. Guillelmus III anno 1220.

XV. Radulfus II anno 1225.

XVI. Vivianus II 1236.

XVII. Johannes I anno 1248.

XVIII. Gabriel I post decursum in academia Parisiensi studiorum stadium monachus Fiscanni Guillelmo *Vaspail* abbate, Ibreiensi mona- C sterio circa annum 1260 præpositus fuisse legitur.

XIX. Henricus mense Aprili 1273, ex chartis Mortui-maris.

XX. Simon 1281.

XXI. Guillelmus IV an. 1309.

XXII. Johannes II. an. 1331.

XXIII. Guillelmus V anno 1377.

XXIV. Bertrandus 1379 10 Martii & 1380 15 Junii.

XXV. Petrus II *Gastel* 1385 & 1389.

XXVI. Johannes III an. 1399.

XXVII. Guido I an. 1405.

D XXVIII. Johannes IV *de la Magdelaine* 8 Novembris 1406. Concilio Pisano adfuit anno 1409.

XXIX. Philippus I 26 Novembris 1412 & 8 Aprilis 1415.

XXX. Nicolaus *le Gendre* obiit 29 Julii 1442.

XXXI. Johannes V *Aubert* electus 10 Sept. 1442, memoratur 1451.

XXXII. Guillelmus VI an. 1459 & 1468.

XXXIII. Johannes VI an. 1472.

XXXIV. Guillelmus VII *Brillet*, anno 1474 Scacario interfuit.

E XXXV. Stephanus 1480.

XXXVI. Johannes VII *l'Archer* 1487.

XXXVII. Guido II *de Hellenvillier* e prosapia fundatorum, e Feritate oriundus, monachus S. Ebrulfi priorque S. Martini de Noione, abbas regularis 1502 & 1522 die 16 Februarii.

XXXVIII. Johannes VIII *de Luxembourg* filius Caroli Briennæ, Rocei & Ligniaci comitis & Carlottæ *d'Estouteville*, annum agebat decimum, cum a monachis postulatus est monasterii sui ruinam & desolationem considerantibus. A Clemente

Clemente VII confirmatur anno pontificatus 2 1525, duplici hac lege, prima ut fructuum & redituum monasterii tertia pars ad reparandum monasterium, emenda ornamenta & pauperes alendos insumeretur; altera ut prior claustralis monasterii foret administrator, donec ad 18 annum pervenisset Johannes. Hic possessionem iniit 15 Julii 1525. Factus inde episcopus Appamiensis abbasque S. Mauri & de Ripatorio, obiit Avenione 1548, sepultus apud Cœlestinos.

XXXIX. Philibertus *de Lorme* nominatus anno 1548, Edmundum *Maillard* priorem æmulum passus est, quo victo sententia lata 18 Januarii 1549, hominium præstitit regi 6 Octobris 1549. Famosæ Dianæ Pictaviensi divendidit decimam silvæ Ibriacensis an. 1553. Obiit anno exeunte 1560, simul abbas S. Eligii Noviomensis & S. Sergii Andegavensis. Celeber architectus castellum de Alneto construxit, & apud Ibreium sedilia chori, in quibus ejus visuntur insignia.

XL. Jacobus *de Poitiers*, quem famosæ illius Dianæ germanum volunt, regi a consiliis & eleemosynis, camerarius Columbensis, abbasque Vosiensis & S. Symphoriani Bellovacensis, Ibriacensis nominatus 1560, cum Diana sorore 26 Sept. 1561 pactum pro decima silvæ Ibriacensis commutavit. Ædes abbatis sacellumque quod extra basilicæ portam erectum est restauravit, in quo singulis mensibus obitum fundavit, & sepeliri voluit in tumulo quem ipse erexit, ubi legitur : *Jacobo Pictonico reg. consil. & eleemosyn. hujus monasterii quod instaurarat abbati bene merito, in Deum & ecclesiam pio, in egenos liberali, in amicos & domesticos munifico, in omne hominum genus officioso, viro denique bono & egregio, monumentum hoc a vivente ipso inchoatum, testamenti exsecutores ad illius æternam memoriam PP. Vixit an. 58. Obiit idib. Maii 1577.*

§ Defuncto Jacobo, Petrus *d'Hervilley* abbatiæ œconomus & administrator a rege dictus est.

XLI. Ludovicus I *Poupin* commendam tenebat 20 Sept. 1579, qua die a Petro œconomo rationes excepit. Defunctus creditur exeunte an. 1587.

XLII. Franciscus *Abely* verbi Dei præco clarissimus, regique ab eleemosynis, abbas B. Mariæ de Iberio annumeratur eis qui instrumento universitatis Parisiensis de sacramento regi præstito 22 Aprilis 1594 subscripserunt.

XLIII. Johannes IX *le Bigot* presbyter Andegavensis transegit anno 1588 6 Octobr. cum monachis de necessariis ad vitam, quibuscum anno sequenti litigavit de re eadem. Æmulum habuit Arturum *d'Agar* nominatum a duce de Meduana abbatem, & œconomum a Locumtenente Ebroicarum. Præter Arturum, Johannes *Guiffart* decanus Ebroicensis res monasterii gerebat œconomus, forte pro Francisco *Abely*, anno 1591. Hos omnes evicit Johannes, qui pacifice gaudebat anno 1604, & obiit circa 1623.

XLIV. Gabriel II *de Beauvau* necessaria monachis assignavit 22 Julii 1624. Inde episcopus Nannetensis priorque Grandimontis prope Chinonem, obiit ineunte Januario 1668.

XLV. Philippus II *de Vendôme* filius Ludovici & Lauræ *Mancini*, equitum Melitensium major Franciæ prior, nominatus a rege Ibriacensis abbas ineunte anno 1668 possessionem per procuratorem iniit 10 Junii anni ejusdem. Monachos congregationis S. Mauri accivit sequenti & obiit 24 Januarii 1727.

XLVI. Ludovicus II *Anisson d'Haute-Roche* a rege renuntiatus est anno 1727.

S. SALVATOR.

SAINT SAUVEUR.

Sancti Salvatoris ordinis S. Benedicti parthenon fundatur in ipsa urbe Ebroicis circa annum 1060 a Richardo comite Ebroicensi filio Roberti archiepiscopi Rotomagensis hortatu Guillelmi Normannorum ducis avi Richardi. Chartam fundationis habes in appendice, in qua donationes a conditore factæ recensentur. Has Simon comes Ebroicensis confirmavit & ampliavit. Accessit auctoritas apostolicæ sedis & Eugenii III, in cujus bulla data anno 1152, continentur præter præfatas donationes aliæ a variis factæ benefactoribus. Cum hæc abbatia funditus eversa fuisset seculo XII exeunte a Philippo-Augusto, Guarinus episcopus Ebroicensis dedit ad ædificandum monasterium locum ubi nunc est extra urbem, cum prius esset intra muros in loco, ut putant, ubi nunc est ecclesia S. Nicolai. Seriem abbatissarum ex tabulis aliisque documentis excerptam habes.

Chart. III. col. 125.

Ch. VIII. col. 134.

Chart. XII. col. 141.

ABBATISSÆ.

I. Hersendis prima dicitur abbatissa in charta fundationis, quam legesis in appendice. Chart. III. col. 125.

II. Godehildis filia Richardi comitis Ebroicensis & fundatoris monasterii & Godehildis ejus uxoris, circa 1080 præerat.

III. Johanna legitur anno 1100.

IV. Osberta 1123.

V. Albareda sedebat tempore Amalrici comitis Ebroicensis qui fecit cœnobio quamdam donationem, sed in ejus charta notæ desunt chronologicæ, nisi quod facta legitur donatio tempore dedicationis ecclesiæ, quæ peracta est ab Audoëno episcopo Ebroicensi anno circiter 1130. Eadem Albareda sæpe commemoratur in aliis chartis.

VI. Hilaria, ad quam dirigitur bulla Eugenii III data 10 Februarii indict. XV pontificatus 8, Christi 1152. Memoratur anno 1154 in chartis Fontanellensibus & in instrumento pro quadam inquisitione, de qua in Cecilia abbatissa infra. Anniversarium habet in ecclesia Ebroicensi. Ch. VIII. col. 134.

VII. Isabella I, de qua ita loquitur unus testium in inquesta facta tempore Ceciliæ abbatissæ : *Herbertus de Aprileio juratus dixit quod ab initio essartionis habuit abbatissa pacifice & libere duas garbas & tertiam, & quod collegit eas in tempore duarum abbatissarum, Hilariæ scilicet & Isabellæ, &c.* Hæc inquisitio facta est a Sansone

abbate S. Audoëni Rotomagensis de mandato Cœlestini papæ III dato anno 3 ejus pontificatus, proindeque anno 1193.

VIII. Cecilia præerat tempore inquisitionis factæ per Sansonem abbatem S. Audoëni jubente Cœlestino papa III.

Ch. XII. col. 141. IX. Agnes abbatissa erat quando Guarinus Ebroicensis dedit locum ad novum monasterium ædificandum circa 1195. Sedebat anno 1216.

X. Aalicia I anno 1221 pactum iniit cum Hugone *de Bouge* pro dimidia acra terræ. Anno 1223 Gaufridus *Feret* de assensu Mathildis uxoris ei & conventui vendit quoddam pratum pro 16 libris Turonensibus.

XI. Agnes II componit cum Rogerio Villari clerico an. 1224 mense Augusto coram Ricardo episcopo. Anno 1225 III calendas Februarii, quidquid apud *Noion* in ejus manibus reliquerat Robertus *Noel*, tradidit Radulfo *de Noion*. Absolvitur a calumnia de usurpatis quibusdam terris apud Gallionem, sive confessione accusatorum, sive literis Ricardi Ebroicensis episcopi datis anno 1225 mense Augusto. Agneti Guillelmus de Houdovilla vendidit 12 solidos annui reditus apud Houdovillam anno 1229 mense Aprili.

XII. Aalicia II nota ex charta Hermengerii dantis ei quidquid tenebat apud Asnerias XII calendas Aug. an. 1230.

XIII. Agnes III, cui Mauritius Rotomagensis archiepiscopus ejusque conventui adjudicavit anno 1233 minores decimas in parochia S. Arnulfi. Dedit anno 1234 Rogerio de Mineriis facultatem ædificandi capellam infra manerium suum, assensu & voluntate Radulfi episcopi & Guillelmi *de Gravigny* presbyteri ecclesiæ de Mineriis.

XIV. Emelina anno 1236 acquisivit duas portiones terræ mense Octobri. Huic nonnulla dedit Radulfus de Meulento anno 1237. Eadem sane est cum E. quæ apud Arturum componit anno 1238 cum monachis S. Leufredi.

XV. Johanna I occurrit in chartis ab anno 1240 ad 1252 mense Martio. Monachis Conchensibus permisit anno 1243 totam vini decimam apud Toënium.

XVI. Isabella II occurrit 28 Junii 1258 in tabulis Fontanellensibus, & 1260.

XVII. Nicolaa I cum Ricardo abbate S. Taurini composuit amicabili conventione litem de decima septimana, quam S. Taurini abbas & conventus sibi vindicabant in teloneo præposituræ Ebroicensis, mense Decemb. 1265, quod confirmavit apposito suo sigillo Radulfus episcopus Ebroicensis. Anno 1271 die Martis post festum SS. Jacobi & Christophori jus minutæ decimæ in parochia S. Arnulfi prope Calidum-beccum sibi debitum libere propugnavit coram officiali Rotomagensi. Occurrit adhuc in chartis annis 1274, 1275 & 1277. Defuncta est VIII idus Maii.

XVIII. Aalicia III *de Brely* sedit tempore Philippi Ebroicensis episcopi, qui judex fuit

A inter ipsam ejusque conventum & Thomam presbyterum de Houdovilla die Martis post festum S. Matthæi an. 1280. Hoc eodem anno Philippus episcopus constituit monialium numerum quinquagenarium excedere non debere. Jam præerat Aalicia an. 1279 post festum Omnium sanctorum, ex charta qua Petrus de Guichenvilla concedit de molendino suo aquæ portionem monasterio certis conditionibus. Occurrit Aalicia abbatissa 1285 sabbato post Inventionem reliquiarum S. Stephani in chartis domesticis. Anno 1289 die Jovis post festum S. Petri ad vincula dominus de Ibreio cum cepisset cervum B in nemore Ebroicensi, illum magno apparatu dedit Aaliciæ pro decima venationis, quæ ad eam ejusque conventum competebat vi diplomatis Ricardi comitis fundatoris, cujus rei testes fuerunt Petrus decanus Ebroicensis & multi alii.

XIX. Margarita I composuit nomine conventus monialium Casæ-Dei S. Salvatori subditarum de decimis apud *Nogent le-Sec* cum monachis Conchensibus anno 1290, ex chartulario Conchensi. Excessit e vivis III nonas Junii.

XX. Aalicia IV *de Murgiers* anno 1291 cum Nicolao Ebroicensi episcopo compromisit ad finiendam arbitrorum judicio litem super de-C cima de cauda *Blancart*, de qua amicabiles compositores Guillelmus Petrus canonicus Ebroicensis & M. Martinus de Vauvreyo decanus de burgo Theroudi sententiam protulerunt eodem anno, officialis vero Rotomagensis literas dedit dicto anno die Mercurii post festum Omnium sanctorum. Occurrit adhuc Aalicia 1 Februarii 1303, id est 1304, in chartis Fontanellensibus, ubi cum Guillelmo abbate convenit pro quibusdam nemoribus.

XXI. Flandrina die Lunæ post octavas SS. Trinitatis anno 1309 excepit homagium sibi præstitum a Simone *d'Ansreville* milite & D die Mercurii sequenti a Johanne *de Laudes*. Benedicta fuit a Philippo *le Boulenger* Sagiensi episcopo Luteciæ anno 1308 ad preces Matthæi Ebroicensis episcopi. Reperitur adhuc an. 1312.

XXII. Florida *de Mauleon* 1326.

XXIII. Johanna II *de Limbeuf* societatem iniit cum Josaphatensibus anno 1344, ex chartis Josaphati. Legitur & anno 1350.

XXIV. Petronilla I occurrit 16 Octobris 1358 in chartis *D. de Gaignieres*.

XXV. Blanca *la Gaunaude* die 5 Junii 1375 fidem juravit regi Navarræ comiti Ebroicensi & monasterii bona ei jure clientelari subdita E declaravit. Occurrit in chartis *D. de Gaignieres* ab anno 1379 ad 1393, quo obiit V nonas Octobris, ex Arturo.

XXVI. Petronilla II *du Coudray* ibidem ab anno 1393 mense Novemb. ad 1405 24 Novembris.

XXVII. Petronilla III *de Daubeuf* ab an. 1406 12 Decemb. ad 1416 24 Aprilis, apud *D. de Gaignieres*.

XXVIII. Johanna III *de Garencieres* ab an. 1416 ad 1418; qua defuncta, monialibus

eligendi facultatem fecere rex Angliæ 9 Octobris A 1418 & vicarius generalis sede vacante mense Decemb. anni ejusdem.

XXIX. Nicolaa II *la Prevoste* præfuit ab anno circiter 1418. Henricus V rex Angliæ temporalia ei restituit anno regni sexto. Angliæ regi fidem præstitit anno 7, qui salvam gardiam ei concessit annis 7 & 9. Francorum regi fidelitatis sacramentum exhibuit 1449. Superstes 26 Maii 1450. Qua defuncta, Carolus rex post diuturnam vacationem permisit electionem 14 Maii 1451.

XXX. Margarita II *de Garencieres* regi fidem dixit 16 Maii 1452 & 8 Octobris 1461. B Occurrit in chartis *D. de Gaignieres* ab anno 1452 9 Septemb. ad 1469 ultimam Julii.

XXXI. Johanna IV *de Giresme* regi fidem dixit 4 Octobris 1469, ex regestis cameræ computorum.

XXXII. Johanna V *de Garencieres* legitur in chartis *D. de Gaignieres* ab anno 1470 26 Februarii ad 1491 penultimam Decembris. Moritur 1495 XIV calendas Julii.

XXXIII. Pregentia *de Melun* ab an. 1495 occurrit 6 Februarii 1502 in chartis *D. de Gaignieres*. In fata concessit 28 Augusti 1504.

XXXIV. Johanna VI *d'Erneville* præfuit ab C anno 1504 ad 1531, quo obiit XII calendas Novembris.

XXXV. Magdalena I *d'Estouteville* filia Caroli domini *de Villebon* & Helenæ *de Beauvau*, confirmata 13 Novembris 1531, occurrit in chartis *D. de Gaignieres* ab anno 1532 ad 1540. Novæ basilicæ ædificium aggressa est, quod prosecuta est abbatissa quæ ipsi successit. Mortua dicitur ab Arturo VI cal. Octob. 1566.

XXXVI. Magdalena II *de Montenay* multos obices superavit ut in possessionem immitteretur: nam 1.° promota fuit bulla Julii papæ III idus Septemb. anno 1553; 2.° bulla D Pauli IV an. 1555 VIII cal. Julii. Obedientiam promisit papæ 8 Augusti 1556. Regi fidem juravit per procuratorem 25 Januarii 1558. Memoratur 20 Julii 1574 in chartis *D. de Gaignieres*. Opus ecclesiæ prosecuta est & decessit V cal. Aprilis 1587.

XXXVII. Magdalena III *Aquaviva* præfuit ab anno 1588. Cessit in gratiam Mariæ *de Roncherolles* monialis S. Salvatoris, quæ æmulam passa est Annam *de Bayenenuot* a rege nominatam, quacum per biennium litigavit, quo expleto, Magdalena consilii sanctioris decreto in integrum restituta, iterum cessit in favorem An- E gelicæ *d'Estrées*, quæ jus suum in sequentem transfudit cum beneplacito regis.

XXXVIII. Judith *de Pons* filia Antonii *de Pons* domini *de Marennes* equitis torquati & Mariæ *de Montchenu*, Pissiacensis ordinis S. Dominici monialis, per cessionem Angelicæ *d'Estrées* a rege approbatam a monialibus eligitur abbatissa die Jovis 11 Augusti 1594 & in possessionem immittitur a regiis administris donec bullas adipisceretur. Hoc autem nomine legitur in regestis parlamenti 1597. Episcopo Ebroicensi sacramentum præstitit 18 Octobris 1599, cujus consiliis ad parthenonem reformandum se accinxit. Nam propter assidua, maxime intestina bella disciplinæ regularis vigor plurimum intepuerat. Quod ut feliciter exsequeretur, incepit a tollenda omni proprietate, reditusque mensæ abbatialis in commune commodum contulit. Ejus exemplo perpetuæ clausuræ moniales sese addixerunt. De ea in necrologio legitur: *Domum pene dirutam reædificavit, claustralem disciplinam & omnia restituit, reditusque maxime auxit.* Elegit adjutricem Ludovicam quæ sequitur. Vixit in annum 1627. Nicolaus *Yvelin* Theologus Ebroicensis dicavit ei Dacriani speculum a se Gallice redditum an. 1612.

XXXIX. Ludovica *du Plessis* ex illustri domo *de Liancourt*, monialis Montis-martyrum, ex coadjutrice fit abbatissa 1627, fideliterque in promovenda reformatione Judith superioris vestigiis institit ad annum 1652, quo vivere desiit 17 Sept. sepulta in ecclesia a latere evangelii cum epitaphio.

XL. Maria-Elizabeth *de la Rochefoucaud* filia Francisci V primi ducis *de la Rochefoucaud* equitis torquati & Gabrielidis *du Plessis Liancourt*, nata 10 Augusti 1617, nominatur a rege abbatissa anno 1652. Coadjutricem accivit Annam-Franciscam germanam natam 20 April. 1626 & defunctam anno 1685. Ipsa vero sorori superstes, naturæ debitum solvit 22 Octob. 1698, ætatis 81 & regiminis 49.

XLI. Francisca-Henrieta *de la Rochefoucaud*, filia Francisci marchionis *d'Estissac* & Franciscæ *de Gelas de Voisins*, designata a rege abbatissa 1 Novemb. 1698, possessionem iniit die Lunæ post Pascha 1699. Benedictionis munus accepit 5 Augusti anni ejusdem, & post regimen annorum 45, obiit 1 Julii 1743, annos nata 80, sepulta die sequenti, cum epitaphio.

XLII. Maria-Anna-Claudina *de la Rochefoucaud* filia Henrici-Francisci *de la Rochefoucaud de Cousages* & Mariæ-Annæ-Henrietæ *Plaison de Bouchat du Bigeardel*, monialis prioratus S. Marci ordinis S. Johannis Jerosolymitani in diœcesi Cadurcensi, nominata a rege abbatissa S. Salvatoris 8 Sept. 1743, possessionem per procuratorem adepta est die 11 Febr. 1744, ipsa vero die 11 Maii.

S. NICOLAUS DE VERNOLIO.

SAINT-NICOLAS DE VERNEUIL.

FUNDATUR hic parthenon die 6 Martii anno 1627 a Carola *d'Hautemer* relicta Petri *Rouxel de Medavy* equitis torquati, cujus piis consiliis favens Franciscus *Pericard* episcopus Ebroicarum, concessit pro parthenone ecclesiam S. Nicolai apud Vernolium licet parochialem, translatis ad alteram ecclesiam parochialem ejusdem oppidi sub patrocinio Virginis Deiparæ erectam tum parochianis, tum proventibus. Septennio post prioratus ad abbatias evectus a rege est an. 1633, quicum an. 1639 coaluere & abbatia de Paccio & parthenon S. Antonii de Ponte-arcæ.

A

ABBATISSÆ.

I. Guidona-Scholastica Petro *Rouxel* & Carola *d'Hautemer* parentibus nata 3 Februarii 1608, prima a matre instituitur antistita anno ætatis suæ tantum vicesimo, quo professionem emisit. Quos autem fructus ex tam immatura & præcipiti promotione exspectare licebat? plurimos tamen ac optimos tulit ad magnum ordinis monastici ornamentum: & merito sane ejus elogio historico locum dedit Jacoba *Bouette de Blemur* pia & erudita monialis inter vitas illustrissimarum ævi nostri abbatissarum. Prima enim a rege renuntiata abbatissa an. 1633, novam hanc dignitatem auspicata est 6 Maii 1635. Laudes etiam ejus e sacro pulpito declamavit Henricus *du Tour de Maupas* in solennibus ejus exsequiis. Obiit magno suarum filiarum totiusque provinciæ luctu ultima Decemb. 1669 ætatis 62, regiminis 42.

B

II. Maria-Bernarda *Rouxel de Medavy de Grancé* Jacobi & Catharinæ *de Monchy* filia nata anno 1632, Ludovicæ Almaniscarum abbatissæ & superioris Guidonæ-Scholasticæ neptis & alumna, ipsi subrogatur bullis donata 10 Sept. 1670, possessionemque adiit die 12 Novemb. Hæc magna morum innocentia & suavitate, caritate in sorores, singularique animi demissione spectabilis, exemplo potius quam imperio claustralem disciplinam illæsam servavit, neque spiritalium cura obstitit utili temporalium administrationi; nam ædificia auxit plurimum, nec ære alieno. Obiit die 11 Aprilis 1704.

C

III. Maria-Anna *Rousselet de Château-Regnaud* ei successit. A rege nominata 24 Maii 1705, & bullis donata 5 Julii, in possessionem immittitur 16 Novemb. Filia erat Francisci-Ludovici marchionis *de Château-Regnaud* Franciæ marescalli ex Maria-Anna-Renata *de la Porte*. Defuncta est 2 Januarii 1719.

D

IV. Johanna-Catharina *des Acres* a rege designata, bullas obtinuit 13 Maii 1719 & possessionem iniit 19 Junii. Parthenonum Paceii & S. Antonii de Ponte-arcæ extinctorum reditus & moniales obtinuit a rege 4 Maii 1739.

V. *N. de l'Aigle*, cui successit.

VI. *N. d'Herissy* nominata est a rege mense Novemb. 1753.

NOVUS-BURGUS.

NEUF-BOURG.

Renata *de Tournemine* relicta Alexandri *de Vieux-pont* marchionis de Novo-burgo, ibi Benedictinum parthenonem condidit anno 1637, de consensu Francisci *de Pericard* episcopi Ebroicensis, qui ad hoc opus parochialem ecclesiam in honorem B. Mariæ & S. Johannis-Baptistæ dicatam cessit, cujus reditus & parochianos ad ecclesiam burgi transtulit. Accessit regium Ludovici XIII diploma an. 1639, apostolicaque Urbani VIII bulla. Situs est burgus media in planitie Ebroicas inter & Luparias.

E

ABBATISSÆ.

I. Johanna de *Vieux-pont* filia fundatricis, monialis Thesauri, prima bullas obtinuit XIII calendas Februarii 1638, munus benedictionis ab episcopo Ebroicensi percepit 17 Oct. anni ejusdem, & obiit 22 Julii 1639.

II. Francisca *de Crequy* monialis quoque Thesauri, filia Caroli baronis *de Bernieulles* & Jacobæ-Emmanuelis *de Gouffier*, bullis donata 19 Decemb. 1639, benedicta fuit ab Egidio *Boutaut*. Cessit anno 1678 post annos 40 regiminis & obiit 25 Novemb. 1699, annos nata 88.

III. Catharina-Seraphina *de Crequy* Franciscæ neptis, filia Johannis-Baptistæ comitis *de Crequy* & Renatæ *de Vieux-pont*, nata an. 1631, loci alumna, abbatissa a rege nominata 6 Maii 1678, bullas obtinuit XI calendas Augusti anni ejusdem & benedictionem ab Henrico *de Maupas* episcopo. Obiit 16 Aprilis 1709, ætatis 80, regiminis 50.

IV. Carlotta *Maignard de Bernieres* filia Caroli *Maignard* & Annæ *Amelot*, monialis Parisiensis de Confluentio parthenonis, Novi-burgi nominata a rege abbatissa 19 Maii 1709 bullisque donata XIII calendas Julii hujus anni, benedicta fuit a Claudio-Mauricio *d'Aubigné* Rotomagensi archiepiscopo.

V. N. *le Normant* nominata est a rege abbatissa Novi-burgi per obitum superioris mense Februario 1742, inde transfertur ad Gerciacum 16 Sept. 1747.

VI. N. *de Marsenac* a rege designata est 16 Sept. 1747.

PACEIUM.

PA

Oppidum est ad flumen Auturam positum in Aulercis Eburovicibus Ebroicas inter & Meduntam medium. In eo Franciscus-Alexander *d'Albret* dominus *de Pons* & *de Marennes* domum emit anno 1637 construendi parthenonis gratia, cui præficeretur Maria-Paula ejus germana monialis S. Salvatoris. Jam anno sequenti dispositis rite omnibus, ecclesia in honorem Annuntiationis B. Mariæ a Francisco *de Pericard* Ebroicensi episcopo consecratur 28 Martii 1638, primaque instituitur abbatissa. Ast centum vix superavit annos novella hæc plantatio, quæ anno 1739 regii consilii decreto extincta est die 4 Maii & S. Nicolao adunata. Tres tantum illi præfuere abbatissæ.

I. Maria-Paula *d'Albret* filia Henrici comitis *de Miossans* & Annæ *de Gondrin* ac fundatoris germana, monialis S. Salvatoris professa ab anno 1630, ipsa dedicationis ecclesiæ die 28 Martii 1638 solennem Paceii abbatissa iniit possessionem. Totis 45 annis sapientissime gubernavit, nec oblatis licet pinguioribus beneficiis unquam adduci potuit ut cœpto absisteret operi. Tota in illo, obiit 3 Januarii 1683, annos nata 69, sepultaque est cum epitaphio.

II. Agnes-Catharina *de Grillet de Brissac* filia Alberti *de Grillet de Brissac* & Catharinæ *de Tardieu*, loci alumna, fundatrici successit, cujus vestigiis ita adhæsit, ut utra præcelluerit abbatissa nescities. At post quindecim annos regiminis translata est ad abbatiam Oriniacensem anno 1698, ut diximus tomo IX, col. 627.

III. Elizabeth *du Regnier de Drone* filia Ludovici & Margaritæ *Coutel*, abbatissa quidem successit anno 1698, sed sanctioris consilii decreto 4 Maii 1739 extinctis & abbatia & abbatissæ titulo, cum monialibus & reditibus transiit ad S. Nicolaum de Vernolio, ubi obiit an. 1740 annos nata 88.

S. LUDOVICUS VERNONENSIS.

Domum-Dei in medio oppido Vernone ad ripam fluminis Sequanæ Meduntam inter & Gallionem fundavit S. Ludovicus Franciæ rex mense Maio 1260, regni 34, ejusque dotem ampliavit anno 1261 mense Novembri. Fundationis & donationis chartas habes in Monastico Anglic. tom. III p. 1014. Domus hujus rex idem commisit curam sanctimonialibus ordinis S. Augustini, quibus ab initio præfuerunt priorissæ, tum abbatissæ. Harum & illarum hic tibi indicem qualis e ruinis superstes subjicimus.

Priorissæ.

I. Emelina *de Mouret* regebat annis 1296 & 1309, ætateque provecta obiit.

II. Elizabeta I *de Pontoise* 1319.

III. Elizabeta II *la Vicomtesse* 1405.

IV. Guillelmina *de Fereaux* 1414.

V. Eudelina *du Buisson* 1439 & 1457.

VI. Johanna *Parel* 1473 & 1496.

VII. Jaquelina *d'Estansson* 1499, 1524.

VIII. Maria I *d'Annebaut*, de qua tom. VII, col. 934, ex moniali B. Mariæ de Prato Lexoviensi priorissa S. Ludovici Vernonensis 1524, inde abbatissa S. Amandi Rotomagensis 16 Julii 1531, denique Meloduni Parisiensis, ut ibi diximus.

IX. Claudia *de la Motte* 1553.

X. Maria II *de Serviat* 1561 & 1578.

XI. Ludovica *de Balzac* 1578.

XII. Maria III *de Marle* defuncta 1590 post 12 annos regiminis.

XIII. Catharina *de Verdun* germana *N de Verdun* protopræsidis senatus Tolosani, mox Parisiensis, monialis Longi-campi, annos nata erat 22, cum ab Henrico IV nominata 22 Decemb. 1590, possessionem iniit 30 Januarii 1591. Domum reformavit anno 1615. Duas neptes coadjutrices habuit filias *N. de Chanforest* magistri requæstarum, e quibus Magdalena *Durand de Villegagnon* coadjutrix ab annis septem, obiit 25 Octobris 1637. Altera Claudia Magdalenæ germana successit & obiit 25 Martii 1641. Catharina vero naturæ debitum solvit die Jovis 12 Aprilis 1646 post regimen 55 annorum.

Abbatissæ.

I. Maria *le Lectier* Catharinæ consobrina, professa 9 Junii 1514, coadjutrix a rege nominatur 25 Decemb. 1642 per obitum duarum præcedentium. Catharina defuncta, possessionem iniit 15 Aprilis 1646. Facta autem a rege abbatissa 28 Februarii 1661, benedicta fuit 7 Februarii 1662 ab episcopo Macloviensi. Cessit ante mortem, quæ contigit 9 Octobris 1678 post 64 annos regiminis.

II. Ludovica *Testu* germana Jacobi *Testu* abbatis de Bellavalle, vota emisit 12 Septembris 1641. Cedente vero Maria, a rege nominatur 25 Martii 1675. Possessionem iniit 29 Julii anni ejusdem & obiit 4 Augusti 1686.

III. Maria-Ludovica *de Berthemet* filia Laurentii magistri in camera computorum Parisiensi & Mariæ *Deye*, monialis parthenonis de Assumtione dicti, nominata a rege 15 Augusti 1686, possessionem apprehendit 26 Febr. 1687 & obiit 28 Februarii 1695.

IV. Anna *Grillet de Brissac* filia Alberti domini *de Brissac* gubernatoris Nanceii & Catharinæ *de Malicy Tardieu*, germana *N. de Grillet* abbatissæ primum Paceii, tum Oriniaci, vota emisit 9 Decemb. 1637. A rege nominatur abbatissa 2 Aprilis 1695, possessionem adipiscitur 25 Julii anni ejusdem, & obit 26 Julii 1714.

V. Johanna-Elisabeta *Turgot de Saint-Clair* monialis parthenonis Parisiensis dicti *de Bellechasse*, renuntiatur a rege 15 Augusti 1714, possessionemque apprehendit 21 Decemb. anni ejusdem.

VI. *N. de Sailly* nominatur a rege abbatissa mense Junio 1741.

BROLIUM-BENEDICTI.

Drocas inter & Ibreium situm est Brolium-Benedicti, filia Vallium Sarnaii, Trappæ parens, ex ordine Saviniaci. Fundatur in honorem B. Mariæ & S. Johannis-Baptistæ VIII idus Maii 1137 in parochia de Marsilliaco super Auturam a Fulcone patre, Guillelmo filio, Philippo, Guidone, Petro & aliis eorum successoribus Marsilliaci toparchis, qui de abbatia certatim bene meriti sunt. Horum aliqui in basilica Broliensi sepulti jacent, in primis Guillelmus in sacello a se ædificato pro stupendæ liberationis e Turcarum manibus assertione. Suis enim precibus, inquiunt post Souchetum & Arturum Sammarthani, a Deo obtinuit, quemadmodum ferunt monumenta cœnobii, ut arca lignea clausus, in S. Eutropii Santonensis ecclesiam deferretur, ubi illa adhuc superstes miraculi fidem servat. Deinde cum libertatis vindicem eam a Santonensibus monachis exposceret, renuerentque monachi, adversus eos controversiam movit, quam decretum summi pontificis diremit hac ratione, ut Santonensibus monachis arca cederet, & Broliensibus cœnobitis Eutropii martyris armi os concederent, quod etiamnum ibidem maxima

Charta XV. col. 142.
Ch. XVIII. col. 143.
Chart. XX. col. 148.
Ch. XXII. col. 149.
Ch. XXIII. col. 149.

populi frequentia die festivitatis ejusdem sancti A venerantur. Ex hoc quoque asceterio reliquias S. Agnetis virginis & martyris Parisios transtulit Carolus Magarensis episcopus abbas S. Maglorii in capellam, quæ postea in immensam S. Eustachii parochiam excrevit. Præter supra memoratos, Robertus comes Drocensis & Agnes comitissa, necnon Yolendis comitissa Branæ & toparchæ de Alneto & de Ibreio Brolio nonnulla largiti sunt, Ch. xvi. col. 143. cujus ecclesia anno 1224 a Ricardo Ebroicensi & Galtero Carnotensi episcopis dedicata est. Ordinis Saviniacensis sortem subiit Brolium; transiit nempe cum matre ad ordinem Cisterciensem.

ABBATES ALIQUOT. B

I. WILLELMUS I composuit anno 1190 cum monachis S. Taurini de quadam decima. Reperitur adhuc annis 1192 & 1200 in chartis Saviniaci.

II. Vincentius præerat anno 1222 & 1225, ex chartulario S. Vincentii de Nemore. Concessit anno 1228 monachis S. Petri Carnotensis partem quam habebat in molendino de Vado *de Hardres* super Auturam fluvium & jus piscationis.

III. Theobaldus *de Marli* abbas Vallium-Sarnaii, sub cura quoque sua habuit Brolium-Benedicti. Obiit 1247 7 Decemb. De eo diximus tom. VII, col. 889. C

IV. Reginardus 1257 mense Maio.

V. Radulfus I occurrit annis 1271 mense Martio in chartis S. Audoëni & 1277 in tabulis Boni-Portus.

VI. Nicolaus 1386 18 Febr. in chartis authenticis *D. de Gaignieres.*

VII. Stephanus *d'Estrechi* 1394 1 Decemb. & 1408 1 Julii, ibid.

VIII. Radulfus II ibidem legitur 19 Maii 1410 & 3 Decemb. 1440.

IX. Robertus I die Dominica 3 Aprilis 1445, ibidem.

X. Amalricus I *Sarradin* ex monacho Nöæ D abbas Brolii 1451 18 Januarii & 1454 24 Octobr. & 9 Febr. ibidem. Adstitit an. 1458 electioni abbatis de Trappa.

XI. Amalricus II *de Faverolles* regi juravit fidem 24 Febr. 1485. Legitur in chartis *D. de Gaignieres* Sabbato 3 Decemb. 1485, 1487 & 1515 6 Martii.

XII. Robertus II occurrit 10 Dec. 1518, ibidem.

XIII. Henricus *le Maire* commendam tenebat anno 1551.

XIV...... *le Moine* commendam Brolii & parochiam de Marsilliaco obtinebat an. 1569. E

XV. Crispinus *Vignier*, aut Crispinianus *Vigor* 1577 & 1588.

XVI. Dionysius *Hurault* episcopus Aurelianensis & commendatarius Brolii, de quo diximus tom. VIII, col. 1484.

XVII..... *de Kermur* Brito.

XVIII...... *de Kermur* superioris nepos & per cessionem successor.

XIX. Michael *Poncet de la Riviere* episcopus Uceticensis & abbas Brolii commendam tenebat anno 1670. Defunctus est mense Novembri 1728.

XX. Petrus-Guillelmus *Gaillon*, Ebroicensis, nominatus est a rege 9 Januarii 1729.

NOA. N

MEDIO Ebroicas inter & Conchas itinere situm ad Ithonam amnem monasterium, de Nöa dictum, aliquando etiam de Natatoria, fundatur anno 1144 ab imperatrice Matilde Henrici I Anglorum regis filia, & amplissimis possessionibus non in Neustria solum, sed etiam in Anglia donatur. Dotis quoque in partem venere Simon de Monte-forti comes Ebroicensis, Girardus *Postel* qui dedit terram suam de Loco-Dei, & alii. Primis e Joyaco in agro Senonensi eductis monachis, ad lineam Pontiniaci pertinet Nöa, quæ anno 1550 quinquaginta adhuc monachos choro addictos cum totidem conversis habebat. Nunc vero propter abbatum & forte religiosorum virorum injuriam distractis bonis amissisque fere chartis omnibus, vix duos aut tres monachos alere valet. Unam tantum ecclesiæ consecrationem novimus peractam 8 Junii 1227 a Richardo Ebroicensi episcopo in honorem beatæ Mariæ, SS. Michaëlis, Johannis-Baptistæ, Petri, Pauli, Benedicti, Bernardi omniumque Sanctorum. Non ita pridem bibliotheca erat antiquis manuscriptis codicibus optimæ notæ referta, quos cum chartis Johannes-Baptista *Colbert* regni administer. & ærario præfectus, ne in hujus forte cœnobii ruinis perirent, celeberrimæ suæ bibliothecæ addendos judicavit, unde in regiam postea ad publicum commodum avolarunt, cujus custos illustris academicus ea quam omnes norunt humanitate regias gazas cuilibet petenti aperit.

ABBATUM SYLLABUS.

I. GARINUS I ex monacho Joyaci primarius Nöæ cœnobiarcha legitur in necrologio domestico ad diem 3 seu 23 Septemb. Sepultus est in sanctuario.

II. Lucas de Portis fratres habuit Robertum Cœmentarium, Rogerium Carpentarium & Gislebertum. Nöam regebat annis 1180, 1187 & 1190.

III. Willelmus I testis in charta Girelmi *Bernart* pro S. Salvatore anno 1206, occurrit in chartis Gemeticensibus anno 1213. Composuit anno 1219 cum monialibus S. Salvatoris & partitus est piscationem anguillarum in fluvio Ithona.

IV. Garinus II legitur annis 1220 & sequentibus in chartis domesticis & 1227 in Conchensibus. Composuit cum monachis de Cruce S. Leufredi an. 1245 eodemque obiit.

V. Gaufridus occurrit anno 1246 mense Martio & 1248 in chartis.

VI. Bartholomæus 1275.

VII. Azo 1280.

VIII. Radulfus I anno 1288 in chartulario

Conchensi. Querelam habuit cum monialibus S. Salvatoris, cujus sopiendæ ergo arbitros elegerunt die Lunæ post festum S. Barnabæ 1290.

IX. Robertus I *Huville* 1335, ex chartulario.

X. Robertus II *de Morsent* al. *de Rouen*, ex chartis *D. de Gaignieres*, præerat annis 1378 19 Januarii & 1380 12 Octob. ibid.

XI. Pasquerius 1380 6 Decemb. 1395 28 Januarii & 1396 15 Maii, ibidem.

XII. Robertus III *Gilles* magister in theologia, 1396 20 Januarii & 1397 12 Decemb. ibidem.

XIII. Robertus IV *le Ferron*, an diversus a Roberto III? Legitur 1399 10 Junii, 1404 25 Aprilis, 1409 28 Maii & 1415 28 Nov. ibid. Temporalia ab Henrico V Angliæ rege restituuntur regni an. 7, & confirmantur chartæ.

XIV. Johannes I anno 1426 18 Febr. & 1427 24 Julii, ex chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XV. Guillelmus II anno 1428 11 Aprilis & 1434 12 Maii, ibid.

XVI. Petrus I *Acart* 1440 12 Aprilis, ibidem.

XVII. Robertus V 1446 7 Julii & 1449 1 Julii, ibid.

XVIII. Martinus *de Harcourt* 1450 12 Januarii, ibid.

XIX. Robertus VI *Happel* 1450 fer. 3 14 Aprilis post Pascha, 1452, 1458, 1460 Sabbato 4 Octobr. & 1468 20 Martii, ibid.

XX. Petrus II *Osmont* 1470 21 Februarii, 1471 6 Novemb. 1477. Carolo VIII novo regi hominium præstitit 17 Julii 1484. Memoratur adhuc 16 Januarii 1494 apud *D. de Gaignieres*. Cessit anno 1497, defunctusque sepelitur in navi cum hoc epitaphio. *D. Petrus* Osmont *hujus cænobii abbas bene meritus. Hinc sponte bene hic locandus, obiit 25 mense Junii 1510.*

XXI. Radulfus II *Hebert*, monachus Boniportus, in sacra pagina baccalaureus, abbas Nöæ sedebat 3 Aprilis 1497 & 8 Novemb. 1505, ibid. Composuit an. 1504 cum cardinali Ambasiano archiepiscopo Rotomagensi. Obiit 5 Maii 1506 sepultus in media navi.

XXII. Johannes II *Ferey* baccalaureus in theologia, electus 7 Julii 1506, occurrit ad annum usque 1547. De domo sua optime meritus legitur in tabula super altare posita. Defunctus jacet in capitulo.

XXIII. Robertus VII *de Quesnel* regi ab omnibus consiliis, primus commendatarius & Nöæ & Concharum legitur 1549 1 Decemb. in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Obiit 23 Septemb. 1584 annos natus 79, sepultusque est in navi apud Nöam.

XXIV. Gabriel *de Quesnel* Roberti pronepos & successor, abbas Nöæ & Concharum, defunctus est 14 Septembris 1646.

XXV. Carolus *de la Roque* canonicus & thesaurarius ecclesiæ Rotomagensis per cessionem Ludovici *Mainteterne* abbatis Castriciensis ejus avunculi, consiliarius in parlamento Normanniæ admissus 22 Octobris 1580, Nöam commendatarius obtinebat anno 1594 obiitque 1616.

XXVI. Arnulfus *de Malagny* Vapincensis, nominatus a Ludovico XIII anno 1617, defunctus est anno 165... & sepultus ad introitum chori.

XXVII. Sebastianus *de Guemadeuc* episcopus Maclovienfis & abbas S. Johannis de Pratis & Nöæ, decessit 2 Martii 1702.

XXVIII. .... *Antoine* Carnotensis archidiaconus, filius .... *Antoine* regii inter venandum armigeri, dictus abbas 14 Aprilis 1702, obiit 15 Februarii 1719, etiam commendatarius Grandis-campi Carnotensis.

XXIX. Clarus-Franciscus *des Nots de Villermont* designatur a rege 8 Januarii 1721, obiit apud Nöam 26 Januarii 1753, annos natus 70.

XXX. *N. de Cheylus* vicarius generalis episcopi Lexoviensis, nominatus est a rege mense Febr. 1753 & translatus ad Cormelias mense Junio 1754.

XXXI. *N. Biodos* decanus Bajocensis Nöensem obtinuit commendam a rege mense Junio 1754.

BONUS-PORTUS.

BON-PORT.

AD ripam Sequanæ Elbodium inter & Pontem-arcæ sita est abbatia ordinis Cisterciensis, filia Vallis B. Mariæ, dicta Bonusportus. Fundatur in valle Rodolii, in silva *de Bort*, in loco *de Maresdaus*, a Ricardo I Angliæ rege. Hujus diploma habes datum 28 Februarii anno regni I 1190. Ricardi largissimi auctoris exemplum secuti sunt reges Franciæ, Philippus II qui 1204 & Ludovicus IX qui 1256 chartam Ricardi ratam habuere. De bono quoque portu bene meriti sunt Ricardus *de Vernon*, Petrus & Guido Malivicini, comites Bellimontis, domini de Montemorenciaco, Amalricus comes Montis-fortis, comites Mellenti, de Pissiaco, de Insula & summi pontifices. En aliquot abbates partim ex Arturo, aliter enim habere nequivimus.

Chart. x. col. 137.

Abbates.

I. CLEMENS primus abbas sedebat annis 1190, 1191, 1192, &c. Transegit cum Rogerio abbate S. Audoëni de molendinis & decimis, pactumque confirmavit Philippus Augustus anno 1216.

II. Gerardus idem sane ac Giroldus & *G.* potestatem accepit anno 1218 ab abbate S. Dionysii acquirendi vineas in territorio de Diogilo. Occurrit adhuc annis 1219 & 1226 in chartulario Castri-Duni.

III. Petrus I.

IV. Petrus II.

V. Germondus.

VI. Robertus I 1246 mense Februario (1247), ex chartulario domestico.

VII. Blasius.

VIII. Robertus II.

IX. Nicolaus I sede Ebroicensi vacante abbas

Boni-portus, Rotomagi benedictus est ab Odone A
archiepiscopo 3 Decemb. 1262.

X. Richardus sedebat mense Julio 1276, ex chartis Becci.

XI. Johannes I.

XII. Guillelmus I mense Novembri 1321 in chartis archiepiscopi Rotomagensis.

XIII. Simon de Locoveris 1325 13 Mart. ibidem.

XIV. Nicolaus II.

XV. Johannes II de S. Melano 27 Octob. 1361, ex chartis *D. de Gaignieres.*

XVI. Philippus.

XVII. Guichardus de Lingonis ex monacho B
Claræ-vallis abbas Boni-portus præerat anno 1383. Bellis attrito monasterio anno 1387, rex dedit ad ædificandum claustrum 500 auri libras. Guichardus adhuc memoratur annis 1401, 1409 & 1410 6 Octobris apud *D. de Gaignieres.* Obiit 9 Septemb. 1415, sepultus prope majus altare sub tumba marmorea cum epitaphio.

XVIII. Petrus III *Barbiti* doctor theologus 1413 & 1416 apud *D. de Gaignieres.* Biennio post salva gardia priori & conventui datur ab Henrico V anno 6 regni, qui eodem concessit abbati terras & dominia *de Bechtomas* ac feodâ & dominia *de Cleon* & *de Saint-Gilles.* C

XIX. Johannes III *Hamon,* is forte qui regi Angliæ fidem juravit anno regni ejus 7, a quo temporalia eodem restituta & chartæ confirmatæ anno 8, occurrit in chartis authenticis *D. de Gaignieres* 1423 15 Decemb. & 1445 12 Decemb. Regi Francorum juravit fidem 11 Januarii 1431 & 13 Septemb. 1449 apud Luparias. Forte duo sunt Johannes.

XX. Guillelmus *l'Enfant* Rotomagensis, occurrit apud *D. de Gaignieres* anno 1451 16 Octobr. & 1461 3 Maii, episcopus Chrysopoleos & abbas Boni-portus ab anno 1463 ad 1482. Regi fidem dixit 29 Junii 1456 & 3 D
Decemb. 1461. Abbatiam instauravit & obiit 5 Novembris 1482, sepultus ante crucifixum cum epitaphio.

XXI. Johannes-Philippus *de Criquetot* doctor theologus, 1483 9 April. post Pascha, 1490 20 Maii, 1492 18 Octobr. apud *D. de Gaignieres.* Abbatis Cisterciensis vicarius generalis Michaelem *Buffereau* abbatem Vallium-Sernaii instituit anno 1494 20 Januarii (1495.) Arbiter ab archiepiscopo Rotomagensi dictus inter Jacobum *Hommet* & Franciscum archiepiscopum Narbonensem de abbatia Fontanellensi contendentes, hanc Jacobo adjudicavit 5 Junii 1507. E
Sanctimonia vitæ & sapientiæ doctrina illustris, octogenarius obiit die Annuntiationis Dominicæ 25 Martii 1520.

XXII. Johannes IV *Sanguin* ex monacho Boni-portus abbas Mortui-maris, post quatuor regiminis annos ab abbate suo revocatus, Bonoportui præfuit anno 1520. Cessit in gratiam sequentis & defunctus in vico de Beciaco anno 152... feria sexta Parasceves, sepultus est in capitulo cum epitaphio.

XXIII. Natalis *Mauduit* regularium postremus, legitur 1536 24 Maii & 1537 8 Maii in chartis *D. de Gaignieres.*

XXIV. Jacobus *d'Annebaut* cardinalis S. Susannæ, episcopus Lexoviensis, primus Boniportus commendatarius obiit 1 Junii 1558.

XXV. Henricus I *de Clermont*, vel ut aliis placet, quidam filius Dianæ ducissæ Valentinensis, inquiunt Sammarthani.

XXVI. Franciscus *de Boulliers* episcopus Forojuliensis, commendam tenebat 1580, & obiit 1590.

XXVII... *du Roullet* quondam gubernator Pontis-arcæ & de Locoveris, aliquandiu tempore bellorum civilium abbatiam occupavit.

XXVIII. Philippus *des Portes* Carnotensis, amplissimis ornatus est sacerdotiis, abbatiis & præbendis. Inter abbatias, Josaphat, Tironium, Valles-Sernaii, & commendam obtinuit Boniportus, ubi obiit 6 Octobris 1606 & sepultus est cum hoc epitaphio:

DEO OPT. MAX.

PHILIPPO PORTÆO hujusce monasterii abbati commendatario, morum suavitate, elegantia ingenii omnique eruditionis ac virtutis genere præclaro, poëtices vero peritia adeo excellenti, ut ei uni omnes suas artes musæ aperuisse viderentur, quibus dotibus omnium calculo Gallicorum poëtarum sui temporis facile princeps, antiquis etiam Latinis ac Græcis non inferior habitus, Christianissimis regibus Carolo IX Henrico III & IV tam gratus extitit, ut a principum munificentiss. liberalitate plus ei collatum sit, quam moderatissimi viri natura capere potuit, raroque hac ambitiosissima tempestate spretæ potestatis exemplo, primum amplissimam notarii sacrarum jussionum dignitatem, deinde Burdegalensem archiepiscopatum recusavit. Huic licet ad sempiternam gloriam inter tot eximias virtutes psalmorum Davidis absolutissima versibus Gallicis expressio sufficiat; attamen Theobaldus Portæus Bevillarius, pietatis, gratique animi erga fratrem optimum bene de se, bene de republica meritum, hic in spe resurrectionis beatæ quiescentem, istud monumentum extare voluit L. Q. M. F. C. Vixit an. LX. M. V. Obiit III nonas Octobris anno reparat. per Christum S. M. DC. VI.

Sed dignum est encomium hujus viri literis & ingenio clari, quod e Scævolæ Sammarthani lib. V elogiorum integrum hic adtexatur, hoc fere modo:

« Philippus Portæus Carnutensis, raro &
excellenti ingenio, nec minore judicio poëta, «
primus inter Petri Ronsardi nobiliores æmulos, «
mediam quamdam ingressus viam, novum in «
Gallia scribendi genus instituit. Quantum enim «
abhorrebat a rudi & inculto majorum seculo, «
tantum sibi temperabat a Græcorum fabulis & «
peregrinis id genus ornamentis, quæ Ronsardus «
ipse immortali sua cum laude in Galliam inve- «
xerat. Eaque porro styli simplicitas cum eximio «
lepore semper conjuncta, non Gallicæ modo «
nobilitati & illustribus aulæ fœminis, verum & «
eruditis «

» eruditis hominibus ita placuit, ut cum Portæo » Tibullianum characterem verissime expressum » agnoscerent, principem ei locum inter Gallicos » poëtas, qui de amore scripserant, non iniquo » judicio detulerint. Adhæserat adolescens Andium » duci Henrico regis fratri, dum generosus ille » princeps & forma & ætate florens, partisque » felici Marte victoriis inclytus, omnibus ejus » ætatis ingeniis nova quotidie canendi argumenta » sufficeret. Postea vero quam & eum in Sarma- » tiam secutus est, & paulo mox rerum in Gallia » potitum perpetua obsequii fide magis ac magis » demeruit, eo favoris & benevolentiæ paulatim » est evectus, ut post ludicra seriis quoque rebus » adhiberetur, demumque ob spectatam in con- » siliis prudentiam, solertiam, fidem, sacris etiam » ipsius imperii arcanis admitteretur. Unde mox » illi ingentes opes, & amplissima præsertim sacer- » dotia, nec certe immerita. Nullus enim eum vel » hospitalis mensæ liberalibus epulis, vel instau- » randæ bibliothecæ sumtu & studio, vel omni » denique civilis vitæ splendore superavit. Colebat » inter ceteros aulæ proceres Annam Joëusæ » ducem regis sororium, a quo vicissim & ipse » ob ingenii morumque suavitatem mirifice dili- » gebatur, amboque, licet in dispari fortuna, parem » favoris & gratiæ locum adepti, juvabant se mu- » tuis officiis, & in conservanda principis opinione » conjunctissime laborabant. Verum Anna regii » tum exercitus ductore ad Cotrasium oppidum » in acie cæso, & rege non multo post a perduel- » libus interfecto, Philippus in ea rerum mutatione » contulit se ad Brancatium Villarium virum no- » bilem, Joëusæ mortui consobrinum, qui Nor- » manico littori præfectus, inter præcipuos Heno- » ticarum partium duces eminebat, ejusque fidei » se commisit, eo eventu, ut quarto post anno, » cum restituendæ novo regi totius fere Neustriæ » præcipuum se auctorem & administrum Portæus » præstitisset, hoc nobili facinore viam sibi & » aditum ad ejus quoque benevolentiam aperiret, » haberetque deinceps unde prioris domini desi- » derium aliquanto facilius leniret. Scripsit supra » juveniles & amatorios lusus, nonnulla heroici » quoque spiritus opuscula, ex Etrusco Areosti » poëmate Gallice reddita. Postremum autem & » gravissimum ejus operum fuit Psalterii Davidici » accuratissima, ob idque, nisi fallor, nunquam » peritura translatio, quæ vel eo majore omnium » applausu & commendatione excepta est, quod » cum a veritate Hebraica nusquam deflexerit, » carminis interea facilitatem sibi peculiarem non » omiserit. Periit eo recenti solidioris famæ pro- » ventu plane felix, mortuoque Rapinus noster, » paulo antequam ipse etiam e vivis excederet, » Latino poëmate sane quam elegantissimo pa- » rentavit.

XXIX. Henricus II *de Bourbon* dux *de Verneuil*, episcopus Metensis, commendam obtinuit anno 1606, cessitque 1669 in gratiam sequentis. Vide tom. VII, col. 469.

XXX. Johannes-Casimirus Poloniæ rex & Sueciæ commenda Boni-portus donatus est & aliis bulla data 8 Martii 1669. Vide ibid. col. 470.

XXXI. Henricus III *de Bourbon* comes *de Clermont* Henrico-Julio *de Bourbon* & Anna *de Baviere* parentibus natus 3 Julii 1672, facultatem obtinuit a summo pontifice quæcumque beneficia, etiam monasteria, in administrationem percipiendi 11 Augusti 1673, donec clericali insignitus foret charactere. Nominatus est a rege abbas Boni-portus per obitum Johannis-Casimiri 9 Sept. 1673. A summo pontifice hac & Ursicampi commendis donatus est anno ætatis tertio & obiit 6 Junii 1675.

XXXII. Ludovicus-Henricus *de Bourbon* comes Marchiæ, Henrici germanus, nascitur 9 Novemb. 1673 & denascitur 21 Febr. 1677.

XXXIII. Emmanuel-Theodosius *de la Tour* filius Godefridi-Mauricii ducis Bullonii & Lebreti ac Mariæ-Annæ *Mancini*, natus anno 1668, nominatur a rege abbas Boni-portus 24 Decemb. 1677 & S. Salvatoris Rotonensis 1681. Ludovico principe *de Turenne* fratre natu majore defuncto 1692, clero valedixit & uxorem duxit Mariam-Armandam-Victoriam *de la Tremoille* 1 Febr. 1696.

XXXIV. Ludovicus *Colbert* filius Julii-Armandi marchionis *de Blainville*, magistri cæremoniarum Franciæ & Gabrielidis *de Rochechouart*, conclavis numismatum custos ac bibliothecæ regiæ præfectus, abbas Boni-portus, clero valedixit 1693, comesque *de Linieres* uxorem duxit 12 Martii 1694 Mariam-Ludovicam *du Bouchet de Sourches*.

XXXV. Melchior *de Polignac* cardinalis, archiepiscopus Auxitanus, inter alias commendam quoque Boni-portus obtinuit die sancto Paschæ 1693. Vide tom. X, col. 1288.

XXXVI. Gilbertus-Blasius *de Chabannes* Claromontensis, primogenitus Gaspardi-Gilberti *de Chabannes*, marchionis *de Pionsac* & Philibertæ-Eleonoræ *de Saint-Germain d'Apchon*, vicarius generalis episcopi Lingonensis, abbas S. Mevennii ab anno 1743, deputatur ad generalia cleri Gallicani comitia an. 1745, eodemque a rege nominatus est commendatarius Boni-portus 25 Aprilis.

STRATA.

L'ESTRÉE.

ANNO 1144 VI idus Februarii fundata est abbatia B. Mariæ de Strata, ordinis Cisterciensis, lineæ Pontiniaci, juxta Drocas in finibus diœcesewn Ebroicensis & Carnotensis ad fluvium Auduram, a Raherio *de Domjon* toparcha *de Mussy*, fundationem acceptantibus Godefrido Carnotensi & Hugone Autissiodorensi episcopis, Guichardo Pontiniacensi abbate, necnon archipresbytero Ebroicensi deputato a Rotroco episcopo Ebroicensi. Novi monasterii possessiones vigesimo post anno confirmavit Alexander III. Inter plurimos benefactores recensentur Johannes comes Drocensis, cujus anniversarium singulis fiebat mensibus, antequam anno 1676 mensa hujus monasterii abbatialis Kebecensi ecclesiæ in

nova Francia unita fuerit. Loca vero regularia A sicut & mensa conventualis anno 1687 cessere monialibus ejusdem ordinis, a quibus modo occupantur. Moniales illæ in parthenone de Columba juxta Longovicum in diœcesi Trevirensi conversabantur, unde a Ludovico magno qui ibi arcem meditabatur, anno 1687 ad Stratam translatæ, decreto sanctioris consilii monachorum partem adversus sacerdotes a Missionibus exteris obtinuere anno 1714. En aliquot abbatum & abbatissarum nomina.

I. HESIMUNDUS primus abbas obiit VIII B calendas Januarii, ex necrologio.

II. Nicolaus secundus abbas pridie idus Martii.

III. Philippus tertius abbas XVIII calendas Februarii.

IV. Milonius quartus pridie nonas Januarii.

V. Henricus I quintus VI calendas Martii.

Chart. IX. col. 136. VI. Gervasius bullam ab Alexandro III obtinuit anno 1164.

VII. Rogerius legitur in charta Hugonis de Galardone tempore Guillelmi Senonensis archiepiscopi.

5 Desunt quinque abbates.

XIII. Johannes I decimus tertius XVI cal. C Aprilis.

XIV. Johannes II, dictus Arbalestarius, natus apud Nonnencuriam, decimus quartus abbas obiit IX calendas Octobris, ex necrologio.

XV. Guillelmus I decimus quintus defunctus IX calendas Maii. Occurrit 1219 in charta Noæ.

XVI. Jacobus I occurrit 1379 10 Octob. in chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XVII. Theobaldus I 1384 15 Decemb. & 1394 2 Maii, ibid.

XVIII. Guillelmus II anno 1397 28 Novemb. ibid. D

XIX. Theobaldus *le Doux* 1397 16 Dec. & 1408 22 Aprilis post Pascha, ibid.

XX. Henricus II an. 1409 20 Decemb. & 1415 28 Decemb. ibid.

XXI. Robertus I 1426 21 Julii & 22 Decemb. ibid.

XXII. Johannes I 1431 10 Maii, ibid.

XXIII. Robertus II anno 1439 8 Januarii & 1441 19 Maii, ibid.

XXIV. Jacobus II 1446 12 Maii & 1470 6 Aprilis post Pascha, ibid.

XXV. Petrus I, forte de Vico, 1472 22 Januarii, 1475 11 Julii & 1476 18 Junii, ibid.

XXVI. Johannes II adstitit benedictioni abbatis S. Vincentii de Nemore 25 Novembris 1483.

XXVII. Petrus II anno 1490 1 Octob. in chartis *D. de Gaignieres*.

XXVIII. Ricardus I 1499 15 Januarii, ibid.

XXIX. Natalis *Yvelin* 1510 15 Decemb. ibid.

XXX. Ricardus II *Martin* de Bosco Rotomagensi, monachus Mortui-maris, sacræ theologiæ professor Parisiis, fit abbas Loci-Dei Ambianensis, tum ad Stratam per devolutionem promotus, singula cœnobii ædificia renovavit. Occurrit anno 1520 4 Maii, 1537 6 Octobr. 1555 14 Octobr. Obiit 10 Septemb. 1560.

XXXI. Guillelmus III *de Glos*.

XXXII. Stephanus *du Bois*.

XXXIII. Henricus III *de Genne* 1618, obiit XVIII calendas Januarii 1639.

XXXIV. Radulfus *Hurault* germanus Dionysii episcopi Aurelianensis.

XXXV. Petrus-Gasto *de Bonnefaignes* monachus B. Mariæ de Gimonte, obiit calendis Aprilis 1654. Hujus tempore Johannes *Mallard* cellerarius monasterii occisus est a Francisco *de Tiulin*, dicto *de Merville*, propter decimam *de Merville*, 17 Augusti 1651.

XXXVI. Petrus III *Gangnot* obiit 28 Martii 1672.

XXXVII. Franciscus *de Laval de Montmorency* episcopus Kebecensis cessit 1685, etiam abbas Millebecci, quo anno duæ hæ abbatiæ ecclesiæ Kebecensi unitæ sunt, seu unio absoluta & perfecta est.


ABBATISSÆ.

I. MARIA-HYACINTHA *de Bellefouriere* filia Johannis-Maximiliani-Ferdinandi & Isabellæ-Claræ *de Gand-vilain*, abbatissa de Strata anno 1684, obiit 1716.

II. Anna *de Torchefilon*.

III. Olympia *de Maulde de Colemberg*.

IV ..... *du Quesnoy*.



ECCLESIA SAGIENSIS.

IN vetustissima provinciarum civitatumque Galliæ notitia, quæ circa Honorii-Augusti tempora facta creditur, in provincia Lugdunensi secunda civitas Sagiorum ordine quinta numeratur, primoque inibi memoratur, quæ in aliis civitas Salarum, in aliis civitas Saius nuncupatur. Saii autem alii non videntur a Sesuviis, quorum civitatem inter maritimas quidem recenset Cæsar, sive quod a mari non longe distarent, sive quod pars essent Oximorum, qui teste Cæsare commentariorum lib. II, III & VII Oceanum attingebant. Et certe quæ Aimoino civitas Oximus, eadem Hugoni Floriacensi est civitas Sagiensis. Cave tamen cum utroque Oximum cum Saiis, neve cum Roberto Cenali Oximum cum Oximensi Britanniæ Armoricæ episcopatu confundas. Oximus enim propinquus Sagis vicus, pago & populo quidem dedit nomen, at sicut nec civitas ullibi, nec proinde sedes episcopalis usquam extitit, sic Oximis Aremoricis originem tradidisse videtur. Sagium igitur ad fluminis Olinæ fontem & caput, ab Orderico Vitali dictum aliquando Salarium, a Willelmo Malmesburiensi Sagium, a Magnone Saius, in quibusdam chartis Saxia, populique nunc Sagii dicuntur. Verum & sincerum gentis ac civitatis nomen est Saii, qui postea litera *G* inserta dicti sunt Sagii & pro Saiensibus Sagienses, ut Regienses qui olim Reienses & Reii. Quisnam genti huic primus evangelium prædicaverit apostolus prorsus incompertum, nisi quis dixerit aut Neustriæ apostolum ejus quoque civitatum fuisse apostolum, aut paulo post e metropoli velut e divite & perlucido fonte stillas religionis emanasse & totam late regionem irrigasse circa medium seculum tertium. Certe omnes fere Neustriæ episcoporum catalogi ad decimum usque seculum ita manci sunt ac mutili, ut vix quidquam de prioribus asserere liceat. Sed nec ipsamet ecclesia Sagiensis a quo primum ædificata fuerit scitur. Primus quidem Azo exeunte decimo seculo e lapidibus dejecti urbis muri ecclesiam S. Gervasio martyri construxit, sed certe non primam. Altera quæ dimidio post seculo ab Ivone ædificata est, duodecimo dedicata fuit. Sed justo debilior camera a multo jam tempore decidit, ipsaque navis nunc ruinam minatur. Capitulum quod ad normam canonicorum regularium S. Victoris Parisiensis an. 1129 formatum, ad seculares usus an. 1547 revocatum fuit, constat modo præposito, cantore, archidiaconis quinque, Majore, Oximensi, Hulmensi, Belismensi & Corbonensi, pœnitentiario, 16 canonicis inter quos theologus & præceptor, & quatuor semipræbendis, necnon 16 capellanis qui non resident invita Pauli III anno 1547 bulla. Hi omnes ab episcopo nominantur. Præterea sunt in tota diœcesi 500 parochiæ, duo clericorum collegia, duo seminaria, 153 capellæ, 11 hospitalia, 15 leprosorum domus, 1 præceptoria Melitensis & 1 S. Lazari, 6 abbatiæ, tresque prioratus virorum, 32 simplices prioratus, 1 Cartusia, 1 domus Trinitariorum, 1 Dominicanorum, 2 Franciscanorum, 4 Capucinorum, 1 Jesuitarum, quatuor abbatiæ mulierum, tres parthenones monialium S. Claræ, 1 filiarum B. Mariæ & unus Ursulinarum. De abbatiis more nostro sermonem habebimus post episcopos, quorum e variis monimentis tum editis tum manuscriptis nostra hæc est series.

EPISCOPI SAGIENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. LATUINUS.

PRIMUS a Sammarthanis & in catalogo quodam manuscripto Tironiensi Sagiensis episcopus annumeratur Latuinus, secundus vero post Sigiboldum ab aliis auctoribus & in codicibus manuscriptis. Ejus memoria a Sagiensibus celebratur 20 Junii, non vero natali ejus die, sed qui sequitur festum SS. Gervasii & Protasii loci patronorum. Saussieius in martyrologio Gallicano Latuini eximium confecit encomium, in quo a S. Clemente cum aliis Roma in Gallias missum vult, quod unde hauserit non patet. Ecclesiam habet suo nomine dicatam in diœcesi in parochia de Clerayo. Sunt qui opinantur Latuinum eumdem esse qui in diœcesi Carnotensi prope Anetum colitur, vulgo *S. Lain* dictus.

II. S. SIGIBOLDUS.

Secundum, seu etiam in manuscripto codice A Gemeticensi primum Sigiboldus tenet locum. Colitur 7 Julii.

III. S. LANDERICUS.

Landricius scribitur in veteri codice Thuano, & Landricus in Gemeticensi. Festum habet die 16 Julii.

IV. HILLUS.

V. HUBERTUS.

Vixisse fertur Hubertus anno 500 & ab aliquibus Hillo præponitur. 500.

B

VI. LITAREDUS.

Oximensis ecclesiæ episcopus Litaredus subscripsit concilio 1 Aurelianensi anno 511. Cum 511. autem Oximus antiquissima urbs populis regionis hujus nomen dederit, mirum non est quod priores Sagienses episcopi Oximenses, id est Oximorum ecclesiæ episcopi nuncupati sint.

ANNI CHRISTI

VII. Passivus.

533. Synodis Aurelianensibus II an. 533, III an.
538. 538, IV an. 541 & V an. 549 habitis inter-
541. fuit Passivus, seu Passius Sagiensis episcopus.
549.

VIII. Leudebaudis.

566. In concilio Turonensi II an. 566 sic legitur: *Leudebaudis peccator episcopus ecclesiæ Sagensis consensi & subscripsi.* Quo etiam peccatoris addito titulo habetur ejus nomen ad calcem canonum
573. synodi Parisiensis an. 573.

IX. Hildebrandus I.

575. Sedebat Hildebrandus an. 575, ex Sammarthanis. Sancti titulo donatur in manuscripto Gemeticensi.

X. Rodobertus.

Præsulis hujus tempore S. Ebrulfus Uticensis
596. abbas migravit a seculo an. 596, sec. I Benedict. p. 359, si alius sit ab alio Rodoberto, quo sedente obiisse dicitur anno 12 Childeberti regis.

XI. Amlacarius.

644. Concilio Cabilonensi an. 644 adfuit Amlacarius, qui Amlecharius & Amicharius. Subscripsit quoque privilegiis Emmonis Senonensis præsulis pro monasteriis S. Petri-Vivi & S.
658. Columbæ an. 658, & S. Audomari pro Sithiensi
660. anno 660.

XII. Mileharius.

S. Serenicum in exstruenda cella plurimum adjuvit Mileharius, oratoriumque B. Martini absolvit circa 669. De ejus cultu vide Bollandistas tom. VII Maii p. 682. Festum habet die 11 Maii.

XIII. Robertus I.

Rodobertus, cui vitam S. Eligii Noviomensis episcopi examinandam commisit S. Audoënus Rotomagensis præsul, alius forte non est a Roberto, qui proinde sedebat post annum 670. Audoëno enim ut majori respondet, quem venerabilem patrem appellat, ejusque jussioni serius se obtemperasse excusat, quæ episcopum arguunt dignitate inferiorem.

XIV. S. Raverenus.

Fontanellensis monachus Raverenus, S. Lamberti discipulus, Sagiensibus præfuit episcopus. Ignorantur quidem dies & annus ejus assumtionis in præsulem, sed non felicis ex hac vita transitus, qui contigit XV cal. Decemb. an. 682, ex chronico Fontanellensi. Festum ejus celebratur 3 Februarii. Gaufridus vero & Radulfus qui Sagiensibus attribuuntur a Sammarthanis, melius Constantiensibus sunt restituendi.

XV. S. Annobertus.

689. Synodo Rotomagensi anno 689 subscripsit

A Annobertus, qui Ebremundum in ecclesia SS. Gervasii & Protasii abbatem Fontaneti consecravit.

XVI. S. Lotharius.

Ex eremita episcopus Lotharius, quem alii Mosellanæ Lotharingicæ regionis, alii Germaniæ principem faciunt, S. Evremundum Fontanetensem abbatem Chilperico III rege defunctum circa 720 sepelivit & Sedulfum abbatem instituit, ita legitur in breviario ecclesiæ S. Quintini Veromanduensis & in codice Victorino. Obiisse legitur Lotharius 15 Junii 756, inquiunt Sam- 756
B marthani.

XVII. S. Chrodegandus.

Illustri genere in pago Oximensi ortus Chrodegandus, parentibus scilicet nobilis prosapiæ apice florentibus, germanus Opportunæ abbatissæ Monasterioli, sedebat tempore S. Ebrulfi. Qui Romam profecturus ecclesiam suam commendavit Chrodoberto affinitate sibi conjuncto, qui tunc præses Oximensis pagi fuisse traditur. Is necessitudine & affinitate postpositis, non tantum res ecclesiæ diripuit, verum etiam absentis sedem invasit, & contra canonum decreta C vivente Chrodegando se episcopum ordinari curavit. Reversus post annos septem Chrodegandus, invasorem de restituenda sede admonet: ille vero petenti annuere simulans, de ejus nece tractat cum nefario quodam homine, quem Chrodegandus e sacro fonte susceperat. Forte pius antistes in cœnobium virginum Almaniscas dictum pergebat ut Lanthildem abbatissam affinem suam inviseret: cum per prædium Nonantum transiret, ejus filiolus jussu impii Chrodoberti in pium antistitem præmisso in Judæ morem osculo irruit eumque semel & iterum gladio in synciput percussit. Non sera impii parricidæ ultio D fuit, qui eodem loco a dæmone correptus morte repentina meritas pœnas luit. Chrodobertus quoque cædis auctor brevi misere periit. Chrodegandi corpus quod Lanthildis abbatissa loco movere non potuit, Opportuna soror Monasteriolum nullo negotio transtulit, ubi juxta altare tumulatum, per multa temporum spatia a populis frequentatum fuit. Ejus reliquias apud Floriacum asservari volunt, cujus memoria a Floriacensibus & Sagiensibus III nonas Septembris celebratur. S. Chrodegandi ossa ex Arvernia Sagium transtulit anno 1731 Johannes *Philibée* præpositus Sagiensis.

E

XVIII. Hugo I.

In codice Gemeticensi post Chrodobertum sequitur Hugo, quem successive excipiunt

XIX. Benedictus.

XX. Ragemfridus.

XXI. Rainaldus.

Ragemfrido in eodem codice subjicitur Rainaldus, omisso Patrato, qui non Sagiæ, sed

Saxoniæ episcopus dicitur in actis translationis S. Quintini. Sedebat autem Reginaldus an. 811,
811. ex Cointio, qui laudat acta episcopalia.

XXII. Ingelnonus.

Privilegio Aldrici Senonensis antistitis pro
833. S. Remigio subscripsit anno 833 Ingelnonus,
835. qui interfuit an. 835 concilio apud Theodonis Villam pro restituendo Ludovico pio imperatore.

XXIII. Saxobodus.

S. Remigii privilegio a Wenilone confirmato in concilio Senonensi chirographum apposuit
840. suum anno 840 Saxobodus. Conventui Ger-
843. miniacensi anno 843 adfuit, & concilio Pari-
846. siensi anno 846, ubi subscripsit privilegio Corbeiensis monasterii. In concilio Parisiis celebrato
849. anno 849, cujus extat epistola synodica ad Nomenoium ducem Britanniæ, Buxoboldus perperam legitur in epistola 84 Lupi Ferrariensis loco Saxobodi.

XXIV. Hildebrandus II.

Privilegio quod in Germiniacensi concilio anno 843 Curbionensi monasterio concessum est, cui Saxobodus decessor ejus præsens subscripserat, subscripsit Hildebrandus; synodicis enim diplomatibus non solum præsentes episcopi subscribebant, sed etiam absentes, imo & posteri, ut ostendit Mabillonius de re diplomatica pag. 155. Subscripsit idem conciliis Suessionensi II
853. & Vermeriensi II anno 853, Bonoilensi 856,
856. & apud Saponarias anno 859. Generali expedi-
859. tione universo populo contra Nortmannos indicta occupatus Hildebrandus, ut legitur in libro Miraculorum sancti Mauri cap. 17, ad suscipiendum sancti viri corpus adesse non potuit, cum in pagum Sagiensem allatum est circa annum 860. Sub id tempus sancti Chrodegandi corpus in ecclesiam Sagiensem transtulit, cujus acta ei direxit Herardus Turonensis pontifex. Anno
862. 862 adstitit conciliis Pistensi I & Aquisgra-
866. nensi III, 866 Vermeriensi, 867 Tricassino,
867. 869 Vermeriensi, & Pontigonensi 876. Legitur
869. ejus nomen inter diversos Galliarum episcopos
876. ad quos Johannes papa VIII direxit epistolam
878. LIII anno 878. Quo proinde anno nondum obierat Hildebrandus, cui a Normannis pulso causa refugii Monciacum prædium versus Silvanectum condonavit Ludovicus Balbus Neustriæ & Parisiorum supremus dominus, non frater, ut perperam irrepsit in libro Miraculorum sanctæ Opportunæ, sed fratruelis Caroli Crassi imperatoris. Huc Hildebrandus partem clericorum venire jussit cum corpore sanctæ Opportunæ. Aliquanto post Parisios translatæ sunt reliquiæ in ecclesiam, cujus regimen habebat Hildebrandus, cum rex idem Ludovicus Balbus prata juxta Montem martyrum & campellos prope portam ejusdem civitatis ei attribuit, quæ Hildebrandus regis nutu in sustentamentum canonicorum præfatæ ecclesiæ servientium stabilivit. Denique Hildebrando scripsit Robertus Cenomannensis

A episcopus ut Rainonem ecclesiæ suæ bona diripientem a se excommunicatum excommunicaret. Quo autem anno obierit Hildebrandus, nobis incompertum, sicut nec an ecclesiam suam ante obitum receperit, nobis notum.

ANNI CHRISTI

XXV. Adalhelmus.

Quem alii corrupte Adelinum vocant, Adalhelmus ex monacho sancti Carilefi fit episcopus favente Carolo (Crasso) imperatore ab anno 880 ad 888, *cujus*, inquit, *beneficiis sumus quidquid sumus, cujus vita semper a Domino gubernetur.* Æmulos tamen passus est electioni ac conse-
B crationi ejus adversantes. Quapropter voto se obstrinxit scripturum se vitam & miracula sanctæ Opportunæ, si adversariorum tandem contradictionem expugnare valeret. Voti compos factus, at promissi immemor, ipso ordinationis suæ anno a Nortmannis captus, venditusque & exsilio in insulam Britanniam deportatus, ibi multa ludibria & verbera sustinuit. Tandem Deo miserante in patriam redire permissus est: verum transmisso oceano cum per fluvium Somenæ ad oppidum sancti Walarici accedere vellet, æstuarii violentia in fluvium lapsus, in summum vitæ discrimen incidit, ex quo S. Opportunæ & S. Carilefi
C invocato auxilio cum ereptus fuisset, votum demum ac promissionem scribendæ vitæ sanctæ Opportunæ exsolvit, imperante Carolo Crasso, ideoque ante annum 888, quo Carolus vivere desiit. Exsilium secundo passus videtur Adalhelmus, teste Mabillonio, qui in MS. codice bibliothecæ Thuanæ signato N. 63 legit *benedictiones quasdam in Dominicis post Natale Domini, quas jubente gloriosissimo archiepiscopo domno Francone Adelhelmus captivus episcopus studuit componere.* Franco autem sedere cœpit circiter anno 910.

Act. SS. Benedict. ibid. pag. 234.

Quis Adalhelmo successerit nos latet. Attamen
D his diebus *continua pace, diuturnaque requie lætabantur homines sub Rotberti ditione securi morantes,* inquit Dudo libro II de moribus Normannorum. Verum priorum Neustriæ episcoporum catalogi tot mendis scatent, ut qui præponuntur sint forte postponendi, & vice versa.

XXVI. Azo.

Azo, qui & Ascio, & Atso in catalogis Vaticano, Victorino & Gemeticensi duplex, quorum alter post Saxobodum, at in Colbertino sive Thuano unicus cathedralem basilicam forte a Normannis destructam restauravit, circa annum
E 986, de quo Willelmus Gemeticensis lib VII, cap. 13 hist. Normannorum: *Religiosus Azo vetulus præsul ejusdem urbis* (Sagiensis) *muros destruxerat, & ex lapidibus dejecti muri ecclesiam sancto Gervasio martyri construxerat, ubi sedes episcopalis longo post tempore fuerat.* Adfuit dedicationi ecclesiæ Fiscannensis anno 990, & Fiscannensi 990.
conventui anno 1006. 1006.

5 Ricardus Sagiensis episcopus adfuisse legitur dedicationi ecclesiæ sancti Leonardi de Belismo in literis de primordiis illius ecclesiæ ab Egidio

ANNI CHRISTI

Bry relatis pag. 46. Vitiosas quidem post Mabillonium fatemur literas: at aliæ non videntur vitiosæ ab eodem pag. 71 relatæ, in quibus antiqui homines viderunt & audierunt eamdem ecclesiam dedicatam rege Galliæ Roberto & Normannorum comite R. & Sagiensi episcopo Ricardo. Ceterum ut non admittere, sic nec respuere audemus hunc episcopum.

XXVII. Sigefridus.

Radbodo præpositus in indice Gemeticensi Sigefridus, chartæ Willelmi abbatis Divionensis pro asserenda Fructuariensis cœnobii libertate
1017. circa 1017 subscripsit. Testis fuit fundationis abbatiæ de Lonlaio. Sigefrido sedente, Roberto Francorum rege & Richardo Normannorum duce, terra & dominium de Boëvilla dantur ecclesiæ Sagiensi a Guillelmo Belismensi, dicto *Fornagis*.

Ital. sacr. t. IV, pag. 1494. Monastic. Anglic. t. II, p. 991.

XXVIII. Radbodus.

Generosis ortus natalibus Radbodus, cognatus Guillelmi Ebroicensis episcopi, uxorem duxit, ex qua Willelmum Bonam animam postea Rotomagensem archiepiscopum procreavit. Episcopus Sagiensis subscripsit confirmationi funda-
1025. tionis Bernaicensis monasterii anno 1025. Subscripsit chartæ Roberti Rotomagensis archiepiscopi pro sancto Petro Carnotensi. Confirmavit quoque alodum domnæ Mariæ donatum Gemetico ab Alberto Miciacensi abbate. Occurrit
1032. adhuc anno 1032 in charta Cerasiensi.

DE BELLESME.

XXIX. Ivo.

Guillelmo Belismi & Alenconii comite & Mathilde parentibus natus Ivo, fratres habuit Warinum, Robertum atque Willelmum, quibus & Arnulfo ejus nepote deficientibus, Belismense oppidum & quidquid ad ipsum pertinebat hereditario jure ex paterna successione possedit. Vir erat literarum peritus, inquit Ordericus Vitalis lib. III, pag. 469, corpore decorus, sagax, facundus, affabilis, facetus, multumque jocosus ac serenæ pacis cupidus. Nondum episcopus locellum S. Gausburgis in territorio Belismensi situm sancto Petro Carnotensi donavit circiter annum 1034. Episcopus vero donatæ ab Hugone de Roceto Majori monasterio ecclesiæ S. Martini de Belismo favit, eidemque pro anima nepotis sui Roberti viridarium & vineas concessit post annum 1035. Restitutæ a Guillelmo Normannorum duce sancto Richario Centulensi Scabelli-
1048. villæ anno 1048 subscripsit Ivo de Belismo cum ejus nepote Arnulfo. Circa id tempus, ut ait Guillelmus Gemeticensis lib. VII, c. 13, Ivone Sagiensi episcopo & per necem Arnulfi Belismi comite, *Richardus atque Robertus & Avesgotus filii Guillelmi cognomine Sorengi, cuneum sceleratorum sibi asciverunt, & omnem circa Sagium patriam sine reverentia depopulati sunt. Postremo ecclesiam S. Gervasii invaserunt, ibique turbam prædonum posuerunt. Sic de domo orationis speluncam latronum stabulumque fecerunt equorum. Religiosus Azo vetulus præsul ejusdem urbis muros destruxerat, & ex lapidibus dejecti muri ecclesiam S. Gervasio martyri construxerat, ubi sedes episcopalis longo post tempore fuerat. Venerandus autem Ivo dum vidit Sorengos in diebus suis ita insanire, ut in templo Dei non dubitarent foveam furum & lupanar meretricum facere, nobili tactus ira vehementer doluit, ac ad liberationem ecclesiæ Dei toto nisu animum convertit. Quondam igitur dum de curia Willelmi ducis rediret, ac per Oximensem pagum transiret, Hugonem* de Grantemaisnil *aliosque barones cum turmis suis secum adduxit, & Sorengos in turre monasterii fortiter expugnari fecit. At illi audacter resisterunt, & pro se pugnantes projectis telis plures læserunt. Quod pontifex dum perspexit, vicinis domibus ignem imponi jussit. Mox parochiani jussis parent episcopi. Ignis vero immissus flante vento ad ecclesiam currit, ipsamque invadens consumit & impios in ea furentes acriter angit. Sorengi tandem dum se vident flammæ sævitiem pati non posse, arreptis armis inde fugiunt cum dedecore. At non multo post*, subdit Guillelmus cap. 14, *prostratis filiis discordiæ, simplicibus in pace circa Sagium licuit aliquandiu respirare. Nobilis Ivo præsul ecclesiam cooperire sategit, & IV nonas Januarii iterum dedicavit. Sed quia maceriæ virtute flammarum læsæ fuerant, ipso anno ante Quadragesimam corruerunt, quo Remis papa grande concilium tenuit*, pergit Willelmus cap. 15, *& desides episcopos vel abbates acriter redarguit, inter quos, ut dicunt, propter combustionem ecclesiæ Ivoni dixit: Quid fecisti, perfide! qua lege damnari debes, qui matrem tuam cremare ausus es! Eloquens Ivo palam confessus est se quidem malum fecisse, sed ad hoc scelus agendum se graviter coactum fuisse, ne deteriora fierent a scelerosis super filios ecclesiæ. Deinde pœnitentiam secundum sagacis papæ jussum accepit, ac de restituenda S. Gervasii ecclesia operam adhibuit. Igitur Apuliam & inde Constantinopolim perrexit, & a divitibus cognatis & amicis suis simul multum pecuniæ congessit, donoque imperatoris de ligno dominicæ crucis carum munus deportavit. Reversus autem Sagium, ecclesiam cœpit tam magnam ædificare, ut successores ejus Robertus, Girardus ac Serlo nequiverint eam per 40 annos consummare.* Incepta est hæc nova basilica circa annum 1053, ea quæ nunc spectatur forma. *Interim clericos & monachos ut pater filios amabat Ivo*, inquit Ordericus Vitalis lib. III, p. 469, *& inter præcipuos amicos Theodericum venerabiliter colebat. Sæpe conveniebat ad privata colloquia: nam Sagiorum urbs septem solummodo leugis distat ab Uticensi abbatia. Præfati præsulis neptem nomine Mabiliam Rogerius de Monte-Gomerici Oximensium vicecomes in conjugium habebat, per quam magnam partem possessionis Willelmi Belesmensis obtinuerat. Qui prædicti pontificis instinctu & consilio ecclesiam S. Martini apud Sagium Theoderico abbati sancti Ebrulfi tradidit, eamque ut ibidem cœnobium monachile construeret cum conjuge sua summopere rogavit* anno 1060. Concilio provinciali adfuit Ivo anno
1055, qui donatis ab Agnete nobili matrona ecclesiis de Duristallo S. Albino Andegavensi 1055.

Spicil. t. IV. p. 575.

Chart. col. 151.

ANNI CHRISTI annuit circa 1057. Robertum abbatem Uticensem confirmavit anno 1059. Concilio Roto-
1059. magensi adstitit anno 1063. Guillelmus dux
1063. Normannorum comitia apud Julianam bonam
1066. habuit anno 1066, ad quæ cum metropolitano
& aliis provinciæ episcopis convenit Ivo, qui
insequenti dedicationi Parisiensis ecclesiæ sancti
1067. Martini a Campis interfuit. Anno 1067 testis
fuit donatæ Majori monasterio ecclesiæ sancti
Machuti. Dedit Avesgaudo abbati S. Vincentii
Cenomannensis ecclesiam & terram de Curia
laboris v calen. Junii in synodo Sagiensi. De-
1070. functus anno 1070 Ivo jacet ante majus altare
in ecclesia cathedrali, de quo & de Hugone Lexoviensi & Willelmo Ebroicensi pontifice Ordericus Vitalis lib. III, p. 478. *Ivo*, inquit, *Willelmi Belesmensis filius æternæ salutis curam exhibebat Sagiensibus. Hi tres in Normannia tunc maxime pollebant divini cultus fervore & unanimi consensu, tantoque nectebantur amore, ut quisquis eorum in diœcesi confinis sui velut in propria (prout tempus & ratio poscebat) omne divinum opus exerceret sine litigio & livore.* Laudatur ab eodem eodemque libro pag. 493, inter episcopos Normanniæ qui eodem tempore *pollebant & excellentia præclaræ generositatis & claritudine religionis multimodæque probitatis.*

XXX. ROBERTUS II.

de Ria.

Ivone Sagiensium præsule defuncto, Rodbertus Huberti de Ria filius successit, qui fere 12 annis prælatus præfuit, & ipse circa Dei cultum fervens, religiosos multum dilexit. Hæc Ordericus ad annum
1070 lib. IV, p. 520, ex quo p. 525 interfuit
1072. Robertus conciliis Rotomagensibus annis 1072
1074. & 1074. Adstitit dedicationi Beccensis mona-
Ch. XII. sterii anno 1077. Subscripsit chartis pro sancto
col. 17. Chart. IV. Stephano Cadomensi annis 1077 & 1082.
col. 68. Fulconem Uticensem priorem abbatem Diven-
Chart. VI. col. 75. sium benedixit anno 1078. Aliquando missam
1078. celebrans in ecclesia sancti Leonardi de Belismo
tentavit oblationes retinere, quas sibi reservarunt canonici, de quibus conquestus episcopus in placito Rotomagi coram rege habito, a Johanne Rotomagensi archiepiscopo & Rogerio de Bellomonte condemnatus est. Ad Lanfrancum misit pœnitentem triplicis homicidii reum, ut testatur ejusdem epist. 9.

XXXI. GIRARDUS I.

Rogerii comitis filius & Rogerii archidiaconi germanus Girardus, ex decano Ebroicensi Sagiensis episcopus, consecratus fuit a Gisleberto
1082. Ebroicensi episcopo anno 1082. Adstitit exse-
1087. quiis Guillelmi conquæstoris an. 1087. Biennio
post Radulfum Sagiensem abbatem ordinavit an.
1089. 1089. Interfuit dedicationi ecclesiæ Cantuariensis factæ a Guillelmo Rotomagensi archiepiscopo. Concordiam iniit cum monachis Majoris
1091. monasterii anno 1091, eodemque obiit, ex
Orderico lib. VIII, pag. 693, ubi sic legitur de obsidione Curceii: *Ad obsidionem solers Girardus Sagiensis episcopus ut dissidentes parochianos*

A *suos pacificaret venit, hospitiumque suum apud Divense cœnobium constituit. Pacem dissidentibus proposuit, sed discordia prævalente repulsus ingemuit. Robertus insuper injuriam ei maximam fecit, eumque nimis contristavit. Nam puerum quemdam qui præsuli ministrabat, dum per exercitum puerili more ludens equitabat, ejectum de equo comprehendit, & in carcere trusit sibique cornipedem retentavit....... Episcopus autem ut clericum suum sine reatu a Roberto captum audivit, sibi eumdem protinus reddi præcepit, & nisi redderetur, totum exercitum interdixit. Post aliquot igitur dies imberbis clericus liber dimissus est, & antistes languens Sagium ad primam*
B *sedem reportatus est. Ibi dominicis sacramentis munitus est, & inter manus discipulorum x calendas Februarii defunctus est, cujus corpus in ecclesia sancti Gervasii martyris tumulatum est.* De Girardo codex Victorinus: *Giraudus Ebroicensis decanus, sedit episcopus quinque annis, & apud Deum & homines laudem promeruit.*

XXXII. SERLO.

D'ORGERES.

Post solemnitatem Pentecostes, inquit Ordericus lib. VIII, pag. 697, *Guillelmus archiepiscopus synodum episcoporum & abbatum apud Rotomagum aggregavit, & cum duce Roberto suffraganeisque præ-*
C *sulibus de Sagiensi præsulatu tractare cœpit. Tandem finito consultu Serlonem Uticensium rectorem elegit, eique Salariensem episcopatum valde renitenti commisit. Denique x calend. Julii præfatum cœnobitam Rotomagum convocavit, & in ecclesia sanctæ Dei genitricis Mariæ canonice consecravit. Porro venerandus Serlo susceptam pontificatus sarcinam 32 annis & 4 mensibus strenue gessit, ecclesiæque Dei solerti studio inter prospera & adversa prodesse sategit. Sed duros nimis & protervos habuit parochianos, Robertum scilicet Belesmensem & Rotronem Mauritaniensem eorumque complices, qui crudeliter inter se dissidebant, & pacem ecclesiæ Dei fre-*
D *quenter violabant, ovesque dominici gregis quas Christus sanguine suo redemit bellicis tumultibus dispergebant, & multimodis factionibus opprimentes dilaniabant. Contra eos gladium verbi Dei audacter exercuit, obduratos in nequitia multotiens excommunicavit, sed in pace firma rebelles discipulos erudire vel servare vix unquam potuit. Unde nimirum quandiu pontificatum tenuit, semper in tumultu & perturbatione laboravit, & plerumque furia Roberti nimium sæviente in Anglia vel Italia exulavit, multoque metu anxius gemuit.* Roberti infectationes enucleatiùs exprimit ad annum 1094. *Sagiense episcopium Robertus contra jus & fas comprimebat, & Guil-*
E *lelmo Belesmensi avo ejus a Ricardo duce datum asserebat, & multis oppressionibus ac detrimentis ecclesiasticas possessiones valde aggravabat. Unde venerandus Serlo episcopus eum excommunicavit, & pontificali rigore totam terram ejus interdixit, ne divinum ibidem officium celebraretur, nec mortuorum corpora humarentur. Robertus autem qui pro duritia jure Talavacius vocabatur, induratus ut Pharao, pontificalibus plagis sive unguentis non emolliebatur, sed ad omne nefas quotidie detestabiliter augmentabatur. Ipse sicut Ismahel contra omnes vicinos*

ANNI CHRISTI

manus armatas atrociter erigebat, monachos & clericos, & inerme vulgus sæva tyrannide terrebat & damnis contumeliisque frequenter illatis miserabiliter affligebat........ Homines privatione oculorum & amputatione pedum manuumve deformare parvipendebat, sed inauditorum commentatione suppliciorum in torquendis miseris more Siculi Phalaris tripudiabat. Quos in carcere pro reatu aliquo stringebat, Nerone, seu Decio, vel Diocletiano sævior indicibiliter cruciabat. Tormentorum quæ vinctis inferebat delectatione gloriabatur hominumque detractione pro pœnarum nimietate crudelis lætabatur, &c. Interea Serlo ecclesiam Braiosæ consecravit XI Decemb.
1093. 1093. Adfuit conciliis Arvernensi an. 1095, &
1095. Rotomagensi 1096. Hoc ultimo subscripsit do-
1096. natæ monachis S. Luciani Bellovacensis ecclesiæ
Ch. xv. S. Martini de Alciaco. Memoratur anno 1098
col. 20. in charta Arnulfi fratris Roberti Belesmensis &
1098. comitis Pembrochii in Anglia. Adstitit dedica-
1099. tioni Uticensis monasterii anno 1099, in quo
aram, crucifixum & altare benedixit. Donatas
monachis Sagiensibus a Roberto de Polleno de-
1101. cimas sancti Leodegarii approbavit anno 1101.
Verum cum pace facta Robertus dux Roberto
Belismensi dominia patris sui, inter ea episco-
1103. patum Sagiensem, annuisset anno 1103, *venerandus Serlo Sagiensis episcopus*, inquit Ordericus lib. XI, pag. 811, *tyrannidem Roberti ferre indignum duxit, ideoque potius ab episcopatu recedere, quam sub eo degere maluit. Propria sede relicta, per extera vagatus est, & Rodbertum cum adjutoribus suis anathemate feriens execratus est.* Et post pauca, *sic præsul & abbas tyranni jugo fatigati in Angliam fugerunt, & a rege Henrico refrige-*
1105. *randi benigniter suscepti sunt.* Anno 1105 Henrico apud Carentonum adventanti Sabbato sancto
Pag. 815. primus Normannorum occurrit Serlo & servitium suum exhibuit, ibique initiata Paschæ solennia celebraturus, cum vidisset basilicam varia rusticorum supellectile ob prædones occupatam, de Rodberti Belismensis aliorumque similium rapacitate sermonem habuit, atque etiam contra
Pag. 816. barbatos & comatos, quod effœminatorum hæc essent indicia: cujus monitis rex ceterique omnes acquievere, moxque episcopus extractis e mantica forcipibus, primo regem, tum ceteros optimates attondit. Anno 1107 sacros ordines celebravit, & Ordericum Vitalem presbyterum ordinavit, simul & Johannem qui postea Lexoviensis extitit episcopus. Subscripsit chartæ Henrici I Anglorum regis pro sancto Petro supra
Charta v. col. 157. Divam. Serloni scripsit Hildebertus Cenomannensis episcopus epistolam 40, nunc 18, anno circiter 1110, amice apud eum expostulans, quod eum in vinculis absque solatio deserat, hortaturque ut Hubertum Rotroci comitis dapiferum ipsum in carcere varie vexantem anathematis gladio feriat. Infirmitate detentus anno
1118. 1118 ad concilium provinciale legatum misit. Denique *venerandus Serlo*, ait Ordericus pag. 877, *postquam Salariensem episcopatum 32 annis rexit, VII calend. Novembris in ecclesia S. Gervasii martyris missam cantavit, qua finita, clericis &*
A *ministris ecclesiæ vocatis dixit: ætate & debilitate frangor, finemque meum mihi imminere intueor. Domino Deo, qui me vobis sui vicarium præposuit, vos commendo, ac ut pro me dignanter ei clementiam exoretis obsecro; locus amodo sepulturæ mihi præparetur, quia tempus habitationis meæ jam inter vos adbreviatur. Deinde cum clero ad aram sanctæ Dei genitricis Mariæ perrexit, ibique ante aram pastorali cambuta spatium loculi designavit, & orationibus ad Dominum fusis cum aspergine aquæ benedictæ sepulcrum sanctificavit. Protinus operarii foveam ligonibus foderunt, humumque palis egesserunt. Cæmentarii vero latomique sarcofagum marculis cava-*
B *runt, & omnem apparatum ambulanti & loquenti episcopo, quasi exanimis jaceret, in feretro coaptarunt. In crastinum feria VI in basilicam venit, missam quam frequentaverat celebrare voluit, plus animi quam corporis viribus vigens amictum super caput suum posuit, sed trementibus membris tam celebre servitium inchoare timuit. Capellano igitur id officium explere Guillelmo præcepit, missaque celebrata omnes canonicos accersivit. Ante me, inquit, post prandium convenite, quia thesaurum quem ad usus humanos congessi de redditibus ecclesiæ, ad ejusdem nihilominus utilitatem volo legaliter distrahere. Summopere cupio adjuvante gratia Dei devitare, ne pars*
C *iniqua inveniat aliquid super me, unde in conspectu Domini mei jure possit accusare me. Nam sicut nudus in hunc mundum intravi, sic me decet nudum egredi, ut merear agni vestigia liber sectari, pro cujus amore omnia jamdudum gaudens mundana reliqui. Ad mensam hora nona præsul resedit, sed superius jam anhelans, de præsentibus nil comedit, alios autem non avide manducantes, quos nimirum tristitia repleverat, pabulo doctrinæ pascens ubertim instruxit, & semen verbi Dei, ut pote affluens seminiverbius, largiter dispersit. Nullam, ut reor, elegantiorem Serlone seu facundiorem Normannia prolem protulit.*
D *Statura enim erat mediocris & omni decore spectabilis, prout humana species exigit, terrigenæque, qui multis repletur miseriis, competit. In adolescentia vero rufus fuit, in juventute cito canuit, & ante obitum suum fere quinquaginta annis niveus effulsit. Erat idem tam secularium quam divinarum eruditione literarum doctissimus, ac ad universa quæ proponebantur respondere promtissimus. In malis pertinaci admodum erat austerus, sed cum fletu scelus suum confitenti clementissimus, & more pii patris erga languentem filium mitissimus. Multa de illo bona possem dicere, sed dicta mea nequeunt ab illo mortem removere....... Surgere de mensa post refectionem paratis nuncius affuit, qui cardinales Romanos*
E *Petrum & Gregorium adesse retulit. Vigilia quippe sanctorum apostolorum Simonis & Judæ tunc agebatur. Mox præsul clericis dispensatoribus suis dixit: velociter ite, & diligenter Romanis servite, abundanter eis omnia dantes quæ necessaria sunt, quia legationem domini papæ, qui post Deum universalis pater est, deferunt, ipsique qualescumque sint, magistri nostri sunt. Solers itaque senex in occursum eorum clientes suos destinavit, & ipse sine dolore, seu manifesta ægritudine, ut solebat, in cathedra sedens solus remansit. Ceteri omnes, ut jusserat,*

cardinalibus

ANNI CHRISTI *cardinalibus occurrerunt, hospitio eos honorifice susceperunt, & omnimodis, ut decuit, juxta pontificis mandatum honoraverunt. Interea, dum illis competens obsequium exhibitum est, episcopus in cathedra sedens, quasi obdormisset defunctus est. Deinde ministri completis omnibus ad seniorem suum redierunt, sed ipsum jam in sede sua defunctum lacrymabiliter planxerunt. In crastinum corpus ejus in sepulcro jam tertia die, ut dixi, præparato tumulatum est a Johanne Luxoviensi episcopo, qui de obsidione Pontis-Aldemari a rege ad hoc agendum missus est.* Notatur Serlo 27 Octobris in necrologio Gemeticensi.

XXXIII. Johannes I.

Defuncto Serlone, inquit Ordericus pag. 878, *Johannes juvenis Harduini filius, nepos Johannis* & primogenitus frater Arnulfi, Lexoviensium episcoporum *episcopatum adeptus est, qui sicut ætate junior, sic eruditione literarum longe inferior prædecessore suo æstimandus est. Hic anno Dominicæ*
1124. *Incarnationis 1124 post Pascha consecratus est, officiumque pontificale in episcopatu Luxoviensi primum exercere jussu avunculi sui orsus est. Nam apud Cisenum IV nonas Maii ecclesiam sancti Albini dedicavit, & inde Uticum eadem die venit; deinde III nonas Maii feria secunda novum crucifixum benedixit, & ædem atque aram sanctæ Mariæ Magdalenæ dedicavit, quam Ernaldus nobilis & antiquus cœnobita ex procuratione sua, fideliumque largitionibus ædificavit.* Eodem anno Johannes adfuit solenni inaugurationi basilicæ majoris de Savigneio. Circa id tempus priori & monachis S. Walburgis confirmavit tertiam partem ecclesiæ
1126. de Roia. *Anno ab Incarnatione Domini 1126*
Orig. pag. [illegible] *indict. IV pontificalis basilica sancti Gervasii martyris Mediolanensis apud Sagium XII calendas Aprilis dedicata est a domino Goiffredo Rotomagensi archiepiscopo & aliis quinque præsulibus. Ibi tunc Henricus rex Anglorum cum proceribus suis affuit, & eidem ecclesiæ redditus 10 librarum pro dote per singulos annos donavit* (in Anglia). *Ibidem tunc interfuerunt Gerardus Engolismensis episcopus Romanæ ecclesiæ legatus, Johannes Lexoviensis, Johannes Salariensis, Goiffredus Carnotensis & Ulgerius Andegavensis.* Subscripsit Johannes anno 1126 diplomati Henrici regis pro Exaquio. Ecclesiam Belismensem cum subjicere sibi tentasset Johannes, res ad Honorium III papam delata est, qui causam Girardo Encolismensi episcopo suo in Gallia legato definiendam commisit. Hic partem utramque apud Cenomannos ad se evocavit. Jus suum longa oratione prosecutus est episcopus, cui pacificam 30 annorum possessionem objicientes monachi causa vicerunt judicio
1127. Gerardi an. 1127. Episcopus vero hoc anno cum monachis in gratiam rediit, dedicavitque ecclesiam Falesiensem aliamque an. 1134. Adfuit
1128. anno 1128 synodo Rotomagensi, & præsens fuit sacro Guillelmi archiepiscopi Cantuariensis.
1129. De ejus consilio anno 1129 Petronilla abbatissa Fontis Ebraldi Lamberto abbati de Corona donavit locum dictum Agudella. Canonicos suæ cathedralis ex secularibus effecit regulares,

A ordinemque S. Victoris Parisiensis in capitulum introduxit instrumento dato 1131, quod ex tabulario capituli Sagiensis habes in probationibus. Testis occurrit mense Maio in charta Henrici Angliæ regis de dono centum marcarum argenti quod Cluniaco fecit rex. Præsens fuit adhuc XV calendas Februarii 1131 (1132) concordiæ initæ inter monachos Majoris monasterii, monachos sancti Petri & canonicos sancti Johannis Carnotensis. Concilio Pisano interfuit an. 1134, ut liquet ex epistola 17 lib. II Petri venerabilis, qui fuit hujus itineris socius. Propter multa quæ Guillelmus Talvacius comes Perticensis patra-
B verat flagitia, gravi censura & anathemate totam ipsius terram percussit, cujus rei meminit Ordericus lib. XIII ad annum 1136. Grestani monasterii cœmeterium missus a Johanne Lexoviensi episcopo benedixit anno 1140, & sacros celebravit ordines. Occurrit Johannes 8 Decembr. anni ejusdem in charta Fontanellensi cum Algerio Constantiensi. Anno 1141 convocatus a rege trajecit in Angliam, teste Guillelmo Malmesburiensi lib. II hist. Novell. ad hunc annum, cujus hæc sunt verba: *Eodem anno in Pentecoste resedit rex Londoniæ in turri, episcopo tantummodo Sagiensi præsente, ceteri vel fastidierunt, vel timuerunt*
C *venire.* Testis nominatur in charta Willelmi comitis Pontivi ad Radulfum abbatem S. Andreæ de Gofferno XIII cal. Octob. 1143, qua die cum aliis ecclesiam dedicavit. Subscripsit adhuc fundationi & dotationi parthenonis de Bellomero. Radulfo abbati sancti Leufredi donatam confirmavit ecclesiam sancti Paterni de Tornayo ad preces Hugonis archiepiscopi Rotomagensis & Rotrodi episcopi Ebroicensis. Denique in chronicis veteribus Normanniæ legitur ad annum 1143. *Obiit Johannes Salariensis episcopus, cui successit Girardus canonicus ejusdem ecclesiæ, vir jocundus & admodum literatus. Iste Johannes rem*
D *dignam memoria tempore regis Johannis effecit. Canonicos enim seculares ejusdem ecclesiæ regulariter & secundum Augustini institutionem vivere fecit, additis officiis congruentibus & claustro. Hoc idem Johannes Lexoviensis avunculus ejus & Gaufridus Carnotensis episcopi tentare in suis ecclesiis voluerunt, sed in ipso conatu defecerunt.*

Right margin: 1131. Chart. VII. col. 161. — 1132. — 1134. — 1136. — 1140. — 1141. — Chart. IX. col. 163. — 1143. — Duchesn. pag. 981.

XXXIV. Girardus II.

Mortui Johannis in locum suffectus est Girardus canonicus secularis, vir jucundus & admodum literatus, ut modo diximus. Electionem autem ejus nullam fuisse probat Arnulfus Lexo- Ep. 25 & 41.
E viensis episcopus epistola ad Cœlestinum II ex testimonio omnis ecclesiæ, præter quatuor, quos Ch. VIII. col. 162.
ad optandam secularem personam amor & desiderium secularitatis adduxit. Hanc forte ob causam consecratus est, anno quidem 1144, ex 1144.
chronico Gofferni, in volutabro sanguinis sui, inquit Radulfus de Diceto, quod de exsectis virilibus explicant auctores Angli, quo sorte sensu intelligenda injuria quam passus est, apud Arnulfum in laudata epistola. Sceleris hujus auctores qui comitis se putaverant gratiam promereri,

ANNI CHRISTI

ecclesiastico permisit arbitrio puniendos comes, qui universam quoque ecclesiæ dispositionem provinciæ episcoporum consilio relaxavit. Horum unus Arnulfus ad Cœlestinum II dedit literas supra memoratas, qui obiit 9 Martii 1144, ut rei quidem castigatione digna coercerentur, regularis autem Sagiensis conventus acciperet patrem regulari institutione formatum. Girardus enim datos sibi judices declinaverat, fugiensque accusantium multitudinem, qui extra patriam eum minime præ inopia sequi poterant, Romam profectus est, quo tempore Cœlestino II & Lucio II defunctis successerat Eugenius III, ad
Ep. 248. quem Arnulfo Lexoviensi episcopo literas statim dedit S. Bernardus, ut Sagiensi episcopo quantumvis supplici reditum in episcopatum molienti non annueret summus pontifex. *Non ergo vos,* inquit, *moveat hominis facies miseranda, vilis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas, sed nec ipsæ quidem lacrymulæ currentes, ut aiunt, ad nutum ejus, doctæ mentiri.* Eugenius tamen episcopum non reprobavit, sed eum episcopari non permisit, donec canonicorum regularium ordinem in propria persona professus est, & quod ipsum in ecclesia fide bona servaret juramento corporaliter interveniente firmavit. Girar-
1145. dus itaque an. 1145 cum Guillelmo episcopo Cenomannensi ecclesiam de Persenia consecravit die 9 Octobris. Eodem anno ecclesiam B. Mariæ de Veteri Belismo Garino abbati & monachis Majoris monasterii confirmavit. Insequenti *Eugenius III papa,* inquit Radulfus de Diceto ad
1146. ann. 1146, *Parisius veniens Girardum Sagiensem episcopum, qui, sicut dicebat, in volutabro sanguinis sui fuerat consecratus, duci Normanniæ reconciliavit circa Pascha.* Sagiensis urbs a Ludovico rege & comite Drocensi obsessa fuit, & igne consumta
1150. anno 1150, quo Girardus discordantes abbates sancti Martini & de Lonleio de ecclesia sancti Petri *de Gol* conciliavit. Circa id tempus præsens fuit cum Hugone Rotomagensi archiepiscopo & Rotrodo Ebroicensi episcopo pro componendo dissidio inter monachos Fontanellenses & Cadomenses. Cum Herberto episcopo Abrincensi
1154. benedixit anno 1154 Robertum de Torinneio abbatem montis sancti Michaëlis. Dedit anno eodem parochiam & decimas sancti Gervasii canonicis regularibus. Rogerio abbati Fontanel-
1155. lensi confirmavit anno 1155 quidquid in ejus episcopatu habebant monachi. Subscripsit anno eodem fundationi Perseniæ. Eodem monachis Pontileviensibus confirmavit quidquid in archidiaconatu Corboniensi possidebant. Floriacensi monasterio ecclesiam sancti Petri de Sperreia in pago Belismensi concessit. Demum cum Philippo Bajocensi, Arnulfo Lexoviensi & Rotrodo Ebroicensi episcopis testis legitur in charta Henrici II Angliæ regis confirmantis bona ecclesiæ sancti Johannis-Baptistæ de hospitali Falesiæ apud Fa-
1157. lesiam anno ab Incarnatione 1157. Hoc ipso anno defunctus est Girardus, & quidem 29 Martii ex chronico Gofferni his verbis: *Anno 1157 obiit Girardus II episcopus Sagii IV calen.* *Aprilis.* Obitus ejus dies notatur X calen. Febr. in indice Victorino, calend. Februarii ab aliis, & annus 1156 in indice MS. episcoporum abbatiæ sancti Martini. Defunctus in basilica sancti Gervasii conditus est.

XXXV. Frogerius.

Post obitum Girardi, Achardus abbas sancti Victoris Parisiensis electus in episcopum Sagiensem ab Henrico II Angliæ rege non permissus est ordinari, quia electionem ejus confirmaverat Adrianus IV, ait sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus in epistola ad Alexandrum III pag. 648, a quo & discimus Frogerium episcopum Sagiensem non electum, sed intrusum fuisse. Et certe Frogerius chartularii filius, Arnulfi Lexoviensis episcopi domesticus fuerat, multisque ab eo beneficiis præventus, eratque tunc Henrico II ab eleemosynis, cum ab eodem ad hanc sedem promovetur an. 1157, ex chronico Uticensi, 1158 ex chronicis Normanniæ, quod Robertus de Monte factum autumat anno sequenti. Ordinatus vero fuit dominica ante Nativitatem Domini. Factus episcopus, institutam quoque in ecclesia sua sancti Augustini regulam totis viribus evellere conatus est. Hanc ob causam cum Arnulfo Lexoviensi episcopo dissidium habuit, qui fratrum illorum injurias sustinere non valens, ei ad ordinis subversionem opem ac consilium non præstabat. Frogerius itaque summum pontificem adiit Alexandrum III, a quo saltem obtinuit ut archidiaconatus unus seculari personæ conferretur. Alexandri III reversus infirmitatem status publice prædicavit, & hostium ecclesiæ victoriam dixit imminere. Hinc forte majora ausus, priori claustri viro acrioris ingenii idiotam substituit, quin & alium vacantem archidiaconatum in eadem servavit ecclesia minori nepotulo conferendum, quamprimum in legitimam ætatem excrevisset; & hæ sunt querelæ Arnulfi ad Alexandrum III duabus epistolis, quas habes in appendice. Attamen circa id tempus cum in curia regis Henrici apud Cadomum ecclesia de Esnis in manu Frogerii cui vellet donanda ordine judiciario dimissa fuisset, hanc sanctæ Barbaræ ecclesiæ egestatem canonicorumque regularium in ea Christo famulantium propositum considerans, in eleemosynam eis tradidit instrumento apud Floreyum in domo a se emta dato anno 1161 mense Januario. Occurrit anno 1162 in chartis Saviniacensibus. Monachis Sagiensibus confirmavit VII calen. Septemb. 1163 ecclesias sancti Petri de Gasto, de Milceio & de Furcis. Memoratur anno eodem in chartis Fontanellensibus. Monachis Pontileviensibus confirmavit VI calen. Junii 1165 quidquid in diœcesi Sagiensi possidebant, ut prius fecerant Serlo & Girardus decessores, teste Rogerio de Campis decano. Anno 1167 cum Thomas Cantuariensis archiepiscopus excommunicationem in regem Angliæ vibrare pararet, Frogerius una cum Lexoviensi episcopo ad eum missus est, ut interposita appellatione sententiam archiepiscopi ad octavas Paschæ

ANNI CHRISTI
1168. suspenderent. Adfuit an. 1168 dedicationi ecclesiæ Grandimontensis. Recensetur anno eodem
in charta Henrici regis pro monasterio Gofferni,
cujus quoque in chartis pro monasteriis Beccensi & sancti Georgii de Bochervilla occurrit.
Huic ultimo dedit ipse ecclesiam *de Ruullon*
1169. cum decimis & pertinentiis. Anno 1169 cum
archiepiscopo Rotomagensi aliisque adfuit episcopis conventui Bajocensi, ubi Henricus II
Angliæ rex excepit 1 Augusti, Alexandri III
legatos ad eum missos pro reconciliatione sancti
Thomæ Cantuariensis, obtinuitque a rege ut
ipsum Thomam ad colloquium admitteret apud
Montem martyrum prope Parisios, irrito tamen
1170. pro pace conatu. Adfuit anno 1170 solemni
Henrici filii regis Angliæ coronationi factæ
21 Junii. Fundatam anno eodem a Rotroco
comite Perticensi cartusiam Vallis Dei in silva
1174. de Resno suis approbavit literis. Anno 1174
urbs Sagiensis obsessa fuit, inquit Radulfus de
Diceto, ab Henrico juniore Angliæ rege, qui
adversus patrem rebellaverat, sed civibus etiam
sine principe, etiam sine duce viriliter resistentibus, nihil profecit. Eodem anno subscripsit
Frogerius paci factæ inter Henricum II ejusque
1175. filios. Memoratur in chartis Trappæ an. 1175.
1177. Interfuit anno 1177 pacis compositioni inter
Ludovicum Francorum regem & Henricum Anglorum. Adfuit eidem Henrico apud Vernolium
decreta in gratiam cruce signatorum sancienti.
Cum Rotrodo archiepiscopo, Arnulfo Lexoviensi
& Augustino Waterfordensi episcopis S. Romani corpus cum capite de veteri capsa in novum
1179. feretrum transtulit anno 1179. Hospitale sanctæ
1180. Crucis an. 1180 dotavit. Dedicavit an. 1181
1181. ecclesiam Vallis Dei. Conventui apud Cadomum
1183. an. 1183 adunato pro pace inter regem Angliæ
& filios conservanda adstitit. Subscripsit donationi factæ fratribus Grandimontis apud Belleriam. Cum adhuc esset Derbiensis archidiaconus,
de ecclesia Mortui maris in Anglia bene meritus
est, factus postea episcopus plurima adhuc largitus est, & anniversarium suum fundavit, sicut
in monasterio Brolii Benedicti, cujus in necrologio ad 11 id. Septemb. dicitur specialis amicus.
1184. De eo supplementum Sigeberti ad annum 1184:
*Obiit Frogerius episcopus Sagiensis, qui multum
amandavit matrem ecclesiam & totum dominium
suum. Reliquit etiam immensas divitias in auro &
argento sibi non profuturas.* Jacet in choro Mortui
maris cum hoc epitaphio :

Hic veri cultor numinis, hic sacrum monasterium
Rebus ditans non parum, claustrum & dormitorium
Construxit, ut exanimis vitæ pandeset bravium.
Sit præsul consors agminis Frogerius cæli civium.
Lauda post mortem.

XXXVI. Lisiardus.

In codicibus Sagiensi, Gemeticensi & Victorino, & in chronico Uticensi Frogerio subjectus
1188. Lisiardus, electus anno 1188 dicitur a Rogero
A *de Hoveden* pag. 642. Ut nec Frogerius, ita
nec Lisiardus erat de gremio Sagiensis ecclesiæ.
Omnia monasterii Sagiensis bona confirmavit an.
1188, pontificatus 1. Præsens fuit anno eodem
comitiis Saladinis a rege Anglorum apud Cenomannos indictis, ubi multa sancita sunt pro subsidio terræ sanctæ præbendo. Memoratur anno 1189.
1189 in chartis S. Martini. Mandatum accepit a
Clemente III anno pontificatus II. Literas scripsit
anno 1190 de venditione facta ab Aimerico 1190.
domino *de Villeray* prioratui sanctæ Galburgis,
& subscripsit diplomati Ricardi I Angliæ regis Ch. XIII, col. 168.
pro Sillcio. Circa id tempus adstitit conventui
B episcoporum provinciæ. Subscripsit diplomati
Richardi regis Anglorum permutantis cum archiepiscopo Rotomagensi 1 Oct. 1196. Sancti 1196.
Martini jus in ecclesia de Rupe petrosa confirmavit anno 1198. Confirmavit monachis sancti 1198.
Dionysii de Nogento Rotrodi omnes ecclesias,
quas in territorio Corboniensi & Mauritaniæ possidebant. Monasterio quoque Troarnensi nonnulla largitus est, quæ confirmavit Innocentius
III lib. I, ep. 81 edit. Bosqueti. Ejus obitus in
chronico Uticensi IX calendas Octobris, & in
chronico Gofferni consignatur his verbis : *Anno
MCCI obiit piæ memoriæ Lisiardus Sagiensis epi-* 1201.
C *scopus VIII calendas Octobris.*

XXXVII. Silvester.

Defuncto Lisiardo, promiserunt canonici non
assumturos se episcopum, nisi qui foret de gremio
ecclesiæ. Quod cum Johanni regi Angliæ perlatum esset, decanum Lexoviensem proposuit. Innocent. III, lib. V, epist. 68.
Renuentes canonici, rebus omnibus spoliati sunt,
recedentesque ecclesiam & episcopatum interdicto supposuerunt. Crastina die convenientes
omnes in R. de Merula consenserunt in sacello
sancti Andreæ apud Rotomagum. Quo apud
S. *Moran*, dum Romam cum aliis a summo
D pontifice confirmandus iret, defuncto, in sacello
Lucanensis episcopi deputati a capitulo Silvestrum
archidiaconum Sagiensem elegerunt, reprobaruntque Erbertum filium R. abbatis G. a rege
designatum, & a quibusdam canonicis excommunicatis electum. Hunc quoque respuit Innocentius III re discussa & examinata, & confirmavit Silvestrum bulla data Laterani VII calen.
Julii. Silvester autem Frogerii nepos jam archidiaconus erat Sagiensis an. 1186. Factum autem
episcopum contra regis Angliæ beneplacitum
clericis Sagiensibus vetuit rex 12 Augusti ne
eum in pecunia adjuvarent, & die crastina scripsit
E W. archiepiscopo Rotomagensi, ne Silvestrum
archidiaconum publica adulterii laborantem infamia, licet a summo pontifice confirmatum,
consecraret. Attamen Silvester Sagiensis episc.
Herveo abbati Tironensi anno 1203 ecclesiam 1203.
sancti Launomari de curia Gehoudi, quæ jure
patronatus jam ad Tironenses pertinebat restituit,
memor beneficiorum ab Herveo antea & ejus
antecessoribus abbatibus ecclesiæ Sagiensi collatorum, & in usus coquinæ conventus applicat
omnes ejus ecclesiæ proventus, & pro anniversario

ANNI CHRISTI
avunculi sui Frogerii Sagiensis episcopi. In his A
literis significat malitiam eorum temporum in
perniciem juris ecclesiastici & maxime locorum
religiosorum versam conspirasse. Ad præsenta-
tionem abbatis S. Martini contulit anno eodem
parochias de Mulceio & sancti Petri *de Condé*.
Circa id tempus cum Waltero archiepiscopo aliis-
Spicil. t. IX, p. 154. & VI p. 453. que provinciæ episcopis ad Philippum Augustum
scripsit pro contentione de jure patronatus fi-
nienda. Rex autem episcopis respondit mense
Octobri 1207. Mathildis vidua Goffridi comitis
Pertici annuentibus Thoma filio, Theobaldo
decano Turonensi & Willelmo præposito Car-
notensi territorium in castro suo Mauritaniæ ad B
construendam basilicam collegiatam contulit pro
fundatione capellanorum, quibus reditus assig-
navit in præposituris Mauritaniæ & de Molen-
dinis, codicillis datis in domo Longipontis anno
1203; qua in basilica humatur Maria Arma-
niacensis uxor Johannis II ducis Alenconii.
Plerisque monasteriorum chartis subscripsit Sil-
1204. vester, Silliaci 1203, Grandis montis 1204,
Tironis 1207, Liræ & Fontanellæ pro funda-
tione sancti Thomæ apud Argentonium 1208,
Becci 1208 & 1211, Lonlaii 1209 & 1211,
Troarni 1212, Ardenæ 1213, Gemetici 1215.
H. abbatem sancti Martini cum D. *de Prulay* C
1207. conciliavit anno 1207. Synodum habuit anno
1208. 1208 pro suscipiendis Galonis constitutionibus.
Floriacensi monasterio confirmavit anno 1209
Sperreiæ decimam, capellam & alia apud *Lachese*.
Triennio post apud summum pontificem accu-
satus de multis cum fuisset Silvester, scripsit
Innocentius III Bajocensi & Constantiensi epi-
scopis ac abbati Perseniæ epistolam 110 lib.
1212. XV Laterani v idus Junii pontificatus an. xv,
ut præsulem & priorem ecclesiæ Sagiensis non
solum inutiles, sed etiam perniciosos, a suis re-
moverent officiis veritate inquisita & cognita,
eisque viros idoneos subrogarent. *Assisias* regis D
una cum ejusdem ballivo apud Sagium tenuit
Silvester in ecclesia beatæ Mariæ de Platea VIII
calend. Octob. 1212. Ecclesiam sanctæ Mariæ
de Aunou juxta Sagium ad preces Guillelmi ab-
batis & Johannis *de Perron* consanguinei sui
S. Martino Sagiensi largitus est. Adstitit anno
1214. 1214 Roberto Rotomagensi archiepiscopo ec-
clesiam Trappensem consecranti. Eodem anno
capellam infirmorum in ecclesia S. Petri supra
Divam consecravit III calendas Decembr. Hoc
ipso anno idibus ejusdem mensis compositionem
inter abbatem & priorem sanctæ Barbaræ confir-
mavit apud Florum. Interfuit *assisiæ* regis anno E
1216. 1216 in crastino sancti Martini hiemalis. Altare
B. Mariæ de Catena juxta Carrogias cœmete-
1217. riumque consecravit anno 1217. Decimam vi-
1218. varii abbatiæ sancti Martini concessit an. 1218,
cujus monachorum ad præsentationem curam *de*
1219. *Montgaudry* contulit an. 1219. Eo quoque anno
præsentato ab R. abbate Uticensi contulit eccle-
1220. siam *de Neaufle*. Obiit VI calend. Julii 1220,
ex chronico Uticensi.

XXXVIII. GERVASIUS I.

ANNI CHRISTI

Natione Anglus Gervasius sancti Justi Bello-
vacensis, dein Thenoliensis, demum Præmon-
strati abbas, Honorii III papæ pœnitentiarius,
ab Henrico III Angliæ rege suffectus Silvestro
anno 1220 in prædicto chronico, ab Honorio
III consecratur 18 Julii. Memoratur annis 1220,
1221 in chartis sancti Launomari, 1221 & 122
1226 in Fontanellensibus. Delegatur ab Hono-
rio III anno 1222 ad examinandam Theobaldi 122
Rotomagensis archiepiscopi electionem. Romæ
adstitit an. 1223 G. Carnotensi episcopo Ste- 122
phanum Mimatensem consecranti. Fratres Mi-
nores anno eodem apud Sagium admisit, eorum-
que ecclesiam consecravit. Ejus in manibus mense
Septembri 1225 Guillelmus *Pichener* quidquid 122
habebat in patronatu & decima beatæ Mariæ *de
Mesniljean*, cessit canonicis sancti Gervasii. Sa-
cellum in honorem S. Johannis-Baptistæ dicavit
12 Junii 1226. Subscripsit chartis Fontanel- 122
lensibus pro ecclesiis Argentonii & de Roana.
Exemtus e vivis 10 Febr. 1228, ex chronico 122
Uticensi, memoratur X calend. Martii in necro-
logio Montis Dei, & sepelitur in ecclesia abbatiæ
de Silleio. Ejus epitaphium ab ipso compositum,
tale est.

Anglia me genuit, nutrivit Gallia, sanctus
Justus, Thenolium, Præmonstratumque dedere
Abbatis nomen, sed mitram Sagia, tumbam
Hic locus, oretur ut detur spiritus astris.

Scripsit Gervasius commentaria in psalmos &
minores prophetas, homilias, conciones & epi-
stolas. Has post Norbertum *Cailleu* ex codice
Steinfeldensi edidit Carolus-Ludovicus-Hugo
abbas Stivagii, in libro quem an. 1725 Stiva-
gianis typis mandavit, sub hoc titulo: *Sacræ
antiquitatis monumenta*, tom. I, pag. 1 & seq.

XXXIX. HUGO II.

Ex priore canonicorum ecclesiæ Sagiensis
factus episcopus Hugo, Gervasio successit anno
1228, ex chronico Uticensi, quo anno occurrit
in chartis capituli Sagiensis, & anno 1229 in 1229.
chartis Becci. Ecclesiam de Tironeto dedicavit
anno 1231, quo scacario Paschatis adstitit Ro- 1231.
tomagi. Memoratur anno 1234 in chartis Ulte- 1234.
rioris portus. Abbatem S. Martini & abbatissam
Almaniscarum benedixit anno 1235, regemque 1235.
rogavit ut ipsis regalia concederet. Una cum
Petro de Colle medio electo Rotomagensi con-
venit de arbitris nonnullarum controversiarum
21 Martii 1236. Interfuit ejusdem inunctioni 1236.
an. 1237. Reperitur mense Octobri 1238 in 1237.
chartis authenticis D. *de Gaignieres*, quo anno 1238.
Gillebertus prior conventusque Sagiensis ratam
habent Sabbato post Ascensionem compositio-
nem factam in curia Romana inter Hugonem
Sagiensem episcopum & procuratores defuncti
Mauricii Rotomagensis archiepiscopi. Legitur in
chartis Fontanellensibus mense Februario 1237

(1238), & Aprili 1239, quo anno occurrit
adhuc in tabulario Bellæ stellæ. Obiit 1240,
1239. ex chronico Uticensi. Depositio ejus notatur
1240. pridie idus Septembris in martyrologio sancti
Victoris Parisiensis.

XL. Gaufredus.

Ex canonico & officiali Rotomagensi Sagiensis episcopus Gaufredus, Hugonem excipit in chronico Uticensi. Memoratur in tabulariis Silleii an. 1241, Gofferni 1245, Silleii, Gofferni & S. Dionysii Parisiensis 1246. Sillei & S. Johannis Falesiani 1252, Fontanellæ 1251, Fontanellæ & Bellæ stellæ 1256, Silleii 1257. Post inquisitiones actas ab abbatibus S. Petri supra Divam
1241. & S. Andreæ, statuta condidit anno 1241, quæ Innocentius IV confirmavit pontificatus anno secundo. Transtulit Gaufredus corpora sanctorum
1243. apud Saviniacum an. 1243. Eodem anno duas parochias Alenconii in unam redegit B. Mariæ. Litem composuit inter abbatem monachosque sancti Audoëni & archidiaconum Rotomagensem
1246. an. 1246. Eodemque e duobus Esseii parochis unum fecit ad preces monachorum de Lonlaio.
1248. Anno 1248 Guillelmus *Forges* Gaufrido cessit quidquid habebat in feodo sancti Petri de Sagio.
1252. Benedixit IV calend. Maii 1252 ecclesiam sancti Andreæ in Gofferno. Capellam episcopii construxit, & dedicavit in honorem sancti Romani Rotomagensis archiepiscopi ecclesiam Francisca-
1257. norum. Nonnulla dedit capitulo anno 1257, ut duplex celebrarent festum sancti Julii & defunctorum. Eodem obiit, ex chronicis Uticensi & Saviniacensi; mortis igitur annus male assignatur in chronico Gofferni, ubi legitur: *Anno 1253 obiit Gaufridus Sagiensis episcopus IV calend. Febr. cujus corpus jacet ante magnum altare hujus ecclesiæ sub tumulo æneo.* Obitus ejus notatur in necrologio ecclesiæ Rotomagensis III calendas Febr. Hoc autem mense anni 1257 (1258) eligendi episcopi facultatem a rege petiere canonici Sagienses.

XLI. Thomas.

Electus Thomas, confirmatus est ab Odone
1258. Rotomagensi archiepiscopo VI non. Julii 1258, a quo sacerdos ordinatus est XIV cal. Januarii
1259. 1259, & episcopus XIII ejusdem calend. Odonis vice celebravit ordines apud Portum juxta Rotomagum VIII id. Junii. Subscripsit anno eodem literis episcoporum S. Ludovico concedentium, ut quæ ignotis restituere non poterat, pia in opera impenderet. Querelam habuit cum Laurentio abbate Cerasii, cujus arbitrum elegerunt
1260. Johannem abbatem Saviniaci 1260, cujus judicio causa cecidit episcopus. Memoratur in chartis
1261. Cerasii 1261, Silleii 1267 & Fontanellæ 1273. Litem habuit cum priore & archidiaconis, quam terminavit Odo Rotomagensis archiepiscopus die
1266. Martis I post octavam Paschæ 1266. Interfuit
1267. an. 1267 consecrationi Guidonis episcopi Lexoviensis factæ in ecclesia Rotomagensi. Clarus habetur in scacario apud Cadomum in festo sancti Dionysii 1268, ubi de voluntate regis Odo episcopus Bajocensis, Thomas Sagiensis & abbates Gemeticensis, Cadomensis & Troarnensis 1268.
in causa abbatis Montis sancti Michaëlis nominantur. Ecclesiæ suæ jura Parisiensis senatus consulto adversus Alenconii comitem egregie tutatus est anno 1272. Omnia Gofferni bona confirmavit annis 1269, 1273 & 1274. Transegit 1269.
cum Fulcone toparcha Merulæ pro patronatu 1273.
alterno beneficii *de Gaspreé* an. 1275. De eo 1274.
in chronico Gofferni: *Anno 1278 obiit Thomas* 1275.
de Aunoto episcopus Sagiensis 17 Junii, qui multa 1278.
dedit & multum dilexit nos. Et in necrologio: *Anno 1278 XVII calend. Julii obiit bonæ memoriæ D. Thomas de Alnoto, quondam episcopus Sagiensis, qui habet sepulturam in majori ecclesia hujus cœnobii, videlicet ante majus altare ad introitum chori,* sub ænea quoque tabula, quæ ab hæreticis fracta, a monachis redemta est & in campanam versa. Thoma defuncto, canonici eligendi facultatem postulaverunt an. 1278, quo regalia perseveravit a die Lunæ ante festum S. Gervasii ad diem Veneris post Assumtionem B. Mariæ, ex schedis D. *du Fourny.*

XLII. Johannes II.

DE BERNIERES

Si chronico Uticensi fides, Thomæ successit Johannes *de Bernieres* officialis Lexoviensis an. 1278. Attamen legitur in schedis Turonensibus Alanus episc. Sagiensis consecrasse Theobaldum de Poënceio episcopum Dolensem anno 1280; sed errorem valde suspicor: Johannes enim ex illustri apud Neustrios familia, officialis Lexoviensis, factus episcopus Sagiensis reperitur in
charta domus Dei de Argentonio an. 1281 die 1281.
Lunæ post Purificationem B. Mariæ. Recognovit
an. 1283 bullam Innocentii IV datam pro sancto 1283.
Martino. Præsens fuit hominio quod Radulfus Char. XVI.
de Calvomonte miles fecit Petro abbati Gofferni col. 170.
Sabbato ante festum sancti Marci 1284 apud 1284.
Allodium. Defunctus XVII cal. Maii fer. V in
Cœna Domini an. 1294, jacet in choro majoris 1294.
ecclesiæ sub ænea tumba. Celebratur ejus obitus eadem die in ecclesia Lexoviensi & XVI calend. Maii in Uticensi, cui legavit centum libras. Post ejus obitum regalia inchoata die Paschæ 1294,
non clauditur nisi in festo Omnium SS. 1295. 1295.

XLIII. Philippus.

LE BOULANGER

Ex priore cathedralis ecclesiæ Sagiensis episcopus Philippus, Johannem excipit in chronico
Uticensi. Memoratur mense Novembri 1297 1297.
& Januario sequenti in chartis Fontanellensibus. Abbatem sancti Martini electum confirmavit, &
solenni ritu benedixit an. 1301. Priorem beatæ 1301.
Magdalenæ *de Chaterage* prope Mauritaniam salvo
jure alieno nominavit an. 1302. Interfuit anno 1302.
1304 concilio apud Devillam, & an. 1305 Ch. XVII.
apud Pintarvillam. De consensu G. episcopi Pa- col. 173.
risiensis, ad preces Matthæi episcopi Ebroicensis
Parisiis benedictionis munus impendit an. 1308 1308.
abbatissæ sancti Salvatoris Ebroicensis. Memo-
ratur in chartulariis Fontanellensi 1302, 1309, 1309.

ANNI CHRISTI

Gofferni 1305, 1309 super jure patronatus Petræ fictæ, & Troarnensi 1303, 1313 &
1313. 1314. Monasterio Uticensi legavit 60 libras,
1314. cujus in necrologio notatur III idus Martii, &
1315. obiit calendis Aprilis 1315, qua die aperta regalia, usque ad diem Lunæ ante festum sancti Petri ad vincula perseveravit.

DE LENTILLY vel SENTILLY.

XLIV. RICHARDUS.

Ex priore cathedralis ad episcopatum vocatus
1318. Richardus, sedebat an. 1318. Obiit X calend.
1319. Nov. 1319, in eademque sepultus est ecclesia.

MAUGER.

XLV. GUILLELMUS I.

Memoratur Guillelmus in chartis capituli
1321. 1321, Troarnensibus annis 1322 & 1324,
1322. & Ardenæ 1330. Adfuit conciliis Rotomagen-
1324. sibus an. 1335 mense Septemb. in monasterio
1330. B. Mariæ de Prato, & 1342 mense Decembri
1335. in sacello archiepiscopali. Ecclesiæ suæ jura vi-
1342. riliter tutatus est, eoque sedente Anglicano igne
1353. urbs consumta est an. 1353 & funditus eversa.
1356. Denatus ipse XI cal. Febr. 1356, ex necrologio Divensi, sepultus est in ecclesia sancti Leonardi de Belisino in choro, ubi habebat tumulum, quem hæretici solo tenus evertere.

BELLEAU.

XLVI. GERVASIUS II.

Electus an. 1356 Gervasius, benedixit eccle-
1361. siam parochialem S. Petri in urbe Sagiensi an. 1361, & fundavit capellam sancti Augustini.

DE RANCES.

XLVII. GUILLELMUS II.

In diœcesis Trecensis castro *Rances* vernacule dicto natus Guillelmus, & ab eodem nomen sortitus, quem *de Villeray* dictum quoque reperio, Trecis ordini Dominicanorum nomen dedit. Johanni Francorum regi a confessionibus, hunc post infelicem apud Pictavos pugnam in Angliam secutus, ipsi stetit individuus. Cum rege in Galliam redux, factus Sagiensis episcopus promisit cameræ apostolicæ pro Gervasio decessore 28
1363. Julii 1363, ex regestis Vaticani. Huic, episcopo Bellovacensi & comiti Tancarvillæ testamentum
1364. suum commisit rex 6 Aprilis 1364. Synodum
1369. habuit an. 1369. Egestate monachorum sancti Martini permotus, prioratus *de Coulonges, du Gast & de l'Hermitage de Chaumont* huic annexuit monasterio 21 Oct. Gregorii XI an. 2, Christi
1372. 1372. Nonnulla pie scripsit, teste Echardo Biblioth. Fr. Prædicatorum tom. I.

L'ANGLOIS.

XLVIII. GREGORIUS.

Patria Cenomannensis Gregorius, e parochia de Luceio oriundus, ex cantore Cenomannensi & officiali Rotomagensi Sagiensis episcopus,
1379. cameræ apostolicæ promisit 25 Augusti 1379, ex regestis Vaticani. Æmulum forte passus est Johannem *Jolis*, qui episcopus Sagiensis vocitatur an. 1384 in regestis parlamenti Parisiensis, inquiunt Sammarthani. Memoratur Gregorius
1388. in chartis Silleii an. 1388. Cameræ apostolicæ
1391. solvit 26 Novemb. 1391; eodemque ecclesiæ

A Rotomagensi & Guillelmo archiepiscopo obedientiam promisit 3 Apr. ante Pascha. Ecclesiam sancti Hippolyti *de Coupigny* dedicavit in vigilia sancti Michaëlis 1399. Fundavit duo collegia, prius in academia Parisiensi dictum Sagiense, institutum a Johanne *l'Anglois* 24 Febr. 1427, alterum in Andegavensi pro filiis pauperum dictæ diœcesis in bursarios assumendis pro seminario bonarum artium. Vitam morte commutavit anno 1404, exsecutore codicillorum testamenti nominato Johanne *Belard*, postea Forojuliensi episcopo. Jacet in choro cathedralis ecclesiæ, ubi hoc legitur epitaphium: *Perpetuæ*
B *memoriæ R. in Christo patris Gregorii Angli Sagiorum episcopi, collegii Sagiensis in schola Parisiensi & Bueillensis in Andegavensi fundatoris bene meriti, cujus obitus in diem III eidus Maii incidit anno salutis hominum M. CCCCIV.* Ibidem insculptum legitur: *Novum hunc tumulum R. in Christo pater Jacobus* Camus *ejusdem ecclesiæ antistes, priore sepulcro, in quo venerabilis præsulis corpus depositum fuerat, sacrilegis hæreticorum manibus perfracto, religiosi officii memor, una cum magistro & alumnis collegii Sagiensis grati animi monimentum P. C. 1644 R. J. P.*

C

XLIX. PETRUS I.

Juris utriusque professor ac doctor Petrus, archidiaconus de Orta in ecclesia Ebroicensi, regi a consiliis & legationibus, a Carolo VI missus est anno 1395 cum episcopo Meldensi & aliis ad possessionem ineundam urbis Genuæ. Episcopus Sagiensis Remis adstitit cum Carolo Catalaunensi inunctioni Johannis *de Sarrebruche* episcopi Virdunensis factæ ab archiepiscopo Remensi Dominica die in festo S. Matthæi anno 1404. Electus ante vel post Uceticensis a canonicis illius ecclesiæ, æmulum passus est episcopum Conseranensem, forte Guiraudum, a summo
D pontifice illuc translatum, quem evicit a rege confirmatus 24 Nov. 1405. Attamen paulo post, nempe 26 Dec. 1405, in regestis senescalliæ Nemausensis dicitur Petrus non ita pridem Uceticensis, nunc Sagiensis, regi & duci Bituricensi a consiliis, generalis præses cameræ subsidiorum impositorum belli causa, quibus postremis nominibus occurrit adhuc 22 Jan. 1408. Testamentum condidit 16 Maii anni ejusdem, cujus autographum extat in archivis capitularibus. In eo expressum habetur pro reparatione ecclesiæ suæ pacto cum exsecutoribus defuncti Gregorii antistitis confecto, tam pro mitra, pedo, & an-
E nulo pastorali, quam aliis rebus conscribi fecisse unum pontificale duobus voluminibus.

L. JOHANNES III.

Petri demortui successor Johannes, Ludovico Rotomagensi archiepiscopo obedientiam juravit anno 1408 penultima Octobris die, ex regestis capituli Rotomagensis. Concilio Pisano adsuit anno 1409. Eodem monachis sancti Martini bellorum procella plurimum attritis decimas, fructus & reditus parochiarum de Mulceio, de

Semallaio, de Condeto supra Sartam & prioratus de Curte-omeri concessit, ea lege ut iis qui horum beneficiorum onera persolverent, honestam subministrarent pensionem, 13 Junii 1409. Abbatem Divensem benedixit die 15
1410. Junii 1410. Commeandi ad se data est ei po-
1417. testas ab Henrico V Angliæ rege 20 Oct. 1417, qui eidem anno sequenti regni sui sexto temporalia restituit, & licentiam fecit jurisdictionis spiritalis infra diœcesim Sagiensem exercendæ.

LI. Robertus III.

Libellorum supplicum magister Robertus, Carolo VII regi a consiliis, sigillique regii custos, electus & confirmatus episcopus Sagiensis recen-
1422. setur 1 Julii 1422 in actu appellationis factæ a procuratore generali regio de sententia lata ab administro regni nullam declarante donationem ipsi factam comitatuum Valentinensis & Diensis. Factus Sagiensis episcopus a Martino V III idus Decembris 1422 legitur in regestis Vaticani,
1423. ubi electus adhuc dicitur 20 Maii 1423 an. 6 Martini V. Exercitum regis Turones petentis secutus est an. 1423. Domus Dei de Esseio
1425. curam commisit 25 Maii 1425. Eodem anno ut consiliarius regis occurrit in chartis authenticis
1426. D. *de Gaignieres*, ubi anno sequenti recensetur inter præsules qui regem comitabantur in tractibus Santonensi & Pictaviensi. Attamen in regestis Vaticani translatus legitur a Martino V ad ecclesiam sancti Flori VI calend. Febr. 1426 ejusque in locum factus episcopus ea die Hugo *de Cayeu* præpositus S. Audomari Morinensis tunc diœcesis. At 1.° Bertrando ad Uceticensem translato, ecclesiæ sancti Flori præfectus est Jacobus XVI calend. Septembr. 1426. 2.° Hugo factus est jam episcopus Atrebatensis XVII calend. Januarii 1426. 3.° Robertus Sagiensis episcopus in inauguratione Caroli septimi facta Remis 17 Julii
1429. 1429 functus est officio unius e paribus ecclesiasticis qui a partibus Burgundicis stantes aberant, ac proinde ipse est Sagiensis episcopus, qui tacito nomine dicitur subscripsisse literis Caroli VII in gratiam Remensium an. 1429, & adfuisse eidem Carolo regi privilegium Montisargiensibus ob fidelitatem præstitam adversus Anglos hostes concedenti. 4.° Memoratur adhuc Robertus in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 31 Octob.
1430. 1430, & 1 Martii 1431 (1432), qua die
1432. ipsi 600 mutones aurei attributi pro servitiis. At reapse ad ecclesiam Magalonensem vacantem per obitum Bertrandi translatus est Robertus IV
1433. nonas Martii 1433 ab Eugenio IV, ut ex regestis Vaticani diximus tom. VI, col. 801.

Theobaldus Monachi sedis apostolicæ protonotarius, qui Roberto ad Magalonensem translato suffectus fuerat 14 Oct. 1433 ab Eugenio IV, abrogatis prioris promotionis literis, ad Carnotensem ecclesiam translatus est 24 Maii 1434. Vide tomum VIII, col. 1183.

LII. Johannes IV.

1434. Sagiensis episcopus Johannes 21 Maii 1434

A anno 4 Eugenii IV in regestis Vaticani, obedientiam juravit Hugoni archiepiscopo coram Johanne Broilleti & Guillelmo *Erard* vicariis generalibus. Regi fidem dixit 28 Augusti anni ejusdem. Adfuit 2 Aprilis 1438 cum aliis pro- 1438.
vinciæ episcopis a Ludovico metropolitano convocatis ad deliberandum de translato Ferrariam ab Eugenio IV Basileensi concilio. Obiit anno eodem, ex collectore conciliorum Normanniæ, quo anno sedes vacabat die 6 Augusti.

LIII. Johannes V. *de Peruce.*

Nobilis Lemovix Johannes, cujus cognominis
B illustris familia *d'Escars*, aderat quando Radulfus archiepiscopus ecclesiam suam ingressus est anno 1444, huicque obedientiam promisit 26 Julii. 1444.
Eodem anno synodum habuit. Regi juravit fidem 13 Martii 1449. Subscripsit tabulis matrimonii 1449.
Guillelmi de Britannia filii Johannis comitis Pentevriæ & Elisabetæ *de Turre* filiæ Bertrandi *de Turre* comitis Arverniæ & Boloniæ die 8 Junii 1450, quo anno ecclesia Sagiensis expi- 1450.
lata fuit ab Anglis qui pedum etiam pastorale abstulerunt. Ædes episcopales Johannes ampliavit, & an. 1451 duci Alenconii pro ecclesia 1451.
sua fidem clientelarem juravit.

C LIV. Robertus IV. *Cornegrue.*

Artium magister Robertus, canonicus professus ac pœnitentiarius ecclesiæ Sagiensis, electus episcopus an. 7 Nicolai V post obitum Johannis, 1453.
ex regestis Vaticani, metropolitana auctoritate confirmatur 23 Aug. 1454, ex archivis ecclesiæ 1454.
Rotomagensis. Regi juravit fidem 5 Septembr. anni ejusdem. Insequenti 26 Augusti Almanis- 1455.
carum parthenonem visitavit & nonnulla statuit ut abusus e medio tolleret. Venetis in Armorica cum archiepiscopo Rotomagensi & episcopo Arboretano interfuit solenni elevationi corporis
D S. Vincentii Ferrerii an. 1456. Ludovico XI 1456.
regi fidem dixit 22 Junii 1458. Memoratur 1458.
in chartis capituli 1459, 1462, 1466, 1475. 1459.
Regi Ludovico Turonibus fidei sacramentum præstitit 26 Octobr. 1461. Statuta condidit pro 1461.
reformando Divensi monasterio an. 1463. Phi- 1463.
berto abbati S. Johannis de Falesia benedictionis munus impendit an. 1470. Cardinali *d'Estoute-* 1470.
teville potestatem attribuit an. 1477 episcopatum 1477.
suum Stephano *Goupillon* cum regis beneplacito transcribendi, obeunti vero cardinali ad hoc opus Hugonem Jacobum substituit, a quo Stephanus *Goupillon*, superstite licet nec consentiente car-
E dinali, nominationem hanc extorsit an. 1478, bullasque a Sixto IV obtinuit. Hanc ob causam delegationem suam revocavit Robertus auctoritate Ludovici XI; aliamque in favorem Egidii *de Laval* decani Cenomannensis fecit. Robertus anno eodem ad ecclesiam Sidoniensem per obitum Jacobi IV nonas Maii translatus, ex regesto Sixti IV, biennioque post defunctus 9 Decemb. 1480, jacet in ecclesia cathedrali juxta majus altare cum hoc epitaphio: *Hic jacet D. Robertus* Cornegrue *oriundus de Guesneyo in hac diœcesi,*

ANNI CHRISTI *ex pœnitentiario hujus ecclesiæ selectus episcopus, vir religionis ac justitiæ zelator, ad pauperes pius, qui episcopatum feliciter rexit 27 annis. Obiit anno Domini M. CCCCLXXX die nona Decembris.* A

GOUPILLON.

LV. STEPHANUS.

Decretorum doctor Stephanus, familiaris & scriptor Sixti IV summi pontificis, Carnotensis canonicus ab anno 1474 loco Johannis *Heberge* electi Ebroicensis, notarius apostolicus, Lexoviensis decanus, & parvi Caleti in ecclesia Rotomagensi archidiaconus, adepto, ut diximus, episcopatu, per cessionem Roberti electus 8
1478. Maii 1478, cameræ apostolicæ promisit IV non. B
mensis ejusdem, ex libro obligationum Vaticani.
1483. Regi fidem juravit Ambasiæ 10 Octobr. 1483.
A Carolo VIII rege ad partes Italiæ missus est
1484. cum aliis 21 Julii 1484. Memoratur in chartis
1485. capituli an. 1485, cujus canonici 3 Junii hujus anni ob contendentium amborum dissidium fructus spiritales occuparunt. Capellam SS. Catharinæ & Genovefæ sacravit in ecclesia Parisiensi
1488. sancti Nicolai de Campis an. 1488. Dispen-
1489. sationem dedit 22 Martii 1489 Renato Alenconii duci & Margaritæ Lotharingæ uxori de juramento præstito per Margaritam pro jure successionis. Ordines celebravit in abbatia de C
1492. Silleio die 13 Maii 1492. Hunc aliquando e sede sua dejectum curiæ Romanæ judicio reperio, eo quod & regis & regii scribæ literas ad adipiscendum episcopatum assimulasset. Hunc quoque primum Gaudii vallis Carnotensis commendatarium diximus fide Annalistæ Præmonstratensis, quam forte abbatiam a sede episcopali deturbatus obtinuit. Defunctum volunt nonnulli in curia Romana 19 Decembris 1493, sicque finem imposuisse horrendo schismati orto inter eum & sequentem, cujus miserandam exhibet imaginem coætaneus auctor apud Martenium ampliss. collect. tom. VI, coll. 14 & 15. Stephani obitus D notatur 24 Januarii in necrologio ecclesiæ Lexoviensis.

DE LAVAL.

LVI. EGIDIUS.

Guidonis domini *de Loué* Andium senescalli & Carlottæ de S. Maura deuterogenitus Egidius, decanus erat Cenomannensis, Philippique episcopi absentis vicarius, cum Roberto ejus in favorem iterum abdicante, auctoritate Ludovici XI episcopatum adeptus est an. 1478, patrocinio Johannis *de Daillon* domini de Ludo sororii sui, qui apud regem plurimum poterat. Moras ad fidem regi dicendam obtinuit anno eodem & E 1480, quam præstitit 4 Sept. 1481. Æmulum tum in senatu, tum in consistorio regio passus est Stephanum ejusdem episcopatus procurationem sibi vindicantem. Unde grave ortum schisma, quod nonnisi Stephani morte extinctum fuisse videtur. Interea Egidius Roberti coadjutor & vicarius generalis an. 1479 in æde S. Martini Johannem abbatem S. Johannis de Falesia benedixit. Electus adhuc dicitur III calend. Martii 1480 in regestis Vaticani, ubi memoratur pridie calendas Januarii 1481 in libro obligationum. Statuta sodalitatis Nativitatis B. Mariæ in capella B. Mariæ de Vivario confirmavit 8 Mart. 1480 (1481). Defuncto Roberto consecratus est die 29 Aprilis 1481 in ecclesia Sagiensi a Carolo de Novo-castro episcopo Bajocensi. Qua vicarius episcopi Cenomannensis sacramentum confirmationis & tonsuram contulit 25 Maii anni ejusdem. Defuncto Andrea primogenito, jus suum Petro tertio cessit an. 1483 de parentum assensu, a quibus obtinuit terras *de Monthabert, de la Macheferriere* & *du Parvis.* Anno eodem ad Ludovicum regem sacram qua inaugurantur reges ampullam Remis acceptam Turonos detulit cum aliis sacris reliquiis, quas obtentu sanitatis recuperandæ deferri sibi rex postulaverat. Adfuit an. 1484 sacro Caroli VIII, & propter absentes episcopos metropolis Remensis subdiaconum egit in missa quam celebrabat Petrus *de Laval* archiepiscopus. Monasterium Divense visitavit 4 Aug. 1490. Cum Philippo Cenomannensi episcopo interfuit an. 1492 exsequiis Renati ducis Alenconii. Parochialem ecclesiam S. Gervasii dedicavit 25 Julii 1494. Sedebat adhuc an. 1502, quo ecclesiam de Escocheio contulit die 3 Oct. ad præsentationem abbatis S. Florentii.

LVII. CLAUDIUS I.

De Claudio diximus tom. II, col. 1203, & tom. IV, col. 766 in abbatibus sancti Stephani Divionensis. Electus & confirmatus dicitur an. 1502 a Sammarthanis Claudius, qui episcopus Sagiensis per obitum Egidii prima die Februar. 1503 legitur in regestis Vaticani. Translatus ad Pictaviensem ecclesiam per obitum Johannis *de la Trimoille* 10 Septembris 1507, quiete non possedit ante annum 1510, quo Sagiensi cessit penultima Decembris.

LVIII. JACOBUS I.

Nobilis Normannus Jacobus filius Jacobi tormentis bellicis præfecti & Annæ *de Prezen Pail,* Francisci Cadomensis præfecti germanus, abbas Divensis & de Ceriseio, per obitum Egidii *de Laval* 26 Februar. 1511 episcopus in regestis Vaticani, jurat in verba ecclesiæ Rotomagensis 20 Aprilis 1512. Cazalinæ Benedictinorum congregationi cessit 6 Augusti 1517 de jure suo confirmandi & benedicendi abbatis S. Martini, ea lege ut abbas institutionis suæ literas episcopo vel ejus vicariis exhiberet & fidei sacramentum præstaret. Eo quoque tempore Jacobo promovente meliorem ad ordinem revocantur & canonici regulares cathedralis & moniales Almaniscarum. Interfuit an. 1519 exsequiis Philippi cardinalis episcopi Cenomannensis. Jacobo præsule Carolus Alenconii dux & Margarita Valesia conjux fundarunt monasterium monialium de Essayo an. 1519. Tres Clarissarum S. Coletæ parthenones consecravit, primum Alenconii an. 1519, alterum Mauritaniæ apud Unellos anno 1520, tertium Argentonii fundatum a Margarita Lotharinga ducissa, quæ vocatis monialibus e Mauritania

Mauritania ibidem condidit domum S. Claræ, ubi assumto religionis habitu sanctissime obiit. Jacobo anno 1520 Franciscus *Rometens* Perticensis dedicavit epistolas Pici Mirandulæ. Sy-
1524. nodum habuit an. 1524, in qua constitutiones & ordinationes publicavit. E sacro baptismatis
1528. fonte levavit an. 1528 Jacobum Renati Lavallensis filium una cum Ludovico *d'Estissac* & Dionysia de Barra domina *de Villebon*. Castrum episcopale de Floreyo multasque ædes exstruxit ac reparavit, in quibus familiæ ejus stemmata conspiciuntur. Extrema clausit die 24 Aprilis
1539. 1539 apud Floreyum, sepultusque est 8 Maii in choro cathedralis ecclesiæ.

SANGU.

LIX. Nicolaus.

Blesis ortus Nicolaus parentibus non legitimis Antonio *du Prat* Franciæ cancellario & Francisca *Fil.* vidua, legitimatus est mense Sept. 1540. Presbyter Carnotensis, abbas S. Savini Tarbensis, Fuxensis & Juliaci, cantor Bajocensis, regi a sanctioribus consiliis, libellorum supplicum magister, cancellarius ducis Alenconii Navarræ regis, Sagiensis episc. per obitum Jacobi 9 Junii 1539 legitur in regestis Vaticani. Nonnulla pie sanxit & mandavit ad instructionem parochorum. Translatum ad ecclesiam Mimatensem Nicolaum dixi-
1545. mus anno 1545, tom. I, col. 106, in eoque desinit electio capituli, quæ transiit ad nominationem regis christianissimi.

DU VAL.

LX. Petrus II.

Ortu Parisinus Petrus, filius erat Dionysii *du Val* toparchæ *de Sters* & Ludovicæ *de Becdelievre*, germanus Johannis baronis Caprosiæ, toparchæ Domnæ petræ, &c. ærarii tribuni Francisco I rege, cujus liberorum præceptor erat Petrus. Doctor theologus & canonicus Rotomagensis, Sagiensis episcopus ab ipso rege nominatus, a Johanne episcopo Hipponensi consecratus est die 9 Augusti 1545 in capellâ sancti Petri in parochia de Caudebecco, vi literarum Pauli III papæ, adstantibus Constantiensi & Corisopitensi episcopis. Canonicos ecclesiæ suæ regulares seculari toga donari fecit a summo pontifice x cal.
1547. Dec. 1547, dignitates & præbendas ad suam collationem pleno jure vindicans & nonnulla beneficia repetens, quæ Johannes e decessoribus alter capitulo donaverat. Ecclesiæ Rotomagensi
1549. obsequium præstitit 14 Augusti 1549. Coronationi Catharinæ Mediceæ reginæ adfuerat in basilica sancti Dionysii mense Junio, & in missa cardinali Borbonio subdiaconus ministrarat. Mo-
1550. nasterium Divense visitavit 11 Januarii 1550.
1557. Adfuit fer. IV die 5 Januarii 1557 cœtui notabilium in aula S. Ludovici curiæ parlamenti Parisiensis, pro ducatu Alenconii deputatus. Tra-
1558. ctatum edidit anno 1558 de potentia, sapientia & bonitate Dei. Colloquio Pisciacensi adfuit an.
1561. 1561, ibique contra Bezam aliosque novatores decertavit. Concilio quoque Tridentino annis sequentibus adstitit cum Ludovico nepote, cujus
1563. in gratiam ibidem cessit. Anno 1563 Calvinistæ milites admiralis Colinii reliquias ecclesiæ Sagiensis expilarunt & combusserunt. Defunctus est anno 1564 Petrus in castro saltus Vicennarum, cujus in sacello jacet sepultus. Edidit Critonem Platonis Gallice & poëma de Majestate Dei. ANNI CHRISTI 1564.

DU MOULINET.

LXI. Ludovicus I.

Petro avunculo cedente, Ludovicus clericus Parisinus Romam petiit, ubi, electus 17 Nov. 1564 in regestis Vaticani, consecratus est presbyter & episcopus. Fidei sacramentum regi præstitit 24 Aug. 1565. Franciscum *de Valois* 1565.
Alenconii ducem Sagium intrantem excepit mense Junio 1570. Restituta post hæreticorum 1570.
clades S. Martini Sagiensis altaria consecravit XI cal. Apr. 1580, illudque festum concessis indul- 1580.
gentiis annua memoria celebrari voluit. Concilio Rotomagensi adfuit an. 1581, ubi pluries pero- 1581.
ravit, necnon comitiis regni Blesensibus anno 1588. Adhibitus quoque est ad reformationem 1588.
generalem consuetudinum Normanniæ. Pastor ovibus suis semper invigilans vix per sex menses a diœcesi unquam abfuit. Doctus jurisconsultus ac sacrorum canonum observantissimus, eorum præcipue qui in concilio Tridentino, cui doctor theologus cum avunculo interfuerat, sanciti sunt, multum profuit in reducendo ad fidem catholicam Henrico IV rege, ab ipso appellatus, eumque in sacris ædibus sancti Dionysii ab hæresi absolvit 24 Julii, atque ecclesiæ reconciliavit una cum archiepiscopo Senonensi, nonnullisque aliis regni prælatis, quibuscum summo pontifici scripsit VIII idus Aug. 1593, nihil nisi reverentiæ 1593.
ipsi debitæ congruum actum fuisse in abjuratione Henrici IV. Tandem plenus dierum Ludovicus sequenti quoque ante obitum cessit, qui contigit 3 Martii 1601 post annos 37 & 8 menses 1601.
regiminis, sepultusque est die 15 mensis ejusdem in odeo cathedralis, ac funebri oratione commendatus a Claudio successore & sororis filio.

DE MORENNES.

LXII. Claudius II.

Ludovici nepos, ut volunt nonnulli, Claudius & ipse Parisinus, doctor theologus ac rector S. Mederici Parisiensis, vocatus apud S. Dionysium pro conversione regis Henrici IV, non infeliciter laboravit. Ex præposito ecclesiæ Sagiensis, antecessoris spontanea cessione factus episcopus, consecratus est in ecclesia S. Victoris Parisiensis 29 Julii 1601 a Francisco *d'Escoubleau* Burdegalensi archiepiscopo, assistentibus Bellovacensi & Noviodunensi episcopis. Ordines celebravit an. 1602. Catecheses vernaculo ser- 1602.
mone composuit anno 1604, poëmata & ora- 1604.
tiones funebres quæ typis excusa sunt Parisiis apud Petrum *Bertaut* anno 1605. Moritur 2 1605.
Martii 1606 apud Sagium, & sepelitur die 7 1606.
in cathedrali.

BERTAUT.

LXIII. Johannes VI.

Quem e toparchia Condati super *Noireau* apud Perticenses ortum tradunt Sammarthani, seipsum

ANNI CHRISTI

Cadomensem subscribit carmini quod annos natus 18 scripsit. Cardinalis de Perronio condiscipulus, musarum alumnus & egregius poëta, summis principibus gratiosus fuit, maxime ab Henrico III Franciæ & Poloniæ rege dilectus, cui tredecim annis a secretis cubiculis inservivit, & ab Henrico IV, pro cujus ad religionem catholicam conversione plurimum laboravit. Primus Mariæ Mediceæ eleemosynarius, ipsius favore commenda B. Mariæ de Alneto & post episcopatu Sagiensi an. 1606 donatus est, pro cujus bullis gratuito concessis gratias egit cardinali *du Perron* regio apud summum pontificem oratori,
1607. literis datis 26 Januarii 1607. Anno eodem interfuit cæremoniis baptismalibus delphini Franciæ postea Ludovici XIII apud Fontem bellaqueum. Henrici IV ad basilicam sancti Dionysii cum abbate S. Cornelii Compendiensis transtulit
1610. corpus an. 1610. Magna autem ingenii felicitate & puritate in pangendis versibus enituit. Plura cantica in Nativitatem J. C. & psalmos Gallicis versibus cecinit, hymnum in honorem S. Ludovici & familiæ Borboniæ, &c. sermones quoque in præcipuas anni festivitates & orationem funebrem in obitu Henrici IV. Opera ejus Parisiensib. typis edita sunt annis 1620 & 1633. Decessit
1611. Sagii in suis ædibus 8 Junii 1611, annos natus 57, sepultusque est in ecclesia cathedrali die 21 ab abbate S. Martini Andrea *le Moult*. Hoc ei dicavit epitaphium Egidius *Bry de la Clergerie*.

D. M. S.

Marmor hoc quod cernis, viator,
Johannis Berthaldi cineres tegit. Sanctissimi viri
Fatum vanis lacrymis prosequi noli.
Vixit, quantum ad gloriam fuit, satis.
Magnitudo ingenii, eloquentia & eruditio
Summum principem Henricum III ei conciliarunt.
Fidem, quam plurimi scelerosis superstitionis consiliis violatum ibant,
Optimo principi illibatam servavit.
Henrici magni, principis invictissimi, gratiam iisdem artibus adeptus,
Divinis poëmatibus, res ab eo tam pace quam bello
Magno cum totius orbis stupore gestas,
Etiam post hominum memoriam cælis ipsis & æternitati sacravit,
Ab illo multis beneficiis auctus,
Tandemque ecclesiæ Sagiensi votis Augustæ præpositus.
Cum is gregem sibi commissum summa cura regeret,
Verbo Dei solemnibus diebus pasceret,
Ac sanctitate omnibus præiret,
Subito principis immortalitate dignissimi fato perculsus,
Dum sanctis illius manibus
Inter singultus & lacrymas olorina voce annua justa persolveret,
Duplexque per quaternum lustrum patratum parricidium
Versibus publicis execraretur,
Seculi impietatem & scelera pertæsus,
Vitam cum morte commutavit.
Obiit anno salutis M. DCXI° mensis Junii VIII.
Vixit an. . . . . .

A *Egidius* Bry de la Clergerie *in supremo Galliarum senatu patronus viri præstantissimi & amantissimi memoriæ M. P.*

LXIV. Jacobus II.

Lusitanus natione Jacobus, professione vero ordinis S. Francisci alumnus, verbi Dei præco egregius quatuordecim annis continuis apud Parisios temporibus Adventus & Quadragesimæ concionatus est. Hæreticorum hostis acerrimus, librum Philippi Mornæi adversus Eucharistiam refutavit an. 1600. Scripsit quoque Cosmopœiam in duo priora capita Genesis & conciones varias,
B in mystica positivaque theologia mire versatus. Tandem suffragantibus meritis episcopus Sagiensis a Ludovico XIII rege nominatus anno 1611, synodum habuit an. 1613, in qua varia edidit 16
statuta. Monasterium Divense visitavit 26 Aug. anni ejusdem, & pro reformatione nonnulla decrevit. Anno 1614 Fr. *le Frere de Soucis* Jacobo 16
dicavit librum Gallicum, cui titulum hunc præfixit: *Clamores hæresis morientis;* & Christophorus *Loisel, Aurea septem sapientum Graciæ dicta distichis Latinis & Gallicis tetrastichis illustrata*. Cessit Jacobus ante obitum, qui contigit Parisiis III calendas Junii 1614. Hocque illi ibidem apud
C Franciscanos sepulto in choro affigendum curavit epitaphium Jacobus alter successor: *Jacobus* Suarez *a S. Maria Olyssiponensi, ordinis S. Francisci theologo eximio, episcopo Saiensi, cujus conciones christianissimus populus adveneratione multa & concursu frequentissimo comprobavit, Jacobus* Camus *episcopus decessori suo bene merito secundum voluntatem testamenti F. C. Vixit annos 62 menses 6, pontificatus an. 3, depositus in pace III cal. Junii anno M. DCXIV.* 161.

LXV. Jacobus III.

Petro domino *de Pontcarré* utriusque consi-
D storii consiliario & Johanna *Sanguin de Livry* parentibus natus est Jacobus Burdigalæ ultima Jun. 1584, cum parens ejus in Aquitania judicis commissarii munere defungeretur. Ibi latice baptismali tinctus est in cathedrali S. Andreæ, susceptore Jacobo *de Matignon* Franciæ marescallo, ejusdemque provinciæ præfecto. Ex canonico ecclesiæ Parisiensis, Jacobi coadjutor & successor sub titulo episcopi Coronensis designatus mense Maio 1614; defuncto decessore, episcopus Sagiensis & ipse consecratus est ab Henrico Parisiensi antistite in sacello superiori episcopatus 31 Augusti ejusdem anni, assistentibus Gabriele Aurelianensi
E & Johanne Rivensi præsulibus, possessionemque apprehendit 18 Septembris sequentis. Eodem anno vocatus est ad generalia regni comitia Luteciæ habenda. Diversis episcoporum consecrationibus Parisiis adstitit; scilicet Henrici *Clausse* Aurensis episcopi 16 Augusti 1616, Ludovici 161
Bertier Heliopoleos 21 Junii 1617, Guidonis 161
Champion Trecorensis an. 1620, Leonorii *d'Estampes* Carnotensis 1621. Pro clero Gallicano in conventu ecclesiastico Blesis ac Turonibus præsulum nomine peroravit anno 1619, adstantibus 161

Surdisio, Rupifucaldio & Radesiano cardinalibus. A
1628. Permisit 7 Junii 1628 monialibus B. Mariæ ut
Alenconii sedem figerent, quarum sacellum benedixit 25 Oct. N. *Bazire* vicarius generalis. Cum
aliis episcopis ad universos Franciæ præsules
1639. scripsit 9 Februar. 1639 de damnandis duobus
voluminibus, quorum unum *Traité des droits & des libertés de l'Eglise Gallicane*, alterum *Preuves des mêmes libertés*. Generalibus cleri Gallicani
1645. comitiis adfuit annis 1645 & 1646. Hoc autem
1646. anno in sacello palatii regalis baptizavit Ludovicum Augustum filium D. Thuani inquisitionum curiæ præsidis, susceptoribus regina Franciæ & cardinali Mazarineo. Capitaneum urbis insti- B
1647. tuit anno 1647. Ecclesiam suam multis locis
ruina fatiscentem & castrum de Floreyo cum sacello injuria belli civilis pene dirutum in integrum reconcinnavit, episcopale palatium multis ædificiis decoravit, plura bona episcopatus abalienata proprio ære redemit, basilicam multa supellectile ornatam reliquit, eidemque argenteam viginti fere marcarum pondere lucernam ante majus altare chori perpetuo usturam donavit, cathedram concionatoris, necnon chori & sacellorum fecit clausuram & aquilam cupream. Ducentas quinquaginta libras reditus annui quinque processionum solemnibus quinque festis die- C
bus, singulis annis duorum anniversariorum, Paschæ scilicet & Septembris, synodorum postridie faciendorum causa ex testamento legavit. Ceterum plures synodos congregavit, diœcesim suam sedulo perlustravit, abbatissis Almaniscarum, de Vinacio & de Esseyo benedictionis munus impendit. Quin etiam eo sedente in diœcesi stabiliuntur tres conventus Capucinorum, domus Ursulinarum, altera filiarum nostræ Dominæ, collegium Jesuitarum Alenconii, prioratus Benedictinarum Oximensium & Argentonii, cum domo clericorum qui ministerio missionum incumbunt. Auxit vero xenodochium Sagiense, D
uti & collegium hujus nominis apud Parisios quatuor bursis. Reformationem Almaniscarum totis viribus promovit. Denique condito Jacobus
1650. testamento 20 Julii 1650 in palatio Saiensi
enterocela excessit 4 Novemb. anni ejusdem, postquam episcopatum rexisset annis 36. Ipse sibi vivens monumentum elegerat idem in quo jacet Jacobus Silliacus decessor, in choro cathedralis ecclesiæ.

Jacobo autem sedente & præsente die 19 Octobr. 1624 apertus est tumulus Margaritæ a Lotharingia filiæ Friderici II comitis *de Vaudemont* & Iolandis Andegavensis, quæ nupserat E
Renato duci Alenconii, post cujus mortem monialis S. Claræ facta in monasterio Argentonii, quod cum plurimis aliis fundaverat, ibidem exacta in assiduis orationibus & bonis operibus vita cum opinione sanctitatis obierat anno 1488. Hancque sanctitatis famam auxit inventum ejus corpus incorruptum, integris adhuc genis, ore, auribus, atque etiam oculis.

ANNI CHRISTI

LXVI. Franciscus. ROUXEL DE MEDAVY.

Petrum *Rouxel* baronem *de Medavy*, comitem
Granceii, equitem torquatum, regi ab omnibus consiliis & generalem proregis in Normannia vicarium, necnon Carlottam *de Hautemer* filiam Guillelmi domini *de Fervaques* Franciæ polemarchi & Normanniæ progubernatoris parentes sortitus Franciscus, lucem aspexit 8 Aug. 1604. Abbas Cormeliarum & S. Andreæ in Gofferno, Saiensis episcopus a rege nominatus est anno
1651, & ab Innocentio X confirmatus mense 1651.
Octobri. Fidei sacramentum regi exhibuit apud
castrum S. Germani in Laia 29 Apr. 1652, 1652.
& in ecclesia patrum Societatis Jesu Pontisaræ consecrationem suscepit 21 Maii a Carolo Jacobo *de Gelas de Leberon* Valentinensi episcopo, Petro *de Marca* Conseranensi, & Claudio *Auvry* Constantiensi adstantibus episcopis. Ecclesiam suam adiit & in ea splendido exceptus est apparatu 27 mensis ejusdem. Synodum habuit 16
Septembr. 1653, & statuta condidit. Comitiis 1653.
cleri Gallicani Luteciæ habitis ann. 1655, 1656 1655.
& 1657 adstitit. Synodo Pontisarensi adfuit 15 1656.
Aprilis 1660, & subscripsit bullis Innocentii X 1657.
& Alexandri VII. Seminarii apud Falesiam in- 1660.
stituendi licentiam a rege impetravit anno eodem. Translatus est ad Lingonensem ecclesiam anno
1670, ut diximus tom. IV, col. 641, & paulo 1670.
post ad Rotomagensem 15 Januarii 1671, ubi vide. Hæreticorum templum Alenconii exstructum an. 1604, destructum fuit an. 1664.

LXVII. Johannes VII. FORCOAL.

Jacobi regi a secretis filius Johannes, eidem ab eleemosynis, priorque Monasterii in Pertico, translato Francisco, a rege nominatur episcopus 31 Octobr. 1670. Ecclesiam suam ingressus est
13 Martii 1673. Synodum coegit 16 Octob. 1673.
1674, & decreta sancivit. Obiit 27 Februar. 1674.
1682, sepultusque est 9 Martii in sacello beatæ 1682.
Mariæ pone chorum cathedralis.

LXVIII. Maturinus. SAVARY.

Patrem habuit Maturinus mercatorem Parisiensem, auctorem libri, cui titulus *le parfait Négotiant*. Ipse vero clero adscriptus, reginæ ab eleemosynis, abbas Caherii & Insulæ Barrensis, Sagiensis episcopus a rege designatus est mense Octobri 1682. Ob cleri Gallicani cum Romana
curia dissidium confirmatus a summo pontifice 1690.
non fuit ante annum 1690. Inauguratus Parisiis 1692.
24 Augusti 1692, ecclesiam suam solenniter ingreditur 12 Octobr. Statuta condidit & pu- 1695.
blicavit 3 Januarii 1695. Post diuturnos morbi 1698.
labores defunctus est Sagii 16 Aug. 1698.

LXIX. Ludovicus II. D'AQUIN.

Moroliarum abbas, tum S. Dionysii Remensis Ludovicus, jam Forojuliensis nominatus a rege episcopus 12 Januarii 1697, consecratus est in sacello Sorbonæ Parisiensi, ut diximus tom. I, col. 444: sed antequam ad dictam ecclesiam

ANNI CHRISTI accederet, a rege ad Sagiensem translatus est 1 Nov. 1698, eique fidem juravit 30 Martii
1699. 1699, bullis gratis ab Innocentio XII donatus. Sagiensis ecclesiæ possessionem adeptus est 6 Jun. anni ejusdem, provincialique synodo apud Gallionem adstitit 30 ejusdem mensis. In conventu
1700. cleri Gallicani anno 1700 inter doctissimos antistites fulsit. Inde reversus, totum se pastoralibus muniis impendit, in iisque obiit 17 al. 22 Maii
1710. 1710, ætatis 43. Omnia sua pauperibus legavit.

TURGOT DE S. CLAIR.

LXX. Dominicus-Barnabas.

Antonii *Turgot* magistri requæstarum & N. *du Tillet de la Bussiere* filius alter Dominicus-Barnabas, doctor facultatis Parisiensis, syndicus cleri Gallicani, regi ab eleemosynis primusque ducis Biturigum eleemosynarius, Sagiensis episcopus a rege nominatus 12 al. 19 Julii 1710, inauguratur 14 Decemb. in ecclesia S. Ludovici patrum societatis Jesu a cardinali Noaillio, assistentibus Tornacensi ac Autissiodorensi episcopis. Possessionem per procuratorem iniit 17 Dec. anni ejusdem, ipse vero 13 Febr. anni sequentis. Consecrationi episcopi Santonensis adstitit Parisiis
1711. 21 Decemb. 1711. Ducem Alenconii filium ducis Bituricensis sacris abluit undis 26 Martii
1713. 1713. Nominatus abbas Silliaci mense Sept.
1727. 1727, obiit 18 Decemb. anni ejusdem, annos natus 60 & aliquot menses.

L'ALLEMANT.

LXXI. Jacobus-Carolus-Alexander.

Doctoris Parisiensis lauream adeptus 23 Mart. 1716 Jacobus-Carolus-Alexander, visitator generalis in Francia monialium ordinis sanctæ Theresiæ, nominatur episcopus Sagiensis a rege
1728. 27 Martii 1728. Proclamatur & proponitur Romæ 10 Maii & 15 Decemb. anni ejusdem.
1729. Inungitur 23 Jan. 1729 in ecclesia monialium Assumtionis Parisiensis ab archiepiscopo Rotomagensi, assistentibus Andegavensi & Atrebatensi episcopis. Regi fidem dixit 30 mensis ejusdem. Abbas S. Martini Trecensis mense Julio A 1732. Breviarium novum promulgavit, & obiit Parisiis 6 Aprilis 1740, annos natus 49, sepultusque est in ecclesia parochiali S. Rochi cum hoc epitaphio.

PLANGE & ORA.

Quem religio a teneris pium, morum suavitas omnibus amabilem, mira eruditio muniis suis parem, caritas Deo gratum, in exornandis altaribus magnificum, pauperibus effecit liberalem, in crypta sacerdotibus tumulandis destinata beatam exspectat resurrectionem Reverendus in Christo pater Jacobus- B *Carolus-Alexander* l'Allemant, *sacræ facultatis Parisiensis doctor. In urbe Molinensi vicarius generalis & officialis, post sex annos discedens, ingens sui reliquit desiderium. Carmelitarum visitator generalis paterno eas fovit affectu. Ad episcopatum Sagiensem evectus, vixit potens opere & sermone. Pro generalibus cleri Gallicani comitiis designatus, Luteciam cum venisset, assiduis pro diœcesi sua curis & laboribus consumtus, obiit VIII idus Aprilis M. DCCXL, anno ætatis 49, pontificatus XII. Hoc doloris & pietatis monumentum posuit frater amantissimus Stephanus-Carolus-Felix* l'Allemant de C Nantouillet.

LXXII. Ludovicus-Franciscus. NEEL CRIST

Presbyter Rotomagensis Ludovicus-Franciscus, licentiatus in legibus, consiliarius clericus parlamenti Normanniæ a die 24 Aug. 1719, canonicus, thesaurarius & vicarius generalis Bajocensis, abbas Silliaci mense Junio 1728, & S. Ferreoli Sosmensis mense Decembr. 1733, deputatus est a provincia Rotomagensi ad generalia cleri Gallicani comitia anno 1730. Designatus a rege episcopus Sagiensis 5 Maii 1740, D Romæ proclamatur 4 Septemb. & proponitur 8 Novembris, sacratur 11 Dec. & regi fidem dicit 29 eorumdem mensis & anni. Inchoatum a decessore missale edidit novumque rituale promulgavit. Altare quoque majus ecclesiæ cathedralis ab ipso constructum est.

SAGIENSES PRIORES ET PRÆPOSITI.

QUandiu regularis fuit ecclesia Sagiensis, secundas in ea partes prior obtinuit; facta autem seculari, prioribus successere præpositi. Horum & illorum hæc est series.

PRIORES.

I. Garinus capitulo præsidebat annis 1131 & 1143, inde primus sancti Victoris Parisiensis factus est prior. Charta IX. col. 163.

II. Henricus 1153.

III. Hugo I 1154.

IV. Johannes I 1165.

V. Guillelmus I 1194. Innocentius III bona capituli Sagiensis recensuit & confirmavit bulla data VIII calendas Junii 1199. Ch. XIV. col. 169.

E VI. Johannes II annis 1208 & 1212.

VII. Guillelmus II anno 1226.

VIII. Hugo II ex priore fit episc. 1228.

IX. Gislebertus 1238 cum toto ecclesiæ Sagiensis conventu ratam habuit compositionem inter Petrum electum Rotomagensem & Hugonem episcopum Sagiensem. Occurrit adhuc anno 1252.

X. Johannes III *Galliot* 1287.

XI. Philippus I *le Boulanger*, ex priore episcopus 1295.

XII. Richardus *de Sentilly*, ex priore episcopus 1315.

XIII. Nicolaus I 1332.

XIV. Philippus II *Boulemer* cum Johanne

de Hulmo officiali arbiter sententiam tulit anno 1365 Sabbato post Nativitatem B. Johannis-Baptistæ, qua Perseniæ monachi in posterum, uti solebant, duas libras thuris in festo S. Martini hiemalis persolvere S. Martino Sag. tenerentur.

XV. Johannes IV *Bourdon*, al. *Boudes* 1416.

XVI. Robertus I *de Caux* 1441.

XVII. Johannes V *Michel*, quo defuncto,

XVIII. Johannes VI *Ferrieres* clericus Carnotensis, protonotarius apostolicus & magister in artibus, vacantem Johannis *Michel* defuncti locum a summo pontifice ad triennium obtinuit; eoque elapso, ut beneficium reservatum. Intercessere quidem canonici electusque confirmatus est Lucas *Robine* 10 Nov. 1469 : at Johannes sententiam obtinuit a summo pontifice, quam sua rex auctoritate munivit 6 Junii, sicque Johannes prior erat 16 Julii 1477.

XIX. Robertus II *de Caux* ex canonico & archidiacono Belismensi, prior est electus 19 Novembris 1510.

XX. Nicolaus II *Mesnerel*.

XXI. Martinus *le Hunelier* electus 19 Nov. 1519, quo cedente,

XXII. Thomas *d'Orval* electus est 14 Jan. 1523, cujus per cessionem,

XXIII. Martinus *le Hunelier* via scrutinii eligitur 29 Martii 1529.

XXIV. Nicolaus III Vassoris, quo cedente,

XXV. Johannes VII *de Luxembourg* prior commendatarius anno 1545.

XXVI. Ludovicus *de la Personne*.

Præpositi Ecclesiæ Sagiensis.

I. Stephanus *Pallu* licentiatus in decretis fit præpositus anno 1550.

II. Radulfus *Marescot*, quo defuncto,

III. Simon *Gallois* de capella prope Sagium oriundus, eligitur ab episcopo 5 Martii 1557, presbyterque ordinatur Sabbato in Passione Domini ejusdem anni.

IV. Claudius I *de Morennes* nobilis clericus Parisiensis, 2 Martii 1590, per cujus cessionem,

V. Guillelmus *d'Oron* clericus Parisiensis, cessit quoque in gratiam sequentis.

VI. Carolus I *Paulin* presbyter Parisiensis, per cujus cessionem,

VII. Petrus *le Roy* nobilis clericus Parisiensis, Ludovici *du Moulinet* episcopi pronepos, 21 Maii 1602.

VIII. Claudius II Aridiensis, al. *de Serchespée*, presbyter, Parisiensis facultatis baccalaureus, de Letonio in diœcesi Cenomannensi, Petri Ari-diensis, qui concilio Tridentino interfuit nepos, per cessionem Petri fit præpositus.

IX. Carolus II *le Moulinet* presbyter Sagiensis, ex archidiacono Oximensi Claudio successit præpositus anno 1626.

X. Jacobus *Board* subdiaconus Parisiensis, Carolum defunctum excepit 26 Oct. 1631.

XI. Benedictus-Franciscus *Rouxel de Medavy* clericus, in locum Jacobi suffectus est 21 Oct. 1652.

XII. Robertus *de Friche* vicarius generalis episcopi Sagiensis, Benedicto-Francisco successit 3 Sept. 1657, & cessit in gratiam sequentis.

XIII. Harduinus *Rouxel de Medavy* canonicus Rotomagensis, permutatione facta cum Roberto fit præpositus mense Februario 1674. Permutavit & ipse cum sequenti.

XIV. N. *d'Erard* prior de Planchiis, facta permutatione cum Harduino fit præpositus an. 1676, & cum Augustino-Ludovico canonicus de Francavilla anno 1679.

XV. Augustinus-Ludovicus *d'Erard de Tanche* permutavit cum patruo 12 Aprilis 1679, obiitque 16 Aprilis 1723 ætatis 75, simul seminarii rector, & sepultus est in ecclesia cathedrali, cui epitaphium in sacello seminarii erexere patres Societatis Jesu.

XVI. Hercules-Pomponius-Ludovicus *de Cordey de Glatigni* presbyter Sagiensis, suffectus est 23 Maii 1723.

XVII. Johannes *Philibée* presbyter Claromontensis, doctor sorbonicus, vicarius generalis episcopi Sagiensis, defuncti 1740 & postea capituli, ultimo defuncto successit. S. Chrodegandi Sagiensis episcopi reliquias ex Arvernia Sagium transtulit an. 1731.

5 Gaufridus *la Mouche* ex decano Sagiensi factus est episcopus Andegavensis anno 1162, teste Roberto de Monte. Quisnam autem ille est decanus?

VETERA DIŒCESIS SAGIENSIS MONASTERIA.

Fuere olim plurima in diœcesi Sagiensi monasteria a SS. Ebrulfo & Ebremundo condita. Non ausim quidem asserere quindecim monasteria cum virorum, tum mulierum, quæ regularibus instituit disciplinis S. Ebrulfus, & quibus rectores præposuit, fuisse omnia in diœcesi hacce sita, sicut prius Uticum fuit, antequam Lexoviensi seculo XI ineunte subjiceretur. Dubitare tamen non licet quin plura inibi fuerint; sed illorum nomina jamdudum a Normannis destructorum cum ædificiis interiere. En aliquot quorum adhuc superest memoria.

I. S. Serenicus.

In pago Oximensi municipium est S. Serenici nomine, cui parœcialis ecclesia nuncupata est. Is claris parentibus in Italiæ urbe Spoletana ortus, post navatam studiis operam cum Serenedo fratre Romam petit, ubi ambo diaconi cardinales creati dicuntur. Fugiendi honoris causa in Gallias profecti, primum Cenomannos in vico Salvia consistunt, tum Serenicus cum Flavardo ministro secessit in proximum pagum Oximensem, ibique sedem fixit in scopuloso monte, quem anfractus Sartæ fluminis ex tribus partibus ambit, cella exstructa cum oratorio beati

Martini antistitis, quod Mileharius Sagiorum episcopus absolvisse fertur. Istuc plurimi confluxere discipuli ad centum quadraginta, testante Orderico Vitali, quorum lapidea, inquit, sepulcra palam adventantibus inter basilicam & in circuitu ejus testimonio sunt, cujus meriti & reverentiæ illic homines requiescunt. Inibi quoque sepultum corpus sancti Serenici, quod Carolo simplice regnante, cum Hastingus Danus Neustriam depopularetur, a fidelibus in castrum Theoderici translatum est, ac dispersis monachis S. Serenici monasterium destructum.

II. Fontenay. Fontanetum, nunc parochia duabus a Sagio distans leucis ad Aquilonem, prius fuit monasterium, quod fundatorem agnoscit S. Ebermundum seu Evermundum. Bajocis hic ortus ex nobili genere, in aula Theoderici regis III præcipuas dignitates ac optimam uxorem consecutus est; sed piorum librorum lectione ad mundi contemtum accensus, eumdem uxori persuasit. Mutuo itaque consensu hæc velum sacrum accepit, ille fundatis plurimis ecclesiis & locis sacris, in quibus monasterium S. Desiderii a Fontaneto semileuca dissitum, in desertum quod Fontanetum dicitur se recepit, ubi monasterium in honorem B. Mariæ condidit & monachos coegit, quibus præfuit, donec Annobertus Sagiensis episcopus eum præfecit cuidam cœnobio, quod dicitur Mons majoris, ubi sanctæ vitæ cursum feliciter consummavit anno circiter 720. Sepultum corpus in monasterio Fontanetensi, quo a Normannis everso, translatum est successive in cœnobium Uticense, dein Aurelianos, postremo Credolium ad Isaram, ubi asservatur solum caput, corpore reliquo a Calvinistis combusto.

ABBATIÆ DIŒCESIS SAGIENSIS.

Sunt in diœcesi Sagiensi decem abbatiæ, e quibus:

Ordinis S. Benedicti.

S. Martinus, *S. Martin de Seez.*
S. Petrus supra Divam, *Saint-Pierre sur Dive.*
Almaniscæ, *Almenesches.*
Vinacium, *Vignaz.*

Ordinis S. Augustini.

Esseium, *Essay.*

Ordinis Cisterciensis.

S. Andreas in Goffer, *S. André en Gouffern.*
Trappa, *la Trappe.*
Villarium, *Villers-Canivet.*

Ordinis Præmonstratensis.

S. Johannes in Falesia, *S. Jean de Falaise.*
Silleium, *Silly.*

S. MARTINUS.

Saint Martin.

IN burgo S. Mariæ, jam ante sexcentos annos S. Martini dicto, virgini Dei-paræ nuncupatum erexisse olim videtur cœnobium S. Ebrulfus Uticensium abbas, monasteriorum quindecim conditor, post annum 560, tametsi nullum inductæ Sagium ab Ebrulfo coloniæ vestigium antiqua referunt monumenta. Ut autem monasterii primam originem Ebrulfo acceptam referamus, faciunt imprimis anni 1060 notitia, temporibus priscis sub monasticæ regula religionis viguisse docens, & locorum vicinia conditioque tot monasteriorum facta per illum in Oximensi pago, quæ pridem Uticensi excepto desiisse testatur Ordericus. Sancti Martini nomen ac cultum quo primum tempore locus hic Mariano conjunxerit nomini haud constat. Certe quotquot instaurationis meminere scriptores coætanei, locum S. Martino sacrum efferunt, ut quæ ipsi præfertur in vetustissimis literis Virgo Maria, videatur id e prisci monasterii titulo consecuta fuisse. Sub medium itaque seculum XI cum favente Guillelmo duce Nortmannorum proceres erigendis passim ecclesiis ac restituendis quæ majores sui prostraverant monasteriis operam darent, Ivo Sagiorum episcopus e Belismensium & Alenconiorum comitum genere masculorum postremus, ditionis partem pervasam a majoribus domino mancipare studuit. Mox accitum Rogerium de Monte-gomerici Mabiliæ neptis suæ maritum Oximensemque vicecomitem consilii participem effecit. Qui Rogerius ut, referente Willelmo Gemeticensi, *vir erat fortis & probus consilioque maturus*, libenter assensit, non abnuente Mabilia conjuge, *per quam*, secundum Ordericum, *magnam partem possessionis Guillelmi Belismensis, nempe Belismensem Alenconiensemque comitivas obtinuerat. Prædicti ergo pontificis instinctu & consilio ecclesiam S. Martini apud Sagium Theodorico abbati sancti Ebrulfi tradidit; eumque ut ibidem cœnobium monachile construeret, cum conjuge sua summopere rogavit. At ille haud segniter assignans opus in nomine Domini inchoavit, ibique Rogerium Uticensem monachum sacerdotem, & Morinum, & Engelbertum, aliosque ex discipulis suis constituit. Ipse quoque sæpius eumdem locum visitabat, & aliquando tribus seu quattuor septimanis commanebat, & incœpti operis perfectioni pro amore Dei & utilitate sequentium totis nisibus insistebat.* Interim subortis adversus Rogerium bellis, tantisper interrupta pependit monasterii fabrica, penesque Guillelmi Sorengii tres filios haud stetit, quin ædes solo tenus æquarentur. Id docet ad annum 1050 Ordericus his verbis: *Amator autem pacis Theodericus undique angustiatus est: nam apud Sagium nequibat animarum saluti proficere, nec cellam ibi cœptam a Rogerio & uxore ejus ad perfectionem erigere, quia ipsi pluribus secularium rerum curis occupabantur, & ab inimicis suis undique impugnabantur.* Ipsum

Charta I. col. 151.

Chart. col. 15.

nihilominus *diligebat* Mabilia, *atque in quibusdam obediebat. Robertum quoque de Belesinia primogenitum filium suum ipsi & Rogerio aliisque monachis apud Sagium commorantibus ad abluendum sacro baptismatis fonte obtulit.* Id ante annum 1056 contigit, quo pacis interlucente radio, Theodericus supremam ædibus manum imposuit. Mox Robertum e suis vitæ castigatioris monachum, qui Troarnum inferendæ religionis gratia missus fuerat, Sagium accivit, eumque sancti Martini cœnobio præposuit abbatem, dum ipse Palæstinam cogitabat.

Cellis Anglicanis duabus, una Hispanica, Gallicanisque non paucis potiebantur olim Sagienses, quibus etiamnum parent ecclesiæ parochiales amplius 60 cum decimarum aliorumque fructuum perceptione, quæ omnia tum fundatorum, tum benefactorum munificentiæ accepta referunt monachi, quos inter præcipuas tenent Ivo Sagiensis episcopus, Rogerius de Monte-gomerici, & Mabilia ejus uxor prima, & Adelais altera filia Eberardi de Puteolo, Arnulfus Rogerii filius, Rogerius Pictavinus, Guillelmus Pontivi & Alenconiorum comes Roberti de Belismo filius, Johannes Guillelmi filius, Robertus Johannis filius, Hubertus Bellimontis vicecomes, Roscellinus Bellimontis vicecomes & Radulfus Radulfi senioris filii, Seifridus de Scurris, Helias Cenomannorum comes, Johannes Lexoviensis episcopus, Henricus I Anglorum rex, Johannes Anglorum rex, Frogerius Sagiensis episcopus, Guillelmus Arundellii comes, Guillelmus Catalaunensis episcopus & Perticensis comes, Robertus *Mallet* dominus de Guerravilla, S. Ludovicus Francorum rex, Alenconii comites Petrus sancti Ludovici filius, Carolus Valesius Philippi pulcri filius, Petrus, Johannes ejus filius, Johannes alter Johannis filius, Carolus, &c. Horum beneficiis diu stetit Sagiensium monachorum resque pietasque, sed hanc felicitatem corrupere nata sæpius & multos in annos provecta cum Anglis bella, quæ villis ut ceteris monasterii possessionibus stragem plurimam attulerunt. His exciti malis abbates, post annum 1420 ab apostolica sede literas impetrarunt, quibus bonorum raptores diris intentatis ea restituere jubebantur. Cum vero rusticis asylum præbuisset basilica, munitionis instar firmata, nec hominum modo sed pecorum quoque fuisset sordibus maculata, sub annum 1431 novam benedictionem accepit.

Res optimo loco constitutæ videbantur, cum an. 1563 sub mediam Quadragesimam Gaspar Colinius thalassiarcha, novatorum dux, monasterium subivit, quod rebus spoliatum omnibus, sed flammis exemtum, post affectos plagis monachos & servos aliquot qui domi remanserant, hæretici dimiserunt. Reversi continuo monachi, velut periculo defuncti, restaurandis ædibus & aggerendæ supellectili gnaviter incumbunt in annum 1568, quo superiore multo gravior procella deseviit, urgente Gabriële Lorgio de Monte-gomerici, qui tamen conditorum se nepotem aut heredem falso jactitabat. Etsi enim

A post longa temporum intervalla majores ejus genere patriaque Scoti, Montis-gomerici ditionem compararint, nihilo magis in Rogerii de Monte-gomerici conditoris hereditatem aut jura transiere; cum præstantissimus ille comes monasterium radicitus eversum una cum Ivone Belismensi Sagiorum episcopo necnon uxore Mabilia, comitatus Alenconiensis heredibus, instaurarit dotaritque ex ipsius Alenconiæ ditionis vel Oximensis qua potiebatur vicariæ bonis ac latifundiis. Exstinctis vero Rogerii nepotibus, hæ demum toparchiæ transierunt ad regiæ stirpis comites seu duces Alenconiorum, quibus unis conditionem,
B aut restaurationem suam & dotationem Sagienses acceptam referunt, nec uspiam Longavillæis, aut aliis militibus qui ante Lorgios Montis-gomerici ditionem obtinebant, debitum conditoribus honorem detulere. Calvinistarum itaque vallatus phalange Gabriël Lorgius monasterium irrumpit, residuos ex monachis duos vinculis onerat, basilicam ingressus evertit aras, sanctorum icones comminuit, expilat reliquam supellectilem, quidquid instrumentorum aut codicum venit in manus corripit. Denique sacrilegum basilicæ ceterisque ædibus ignem subjicit, sicque maximis onustus spoliis, captivos secum ducit
C monachos duos, quorum alter ut Alenconium est ingressus & redemtæ vitæ solvit pretium, plagarum immanitate defecit, alter vulneribus ipsis fortior longam deinceps sed plenam doloribus vitam exegit.

Illatas a Lorgio ruinas ut sarcirent abbates & monachi nullum non movere lapidem, Roberto præsertim Allerone, tum Andrea *le Moult* indefessam operam conferentibus, quorum uti & successorum laboribus effectum tandem ut ædes omnes, si basilicam exceperis, quæ navi caret & munitionis refert modum, solidæ, elegantes & ad normæ regularis ideam comparatæ vi-
D deantur. Nec minor in vindicandis monasterii prædiis Sagienses tenuit sollicitudo. Verum post superatas inde litium immanes procellas, jam tandem rerum securi degunt nostri, sacris ac strictiori disciplinæ fortiter incumbentes. Unde religioni multus honor, multa pauperibus & egenis solatia promanant.

Anno 1506 Philippus a Luxemburgo Cenomannensis episcopus & cardinalis, ut Gemeticensem & Vincentianam, sic Martinianam Sagiorum commendam adeptus, monachis ad saniora consilia reducendis se totum impendit. Hinc natam apud Casalem Benedictinorum emen-
E dationem Vincentianis primum, deinde Sagiensibus ut suaderet, abbatiæ titulo nuncium remisit. Inductis ergo Sagium anno 1511 retinentioris vitæ monachis Cenomannensibus, favente Ludovico XII Francorum rege, Julio II consensum præbente, Johannem *des Bans* abbatem in triennium dici curat. Obstitere quamplurimum inquilini, remissiorisque vitæ devincti lenociniis monachi, quos durius excepisse visi sunt, ut fervent initia, reformatores. Mox querelis apud Sagiorum officialem, tum ad Alenconiense

scacarium, postremo Rotomagum delatis firmati A patres, alii vel sanctioris vitæ genus amplecti, vel alio secedere jussi sunt; & hæc quidem an. 1512 contigere. Casalinorum abbatem primum exacto præfecturæ spatio Johannes de Monte majori excepit, vivente adhuc & reformationis profectibus applaudente Luxemburgio cardinali. Tum alii quoque successere patres in triennium, uti leges apostolico regioque firmatæ privilegio concedebant, sed quid vicibus humanis exemtum? Qui gratia plurimum & auctoritate pollebat Bellaius Cenomannensis episcopus, circiter annum 1535 acceptis ab rege literis, abbatiam sibi vindicare conatus est, nullo quidem B tum effectu, sed cum anno 1541 non aliter litium anfractibus expedire se quirent patres, ut abbatis regio nomine diceretur assensum præbuere. Latam a Francisco legem paulo post abrogavit Henricus II Francorum rex, & optatam Casalinis pacem disciplinæque amicam quietem indulsit pontificia supremarumque curiarum auctoritate fultam. Carolo IX puero maternis auspiciis regnum obtinente, vulnus recruduit & regio notho credita fuit abbatia, dum tandem an. 1571 subreptas inde literas rescidit Carolus, qui & Casalinorum privilegia singula renovavit. His usi Casalinenses induciis, abbatibus Michaële C Iodio, necnon Andrea *le Moult*, cœnobium renovare sategerunt. Sed cum exstincto Henrico III Francorum rege, qui necdum Calvinianam hæresim ejurarat Henricus IV, equiti Rentiaco Martinianam commendam permisisset, in Andream abbatem ille protinus insiluit, presso jugulo necem minitatus ni munere cederet & loco. Satellitem vicit abbatis constantia, nec multo post adeunti regem, illatasque tum sibi, tum monasterii gazis injurias expostulanti favit Henricus, ac Casalina quoque privilegia roboravit. Interim vero sanctiorem in multa Normanniæ monasteria disciplinam spargebat Andreas Cosnardi patris D eodem studio conciti suffragante zelo. Verum exstinctis illis, sensim absque sensu remissioni laxabant habenas cum abbates, tum maxime officiales nonnulli, quos privata magis rerum suarum quam publici boni cura tangebat. Hinc ambitus & in dignitatum ac officiorum successionem studia, coitiones, consilia. Timebant optimi quique ne reliquos pervasura esset defectionis cogitatio; quamquam disciplinæ regulari statutisque sanctionibus nulla ex parte deesse viderentur. Richelium cardinalem minime latuit, non quidem facta, sed animo persensita rerum inclinatio, quam ut averterent patres an. 1634, E apud Clarum montem generalia comitia quantocius indicarunt. Frustra: paulo post enim cardinalis decreto regio Casalinorum generalis abbas edicitur. Tum vero pensionis annua conditione conciliatum sibi Richelium mitigare studuerunt Casalini. Sed cum prudentiores ex illis hoc pacto non satis disciplinæ cautum existimarent, literas ad cardinalem an. 1635 miserunt, quibus eum rogabant enixius, ut sanctitatis opinione florescentibus congregationis S. Mauri patribus eorum monasteria sociarentur; quod unum videbatur rebus inclinatis remedium. Et quidem ex Sagiensibus viginti & unus supplici libello syngrapham addiderunt. Nitentibus in contrarium aliis, reipsa tot inter motus animorum haud leve dispendium tulit religio, sicque contigit ut cum a regio latere venissent legati disciplinæ statum indagaturi, congregationis S. Mauri patres quantocius inducendos statuerunt, qui ejusdem anni 1635 die 13 Julii præeunte Columbano *Regnier* visitatore cum Andrea *Betolaud* futuro abbate, necnon aliis numero viginti perhumaniter excepti a Casalinis sedecim Sagiique primariis civibus, monasterii possessionem adierunt.

Firmata pace, cum Casalinorum parte qui domi remanserant, amicitia diu stare non potuit, tametsi stipendiis eorum portio non levis accessisset. At ubi vincente patrum modestia, gravibus illi sesemet exterosque petierunt injuriis, Rotomagensis senatus edicto coerciti, vel sero quiescere didicerunt. Itaque rebus ex voto serenatis, patres nuperis etiam defuncti periculis, sanctiori disciplinæ rebusque divinis ac comparandæ scientiæ toti addicuntur.

ABBATES.

I. ROTBERTUS I. Exstincta penitus, aut densissimis involuta tenebris prisci monasterii notitia, ab instauratione ducenda series est abbatum, quibus præluxit Theodericus Uticensium pater, qui monasticum gregem Sagium invexit, eique Rotbertum præfecit abbatem. Fuit is Drogonis abbatis Ulterioris portus germanus, ex Uticensium cœtu Troarnum missus ut sanctæ regulæ normam verbis doceret & exemplis. Creatus Sagiensium abbas Rogerium conditorem ambasque illius uxores Mabiliam tum Adelaidem adeo sibi devinxit, nihil ut illo inconsulto tantisper arduum aggrederentur. Grassantes in monasterii prædia Sorengianos milites, Ivonis pontificis & Hugonis de Grentemenisilio viribus repressit ac dissipavit. Mabiliam comitissam vicinorum quibus infestior erat, scelere necatam, nec multo post Ivonem Mabiliæ patruum rebus humanis exemtum luxit, eisque debito honore parentavit. Milites aliquot magni nominis adscivit in monachos, a quibus auctam rem domesticam persensit. Adelaidem Eberardi de Puteolo filiam, quæ Rogerio conditori post exstinctam Mabiliam nupserat, ad pietatis adduxit officia, cujus ope multa tum in basilicæ decorem, tum in fratrum vestes subsidia recepit publicis a se literis in calendario consignata. Sacro solenni in die festo sancti Audoëni præsens fuit anno 1073; tum sequenti Belismum contendit, atque ibidem festum S. Leonardi *de Vandeure* celebravit cum Mainerio abbate Uticensi & Emma abbatissa Almaniscarum. Pias ibidem Rogerii comitis & Guillelmi *Pantol* donationes in Belismensium, Uticensium, Troarnensium, Almaniscensium, Cadomensium & Cluniacensium favorem calculo suo comprobavit. Partem ecclesiæ de Valle-Framberti anno 1078 emit. Provinciali

Provinciali synodo apud Juliobonam habitæ subscripsit anno 1080. Duos in ecclesia de Lineriis constituit monachos an. 1084. Huic data anno 1085 ecclesia de Rupepetrosa. Cum Mainerio sancti Ebrulfi & Juhello S. Petri de Cultura abbatibus electus est arbiter an. 1086 a Roberto comite Pertici in lite de prioratu de Domna Maria inter Guntardum Gemeticensem & Fulconem Miciacensem abbates. Guillelmi regis funus anno 1087 in Cadomensi sancti Stephani basilica est prosecutus. Willelmus de Clareio infirmitate nimia pressus, ad Robertum legatum direxit anno 1088, ut sibi monachus ad consolandum daretur obnixe precatus, huicque decimas terrarum suarum concessit. Cum Rogerius maximis clarus meritis factus esset in Anglia Scrobesburiensis comes, ibique S. Petri nobile monasterium exstruere pararet, Sagienses ab Roberto monachos Raynaldum & Rodonem impetravit anno 1083, ex Orderico, *qui primitus illuc convenerunt & monachiles officinas Oderkrio patre Orderici & Guarino aliisque multis adjuvantibus condere cœperunt.* Fulcheredum pariter e suis futurum abbatem Rogerio concessit, uti Troarnensibus Durandi abbatis morte perculsis Arnulfum Sagii priorem 1088 concesserat. Denique secundum Ordericum anno ab Incarnatione Domini 1089 indict. XII, Rotbertus vir bonus & simplex in lectum cecidit & perceptis Dominicis sacramentis XVIII cal. Februarii de seculo migravit. Sepultus est in capitulo.

II. Radulfus I filius erat Seifridi *d'Escures* ex prima ejus uxore Rasscende, & germanus Seifridi filii Seifridi & Guimordis, ex monacho Sagiensi abbatis *de Glocestre* & episcopi *de Chichester.* Factus & ipse apud Sagium monachus anno 1079, priorem agebat, cum anno 1089 electus est abbas ab episcopis, monachis, principibus & populo totius provinciæ, cujus electi in gratiam Rogerius conditor multa contulit ordinavitque monasterio proficua. Radulfus itaque, inquit Ordericus pag. 678, *literis admodum fuit imbutus, eloquens & jucundus, ideoque amabilis in omnibus, in juventute de illustri familia monachilem ad conversationem venit & decem annis in monasterio per diversorum gradus officiorum humiliter ministravit. Undecimo tandem anno abbatiæ curam jubente & consecrante Girardo Sagiensi præsule suscepit, & 16 annis inter sævos bellorum turbines, strenue rexit, Deique fretus auxilio pro temporis opportunitate res ecclesiæ diligenter auxit.* Transegit anno 1089 de ecclesia S. Petri de Castello. Eodem Robertus *Oyzoune* dedit Radulfo ecclesiam *de Courtomer.* Testis fuit anno eodem 20 Sept. in charta Gundulfi Roffensis episcopi monachos in ecclesia Roffensi instituentis. Biennio post Helias comes Cenomannensis an. principatus sui 1, Sagiensibus dedit immunitatem omnium tributorum per totam Cenomanniam. Adfuit an. 1091 reconciliationi Girardi episcopi Sagiensis cum monachis Majoris monasterii. Eodem cum Fulcone S. Petri supra Divam & Arnulfo Troarnensi abbatibus interfuit A electioni Rogerii de Sappo abbatis S. Ebrulfi in locum Serlonis electi Sagiensis episcopi. Anno 1092 cum Rogerio Uticensi abbate S. Nicolai reliquias in ecclesia sancti Petri apud Noromum suscepit. Cum sancti Serenici castrum Robertus Belismensis comes spoliaret an. 1094, Sagienses monachi brachium sancti Serenici de ecclesia tulerunt, & in S. Martini cœnobium reverenter transtulerunt, ex Orderico. Eodem anno Rogerio conditori apud Scrobesburiam monasticis induto vestibus, nec multo post vita functo solenni ritu parentavit Radulfus, cui Rogerius comes Pictaviensis donavit anno eodem ecclesiam *de* B *Lancastre*, & Morinus de Merleio ecclesias de Appanaio & de Lurreio. Anno 1097 cum Serlone episcopo Sagiensi convenit de vivariis & aqua fluvii Olnæ coram Roberto de Belismo, Arnulfo abbate Troarnensi, Hugoneque canonico Sagiensi filio Seifredi patris ipsius Radulfi. De suorum salute sollicitus literas dedit ad Anselmum Cantuariensem archiepiscopum, a quo responsa tulit amoris & honorificentiæ plenissima. Anno 1098 in capitulo S. Martini præsentibus Serlone episcopo & Radulfo abbate, Arnulfus quartus filius Rogerii de Monte-gomerici pro animabus sua, patris sui & fratris Hugonis co- C mitis, qui eodem anno occisus fuerat, monachis S. Martini apud *Pembroch* in Wallia ecclesiam sancti Nicolai ibidem sitam & 20 carrucatas terræ cum omnibus quæ homines sui huic ecclesiæ daturi erant dedit, tantumque daturum se promisit quantum ad paranda fratribus calceamenta sufficeret. Anno 1099 jubente rege Radulfus electum Uticensem Lexovium perduxit, ejusque electionem vice monachilis conventus dictavit, inquit Ordericus pag. 776. Adstitit non multo post dedicationi ecclesiæ Uticensis. Præsens fuit concioni qua Fulcheredus ex monacho Sagiensi Scrobesburiensis abbas in festo D sancti Petri anno 1100 proximum Guillelmo regi fatum prædixit, qua de re Serlo quoque pontifex assentiente Radulfo Guillelmum præmonuerat. Henrico paulo post fraternum solium vindicanti Scrobesburienses, ex Willelmo Malmesburiensi, *per Radulfum tum abbatem Sagii.... misere castelli claves deditionis præsentis indices, futuræ devotionis obsides.* Convenit Radulfus an. 1101 cum heredibus eorum qui decimam de Merreio dederant. Donata anno eodem Sagiensibus ecclesia S. Leodegarii. Interim vero Robertus Belismi comes paternæ caritatis oblitus, Sagienses gravissimis cladibus infestavit & Ra- E dulfum, inquit Ordericus, abbatem jucundum & facetum, amabilemque virum plurimis modis contristavit, hominesque sancti præsulis Martini indebitis exactionibus oppressit, & ipsum per immeritam subjectorum afflictionem fugavit: sic præsul Serlo & abbas tyranni jugo fatigati in Angliam fugerunt, & a rege Henrico refrigerandi benigniter suscepti sunt circa an. 1103. Dum esset in Anglia, S. Cuthberti Dunelmensis episcopi sepulcrum coram apertum est, cujus ossibus contrectandis cum admovere manum

Monast. Anglic. tom. 1. pag. 568.

Ibid. pag. 569.

nullus auderet, referente Willelmo Malmesburiensi, tractavit illud corpus ausu felici Radulfus tunc Sagii abbas & propalam illibatum protulit an. 1105. Post annos tres Gundulfi Roffensis episcopi locum excepit, ac tandem in Anselmi Cantuariorum archipræsulis sedem est subrogatus. Romam ad Paschalem papam properanti nuncius occurrit eum de morte pontificis faciens certiorem. Rotomagum itaque reversus in frequenti synodo pacem inter Henricum regem ac populos firmavit. Paulo post adversa valetudine conflictatus ægre transfretavit in Angliam, ubi doloribus & ærumnis excoctus anno 1122 mortalitatem exuit. Interea anno 1105 mense Oct. in festivitate S. Romani archiepiscopi Rotomagensis Normannus de Nealfa heres Girardi de Chenaio confirmavit ea quæ Girardus monachis S. Martini vendiderat coram Roberto de Belismo in conventu apud Beitrum, ubi Arnulfus abbas Troarni & monachi Sagienses adstitere: unde quis fortasse inferat Arnulfum Troarnensem abbatem abbatiæ Sagiensis curam suscepisse a recessu Radulfi, & certe ante annum 1110 Radulfo datus non est successor.

III. Hugo I *d'Achei*, quem anno 1110 electum probat charta, partem in ecclesia sancti Audoëni hoc anno emit, reliquas emerunt monachi anno 1171. Factam cum presbytero de Merreio compositionem approbavit an. 1113.

IV. Gislebertus Frideburgis filius, subscripsit chartæ fundationis Readingensis cœnobii in agro Berroensi an. 1125. Guarini Uticensium abbatis funus exsecutus est anno 1137. Religionem ejus probat Michaëlis Tirasconensis episcopi charta, qua Sagiensibus monachis concedit ecclesiam S. Crucis extra muros Tutelanæ civitatis. Hanc Adrianus IV papa approbavit donationem anno 1159. De Gisleberto sic habet vetus martyrologium: *II nonas Augusti obiit domnus Gislebertus abbas quartus hujus cœnobii.*

5 Successoris ignotum nomen, nisi sit alter Gilbertus memoratus in Monastico Anglicano tom. II, p. 950, & apud Robertum de Monte.

V. Johannes I de Valle filius erat Richerii. Huic & monachis decimas de Lonreio & de Damigneio confirmavit coram Guillelmo *de Ponthieu* in castro Alenconii Guarinus de Lonreio, quas dederat anno 1147. Huic quoque Guillelmus Pontivi comes confirmavit donationem ecclesiæ sancti Nicolai de Rocha, in qua prius erant canonici regulares de Persenia anno 1151, ea lege ut conventus monachorum Sagiensium ibidem institueretur, confirmantibus Johanne filio Guillelmi & Willelmo Cenomannensi episcopo, qui Johanni abbati confirmavit patronatum sancti Germani de Bernis. Obtinuit an. 1163 a Frogerio episcopo confirmationem omnium quotquot in diœcesi tenebant Sagienses monachi. Anno 1164 Eraldo abbati de Persenia concessit id quod ad S. Martinum pertinebat apud Clarum fontem de Cotinellis sub annuo censu duarum librarum incensi in festo sancti Martini persolvendo. Terram *de Serranz*
A in emphyteusim dedit anno 1167. Epistola rogavit abbatem Gemeticensem ut quemdam monachum suum in ipsius monasterium ad tempus admitteret. Variis præpeditus negotiis excusavit se Girardo episcopo quod instanti synodo adesse non valeret. *III calend. Julii obiit piæ memoriæ Johannes abbas VI hujus cœnobii.* Ita vetus martyrologium.

VI. Henricus *de Bracqueville* ex priore Troarni S. Martini factus abbas, querelam habuit cum Hugone curato *de Serranz* super duabus procurationibus, quas abbas annuatim exigebat, & ad unam redegerunt Guillelmus episcopus Con-
B stantiensis & R. cantor a sede apostolica delegati anno 1185. Robertus *de Moire* an. 1188 patronatum ecclesiæ *de Vissennas* Henrico concessit, & Lisiardus episcopus confirmavit, qui sacristiæ monasterii univit ecclesiam de Platea. Memoratur Henricus in charta ejusdem episcopi donationes Roberti comitis Alenconii confirmantis an. 1191. Emit an. 1193 medietatem molendini de Valle. Anno 1200 anathemate percussit omnes monachos qui mutuum a Judæis acciperent. Societatem iniit anno eodem cum Vincentio abbate S. Vincentii Cenomannensis. Emit decimam de Cusseio anno 1202, quam
C ecclesiæ pro anniversario suo dedit. Controversiam habuit cum Gisleberto *de Prulay* pro prioratu *de Brieels*, quæ composita est anno 1207 a Silvestro Sagiensi episcopo, R. abbate Gosferni & Roberto Alenconii comite. Transegit an. 1208 cum abbate S. Vincentii in nemore. Reperitur adhuc annis 1209 & 1210, quo ultimo composuit de decimis de Cubeio cum Roberto *du Mesnil.*

VII. Hugo II ab Hugone sacerdote dicto Vetus auris, emit quidquid in parochia sancti Audoëni possidebat anno 1210. Bullam ab Innocentio III obtinuisse dicitur.

D VIII. Guillelmus I *de la Rochemabile* jam sedebat an. 1212. Querelam habuit cum Hugone *Maldeis* detentore decimæ de Canaio, quos conciliavit Johannes prior Sagiensis a papa delegatus. Hujus precibus Silvester episcopus S. Martino dedit ecclesiam B. Mariæ *de Aunou.* Guillelmo data anno 1218 decima *de la Cornilliere* in parochia S. Petri *de Fougeres.* Societatem iniit cum abbate S. Ebrulfi anno 1219. Decem marchas argenti conventui legavit, & obiit an. 1220 feria VI ante festum S. Benedicti.

IX. Guillelmus II Faber, quam an. 1209 prior existens excommunicationem vibrarat in
E eos qui monasterium pensionibus gravarent, hanc abbas innovavit anno 1220, comprehensis iis qui aliquid extra monasterium commodarent, involvensque an. 1224 eos qui prioratus clerico vel laïco ad longum terminum vel ad vitam darent. Robertum *Mallet* militem dominum de Gueravilla, qui Alenconiensis comitivæ fructibus aliquot gaudebat, præsente S. Ludovico Francorum rege sibi suisque conciliavit anno 1233. Nonnulla quoque conventui legavit. Obiit idibus Augusti.

X. Robertus II, qui creditur nepos Gisleberti abbatis, Guillelmo succedit in indicibus, benedictus ab episcopo Sagiensi anno 1235, qui regem cum monachis rogavit ut ei regalia concederet.

XI. Stephanus I *Ruellan*, vel *Rualent*, filius Emmelinæ, obiit XIV calendas Martii.

XII. Thomas I *le Metayer* tertiam partem redituum Sevilliaci in annuam precem deputari
C. XVI. curavit. Innocentius IV bulla data anno 1248
170. bona S. Martini recensuit & confirmavit.

XIII. Johannes II *Sainctier* 30 missas 30 diebus continuis celebrandas statuit in defuncti cujuslibet monachi gratiam & refrigerium anno 1250. Insequenti priorem de Lancastria suum in Anglia procuratorem creat. Henricum III Anglorum regem literis rogavit ut vacanti per obitum Henrici prioratui de Lancastria commonachum suum substitueret. Occurrit mense Jan. 1255 in regesto visitationum Odonis archiepiscopi Rotomagensis. Anno 1257 mense Aug. monachis S. Martini pauperie multum attritis concessit decem marchas argenti annuatim percipiendas in bonis quæ in Anglia adquisierat. Obitus ejus notatur VII calendas Augusti.

XIV. Petrus I *de Mortagne* S. Ludovicum excepit domi sericumque tapetem auro contextum ab eo percepit.

XV. Radulfus II quædam assignavit pauperibus elargienda, cum annuæ pro defunctis preces exsolverentur.

XVI. Johannes III *Loisel* in annuam precem nonnulla contulit.

¶ Quibus annis sederent tres illi abbates ignoratur, sicut cujus e tribus monachi S. Martini eligendi a rege facultatem petunt juxta morem & consuetudinem regni anno 1268, ex chartis Thesauri.

XVII. Thomas II omissus in indicibus, idem forte ac prior Thomas, extra locum positus, præsentavit ad curam S. Leodegarii an. 1316.

XVIII. Nigellus de Riparia præerat anno 1332, cum in commemoratione omnium defunctorum statas pauperibus eleemosynas distribui curavit. Ad parochiam S. Petri Sagiensis præsentavit anno 1335 V idus Junii, notatus in veteri martyrologio, ubi solenne anniversarium instituisse legitur.

XIX. Stephanus II *Padoc* filius Aalidis obiit 4 Januarii.

XX. Robertus III *Sarot*, post cujus mortem a Petro Alenconiorum comite monachi licentiam creandi abbatis impetrarunt. Carolus dux Normanniæ monachis Sagiensibus concessit mense Januario 1359 ut ob deperditas bellis præteritis chartas quadragenaria possessio deinceps valeret.

XXI. Michaël I, cujus acta referuntur annis 1360 & 1361, hoc ultimo occurrit in sententia Johannis Alenconii archiepiscopi Rotomagensis pro gratuita appositione sigilli episcopalis in literis pro monachis. Obiit Urbani V anno quinto, quo ei successit

XXII. Petrus II *Martin*. Ex priore beatæ Mariæ de Lancastria factus est abbas ab Urbano V anno 1366, quo idem pontifex prioratum alteri contulit VI cal. Decemb. anno quinto.

XXIII. Johannes IV omissus in indicibus, priori, subpriori & cantori quatuor libras annui redditus concessit 21 Aprilis 1378, ut singulis hebdomadis tres missas facerent. Fructus eremi *de Chaumont* prioratumque *de Coulonges* & *de Gast* a se nuper recuperatorum cessit an. 1388 monachis pro missis, quas Robertus comes Alenconii, Gregorius *Langlois* episcopus Sagiensis, Guillelmus *de Chamborant* & Jacobus *le Gris* exegerant pro eleemosynis, quas ad relevandam nuper radicitus subversam ecclesiam fecerant. Primus se Dei & apostolicæ sedis gratia abbatem nuncupavit, idemque forte est ac Johannes *Loisel*.

XXIV. Guillelmus III pepigit pro missis an. 1395.

XXV. Andreas I *le Brement* consiliarii munere functus est in multis Alenconiæ comitivæ conventibus, quos scacaria dicebant. Precum ac suffragiorum societatem iniit cum Lonlayensibus anno 1401. Reperitur annis 1402, 1409, 1410. Societatem iniit cum canonicis sancti Martini Turonensis anno 1411. Temporalia abbatiæ bona concessa ei sunt ab Henrico V Angliæ rege annis regni quinto & sexto, qui anno quinto largitus est ei salvum conductum ad veniendum in Angliam. Prioratum *de Courtomer* ea lege conventui cessit anno 1419, ut quotannis pro eo anniversarium fieret. Defunctus est IV calendas Januarii.

XXVI. Gaufridus I *de Beaumanoir* ex priore de Gasto factus abbas, ab Henrico V permissus est Romam petere 20 Januarii 1420, ut a summo pontifice confirmaretur, a quo eodem anno monitorium adversus spoliatores monasterii impetravit : sed confirmatus statim non fuisse videtur, itaque Henricus rex officiariis suis mandavit, ne molestarent abbatem Sagiensem qui solitum non præstiterat fidei sacramentum, anno regni octavo. Anno 1431 bellicis cladibus fœdatam pollutamque basilicam a Rogerio Solubriensi episcopo purgari, necnon altaria benedici curavit Gaufridus, qui an. 1433 ab Eugenio IV bullis tandem donatus est VI calend. April. pontificatus anno 3, licet provisio monasterii dispositioni apostolicæ reservata existeret. Regi fidem juravit 8 Martii 1435. Johannem *le Goux* priorem Lancastriæ in Anglia nominavit an. 1439. Occurrit adhuc 23 Januarii 1443 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Defunctus est VIII calend. Martii.

XXVII. Guillelmus IV *le Cordier*, seu *le Cordoënier*, ex abbate Silliaci transfertur ab Eugenio IV ad S. Martinum an. 1444. Transegit anno 16 ejusdem pontificis cum J. episcopo Sagiensi pro certa Saluciorum auri summa. Johanni Alenconii duci a consiliis ipsi hominium præstat anno 1451. Vixit in annum 1454, notatus in necrologio XVII calendas Julii.

XXVIII. Guillelmus V *l'Arguengier* monachus S. Petri Carnotensis & prior de Bruerolis,

fit abbas S. Martini 1455, statimque prioratum dimisit in manibus Johannis abbatis S. Petri. Guillelmi gratia Guillelmus *de Bonvoust* armiger dominus de Alneto monachis S. Martini confirmavit quidquid prius donaverant toparchæ de Alneto. Guillelmus regi Carolo duci Alenconii fidem juravit apud Turones an. 1460 16 Junii. Mortuus est IV calendas Julii.

XXIX. Petrus III *de l'Heur* Johanni Alenconiorum duci præ cæteris acceptus, consiliorum ejus fuit præses. R. episcopo præsentavit ad ecclesias annis 1464, 1465 & 1478. Bullam a Sixto IV obtinuit, qua officiali Sagiensi mandat summus pontifex, ut ablata sancti Martini bona restituenda curet anno 1472 pridie nonas Julii pontificatus anno I. Regi a consiliis apud Oximum juravit fidem an. 1474. Claustrum perfecit anno 1479, eodemque benedictioni Johannis *Jouquin* abbatis de Falesia interfuit.

XXX. Robertus IV *d'Alençon* memoratur anno 1486.

XXXI. Ludovicus *Contet* Egidio *de Laval* episcopo præsentat anno 1486 ad parochiam *de Mesnilberoult*, & 1488 ad ecclesiam de Congeio. Profitetur anno 1491 tenere se feodum a domino *de la Rochemabile*.

XXXII. Carolus *du Bec* commendatarius, vicarium instituit anno 1492. Præsentat ad ecclesias annis 1494, 1497 & 1500. Attamen Petrus *de l'Heur* legitur an. 1499 ad ecclesiam sancti Leodegarii præsentasse, eodemque abbatia vacasse in literis conventus pro prioratu de Curte-omeri, forte quia disceptabant æmuli, quorum unus erat

XXXIII. Adrianus *de Framezelles* abbas S. Vulmari Boloniensis, jam abbas S. Martini anno 1500, vicarium habuit doctorem secularem, qui Claudio electo Sagiensi præsentavit ad curam Capellæ juxta Sagium anno 1503, ipse vero eidem Claudio episcopo ad curam sancti Nicolai de nemore an. 1504. Interim conventus præsentat ad ecclesias an. 1503 propter contendentium diffidium. Cessit autem Adrianus, forte in gratiam sequentis, nam

XXXIV. Johannes V *du Mellanger* prior erat *du Brieux* anno 1498, quo tempore Egidium *de Laval* visitantem recusavit, unde lis in scacario Alenconii. Factus abbas per cessionem alicujus contendentis, præsentavit ad ecclesias anno 1504; at reprobatus est & a summo pontifice & ab episcopo Sagiensi.

XXXV. Philippus I *de la Croix* a vicario Claudii Sagiensis electi abbatia sancti Martini donatus est anno 1504, vacante per cessionem Adriani *de Framezelles* abbatis sancti Vulmari, nuper abbatis commendatarii, & inhabilitatem ac intrusionem Johannis *du Mellanger*. Biennio post Julius II pontificatus anno 3 abbati sancti Andreæ in *Goffer* mandavit, ut monasterio S. Martini vacanti per obitum Caroli *du Bec* ejus commendatarii, quod a Johanne *du Mellanger* ibidem monacho post longam vacationem, ob quam ejus dispositio ad sedem apostolicam jure

A pertinebat fuerat invasum, ipso se gerente pro abbate, præficiat auctoritate apostolica Philippum *de la Croix* ejusdem loci monachum. Attamen uterque, Johannes abbas de Brolio Herboldi & Philippus prior de Rocha-mabilia jure suo cessit in manibus summi pontificis anno 1506, qui Philippo assignavit per totam vitam 24 ducatos auri de camera super fructibus abbatiæ, donec beneficio sive seculari sive regulari canonice a cardinali de Luxemburgo foret donatus.

XXXVI. Philippus II *de Luxembourg* Cenomannensis episcopus & S. R. E. cardinalis, a Julio II factus est commendatarius cessione
B utriusque contendentis an. 1506. Fidem juravit anno eodem Margaritæ relictæ ducis Andegavensis. De consensu summi pontificis inductis octo an. 1511 3 Martii reformationis Casalinæ monachis, abbatis nomen ac dignitatem exuit an. 1513, retenta de beneplacito summi pontificis potestate tenendi beneficia & conferendi, superstes in annum 1519. Nescio tamen quis sit ille Johannes *Channart*, quem jussu Leonis X benedixit an. 1513 abbatem S. Martini.

XXXVII. Johannes VI *des Bans* monachus S. Vincentii Cenomannensis cessione Philippi cardinalis fit abbas in triennium, ejusque in
C manibus summo pontifici fidei sacramentum præstitit in abbatia sancti Vincentii Cenomannensis die Dominica *Lætare* 26 Martii 1513. Carolo duci Alenconii fidem juravit anno 1514. Scacarii Rotomagensis statuto decretum est anno 1517, ut monachi S. Martini reformarentur. Anno eodem Johannes ad reformandas Almaniscarum moniales a sede apostolica delegatus est. A Carolo III Alenconii duce anno eodem obtinuit ut cum ipse, tum successores in Alenconii ducatus scacariis seu conventibus publicis primi ducum lateri sinistro consiliarii assiderent. Ab eodem duce firmata monasterii bona juraque
D persensit anno 1518 Johannes, qui fit abbas S. Vincentii Cenomannensis an. 1522.

XXXVIII. Johannes VII de Monte-majori abbas anno 1519 Philippo cardinali defuncto parentavit. Literas a Leone X Casalinorum in gratiam excepit, & ad abbatiam Cenomannensem regressus est. Obiit x calendas Maii.

XXXIX. Ivo *Morisson* ex abbate Cenomannensi fit Sagiensis anno 1522. Carolo duci Alenconiorum celebres paravit exsequias anno 1524. Obiit pridie nonas Maii.

XL. Johannes VIII *Gombault* sedebat annis 1528-1530.

E XLI. Johannes *des Bans* ex abbate Cenomannensi Sagiensis, cujus instinctu Johannes Castoriensis episcopus anno 1530 majus altare loco dimotum & alia quinque denuo sacravit monasteriique reliquas ædes nova benedictione purgavit. Tunc quoque firmatum 6 Martii 1533 cum Cartusianis Vallis Dei fœdus. Obiit XVIII calendas Maii.

XLII. Nicolaus I *Pinet* abbas 1535 gravissima tulit a Bellaio cardinale præsuleque Cenomannensium incommoda, quod is immutato

regis animo commendam invadere tentaret. Fuit quoque abbas Cenomannensis.

XLIII. Bremundus de Ponte 1541 cardinalis Bellaii conatus fregit omnes & cum rege fœdus iniit, cui Romanus pontifex assensum præbuit. Obiit pridie calendas Januarii.

XLIV. Nicolaus *Pinet* iterum 1548, sex mensibus præfuit, mortuus XIII calend. Maii.

XLV. Laurentius *Gauvain* 1549, sedit novem mensibus. Notatur 2 Januarii in necrologio Gemeticensi.

XLVI. Rogerius *Gallois* 1550, sedit 5 annis & 7 mensibus. Abbatiam invadere tentavit, at dejectus an. 1556, sese ad prioratum S. Pauli, cujus erat prior, recepit, unde expulsus est an. 1571.

XLVII. Dionysius *du Bois* 1556, graves ab hæreticis sævire incipientibus procellas, alias ob temporum injuriam & aëris inclementiam patienter tulit circa annum 1563, quo tempore Gaspardus *de Coligny* Calvinistarum dux monasterium invasit, cujus gazas abduxit omnes.

XLVIII. Stephanus II *du Crozet*, qui a capitulo generali designatus fuerat anno 1555 ut concilio Tridentino nomine Casalinæ congregationis interesset, S. Martinum abbas administravit post Dionysium.

XLIX. Johannes IX *du Pont* gravissima pertulit anno 1568 a Gabriële Lorgio de Montegomerici Calvinistarum duce, qui licet monasterii conditoris nomen usurparet, illud tamen incendio deformavit. Fugato Lorgio, instaurando cœnobio manum admovit Johannes, jamque Francisci ducis adnisu crescebat opus, cum principem adiens abbas celeri fato conficitur anno 1570 calendis Novembris.

L. Nicolaus II *Bourdes*, quo abbate commendam tenuit eques Encolismensis, major Franciæ prior, Henrici II regis nothus: at non multo post reddita pax a Carolo IX 12 Junii 1571; nec diu sedit Nicolaus.

LI. Gaufridus II *le Gras* monachus sancti Vincentii Cenomannensis non ante monasterii possessionem adiit, quam regis edicto secularium dignitatem illam aucupantium frangerentur impetus. Majorem turrim restituit. Anno 1571 Gaufridum abbatem Franciscus dux Alenconium accivit, ut in scacario sacris operaretur, ibique constitutum ad latus principis locum teneret. Obiit XII calendas Februarii 1587.

LII. Nicolaus *Bourdes* iisdem juribus jubente Francisco potitus est annis 1573, 1574, 1576 & 1578, & post biennium altaria quæ pridem everterant hæretici per Sagiensem episcopum denuo sacrari curavit. Basilicæ chorum & latera fornicibus ornavit, tametsi bellicis cladibus res haud parum accisæ fuerant. Obiit IV calendas Augusti.

LIII. Michaël II *Iodio* monachus Casalis Benedicti, abbas sancti Martini 1580. Basilicæ decorem addidit, chori stalla, majus altare, picturas, horologium aliaque renovavit. Anno 1583 in ultimo Francisci ducis scacario consiliarii

A solitum munus obivit, tum cœnobii bona juraque, ne chartis ac documentis majorem partem igni traditis invaderentur ab hostibus, ab eodem duce recognosci firmarique studuit. Obiit idibus Julii.

LIV. Andreas II *le Moul* ex cellerario abbas Michaëli successit an. 1588. Tum post Henrici III regis mortem a Rentiaco barone Beuvronii toparchæ germano, cui commendam roganti Henricus IV necdum fidei redditus faverat, gravissimis affectus injuriis & ad necem quæsitus, furentium ardorem immoto animo retardavit, dum tandem a rege Sagiensium juris admonito

B in sede confirmatur 3 Januarii anno 1590. Regem quoque dum Hunefloti degeret, in Casalinorum reliquorum abbatum gratiam flexit. Rebus optimo loco constitutis & maximi factus ab omnibus, Rotomagensis senatus edicto, Turgoto conjunctus est senatori, quo violatas disciplinæ leges in Normanniæ cœnobia revocaret. Gemeticenses ubi rexit prudentissime, Conchas, mox Uticum, tum ad Severianos eadem ibi præstiturus commigravit, sociante Cosnardo, cui paria inerant ad religionis cultum animis inspirandum studia. Casalinorum quoque privilegiis cum apud Henricum regem sæpius, tum anno

C 1611 apud Mariam Ludovici XIII matrem egregie prospexit. His ex sententia gestis, ætate confectus anno 1616 vivere desiit, probis omnibus & maxime Turgoto senatori desideratus, qui veterem amicum elogio simul & epitaphio dignatus est impresso cupreæ laminæ & prope mortui sepulcrum columnæ affixo, his verbis:

D. O. M. S.

Religiosissimo viro Fr. Andreæ le Moul, *hujus monasterii dum viveret abbati vigilantissimo, modestissimo, vita functo Carolus* Turgot *regis in senatu Rotomagensi coss. collegæ amicissimo sibi revocandæ,*

D *curandæ ac restituendæ monasticæ disciplinæ a dicto senatu quondam dato, mærens bene merenti hoc monumentum posuit.*

Non animo mollis, non corpore, cetera durus,
Quid tum si falso nomine mollis eram!
Continui, abstinui supplex, humilisque vigilque,
Hoc mihi quod vitæ funeris elogium.

Obiit anno salutis M. DCXVI, XXIII *die Junii, ætatis suæ* LXXVI.

LV. Franciscus I *Barbe* 1592.

LVI. Petrus IV *Machabœuf* 1595.

E LVII. Marinus *Bachelot* 1597.

LVIII. Andreas *le Moul* iterum 1599.

LIX. Marinus *Bachelot* 1603, obiit XV calendas Januarii 1625.

LX. Franciscus II *Mulot* 1609.

LXI. Michaël III *Josset* 1612, defunctus XIII calendas Aprilis 1632.

LXII. Johannes X *Ragaigne* 1615.

LXIII. Franciscus *Mulot* iterum 1621, obiit pridie idus Aprilis 1628.

LXIV. Gabriël *Bordet* 1627.

LXV. Johannes *Ragaigne* 1630.

LXVI. Vincentius *Chesnaye* 1630.

LXVII. Antonius *Bonjan* 1630.

LXVIII. Nicolaus III *Daminois* monachus sancti Germani Parisiensis 1631.

LXIX. Andreas III *le Boucher* an. 1635 ultimus de Casalinis munere abbatis defunctus locum cessit anno sequenti 13 Apr. monachis congregationis sancti Mauri, quorum primus fuit abbas sancti Martini

LXX. Andreas IV *Betholaud* factus 13 Julii, unicum quo præfuit annum 1636 revocandis ad concordiam Casalinorum animis, stabiliendæ disciplinæ promovendisque rebus impendit.

LXXI. Faro *de Chalus* genere quidem nobilis, sed ob morum asperitatem Casalinis haud tolerabilis videbatur. Inde lites & jurgia, quæ tandem anno 1638 finem accepere.

LXXII. Felix *Pasquier* rexit ab anno 1639 ad 1642.

LXXIII. Michaël IV *Pirou* congregationis visitator, defuncto Richelio novas a Casalinis procellas tulit; sed intercedente summi pontificis ac reginæ nutu cesserunt edicto privati consilii 1 Julii 1645. His defunctus curis Michaël, ornandæ basilicæ studium impendit in annum 1648.

LXXIV. Benedictus *Cocquelin* 1648, multa denuo tulit a Casalinis, qui rebellium expulsione deterriti, quiete tandem egerunt anno 1651, sicque pace prorsus redintegrata, a monachis congregationis sancti Mauri abbatum nomine decoratis administratur monasterium sancti Martini Sagiensis.

S. PETRUS SUPRA DIVAM,

S. Pierre-sur-Dive. *seu* B. MARIA DE S. PETRO SUPRA DIVAM.

IN oppido S. Petri ad Divam amnem, sic dicto ob parœcialem ecclesiam sancto Petro nuncupatam, sex ab urbe Cadomo leucis positum est B. Mariæ cœnobium. Inibi Guillelmus Richardi I Normannorum ducis filius naturalis, a quo comitatum Oximensem adeptus est, sicut Augensem postea a Richardo II, in prædio suo ædem construere cœperat, cui operi dum insisterent artifices, mulier quædam prædixisse fertur non comiti, sed reginæ cœli beatæ Mariæ hoc ædificium parari. Quod revera contigit. Nam mortuo paulo post Guillelmo comite, Lescelina ejus conjux locum illum in cœnobium convertit, ubi primo sanctimoniales collocavit, quas cum a vicinis vexari intelligeret, Lexovium transtulit, earumque loco monachos substituit in cœnobio B. Mariæ. Hos e Fontanella primum advocat: sed cum Fontanellæ Divam subdere cogitat abbas repugnante comitissa Divensiumque libertati consulente, valere jubetur. Mox ad Isembardum Montis sanctissimæ Trinitatis abbatem comitissa preces dirigit, a quo Ainardum abbatem impetrat, cui cum possessionibus quas habebat

Chart. IV. col. 153.

A locum hunc tradens, adunatis monasticæ vitæ cultoribus eum pastorem præfecit: hæc anno 1046 contigere præsente Guillelmo Normannorum duce, cujus ac successorum dominationi comitissa locum per virgam pastoralem quam in manu ejus posuit, subjugavit. Lescelina vero postea quam omnia monasteriis quæ instituerat contulit, postea quam se cunctis facultatibus mundi pro Dei amore nudavit, cum jam eam Dominus vocare dignaretur, tacta incommodo, sacrum a filio suo D. Hugone Lexoviensi episcopo velamen accepit, atque anno 1057 VII cal. Februarii a laboribus suis beato fine quievit, B corpusque ejus in hac ecclesia quam fundavit honore condigno conditum est.

Monasterii religionem ac felicitatem corruperunt subsecuta bella Francos inter & Anglos iisque postea conjunctos Burgundiones, a quibus occupata vastataque sunt prædia. His ut mederetur malis, Georgius *Dunot* anno 1666 reformatos congregationis S. Mauri monachos illuc invexit, a quibus redditus sacris honos, beatæ Virginis cultus revocatus in memoriam, ædes majorem partem collapsæ & villarum reditus profligati pro modulo restituuntur. XIV maxime & XV seculis monasterium B. Mariæ de Spineto C nomine nuncupatum fuit, quo etiamnum designatur imago B. Mariæ in majori sacello pone chorum.

ABBATES.

I. AINARDUS natione Teuto, horum ducit agmen, *vir*, inquit Ordericus, *sanctitate & literarum scientia præditus. Is in juventute studio religionis fragrans, venerabilem Isembertum abbatem expetiit ejusque disciplinis se gratanter pro amore Dei submisit, & in cœnobio S. Trinitatis, quod Goscelinus de Archis in monte Rotomagi ad orientalem plagam construxerat, monachatum suscepit.* D *Inde nutu divino ab ecclesiæ rectoribus an. 1046 pertractus est, ac super candelabrum ut luceret omnibus qui in domo sunt positus est. Ordinatus autem Divensis abbatiæ curam suscepit, annisque XXXI bene vivens & docens utiliter tenuit.* Lescelinæ conditricis funus curavit anno 1058. Dedicationi basilicæ sanctæ Mariæ supra Divam adfuit calendis Maii 1067, quam Guillelmus rex præceperat. Rogerii Belismensis comitis donationes Uticensi monasterio factas subscriptione munivit sua an. 1074. *Rebus præclare gestis,* ex Orderico, *in lectum decidit, & completis in eo quæ servum Dei competunt, XIX cal. Febr. anni 1078 obiit.* E Hunc Ordericus Gerberto Fontanellensium & Durando Troarnensium abbatibus comparat his verbis: *Quasi tres stellæ radiantes in firmamento cæli, sic isti tres archimandritæ multis modis rutilabant in arce Adonai, religione & caritate multiplicique peritia pollebant, studioque divinæ laudationis in templo Dei jugiter inhiabant.* Editos ab illis in Dei sanctorumque laudes hymnos Ordericus prosequitur, Ainardumque laudat *gemina scientia pleniter imbutum, versificandi & modulandi cantusque suaves edendi peritissimum. Hoc evidenter probari potest in*

historiis Kiliani Wirtziburgensis episcopi, & Catharinæ virginis aliisque plurimis cantibus, quos eleganter idem edidit in laudem creatoris. Venerabilis Durandus Troarnensis abbas, corpus ejus in basilica S. Mariæ sepelivit, & memorabile carmen quod super laminam mausolæi ejus sculperetur edidit, in quo mores & virtutes præfati archimandritæ & charismata quæ divinitus inserta illi fuerant, luculenter patefecit.

Hic jacet Ainardus redolens ut pistica nardus,
Virtutum multis floribus & meritis;
A quo fundatus locus est hic, ædificatus
Ingenti studio, nec modico precio.
Vir fuit hic magnus, probitate suavis ut agnus,
Vita conspicuus, dogmate præcipuus,
Sobrius & castus, prudens, simplex & honestus,
Pollens consilio, clarus in officio.
Mentis huic gravitas erat, & maturior ætas
Canaque cæsaries, sed tenuis facies.
Quem nonas decimas Februo promente calendas
Abstulit ultima sors, & rapuit cita mors.
Pro quo, qui transis, supplex orare memor sis,
Ut sit ei saties alma Dei facies.

II. Fulco, pergit Ordericus, *præpositus Uticensis ecclesiæ, qui postea Divensis abbas factus est, a Guillelmo notho rege Anglorum ad Bertam comitissam pro privatis causis in Brigiam missus est. Consecratus in abbatem a Roberto Salariensi episcopo, præfatam domum pluribus annis magnifice secundum opportunitatem temporis provexit. Quatuor prædictus heros secum duxit Uticenses monachos, Bernardum cognomento Matthæum cognatum suum & Richardum, Guillelmum de Monasterio & Turchetillum promtos & utiles librarios, & in divino cultu peritissimos. Hi nimirum pacifici adjutores ei fuerunt, & primi ad jugum Domini ferendum nocte dieque humeros suos avide supposuerunt.* Anno 1080 Fulco Juliobonensi synodo præsens fuit, uti & anno 1082 Oxellensi & 1087 funeri Guillelmi regis. Serlonem Uticensem abbatem ad episcopales Sagiorum infulas raptum anno 1091 juvit, & Uticensibus Rogerium creantibus abbatem præsens adfuit. Ipsum Anselmus Becci abbas datis literis rogavit ut mitius ageret cum Benedicto fugitivo monacho postulante misericordiam & judicium : qua feliciter promissa, hortatur monachum Anselmus, ut quantocius ad monasterium repedaret. Fulconi plures adversarios concitasse videtur severior agendi modus. Hinc postquam *Divense monasterium 20 annis rigide rexit, sollertiaque sua numerum fratrum auxit, multisque modis ecclesiam provexit, invidente & instigante sathana, injuste criminatus & depositus septem annis exsulavit.* Non tamen animum dejecit, sed anno 1092 *Urbanum papam adierat, & apud Cassinum Montem exsulabat*, cum

III. Benedictus Rotomagensis monasterii S. Audoëni monachus, atque etiam prior, ex Mabillonio, ei consentiente rege subrogatus est. Defuncto illo,

IV. Etardus, aliis Gauterius seu Gualterius, Gemeticensis hortulanus, ab infantia monachus,

A Divensibus a Guillelmo rege datus abbas *per aliquot annos gregem Dei diligenter servavit. Fulconi vero revertenti cum apicibus papæ cœnobialem magistratum gratanter reliquit, ac ad conversionis suæ locum reversus, in decrepita ætate hominem exuit.* Hæc Ordericus, cui potius in hujus abbatis nomine, quem vocat Etardum, quam domesticis schedis, ubi Gauterius dicitur, fidendum videtur.

Fulco dein reversus, *abbatiam suam iterum septem annis prospere gubernavit* (quinque duntaxat annos præferunt schedæ Divenses) *& senex in Anglia III nonas Aprilis Guentæ*, seu Vintoniæ anno circiter 1106 *obiit....* Accepta Fulconis
B morte,

V. Rotbertus I Dionysiani cœnobii monachus, *miserabilis*, inquit Ordericus, *homuncio, datis duci Roberto 140 marcis argenti, ejus in loco intrusus est*, per menses circiter tres, *non pastor, sed dispersor factus gregis.* Simoniacum deserentibus monachis, *in cœnobio castellum construxit, familiamque militum aggregavit ...... ecclesiastica ornamenta vendidit .... cum Rotberto duce & optimatibus ejus placitum fecit Falesiæ, quod eis regem cum pannis adduceret repente & ipsi parati essent eumdem suscipere..... Ille autem ut dolos advertit iratus, assultum in castrenses suis mox facere*
C *præcepit, qui injecto igne castrum & cœnobium combusserunt. Tunc..... multi qui in turrim ecclesiæ confugerant, concremati sunt. Ipsemet Robertus traditor captus est, & transversus super equum sicut saccus, coram rege adductus est. Cui rex ait, perfide, de terra mea fuge. Nisi pro reverentia sacri ordinis, cujus habitum exterius fers, miserrime, facerem te continuo membratim discerpere. Dimissus itaque apostata, protinus ad Francos, unde erat, cum dedecore aufugit & præposituram Argentolii, quia monachatus quietem cum paupertate in claustro ferre negligebat, obtinuit. Cumque in eodem anno quemdam Johannem placitis constringeret, & nescio*
D *quas consuetudines ab eo violenter exigeret, ira furente a præfato pagense percussus est, & ita exigentibus culpis sine pœnitentia miser trucidatus est.* Hæc anno circiter 1106 contigere.

VI. Radulfus Divensis monachus & cellerarius, volente Henrico rege fit abbas, testantibus schedis in hunc modum : *Post excidium, cum jam rex Henricus superato fratre suo Normannia potiretur, reversis qui dispersi fuerant fratribus, domnum Radulfum qui cellerarii in hoc monasterio functus erat ministerio, virum simplicitate animi & innocentia præditum, abbatem constituit, qui & ipse quatuor solum annis totidemque men-*
E *sibus administrato officio, post se domnum Richardum successorem reliquit, de Aquila cognominatum. Videns itaque præfatus vir inclytus Henricus rex Angliæ & dux Normanniæ damnum quod ipse intulerat huic monasterio per combustionem supra dictam, pro restauratione & satisfactione ipsius damni fecit nobis chartam suam apud Argentonium, in qua concessit & confirmavit & specialiter & generaliter omnes possessiones & res nostras, præcipiens & volens eas esse liberrimas & immunes ab omni subjectione tanquam proprium dominium suum, nihil sibi vel successoribus* Chart. v. col. 156.

suis in terra nostra retinens, præter aurum, si subtus terram repertum fuerit, & exceptis placitis de expeditione sua & duello de placito monetæ, si bellum seu duellum exinde oriatur, addens in fine dictæ chartæ, quod ea quæ ibi scripta sunt concedit pro restauratione & satisfactione damni & destructionis prædictæ per ipsum factæ anno 1108. Obiit Radulfus VII calend. Martii anni circiter 1111.

VII. Richardus I de Aquila diplomate quoque ab Henrico rege donatus est circa annum 1124. Instaurando cœnobio vacavit; sed ob ingruentem ab Andegavinis Goffredo duce tempestatem retardatus, direptis villis ac prædiis succurrere sat habuit, cum *Joffredo pro tuitione sui centum & decem marcas argenti pactus sit, & sic patriam suam, ne penitus deleretur, tutaverit*, ex Orderico ad annum 1136.

Chart. VI. col. 157.

VIII. Haimo basilicæ supremam manum imposuit circa 1140, is ipse qui in epistola ad Divenses Tutesberiensis cellæ monachos fidelium collatas opes & patrata Deiparæ virginis precibus miracula descripsit. Martyrologii quoque seu calendarii veteris creditur auctor, quæ sola duo supersunt Divensium antiqua monumenta. Testis legitur Haimo in charta Willelmi comitis Pontivorum inscripta Radulfo abbati sancti Andreæ XIII calend. Octobris 1143. Occurrit adhuc 1148 in chartis Becci. Obitus ejus consignatur pridie nonas Decembris.

Charta IX. col. 163.

IX. Warinus, al. Warnerius, monachus Cluniacensis Haimoni sufficitur a Roberto de Monte.

X. Alveredus I præerat anno 1149 sedentibusque Eugenio III XII calendas Julii an. 4, & Alexandro III, a quibus bullas obtinuit.

XI. Richardus II Frogerio Sagiensi episcopo notissimus, præfuit quoque sedente Alexandro III. Obiit 1167, ex Roberto de Monte.

XII. Rannerus Cadomensis monachus eodem auctore Richardum excepit.

XIII. Alveredus II præerat Arnulfo Lexoviensi episcopo, memoratus in tabulis annis 1181, 1186 & 1191, necnon anno 3 Cœlestini III in chartis Fiscanni, & an. 1207.

XIV. Simon anno 1207 notus, multa cum Silvestro episc. Sagiensi gessit an. 1208, variorum quoque monasteriorum subscripsit donationibus in annum saltem 1210; V idus Jan. devixit.

XV. H. anno 1226 mense Februario, id est 1227, præerat, ex tabulis.

XVI. Jacobus I ex monacho Fiscannensi creatur abbas Divensis circa 1230.

XVII. Nicolaus an. 1237 mense Octobri in chartis Becci, 1239 in tabulis Vinacii, & 1245. Defunctus est pridie nonas Octobris.

XVIII. Johannes I in tabulis locum habet ad annum 1263. Gaufrido & Thomæ Sagiorum episcopis acceptus, VI nonas Octobr. defecit.

XIX. Jacobus II. In chartis thesauri regii legitur monachos sancti Petri eligendi abbatis facultatem postulasse anno 1268, Radulfumque sedis apostolicæ legatum rogasse regem anno 1269 ut designato a se auctoritate apostolica abbati sancti Petri regalium copiam faceret. Is

A est procul dubio Jacobus, qui ex monacho sancti Audoëni abbas S. Petri præfuit annis 1269 & 1273, quo ultimo legitur mense Maio in chartulario Fontaneti.

XX. Petrus sedebat anno 1274 abbas sancti Petri. Pepigit cum rege an. 1280 mense Julio de alta & bassa justitia in terra S. Petri, cujus medietas abbati & monachis adjudicata, unde comitivæ titulo potitur Divensis abbatia, ut ex Henrici Anglorum regis diplomate manifestum est.

XXI. Johannes II occurrit anno 1283 in indicibus.

B XXII. Jacobus III sedebat annis 1290, 1293, 1302.

XXIII. Guillelmus I de Faiaco ex priore claustri 37 monachorum suffragiis eligitur abbas 7 Martii 1309 (1310). Precum societatem cum monachis sancti Salvatoris vicecomitis iniit an. 1311; idem cum Sanseverensibus præstitum anno 1325.

XXIV. Gaufridus, cujus super pravis moribus & malo regimine ut inquirerent priori Prædicatorum de Argentonio & gardiano Minorum Sagiensium scripsit Johannes XXII Avenione VIII calend. Sept. pontificatus an. 10, id C est 1325.

XXV. Johannes III regebat an. 1337.

XXVI. Renoldus, qui & Ranulfus, annis 1349, 1351, 1355, obiit anno 6 Innocentii VI, quo ei successit

XXVII. Herbertus, qui anno 1362 cum episcopo Sagiensi pepigit. Occurrit adhuc 1363, desideratus XI cal. Augusti, Urbani V an. 3.

XXVIII. Johannes IV ab anno 1367 ad 1378 rexit.

XXIX. Simon electus 1378, dicitur abbas B. Mariæ de S. Petro supra Divam 12 Febr. 1382 & 24 Dec. 1383 in chartis authen- D ticis *D. de Gaignières*. Reperitur adhuc annis 1385 & 1390. Mortuus est XVII cal. Octob.

XXX. Guischardus de Salis ex monacho Cluniacensi fit abbas beatæ Mariæ anno 1390, tum relicta Diva Centulensem sancti Richerii abbatiam consequitur anno 1394.

XXXI. Johannes V *de Benoisons*, seu *de Renoisons*, ab anno 1395 præfuit. Legitur 28 Januarii 1404 & mense Octobri 1405 in chartis authenticis *D. de Gaignières*. Concilio Pisano adfuit 1409, cujus in actis legitur promotus per Benedictum XIII XII calend. Augusti 1404. Obiit 1410.

E XXXII. Johannes VI *le Verrier* ex priore *de Felt* electus 24 Martii 1410 & benedictus 15 Julii a Johanne Sagiensi episcopo, æmulum passus est Guillelmum, qui nominatus a Johanne XXIII cedere coactus est, & translatus ad abbatiam Figiacensem ab eodem pontifice, qui Johannem Divensem confirmavit V cal. April. pontificatus anno 1. Temporalia abbatiæ bona ab Henrico V recepit anno regni 6. Procuratores nominavit 11 Martii 1420 Estoldum Fiscannensem, Nicolaum Gemeticensem, Guillelmum Fontanellensem,

Fontanellensem, Michaëlem Uticensem, Simonem Lirensem, Guillelmum Montis sanctæ Catharinæ, Guillelmum Conchensem, Johannem S. Georgii abbates, & priores Jacobum Longævillæ, & Guillelmum de S. Laudo Rotomagensi, & intercessores pro abbatia Divensi apud Angliæ regem. Multa pertulit in Alenconii ducis rebellione.

XXXIII. Robertus II *de Rupierre* memoratus annis 1424 & 1431, obiit 4 Januarii 1447. Bellicis cladibus semper implicitus, circumpositas plebes domi tutabatur, iisque largas pro facultatibus eleemosynas erogabat. In sacello B. Catharinæ depositus est.

XXXIV. Jacobus IV *le Meusnier* eodem anno dictus abbas beatæ Mariæ *d'Espinay* supra Divam, regi fidem dixit 7 Julii 1450. At cum præ mentis imbecillitate ferendo par oneri non esset, anno 1454 munus abdicavit in gratiam sequentis, suadentibus cardinali *d'Estouteville* & episcopo Sagiensi.

XXXV. Johannes VI *le Cordier* Silleiensis abbas, Jacobi cessione factus Divensis, a cardinali *d'Estouteville* monastica donatur veste, & obedientiam fratrum excepit. Ipse vero regi fidem jurat ultima Martii 1455 ante Pascha, id est 1456. Abjectæ vero dignitatis illico Jacobum pœnituit, qui coactum se fuisse causatus, a vicecomite de Falesia de auctoritate cardinalis Avenionensis restitutus est: inde lis in scacario, cujus decreto confirmatus Johannes mense Septembri 1459, qui biennio ante literas a Carolo VII obtinuerat 28 Maii 1457. Neque tamen sic quievit Jacobus, sed nec Johannes monachis acceptus erat, qui ei quod Jacobum decepisset exprobrabant, ideoque minime pacificam dignitatem Richardo cardinali Constantiensi episcopo consignavit anno 1459 exeunte.

XXXVI. Richardus III *de Longeuil* cardinalis & episcopus Constantiensis, commenda potitus, apud Chinonem 10 Martii 1459 regi juravit fidem, cujus auctoritate inquietum & indomitum Jacobum compescuit. Legitur in regestis scacarii annis 1462, 1463 & 1464. Commendam tenuit ad annum 1470, vitæ postremum, dum interim anno 1463 Robertus Sagiensis episcopus saluberrima revocandæ disciplinæ decreta condidit.

XXXVII. Guillelmus II *Guarin* sedis apostolicæ protonotarius, possessionem iniit 9 Apr. 1470. Regi fidem juravit 19 Junii 1471. Defunctus 1501, sepelitur apud S. Petrum, pro cujus exsequiis monachi cum ejus propinquis litigabant anno 1502.

XXXVIII. Jacobus V *de Silly* postea Sagiensis episcopus, protonotarius apostolicus, commendam consecutus, Nicolaum *de Grezille* monachum unanimi voto a fratribus an. 1502 electum evicit, & regi fidem juravit 28 Nov. 1504. Recensionem bonorum abbatiæ regi exhibuit anno 1509. Roberti Sagiensis episcopi pleraque decreta pro Divensi monasterio renovavit anno 1512. Basilicam maxima ex parte

A restituit anno 1528. De monasterio bene meritus, obiit anno 1539 24 Aprilis. Electus die crastina a monachis 25 Aprilis 1539 Natalis *du Hamel* commonachus suus, designato a rege cedere coactus est.

XXXIX. Claudius *de Longvy* cardinalis *de Givry* & episcopus Lingonensis, nominatus a rege, jam occurrit 22 Decemb. 1539. Possessam in annum 1548 abbatiam favente rege 21 Maii sequenti consignavit.

XL. Odetus *de Bretagne* Virtutensis comes, protonotarius apostolicus, locum possedit in annum 1553.

B XLI. Carolus I *de Bourbon* cardinalis, archiepiscopus Rotomagensis, commendam tenuit ad an. 1572 ab an. 1553 mense Dec. An. 1562 Calvinistæ monasterii chartas combusserunt, vasa sacra diripuerunt ædesque expilarunt.

XLII. Petrus *Girard* canonicus diœcesis Andegavensis, bullis donatus VI calend. Febr. an. 1573, commendam obtinuit in an. 1584.

XLIII. Johannes VII *de Vauquelin* germanus N. *de la Fresnaye* prætoris Cadomensis, commenda gaudet ab anno 1585 ad 1599.

XLIV. Carolus II *de Vauquelin* Johanni nepos successit, jam memoratus 13 Junii 1599.
C Commendam fratris secularis arbitrio permisit ad vitæ finem, qui tandem an. 1637 contigit.

XLV. Alexander *de Breauté*, possessionem iniit 29 Septembris 1637, & commendam tenuit in annum 1657, quo nupturus, sponsæ fratri Divam dimisit sub annua mille francorum pensitatione. Obiit mense Augusto 1685.

XLVI. Georgius *Dunot* nominatus a rege, congregationis sancti Mauri monachos Divam induxit 27 Novembris 1666. Consiliarius in parlamento Normanniæ 11 Julii 1674, obiit 31 Augusti 1699.

XLVII. N. *d'Espagne* designatus abbas 29
D Martii 1698, obiit, vel cessit an. 1699.

XLVIII. Franciscus *Blouet de Camilly* Cadomensis, filius senatoris Rotomagensis, Sorbonæ doctor, vicarius generalis episcopi Argentinensis, renunciatur abbas in Natali Domini 1699. Inde episcopus Tullensis & archiepiscopus Turonensis, necnon abbas Vallis Richerii, obiit mense Novembri 1723.

XLIX. Claudius-Ignatius-Josephus *de Simiane*, filius Caroli *de Simiane d'Esparron* & Johannæ-Franciscæ *de Camaret*, episcopus Tricastinensis consecratus 20 Aug. 1718, cessit 1743. Nominatus est mense Oct. exeunte 1723
E abbas B. Mariæ de S. Petro supra Divam.

ALMANISCÆ.

ALMENESCHES.

ALMANISCARUM ordinis sancti Benedicti parthenon, situs est apud Argentonium, nobile olim ad Olnam fluvium in diœcesi Sagiensi castrum, vulgo *Argentan*. Huc auctoritate regia translatus est 19 Sept. 1736 in ecclesiam B. Mariæ de Platea, quam in burgo S. Martini anno 1623 monialibus cesserant castri incolæ ad ædificandum alterum parthenonem, qui priori

subjiceretur. Prior autem, Almaniscarum scilicet, ab annis sexcentis & ultra Sagium inter & Argentonium substiterat, restauratus quippe a Rogerio de Monte Gomerici vicecomite Oximensi, & Mabilia uxore, circa annum 1070. Jam enim Almaniscarum cœnobium inhabitaverant virgines, quibus Lanthildis seculo VIII præfuerat, conditum forte a S. Ebrulfo Uticensi abbate, qui monasteria quindecim tam virorum quam mulierum illis in partibus exstruxisse traditur. Proximum Almaniscis erat Monasteriolum, cujus eodem tempore sancta Opportuna germana S. Chrodegandi Sagiensis episcopi erat abbatissa. Illud recentiores cum Almaniscis confundunt, ideo forte quod Almaniscarum cœnobium post Normannorum tempestatem restitutum fuit eo in loco, ubi quondam situm erat Monasteriolum, vel quod restaurator Rogerius fundi dominus restaurando parthenoni utriusque possessiones assignavit, qui subinde Almaniscarum nomen prælegit. Ita Mabillonius. Alii putant utrumque monasterium in territorio Almaniscensi situm, Almaniscense dictum fuisse; alterum quidem Monasteriolum, cui præfuit S. Opportuna, & quod postea restitutum fuit, præ majori apud Almaniscas, cujus abbatissa erat Lanthildis. Utroque autem monasterio a Normannis anno 870 destructo potiti sunt duces, e quibus Richardus II anno 1026 Almaniscas Fiscannensibus monachis largitus est, qui parthenonis restituendi cupido Rogerio jura sua cessere anno 1070. En quæ abhinc Almaniscas rexere

Abbatissæ.

I. Ex chartulario S. Martini, Adelasia prima censenda est Almaniscarum abbatissa, quæ subscripsit hoc nomine chartæ Ivonis episcopi Sagiensis ecclesiam S. Audoëni *de Villers* & Rogerii vicecomitis molendinum S. Martino donantium. Testes Seifridus frater bastardus episcopi, Rogerius prædictus & uxor ejus Mabilia & Adelasia abbatissa Almaniscæ, Hugo abbas Lonleii, & Rogerius & Robertus filii Rogerii. Ivo autem episcopus obiit 1070, ut diximus.

II. Emma restauratorum seu fundatorum filia, post Adelasiam abbatissa subscripsit an. 1074 chartæ Rogerii patris sui pro sancto Ebrulfo. Huic in odium fratrum ejus Roberti, Rogerii, &c. Henricus I rex Anglorum abstulit terram, quam Rogerius senior eorum pater sanctimonialibus dederat, & Savarico Chamæ filio pro militari servitio concessit an. 1102, ex Orderico. Ex his odiis inter fratres Emmæ & regem Angliæ Normanniæ simul ducem ortæ sunt infinitæ monasterii calamitates: quo tandem concremato, sacer virginum conventus misere dispersus est. Emma abbatissa cum tribus monialibus Uticum confugit, ibique in capella ubi sanctus Ebrulfus cœlesti contemplationi vacabat sex mensibus habitavit. Sequenti tamen anno ad suam ecclesiam reversa, revocavit moniales dispersas, & per annos decem sartis tectis tum basilicæ S. Virginis, tum officinarum cœnobii operam

A dedit, ex Orderico hist. lib. XI, p. 809. Obiit Emma 4 Martii 1113, notata in necrologio sancti Martini.

III. Mathildis I Emmæ amitæ successit: erat enim filia Philippi fratris Emmæ, juxta Ordericum loco laudato, ex quo etiam discimus repentino igne incensum monasterium, laboriose ab hac abbatissa reparatum fuisse. Obitus ejus assignatur 6 Julii in necrologio S. Martini.

IV. Adelais sedebat tempore Mathildis primæ Cadomensis abbatissæ.

V. Avisa præerat quoque eadem superstite Mathilde, ex schedis ad nos missis, ex quibus B patet eas, si non abbatissas alterius loci, saltem moniales fuisse ejusdem, quo casu

VI. Mathildis II, quæ composuit cum Rogerio abbate sancti Audoëni anno 1157, ex Arturo, a prima distinguenda non foret, si duæ superiores Almaniscis non præfuerint abbatissæ.

Interim Alexander papa III monialibus confirmavit omnia bona seu possessiones monasterii tam in Normannia quam in Anglia sita, bulla data Tusculani IV nonas Octobr. indict. XII an. 1178, pontificatûs anno 21. Hanc confirmarunt Adrianus IV & Gregorius X. *Monast. Anglic. t. ... pag. ...*

VII. Mabilia *de S. Lohier* electa an. 1235, C benedicitur ab Hugone Sagiensi episcopo.

VIII. Auda. N. abbatissa de Almaniscis nuper defuncta XVI calendas Augusti 1250, moniales compromiserunt de altera creanda in archiepiscopum Rotomagensem O. & G. episcopum Sagiensem, a quibus electæ ut regalium copiam faceret reginam Blancam rogarunt anno eodem, ex chartis thesauri. Hæccine est Auda, quæ obiit anno 1306, & sedisse legitur anno 1259? Interea S. Ludovicus diplomate dato 1269 Sabbato ante Epiphaniam, confirmavit præceptum Richardi regis Angliæ, dicti *cor leonis*, in gratiam Almaniscarum.

D IX. Agnes electa est an. 1306, quo Auda defuncta, Catharina priorissa & conventus eligendi facultatem petunt a Carolo filio regis, comite Valesii, Andegavi & Alenconii die Lunæ post Dominicam *Lætare*. Ejus temporibus conflagrato anno 1308 monasterio, periere campanæ, vasa sacra, chartæ & instrumenta omnia. Quæ chartarum jactura, ne in rei domesticæ detrimentum verteretur, testium oculatorum & fide dignorum literas obtinuit, qui eam notam facerent.

X & XI. Radulfa & Robina commemorantur abbatissæ in indiculo sumtuum an. 1413. E Sedente Robina, huiccine an alteri restituta temporalia anno 6 Henrici V regis Angliæ?

XII. Stephana *de la Laude* sedebat anno 1440, ex tabulis Silleii.

XIII. Johanna *de la Fontaine* abbatissa an. 1450, misit in Angliam Robinam *de Langerville* ad regendum quemdam prioratum vacantem per obitum Colentæ *de Herfiers*. Anno 1455 die 26 Augusti Robertus episcopus Sagiensis visitato monasterio quædam condidit statuta, ut extra dormitorium commune nulli sorori cubare

liceret, ut diebus saltem festis & Dominicis convenirent sorores in refectorium ad sumendum cibum, ut purgarentur decenterque ornarentur capitulum aliaque loca regularia, in quibus porci, anseres, gallinæ, &c. tunc alebantur. Alia anno 1495 adhibita sunt decreta ad revocandam & conservandam regularem disciplinam, quæ intepuerat.

XIV. Maria I *d'Alençon*, petita 1 Januarii 1497 a monialibus eligendi licentia, electa, litigavit anno 1498 cum monialibus, quæ partes suas in præsentationibus beneficiorum vindicabant.

XV. Germana *Vincent* nota est ex judicio scacarii apud Alenconium an 1504, assignantis portiones congruas duobus parochis S. Petri de Almaniscis & clericis qui sacra monialibus administrabant. Hanc e familia *de Chambray* ortam docent schedæ domesticæ, filiam Johannis *de Chambray* & Gilettæ *Cholet* defunctamque 1517.

XVI. Jacoba *Heudé*, præerat anno 1517, cum Philippus cardinalis de Luxemburgo legatus a latere aggressus moniales ad antiquos revocare mores, literas ea de re dedit v idus Augusti ad Jacobum Sagiensem episcopum, Johannem *des Bans* primum abbatem sancti Martini e reformatione Casalis Benedicti, & Arturum *Fillon* canonicum Rotomagensem, quibus auctoritate apostolica mandat, ut quamprimum visitent hunc parthenonem. Peracta visitatione, ex qua intellectum est illum indigere reformatione in capite & in membris, accersitæ sunt ex Bellomari prioratu ordinis Fontebraldensis Maria *de la Jaille* & quindecim moniales ad restaurandam disciplinam regularem; & in locum Jacobæ *Heudé* ex abbatiali sede pulsæ, quæ jussa est secedere in cœnobium S. Crucis Pictaviensis,

XVII. Maria II *de la Jaille* instituta est abbatissa auctoritate tum Leonis X papæ, tum Francisci I anno 1518. Antequam Deo sese consecrasset in parthenone Bellomarensi, una erat e nobilibus puellis Margaritæ sororis Francisci I cubiculariis quæ Carolo III Alenconii duci primum, tum Henrico *d'Albret* Navarræ regi nupsit. Hujus autem principissæ ope Maria abbatissa Almaniscas reparavit, ut patet ex inscriptione quæ docet Margaritam de Francia Alenconii ducissam ad regularis disciplinæ & sacræ religionis archetypos hoc monasterium informasse, ejusque officinas ære proprio restaurasse. Obiit Maria 15 Augusti 1533.

XVIII. Ludovica I *de Silly* germana Jacobi episcopi Sagiensis, annos nata 23, bullis donatur a Clemente VII 22 Oct. 1533. Possessionem iniit 19 Martii 1534. Ecclesiæ reædificandæ statim studuit, quod opus absolutum est anno 1550, ex inscriptione adhuc superstite. Obiit in prioratu de Vinacio, quem insimul tenebat VIII calendas Januarii 1562. Jacet tamen in choro Almaniscarum.

XIX. Magdalena *de Thouars* nominata a Carolo IX rege, bullis donatur a cardinali Hippolyto Ferrariensi legato 26 Jan. 1562. Literas a Carolo IX obtinuit anno 1563 confirmantes

A possessiones abbatiæ, & 1570 a Francisco regis fratre duce Alenconii, castri Theoderici, Ebroicarum, Drocarum, Meduntæ, Meulantii, necnon domino *de Sezannes:* hos omnes titulos præferunt regii principis literæ. Anno 1580 Magdalena abbatissa legitur in inquisitione facta de vita & moribus Johannæ *du Bouillonne* designatæ abbatissæ Gomerifontis ex moniali Almaniscarum. E vivis excessit Magdalena anno 1583.

XX. Maria III *des Quets de Belleville* Henrico III regi præsentata fuit a Francisco duce Alenconii, & ab Henrico Gregorio XIII papæ. Hujus tempore Henricus III Francorum rex B jura & possessiones monasterii confirmavit annis 1585 & 1586. Sequentem coadjutricem admisit 17 Sept. 1597. Obitus Mariæ notatur 30 Novembr. 1599.

XXI. Ludovica II *de Medavy* filia Petri baronis *de Medavy* & Carolæ *de Hautemer*, nata 5 Julii 1593, quinquennis designatur abbatissa. Vota emisit anno ætatis nono; triennio post cœpit regere, simul priorissa Vinacii. Interim Judith *de Medavy* spuria cujusdam e toparchis *de Medavy*, monialis Vinacii, natalium vitio liberata a Clemente VIII die 14 Febr. 1600, delegata est quæ tempore minoris ætatis C Ludovicæ abbatiæ præesset, quod idem præstitit munus in abbatia Gomerifontis pro Magdalena *de Medavy* abbatissa Ludovicæ germana, quæ immatura quoque ætate ad hanc abbatiam promota fuerat. Denique Ludovica ut per ætatem licuit, reformando parthenoni ab anno 1602 animum adjecit, cujus rei gratia tres moniales ex abbatia sanctæ Trinitatis Pictaviensis accivit. Adjutorem habuit in hoc pio opere Jacobum *Camus* Sagiensem episcopum. At cum difficile esset moniales in liberiori vivendi genere enutritas ad exactissimam regulæ S. Benedicti observantiam revocare, novarum veluti plantarum semi- D narium fundavit an. 1623 in urbe Argentonio, ex quo educebat juniores sorores in disciplina regulari exercitatissimas in locum seniorum cum e vivis excesserant. Utrique monasterio veteri & novo constitutiones præscripsit, quarum ope, accedentibusque imo prælucentibus sanctissimæ ejus vitæ exemplis, tantæ molis opus reformationem absolvit ante mortem, quæ contigit apud Argentonium 4 Septemb. 1652, anno ætatis 59. Cor ejus apud Almaniscas conditum est, corpus vero in novo parthenone.

XXII. Maria-Ludovica *de Medavi* nata 1625, superioris neptis & coadjutrix, ab eaque E culta & instituta, ejus vestigiis insistere cupiens, novum parthenonem apud Argentonium auxit, constructis infirmarum ædibus amplificatisque septis. Apud Almaniscas vero curavit refici partem exteriorem ecclesiæ. Obiit 22 Octobr. 1674.

XXIII. Maria-Magdalena *de Medavy* soror ex patre superioris abbatissæ, monialis erat sancti Nicolai apud Vernolium, cum petente patre comite *de Grancey* Franciæ marescallo, designata est abbatissa Almaniscarum. Ornavit basilicam

tribus præsertim altaribus exquisiti operis. Hujus A tempore cum Almanifcense monasterium incendiis aliisque gravatum esset infortuniis, derelicto Argentonii parthenone, ad Almaniscas revocatæ sunt moniales anno 1705 ab abbatissa, quæ defuncta est anno 1727.

XXIV. Helena-Martha *de Chambray* monialis SS. Trinitatis Cadomensis, nominata est a rege abbatissa Almaniscarum 29 Martii 1727. Argentoniense monasterium volens restituere, Almaniscas perdidit; unde ad Argentonium cum monialibus secedere a rege jussa est anno 1736. Octavo post anno cessit in manibus regis 1744, retenta 600 librarum pensione. B

XXV. Martha-Gabriëlis *de Chambray* superioris neptis, hanc excepit, a rege nominata abbatissa 2 Aprilis 1744. Possessionem iniit 19 Sept. & die crastina benedicta est ab episcopo Sagiensi, assistentibus Helena-Martha quondam abbatissa, & Maria-Ludovica Villaris Caniveti abbatissa.

In hoc catalogo non recensuimus Germanam & Sthephanam *Heudé*, quæ locum habent inter abbatissas in Neustria pia, quod nullis ex tabulis nobis constiterit eas præfuisse. Potuit tamen P. Arturus scriptor eas reperire in aliis chartis, quas præ manibus non habuimus. At abbatissas C fuisse Perettam, Philippam & Isabellam constat, licet tempus quo sederint nobis sit ignotum.

VIGNAZ.

VINACIUM.

Vetus fuit comitum Belismensium tribus a Falesia millibus castrum Vinacium, a quo haud procul distat parthenon ordinis sancti Benedicti dictus ab eo sancta Margarita *de Vignaz*, qui extabat medio seculo XII, sedente nempe Frogerio Sagiensi episcopo, qui rem partam a monialibus confirmavit Henrico II Anglorum rege. A quo autem fundatus fuerit ignoratur. Fundatus tamen videtur pro monialibus sancti D Sulpicii Redonensis, quarum abbatissa Agnes mense Junio 1272 juri suo cessit in parthenonem de Vinacio. A primævo disciplinæ fervore post seculum descivere Vinacii moniales, pro quibus in ordinem reducendis statuta condidit Gaufridus episcopus Sagiensis an. 1271. Benefactoribus accensentur Ala domina Almaniscarum soror Roberti ultimi comitis Alenconiensis e domo Belismensi, Robertus *Mallet* filius alterius sororis Roberti Alenconiensis, domini de Castro-Eraldi, &c. Sanctam Margaritam *de Vignaz*, aliquando etiam dictam *de Gouffer*, sicut & sanctus Andreas & Silleium, ob situm E in nemore *de Gouffer*. ab initio statim indistincte abbatissæ rexere, tum priorissæ, demum abbatissæ ab an. 1625 constanter nuncupantur. Harum hæc est ex chartis series.

PRIORISSÆ & ABBATISSÆ.

I. MARGARITA I memoratur an. 1268 in tabulario sancti Andreæ. Nonnulla acquisivit anno 1285, ex chartulario domestico, ubi dicitur priorissa.

II. Mathildis 1286.

III. Isabellis priorissa transegit cum abbate & monachis Beccensibus de decimis ecclesiæ *de Revillon* anno 1302, transactionemque ratam habuit Philippus Sagiensis episcopus an. 1304.

IV. Aelicia inita possessione turbata est a magistro Roberto *Sculptin*, quem approbavit Sagiensis episcopus. Aelicia vero rem detulit ad summum pontificem Innocentium VI. Hic abbates S. Andreæ & de Falesia arbitros nominavit.

V. Nicolaa priorissa 7 Jan. anni nunc 1367.

VI. Johanna I *de Carrel* abbatissa ann. 1418, 1430, 1432.

VII. Robina I 1459 & 1473.

VIII. Johanna II *de Bonvoust* cessit an. 1486 Aliciæ *Heling*: at hæc cessio locum non habuit. Cessit iterum Johanna in gratiam sequentis an. 1487.

IX. Robina II *de Silly* possessionem iniit 13 Maii 1487.

X. Ludovica I. *de Silly* germana Jacobi Sagiensis episcopi & Francisci baronis *de Lonrey*, gubernatoris & ballivi Cadomensis, priorissam agebat 1541, 1546 & 1562. Apud Vinacium obiit VIII cal. Jan. anni ejusdem, & sepulta est apud Almaniscas, quarum erat simul abbatissa.

XI. Carlotta *de Falaise* priorissa ann. 1564 & 1578, cujus memoria in benedictione est.

XII. Agnes *la Jeune* fidei sacramentum præstitit Gregorio XIII.

XIII. Johanna III *Cuellier* forte a monialibus electa, cessit in favorem sequentis.

XIV. Margarita II *de Medavy* notha Dionysii domini *du Crocq*, monialis Almaniscarum professa 11 Junii 1582, a rege nominata abbatissa ad preces Francisci de Valesio ducis Alenconii, cui a consiliis & cubiculis erat Dionysius, bullas a summo pontifice obtinuit per obitum Carlottæ *de Falaise* anno 1582. Possessionem iniit 6 Junii 1583. Cum autem nec religiose, nec honeste viveret, a toparchis *de Medavy* in nemore prope Vinacium rapta, & in domo quadam eorum inclusa, ibidem obiit.

XV. Johanna IV *de la Haye* priorissa monasterii bona elocavit anno 1609: ast a monialibus forte electa, cedere coacta est.

XVI. Ludovica II *de Medavy* abbatissa Almaniscarum, simul priorissa erat Vinacii annis 1607 & 1617. Cessit germanæ.

XVII. Anna *de Medavy* nata 9 Novembr. 1600, e moniali Almaniscarum priorissa Vinacii an. 1617, illud in spiritualibus & temporalibus refecit, novam ecclesiam exstruxit, monialium auxit numerum, prioratum in abbatiam erigi curavit an. 1625, denique eamdem quam Ludovica soror apud Almaniscas, disciplinam in Vinacio instituit. Inde e Vinacio eductæ ad novos in Normannia parthenones moniales. Obiit Anna 24 Jan. 1655, annos nata 55.

XVIII. Maria-Francisca *de Medavy* nata anno 1630, monialis Vinacii amitæ successit. Septem germanas habuit, e quibus 5 abbatissas.

Vinacium ære alieno obstrinxit. Permutatione facta cum sequenti fit priorissa de Salceia Parisiensi 20 Novembris 1672.

XIX. Magdalena *de Froulay* filia Renati comitis *de Tessé* equitis torquati, & Mariæ *d'Escoubleau de Sourdis*, monialis Bellimontis Turonensis, ex priorissa de Salceia permutando fit abbatissa Vinacii 20 Novembr. 1672. Obiit 9 Augusti 1678.

XX. Margarita III *de Froulay* filia Renati & Magdalenæ *de Beaumanoir*, & soror marescalli *de Tessé*, & abbatissæ Cadomensis ex moniali Bellimontis, amitæ successit, abbatissa Vinacii nominata a rege mense Sept. 1678. Acquisivit quidquid dominus de Montegomerici tenebat apud castrum de Vinacio, quod seculo XVI emerat Jacobus *de Lorge* a domino *de Longueville*. Obiit anno 1716.

XXI. Francisca-Gabriëlis *de Froulay* filia Renati marescalli Franciæ, equitis torquati, & Mariæ-Franciscæ *Aubert*, monialis Cadomensis 14 Augusti 1701, fit abbatissa Vinacii mense Novembri 1716. Nominatur abbatissa Cadomensis mense Aprili 1720.

XXII. Ludovica-Carlotta *du Plessis Châtillon* a rege nominatur 30 Aprilis 1720.

XXIII. Eugenia-Angelica *d'Estampes* abbatissa Monstrolii Laudunensis transfertur ad Vinacium mense Julio 1739.

XXIV. N. *de Braque* hactenus præest.

5 N. *de Bernay* recensetur in Neustria pia.

ESSEIUM.

Ist. v.

CAstrum olim munitissimum duabus a Sagio leucis fuit Esseium, cujus etiamnum supersunt rudera. In burgum postea excrevit, qui urbium gaudet privilegiis. Mœniis quippe ac fossis circumcinctus jurisdictione adhuc potitur sua, quam exercent magistratus non pauci. Institutum inibi ineunte seculo XIV ptochodochium insumere visum est Carolo IV, Alenconii duci & Margaritæ uxori anno 1519 ad mulierculas revocandas sacroque initiandas velo. Domum quidem concessere episcopus, capitulum & incolæ, sed ea lege ut pro hospitii jure ædes propriæ castruerentur, in quibus bis per hebdomadam missa celebraretur, resque divina ut prius ob reverentiam S. Ludovici perageretur. Distractum paulo post ad civium votum a cœnobio ptochodochium, suique huic restituti redditus. Erectæ sic & paternis Caroli rebus dotatæ domui annuit Leo X papa bulla data 22 Decembr. 1519, hancque mulierculis pœnitentibus addixit & destinavit. Sexdecim ergo sanctimoniales & quatuor sorores conversæ e Parisiensi filiarum pœnitentium S. Magdalenæ ordinis S. Augustini domo accitæ novum conventum ingressæ sunt, quibus hæ ad hunc diem præfuerunt

ABBATISSÆ.

I. BERNARDA *le Bordier* ex eadem, ex qua assumta fuerat S. Magdalenæ Parisiensis domo, novum examen Esseium advocare necesse habuit anno 1523. Rexit ad annum 1554, quo annis gravata cessit.

II. Maria I *de Pluviers* cedenti Bernardæ successit a monialibus electa, & a Petro *du Val* episcopo Sagiensi benedicta die Dominica 31 Martii 1555, sed Henrico II Franciæ regi ad arbitrium abbatiam conferre volenti cedere coacta est.

III. Catharina *d'Illiers* sancti Aviti monialis, soror Oudardi *d'Illiers* domini *de Chantemelle*, equitis torquati, Paulo IV summo pontifici ab Henrico II designata, bullas obtinuit 19 Sept. 1555. Hæc autem cum honeste semper vixisset, corruptas mulieres admittere non multum curavit, quin immo pudicis spectatissimisque puellis brevi domus abundavit. Reditus tum abbatiæ, tum ptochodochii declaravit Catharina anno 1570, qui tunc ad quingentas dumtaxat libras protendebantur. Memoratur 20 Novembr. 1583 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Cessit in gratiam sequentis.

IV. Petronilla *de Reclennes* cedentis sedem occupavit, bullis donata 26 Maii 1598. Qua abbatissa, quasdam ad disciplinam tendentes præscriptiones sancivit Jacobus Sagiensis episcopus 30 Aprilis 1621.

V. Maria-Francisca *Trotti de la Chetardie* e stirpe Itala, monialis Jotrensis, Petronillæ materteræ successit, bullas adepta 25 Junii 1638. Sed anno duntaxat 1649 30 Maii ab episcopo Sagiensi benedicta est. Depravatam ut restitueret disciplinam multum insudavit. Bullis datis 4 Junii 1662 ab Alexandro VII, Franciscam *de la Chetardie* neptim, quam novem annis natam educandam susceperat, coadjutricem accivit. Obiit Maria 4 Febr. 1676.

VI. Francisca *Trotti de la Chetardie* sede Sagiensi vacante, ab episcopo Meldensi Jacobo-Benigno *Bossuet* consecrata est anno 1684. Summo ingenio pietateque eximia omnium existimationem sibi conciliavit. Immensum horti septum molita, debita non pauca contraxit. Annos nata 58, defuncta est 1687.

VII. Maria II *Trotti de la Chetardie* sororis locum obtinuit, non minori pietate, sed in re administranda peritior. Post quinque regiminis annos vivere desiit 7 Januarii 1693.

VIII. Catharina *d'Osmont d'Aubry* nobilis Normanna, in locum Mariæ subrogata 22 Martii 1693, excessit anno 1718.

IX. N. *Ravot d'Ombreval* monialis S. Petronillæ de Villula Parisiensi, post Catharinam abbatiæ regimen suscepit 6 Januarii 1719.

X. N. *de Mailly* nominata est a rege 27 Junii 1736.

XI. N. *de Canchi* modo sedet.

S. ANDREAS DE GOFFER.

S. ANDRE EN GOUFFERN.

FAlesiam inter & Vinacium sita est abbatia S. Andreæ, aliquando dicta abbatia sanctæ Mariæ & S. Andreæ de Vinacio, S. Mariæ *de Vignaz*, S. Mariæ *de Goffer*, S. Andreæ *de Vignaz* & sancti Andreæ *de Goffer*, a nemore

de Goffer & a castro de Vinacio, a quibus duobus tantum distat milliaribus. Fundatam illam volunt calendis Martii 1130, & quidem a Willelmo
Char. IX. col. 162. Pontivi comite, cujus est charta data dedicationis die 19 Sept. 1143. Parentis exemplum secuti Johannes comes Alenconii, Johannes alter & Robertus Johannis filii, Ala eorum soror domina
Chart. XV. col. 170. de Almaniscis, Haimericus de castro Eraudi eorum nepos, Johannes Haimerici filius, Johannes *d'Harcourt*, uxorque Johanna Johannis germana & heres, &c. de Gofferno bene meriti sunt. His præit Henricus I Angliæ rex, qui an. 1135 nonnulla confirmavit in gratiam abbatiæ Sanctæ Mariæ *de Vignaz*. Saviniaci filia, ordinis hujusce fortunam experta est, Cisterciensesque subiit usus medio seculo duodecimo. Alnetum & Tironellum ipsa mater genuit, ut postea videbimus.

ABBATES.

I. RADULFUS I, quo sedente, dicata est ecclesia XIII cal. Oct. 1143. Huic Willelmus
Ch. IX. col. 162. Pontivi comes donavit partem nemoris *de Goffer* in hac celebritate. Bulla donatus est a Lucio II papa nonis Dec. 1144. Subscripsit fundationi abbatiæ de Persenia 1145. Cessit calendis Febr. 1162, defunctusque XVII calend. Novembris 1174, sepultus est apud Bellum beccum.

II. Rogerius bullam ab Alexandro III obtinuit anno 1163, & obiit cal. Aug. 1171.

III. Simon genere nobilis, sanctitate nobilior, concordiam iniit cum Nicolao priore de Plesseio Grimoldi, quam confirmavit Frogerius episcopus anno 1174. Testis fuit anno 1177 cum Guillelmo abbate de Valacia compositionis inter abbates Vallis Richerii, & Cadomensem. Translatus est ad Savigneium.

IV. Guillelmus ex chronico MS. cujus creditur tempore Henricus II Angliæ rex dedisse monasterio herbagium, pasnagium & lignum mortuum in silva Gofferni.

Ch. XXV. col. 90. V. Robertus adstitit anno 1190 dedicationi ecclesiæ Alnetensis. Diploma hoc anno a Ricardo I Angliæ rege obtinuit die 6 Aprilis. Bulla donatur ab Innocentio III anno pontificatus septimo. Memoratur in chartis Vallis Richerii 1203, S. Martini, Lirensibus & Longensibus 1207, & in chartis thesauri Reg. 31 an. 1215. Obiit X calendas Octobr. 1221.

Charta XV. col. 170. VI. Richardus quædam dedit ad feodum anno 1226, idem sane ac R. qui legitur in chartis Ulterioris portus anno 1234, quo Haimericus de Castro Eraudi confirmavit bona sancti Andreæ.

VII. Garnerius post Robertum recensetur in Neustria pia.

VIII. Renaudus I, cujus tempore incœpta fuit ecclesia an. 1241, & perfecta an. 1247, quo anno conventus primum in hanc intravit die festo sancti Johannis-Baptistæ, præsente inter alios Gaufrido episcopo. Vir sanctitate mirificus Renaudus, ut legitur in chronico hujus monasterii, obiit IV cal. Septembr. & sepultus est in

A capitulo cum hoc epitaphio: *Hic jacet Renaudus IV abbas*, qui scilicet obierit abbas Gofferni.

IX. Johannes I *de Balou* ex abbate Tironelli abbas Gofferni 1250, tum Saviniaci 1261, & Cistercii, ubi vide. Ejus tempore dedicata fuit ecclesia

X. Matthæus *d'Eraine* 1272.

XI. Petrus I *Doulaine* permutavit cum monialibus Villaris Caniveti anno 1275. Transegit cum abbate Fontanellensi de decimis S. Germani & S. Martini apud Argentonium 1279 die Lunæ post Pentecosten. Excepit Sabbato ante festum S. Marci an. 1284 hominium Radulfi
B de Calvo monte apud Allodium coram Johanne episcopo Sagiensi. Inde fit abbas Saviniaci.

XII. Radulfus II de Joeio, quo abbate obiit Mathildis vicecomitissa castri Eraudi a conditoribus ducens originem. Transiit inde ad Saviniacense regimen.

XIII. Johannes II *Gantée* nonnulla ad feodum dedit anno 1298.

XIV. Johannes III *Brundos* defunctus nonis Novembr. 1324, sepultus est in capitulo cum epitaphio.

XV. Nicolaus *le Bel* memoratus an. 1327, ad dominum perrexit VII idus Februar. 1332,
C sepultus ad sinistram partem capituli.

XVI. Olivarius *Miée* baccalaureus in theologia, notatur abbas 20 Novembr. 1338. Cum abbatibus de Alneto & de Barberiaco deputatus est anno 1349 ad electionem abbatis Vallis Richerii post obitum Gabriëlis, quæ peracta est anno 1351. Obiit Olivarius XI calend. Martii 1366, nunc 1367.

XVII. Guido *Nivelle* doctor theologus, verbi Dei præco eximius, abbas occurrit annis 1368, 1376, 1383, 1386, defunctus est XII calend. Maii, aut Junii 1387, & sepultus in sacello B. Mariæ

D XVIII. Johannes IV *Goffelin* præerat annis 1388, 1389, 1395. Moritur 19 Maii.

XIX. Johannes V *Groignet* baccalaureus in theologia, Gofferni prior ab annis viginti, defuncto Johanne electus est an. 1416, præsentibus Johanne abbate Saviniaci superiore, immediato patre & visitatore, ac Nicolao abbate Barberiaci professore in jure canonico. Nonnulla ad feodum dedit anno 1429, obiitque VI cal. Martii 1436.

XX. Dionysius *Victon* baccalaureus in sacra pagina memoratur abbas annis 1443, 1458 & 1460, in chartis authenticis *D. de Gaignieres*.
E Decessit an. 1465 die Purificationis B. Mariæ. Ejus tempore Carolus VII cum anno 1450 Cadomo Falesiam obsessurus pergeret, apud Goffernum diversatus est.

XXI. Gaufridus I, seu Guiffredus, occurrit 4 Maii 1464, in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Cisterciensis abbatis nomine collegit tributa in provincia Normanniæ anno 1466. Legitur anno 1469 in tabulis Mortui maris. Tabulam altaris capellæ S. Johannis-Baptistæ an. 1470 fieri curavit. Memoratur adhuc 26 Oct.

1474, 7 Junii & 6 Dec. 1478 in chartis Mortui maris, & 16 Aprilis 1478 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*, ac proinde non obiit XII calend. Martii 1472, ut scribit Arturus.

XXII. Michaël parochum præsentavit anno 1479, & obiit eodem anno, ut legitur in ejus tumba ad introitum chori a latere epistolæ. Notatur XI cal. Oct. in obituario Gofferni.

XXIII. Gaufridus II *Fromont de Serans* occisus fuisse pro defensione ecclesiæ hujus IV cal. Aug. 1483 legitur in necrologio.

XXIV. Matthias *Boullie* recensetur abbas an. 1485 in scacario Paschatis. Nonnulla promisit Mauricio abbati Silliaci an. 1495. A Radulfo de sancta Maria parocho sancti Martini Abrincensis apud summum pontificem incusatus quod vitam exegisset, quæ infamia & dedecore per totam Normanniam eum incutiebat, depositus est, dataque Radulfo abbatia administranda. Matthias interea jussus intra sex menses libere cedere, cessit.

XXV. Radulfus III de S. Maria nobilis, ex parocho S. Martini factus abbas, jussus est a summo pontifice Alexandro VI cucullam induere, bulla data anno 1496 pridie cal. Maii, pontificatus 4. Eodem anno in sede collocatus est a canonicis Rotomagensibus & officiali Bajocensi, per summum pontificem delegatis. At diu vixisse non videtur, nam

XXVI. Johannes VI *Postel*, qui vitream fenestram dono dedit an. 1498 mense Martio, obiit in abbatia de Brolio XVI. cal. Aug. 1500.

XXVII. Thomas I *Blanchet* bullam a Julio II obtinuit an. 1504 adversus invasores ecclesiæ & monasterii. Obiit XVII cal. Februarii.

XXVIII. Johannes VII delegatus ab Edmundo abbate Clarevallensi præfuit electioni Philippi abbatis Saviniacensis 14 Nov. 1510.

XXIX. Frasslinus *de Coulbœuf* a summo pontifice delegatus ad reformandum Sagiense capitulum an. 1522, obiit VII idus Oct. 1524, sepultusque est in choro ecclesiæ cum epitaphio.

XXX. Johannes VIII *Fortin* cessit anno 1530 retenta beneficiorum medietate, e quibus parochum instituit an. 1531. Animam exhalavit die 9 Aprilis 1537.

XXXI. Thomas II *Folbarbe* regularium postremus, benedictus est 28 Octobr. 1530 a Johanne episcopo Castoriensi. Parochos nominavit an. 1538, cessit & ipse decessitque VIII calendas Augusti 1561.

XXXII. Petrus II *de Silly* filius Nicolai domini *de Dampierre* & Mariæ *Thezard*, archidiaconus Oximensis, parochos nominavit annis 1545 & 1550. Nonnulla ad feodum dedit anno 1556. Procuratores nominavit Renatum *de Silly* dominum *de Vaux*, ballivum Alenconii, & Ludovicum *de Rabodanges* dominum *de Fontaineriant*, ut cui vellent abbatiam cederent.

XXXIII. Julianus *le Maître* presbyter Cenomannensis, electus a procuratoribus Petri, obtinuit bullas a Paulo IV anno 1556, parochumque nominavit an. 1558: at fiduciarius abbas commendam cessit filio unius e procuratoribus.

XXXIV. Franciscus I *de Rabodanges* prior Argentolii, vicario generali usus est Renato *Buré*, qui parochum nominavit anno 1568. Neglexit reparationes cleroque nuncium misit, factus ballivus Cadomensis & gubernator Alenconii.

XXXV. Reginaldus II *de Beaune* episcopus Mimatensis, tum archiepiscopus Bituricensis & Senonensis, regi a consiliis, & cancellarius Francisci ducis Alenconii, ab ipso donatus est commenda Gofferni, quam cessit, recepit & tenuit ad tempus.

XXXVI. Claudius *Robine* cedente Reginaldo commendam obtinuit an. 1581, qua per biennium potitus est, licet antequam bullas adeptus fuisset, cessionem retractasset Reginaldus; quo post biennium litem intentante, cessit Claudius.

XXXVII. Johannes VIII *Malingre* anno 1588 ad duas eccclesias parœciales præsentavit. Anno sequenti cœnobium ab exercitu Henrici IV Falesiam obsidentis vastatur.

XXXVIII. Franciscus II *Rouxel de Medavy* postea episcopus Lexoviensis, nominatur abbas S. Andreæ an. 1593; cujus tempore an. 1606, die 7 Nov. Johannes de Veteriponte episcopus Meldensis altaria hujus ecclesiæ ab hæreticis polluta dedicavit & consecravit de consensu capituli Sagiensis, sede episcopali vacante. Ut abbas sancti Andreæ delegatus fuit ad comitia generalia regni Parisiis habita an. 1614 a vicecomitatu Argentonii. Obiit 8 Augusti 1617.

XXXIX. Franciscus III *Rouxel de Medavy de Grancey* episcopus Sagiensis, & post archiepiscopus Rotomagensis, simul abbas Cormeliarum, obiit 6 Februarii 1691.

XL. Claudius-Mauricius *Colbert de Villacerf* filius Eduardi marchionis *de Villacerf* & Genovefæ *l'Archer*, abbas quoque de Nealfa & prior de Ellincurte, nominatur abbas Gofferni mense Aprili 1691, & procurator generalis cleri Gallicani anno 1695. Defunctus est 26 Octobris 1731.

XLI. N. *d'Albergotti* a rege renunciatus est 19 Aprilis 1732.

TRAPPA.

LA TRAPPE.

ROTROCUS II Perticensis comes voti solvendi causa, quod in mari periclitabundus emiserat, ut volunt, fundamenta jecit ecclesiæ in loco Trappa dicto, tribus a Mauritania leucis. Primi e Brolio & Alneto educti monachi apud Barras constitere, quo tempore data illis est terra de Contrabiso, donec utcumque dispositis ædibus Trappam ingressi sunt circiter 1140, quo anno data est fundationis charta IV nonas Decembris. Defuncto an 1143 Rotroco, filius Rotrocus III patris fundationem auxit, ædificia perfecit, atque inter alia largitus est terram de Laigneio. Quinquennio post Saviniacensis ordinis, cujus membrum erat Trappa, sortita est sortem, qui an. 1147 cum Cisterciensi coaluit. Ecclesia nondum erat consecrata, quam anno

1214, die 27 Aprilis, Robertus Rotomagensis archiepiscopus, *Radulfus* Ebroicensis & Silvester Sagiensis episcopi in honorem B. Mariæ dedicarunt. Præter Rotrocum II & III patrem & filium, de Trappa bene meriti sunt Robertus pater & filius domini Drocarum & Branæ, Guilelmus Catalaunensis episcopus, Carolus Valesius, comites Perticenses, &c. Anglorum quoque furorem experta hæc abbatia, commendatariorum simul præda fuit: verum cum diu intepuisset hoc in monasterio disciplina regularis, feliciter est restaurata per Armandum-Johannem *le Bouthillier* abbatem toto orbe celeberrimum, qui an. 1662 illud cœnobium univit congregationi Cisterciensi strictioris observantiæ concordato inito die 17 Augusti, quod ratum habuit senatus Parisiensis an. 1663, die 16 Februar. Paulo post mense Maio anni ejusdem facultate a christianissimo rege obtenta abbatiam regularem possidendi, monachus ipse factus apud Perseniam, acceptisque a summo pontifice literis & bullis, quibus ex abbate commendatario fieret regularis, spectaculum factus est mundo, angelis & hominibus. Exinde Trappam regulares rexerunt abbates, quorum & aliorum series hæc est beneficio monachorum Trappensium concinnata.

Abbates.

I. Alboldus bullam obtinuit ab Eugenio III anno 1146. Beneficos expertus est Richardum *Hurel* & filios, qui terram de Vastina donarunt, quam Guillelmus *Bousey* & Lambertus filius toparchæ de Boterellis auxerunt, & confirmavit Robertus *de Leoncestre* dominus Britolii. Hugo quoque & Ernaldus domini de Cella dederunt Quercum Audacrii in parochia de Melicurte, domini *de Chesnebrun* & de sancto Christophoro terram *de Chantecok*. Denique Henricus II Angliæ rex terram *de Meheru* ob interfectum Thomam Cantuariensem archiepiscopum. Rexit Alboldus 34 annis, & obiit v calendas Novembris.

II. Gervasius *Lambert* bullas impetravit ab Alexando III diebus III nonas Decemb. & XV cal. Januarii 1173. Obiit XI cal. Maii.

III. Adamus, qui & Galterius, nobilibus ortus parentibus, confirmationem bonorum a Rotroco comite Perticensi obtinuit an. 1189. Comitem Renoldum de Dampetra in terram Syriæ secutus est anno 1202, teste Alberico. Duas ab Innocentio III bullas obtinuit annis 1203 & 1204. Missus est a Philippo rege ad eumdem pontificem anno 1212. Biennio post consecrata est ecclesia Trappensis in honorem B. Mariæ v cal. Maii 1214. Transegit Adamus cum Guidone abbate sancti Petri Carnotensis 1218, quo anno patris auctoritas in parthenonem de Clareto ei a fundatrice concredita est. Dona Guillelmi episcopi Catalaunensis excepit annis 1219, 1220 & 1225, bullamque ab Honorio III anno 1224. Arbiter sententiam tulit an. 1236 inter Annam abbatissam de Clareto & Philippum priorem de Novigento Rotroci. Piis operibus & miraculis clarus obiit 7 Maii, sepultusque est in capitulo cum epitaphio.

IV. Johannes I *Herbert* diplomata a Ludovico IX rege obtinuit annis 1246 & 1269, bullamque ab Alexandro IV 1255, qua monachis licet officia divina celebrare in capellaniis suis. Defunctus pridie cal. Decembris 1274, tumulatur in capitulo.

V. Guillelmus duas a Johanne XXI adeptus est bullas anno 1276. Pepigit cum monachis Boniportus anno 1277. Post annos 4, menses 8 & dies 20 regiminis, defunctus XIII calend. Septembr. 1279, ad latus decessoris sui terræ mandatus est.

VI. Robertus I bullas a Nicolao III anno 1280, & a Martino IV an. 1283 impetravit, sicut & diploma a Philippo IV rege an. 1286, & chartam a Carolo Valesio comite Perticensi an. 1296. Defunctus est XIX cal. Sept. 1297.

VII. Nicolaus I bullis quoque donatus est a Bonifacio VIII, Benedicto XI & Clemente V, diplomate a Philippo IV an. 1304 & charta a Carolo Valesio. Johanna Franciæ regina anniversarium suum in ecclesia Trappensi instituit anno 1302. Nicolaus vero ad meliorem vitam transiit VIII calend. Maii 1310.

VIII. Ricardus I obiit IV cal. Jan. 1317.

IX. Robertus II, quo sedente nonnulla dedit Carolus Valesius pro refrigerio animæ suæ & Johannæ de Joigniaco primæ uxoris, & confirmavit 1328 dona Roberti *de Tournay* cum Agnete *de Chauvigney* uxore apud Trappam sepulti. Ibidem quoque sepulta Johanna *de Longny*, quæ dedit feodum *de la Brisaudiere*. Robertus post administratam per 29 annos Trappam, obiit VIII calend. Julii 1346.

X. Michaël pauco rexit tempore.

XI. Martinus I, cui ferrarium jus concessit Carolus Valesius, damna a bellis illata resarturus an. 1361. Attamen eamdem ob causam monachi anno sequenti aufugere coacti sunt in castrum *de Bonsmoulins* a furore Anglorum tutum. Anno 1375 Maria uxor altera Caroli Valesii auxit fundationem capellæ in ecclesia Trappensi. Martinus e vita excessit III nonas Apr. 1376.

XII. Richardus II Anglos monasterium devastantes expertus est, qui omnia, exceptis ecclesia & capitulo, devastarunt & pessumdarunt. Obiit calendis Octobris 1382.

XIII. Johannes-Oliverius *Parisi*, cognominatus *Mansel*, filius Oliverii *Parisi* & Agathæ, baccalaureus in theologia, electus est eo tempore, quo ad incitas ab Anglis redacta abbatia, tanta inopia affecti sunt monachi, ut pecuniam ab Bonifacio IX indictam solvere non valentes, excommunicati, a legatis pontificiis absoluti sint anno 1390. Occurrit in chartis authenticis *D. de Gaignieres* 1384 12 Febr. 1398 10 Junii, 1 Aprilis 1404, 6 Augusti & 10 Novembr. 1407 & 21 Nov. 1408. Compilata abbatia 1434, Eugenius IV prædones excommunicavit. Johannes a Johanne duce Alenconii chartam obtinuit 1456, bienniоque post obiit 24 Junii 1458

1458 post 75 annos, 7 menses & 24 regiminis dies. Quæ si vera sint, evanescit memoratus in chartis *D. de Gaignieres* Guillelmus 10 Junii 1403.

XIV. Robertus III *Lavolle* filius Gerardi, ex procuratore electus abbas mense Junio 1458. Hujus adhuc tempore compilata est abbatia. Cessit 1476, ex schedis Trappensibus. Nescio tamen annon ille sit abbas Trappensis, qui per biennium excommunicatus deponitur, ex aliis schedis. Obiit v non. Dec. 1485.

XV. Henricus *Hohart* Rotomagensis, baccalaureus in theologia, ex priore Mortui maris electus abbas Trappæ, æmulum passus est Augerium *de Brie* canonicum Cenomannensem & protonotarium apostolicum, qui falso supponens ejus in gratiam Robertum abdicasse, commendatarius legitur ultima Junii 1483, in chartis *D. de Gaignieres*, quo tempore plurima monasterii bona abalienavit; ast ab Henrico evictus est, qui senatus Parisiensis consultum obtinuit 28 Maii 1490, quo Augerius pecuniaria pœna multatus est, notarius carceri damnatus, adulterinum signum laceratum, & Henricus restitutus & confirmatus. Adfuit benedictioni abbatissæ de Claretis 23 Maii 1501. Reperitur 19 Martii 1511 in chartis *D. de Gaignieres*. Confirmationem bonorum obtinuit a Carolo comite Perticensi 1514, & bullam a Leone X anno 1518. Cessit in gratiam sequentis, & obiit IV idus Septembris 1520.

XVI. Robertus IV *Ravey* ex procuratore electus abbas, memoratur 15 Junii 1519, 21 Aprilis 1520 & 17 Febr. 1522, in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Bona ab Augerio alienata recuperavit. Visitavit 8 Aprilis 1524, & reformavit parthenonem de Claretis, & 10 mensis ejusdem electam confirmavit abbatissam Gabrielidem *de Sazillé*. Triennio post Robertus infirmitatibus pressus cessit 4 Aprilis 1527 in manibus Guillelmi abbatis Cisterciensis, & obiit 10 Sept. 1530.

XVII. Julianus *Desnoës* Perticensis, ex procuratore electus abbas, benedictus est die 5 Apr. 1527 a Guillelmo abbate Cisterciensi, assistentibus abbatibus ..... & Caroliloci. Per aliquot annos rexit: occurrit enim 15 Maii 1528, & 4 Martii 1531 in chartis *D. de Gaignieres*: at cedere coactus est sequenti a rege nominato.

XVIII. Johannes II *du Bellay* cardinalis & episcopus Parisiensis, nominatus a rege commendatarius, cessit 1538.

XIX. Martinus II *Hennequin* consiliarius in parlamento Parisiensi, obiit 1548, quo defuncto, monachi elegerunt Franciscum *Rousserie* priorem, qui ab Henrico II non fuit confirmatus.

XX. Alexander *Gævrot* ab Henrico II designatus, per septennium commendam tenuit.

XXI. Dionysius I *Brevedent* canonicus Rotomagensis obiit 21 Julii 1573, sepultusque est in ecclesia S. Salvatoris Rotomagensis.

XXII. Johannes III *Bartha* designatus a Carolo IX rege, cessit in gratiam Michaëlis *de Seurre* equitis Melitensis & magni Campaniæ prioris, qui ter a Gregorio XIII postulavit commendam, terque repulsam passus est mensibus Januario, Martio & Aprili 1582.

XXIII. Jacobus *le Fendeur* nominatus est ab Henrico III.

XXIV. Dionysius II *Hurault* abbas fuit de Pellicia, Brolii, Panis pontis & Trappæ, necnon episcopus Aurelianensis, ubi vide t. VIII, col. 1489.

XXV. Nicolaus II *Bourgeois* cessit sequenti.

XXVI. Antonius *Seguier* Ludovico XIII ab eleemosynis, consiliarius parlamenti, & canonicus ecclesiæ Parisiensis, obiit 19 Aug. 1635, simul abbas sancti Johannis Ambianensis & Trappæ, ac prior sancti Eparchii Paludani.

XXVII. Dominicus *Seguier* Antonii nepos, consiliarius in parlamento Parisiensi, canonicus & decanus Parisiensis, episcopus Autissiodorensis, quo tempore cessit Trappæ, dein episcopus Meldensis, ubi vide t. VIII. col. 1653.

XXVIII. Victor *le Bouthillier* ex episcopo Boloniensi coadjutor Turonensis & commendatarius Trappæ, cessit nepoti.

XXIX. Franciscus-Dionysius *le Bouthillier de Rancé* primogenitus Dionysii comitis consistoriani & Carolæ *Joly*, regi ab eleemosynis, canonicus ecclesiæ Parisiensis, abbas sancti Symphoriani, beatæ Mariæ de Valle & de Trappa; defunctus 1636, locum fecit sequenti.

XXX. Armandus-Johannes *le Bouthillier de Rancé*, superioris germanus, Sorbonicus doctor, duodennis in beneficia fratris successit, & præterea archidiaconus Turonensis, primusque Gastonis Aurelianensis eleemosynarius a patruo factus est anno 1656. Jam ab annis 28 Trappensem commendam tenebat, cum dimissis aliis beneficiis in monasterium Trappense arctiorem primo regulæ sancti Benedicti, juxta usus Cistercienses observantiam induxit 22 Augusti 1662. Tum renuntiatus a rege abbas regularis 10 Maii 1663, vestem induit monasticam in monasterio Perseniæ 13 Junii anni ejusdem, ubi, anno probationis expleto, vota emisit die 26 Junii 1664, annos tunc natus circiter 40. Possessionem Trappæ iniit per procuratorem 27 mensis ejusdem, & 13 Julii benedictionem percepit a Patricio *Plunquet* Ardensi in Hibernia episcopo in abbatia sancti Martini Sagiensis. Paulo post Romam profectus est, 24 scilicet Augusti, pro negotiis Cisterciensium strictioris observantiæ. Inde reversus 10 Maii 1666, suorum institutioni alumnorum non ita incubuit, quin libris conscribendis operam navaret. Præcipua ejus opera sunt: *De la Sainteté & des devoirs de l'état monastique*, *Des Etudes des moines*, & *Commentaire sur la Règle de saint Benoist.* Abbatiam in regis manibus cessit 29 Junii 1695, ad id ætate & assiduis morbis adductus. Cursum vitæ piæ consummavit 27 Octobris anni 1700, ætatis 76.

XXXI. Zosimus I, al. Petrus *Foisil* Belismensis, ex priore abbas 2 Maii 1695, possessionem nactus est 28 Decembris anni ejusdem,

benedictus 22 Jan. an. 1696 a Maturino *Savary* Sagiensi episc. Obiit 3 Martii, annos natus 35.

XXXII. Armandus-Franciscus *Gervaise* Parisinus, ex Carmelita discalceato monachus Trappæ, ex priore abbas 29 Martii 1696, ætatis 37, benedictus est 20 Octob. anni ejusdem ab eodem episcopo. Cessit mense Decembri 1698, plurimis doctisque clarus operibus.

XXXIII. Jacobus *de la Cour* Suessionensis, monachus de Pinu Pictaviensi, ex priore Trappæ abbas 24 Decemb. 1698 nominatus bullisque donatus mense Aprili 1699, possessionem iniit die 5 eorumdem mensis & anni. Benedictus fuit 22 Junii. Cessit 1713 & obiit 25 Maii 1720, ætatis 63.

XXXIV. Isidorus *Dannetieres* Tornacensis, ex canonico regulari Trappæ monachus, fit abbas 24 Dec. 1713, bullisque donatus XI cal. Apr. 1714, possessionem iniit 6. Nov. anni ejusdem. Benedictus 26 Aprilis 1716 a Dominico Sagiensi episcopo, obiit 24 Junii 1724.

XXXV. Franciscus-Augustinus *Gouche* Augensis, Trappæ monachus, abbas est nominatus 1727. Benedictus fuit 21 Aprilis 1728 a Johanne episcopo Ebroïcensi, Sagiensi sede vacante. Obiit 11 Septembris 1734.

XXXVI. Zosimus II *Hurel* e Vexino Gallico oriundus, nominatur abbas 10 Novembris 1734, possessionem iniit 12 Martii 1735, benedicitur die 13 a Jacobo Sagiensi episcopo. Obiit 7 Februarii 1747, ætatis 77, professionis 40, regiminis 13.

XXXVII. Malachias *Brun* ex priore electus abbas, a rege confirmatus est 4 Martii 1747.

VILLERS CANIVET.

VILLARE CANIVETI.

ROGERUS de Molbrayo regis Angliæ dapifer pro salute patris sui Nigelli de Aubigneio & matris Gondrææ monialibus ordinis S. Benedicti concessit ante annum 1140 (forte an. 1127) terram suam *de Villers* una a Falesia leuca distantem, *ad servitium faciendum divinum*, quam Rogeri filius Nigellus postea confirmavit & auxit. Moniales illæ ordinis erant Saviniaci, ejusque sortem subiere ad Cisterciensem filiæ cum matre 1147 translatæ. Abbatissis primo paruerunt, tum priorissis, quas ad annum 1571 solæ elegerunt. Hoc enim anno æmula diploma a rege petiit, quod non ipsa, sed alia obtinuit anno 1581. Centum post annis abbatissarum titulus rediit.

ABBATISSÆ ET PRIORISSÆ.

I. ALMANDA prior abbatissa memoratur an. 1127 in schedis Saviniaci, & 1140 in schedis abbatiæ S. Georgii.

II. Margarita I legitur abbatissa an. 1244 in chartulario S. Andreæ.

III. Philippa *de Briorne* 1388.

IV. Rachel *d'Acqueville* præerat annis 1405 & 1426.

V. Johanna I *Treperel* 1455, obiit 9 Oct. 1469.

VI. Margarita II *de Vassy* memoratur anno 1484 in scacario Normanniæ.

VII. Francisca I migravit ad dominum 13 Decembr. ex Arturo.

VIII. Isabellis *Seran* 1483 & 1492.

IX. Maria *de Serrant* excessit e vita 23 Dec. 1504, ex Arturo.

X. Johanna II *Pelerin*, quæ priorem se tantum nuncupabat, præerat anno 1511, & obiit 4 Septembr. 1522.

XI. Jaquelina I *Mallet* e familia *de Rubec* in Algiensi pago, extremum diem clausit 8 Maii 1538, ex Arturo.

XII. Magdalena *de S. Germain* e familia in Bajocassino, ultima per electionem facta ecclesiæ testudinem reparavit. Sedebat annis 1533 & 1563.

XIII. Jaquelina II *Mallet* sedebat an. 1564. Cessit in gratiam Margaritæ *le Bailleul* an. 1571; sed cum Margarita esset infirma, cessit utraque in gratiam sequentis anno eodem. Jaquelina vero obiit 20 Julii, & Margarita 19 Apr. 1576.

XIV. Margarita III *Busquet* prior instituta, sed a rege non confirmata, turbata est; pacifice tamen rexit ad annum 1581, quo cessit in gratiam sequentis, & decessit 15 Maii 1585.

XV. Renata *le Maire* e gente *de Cohardon* apud Cenomannos, monialis Bellomari Carnotensis, Margaritæ successit regio diplomate confirmata. Obiit 20 Augusti 1587.

XVI. Francisca II *Bouquetot* e domo *de Rabus* prope Pontem episcopi, cessit in gratiam Helenæ 23 Januarii 1593, & obiit 1597.

XVII. Helena *de la Moriciere* e stirpe *de Vicques* apud Falesiam, bullas obtinuit an. 1596, claustrum & disciplinam restituit, bona usurpata revocavit, coadjutricem adscivit Franciscam *de la Moriciere*, quæ bullis donata anno 1615, obiit 13 Febr. 1622: qua defuncta, Ludovicam neptim appellavit Helena an. 1625, ipsa vero piis operibus clara, mortua est 12 Junii 1636.

XVIII. Ludovica *de Maurey* Helenæ materteræ coadjutrix, bullas obtinuit anno 1625, & defunctæ successit. Sequentem abbatissam designavit ante obitum, qui contigit anno 1647.

XIX. Margarita-Bernarda *le Bourgeois* a monialibus expetita, a rege nominata est anno 1647, quo bullas obtinuit. Excessit e vita 15 Julii 1669.

XX. Magdalena *Hector de Marle de Versigny* filia Christophori *Hector* præsidis in camera computorum Parisiensium, monialis ordinis S. Dominici in Parisiensi S. Thomæ parthenone, Margaritæ successit an. 1669. Defuncta est 29 Junii 1681.

XXI. Anna *de Souvré Renouard* filia Renati equitis torquati & Mariæ *Courtin*, ex illustri & antiqua domo *de Souvré*, monialis Vinacii, nominata a rege prima abbatissa 4 Julii 1681, bullas obtinuit 11 Sept. anni ejusdem, forte defuncta anno 1712, nam

XXII. N. *de Montgommery* ex abbatissa Monceii fit Villaris 1 Novembris 1712.

XXIII. Maria-Ludovica *de Franfures de Villers* monialis abbatiæ de Bosco, nominatur Villariensis abbatissa anno 1739.

S. JOHANNES DE FALESIA.

JUxta muros Falesiæ Gunfridus filius Rogerii civis Falesiensis, de consensu Henrici I Anglorum regis & ducis Normanniæ, hospitalem erexit domum, & ecclesiam, quæ in honorem beati Michaëlis archangeli dedicata fuit a Johanne Sagiensi episcopo anno 1127. Instituto xenodochio, pauperum servitio fundator se devovit cum Rogerio de Vitreio & Gaufredo de Petraficta. Fundationem confirmavit Innocentius II Rotomagi existens VII idus Maii 1130, confirmataque ab Innocentio papa, auctoritate sua corroboravit Henricus I, dato diplomate anno 1132, & hospitali concessit molendinum suum de Falesia & partem in campo Feriæ. Processu vero temporis & clericorum prævalente numero, aliam ecclesiam construxerunt, quæ in honorem sancti Johannis-Baptistæ sacrata fuit anno 1134, dormitoriumque & alias officinas erexerunt, quas occupavere Robertus de Maireio, Robertus *le Pic*, Robertus de Olendino & Robertus de Hommaio. Hi regulam S. Augustini sub habitu nigro amplexati, Rogerium *de Vitry* priorem sibi præfecerunt, cui successit Gaufridus de Petraficta, quo tempore ecclesia sancti Laudi in burgo Achardi, ad preces Hugonis Rotomagensis archiepiscopi ejusdem societatis cum ecclesia Falesiæ effecta est anno 1143. Defuncto forsan Gaufrido priore, canonici sancti Johannis ordinem & habitum immutarunt, e sancto Judoco de nemore accitis anno 1158 religiosis Præmonstratensibus. Novi incolæ an. 1159. rerum potiti, prioribus superinduxere abbates, quorum hæc est series.

ABBATES.

I. ROBERTUS I de Maireio, unus, ut videtur, e religiosis sancti Judoci, sancti Johannis electus abbas, idibus Maii 1160 ab Henrico II Angliæ rege diplomate donatus est. Dissidium habuit cum Gisleberto abbate Troarnensi, quod composuit Rotrodus archiepiscopus Rotomagensis anno 1170. Quædam commutavit cum Roberto abbate Cormeliarum an. 1171.

II. Robertus II *Taon* abbas sancti Johannis depositus est. Postea capituli generalis sancito ab abbate de Silleio delectus fuit primus abbas Insulæ Dei anno 1187.

III. Fulco seu Fulcheredus *de Longueth* successit Roberto, qui successerat Roberto I; hique tres ecclesiam rexerunt annis 17 ab anno 1160, ac proinde obiit Fulco anno 1177.

IV. Walterus I Rogerii *de Vitry* primi prioris nepos, ecclesiæ Falesiensis curam suscepit anno 1177, quo circiter cum Simone abbate sancti Andreæ & G. Priore de Perreriis a summo pontifice delegatus, dissidium inter abbatem Sagiensem & Ricardum parochum de Valleframberti sedavit. Bullam obtinuit ab Alexandro III. Johannes rex Angliæ anno secundo dedit ecclesiæ S. Johannis de Falesia capellas suas in castello suo de Falesia sitas cum omnibus appendicibus. De consilio Henrici II Angliæ regis inchoatam Walterus alteram sancti Johannis B. perfecit ecclesiam, in quam, quia altera minabatur ruinam, intraverunt canonici VIII calendas Aprilis 1203. Beneficos expertus est Frogerium & Lisiardum episcopos Sagienses, a quibus factas donationes confirmavit Walterus archiepiscopus Rotomagensis anno 1203. Obiit autem Walterus abbas VIII idus Octobris 1209.

V. Johannes de Guibraio obiit anno 1209.

VI. Aubertus abbas anno 1209, defunctus est V idus Decembris 1213.

VII. Nicolaus ex abbate Ardenæ fit abbas Falesiæ, quo sedente, Silvester Sagiensis episcopus anno 1213 quatuor ecclesias canonicis S. Johannis aliaque plura anno 1216 confirmavit. Eodem anno 1216 Nicolaus cum Gaufrido Silleiensi abbate memoratur. Dissidium habuit cum abbatissa Cadomensi & parocho ecclesiæ de Guibraio, quod composuit Hugo Constantiensis episcopus anno 1217. Notatur III calendas Decembris & VIII calendas Augusti in necrologiis Lucernæ, Silleii & Falesiæ.

VIII. Walterus II cui R. abbas Troarni ejusque successor nonnulla confirmant anno 1221, quod postea præstitit O. etiam abbas Troarni. Annis 1223 & 1224 Gervasius Sagiens. episcopus, & 1231, mense Februario Hugo Gervasii successor, data a decessoribus approbant. Johannes quoque rex multa huic abbatiæ largitus est, quæ anno 1231 testantur Mauritius Rotomagensis archiepiscopus, episcopique Lexoviensis Guillelmus, Ebroicensis Richardus, Abrincensis Guillelmus & Hugo Constantiens. Obiit Walterus 13 Nov.

IX. Dionysius obiit III non. Januarii 1233, ex necrologio Silleiensi.

X. Adamus ex Arturo.

XI. Guillelmus I legitur mense Junio 1234 in chartis Ulterioris portus.

XII. Rogerius sedebat anno 1234, ex chartulario Bellosannæ, defunctus IV cal. Aprilis.

XIII. Thomas I, cujus obitus assignatur VIII idus Februarii, & VII idus Octobris in necrologio Insulæ Dei.

XIV. Walterus III bullam ab Innocentio IV obtinuit anno 1251.

XV. Robertus III de Boceio permutavit cum Gaufrido Sagiensi episcopo anno 1252, mensibus Decembri & Januario. Obiit 3 Septemb.

XVI. Stephanus *Oyn* memoratus an. 1266, emisit spiritum VIII idus Junii.

XVII. Walterus IV defunctus 8 Octobris 1269, ex necrologio Bellosannæ.

XVIII. Michaël de sancto Audomaro moritur die 8 Novembris.

XIX. Radulfus I *le Luctier* ex canonico Lucernæ abbas Falesiæ notatur pridie calendas & nonas Januarii.

XX. Johannes I *Dodeman* ex provisore domus anno 1310, postea abbas, animam exhalavit III calendas Augusti.

XXI. Petrus I *Maillart* defunctus XVI cal. Septembris.

XXII. Reginaldus *Mechin* cum Raimundo Morinensi episcopo a rege ad partes regni Castellæ missus est orator anno 1354. Præses erat in camera Inquæstarum Paris. anno 1359.

XXIII. Radulfus II *le Foussour* dissidium habuit cum officiali Sagiensi anno 1360, memoratus XVI calendas & pridie nonas Septembris.

XXIV. Guillelmus II *Lambert* ab anno 1380 ad 1416 in actis recensetur. Interfuit scacario Alenconii 25 Februarii 1392.

XXV. Robertus IV *Grenge* cum Petro abbate Insulæ Dei a capitulo generali deputatus, præfuit electioni abbatis Silleiensis 8 Maii 1425. In fata concessit ultima die Julii 1451, sepultus in choro. Hujus tempore Falesia Anglis liberata Carolo VII Francorum regi redditur, qui ejus præfecturam Potono contulit.

XXVI. Petrus II recensetur die 3 Octobris 1427 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XXVII. Robertus V memoratur 1 Junii 1446 ibidem.

XXVIII. Ricardus de Landis 20 Maii 1452 & 8 Decembris 1469 ibidem, cessit sequenti.

XXIX. Philibertus de *l'Espinasse* utroque parente nobilis, monachus Uticensis, cedente Ricardo, ob suorum exigentiam meritorum a Paulo II factus est abbas, jussusque habitum canonicorum Falesianorum induere. A Roberto Sagiensi episcopo benedictus est in ecclesia sancti Martini. Occurrit 9 Junii 1473 & ultima Nov. 1477 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. A Sixto IV pontificalibus infulis decoratur an. 1475 nonis Decembris. Die vero 29 Aprilis 1479 obiit.

XXX. Johannes II *Jouquin* prior sancti Martini de Buco, præsente Mauritio *de Magny* abbate Silleii anno 1479 electus abbas sancti Johannis, confirmatur a Michaële S. Judoci & ab Huberto Præmonstrati abbatibus, & benedicitur 11 Maii in ecclesia S. Martini ab Egidio *de Laval* coadjutore & vicario generali Roberti Sagiensis episcopi, præsentibus Mauritio Silleii & Petro S. Martini abbatibus. Æmulum passus est Henricum *de Maunoury* Lexoviensem canonicum a Juliano cardinali *de la Rovere* legato nominatum, quem pensio assignata a lite sedavit. Reperitur 2 Decemb. 1480 & 27 Apr. 1489 in chartis *D. de Gaignieres*. Scacario Normanniæ anno 1484 interfuit. Vicarius generalis provinciæ Normanniæ electus est a capitulo generali anno 1501. Decessit VIII idus Februar. 1506.

XXXI. Thomas II *de Malebiche* memoratus 1506 & 10 Decemb. 1507 in chartis *D. de Gaignieres*, chori exedras fieri curavit. Excessit e vita VI non. Martii 1516.

XXXII. Robertus VI *Morel* ædes abbatiales struxit. Cum mortem vivus semper præ oculis habuisset, eam moriens suavissimam est expertus, pestifero sublatus morbo 27 Augusti 1521.

XXXIII. Johannes III *de Glatigny* ex priore domus & S. Stephani de Juilleio abbas per viam compromissi renuntiatus est 28 Aug. 1521. Memoratur 6 Apr. post Pascha 1526 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Ultimus abbas regularis obiit 17 Aprilis 1540, sepultus ad cornu evangelii.

XXXIV. Ambrosius *d'Ossonvilliers* protonotarius apostolicus, primus a Francisco I commendam obtinuit. Pedum pastorale in candelabra mensæ suæ convertit, silvas vastavit, hospitalem domum solo æquavit, vigintique canonicos ad octo reduxit. Moritur 15 Octob. 1555, post cujus obitum fere per annum abbatia vacavit.

XXXV. Ludovicus *de Montgommery* hæreticum sub larva catholici professus aliquandiu, publicam cum fratre Calvinismi perfidiam amplexus, religiosos barbaro more persequitur. Ejus tempore, &, ut creditur, ipso auctore, iterum ecclesia & monasterium in direptionem data sunt. At Deo vindicante, a centurione Cadomensi Clemente dominica 14 Martii al. a Thoma *des Planches* mense Augusto 1574 occiditur in sacello B. Mariæ, & in choro ad gradus presbyterii cogente magistratu sepelitur.

XXXVI. Claudius *de Vieuxpont* abbas beatæ Mariæ de S. Severo, nominatus ab Henrico III, commendam S. Johannis a Gregorio XIII obtinuit III calendas Junii 1575 ea lege, ut intra 18 menses ad sacerdotii gradum promoveretur. Cessit anno 1580.

XXXVII. Johannes IV *de Vieuxpont* cantor Sagiensis, cedente Claudio, fit abbas anno 1580, & post episcopus Meldensis an 1602. Ecclesiam homicidio & hæretici sepultura pollutam iterum consecravit anno 1606. Hæreticos auditorium suum juxta cœnobium exstruere tentantes alio se transferre coegit. Pietatis & caritatis operibus deditus juriumque & libertatum satis diligens defensor, migravit a seculo an. 1623.

XXXVIII. Andreas I *Fremiot* Bituricensis archiepiscopus, renuntiatus a Ludovico XIII abbas, permutavit cum sequenti.

XXXIX. Renatus *Marescot* reformationem induxisse dicitur in monasterium sancti Johannis anno 1623. Ejus legitur hoc epitaphium in ecclesia Parisiensi:

Renatus Marescotius Parisinus, abbas S. Johannis de Falesiis, necnon hujus ecclesiæ canonicus, hic quiescit, qui postquam per octodecim plus minus annos circa reges Ludovicum XIII & XIV reginamque regentem munere eleemosynarii functus est; & interea Romam profectus, ab Urbano VIII pontifice maximo camerarii dignitate insignitus est, clarissimis viris Guillelmo & Michaeli Marescotiis libellorum supplicum magistris & Valentinæ Loisellæ parentibus ac fratri primogenito superstes, præmatura morte triginta & octo annis, septem mensibus & quindecim diebus exactis, cæteris notis atque amicis ægre ferentibus, ereptus est anno Domini 1649 die Junii 27.

XL. Andreas II *Mondain* Pedemontanus e Monte reguli, duci Sabaudiæ ab eleemosynis ejusque apud Ludovicum XIV legatus, abbas

de Berdona & de Boheriis, fit de Falesia anno 1649. Canonicus quoque ecclesiæ Parisiensis, obiit 1650 mense Martio.

XLI. Paulus *de Machault* 1650 abbas, obiisse videtur anno 1684.

XLII. Paulus-Felix *de Paradis* commendam obtinet 2 Septemb. 1684.

XLIII. N. *d'Albon* obiit anno 1708.

XLIV. Carolus *de Beaupoil de Sainte-Aulaire* filius Davidis *de Beaupoil* & Gabrielidis *de Beaupoil de Nantia*, canonicus & major vicarius episcopi Petracoricensis, nominatus abbas sancti Johannis 27 Maii 1708. Adfuit comitiis generalibus cleri Gallicani 25 Oct. 1715. Reginæ ab eleemosynis 1725. Abbas Obazinæ mense Junio 1728, & Mortuimaris 1729.

SILLEIUM.

Sillt.

ARgentonium inter & Oximum quatuor a Sagio leucis, medio in nemore *de Gouffer*, seculo XII medio Præmonstratensis ordinis canonia fundatur in honorem B. Mariæ, in loco forte dicto Silleium, a Drogone milite qui inibi postea factus canonicus, obiit 6 Augusti. Omnibus autem in chartis seculorum XII & XIII dicitur abbatia sanctæ Mariæ *de Gouffer*. Quo præcise anno fundata fuerit ignoratur. At jam fundata erat, quando Mathildis vidua Henrici V imperatoris & Godefridi ducis Normanniæ & Andium comitis defuncti an. 1151, & mater Henrici II regis Angliæ, mense Decemb. 1154 plurima tam Drogoni fundatori quam fratribus sanctæ Mariæ *de Gouffer* largita est diplomate, quod habes in Neustria pia & in annalibus ordinis, in quo post hæc verba, *comitis Andegaviæ*, legendum, *& Henrici filii mei regis Angliæ, necnon & pro salute mea propria & nostrorum liberorum*, &c. Henricus quoque II Drogoni fundatori & fratribus sanctæ Mariæ *de Gouffer* chartum dedit, non apud Rotomagum, sed apud Argentonium, Thoma adhuc cancellario, qui in limine regni Henrici II hanc dignitatem exuit: unde jure concluditur hæc diplomata circa annum 1154 data fuisse, ac proinde cum data fuerint Drogoni fundatori, non multo ante id tempus fundatam fuisse abbatiam Silleii. Fundatrix quoque apud Robertum de Monte audit Mathildis, quod plurima loco contulerit. Hujus exemplum secuti sunt Henricus II ejus filius, Henricus VI & Richardus I, cujus diploma
Ch. XIII. col. 158. legesis in appendice, & Franciæ reges Ludovicus VIII anno 1224, Philippus Audax an. 1277, Petrus sancti Ludovici filius, comes Alenconii an. 1277, & Petrus II comes Alenconii an. 1391. Horum diplomata asservantur in chartulario. In ecclesia sepulti sunt quidam principes regiæ stirpis e linea comitum Alenconiorum in immatura ætate sublati.

ELENCHUS ABBATUM.

I. ALANUS e Præmonstrato eductus, primus fit abbas sanctæ Mariæ *de Gouffer* apud Silleium, & obiit XIV cal. Septembris.

II. Radulfus I bulla donatus est ab Alexandro III an. 1179. Obiit IV id. Sept. 1189.

III. Guillelmus I cum Roberto abbate Ardenæ testis est an. 1203 donationis factæ Alneto.

IV. Gaufridus memoratus anno 1212 in chartis Insulæ Dei, pepigit cum priore Belli altaris anno 1216. Legitur III idus Febr. in necrologio Marchasii Radulfi.

V. Michaël I nonnulla recipit a monachis sancti Ebrulfi anno 1242.

VI. Radulfus II, forte qui 21 Octob. notatur in necrologio Insulæ Dei.

VII. Petrus *le Gastel* defunctus 17 Febr. ex necrologio.

VIII. Philippus memoratur III non. Mart. circa 1250 in necrologio Marchasii Radulfi.

IX. Richardus I *Fournier* defunctus XV cal. Junii. Circa id tempus Guillelmus *Rentier* miles fundavit capellam apud Silliacum anno ineunte 1309. Ch. XVIII. col. 173.

X. Richardus II *de Pelvel*, provinciæ Normanniæ visitator, sedebat annis 1317 & 1323, quorum primo quædam statuit circa pitancias monasterii & altero vices gerit Adæ abbatis Præmonstratensis in circaria Normanniæ. Obiit 18 Julii 1327, ex necrologio Bellosannæ.

XI. Michaël II moritur XII cal. Nov.

XII. Matthæus *Pelvel* obiit XVI cal. Julii.

XIII. Nicolaus I *de Pommainville* defunctus XVI calend. Septembris.

XIV. Girardus.

XV. Guillelmus II notatus 21 Octob. in necrologio Insulæ Dei.

XVI. Thomas.

XVII. Silvester mortuus VI idus Nov.

XVIII. Radulfus III obiit 24 Augusti, ex necrologio Bellosannæ.

XIX. Sigehardus.

XX. Guillelmus III *Emery* memoratur ad annum 1368. Obiit XII cal. Nov.

XXI. Radulfus IV occurrit 6 Mart. 1368, in chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XXII. Guillelmus IV legitur 6 Novembris 1384, ibid.

XXIII. Johannes I *Chaupin* fer. V 28 Dec. 1385, 1389 & 1391 9 Apr. ibidem. Missas spopondit Gregorio episcopo Sagiensi 1388 & Petro Alenconii comiti 1389. Ecclesiam & domum ab Anglis eversas instaurare cœpit an. 1386, opera Petri comitis Alenconii & Gregorii Sagiensis episcopi. Obiit XVI cal. Sept.

XXIV. Nicolaus II *Nicolet* occurrit penultima Aprilis 1394 & 22 Octobris 1400 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Obiit 17 Augusti, ex necrologio Bellosannæ.

XXV. Johannes II memoratur 25 Nov. 1401 ibidem.

XXVI. Radulfus V transegit die Martis 23 Febr. 1406 cum abbate & monachis S. Petri supra Divam, de capella B. Mariæ de Mainbovilla, & de decima S. Lamberti; attamen

XXVII. Johannes III *le Cordier* quiescit in navi ecclesiæ, de quo legitur in obituario:

xiv cal. Maii Johannes le Cordier *de Oximo abbas Silleii, obiit anno 1425, cum rexisset annis 24, & plura bona ac reparationes fecisset in hac domo.* Quo tempore nascitur 4 Oct. 1407, 16 Martii sequentis obit, & cum Maria sorore sua in ecclesia Silleiensi sepelitur Petrus primogenitus Johannis I ducis Alenconii & Mariæ filiæ ducis Britanniæ.

XXVIII. Guillelmus V *le Cordier* præsentibus Petro abbate Insulæ Dei & abbate Falesiæ a capitulo generali deputatis, eligitur 8 Maii 1425. Rexit annos 19, inde translatus ab Eugenio IV ad abbatiam S. Martini Sagiensis anno 1444. Notatur 13 Apr. in necrologio Bellosannæ.

XXIX. Johannes IV *le Cordier*, ex priore Silleii, fratri suo germano Guillelmo successit, promotus ab Eugenio IV anno 1444. Memoratur 16 Januarii 1446 & 28 Junii 1452 in chartis authenticis *D. de Gaignieres.* Transiit an. 1454 ad abbatiam S. Petri supra Divam.

XXX. Mauritius *de Magny*, ex priore abbas an. 1454, benedicitur apud sanctum Martinum ab R. episcopo Sagiensi. Possessionem iniit anno eodem. Memoratur sequenti in chartis *D. de Gaignieres*, & penultima Novemb. 1488. Capitulo generali adfuit anno 1461, & electioni ac benedictioni Johannis *Jonquin* abbatis Falesiæ anno 1479. Delegatus est an. 1486, ut inquireret de furto in ecclesia cathedrali facto, & ut latrones diris voveret. Vicarius generalis in diœcesi Sagiensi a Roberto episcopo delectus est. Chartularium fieri curavit an. 1499. Cesserat jam in manibus summi pontificis anno 1495, obiitque anno 1500, III nonas Augusti.

XXXI. Johannes V *le Fort*, ex parocho ecclesiæ de Silleio factus abbas a summo pontifice per cessionem Mauritii, institutus est ab abbate Falesiæ deputato ab Alexandro VI, non. Apr. 1499. Memoratur in chartis authenticis *D. de Gaignieres* an. 1507. Crucifixum ligneum in ecclesia fieri fecit an. 1510. Cessit an. 1518, & obiit VIII idus Novemb. 1521.

XXXII. Guillelmus VI *Paris*, cedente Johanne, fit abbas a Leone X, cum licentia benedictionem a quocumque episcopo obtinendi, bulla data Milliani diœcesis Portuensis an. 1518, idibus Novembris, pontificatus anno 6. Vicarius generalis Normanniæ a generali ordinis capitulo renuntiatur anno 1538. Obiit regularium abbatum ultimus VII id. Aprilis 1545.

XXXIII. Ludovicus *de Bailleul* decanus Lexoviensis abbasque Lonleii Silleiensem commendam tenuit ab anno 1546 ad 1583, quo vitam finivit XV calend. Febr. Ædes abbatiales Villæ novæ construxit. Adfuit scacario Alenconii 1 Octobr. 1576. Eodem anno, 7 Febr. Henricus rex concesserat abbatiam Silleiensem post decessum Ludovici N. *Corberan de Cardaillac* domino *de Sarlabous* gubernatori Portus gratiæ, sed incassum, ut videtur.

XXXIV. Nicolaus III *le Forestier* ordinis sancti Dominici alumnus apud Ebroicas, doctor theologus & a confessionibus ducis Alenconiensis, defunctus III cal. Aug. 1584; sepelitur in ecclesia Silleiensi, prope Ludovicum sub lampade.

XXXV. Thomas *Loisel* canonicus *de Carrouge.*

XXXVI. Jacobus *le Veneur* filius Jacobi comitis *de Tillieres* & Carlottæ *Chabot*, dominus *de Carrouge*, successit Thomæ, & Johannem germanum successorem habuit, cui cessit.

XXXVII. Johannes VI *le Veneur*, cessione Jacobi germani commendatarius, reformationem cœnobii procuravit anno 1614. Nanceii apud presbyteros Oratorii, quorum institutum profitebatur, mortuus est, simul abbas Fontis Danielis.

XXXVIII. Jacobus *le Veneur*, defuncto Johanne germano, recepit commendam, & reformatam ex parte domum studio & labore fratris sui univit congregationi rigoris antiqui an. 1630. Cessit 1637.

XXXIX. Franciscus *le Veneur* Taneguidi II comitis *de Tillieres* & Catharinæ *de Bassompierre* filius, cedente Jacobo patruo, abbatiam adeptus 15 Junii, possessionem adiit anno 1637. Defunctus VII idus Februar. 1667, sepultus est in seminario Valoniæ, simul abbas Fontis Comitis & Fontis Danielis.

XL. Henricus *du Mont* regiæ musices magister, commendam tenuit ad annum 1684 8 Maii.

XLI. Bertrandus *de Bortaris de Tournefort* canonicus sancti Quintini Veromanduensis & vicarius generalis Parisiensis, nominatus est an. 1684.

XLII. Dominicus-Barnabas *Turgot de Saint Clair* renuntiatus exeunte Augusto 1727, obiit 18 Decemb. anni ejusdem.

XLIII. Ludovicus-Franciscus *Neel de Cristot* consiliarius in parlamento Rotomagensi, a rege nominatus abbas ineunte Junio 1728, Romæ proponitur 2 Oct. 1730. Triennio post cessit in manibus regis, qui nominavit N. *du Barail* 13 Dec. 1733; sed nec cessio, nec nominatio suum sunt effectum sortitæ. Factus est episcopus Sagiensis anno 1740, ut diximus.

ABBATISSÆ ALENCONIENSES S. CLARÆ.

Gabrielis *de Nozay* abbatissa 19 Febr. 1556, ex chartis authenticis *D. de Gaignieres.*

Francisca *de Barville* 28 Maii 1557, ibid.

Margarita *de Quinée* 27 Novembris 1583, ibid.

Bis ab hæreticis expulsæ ex urbe Alenconii Clarissæ, viginti post annos reversæ sunt, Ludovica *Aubert* abbatissa.



LEXOVIENSIS ECCLESIA.

LEXOVII, qui & Lexobii Cæſari & Plinio, Lexubii vero Ptolemæo, populi erant in Lugdunenſi Gallia, quorum urbs Noviomagus dicta a Ptolemæo & in itinerario Æthici, de qua tamen ſubdubitat Valeſius an non ſit potius Novigentum ad flumen Indellam. Ut ut eſt, Lexoviorum civitas, inter provinciæ Lugdunenſis ſecundæ civitates penultima, Lexovium nomine gentis cujus erat caput, ut ſexcentæ aliæ, appellata deinceps fuit. Vocabulum quoque illud truncatum & corruptum aut alteratum fuit. Sic pagum Livinum & Liſumum, pagum Liſiacenſem, Lixoenſem, Liſoienſem & Liſoenſem pro Lexovienſi paſſim reperies. Ad oſtia Sequanæ ſitum Lexovium, tribus irrigatur fluminibus, quorum unum Tolca in pago prope Gaceium ſcaturiens urbi allabitur & mare petit, alterum Diva per Algiam Normannicam defluens, Lexovienſem diœceſim a Sagienſi & Bajocenſi diſcernit; Rila vero Lexovium abluit, & ſeparat a Sagienſi, Ebroicenſi & Rotomagenſi diœceſibus. His amœniſſima aquis irrigata prata gratiſſimum oculis præbent aſpectum. De fortuna Lexovii quale ſub Romanis, Francis, Normannis, Anglis & Gallis principibus fuerit, non eſt quod loquamur: id quippe noſtri non eſt inſtituti. At de origine Lexovii chriſtiani quid loquemur? Quam bene hanc in rem Ordericus Vitalis, qui in diœceſi Lexovienſi totos quinquaginta ſex annos exegit, & quæcumque ad hiſtoriam hujus eccleſiæ ſupererant, collegit libro ſexto hiſtoriæ ſuæ: *Piratæ de Dania egreſſi ſunt, in Neuſtriam venerunt, & chriſtianæ fidei divinique cultus penitus ignari, ſuper fidelem populum immaniter debacchati ſunt. Antiquorum ſcripta cum baſilicis & ædibus incendio deperierunt, quæ fervida juniorum ſtudia, quamvis inſatiabiliter ſitiant, recuperare nequiverunt. Nonnulla vero quæ per diligentiam priſcorum manibus barbarorum ſolerter erepta ſunt, damnabili ſubſequentium negligentia interierunt.* Mirum igitur videri non debet primos aliquot ignorari Lexovienſes epiſcopos; Lexovienſis enim religio Rotomagenſi antiquitate cur cederet? Mirum videri non debet quod epiſcopis per 300 aut 400 annos vacua ſit ſedes. Has ut expleant rimas nonnulli viri docti, quos jam præiverat Rituale Lexovienſe anni 1661, inter epiſcopos Lexovienſes locum dari poſſe autumant SS. Urſino, Patricio & Candido, quippe quorum reliquiæ in eccleſia Lexovienſi aſſervantur. Eccleſia hæc cæteris Neuſtriæ epiſcopatibus facultatibus haud impar, patronum agnoſcit S. Petrum Apoſtolorum principem. Epiſcopus, qui & epiſcopus eſt capituli, comes eſt & civitatis. Hunc comitatum ſeptem componunt baroniæ, de Nonanto in Bajocaſſino, de Thibervilla, de *Glos* & Courthona, de Gaceio, de Tonqua, de Canapvilla & de Bonnavilla *la Louvet*, omnes in diœceſi. Epiſcopus præterea conſervator eſt privilegiorum academiæ Cadomenſis. Dignitates omnes & præbendas eccleſiæ Lexovienſis confert, excepto decano qui eligitur a capitulo, nec a quoquam confirmatur. Præter decanum, capitulum octo conſtat dignitatibus, cantore, qui reſidere tenetur, theſaurario, capicerio, magiſtro ſcholarum & quatuor archidiaconis; 1 de Lievino cui ſubſunt quatuor decanatus rurales, *Moyaux, Cormeilles, Bernai & Orbec*, in quibus 139 parochiæ, rectoriæ vero ſeu curæ 148; 2 de Algia, cui ſubſunt tres decanatus, *Meſnil-Mauger, Beuvron & Beaumont*, in quibus 128 parochiæ, rectoriæ vero 137; 3 de Ponte Audomaro, cui ſubſunt tres decanatus, *Touques, Honfleur & Pontaudemer*, in quibus 89 parochiæ, rectoriæ 93; 4 denique de Gaceio, cui ſubſunt quatuor decanatus, *Gacey, Livarot, Montreuil* & *Vimoutier*, in quibus 111 parochiæ, & 117 rectoriæ. Poſt dignitates ſunt 31 præbendæ integræ cum duabus ſemipræbendis, e quibus undecim antiquæ fundationis, quas qui tenent barones vocantur. Sunt & aliæ ſex præbendæ *Volantes* dictæ, quæ quotidianis non gaudent diſtributionibus. Sunt adhuc in eadem eccleſia 4 vicarii, quorum tres revocabiles, & 30 capellani, quorum ſeptem epiſcopus, & 23 inſtituit capitulum. Præter parochias ſupra memoratas, ſunt & aliæ undecim in urbe & banleuca Lexovienſi, rectoriæ duodecim: quatuor in exemtione de Nonanto prope Bajocas, quarum ſex rectores, & quinque in exemtione S. Candidi ſenioris in urbe & diœceſi Rotomagenſi, quarum unam, ſcilicet S. Candidi ſenioris collegiatam ſimul & parochialem adminiſtrant quatuor canonici, qui alternis vicibus parochialia obeunt munia; decanatus enim annexus eſt epiſcopo Lexovienſi qui juriſdictionem exercet in quinque illas eccleſias. Tota denique diœceſis Lexovienſis 487 parochias continet, rectorias 520. Catalogum epiſcoporum e tabulis, documentis & ſchedis concinnatum auctiorem multo & emendatiorem damus quam Sammarthani, ope maxime Stephani-Antonii *Freard* canonici Lexovienſis, qui quæcumque potuit, nobiſcum humaniſſime communicavit.

Nogent-ſur-Andelle.



LEXOVIENSES EPISCOPI.

ANNI CHRISTI

I. Theudobaudus.

Concilii III Aurelianensis canones cum aliis episcopis sancivit Theudobaudus Lexo-
538. viensis episcopus anno 538, qui Edibium pre-
541. sbyterum misit ad quartum anno 541; præsens
549. ipse quinto anno 549.

II. Ætherius.

De Ætherio id unum novimus, quod satis prolixe narrat Gregorius Turonensis historiæ Francorum lib. VI, cap. 36, clericum scilicet Cenomannensem luxuriosum cum archidiacono Lexoviensi nefando molimine in præsulis necem conspirasse. *Conjunctus est*, inquit Gregorius, *archidiacono civitatis, & se episcopatu dignum proferens, episcopum molitur occidere; locatoque clerico qui cum bipenne percuteret ..... ipsi proferunt præmia, ut si sacerdos obiret, ipse succederet. Sed misericordia Domini anticipavit eorum perfidiam, crudelitatemque iniquorum hominum veloci pietate repressit.* Aliquanto post: *Quiescentibus cunctis media fere nocte cubiculum sacerdotis irrumpunt exclamantes.... vidisse se mulierem a cubiculo egredi ..... & sane pars hæc & consilium diaboli fuit, ut in tali ætate crimen imponerent sacerdoti, qui erat fere 70 annorum. Nec mora, conjuncto secum antedicto clerico, adligatur sacerdos catenis ab ejus manibus de cujus collo sæpius vincula discusserat, & arduæ custodiæ mancipatur ab eo quem de cœnosis carceribus plerumque liberaverat: at ille cognoscens inimicos sibi vehementer invaluisse, Domini misericordiam cum lachrymis in vincula compactus exorat.* Gregorius idem auctor est e custodia divino quodam judicio liberatum Ætherium ad regem Guntchramnum se recepisse, discurrentibus ex alia parte satellitibus ad regem Chilpericum pro episcopatu petendo, quos missos rex abire jussit. *Interea mœsti cives*, subjungit Gregorius, *de pastoris absentia ..... ad regem petierunt ut reciperent sacerdotem suum. At rex fratri suo legatos dirigit, adserens nihil se criminis in episcopo reperisse. Tunc Guntchramnus rex, ut erat benignus & promtus ad miserandum, multa ei munera contulit, dans etiam epistolas per omnes episcopos regni sui, ut peregrinum aliquo pro Dei intuitu consolarentur. Tunc circumiens civitates, tanta ei a sacerdotibus Dei collata sunt tam in vestibus quam in auro, ut vix civitati quæ meruerat posset inferri..... Nam huic peregrinatio divitias attulit, & exilium multas opes invexit. Post hæc regrediens a civibus cum tali honore susceptus est, ut præ gaudio flerent & benedicerent Deum, qui tandem ecclesiæ tantum restituit sacerdotem.* Idem refert Aimonius lib. III, cap. 53.

§ Si genuina foret lectio MS. codicis Moissiacensis de vita S. Desiderii Cadurcorum episcopi, inter episcopos Lexovienses accensendus foret Austasius qui in hoc codice episcopis qui medio septimo seculo floruerunt annumeratur sic: *Luxovio Austasium;* at timor est ne pro *Luxovio* legendum sit *Luco*, id est Tullo, aut *Luxovio Eustasium* abbatem, ut in alio codice legitur; præsertim cum mendis non careat MS. Moissiacense, aliundeque in Tullensibus episcopis vacuus sit tunc temporis locus.

III. Launobaudus.

Concilio Cabilonensi I adfuit Launobaudus anno 644. 64

IV. Hincho.

Nominatur Hincho inter episcopos qui rata habuerunt privilegia ab Emmone Senonensi concessa monasteriis S. Columbæ & S. Petri vivi anno circiter 658. 65

V. Leodeboldus.

Subscripsit Leodeboldus privilegio Bertefridi Ambianensis episcopi pro monasterio Corbeiensi dato VIII idus Septembr. anno 7 Chlotarii regis, Christi 662 aut 663. 66

Post Leodoboldum desiderantur nomina episcoporum per annos circiter 150.

VI. Freculfus.

Lexovii factus episcopus Freculfus, populum fame verbi salutaris tabescentem reperit, sed minime suam sentientem inediam. Sedebat autem
anno 825, quo cum Adegario Romam missus 82
est a Ludovico Augusto, ut facultatem ab Eugenio papa obtinerent viros doctos congregandi, qui causam imaginum magis examinarent. Et certe, legatis reversis, habitus est Parisiis calendis Novembr. hujus anni episcoporum conventus, cui adfuit Freculfus. Adfuit & alteri ibidem cele-
brato an. 829. Freculfi rogatu scripsit Rabanus 829
circa annum 830 commentarios suos in Pentateuchum, quibus præmissa est Freculfi epistola Rabanum ad illas commentationes invitantis, ex qua facile colligitur illum ab annis paucis esse Lexoviensis ecclesiæ pastorem. Eumdem sane
putamus ac Radulfum qui anno 833 subscripsit 833
chartæ Aldrici Senonensis præsulis pro sancto Remigio. Conciliis apud Theodonis villam an.
835 & Carisiacensi anno 837 interfuit. Hoc 835
ultimo imperatoris partibus ac Judithæ Augustæ 837
addictissimo Freculfo Ebonem Remorum antistitem custodiendum commisit Ludovicus Augustus. Adstitit Freculfus conventui apud Cari-
siacum anno 838, & concilio Senonensi 840. 838
Subscripsit privilegio Curbionensis monasterii 840
dato Germiniaci anno 843, conciliis Parisiensi 843
847, Turonensi seu Parisiensi 849. Interfuerat 849
anno superiori dedicationi ecclesiæ S. Renoberti Bajocensis, & obiit sequenti, ex historico academiæ Parisiensis. Freculfum monachum fuisse vult cum Trithemio Bellarminus, quanquam de monastica ejus professione nihil certum hactenus occurrit.

ANNI CHRISTI

occurrit. Præceptorem ipse suum appellat Helisacharem abbatem, qui ei auctor fuit ut libros duos chronicorum componeret, quorum priorem ab initio mundi ad Octavianum Cæsarem pertingentem ipsi Helisachari, alterum ab Octaviano ad Longobardorum in Italia regnum Judith Augustæ nuncupavit. Hos vero libros contexuit ex sententiis antiquorum cum hagiographorum tum gentilium scriptorum, ex quo intelligitur Freculfum jam episcopum chronicum suum composuisse, postquam scilicet hos libros quibus ad scribenda chronica usus est comparasset; quippe qui ne quidem sacros libros sibi competere ait in epistola ad Rabanum. De Freculfo videndi Lupus B Ferrariensis epist. 84, Sigebertus, Trithemius, chronicon Hirsaugiense, Bellarminus & ceteri bibliothecarii.

VII. Hairardus.

Missus Dominicus sub Carolo rege Hairardus, qui Hariardus & Eirardus, in Abrincato, Constantio, Bagisino & ceteris finitimis, adfuit con-
853. ciliis Vermeriensi II & Suessionensi II an. 853,
855. Bonogilensi 855, Tullensi apud Saponarias 859,
859. Pistensi 861, Suessionensi & Aquisgranensi III
861. 862, Tricassino 867, Vermeriensi III 869 &
862. Pontigonensi anno 876.
867. ¶ En altera centum & amplius annorum in-
869. tercapedo, quibus aut nulli fuere aut ignorantur
876. Lexovienses episcopi propter Normannorum incursus, qui tunc in illis partibus grassabantur. Huic autem non officit abbas Fontanellensis Ansegisus, qui obiit anno 833, nisi forte alius sit Ansegisus, qui creatus episcopus anno 882, decesserit XIII calendas Augusti.

VIII. Rogerius.

Translationi corporis S. Audoëni in aliam capsam factæ a Ricardo I duce Normanniæ tempore Hugonis Rotomagensis præsulis adsuit Ro- D gerius, qui & adsuit dedicationi ecclesiæ Fiscan-
990. nensis an. 990, & conventui Fiscannensi anno
1006. 1006. Subscripsit chartæ Ricardi II ducis pro
1015. ecclesia collegiata S. Quintini an. 1015; bien- Gall. Chr. t. 11. col. 135.
nioque post instrumento quo Guillelmus abbas Divionensis cavit libertati Fructuariensis cœnobii. Ad R. Lexoviensem pontificem scripsit epistolam 57 Fulbertus Carnotensis pro canonicis quos R. interdixerat, eo quod non solvebant ei synodum in ecclesiis quas habebant in diœcesi Lexoviensi. *Geroius*, ait Ordericus Vitalis pag. 464, *postquam Helgonis fiscum* (Monasteriolum ac Escalfoium) *obtinuit, incolas illius patriæ de* E *quo episcopatu essent inquisivit. Illi autem dixerunt se nullius episcopatus esse. At ille: hoc omnino injustum est; absit a me ut sim sine pastore & jugo ecclesiasticæ disciplinæ. Deinde quis vicinorum præsulum religiosior esset investigavit, agnitisque virtutibus Rogerii Lexoviensis episcopi, ei totum honorem suum subjugavit, & Baldricum de Balgenzaio, generosque suos Wascelinum de Ponte Erchenfredi & Rogerium de Merula terras suas quæ simili libertate abutebantur, præfato pontifici similiter submittere persuasit.* A *Rogerius itaque præsul videns quod præfati optimates sibi sponte sua humiliarentur, congratulatus est eis, deditque privilegium ut clerici terræ suæ non irent ad placitandum extra potestatem eorum, nec opprimerentur injustis circumventionibus archidiaconorum. Hoc autem privilegium Geroianus Willelmus fortiter tenuit, & a domno Hugone episcopo Uticensibus monachis obtinuit.* Rogerii obitus dies memoratur 19 Octobr. in ecclesia Lexoviensi, primusque in libro obituum inter episcopos numeratus legitur anno 1022, ex schedis nonnullis; quæ quidem epocha difficultate non caret.

IX. Robertus.

E Lexovio transiit Robertus ad Constantiensem sedem.

X. Herbertus.

Normanniæ ducum propinquus Herbertus e Constantiensi translatus anno 1022, subscripsit 1022.
literis Ricardi II ducis S. Michaëlis monachis conferentis abbatiam S. Paterni, cœnobium S. Petri, &c. Subscripsit ejusdem diplomati pro Carnutensi sancti Petri monasterio. Vix autem factus episcopus, scripsit Carnotensibus canonicis ut ipsi solverent circadas pro ecclesiis quas habe- C bant in episcopatu Lexoviensi: cui dederunt canonici epistolam 110 inter Fulbertinas, ut aut debitum remitteret, aut Fulbertum Romam profectum exspectaret. Subscripsit chartæ Rotomagensis archiepiscopi, Carnutensibus sancti Petri monachis confirmantis ecclesiam de Fontaneto liberam ab omni inquietudine episcopi & archidiaconi. Subscripsit fundationi Bernaii an. 1025, 1025.
& Cerisiaci an. 1032. Una cum Roberto Roto- 1032.
magensi archiepiscopo & Roberto Constantiensi episcopo dicavit ecclesiam Fontanellensem a Girardo abbate ædificatam circa 1033. Vice Rotomagensis archiepiscopi dicavit anno 1034 in honorem beatæ Mariæ ecclesiam Beccensem ab Herluino perfectam, quem tunc temporis sacro religionis habitu induit, & quadriennio post sacerdotem consecravit & abbatem præfecit. Chartam obtinuit a Guillelmo notho confirmante donationem ecclesiæ Lexoviensi a Ricardo comite factam. Primus fundavit obitum in ecclesia Lexoviensi anno 1040, qui celebratur die 16 1040.
Julii. Concilio Remensi adstitit anno 1049. 1049.
Subscripsit chartæ Eduardi III Anglorum regis, cellam sancti Michaëlis de Cornubia monasterio sancti Michaëlis de Monte conferentis. Ecclesiam sancti Petri Lexoviensis cœpit ædificare, sed non potuit consummare.

XI. Hugo. D'Eu.

Richardi I nepos, filii quippe ejus naturalis Guillelmi Aucensis comitis & Lezscelinæ filius Hugo, *juvenis a principe pontificatus in apicem provectus, spirituali mox canitie senibus maturior enitebat. Nequaquam ille ob antiquum stemma notabatur fastuosus, nec ob altiorem gradum, sive florentem ætatem animo aut elatus, aut per lubricas voluptates vagus. Librabat equidem strenua sollicitudine grave munus,* Gesta Normannor. pag. 195.

ANNI CHRISTI

*cante gestandum onus. Propriæ conversationis dire-
ctioni attente vigilabat, jugi cura speculabatur paſ-
cendo gregi, sic manifestans quam acute prospiceret
interno lumine quod sacrum ministerium acceperit,
regimen ecclesiasticum, non dominatum vel honorem.
Terris thesauro pretiosorum ornamentorum decore
sanctam sponsam ditavit. Conventlavit eam ædium
quoque ejus tanto cultu, ut ambigeret inspector melius-
ne nova consurgerent aut vetusta repararentur. Verum
in semetipso dicavit ei dotem auro & electro cario-
rem, omnique lapide sive gemma splendidiorem. Vene-
rantur ac diligunt reverentissimum præsulem mona-
steria, synodi, curiæ, ut prudentem ita eloquentem,
ut justum ita discretum. Qui nec pecuniæ unquam
faveat aut gratiæ, sive in judicio sive in consilio sen-
tentiam dicens. Ipse profecto cum deponeretur archi-
præsul Malgerius, vox justitiæ sonora fuit, con-
stanter permanens in parte Dei, propter Deum
damnans filium patrui. Exhibet se blandum ac
severum decentissima in alterutrum permutatione,
nullius hominis, omnis vitii clemens persecutor, pius
inimicus. Subjectis fidelissime consulit, comparandus
prudenter diligentibus patribus qui juvenum filiorum
non tam vota cogitant quam commoda. Favet con-
gratulans & auxiliatur cælici regis quolibet in ordine
militibus: in veneratione militum & amore regem
ipsum colens. Sic semper humanus vivit, sic abstemius,
ut indesinenter afferat homini cuique, sæpius tamen non
redditurо, prandia sua, Deo jejunia sua. Hilarem
se & communione gratum, minime vilescentem mensæ
abundanti & lautæ non denegat. Gustat imperio
naturæ, non epulatur. Pascunt eum deliciæ quibus
animæ esurientes æterna pasci desiderant, quas pa-
raclitus cælestis dulcore infundit suavissimo: excubiæ
orationibus vacantes, divinorum officiorum studiosa
concelebratio, sacræ bibliothecæ cultus perfamiliaris,
denique sancti cujusque operis indefessus amor. His,
inquam, præcipue delectatur, his avide pascitur opti-
mus dominici ovilis pastor Hugo. In adversis eventibus
constantia, in secundis modestia parilem laudem con-
sequitur, nullius cupidus. Linguas amantes alienam
famam lædere adeo sensit abominandas, ut aurem
suam pravitatis earum nunquam testem adhibere velit.
Altitudinem suam admirandæ humilitatis privilegio
sublimat. Continentiam & virtutes reliquas, item
quascumque pias operationes ea tutissima atque salu-
berrima custode muniens. Mysticum namque illud
rationale pectoris Aaron ornamentum spiritualiter
ejus adornat interiora, patrum sanctitatem quorum
ei nomina inscribi præcipiuntur jugiter commonens.*
Sed singula Hugonis acta pro virili perstringamus.
Cum Osberno archidiacono Theodericum mo-
nachum Gemeticensem Uticum duxit, ibique die
1050. Dominica III nonas Octobris 1050 abbatem
ordinavit. Subscripsit anno eodem chartæ Guil-
lelmi ducis Nortmannorum pro ecclesia Uticensi,
& chartæ ejusdem ducis pro Lexoviensi sanctæ
Mariæ parthenone e Diva a Lezscelina Hugonis
matre translato ad S. Desiderium in suburbio
1051. Lexovii. Memoratur Hugo an. 1051 in tabulis
Fontanellensibus. Circa id tempus a Johanne
Fiscanni abbate invitatus, apud Fiscannum dia-
conatum Odoni contulit, qui factus est postea

A Bajocensis episcopus, aliisque tum monachis tum
clericis alios ordines contulit. Hugone agente de-
positus est Malgerius Rotomagensis archiepiscopus
in concilio Lexoviensi habito an. 1055. Cum 10
aliis episcopis missus a duce Uticum adiit III cal.
Julii 1056 de dissidio inter abbatem & priorem 10
inquisiturus, qui Theodericum abbatem confir-
mavit pacemque saltem ad tempus restituit; nam
an. 1057 Theodericus Hugoni episcopo pasto- 10
ralem curam resignavit. Biennio post capellam
in honorem SS. Ebrulfi, Benedicti, Mauri &
Leufredi in ecclesia Uticensi dedicavit pridie
nonas Oct. 1059. Adfuit an. 1063 dedicationi 105
B ecclesiæ metropolitanæ. Eodem anno Osbernum 106
Cormeliensis monasterii priorem jussu ducis ad
Pratellense monasterium adduxit, ibique nescien-
tibus Uticensibus monachis abbatem consecravit,
indeque Uticum perduxit ac mœstis fratribus ex
imperio ducis imposuit. Defuncto Osberno Uti-
censi abbate, Guillelmo duci auctor fuit ut Mai-
nerium priorem substitueret, quem XVII calend.
Augusti 1065 benedixit. Concilio apud Julio- 106
bonam adstitit anno 1066. Eodem parthenonis 106
Cadomensis dedicationi interfuit XV cal. Julii, Cha col. 6
& subscripsit chartæ Willelmi ducis hanc eccle-
siam liberam esse volentis, sicut subscripsit chartæ
C fundationis sancti Stephani Cadomensis. Dedi-
cationi ecclesiæ Gemeticensis adsuit calendis Julii
1067. Subscripsit chartæ fundationis S. Martini 1067
magni Londoniensis an. 1068. Concilio Roto- 1068
magensi adstitit anno 1069. Subscripsit anno 1069
1070 erectioni cellæ Tuffiaci Cenomannensis, 1070
& 1071 literis Johannis Rotomagensis archie- 1071
piscopi quasdam ecclesias sancto Dionysio con-
cedentis. Conciliis Rotomagensibus adsuit annis
1072 & 1074. Hoc ultimo subscripsit diplo- 1072.
matibus Guillelmi Anglorum regis pro mona- 1074.
sterio Fontanellensi & cœnobio Plessæi Grimoldi Chart. I
canonicorum regularium diœcesis Bajocensis. col. 66.
D Dedicationi ecclesiarum Ebroicensis, Bajocensis
& S. Stephani Cadomensis adstitit anno 1077. 1077.
Subscripsit chartæ Hugonis de Monteforti dona- Chart I
tionem facientis Radulfo abbati sancti Imerii. col. 68.
Sancti Petri ecclesiam a decessore inchoatam
perfecit, ornavit atque dicavit. Denique dum
diœcesim lustraret an. 1077, Hugo Lexoviensis
episcopus ægrotare cœpit. *Mense Julio*, inquit
Ordericus Vitalis pag. 549, *languore ingravef-
cente mortem præsul inevitabilem sibi adesse persensit,
seseque ut Dei servus ad Domini sui curiam iturus
solerter conspexit, & pro villicatione sua rationem
redditurus in timore magno se præparavit. Confef-
E sione & pœnitentia purgatus, oratione & fletuum
imbre ablutus, salutaris mysterii communione feliciter
instructus, clericos & laicos qui secum erant commo-
nuit, absolvit, benedixit. Ad ultimum vero rem
quamdam, unde præcipue mœstus erat, pro qua
omnes sibi adstantes sic exoravit:* « Viam universæ
carnis scio me ad præsens ingressurum, sed valde «
contristor quod a sede mea elongatus sum, nec «
video sponsam meam, cui ordinante Deo fere «
XL annis legitime conjunctus sum. Unde nunc «
precor vos omnes quos olim amavi, nutrivi, «

promovi & honoravi, ut me hinc ejiciatis, & ad carissimam sponsam meam me deducatis. Ecclesiam sancti Petri principis Apostolorum, quam venerabilis Herbertus prædecessor meus cœpit, perfeci, studiose adornavi, honorifice dedicavi, & cultoribus necessariisque divino servitio vasis aliisque apparatibus copiose ditavi. Hanc cœlesti Domino supplex commendo, & in ejus gremio recumbere desidero, ibique secundum Salvatoris adventum exspectabo ». *His dictis, omnes protinus consurgunt, deceuti ad gestandum ferculo præsulem imponunt, & de vico qui Pons episcopi dicitur, Luxovium deducunt, ipsique illustres clerici & honorabiles laici amantissimum patrem devehunt. Tandem dum festinare ad urbem nituntur, morte obiter accelerante, in quamdam planitiem herbosam digrediuntur, ibique cum lacrymis & orationibus exitum præsulis sub divo præstolantur.*

Sol erat in Cancro radians splendore corusco,
Sparsis pontificem velat radiis morientem.

In tanta claritate & loci amœnitate nobilis antistes Hugo collocatus jacuit, & inter manus suorum Deo commendatus XVI calend. Augusti exspiravit.

Sic obiit nostro vir non reparabilis ævo,
Gemma sacerdotum, patriæque decus pater Hugo.

Summus pontifex Christus, cujus vices ad horam in terris gessit, semper ei propitius sit. Pons episcopi quatuor leugis distat a Luxovio. In campo secus viam, ubi flamen occubuit, crux erecta est, quæ usque hodie Crux episcopi nuncupata est. Corpus vero ejus Luxovium delatum est, sed sepultura ejus usque ad 18 dies pro litigio canonicorum & monacharum protelata est; clerici enim in episcopio eum sepelire volebant, sed sanctimoniales simul acerrime prohibentes dicebant: « Pater noster Hugo abbatiam S. Mariæ dominæ nostræ construxit, nos illuc ad Dei famulatum aggregavit, ac ut pater filias in timore Dei nos educavit. In ecclesia quam condidit locum sepulturæ sibi memor mortis elegit. Æterna morte puniatur, qui ſ̃ma patris nostri filiabus suis auferre conatur ». *Rotomagum igitur ad curiam regis itur, & ab utrisque partibus querimonia depromitur, sed regalis censura fragiliori magis sexui compatitur. Denique rex accersito Johanne archiepiscopo commendat ut Luxovium celeriter adeat, & episcopi corpus in oratorio sanctæ Mariæ decenter sepeliat. At ille quia ferox & turgidus erat, & noxium rancorem jamdudum contra præfatum præsulem animo gesserat, regis præceptum furibundus contempsit, nec ad tumulandum coepiscopum suum ire voluit; qui dum de curia regis per urbem super mulam suam rediret, tumideque loquens de causis imminentibus domui suæ appropinquaret, divino nutu subita passio illum percussit, turba palam spectante ad terram dejecit, bienniоque quo postmodum vixit elinguem reddidit. Tunc Gislebertus Ebroicensis episcopus cum multo fidelium agmine Luxovium vadit, & corpus episcopi, adstante Roberto Aucensi comite, qui germanus ejus erat, in choro sanctimonialium convenienter sepelivit. Mausolæo tanti pontificis congruus lapis appositus est, & epitaphium Adonico metro, quod dactylo spondæoque constat, editum in laminis cupri, literis aureis sic exaratum est:*

Hic jacet Hugo Lexoviensis, clarus honore
Pontificatus, nobilis eque sanguine patrum,
Præditus idem stemmate morum, non sine bino
Munere sensus, religione glorificandus.
Transitus ejus rege Philippo, tum Guillelmus
Rex erat Anglus, luce sequenti Phœbus inivit
Signa Leonis, det Deus isti gaudia cœli. Amen.

Memoratur Hugo Lexoviensis episcopus XVI calendas Augusti in necrologio Uticensi.

XII. Gislebertus. MAMINOT.

Ad regendum Luxoviensem præsulatum, pergit Ordericus Vitalis pag. 550, *Gislebertus cognomento Maminotus, regis archiater & capellanus, electus est, & a Michaële Abrincatensi episcopo in præsentia domini Johannis archiepiscopi, qui jam, ut diximus, obmutuerat, consecratus est. Hic filius Roberti de Curva Spina strenui militis fuit, 23 annis episcopatum tenuit & res ecclesiæ potenter obtinuit. Artis medicinæ peritissimus erat, sed semetipsum in pontificatu nunquam satis curare poterat. Scientia literarum & facundia pollebat, divitiis & deliciis indesinenter affluebat, propriæ voluntati & carnis curæ nimis serviebat, otio & quieti affatim studebat, ludisque alearum & tesserarum plerumque indulgebat. In cultu ecclesiastico erat piger & negligens, sed ad venatum aviumque capturam promptus erat & ferveus. Secularibus itaque exercitiis & actibus omni vita sua inhæsit, & sic usque ad decrepitam ætatem suam vixit..... Unde sicut quædam de illo protuli reprehensibilia, sic decet ut laudabilia promam & imitabilia. Eleemosynas pauperibus libenter porrigebat, largitate & dapsilitate solerter & honorifice vigebat. In judicio veritatem subtiliter investigabat, & rectitudinem procaciter defendere satis inhiabat, justitiamque cunctis postulantibus gratis exhibebat. Peccatores reatus suos humiliter confitentes dulciter suscipiebat, & vere pænitentibus rectum & salubre consilium provide suggerebat. Sacros ordines & dedicationes & alia hujusmodi ministeria religiose & sollicite peragebat, sed ad hæc agenda lentus erat, & vix assurgebat, nec nisi multis multorum precibus incitatus cogeretur, inchoare volebat. In ecclesia Lexoviensi eo tempore honorabiles erant personæ, & illustres archidiaconi atque canonici Guillelmus de Glandivilla decanus & archidiaconus, Ricardus de Ansgerwilla & Guillelmus* [a] *Pictavinus archidiaconi, Goisfredus Tregavilla thesaurarius, Turgisus cantor & Radulfus filius ejus, aliique plures quos Hugo educaverat, officiisque datis honoraverat. Hos nimirum præfatus successor ejus sibi copulavit, fertilique documento arithmeticæ & astronomiæ & multiplicis physicæ aliarumque profundarum rerum erudivit, & familiares collegas conviviorum & colloquiorum sibi benigniter applicavit.* Itaque Gislebertus factus Lexov. episcopus an. 1077, adfuit consecrationi 1077.

[a] Gisleberto & Hugone præsulibus Guillelmus Pictavinus archidiaconus historiam suam texuit, in qua Guillelmi regis gesta, Crispi Sallustii stylum imitatus subtiliter & eloquenter enucleavit, *Orderic. pag. 521.*

ANNI CHRISTI basilicæ Beccensis factæ a Lanfranco Cantuariensi archiepiscopo. Subscripsit an. 1080 chartæ red-
1080. ditionis Martini ecclesiæ capitulo Rotomagensi.
1082. Adfuit anno 1082 conventui episcoporum apud Oxellum. Subscripsit anno eodem donatæ Majori monasterio a Roberto Moritonii comite ecclesiæ
Charta v. col. 72. beatæ Mariæ de Rocheto, & chartis pro mona-
Chart. vi. col. 74. steriis sancti Stephani & sanctæ Trinitatis Cadomensis annis 1082 & 1083; hocque ultimo
1083. literis Roberti comitis pro cœnobio Floriacensi.
Chart. vii. col. 76. Testis fuit anno eodem concordiæ initæ inter monachos S. Stephani & moniales S. Trinitatis Cadomensis. Cum Guntardo Gemeticensi abbate aliisque archiatris Guillelmo regi apud S. Gervasium prope Rotomagum decumbenti anno
1087. 1087 sedulo excubuit, & de spiritali ac corporali regis salute sollicite tractavit, cujus exsequiis in ecclesia S. Stephani Cadomensis anno eodem interfuit. Gislebertus senex medicus, multarum artium peritissimus, singulis noctibus sidera diu contemplari solebat, & cursus eorum, utpote sagax horoscopus callide denotabat, inquit Ordericus
1095. pag. 719, viditque an. 1095 prodigium astrorum, quod transmigrationem de regno in regnum præsigurabat. Adfuit Concilio Rotomag. mense
1096. Februario 1096. Eodem subscripsit donatæ mo-
Ch. xv. col. 20. nachis sancti Luciani Bellovacensis ecclesiæ sancti Martini de Alciaco, Consecravit anno 1099 in
1099. decollatione sancti Johannis-Baptistæ Rogerium abbatem Uticensem, quod ab annis decem renuerat ob canonicam professionem ab abbatibus denegatam. Eodem anno restauratam S. Ebrulfi ecclesiam dedicavit idibus Novembris. Confirmavit fundationem parthenonis Pratellensis & ecclesiæ collegiatæ de Mauritania. Obiit Gisle-
1101. bertus mense Augusto 1101.

XIII. Fulcherius.

Orderic. Vital. p. 788. Fulcherius frater Flambardi, ejusdem sedis præsul a Guillelmo archiepiscopo mense Junio consecratus est. Hic pene illiteratus ad episcopatum procuratione fratris sui de curia raptus est. Quo, dapsilitate laudabilis, septem mensibus potitus, mense Januario defunctus est, cujus obitus celebratur die 29 in ecclesia Lexoviensi.

Frater ejus Dunelmensis episcopus Rannulfus, qui ab Henrico rege Angliæ, cui restiterat, carceri mancipatus fuerat, custodiam cal. Febr. 1101 magna calliditate elapsus, mare transiit, Robertum Normannorum comitem adiit, eique suasit ut Angliam hostiliter invaderet. A quo benigne exceptus & Neustriæ præfectus, Lexoviensem quoque episcopatum inaudito invasionis genere post obitum Fulcherii occupavit, duosque filios suos duodennes, quorum alter Thomas vocabatur, accepto pastorali baculo a comite Normannorum huic ecclesiæ intrudi fecit, ea conditione ut si primogenitus moreretur, Judaico more, inquit Ivo Carnotensis, in episcopatum alter alteri subrogaretur, sicque per triennium, non ut præsul, sed ut præses gubernavit. Attamen cum comes periculo amittendi principatus sui urgeretur, pœnitentia ductus, monente Ebroicensi episcopo cum metropolitano suo, præcepit ut Dunelmensis episcopus de ecclesia cum sua sobole ejiceretur, & episcopus ibi canonice eligeretur. Electus est itaque vir strenuus Guillelmus Ebroicensis archidiaconus, sed qui nec a Guillelmo archiepiscopo, utpote tunc temporis ab officio episcopali suspenso, nec a suffraganeis potuit consecrari. Quam episcopus Dunelmensis videns consecrationem differri, apud comitem, ingenti pretio dato, egit ut Guillelmus de Paceio clericus suus præsulatum præoccuparet; at pro simoniaca lue prius Rotomagi, postea Romæ condemnatus, temeritatem suam misere luit. Roberti interea comitis cadente fortuna anno 1106, cecidit & fortuna Rannulfi. Ut erat tamen ingenio acer & callidus, arte seu dolo Henricum regem sibi adversantem demeruit, &, pace sibi a principe reddita, relicto episcopatu Lexoviensi cui incubabat & quem filiis suis servare satagebat, ad Dunelmensem reversus est. Terræ domino Henrico, Hervæus Bancorensis in Wallia episcopus, specie devastati episcopatus, ab eo Lexoviensem petiit, cujus votis haud prius annuit rex, quam S. Anselmum ea de re consuluisset per litteras, quibus epist. 126, L. III, respondit Anselmus translationem episcopi fieri non debere absque consensu archiepiscopi & episcoporum provinciæ, & cum magna consideratione & auctoritate apostolica. Vide Ordericum, Ivonem Carnotensem epist. 149, 153, 154 & 157, Guillelmum Malmesburiensem & Anselmum.

XIV. Johannes I.

Luxoviensis episcopatus, inquit Ordericus pag. 833, *post mortem Gisleberti Maminoti antistitis in desolatione diu permansit, magisque lupis quam pastoribus patuit, misereque prædonibus, non defensoribus, lugubris subjacuit. Henrico autem rege apud Tenerchebraicum triumphante, Rannulfus Flambardus regis inimicus, qui Luxoviensi residebat ut princeps in urbe, secundum opportunitatem temporis, perspecta qua evaderet calliditate, celeres nuntios ad regem recenti trophæo lætum direxit, pacem ab eo humiliter quæsivit, & civitatem quam tenebat, si pacificaretur, obtulit. Porro sapiens rex qui pacem bello, quod detrimenta gignere solet, præposuit, præsuli concordiam poscenti transactos reatus indulsit, Luxovium festinanter recepit, & antistiti reconciliato Dunelmensem episcopatum restituit; Luxoviense vero episcopium Johanni archidiacono Sagiensi commisit, & Normannia prudenter ordinata, in Angliam ad regni negotia tractanda transfretavit. Supra dictus autem archidiaconus Normanni decani filius fuit, in ecclesia Salariensi a pueritia educatus crevit, cum præsulibus ejusdem sedis Rodberto, & Girardo, & Serlone conversatus floruit, multiplicique doctrina tam in secularibus quam in ecclesiasticis institutus viguit. A præfatis itaque magistris, quia ratione & eloquentia satis enituit, ad archidiaconatus officium promotus, ad examen rectitudinis jure proferendum inter primos resedit, & ecclesiastica negotia rationabiliter diu differuit. Tandem furia Rodberti Belesmensis contra Serlonem episcopum efferbuit, & præfatam*

ANNI CHRISTI

archidiaconum, quia suum pontificem præcipue adjuvabat, exosum habuit, & feralibus minis ac infestationibus persequi cœpit. Quem, quia ille in ipso tempore potentissimus erat, & vix ullus in Normannia ejus guerram ferre poterat, nimis metuens inermis clericus in Angliam confugit, & a rege, cui jamdudum notus fuerat, susceptus, honorifice satis exulavit. Nam inter præcipuos regis capellanos computatus est, atque ad regalia inter familiares consilia sæpe accitus est. Denique, ut prædictum est, pro insertis virtutibus illum rex dilexit, & prædictæ urbis sedem ei concessit. Mense Septembri Serlo Salariensis pontifex Johannem levitam presbyterum ordinavit, quem paulo post Guillelmus archiepiscopus episcopum consecravit. Ille vero susceptum regimen fere 34 annis potenter rexit, multisque modis ecclesiam & clerum, Deique populum emendavit. Ita Ordericus Vitalis.

1107. Johannes autem factus episcopus an. 1107, adfuit
1110. anno 1110 sponsalibus Henrici imperatoris &
Mathildis filiæ Henrici regis Angliæ, ducis Normanniæ, de cujus mandato Uticensibus monachis
decem modios tritici apud Argentonium ero-
1113. gavit an. 1113, ejusque diplomati pro monachis
sancti Georgii de Bochervilla subscripsit anno
1114. 1114. Concilio Rotomagensi adfuit an. 1118.
1118. Anno 1119 mense Junio Guillelmus Adelinus
Chart. x. filiam Fulconis Andegavensis comitis apud Lexo-
int. 112. vium desponsavit, & paulo post magna præsu-
1119. lum procerumque illuc convenit congregatio.
1120. Subscripsit Johannes anno 1120 literis Henrici
regis Angliæ pro monasterio Cerasiensi. Ab
eodem in obsidione Pontis Audomari missus,
Serlonis Sagiensis episcopi funus curavit anno
1122. 1122. Guarinum abbatem Uticensem in Domi-
1123. nica Ascensionis consecravit anno 1123. Guil-
lelmo abbati Beccensi defuncto suprema persolvit
1124. obsequia calend. Maii 1124, & Henrico regi
auctor fuit ut Bosonis electionem ratam haberet.
Chart. vi. Regis ejusdem diplomati pro sancto Petro supra
col. 160. Divam subscripsit anno eodem. Subscripsit chartæ
fundationis Readingensis cœnobii in agro Berro-
1125. censi anno 1125. Adstitit an. 1126 dedicationi
1126. ecclesiæ Sagiensis. Ejus opera & consilio Hen-
1127. ricus rex anno 1127 filiam suam Mathildem
Henrici imperatoris relictam dedit uxorem Goffredo filio Fulconis comitis Andegavensis. Con-
1128. cilio Rotomagensi adfuit Johannes anno 1128.
Eodem tribus prioribus canonicis regularibus
ecclesiæ S. Barbaræ in Algia plurimum favit.
1130. Testis legitur in charta Henrici regis an. 1130,
& donationis 100 marcarum argenti per annos
singulos solvendarum Cluniacensibus a rege An-
1131. gliæ, factæ Rotomagi ab Henrico rege an. 1131, indict. IX, mense Maio, die Dominica, in præsentia Innocentii papæ II qui ejusdem meminit epist. 31. Canonicos ecclesiæ Lexoviensis, ut Johannes episcopus Sagiensis ejus nepos Sagienses canonicos anno 1131, regulares ex secularibus efficere tentavit, at irrito conatu. Ecclesiam sancti
1132. Jacobi dedicavit an. 1132. Confirmavit anno
1134. 1134 quæcumque bona possidebat Beccum in diœcesi Lexoviensi, ea lege ut monachi quotannis obitum solennem pro eo & die mortis successorum episcoporum, aliumque similem 2 Januarii pro omnibus canonicis Lexoviensibus celebrarent. Johanni ecclesiam sancti Candidi Rotomagensis, quæ fuerat prius capella ducum Normanniæ, ab Henrico Anglorum rege datam referunt MSS. Lexovii codices. Anno 1136 1136.
Goffredus comes Andegavensis & Guillelmus Pictaviensium dux Lexovium obsidere moliti sunt, adversum quos festinavere Gualerannus comes Mellenti, aliique Normannorum proceres. Hi Alano *de Dinan* & Britonibus urbem commiserunt, qui multitudine hostium perterriti urbem cremavere. An. 1137, mense Junio, Stephanus 1137.
Anglorum rex Lexovium venit ad debellandum Goffredum. Ranulfum Uticensem abbatem III idus Novembris 1140 benedixit Johannes, qui 1140.
insequenti *jam grandævus*, inquit Ordericus Vitalis pag. 923, *& multa expertus diuturnitate sine spe alicujus auxilii guerram Andegavorum nolens tam diu sufferre, maxime cum videret illos cis Sequanam passim præminere, & plura vicinorum oppida pacifice sibi subjicere, consultu amicorum in ultima septimana Quadragesimæ pacem fecit cum comite.* [a] *Deinde* a
ante Pentecosten Cadomo reversus Luxovium ex nimio æstu & labore infirmatus est, & post ægrotationem unius hebdomadis, 34 episcopatus sui anno, XII cal. Junii defunctus est. Tunc Rotrocus Ebroicensis episcopus, & Ranulfus Uticensis abbas aliique diœcesis suæ abbates convenerunt, & in basilica sancti Petri Apostoli corpus ejus ante aram S. Michaëlis ad aquilonalem plagam sepelierunt. Hic, ut habent chronica Normanniæ pag. 979, *multum episcopalem sedem ædificiis & ornamentis accrevit; urbem quoque, cujus muros Herbertus episcopus propter ecclesiam ædificandam destruxerat, mœnibus ambivit.* In necrologio sancti Victoris Parisiensis notatur *V calendas Junii anniversarium solemne Johannis Lexoviensis episcopi.*

XV. ARNULFUS.

Patria Nortmannus Arnulfus Johannis superioris nepos, fraterque natu minor Johannis Sagiensis episcopi, cujus studio in Sagiensi schola a puero in optimis disciplinis eruditus, ac morum integritate etiam informatus, tanta probatæ indolis specimina indidit, ut ejusdem ecclesiæ factus sit archidiaconus regularis, quo tempore Romam profectus, canonici juris ediscendi gratia, inde tractatum de schismate orto post Honorii II papæ decessum ad Gaufridum episcopum Carnotensem direxit, in quo acerrime invehitur in Girardum Encolismensem episcop. Petri Leonis factioni adhærentem, ita ut omnem ante actam ipsius vitam ac etiam præclarissima quæque facinora vehementius, ut videtur, quam verius carpat. Hæc autem scribebat circa an. 1134, seu post coronatum ab Innocentio II Lotharium imperatorem, & ante redintegratum in cathedra Pictaviensi Willelmum episcopum, quorum alterum

[a] Rem enucleat Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum. *Eodem anno in octava Paschæ episcopus Lexoviensis Johannes subdidit se Gaufrido comiti Andegavensi, & reddidit ei civitatem quam aliquamdiu contra eum tenuerat. Subditi sunt ei etiam omnes potentes Lexoviensis comitatus.*

ANNI CHRISTI

anno 1133, alterum vero 1135 contigit. Defuncto Johanni anno 1141 successit vir admodum callidus, eloquens & literatus, electus a clero & populo Arnulfus, cujus electioni cum obsisteret Gaufridus Andegavorum comes, pro electo cum insigni elogio scripsit Petrus venerabilis ad Innocentium papam ut ejus electionem approbaret, neque comitis Andegavensis intercessionem admitteret, quippe qui nomine appellationis vellet nequitiæ suæ moras lucrari, ut pastore absente, non esset qui lupo resisteret. Summo pontifici pro eodem electo adversus Gaufridum scripsit quoque S. Bernardus epistolam 348. Horum quidem preces admisit pontifex, & Arnulfi meritissimi præsulis electionem confirmavit; sed quia absque dispositione comitis ab Hugone archiepiscopo consecratus fuerat Arnulfus, bona omnia episcopalia per duos annos & tres menses occupavit Gaufridus, pro quibus redimendis cum de suo nongentas jam libras expendisset episcopus, de licentia Innocentii papæ 17 marcas de thesauro ecclesiæ assumere coactus
1142. est. Anno 1142 pontificatus secundo, conciliavit Henricum abbatem Fiscanni cum Ricardo abbate Bernaii, qui priori obsequium denegabat. Testis
1143. fuit XIII cal. Octobris 1143 chartæ Guillelmi
Chart. IX. col. 163. comitis Pontivi datæ in gratiam Radulfi abbatis S. Andreæ in *Gouffer*, præsens ejusdem ecclesiæ dedicationi cum Johanne germano Sagiensi episcopo. Interfuit anno eodem translationi capitis S. Juliani apud Cenomannos. Quod in afferenda sibi recenti novi principis gratia, resarciendis ecclesiæ & domus suæ ruinis, necnon curandis germanorum funeribus gravius occupatus, per se ipse non potuit, per epistolam Cœlestinum II post Innocentium electum summum pontificem convenit. Scripsit quoque ei
Ch. VIII. col. 162. anno 1143 pro canonicis regularibus ecclesiæ Sagiensis a fratre suo institutis, quos a successore impune vexatos ibidem retinere per annos 20 conatus est Arnulfus, qua de causa Romam petiit
1145. anno 1145. Circa id tempus subscripsit chartæ Hugonis de Monteforti ecclesiam sancti Imerii donantis ecclesiæ Beccensi. Auri & argenti quantum potuit magna in necessitate præstitit Ludovico regi, de quo ut illi infra mensem reliquæ 104 marcæ argenti reddantur Sugerio abbati præcipit rex epist. 52, qui epistola 55 eidem abbati mandat ut A. præcordiali amico suo 60 modios de optimo vino suo Aurelianensi dare non renuat. Ecclesias de Frevilla & *Descaville* inter capitulum Lexoviense & monasterium S.
1147. Salvatoris æqualiter dividit anno 1147. Stans apud Novumburgum anno eodem Arnulfus 4 ecclesias apud S. Philibertum monachis Beccensibus donavit. Scripsit ei Eugenius III VIII idus Maii ut Beccense monasterium in his quæ in diœcesi possidet non inquietaret. In transmarina expeditione, pro qua in conventu Vizeliacensi crucem acceperat anno 1146, cruce signatos comitatus est anno 1147, invitus quidem, sed jussus ab Eugenio papa, de cujus mandato calicem aureum 34 unciarum ad hoc opus expendit.

A Eugenius autem ei & Lingonensi episcopo regimen populi christiani cum rege Jerosolymam profecturi commisit. Ipse vero Guillelmum priorem sanctæ Barbaræ ecclesiæ suæ præfecit, qui cum a summo pontifice Autissiodori degenti excusatus fuisset, subrogatus est ei Ebroicensis episcopus Rotrocus qui episcopatus diu custos fuit. Conventui Acconensi cum Ludovico rege adfuit pro negotio Terræ Sanctæ anno 1148. 1148
Reversus Arnulfus pacem componere sategit inter Gaufridum Andegavensem comitem & Ludovicum VII Franciæ regem circa 1151. Henricus II postea rex Anglorum Lexovii 18 Maii 1152 1152
B duxit uxorem Alienoram, quam paulo ante Ludovicus junior ob consanguinitatem dimiserat. Anno ineunte 1153 post octavam Epiphaniæ 1153
de Nonanto juxta Bajocas ad exequias Guillelmi prioris S. Barbaræ festinavit Arnulfus, iisque celebratis fratres ad eligendum successorem hortatus est, electumque Danielem regendæ domui præfecit. Eodem subscripsit donatæ Fontanel- Ch. X
lensibus monachis ecclesiæ S. Sidonii. Interfuit col. 25.
an. 1154 coronationi Henrici II regis Angliæ, 1154
a quo paulo post Romam cum aliis missus est pro quibusdam arduis ipsius negotiis, huicque adfuit an. 1157 confirmanti fundationem abbatia- 1157
C rum de Blanca-landa & de Lucerna, & judicium Ch. X
ferenti Cadomi in gratiam Montis S. Michaëlis. col. 113
Subscripsit chartæ regis ejusdem pro monasterio Beccensi, & cum Philippo Bajocensi episcopo ejusdem diplomati, donationes ecclesiæ *de Trentham* in agro Staffordiensi confirmantis, & cum eodem ac Guillelmo Cenomannensi episcopo chartæ ejusdem regis Tironensibus monachis 20 marcas argenti de thesauro Wintoniensi cum Mathilde matre concedentis. Subscripsit quoque chartis Henrici II Anglorum regis pro S. Florentio Salmuriensi, pro S. Stephano Cadomensi, pro Lira, pro B. Maria de Voto apud Cæsaris
D burgum, & pro Fontaneto. Adstitit consecra- Ch. XV
tioni ecclesiæ S. Juliani Cenomannensis anno col. 83.
1158. Alexandro III anno 1159 recens electo 1158
per literas congratulatus est, Alexanderque ei 1159
respondit mense Aprili 1160, & de rebus gestis 1160.
in concilio Papiensi eum certiorem fecit, & laudavit quod Henricum regem in unitate ecclesiæ catholicæ tunc schismate turbatæ fluctuantem stabilivisset. Interfuit anno 1162 apud Fiscannum 1162.
translatis ab Henrico legato reliquiis & Ricardi I & II ducum corporibus, & an. 1163 III idus 1163.
Octobr. translationi corporis S. Eduardi Angliæ regis apud Westmonasterium. In synodo Turo-
E nensi anni ejusdem jussu pontificis orationem habuit, a quo per totam Normanniam judex delegatus est pro dirimendis controversiis quas plures episcopos inter & abbates composuit. Inibi egregiam navavit operam pro Alexandro III contra Victorem pseudopontificem. Hugo Rotomagensis archiepiscopus defunctus anno 1164 Arnulfo dedicaverat tractatum in hexameron, cujus fragmentum habes Anecdot. tom. V, col. 1001. Pro S. Thoma Cantuariensi archipræsule, qui cum Henrico Anglorum rege graves exercuit

inimicitias, Arnulfus pacis componendæ gratia, regem in Angliam convenit, sed frustra studuit ad pristinam concordiam utrumque revocare an.
65. 1165, unde in vita ejusdem Thomæ frequens Arnulfi fit mentio. Legenda præsertim ejus epistola ad S. Thomam tom. II, Spicileg. pag 485, ubi aperte mentem suam depromit de famoso illo dissidio inter regem & primatem Angliæ, primum damnans. Neque tamen ob id gratia regis excidit, quod ejus animo versipelli quidam tribuunt, immo inter præcipuos ejus consiliarios
66. admissus in collatione habita anno 1166 apud Castrum Cainonem in Turonibus, cum rex præviderет se brevi sententia excommunicationis feriendum a S. Thoma, quem pontifex legatum in Anglia constituerat, Arnulfus consilium regi dedit appellationis ad summum pontificem significandæ S. Thomæ, idque exsequendum cum episcopo Sagiensi suscepit. Post cædem quoque sancti Thomæ scripsit ad Alexandrum papam nomine episcoporum omnium Angliæ, excusans Henricum, & tanti sceleris notam diluens epist.
170. 79. Reperitur annis 1170 & 1179 in instru-
179. mentis Vallis Richerii, quo ultimo concessit monachis libertatem & immunitatem in civitate & mercato Lexoviensi. Eodem adstitit translationi corporis S. Romani archiepiscopi Rotomagensis. Biennio ante acceptam olim ab Henrico rege capellaniam *de Bosham* restituerat & monasterio S. Victoris Parisiensis dederat ecclesiam B. Petri de Gaceio anno 1177. Memoratur adhuc in
180. chartis Saviniaci anno 1180. Insequenti 1181 regis summique pontificis indignationem incurrit; hoc enim anno ad Lucium papam querelas adversus Arnulfum detulerunt canonici quidam Lexovienses, quibus acceptis, Lucius a magna officii episcopalis parte eum suspendit. Latam quidem a judicibus sententiam postea rescidit summus pontifex, sed judicio statim apostolico damnatus Arnulfus cesserat dignitate, ut semper optaverat. Priusquam autem cederet, virum inter suos eruditissimum Petrum Blesensem consuluit cuinam loco sese addiceret seclusus ab omni laicorum consortio seculari. Respondit Petrus epist. 44, eique suadet ut episcopatui minime cedat ob molestias sive a principe, sive a capitulo, sive ab aliis injuste illatas; deferendum tamen eum docet, si per ambitum sit obtentus. Negare videtur Gussanvillæus in notis ad dictam epistolam Arnulfum secessisse propter regis Henrici II odium; at contrarium evincitur tum ex Rogerio Hovedeno & Baronio, tum ex hac epistola, tum ex epistola ipsius Arnulfi ad Lucium papam, quam habes Spicileg. tom. II, pag. 482. Neque vero probro esse poterat secedere pro bono pacis & regi cedere. In epistola quam ad abbatem Cisterciensem scripsit Arnulfus, ut sibi liceret finire vitam in monasterio Mortui maris, duo speciatim commemorat, quæ ad pontificale onus abdicandum illum pertrahebant. *Confectus*, inquit, *senio & aliquarum ægritudinum gravatus accessu, ad medicinæ salutare remedium confugere, & confracta laboribus membra necessaria requie sublevare constitui;*

A *si quidem in perniciem meam veluti conjuratæ veniunt debilitas, infirmitas & senectus, mihique tot incommodorum instantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinsecus negotiorum, quibus distrahor, importuna vexatio, quæ miserabiliter anhelantem, vel ad momentum etiam respirare non finit; si quidem sæpius ad regales cum ceteris trahor angarias, eorumque, quibus deesse non possum, frequentibus infestor injuriis.* Sed cum secessus ille suum haud sortitus esset effectum, ad Victorinum apud Parisios monasterium se recepit, ut habent chronica Normanniæ: *Arnulfus Lexoviensis episcopus mense Junio senio fractus Lexoviensem episcopatum dimisit,*
B *& ad S. Victorem Parisius se transtulit, ibique anno sequenti mortuus est.* Et Robertus de Monte in appendice ad Sigebertum ad annum 1182: *Arnulfus Lexoviensis episcopus, cum per 40 annos eamdem ecclesiam rexisset, in ædificando ecclesiam & pulcherrimas domos laborasset, renuntiavit episcopatui, & perrexit Parisius suos dies dimidiaturus apud S. Victorem in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum construxerat.* Ibi autem diu non mansit, si quidem decessit an. 1184 pridie cal. Septembris, qua die quotannis in necrologio Victorino recitatur *anniversarium solenne patris nostri piæ recordationis Arnulfi Lexoviensis episcopi,*
C *qui magnæ devotionis affectu, quem a multis retro annis erga ecclesiam nostram habuerat, de episcopatu suo ad nos veniens, canonicus noster effectus est, quietisque sibi ac sepulturæ locum eumdem inter omnes alias ecclesias praelegit, multis & magnis beneficiis dignum & perpetuum sui nominis & amoris memoriale posteris derelinquens; si quidem dedit nobis idem pater in cultu altaris duos textus, crucem & calicem, tres casulas, tunicam & dalmaticam, capsam & duo pallia; dedit & nobis ad solvenda ecclesiæ 300 libras Andegavensium; in quibusdam vero vasis argenteis & libris quibusdam legalibus centum libras Parisiensium ad emendos reditus.*
D *Præterea mediorum quorumdam librorum legalium sex volumina, & alios diversi generis libros ad retinendum in armario nobis dedit: sed & diversis temporibus multa nobis in vita sua beneficia contulit. Statutum est ergo ut tanti patris anniversario recurrente, singulis annis ipsum solenniter celebretur, fiat commendatio ante missam.* Jacet prope chorum ad altare sancti Dionysii cum hac epigraphe: *Epitaphium Arnulfi Lexoviensis episcopi, qui postquam 40 annis potens opere & sermone populo suo præfuit, frater noster effectus, moriens demum in veteri basilica sepultus est, nunc vero translatus hic quiescit.*

E *Tu qui dives eras, & magnus episcopus, ob quid*
Sortem mutasti pauperiore statu!
Imo pauperiem mutavi fœnore magno,
Mundo dives eram, plus fuit esse Deo.

Postmodum renovatum est ejus sacellum, & ad perennem notitiam inscripta sunt superliminari hæc carmina:

Hoc templum junctæque ædes sunt præsulis olim
Arnulfi antiquum Lexoviensis opus.

ANNI CHRISTI

Si ter quingentos annos, trigintaque & unum
Annumeres, Christo cum repararer habes.

Arnulfi epistolæ & epigrammata extant MSS. in bibliotheca Vaticana nn. 189 & 537. Odo Turnebus Adriani filius epistolas primus edidit cum sermonibus & carminibus, unde in bibliotheca patrum transiere tom. XXII. Arnulfi tractatum de schismate inter Innocentium II & Petrum Leonem, dictum Anacletum, edidit Dacherius tom. II Spicileg. ubi etiam exhibet plurimas ejus epistolas antea non editas, scilicet ad Lucium papam, quem majestatis titulo compellat, apologeticum ad suorum adversariorum confutandas calumnias, ad Alexandrum papam, ad Henricum regem Anglorum.

DE VARNEVILLE.

XVI. Radulfus.

Gente Neustrius Radulfus, patria Caletensis, de Valle Azonis oriundus, regis Anglorum cancellarius, thesaurarius Eboracensis Rotomagensisque thesaurarius & archidiaconus, cedenti Arnulfo successit Lexoviensis episcopus electus anno
1182. 1182, ex chronico Uticensi, & Angliæ nomophylacis officio renuntiavit eodem anno, ex Roberto de Monte, pro quo terras magnorum
Ch. XXI. col. 88. redituum accepit. Subscripsit diplomati Henrici
1183. II Angliæ regis pro Barberio. Anno 1183 cum aliis præsulibus interfuit in ecclesia sancti Stephani Cadomensis excommunicationi eorum qui pacem inter regem Angliæ & filios ejus impedirent. Consecravit anno eodem altare in honorem SS. Thomæ & Leodegarii martyrum in ecclesia Pra-
1185. tellensi. Anno 1185 v calend. Julii Radulfus, vir moribus & scientia prædius, ac religione reverendus, invenit reliquias SS. Pauli, Clari & Cyriaci in altari sancti Pauli juxta Davidvillam, & Gemeticensibus auctor fuit ,ut duos ibi monachos collocarent, ex MSS. sancti Audoëni.
1189. Testis legitur anno 1189 in chartis S. Audoëni. Subscripsit chartæ Ricardi regis Angliæ pro cœnobio Framptonensi in agro Dorsetensi datæ 20 Martii regni 1. Duas nundinas ab eodem rege obtinuit, unam apud *Toucques* in festo sanctæ Magdalenæ, alteram apud Nonantum in festo S. Ægidii. Conventui episcoporum provinciæ
1190. adstitit anno 1190. Post frequentes sedis apo-
Chart. IV. col. 210. stolicæ admonitiones ad præceptum Cœlestini papæ canonicis sancti Victoris Parisiensis restituit ecclesiam de Gaceio, sicut eis dederat Arnulfus decessor. Præsens fuit donato canonicis Lexoviensibus patronatui Bervillæ ab Hugone de Nonanto. Petrus Blesensis archidiaconus epist. 91 in Radulfum acriter invehitur ob avaritiam & fœnerandi studium, ac imprimis quod annonæ carioris tempore horrea pauperibus non aperiret. Sub finem ita loquitur: *Decessor equidem tuus gratia hospitalitatis munificæ & effusæ liberalitatis magnificentia celeberrimos famæ titulos acquisivit; sed quantum memoria illius ascendit in gloriam, tantum damnatissimum nomen tuum in confusionem & opprobrium te dejecit.* Diem postremum obiit
1191. anno 1191, ex chronico Uticensi, al. 1192.

A Memoratur IV idus Septembris in necrologio Uticensi.

5 Radulfo præsule, Hugo de Nonanto archidiaconus electus est Cistrensis anno 1184, & Gilbertus de Glanvilla factus est episcopus Roffensis III cal. Octobris anno 1185.

DE RUPE

XVII. Guillelmus I.

Electus est Willelmus an. 1191, ex chronico Uticensi, al. 1192, seu etiam 1193, ex antiquitatibus MSS. Normanniæ. Subscripsit chartæ confirmationis bonorum monasterii S. Taurini datæ a Ricardo Anglorum rege die 15 Junii 1194.
B anno 6 regni ejus. Memoratur anno 1195 in chartis sancti Taurini & Valassiæ. Testis fuit cum aliis fœderum inter Johannem fratrem Ricardi Angliæ regis, Balduinum comitem Flandriæ & Philippum comitem Namurcensem die 8 Sept. anno Ricardi octavo. Testis fuit 1 Octob. seq. 1196. commutationis factæ inter regem eumdem & Walterium metropolitam. Romam missus est anno 1197 a rege Angliæ, ut coram Cœlestino 1197. papa jus regium tueretur in oppidum ac castrum Andeliacum adversus Galterum metropolitanum. Facti postea pœnitens Guillelmus veniam petiit & obtinuit a metropolitano, qui eum absolvit
C ab interdicto & suspensione, quibus ob culpam fuerat innodatus. Ortæ tamen sunt postea querelæ inter eos & dissensiones, ad quas dirimendas Innocentius III plurimum insudavit. Extant ea de re Innocentii III ad Guillelmum & alios epistolæ lib. I, 207, 208, 228, 229, 230, 240, 241. Confirmavit anno 1198 donata a Ro- 1198. berto viceconite Lexoviensi, in his patronatum ecclesiæ beatæ Mariæ de Vallibus. Eodem anno Innocentius III Guillelmo episcopo & abbati Vallis Richerii commisit causam Simonis abbatis Conchensis. Cum inter Johannem Angliæ regem & Guillelmum Lexoviensem episcopum super
D jure & potestate ab antiquis temporibus decessorum regum in civitate & banleuga Lexoviensi ad regem pertinente contentio verteretur, tandem recognitum est in curia regis coram eo & baronibus per testimonia 18 militum juratorum eum tantummodo tria jura & placita, quæ de spata vocantur, habere, videlicet de submonitione exercitus, de via curiæ & moneta; cetera autem jura & placita quæcumque ad episcopum pertinere, quæ Johannes rex episcopo confirmavit cum civitate, banleuga, immunitatibus: datum Rotomagi die 3 Septemb. anno 1 regni, hic est 1200. Obiit Guillelmus an. 1201, al. 1202, 1200.
E ex chronico Uticensi. Obitus ejus & Rogerii 1201. patris dies agitur 19 Oct. in ecclesia Lexoviensi.

1192. 1193. 1195. Chart. col. 138. Ch. XX col. 28. Marten. Anecdot. t. I. col. 761, & Amplis. Collect. tom. I. c. 1023.

Inter epistolas Stephani Tornacensis a R. P. Claudio *du Molinet* editas, extat CCXVI episcopo Lexoviensi, quem translatum de Luxovio ad civitatem Heliopoleos, id est ad curiam, in multis hortatur. At epistola illa non valde episcopum redolet, vereorque ne error in inscriptione irrepserit; nullum enim novimus Lexoviensem episcop. tempore Stephani Tornacensis translatum.

XVIII.

ANNI CHRISTI DU BECKET.

XVIII. JORDANUS.

Antiqua dominorum de Humeto in Normannia stirpe editus Jordanus, patrem habuit Guillelmum avumque Richardum Normanniæ constabularios, matrem vero Luciam. Lexoviensis archidiaconus anno 1194 testis est in charta fratris sui Guillelmi *de Sais* benefacientis abbatiæ Alnetensi. Guillelmum excepit episcopus, non anno 1197, ut legitur in chronico Normanniæ, (nisi forte hoc anno huic datus fuerit adjutor) sed anno 1201, quo legitur IV idus Januarii in
1202. chartulario Lexoviensi, id est 1202, ex chronico Uticensi, quo ultimo Philippus rex Lexovium obsessum a Jordano recepit, ex MSS.
1204. Lexoviensibus. Reperitur an. 1204 mense Oct.
1205. in regesto 31 thesauri regii. Interfuit an. 1205 dedicationi ecclesiæ sancti Antonii de Gallione in diœcesi Ebroicensi. Circa id tempus cum Waltero metropolitano aliisque episcopis comprovincialibus scripsit ad Philippum Augustum super contentione juris patronatus ecclesiarum. Donationem factam monachis Divensibus a Nicolao *de Meulles* confirmavit mense Augusto
1207. 1207. Circa id tempus testis fuit ab archiepiscopo Rotomagensi donatæ eidem capitulo decimæ de Deppa & Botellis. Una cum plurimis episcopis & Franciæ proceribus adversus Albi-
1208. genses cruce signatus est an. 1208. Cum abbatibus de Savigneio & de Persennia ab Innocentio papa delegatus III nonas Maii, pontificatus anno
1209. 11, significavit anno 1209 monachis Montis S. Michaëlis mandatum apostolicum de reformando hoc asceterio in crastino sancti Marci.
1211. Adstitit anno 1211 obsidioni civitatis Vau-
1213. rensis, & Biterrensis 1213. Reversus sane anno
1214. 1214, reperitur in chartis Gemeticensibus mense Martio. Centum libras Turonenses duodecim
1215. clericis chori assignavit anno 1215, qui omnes horas canonicas per singulos dies decantarent. Abbatiam Montis Dei paterno in solo fundavit, & a capitulo generali apud Præmonstratum habito
1216. anno 1216 petiit, ut super ecclesiam Montis Dei jure paternitatis gauderet Lucerna. Adfuit hoc anno conventui magnatum Franciæ apud Melodunum, & hominio comitissæ Campaniæ mense Julio, quam consanguineam vocat in literis his mense & anno datis, quibus significat Erardum non debere recipi in hominem de feodo Campaniæ. Cum Luca Ebroicensi episcopo repe-
1217. ritur anno 1217. Ptochodochium antiquum in urbem transtulit, quod summa pietate construxit, cui per singulas hebdomadas 13 tritici modios super horrea episcopatus percipiendos erogavit,
Carta v. ad. 1218. & alia nonnulla largitus est, quæ habes in charta
1218. data mense Junio 1218. Canonicis S. Candidi veteris apud Rotomagum plurima contulit anno eodem, quo reperitur in tabulario Montis sancti Michaëlis, & Victori abbati de Bochervilla confirmavit præsentationem ecclesiæ sancti Martini *de Tillol.* Parisiis exstabat hoc anno, ex chartis Becci, quo forte canonicis Victorinis parochiæ de Gaceio donationem confirmavit, quibus legavit

ANNI CHRISTI

A 100 solidos usualis monetæ in festo S. Lucæ percipiendos in ecclesia de Estrepigneio, ex regestis Normanniæ. Forte etiam ad expeditionem Jerosolymitanam pergebat, cum aliis nobilibus & episcopis profectus, unde in chronico Normanniæ: *Obiit Jordanus Lexov. episcopus in partibus transmarinis, ibique sepultus est, qui ecclesiam Lexoviensem rexit fere annis 17, & multum accrevit & ditavit eamdem.* Obiit autem Jordanus anno 1218, ex chronico Uticensi. Obitus ejus celebratur in ecclesia Lexoviensi diebus 21 Martii & 22 Julii, pro quo medietatem decimæ de Bonvillariis donavit. Notatur in necrologiis sancti
B Justi Bellovacensis die 7, Uticensi 8, & Montis Dei die 7 mensis Decembr. sicut in obituario ecclesiæ Rotomagensis cui nonnulla legavit. At in necrologio sancti Victoris Parisiensis ad XIX calendas Februarii sic legitur: *Anniversarium bonæ memoriæ domini Jordani Lexoviensis episcopi fratris nostri, qui dedit nobis centum solidos annuatim percipiendos, quos debet reddere dominus episcopus Lexoviensis.*

XIX. GUILLELMUS II.

DU PONT DE L'ARCHE.

Jordanum excepit Guillelmus anno 1218, ex chronico Uticensi. Memoratur anno 1220 1220.
C in chartis Becci & Bellæ stellæ, & 1221 Becci. 1221.
Adstitit anno 1223 exsequiis Philippi Augusti. 1223.
Unus est ex episcopis Normanniæ, qui anno
1224 die festo sancti Johannis-Baptistæ apud 1224.
Turones recessere ab exercitu regis, dicentes se non teneri adesse exercitui regis in propriis personis. Occurrit in chartis Becci anno 1226. 1226.
Eodem igne combusta est Lexoviensis ecclesia. Interfuit anno 1231 in crastino sancti Thomæ 1231.
assisiæ regis apud Bernaium, eodemque anno scacario Rotomagensi. Fundavit an. 1233 capel- 1233.
lam SS. Audoëni, Egidii & Lupi, ejus vero frater dotavit capellam sancti Ursini in ecclesia
D Lexoviensi. A Gregorio IX ecclesiæ S. Candidi Rotomagensis confirmationem accepit, sicuti ea potiti fuerant decessores episcopi, pridie idus
Augusti 1234. Adfuit anno 1237 in vigilia 1234.
S. Laurentii consecrationi Petri de Collemedio 1237.
archiepiscopi Rotomagensis. Confirmavit 1240 1240.
mense Aprili literas Jordani decessoris pro S. Victore Parisiensi. Bullam Alexandri III pro
Corneliis recognovit anno 1242 mense Nov. 1242.
Memoratur 1224, 1232, 1234, 1239, 1244 1244.
in chartis Pratellensibus, 1245 Beccensibus, 1245.
1247 Fontanellensibus, & 1248 Troarni. Do- 1247.
minicanos accivit, quibus capellam B. Mariæ de 1248.
E Prato & antiquum ptochodochium largitus est
circa annum 1249. Senio fatiscens cessit in ma- 1249.
nibus Odonis archiepiscopi Rotomagensis, auctoritate apostolica delegati, apud Tibervillam XVII
cal. Aprilis 1249, nunc 1250, qui assignavit 1250.
ei pensionem 600 librarum Turonensium in præpositura Lexoviensi. Secessit autem in abbatiam Boni-portus, ubi defunctus mense Augusto sequenti, sub ænea quæ fuit olim tumba in medio chori sepultus est ante aquilam. Obitus ejus dies notatur 17 Februarii & 23 Nov. in necrologio

ANNI CHRISTI

Lexoviensi, pro quo celebrando medietatem de- A
cimæ sancti Vincentii de Bolleio assignaverat. In
necrologio Gaudii vallis ad 4 Decemb. legitur:
Commemoratio D. Guillelmi quondam episcopi & comitis Lexoviensis, qui assensu capituli sui ecclesiam parochialem sancti Andreæ de Herberto regendam nobis contulit.

D'ASTIN.

XX. Fulco.

Ex decano episcopus ab archiepiscopo Rotomagensi consecratus est Fulco VI calendas Julii 1250, & triduo post, III cal. ejusdem, ecclesiam suam ingressus est. Scacario apud Cadomum
1252. interfuit anno 1252. Dedicavit ecclesiam de B
1254. Grestano an. 1254. Unus est e tribus episcopis provinciæ, quibuscum compositionem iniit Odo archiepiscopus apud Pontem Audomari die Lunæ
1256. post Nativitatem S. Johannis-Baptistæ 1256. Datam a Guillelmo de Asneriis canonico, & Gosselino capellano Fratribus Prædicatoribus viam confirmavit, & aquam concessit mense Julio. Sacros ordines vice Odonis Rotomagensis archiepiscopi celebravit apud Noionem super
1258. Andelam IV calend. Aprilis 1258. Eodem & anno 1261 bona Bellæ stellæ auctoritate sua roboravit. Subscripsit literis episcoporum sancto Ludovico concedentium ut quæ ignotis restituere C
1259. non poterat, pia in opera impenderet an. 1259. Mense Aprili anni ejusdem Monti Dei plurima largitus est, præsensque adfuit concordiæ inter abbatem & Robertum de Perceio. Dissidentes canonicos sancti Petri Lexoviensis, W. de Ponte arcæ decanum & Robertum abbatem de Becco de ecclesia sancti Petri de Betonvilla, monachis concessa a Radulfo de Recenti curia, ita conciliavit, ut decimam inter eos partitus sit, retento
1261. sibi jure patronatus anno 1261, die Jovis post Assumtionem. Eodem anno concessit capitulo decimas frugum ecclesiæ S. Saturnini de Rauca villa, retenta vicaria hujus ecclesiæ mense Octob. D
Eisdem mense & anno 30 libras annui reditus dedit capitulo de fructibus ecclesiæ S. Martini de Roqua pro duobus anniversariis. Assignavit capitulo Bajocensi decem libras super decima parochiæ *de Lachon* debitas ipsi a capitulo Lexoviensi die Mercurii post ramos Palmarum 1261,
1262. (1262). Memoratur in chartulariis Beccensi annis 1251, 1253, 1254, 1262 & 1266, Uticensi 1254, 1255, 1257, 1259, 1260, 1266, Bellæ stellæ, cujus erat abbas, 1258 & 1261, quibus annis hujus monasterii bona confirmavit ad instar Guillelmi decessoris sui. Memo-
1266. ratur & in Troarnensi an. 1266, quo scholarum E
magistro mense Januario concessit 60 solidos annui reditus. Fundavit anniversarium fratris sui Nicolai *d'Astin* militis & antecessorum suorum, assignatis 15 libris super reditibus terræ de
1267. Roqua quam acquisierat, anno 1267 die Mercurii post festum S. Marci. Obiit anno eodem post annos 17 regiminis, sepulturam nactus in choro Lexoviensis ecclesiæ ad lævam majoris altaris sub tumba ænea, quam fecit Guillelmus de Plalliaco. Commemoratur illius obitus in ecclesia Lexoviensi 29 Aprilis & 30 Octobr. in necrologio Lucernæ 29 Aprilis, Montis Dei, cui donavit decimam de Elone, 30 Aprilis, & Bellæ stellæ 4 Maii.

DU M

XXI. Guido I.

Ex archidiacono Constantiensi & cantore Rotomagensi electus episcopus Guido, confirmatur Parisiis ab archiepiscopo Rotomagensi VI nonas Julii 1267, & consecratur in ecclesia Rotomagensi XII calendas Septembris. Ecclesiam suam ingressus est V calend. ejusdem præsente Odone archiepiscopo. Eodem anno habitum est concilium provinciæ apud Pontem Audomari, sicut
& an. 1270. Guido autem reperitur an. 1269 126
in chartis Fontanellensibus, 1271 Vallis Richerii, 127
1272 & 1274 Beccensibus. Hoc ultimo regem 127
rogavit ut confirmato ab ipso Uticensi abbati 127
regalium copiam faceret. Regi scripsit an. 1277 127
in gratiam abbatis Bernaicensis recens electi.
Monachis Divensibus vetuit an. 1278 ne prio- 127
rem sibi eligerent in capella S. Cyrici *de Friardel* absque beneplacito abbatis S. Petri. Nunc capellam tenent canonici regulares congregationis de Boscho Achardi. Eodem anno consecravit XI cal. Julii majus altare ecclesiæ Gemeticensis. Interfuit
anno 1279 concilio provinciæ apud Pontem 127
Audomari. Dominicanis factas donationes confirmavit & auxit Sabbato post Natale Domini
1284. Apud Logias defunctus anno 1285, 128
tumulatur in inferiori parte chori subtus sedes 128
choristarum. Memoratur dies obitus ejus in necrologio Lexoviensi 25 Aprilis, Rotomagensi VII cal. Maii, Montis Dei 26 Aprilis, Pratelli 26 Oct. & 3 Julii in obituario Burgi Achardi.

D'ASNIERES.

XXII. Guillelmus III.

E vico Asneriarum haud procul a Corneliis ortus Guillelmus, ex cantore factus est episcopus anno 1285. Statuta synodalia edidit. De illo
chartularium Beccense, annis 1287, 1290 & 1287
1293. Infirma sancti Leodegarii abbatissa Guil- 1290
lelmi in manibus cessit an. 1294. Altare capellæ 1293
abbatis Beccensis consecravit in honorem sanctis- 1294
simæ Trinitatis, & omnium sanctorum VI cal.
Decembris 1295. Memoratur anno 1297 in 1295.
chartis Fontanellensibus pro ordinatione clerici 1297.
Sagiensis apud Touquam post Dominicam I Quadragesimæ. Plurima capitulo donavit anno
1298 pro conservandis ecclesiæ ornamentis & 1298.
erigenda succentoris præbenda, quæ a Guidone successore erecta est. Præmonstratensibus sancti Eustachii de Asneriis subditis abbatiæ de Bella stella donavit ecclesiam S. Johannis de Asneriis Sabbato in vigilia S. Bartholomæi anni ejusdem, & paulo post obiit, ex chronico Uticensi. Et certe episcopatus bona juri regali subjecta sunt a die Martis post S. Bartholomæum an. 1298 ad Pascha 1299. Obitus Guillelmi dies agitur in ecclesia Lexoviensi 8 Aprilis & 25 Augusti, ut in necrologio Bellæ stellæ, cujus abbas fuit. Struxit capellam S. Pauli in ædibus episcopalibus,

ANNI CHRISTI quarum in principali vitro effigies ejus & stemma depinguntur.

XXIII. JOHANNES II.

DE SOIS.

Post mortem Guillelmi elegerunt canonici Henricum de Tilleio canonicum in minoribus ordinibus constitutum, cujus reprobati in locum substituit summus pontifex Bonifacius VIII die
1299. nonas III Februarii 1299 Johannem episcopum Redonensem. Is in pago diœcesis Senonensis ad Sequanam oriundus, Fratrum Minorum ordinem amplexus, ex Redonensi factus episcopus Lexoviensis, regalibus donatus est die Paschæ 1299. Interfuit concilio provinciali die Jovis post octavas Pentecostes in ecclesia beatæ Mariæ de Prato juxta Rotomagum. Emptionem factam a Dominicanis approbavit anno eodem. Abbatem Gre-
1302. stanensem amovit anno 1302; quo aperta est regalia die Martis post festum sancti Andreæ. Celebratur ejus obitus in ecclesia Lexoviensi die 5 Decembris.

XXIV. GUIDO II.

DE HARCOURT.

Illustri ac vetusta Neustriæ familia editus Guido, filius Johannis domini Haricuriæ & Aleïdis de Bello monte, ex canonico factus episcopus, consecratur a Roberto fratre Constantiensi episcopo, regaliaque recepit die Martis post
1303. S. Matthiam an. 1303. Adfuit concilio provinciali habito apud Denvillam prope Rotomagum
1304. anno 1304 circa festum Ascensionis. Habitum
1305. est an. 1305 concilium provinciæ apud Pontem Audomari. Cum plurimis episcopis adfuit 17
1306. Maii 1306 translationi capitis sancti Ludovici ad sacram capellam Parisiensem. Abbatem Gre-
1308. stanensem confirmavit & benedixit an. 1308, & regi significavit quid ante confirmatum abbatem egerat. Philippus rex complura ei dominia
1311. donavit anno 1311. Dedicationi ecclesiæ de Escoyaco cum aliis episcopis tempore Egidii
1314. archiepiscopi adfuit circa 1314. Reperitur in
1315. chartulario sancti Taurini anno 1315. Simplex pœnitentiarii officium instituit, fundavit & dotavit anno 1317. Parisiensis senatus consultum obtinuit anno 1319 adversus Robertum de Ar-
1319. tesia. Synodum habuit an. 1321 in qua deces-
1321. sorum statuta synodalia renovavit, publicavit ac servanda præcepit. Composuit annis 1321 &
1322. 1322 cum capitulo tam super jurisdictione & exemtione, quam super quibusdam juribus banleucæ dominii episcopalis, rege id approbante. Pœna 15000 librarum a senatu multatus est in
1325. festo S. Martini 1325 ob domesticos Caroli IV regis ab ipsius domesticis male habitos, e quibus
1326. ei tertiam partem dimisit rex 18 Aug. 1326, modo reliquas tribus annis sequentibus solveret.
1332. Litigabat an. 1332 in scacario Normanniæ cum Radulfo de Bosco & aliis. Succentoriam Lexoviensem a Guillelmo decessore inchoatam prima
1333. adauxit an. 1333 semipræbenda, secundam pœnitentiario addixerat an. 1317. Confirmavit an.
1334. 1334 initam compositionem inter Fulconem decessorem & Guillelmum decanum super juribus episcopi. Concilio provinciæ Rotomagensis per procuratorem adstitit mense Septembri 1335. 1335.
Collegio Lexoviensi apud Parisios initium dedit. Multa quoque bona & privilegia monachis Vallis Richerii contulit. Obiit 24 Apr. 1336, cujus 1336.
sepulcrum e nigro marmore in cathedrali versus altare majus cernitur. Suis parentibus erexit ipse tumulum in prioratu beatæ Mariæ de Parco in Normannia secus castrum Haricuriæ. Memoratur VIII calendas Maii in necrologiis Rotomagensi & Uticensi, qua ultima in ecclesia solenne pro eo fit anniversarium. De Guidone sic in membranaceo codice: *Guido de Haricuria vir magnanimus, frater Roberti Constantiensis episcopi, licet non compar in literatura, tamen non impar in tuitione ecclesiæ.*

XXV. GUILLELMUS IV.

DE CHERMONT.

Patria Wleassinus Guillelmus canonicus Lexoviensis & verbi Dei præco egregius, electus per compromissum fit episcopus VI idus Decembr. anno secundo Benedicti XII successoris Johannis XXII, qui nominandum episcopum ad se receperat. A Johanne Portuensi episcopo consecratus fuit. Cameræ apostolicæ promisit 19 Decembr. 1336. Nonnulla donavit capitulo 1337. Reli- 1337.
quias ecclesiæ Pratellensis sancti Petri transtulit penultima Junii 1339. Concilio Rotomagensi 1339.
adfuit 14 Decembr. 1342. Procuratores suos *Amplis. Collect. t. VII, col. 414.*
constituit 28 Dec. anni ejusdem Guillelmum de Villa & Guillelmum *de Boves* nepotem suum, 1342.
ut exigerent id quod ipsi debebatur de decimis silvarum de Rouvrayo & de Londa. Obiit die Veneris post festum S. Remigii 1349. 1349.

XXVI. GUILLELMUS V.

GUITART.

Guillelmo defuncto successit Guillelmus alter. Is Lemovicensi solo exortus, ordinis S. Benedicti monachus, jurisconsultus eximius & concionator celeberrimus, a Clemente VI factus est abbas S. Taurini Ebroicensis, dein episcopus Tricastinensis, & post Lexoviensis pridie nonas Nov. ab eodem Clemente, qui eum a se confirmatum Johanni duci Normanniæ commendavit literis datis pontificatus an. 8. Fidei sacramentum præstitit die 4 Dec. anni ejusdem. Una cum Elia abbate Uticensi transegit an. 1353 cum priore 1353.
S. Martini de Vallibus. Memoratur in chartulario Vallis Richerii an. 1349, & Montis Dei 1354. 1354.
Propter bella Gallos inter & Anglos exorta miram adhibuit diligentiam ad claudendum muris Lexovium an. 1357. Literis 12 Junii 1358 1357.
datis agnovit sibi solutas 600 libras a prorege 1358.
Franciæ, duce Normanniæ, delfino Viennensi sibi assignatas. Eodem anno cum Avenionem ob tumultus bellicos aufugisset, domo quam incolebat igne combusta, ipse quoque eo incendio periit. Celebratur ejus obitus quem fundaverat, die 10 Novembris; legitur tamen 17 Aprilis in necrologio Bellæ stellæ, cujus abbas fuit.

XXVII. JOHANNES III.

DE DORMANS.

De Dormanno dictus est Johannes ab oppido

ANNI CHRISTI

Dormanno inter castrum Theoderici & Sparna-
cum. Germanum habuit Guillelmum, qui nobi-
litate donatus est mense Martio 1350, ex primo
regesto cameræ comput. Parif. fol. 14. Advo-
catus primum fuit in senatu Parisiensi, tum consi-
liarius ducis Aurelian. & canonicus S. Quintini
an. 1353. Cancellarius autem erat ducis Nor-
manniæ regni administri 21 Augusti 1357 &
ipsius Normanniæ 1358, quo anno Carolus regis
primogenitus assignavit ei 1 Augusti bona Ste-
phani *Marcel* præpositi Parisiensis apud Ferrarias
sita. Eodem anno Johannis electi Lexoviensis &
confirmati vicarius chirographo suo confitetur
solutam sibi pro dicto episcopo decimam ven-
ditionis solitæ silvarum de Rouvraio & de Londa
13 Aprilis. Electus adhuc Lexoviensis dicitur
1359. die 26 Junii 1359 in veteri regesto archivi regii
Parisiensis. Et certe in ejus epitaphio legitur:
primum pro Lexoviano præsule susceptus; & in re-
gestis Vaticani, Ademarus successor solvit pro
Johanne decessore 14 Maii 1361; transiit enim
Johannes ad ecclesiam Bellovacensem, ut diximus
tomo IX, col. 752.

Florebat tunc temporis Gervasius Christiani
canonicus Lexoviensis, decanus facultatis Pari-
siensis anno 1359.

XXVIII. ADEMARUS.

ROBERT.

De Ademaro ubertim diximus in Atrebaten-
sibus. Lexoviensis episcopus solvit pro Johanne
1361. decessore 14 Maii 1361, & pro se ipso 22
Septembr. anni ejusdem, ex regestis Vaticani.
1365. Restauravit anno 1365 capellam sancti Aniani
Lexoviensis, quam Petrus decanus S. Germani
Autissiodorensis pie postea dotavit. Ademaro
Carolus V rex anno eodem die 8 Augusti indulsit
ad annum duos denarios e duodecim qui Lexovii
exigebantur pro liberatione patris regis, ad repa-
rationes urbis & castelli perficiendas. Aderat in
curia quando Johannes Britanniæ dux homagium
fecit Carolo Francorum regi die 13 Decembr.
1366. 1366. Pepigit cum capitulo 13 Octob. 1367
1367. de visitatione, correctione & jurisdictione, capi-
tulum vero Ademaro ejusque successoribus con-
cessit, ut missas, ordines, aliaque munia episco-
palia absque ulla contradictione celebrare possent,
& unum truncum ad ingressum chori permisit
pro recipiendis oblationibus fidelium ad reparan-
dam minitantem ecclesiam. Duas partes decimæ
acquisivit eodem anno in parochia *d'Auquainville,*
quas postea & alia pro missa quotidiana capitulo
legavit. Reliquias sancti Candidi recognovit, &
in capsa deposuit in ecclesia S. Candidi veteris
apud Rotomagum. Translatus ad ecclesiam Atre-
batensem ab Urbano V, pontificatus anno 6, die
v idus Octobr. cameræ apostolicæ promisit 15
1368. Dec. 1368. Inde transiit ad ecclesiam Mori-
nensem, ut diximus tom. IX, & post ad metro-
polim Senonensem. Celebratur ejus obitus in
ecclesia Lexoviensi die 25 Januarii.

XXIX. ALFONSUS.

CHEVRIER.

Lexoviensi ecclesiæ vacanti per translationem
A Ademari ad Atrebatensem præfecit Urbanus V
Alfonsum canonicum Parisiensem, in utroque
jure licentiatum & in ordine diaconatus constitu-
tum v idus Oct. pontificatus an. 6. Consiliarius
is in parlamento Parisiensi 1361, missus est in
Angliam a Johanne rege, tum magister requæ-
starum hospitii regis annis 1365, 1366 &
1367. Hoc ultimo anno donatus est a rege 60
francis auri pro itineribus Carnotensi & Seno-
nensi. Demum factus episcopus Lexoviensis,
cameræ apostolicæ promisit pro Ademaro 22
Julii 1369. Anno eodem sedem apostolicam 13
B appellavit, eo quod officialis Rotomagensis cle-
ricum detineret, qui scelus commiserat intra fines
parochiæ S. Candidi veteris, contra privilegia
ecclesiæ Lexoviensis. Anno 1370 pacem iniit 137
cum archiepiscopo mediis arbitris a summo pon-
tifice delegatis, illæsis ecclesiæ privilegiis. Occurrit
15 Junii 1371 in chartis authenticis *D. de* 137
Gaignieres. Synodum habuit in qua beneficiatis
residentiam præscripsit, qui summum pontificem
appellarunt 13 Novemb. 1371. Dissidia habuit
cum capitulo pro reparanda ecclesia, de quibus
judicium intervenit 30 Novembr. 1372. Mo- 137
rabatur anno 1377 Parisiis apud Montem sancti 137
Hilarii. Condito testamento, cujus exsecutorem
C nominavit Johannem *de Digoine* militem, obiit
26 Julii anni ejusdem. Et certe Alfonsi tanquam
mortui fit mentio in consulto curiæ parlamenti
Parisiensis die 21 Martii 1379, ex quo liquet
Alfonsum fuisse arbitrum inter Ludovicum du-
cem Borbonesii & Guidonem de Bolonia. Illius
obitus reponitur 26 Junii in necrologio MS.
monialium Lexoviensium.

XXX. NICOLAUS.

ORESME

Patria Bajocensis Nicolaus, theologorum, phi-
losophorum & mathematicorum sui temporis in
academia Parif. facile princeps, a Johanne Franciæ
D rege delectus est, qui Carolum filium, sapientem
postea dictum, bonis literis, moribusque infor-
maret. Post adeptam doctoratus lauream, Navar-
rense gymnasium an. 1356 regendum suscepit,
ubi theologus ex officio docuit, & Caroli regis
jussu gallicæ sacrorum bibliorum versioni incu-
buit. Anno 1361 factus Rotomag. decanus, erat
quoque canonicus sacræ capellæ Parisiensis, præ-
fectura Navarrensi cessit. Biennio post orationem
coram Urbano V & cardinalibus Avenione acrem
habuit, qua auditoribus suis totique clero immi-
nens exitium contestatus, prædictionis suæ argu-
menta ex eorum sceleribus desumta palam expo-
E suit. An. 1370 Caroli regis mandatis obsecutus,
veterum scriptis Gallice vertendis operam dedit,
& septennio circiter expleto episcopatum Lexo-
viensem mercedem accepit. Factus autem epi-
scopus, ad preces regis die 16 Novemb. 1377,
ex regestis capituli Rotomagensis, æmulum passus
est Reginaldum *de Dormans,* quem dux Ande-
gavensis Gregorio XI commendaverat, cujus
pontificis plures tum ad regem, tum ad ducem
literæ MSS. extant in bibliotheca N. *de La-
moignon.* Nicolaus autem victor inauguratus est

ANNI CHRISTI 1378. die 26 Jan. 1377 seu 1378. præsente Carolo A
V, qui duos annulos gemmis ornatos ipsi donavit,
ut constat ex scripto regis jubentis ut 390 libræ
auri solvantur mercatori qui annulos vendiderat.
In magnis Franciæ chronicis dicitur missus obviam Carolo IV imperatori apud S. Dionysium
commoranti ineunte 1378. In exsequiis Johannæ Borboniæ Franciæ reginæ subdiaconum egit
mense Februario. Juravit in verba Rotomagensis
ecclesiæ 18 Junii anni ejusdem. Confirmavit die
1381. 3 Apr. 1381 canonicis ecclesiæ sancti Candidi
veteris apud Rotomagum decem libras annui reditus, cujus loci immunitatem eodem propugnavit anno adversus Rotomagensem archiepisco- B
1382. pum. Defunctus die 11 Julii 1382, sepulturam
accepit in cathedrali juxta sinistram chori portam,
& die sequenti fit ejus obitus in ecclesia Lexoviensi. Et certe vacabat sedes an. 1382 die 5
Augusti, ex reg. 123 Caroli VI, in quo N.
Lexoviensis bonæ memoriæ episcopi fit mentio.

Nicolai operum alia typis mandata, alia MSS.
in bibliothecis delitescunt, sed omnia mirabilem
ejus indicant subtilitatem, & in scientia theologica vivacitatem. Sermo ejus in illud Isaïæ, *Juxta
est salus mea*, coram Urbano V & cardinalibus
habitus, a Flaccio Illyrico editus habetur in catalogo testium veritatis pag. 512, a Salomone C
Ghesnero seorsim recusus Wittembergæ anno
1604. De mutatione monetæ liber exstat tom.
XXVI bibliothecæ patrum, pag. 226. Tractatus
de sphæra Gallice editus Parisiis 1546. Politica
atque ethica Aristotelis, libri aliquot Ciceronis,
& Petrarchæ de remediis utriusque fortunæ liber
ab eo Gallice versi & Luteciæ excusi sunt annis
1486, 1488 & 1534. Martenius tom. IX
amplissi. collect. col. 1272, edidit ejusdem tractatum de Antichristo, qui ab aliis Guillelmo
a S. amore tribuitur. Scripsit quoque Nicolaus
opus perutile de communicatione idiomatum,
tractatum de mutatione monetarum tempore Cle- D
mentis VII Avenione sedentis, in quo quærit
an lucrum ex hac mutatione proveniens sit licitum, tractatum de Conceptione immaculata B.
virginis, sermones 115 aliaque opuscula, quæ
in bibliothecis Lexoviensi, Navarrensi, Vaticana,
Augustinianorum Parisiensium, &c. MSS. asservata recenset Johannes Launoyus hist. gymnasii
Navarrensis tom. II, pag. 458.

Jacobus Galterius in tabula chronographica
an. 1633 edita, veritus non est Nicolaum hæreticis seculi XIV annumerare, quem & Petrus a
sancto Romualdo in thesauro suo chronologicó
historico an. 1647 edito in tabula chronologica E
seculo XIV præfixa inter hæresiarchas reposuit.
Contra vero honorifice de Nicolao loquitur
Thomas *Basin* ejusdem sedis Lexoviensis antistes,
acerrimus sui temporis hæreticorum insectator,
in libro contra errores & blasphemias Pauli de
Middelburgo cap. VIII in fine, ubi de mathesi
agit: *De hoc etiam*, inquit, *libellum elegantem a
se editum reliquit venerabilis Nicolaus* Oresme *quondam episcopus ante nos ecclesiæ Lexoviensis, qui
tamen suo tempore summus astrologus habebatur.*

XXXI. GUILLELMUS VI.

ANNI CHRISTI

D'ESTOUTEVILLE.

Clara in Normannia gente satus Guillelmus
e ramo dominorum Torciaci, Thomæ episcopi
Bellovacensis & Estoldi abbatis Fiscannensis germanus, Bononiæ literis operam dedit cum Guidone *de Roye* qui postea fuit archiepiscopus Remensis. Ipse vero Ebroicensis episcopus, tum
Autissiodorensis, demum Lexoviensis promisit
& recognovit pro Nicolao decessore die 15 Sept.
1382, ex regestis Vaticani. Reperitur 9 Febr.
1382, id est 1383, 14 Julii 1389, 28 Julii 1383.
1404 & 8 Octobr. 1413 in chartis authenticis
D. de Gaignieres, ubi confessus est 7 Februarii
1385 se recepisse 125 libras auri pro decimis in 1385.
silvis de Rouvraio & de Londa. Annum a Carolo
rege obtinuit 28 Junii 1387 ad recensionem 1387.
bonorum faciendam, eo quod, urbe a Notho de
Sabaudia expugnata, deperditæ fuissent chartæ.
Prorogato quoque ei ad solvendum tempore 22
Junii 1391, cameræ apostolicæ solvit 23 De- 1391.
cemb. anni ejusdem, ex regestis Vaticani. Aberat
a sua diœcesi 5 Martii 1391, id est 1392, 1392.
propter bella ubique frementia. Obsequium Rotomagensi ecclesiæ non præstitit ante 9 Octobr.
1397. Insequenti adfuit scacario Rotomagensi. 1397.
Fundavit fabricam ecclesiæ cathedralis, cujus reliquias transtulit anno 1399. Guillelmo permisit 1399.
Carolus VI rex ut quemlibet custodem castro
Lexoviensi apponeret 15 Julii 1400, sepien- 1400.
nioque post idem eidem indulsit pro urbe ipsa
Lexoviensi, cujus incolæ muros reficiebant 22
Apr. 1407. Frater Johannis *d'Estouteville* Guillelmus dedicavit 29 Junii 1402 ecclesiam col- 1402.
legiatam S. Catharinæ de Carolimesnillo in agro
Caletensi, erectam a Guillelmo Rotomagensi archiepiscopo ad preces Johannis loci toparchæ,
qui inibi fundavit collegium decem canonicorum. Philippo Burgundiæ duci anniversarium
spopondit 2 Febr. 1403. Nonnulla Domini- 1403.
canis concessit an. 1407. Cum Guillelmo epi- 1407.
scopo Ebroicensi a concilio Gallicano delegatus
fuit in causa Ludovici *de Harcourt*, in archiepiscopum Rotomagensem postulati anno 1408. 1408.
Electus 6 Novembris anni ejusdem ut concilio
Pisano interesset, missam solennem ibidem celebravit die ultima Maii 1409. Literas a Carolo 1409.
VI obtinuit annis 1409 & 1411 pro jurisdi- 1410.
ctione adversus decanum & canonicos, & 1410 1411.
adversus succentores ecclesiæ Lexoviensis, qui auctoritatem ejus declinabant. Instituit obituarium
die 1 mensis cujuslibet, pro quo legavit capitulo
decimam de Curva spina cum fundo *du Cocq*
an. 1413, deditque insuper terram de Cortona. 1413.
Duos etiam clericos fundavit in ecclesia Lexov.
dictos *Demi-douze-livres*. Legavit anno 1414 1414.
domos quas prope ecclesiam S. Genovefæ Parisiis
acquisierat, & terram *de Bonneville* ad fundandum collegium Torciacum, quod anno 1422
erexit Estoldus Fiscannensis abbas. Testamentum
condidit 18 Dec. & codicillos 21 eorumdem
mensis & anni 1414, indictione VIII, eademque
die, alias 10 Jan. sequentis defunctus in castello

ANNI CHRISTI

de Cortona quod ædificaverat, tumulatus est ad latus dextrum majoris altaris ecclesiæ Lexoviensis in sepulcro marmoris albi a Calvinistis postea destructo.

FRESNEL.

XXXII. PETRUS I.

De Petro jam diximus in Meldensibus, unde ad Noviomensem ecclesiam translatus, e Noviomensi ad Lexoviensem per obitum Guillelmi traductus est a Johanne XXIII bulla data Constantiæ v calend. Februarii, pontificatus anno 5,
1415. Christi 1415. Sex pueros chori in ecclesia Lexoviensi 9 Decembris ejusdem anni fundavit. Ad Henricum V Angliæ regem una cum Guillelmo B Bituricensi archiepiscopo legato Petro a Carolo VI Franciæ rege, salvus conductus datus est ab Henrico mense Junio anni ejusdem. Rotomagum missus est ab eodem rege cum domino de Bac-
1416. quevilla anno 1416 ad comprimendam rebellionem. Cum Guillelmo abbate sancti Cornelii Compendiensis & Johanne *Tudert* decano Pari-
1417. siensi præfectus est 14 Junii 1417 cuidam vecti-
1418. gali a clericis regni regi concesso. Anno 1418, cum Lutetiæ moras necteret, in tumultu repente exorto in favorem ducis Burgundiæ, in quo furentibus turbis in carcerem trusi & miserrime trucidati plurimi prælati & optimates, Petrus ab C Henrico *de la Main* equite interemptus est die 12 Junii. Eodem anno reditus ecclesiæ cathedralis concessi fuere decano, canonicis, vicariis, capellanis & clericis ibidem residentibus ab Henrico V Angliæ rege, anno regni 6.

DU BOSC.

XXXIII. MATTHÆUS.

Matthæus *du Bosc* episcopus Lexoviensis testamentum condidit 23 Septembris 1418, in quo sepulturam eligit apud Franciscanos Parisienses in capella, ubi tumulatus fuerat ipsius avus Guillelmus *de Bruval* ballivus Trecensis, nonnulla legat Erraudæ & Isabellæ *du Bosc* sororibus suis D Rotomagi monialibus, & exsecutores constituit Guillelmum *du Bosc*, Robinum *Deschamps*, Jacobum *Poignant* & Guiffinatum *du Bosc*, ex schedis D. *de Clairambault*. Erat is filius fratris Nicolai *du Bosc* cancellarii Franciæ, canonicusque & thesaurarius Bajocensis, & consiliarius parlamenti Parisiensis dicitur in testamento Nicolai patrui anno 1400, cujus instituitur exsecutor. Hunc apud Franciscanos summa cura perquisitum, consumtis igne ecclesia & documentis, reperire non licuit.

DE CASTIGLIONE.

XXXIV. BRANDA.

E

Lombardus natione Branda, in Insubria patre Maffæo in lucem editus anno 1350, celebris jurisconsultus, academiæ Papiensis professor publicus a Johanne Galeacio, & a Bonifacio IX papa a sacris sacrificiis Rotæque Romanæ auditor declaratus fuit. Placentinæ postmodum ecclesiæ pontificatum obtinuit III nonas Aug. 1404. Innocentio quoque VII & Gregorio XII pontificibus maximis acceptus fuit. In Germaniam nuncius destinatur a Johanne XXIII, & purpuratorum A cœtui adscribitur 6 Junii 1411 sub titulo sancti Clementis. Concilio Constantiensi interfuit anno 1414, & sequenti ad Angliæ regem missus est pro matrimonio Catharinæ a Francia. In Bohemiam contra Hussitas hæreticos legatione defunctus est sub Martino V, a quo archidiaconus Bajocensis, & episcopus seu commendatarius Lexoviensis factus, possessionem iniit 7 Septembris
1420 seu per se, seu verisimilius per Bartho- 142
lomæum de Gualeis ejus procuratorem, qui Henrico Angliæ regi ante Melodunum in exercitu suo regni ejus 8, die 13 Augusti pro temporalibus clientelam præstitit, quæ ei statim concessa sunt. Biennio post ab eodem rege obtinuit Branda confirmationem chartæ Johannis regis pro episcopis Lexoviensibus, literasque de securitate ab ipso capienda, eo quod castrum *de Courton* ab
Anglicis custodiri faceret. Eodem anno 1422, 142
die 8 Febr. Bertolinus legum doctor & vicarius generalis in spiritalibus & temporalibus reverendissimi in Christo patris domini B. tituli sancti Clementis S. R. E. presbyteri cardinalis, Placentini vulgariter nuncupati, administratoris perpetui ecclesiæ Lexoviensis, a sede apostolica deputati, visitavit reliquias ecclesiæ sancti Candidi veteris. Circa id tempus querelas ad Henricum Angliæ regem contra Brandam detulit capitulum, quod a quadriennio non resedisset in ecclesia Lexoviensi, quam tenebat in commendam. Rex
vero ad hoc commisit 16 Januarii 1423 vice- 142
comitem *d'Orbec*. Hanc forte ob rem cardinalis
Branda episcopatui cessit 12 Jun. 1424. Memor 142
autem beneficiorum quibus in Francia potitus fuerat, collegium in academia Papiensi apud Ticinum instituit, in quo scholaribus Lexoviensi, Bajocensi & Ebroicensi, unico duntaxat e singulis episcopatibus patet aditus & locus cum pensione & reditibus, charta data Romæ die 28 Maii 1430, in qua se dicit etiamnum recipere bona archidiaconatus de Lieuvino, canonicatusque & præbendæ ejusdem ecclesiæ. Fuit anno eodem archidiaconus Rotomagensis, demum Portuensis episcopus anno 1431 & Sabinensis cardinalis. Senio confectus, obiit 4 Febr. 1443 Castiglioni, ubi jacet in basilica a suis proavis constructa cum hoc epitaphio:

Quisquis ades, subsiste gradum, paulumque sepulcro
Flecte aciem, & saxo conscriptum perlege carmen.
Optima pars quondam claro qui sanguine felix
Enitui, & mira vixi pietate verendus,
Marmoreo hoc condor tumulo, nec flebile lethum
Est mihi, perpetuo manet inclyta fama decore,
Fataque præclaris nunquam morientia rebus.
Mille ego per casus, per mille pericula victor
Fortunam evici, quin me virtutis amore
Flagrantem & sparsas spirantem pectore leges
Evexi summa ad fastigia. Floruit Hunnus
Præsule me, me pontificem Placentia vidit,
Donec Vesprimius comes, & majora secutus
Tempora purpureo cinxi redimita galero.

NI STI

Struxi acies, ditavi aras, delubra locavi
Immenso redimita auro; majora parabam,
Ni me inter cursus atque hæc molimina rerum,
Omnipotens genitor terreni e carcere secli
Traxisset, celsaque poli regione locasset.

Celebratur Brandæ obitus die 7 Februarii in ecclesia Lexoviensi.

CASTI-ONE.

XXXV. Zano.

Superioris nepos & conterraneus Zano ejus-
dem cedentis in locum jam postulatus 10 Dec.
1423 successit, electus dictus 27 Aprilis, anno
7 Martini V, in regestis Vaticani. Ecclesiæ Roto-
magensi fidei & obsequii sacramentum exhibuit
1425. 24 Januarii 1425, & 22 Julii visitavit eccle-
siam collegiatam & parochialem sancti Candidi
1426. veteris. Memoratur 14 Junii 1426, 18 Nov.
1429. 1429 & penultima Junii 1431 in chartis au-
1431. thenticis *D. de Gaignieres.* Cum episcopo Con-
stantiensi solus sententiam dixit adversus judicium
latum in Johannam *d'Arc* puellam Aurelianen-
sem. Moras obtinuit ad fidem regi præstandam
1432. 26 Januarii 1431, nunc 1432, quo ad eccle-
siam Bajocensem translatus jam a Martino V die
IV calend. Febr. 1430, transiit 27 Februarii,
anno I Eugenii IV. Zanonis tempore instituta
academia Cadomensis, cujus primarius extitit
privilegiorum conservator, ut episcopus Lexo-
viensis, tumque ejusdem cancellarius ut episcopus
Bajocensis, quæ postea dignitas permansit utrius-
que successoribus annexa.

...RCHON.

XXXVI. Petrus II.

Reddita Francorum regi civitate Bellovaco
an. 1429, Petrus episcopus secessit in Norman-
niam ad Anglorum regem, ubi a Martino V factus
episcopus Lexoviensis IV calend. Febr. 1430,
ab Eugenio IV confirmatus die 8 Augusti 1432,
litem cum decessore habuit pro reparandis epi-
scopatus possessionibus. Angliæ regi fidem juravit
16 Nov. anni ejusdem, cujus de novo cancel-
larius iter 30 dierum confecit pro ipsius negotiis,
ut testatur Catharina Angliæ regina literis 31
Decembr. 1432 datis. Regis ejusdem nomine,
1434. anno regni 12, missus est orator die 6 Julii ad
concilium Basileense cum honorario 900 libra-
rum pro expensis itineris, & 100 solidorum
1435. Turonensium quotidianorum. Anno sequenti,
Henrici VI 13, die 20 Junii ad cœtum Atre-
batensem missus est, ad quem legati omnium
principum convenerant ad tractandam pacem
cum delegatis regis Franciæ, ac pro expensis
itineris quotidie recepit decem libras Turonenses.
Una cum ceteris Anglis, inter quos gratia & au-
toritate pollebat, Lutecia pulsus est die 5 Maii
1436. 1436. Dominicanorum possessiones confirmavit
1437. an. 1437. Una cum canonicis ecclesiæ Lexo-
viensis pepigit cum procuratore regio de excom-
municatione lata a capitulo in eos qui privilegia
ecclesiæ violaverant, quæ compositio ab Henrico
Angliæ rege confirmata est 14 Decembr. 1437.

ANNI CHRISTI

A Concilio Rotomagensi adstitit 2 Aprilis 1438. 1438.
Memoratur Petrus 17 Octobris 1436, & 13
Julii 1438 in chartis authenticis *D. de Gai-
gnieres.* Ad cœtum Caletensem cum aliis ab Hen-
rico VI die 23 Maii 1439 missus est ad tractan- 1439.
dum de pace & de libertate ducis Aurelianensis
cum legatis regis Franciæ, unde profectus est in
Angliam regi cuncta relaturus. Anno 1441 1441.
Dominica 7 Maii cum archiepiscopo Rotoma-
gensi compromissum fecit de controversiis exortis
occasione immunitatis S. Candidi veteris. Obiit
18 Decembris 1442 dum ei barba tonderetur, 1442.
quod lepido carmine cecinit Valeranus in poë-
B mate Johannæ *d'Arc* puellæ Aurelianensis. Tu-
mulatus est Lexovii in æde cathedralis S. Petri
prope altare a latere evangelii, in qua vicarium
quartum instituerat dotaveratque, & sacellum B.
Mariæ Virginis ædificaverat, ubi sub tumulo e
marmore nigro quiescit. Fundavit etiam atque
instituit obitum suum in ipsa principe ecclesia
celebrandum qualibet quindena die per annum,
pro quo donavit feuda nobilia atque terras *de la
Masselinaige* & *du clos Michel,* &c. Fundavit duos
obitus in ecclesia collegiata B. Mariæ de Castello
apud Bellovacum, ob sui fratris Johannis inibi
sepulti, patris, matris, parentum, amicorum &
C benefactorum suorum tam vivorum quam de-
functorum remedium & animarum salutem. Fun-
davit unam missam in sacello sancti Nicolai in
æde sanctæ Genovefæ Parisiensis, cujus in necro-
logio notatur XV calendas Januarii. Fundavit in
ecclesia collegiata sancti Candidi veteris officium
de SS. Eucharistiæ sacramento solenniter a cano-
nicis in festo & per octavam Corporis Christi
decantandum. Denique fundavit duos scholares
in universitate Cadomensi. Attamen Petrum
longe post obitum a summo pontifice Callixto
III excommunicatum, ejusque ossa feris projecta
fuisse asserit Luvetus histor. Bellovac. tom. II,
D pag. 564.

XXXVII. Pasquerius.

DE VAUX.

Natus in pago *de Vaux* tribus ab Ebroico
leucis Pasquerius, secretarius & capellanus fuit
ducis Betfordiensis in Francia pro Henrico VI
regentis, & canonicus præbendatus de Paganello
in ecclesia Lexoviensi. Meldensis episcopus altaria
capellæ S. Marci in ecclesia Rotomagensi conse-
cravit 25 Martii 1436. Insequenti possessionem
ecclesiæ Rotomagensis pro Ludovico *de Luxem-
bourg* cancellario iniit die 11 Apr. 1437. E Mel-
densi autem ad Ebroicensem translatum diximus
E tom. VIII & XI. Ex Ebroicensi vero ad Lexo-
viensem transiit per obitum Petri, traductus ab
Eugenio IV v calend. Febr. 1443, ex regestis 1443.
Vaticani, ubi memoratur adhuc die 9 Februarii.
In ecclesia Lexoviensi receptus est mense Maio.
Regi Angliæ a consiliis præsesque cameræ com-
putorum Rotomagensium erat die 7 Julii. Bona
ejus mobilia, pannos, &c. eodem anno 20 Julii
subhastata fuisse regioque addicta fisco discimus
ex instrumento cameræ computorum Parisiensis,
in quo dicitur nuper episcopus. Regali adhuc

ANNI CHRISTI

subjacebant juri 11 Aprilis 1445. Sacro Radulfi
Rotomagensis archiepiscopi adstitit Rotomagi 26
1444. Julii 1444. Transegit cum capitulo 24 eorumdem mensis & anni de præsentatione nonnullo-
1446. rum beneficiorum, & anno 1446 de residentia
1447. canonicorum curatorum. Obiit 11 Julii 1447, hora decima matutina. Jacet Lexovii in ecclesia cathedrali prope aquilam chori, notaturque dies ejus obitus 9 Julii.

BASIN;

XXXVIII. THOMAS.

De Calidobecco in diœcesi Rotomagensi natus honestis parentibus Thomas an. 1412, in academia Ticini primum civilis, dein in Lovaniensi canonici juris doctor renuntiatus est an. 1437. In Italiam reversus, per aliquot annos Romanam curiam frequentavit, unde in Pannoniam profectus est cum archiepiscopo Tarentino, qui illic apostolica legatione fungebatur. Rotomagensis ecclesiæ præbendam adeptus, ex Italia rediit Rotomagum, ubi cum sex mansisset menses, ex ordinatione consilii regii factus est in academia Cadomensi juris canonici professor, quod munus ubi sex obiit annos, Lexoviens. episcopus creatus est a Nicolao V v idus Oct. 1447, ut docent regesta capituli & Vaticani, in quibus ex canonico hujus ecclesiæ per obitum Pasquerii electus
1448. recensetur. Synodum habuit die 16 Maii 1448, in qua synodales diœcesis ordinationes renovavit.
1449. Insequenti Carolum VII Rotomagum reductum ingredientem Thomas cum episcopis provinciæ solenniter & festive excepit. Eodem anno die 16 Augusti in reductione urbis Lexoviensis compositionem fecit cum comitibus Osciensi & sancti Pauli aliisque regiis ministris, qua confirmatur ei dominium temporale tam urbis quam comitatus. Regi fidem dixit Vernolii 28 Aug. 1449. Memoratur in chartis authenticis *D. de*
1450. *Gaignieres* 24 Maii 1450, & 8 Septembris
1452. 1452. Eodem an. 29 Octob. bonorum suorum temporalium professionem fecit, quæ comprobata
1453. est 8 Jan. 1453, quo anno reperitur in regestis scacarii. Nonnulla obtinuerat de hereditate Pasquerii decessoris ad reparandam ecclesiam Lexoviensem, sententia ab officiali Rotomagensi lata 1 Decembr. 1452. Nullam esse jussit 25 Febr.
1456. 1456 latam a capitulo excommunicationem adversus Johannam *Bardou* abbatissam Lexoviensem, quæ obedientiam ipsi denegaverat. Tempus obtinuit a camera computorum Parisiensi 26 Martii anni ejusdem ad recensenda episcopatus prædia, eo quod desolatum fuisset Lexovium ab Anglis in Normanniam descendentibus, qui Lexovii unicum tantum virum, duasque feminas
1458. repererant. Memoratur adhuc 4 Maii 1458 &
1460. 14 Septembr. 1460. Remos petiit an. 1461,
1461. ut sacræ Ludovici XI unctioni interesset. Transegit cum capitulo pro jurisdictione 23 Aprilis
1463. 1463. Eodem cum Johanne abbate Fiscannensi pro collegio Lexoviensi apud Parisios statuta condidit, quæ confirmata sunt 16 Maii. Eodem excommunicatos duos homines & unam feminam seculari curiæ dimisit Sabbato post festum SS.

A apostolorum Petri & Pauli, a qua 12 Julii igni traditi sunt. Defuncto anno 1464 Pio II, regi declaravit mala quæ oriebantur ex eo quod canones non servarentur, & formam præscripsit qua rex uti poterat juxta statuta & jura ecclesiæ Gallicanæ ad scribendum Paulo II. Postquam autem Lexoviensem ecclesiam magna cum laude annos 18 administrasset Thomas, in odium Ludovici XI sic incurrit, ut cum eo in gratiam nusquam redire potuerit. Ortum inde illud dissidium, quod præstitum Carolo fratri regis Normanniæ duci an. 1465 fidelitatis sacramentum violare noluerit. Pulsus itaque ab episcopatu, 14(
B Lovanium die 5 Jan. 1465 (1466) confugit, quo tempore Ludovicum *de Bourbon* Leodiensem episcopum consecravit anno 1466. Ibi 14(
cum aliquandiu permansisset, rediit in Galliam, sperans iram regis placatum iri studio atque opera magnatum quorumdam & amicorum qui præcipua apud regem gratia valebant. Sed reditum in diœcesim suam obtinere non potuit, ablegatusque fuit Perpinianum, ubi per annum & duos menses cancellarii munere functus est in comitatu Ruscinonis & Ceritaniæ. Sed cum aëris intemperiem ferre non posset, nec in Galliam, nedum in diœcesim redire permitteretur, con-
C cessit in Sabaudiam, deinde petiit Treverim, Lovanium & alia loca quæ Burgundionum duci parebant. Sic cum per aliquot annos ecclesiæ Lexoviensis reditu potitus esset ministerio duorum fratrum qui rerum illius satagebant, nonnullorum eidem inhiantium artibus effectum est ut impediret Ludovicus XI ne Thomas ecclesiæ suæ bonis amplius frueretur, & germanos illius carcere aliisque vexaret suppliciis. Quod ubi novit Thomas, Romam se contulit an. 1474, ibique 147
Lexoviensem ecclesiam, cujus adhuc episcopus dicitur hoc anno in scacario Normanniæ, abdicavit in manibus Sixti IV. Episcopi vicem dolens
D summus pontifex pensionem ei assignavit super fructibus episcopatus Lexoviensis, & patriarcham eum creare voluit; sed hunc honoris titulum ex humilitate renuens Thomas, factus est Cæsareensis archiepiscopus VI calend. Junii 1474. Hinc in Brabantiam rediit Trajectumque petiit, cujus ecclesiæ, Davide Burgundo præsule, vicarius fuit, ad quem scripsit contra libellum cujusdam Cartusiani de Remundo. Apologeticum autem pro sua defensione adversus Ludovicum XI in urbe Trevirensi anno 1475 in lucem edidit, ubi cap. 7, lib. II sic loquitur: *Propter ejusmodi effugiendas molestissimas curas & pertur-*
E *bationes vidimus ætate nostra venerabiles patres Hugonem archiepiscopum Rotomagensem, Martialem Ebroicensem, Philibertum Constantiensem & item suum antecessorem de Malatestis Italum aliosque quamplures prælatos ejusdem provinciæ suas ecclesias reliquisse, & quæsitis quibusque occasionibus alibi extra provinciam suas residentias in remotis elegisse, quemadmodum tres prius nominati Basileam, dum ibi concilium generale celebrari inchoasset, se contulerunt, nec ad suas ecclesias postmodum reversi, inibi aut adjacentibus terris dies suos finierunt.* Defuncto Ludovico

Ludovico XI anno 1483, revocare Thomam studuit Carolus VIII, sed redire noluit Thomas, qui Trajecti adhuc vivebat anno 1488, quo mense Maio confecit breviloquium peregrinationis & mansionum, quas in deserto hujus seculi nequam usque ad 40 dies ipse habuit. Scripsit quoque adversus errores & blasphemias Pauli de Middelburgo. Exstabant omnia ejus opera MSS. Lexovii apud D. Guillelmum *le Rebours* vicarium generalem, unde ad ejus nepotes transiere, a nepotibus in bibliothecam Stephani Baluzii, & tandem in bibliothecam regiam. Ex his discimus Thomam collegii Antuerpiensis ædificandi auctorem fuisse. Capellanis ecclesiæ Lexoviensis scripsit 4 Apr. 1490, velle se illos tertia potiri fundationum parte quas fecerat; testamentum enim condidit in quo summas sibi debitas super fructibus episcopatus pro fundandis anniversario & obitu assignavit. Tandem juris peritissimus Thomas, homo procul dubio magnanimus & morum Ludovici contemtor, verba sunt Gaguini in Ludovico XI, vitam cum morte commutavit Ultraiecti tertia die mensis Decemb. 1491. Celebratur ejus obitus in ecclesia Lexoviensi diebus 5 Januarii & 17 Julii, Ultrajecti vero sepultus est in templo B. Johannis-Baptistæ cum hoc epitaphio ante chorum:

Rotomago natus, a stirpe Basin *nominatus*
Thomas, ecclesiæ qui pridem Lexoviensi
Præsul statutus, ac de post sorte minante
Omnia quæ versat, præclaro Cæsariensi
Præfectus titulo, cogor ab hoc tumulo.
Sarcophagum cernens & me pia mente recensens,
Cœli sine mora pro me Dominum, precor, ora.
Obiit anno a Nativ. Domini 1491 die 3 Dec.

¶ Antonii *Raguier* domini *de la Mothe-Tilly* consiliarii & thesaurarii Paris. filius Ludovicus, fratres habuit Johannem *de la Mothe-Tilly*, Dreusium dominum de Thionvilla & Jacobum episc. Trecensem, patruum vero Ludovicum Trecensem quoque episcopum, a quo factus Trecensis canonicus receptus est 2 Dec. 1460, quo tempore jam erat consiliarius parlamenti Parisiensis. Fit etiam archidiaconus Sesanniæ die 15 Octob. 1471. Electus autem Lexoviensis per translationem Thomæ ad Cæsareensem archiepiscopatum, legitur VIII idus Junii 1474 in regesto Sixti IV, & in libro solutionum Vaticani. Obiit ante consecrationem & ante festum S. Michaëlis 1474, quo die sedes Lexoviensis vacabat in regesto scacarii; unde Ludovicus episcopus Trecensis defunctus an. 1488 in testamento apud Camusatum sic: *Legamus nepotibus nostris, Jacobo episcopo Trecensi, Johanni & Drogoni filiis Antonii, dictis* les Raguiers, *omne debitum quod nobis debebat nepos noster Ludovicus Lexoviensis episcopus electus, eorum frater, ascendens ad mille quingenta scuta auri.* Primus est e tribus episcopis, quos rex Ludovicus XI in Thomæ vicem successive intrusit, quorum unus sibi mortem conscivit, dejiciens se in puteum, alter similiter dedecorose finivit vitam, tertius item subitaneo periit, uti affirmant etiam testes hujus rei superstites, inquit Willelmus Heda in historia Ultrajectina.

XXXIX. Antonius. Raguier.

Ludovici cognominis, an cognatus? Antonius, ortu Campanus, per ejus obitum electus Lexoviensis v nonas Nov. 1474 legitur in regestis Vaticani. Regi fidem juravit 5 eorumdem mensis & anni. Ecclesiam suam ingressus est die 10 Jan. 1475. Rotomagensi ecclesiæ fidem juravit 29 1475.
Nov. 1477. Querelam habuit cum canonicis 1477.
pro jurisdictione, adversus quos literas a rege obtinuit die 4 Maii 1479. Anno sequenti literas 1479.
a ballivo Rotomagensi impetravit 6 Junii 1480 1480.
adversus clericos capellanos chori inferioris, qui ejus jurisdictionem detrectabant, nec volebant residere in parochiis suis. Convenit cum capitulo 12 Julii anni ejusdem de jurisdictione spirituali & temporali in urbe & banleuca. Jussu regis ivit in occursum cardinalis legati anno 1480. Biennio post morbo novo & medicis ignoto, qui plurimos sustulit, obiit Antonius in monasterio Pratellensi die Lunæ decima Junii inter 11 & 12 horas de die anno 1482, conditusque 1482.
est in ecclesia Lexoviensi in capella B. Virginis ad latus dextrum altaris cum epitaphio Gallico: *Cy-devant gist en sepulture reverend pere en Dieu Monsieur Anthoine Raguyer en son vivant eveque de cette eglise & abbé en commande de Preaux de ce diocese, lequel deceda de ce siecle le XI jour de Juing l'an de grace mil quatre cents IIII.xx & deux. Priez Dieu pour luy.* Die 17 Januarii & 2 Febr. in ecclesia Lexoviensi post preces matutinas fit processio in capella B. Mariæ Virginis pro Antonio *Raguier*, cujus obitus celebratur 16 Junii.

XL. Stephanus. Blosset de Carouges.

E Nemausensi ad Lexoviensem ecclesiam translatum Stephanum per obitum Antonii IV idus Julii 1482 diximus tomo VI. Nobilis is Normannus, Johannis dynastæ *de Carouges* filius, canonicus Lexoviensis & archidiaconus de Algia, abbas Caunensis monasterii ab an. 1474, necnon Grestani & Corneliarum, priorque S. Barbaræ, consecratus dicitur episcopus Lexoviensis die 12 Augusti 1482. Quatriduo post cameræ apostolicæ solvit die 16 Augusti. Gabrielem *le Veneur* nepotem suum & ecclesiæ Rotomagensis canonicum instituit Lexoviensis decanum & vicarium suum generalem in exemtione S. Candidi veteris apud Rotomagum 29 Octobris anni ejusdem. Bullam obtinuit 12 Novemb. 1483, ut cano- 1483.
nicatum ecclesiæ Parisiensis quem tenebat, episcopus posset retinere. Alius quidem ejus in locum electus est canonicus 22 Decemb. anni ejusdem, at ipse in propria receptus est persona 29 Julii 1485. Anno superiori urbem suam ingressus die 1 Junii 1484, ecclesiæ Rotomagensi obsequium 1484.
præstitit 14 Aprilis 1485, & regem Carolum 1485.
VIII solenni pompa cum suo metropolitano

ANNI CHRISTI

Chart. X. col. 314.

excepit Rotomagi, a quo privilegiorum confirmationem obtinuit mense Novembri 1487. Sex menses obtinuit ad recensionem bonorum suorum ab eodem rege 3 Septembris 1488. Misit an. 1494 fabricarium ecclesiæ ad corrogandam pecuniam pro reparanda ecclesia. Visitavit anno eodem die 5 Apr. ecclesiam S. Candidi veteris per Henricum episcopum Philadelphiæ. Recensionem bonorum suorum fecit 20 Aug. 1497. Literas accepit 14 Aprilis 1498 a Ludovico XII rege, qui publicas pro anima Caroli VIII preces indicebat. Fratres Minores apud Pontem Audomari institutos approbavit die 6 Decemb. anni ejusdem. Renatum *de Prie* Bajocensem ecclesiam ingredientem solenniter comitatus est mense Martio 1499. Canonicus Parisiensis Stephanus a capitulo Parisiensi vocatus ad eligendum episcopum, per vicarium suum generalem respondit 8 Januarii 1502. Memoratur 31 Octob. anni ejusdem, 14 Dec. 1504, & 29 Julii 1505 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Omnibus beneficiis cessit in gratiam nepotis hoc anno die 13 Junii, defunctusque 31 Octobris, tumulatur die Omnium Sanctorum in ecclesia cathedrali, quam beneficiis & donariis munifice locupletaverat, ante cathedram episcopalem. In ea celebratur ejus obitus diebus 8 & 20 cujuslibet mensis.

1487. 1488. 1494. 1497. 1498.

Ch. XLV. col. 101.

1499. 1502. 1504. 1505.

XLI. Johannes IV.

LE VENEUR.

Philippo barone *de Tillieres* & Maria *Blosset* Stephani superioris sorore parentibus natus Johannes, germanum habuit Ambrosium episcopum Ebroicensem. Ipse vero ex archidiacono Lexoviensi, canonico Parisiensi & abbate Grestani, avunculo cedenti subrogatus bulla data 15 Julii 1505, consecratus est in ecclesia Fratrum Prædicatorum Lexovii 24 Augusti, magnoque omnium plausu in urbe receptus 19 Oct. Reliquias S. Candidi veteris per Tussanum archiepiscopum Thessalonicensem visitavit 10 Aprilis 1507. Hujus ad preces Ludovicus XII capitulo dedit duos modios salis mense Novembr. 1508 pro duobus anniversariis. Dedicavit ecclesiam Franciscanorum Pontis Audomari 5 Julii 1509. Unus ex episcopis exsequias Georgii cardinalis de Ambasia celebravit Rotomagi anno 1510. Manuale curatorum suis imprimi sumtibus curavit an. 1511, quo factus decanus Ebroicensis, cessit 1535 in gratiam Jacobi *d'Annebaut*. Reliquiis &c. spoliata est ecclesia Lexov. annis 1512 & 1517. Hoc ultimo Johannes interfuit 10 Maii coronationi Claudiæ reginæ uxoris Francisci I in ecclesia sancti Dionysii. Turonibus consecravit in ecclesia collegiata sancti Venantii Thomam *du Prat* electum Cenomannensem die 6 Dec. Celebravit die 26 Junii 1519 exsequias Philippi a Luxemburgo Cenomannensis episcopi in ecclesia Cenomannensi cum episcopis Sagiensi & Leonensi. Visitavit abbatiam S. Ebrulfi mense Septemb. 1524 & mense Januario sequenti, & statuta condidit. Normanniæ præfectus est a duce Alenconii rectore 4 Martii 1525. Eodem

1507. Chart. XI. col. 293. 1508. 1509. 1510. 1511. 1512. 1517. 1519. 1524. 1525.

A anno mense Novembri subscripsit celebri illi diplomati Madriti in Hispania, quo Franciscus I in captivitate detentus regnum in delfinum transtulit. Anno sequenti factus est ab eodem rege major Franciæ eleemosynarius, ut diximus tomo VII. Sedit in consilio regis 5 Febr. 1516, 26 Julii 1517, 3 Septemb. 1519, ultima Junii 1523, 24 & 27 Julii, 16 & 20 Novemb. 1527. Hoc ultimo Claudium *du Prat* Mimatensem episcopum Parisiis consecravit 13 Junii. Imaginem B. Mariæ solenniter Parisiis posuit in vico dicto *des Rosiers*, rege præsente mense Junio 1528. Interfuit 10 Septemb. ejusdem anni cum suo B metropolitano responsioni publice factæ a Francisco I rege feciali Caroli imperatoris apud Luteciam. Majoris Franciæ eleemosynarii munere functus est die 5 Martii 1531 in coronatione Eleonoræ reginæ Franciæ, uxoris alterius Francisci I apud sanctum Dionysium, & die Mercurii 13 eorumdem mensis & anni Franciscum delfinum Lexovium ingredientem in ecclesia cathedrali excepit. Biennio post defuncto archiepiscopo Tolosano donatus est a rege commenda Beccensi an. 1533, & die Veneris 7 Novemb. creatus est cardinalis tituli sancti Bartholomæi in Insula, dieque sequenti galero adornatus & die Lunæ C 10 hujus mensis donatus ei annulus osque in consistorio apertum est; unde anno 1534 mense Octob. mortuo Clemente VII, interfuit Romæ electioni Pauli III summi pontificis. Anno eodem in supplicatione generali habita Luteciæ ad reparandam injuriam a Neotericis factam sanctissimo Eucharistiæ sacramento, Johannes cardinalis detulit sacræ capellæ reliquias a sancto Germano ad ecclesiam B. Mariæ. Recensionem bonorum suorum dedit 26 Jan. 1538. Collegium Mignonæum Luteciæ reformandum suscepit an. 1539 die 4 Aug. Episcopatum Lexoviensem cognato suo cessit iisdem mense & anno, retentis sibi D usque ad mortem pensione potestateque & facultate in episcopatu Lexoviensi, ut patet ex processu verbali consecrationis parochiæ S. Jacobi factæ 1 Junii 1540. Multa pie dotavit & sanxit in cathedrali. Domus quoque hospitalis cœcorum 300 Parisiensium statuta aliqua meliorem in formam redegit, cujus etiamnum effigies visitur apud sacras eorum ædes in fenestra vitrea. Denique *cum iret rex Franciscus Massiliam, cœpit infirmari Johannes* le Veneur, *ac moritur* (septuagenarius) *in loco qui dicitur* Marle *die Martis 7 Aug. 1543. Corpus ejus inde asportatum Beccum die Assumtionis Virginis, ubi mansit usque ad 3* E *Septemb. Paratis omnibus, deducitur Lexovium ad monasterium virginum, ubi pernoctavit, & mane ad ecclesiam S. Petri delatum, quo præsentes aderant episcopi Carnotensis, Lucionensis & Abrincensis, aliique episcopi & abbates multi cum Marcilliaco protopræside Rotomagensi, & 12 consiliariis curiæ, baronibus & equitibus. Carnotensis antistes officium celebravit, Abrincensis vero Cœnalis concionem habuit; quibus finitis, corpus positum est in cavea prope dominum* Blosset *avunculum suum in plumbo, corde ejus etiam remanente in plumbo apud Beccum.* Ita

codex MS. Lexoviensis, cui consonat chronicon Beccense. His perperam refragantur necrologium Minimorum SS. Trinitatis in Monte Pincio Romæ, in quo multa bona conventui contulisse legitur, defunctusque Romæ nonis Januarii, & inter fratres sepultus anno 1543, & Sammarthani, a quibus dicitur sepultus in parochia sancti Andreæ de Appevilla, cor vero conditum in choro ad aram majorem Beccensis templi.

Præter ecclesiam Lexoviensem Johannes adhuc tenuit commendas Becci, Grestani, Liræ, sancti Michaëlis de Monte, de Lonleio, sancti Fusciani, de Pratellis & prioratum de Malo passu. Laudatur autem a Ludovico Strebæo, cum ei suos libros dedicat, primaria nobilitate conspicuus, perfugium divitum & egenorum, intimus christianissimo regi, clarus præfectura Lexoviæ civitatis & plurium sodalitatum, summe verendus cardinalis, vigilantia, pietate, innocentia, liberalitate, virtute spectabilis.

XLII. Jacobus.

Amandato nescio quem Carolo *le Veneur* Johannis consanguineo, quem successorem designatum obiisse tradunt MSS. codices Lexovienses, Jacobus Rotomagensis canonicus, archidiaconus Lexoviensis & decanus Ebroicensis, filius Johannis *d'Annebaut* connestabilis hereditarii Normanniæ, & Catharinæ *de Jeucourt**, germanus autem Claudii Franciæ admiralis, abbas Becci & sancti Taurini Ebroicensis, Belli portus, S. Sergii Andegavensis & Montis S. Michaëlis, consanguineus cardinalis *le Veneur*, per ejus cessionem fit episcopus Lexoviensis 10 Augusti 1539, ex regestis Vaticani. Eo defuncto, inter cardinales cooptatus est titulo sanctæ Susannæ a
544. Paulo III XIV calendas Januarii 1544. Becci
545. consecratus est an. 1545. Rotomagensi ecclesiæ
555. obsequium præstitit 12 Maii 1555. Eodem
anno 21 Decemb. dedit fabricæ feodum *de la Couyere* ad reparandam ecclesiæ turrim quæ ceciderat & ecclesiam læserat mense Martio 1553. In supplicatione solenni ob aëris intemperiem
556. Lexovii habita 4 Junii 1556, sacram Eucharistiam detulit comitante Johanne episcopo Castorensi canonico regulari sanctæ Barbaræ. Obiit
558. VII idus Junii 1558 in ædibus Becci, in Appevilla Claudio fratri appositus, auctore chronographo Beccensi qui tunc scribebat.

XLIII. Johannes V.

Natus est Johannes apud Augustam Veromanduorum aut in diœcesi Laudunensi an. 1497. Hunc Dominicanum commenti sunt plurimi auctores decepti auctoritate Antonii *Mallet* hujus ordinis alumni, qui illustribus eum accensuisse visus est Sanjacobæis, nullis, inquit pater *Echard* in bibliotheca Prædicatorum, allatis documentis, quin immo tota repugnante vitæ ejus serie. Literis enim operam dedit Parisiis in collegio Navarræ, ubi lauream doctoris adeptus, delfini scholis & prælectionibus præfectus est. Exinde ludimagister est datus Carolo Borbonio & Carolo Lotharingo, quo tempore anno 1540 professor theologiæ eligitur in collegio Navarræo. A Carolo discipulo eductus, præclaris in aula dotibus enituit, ita ut Diana Pictaviensis primum, tum Catharina ipsa Medicea Dianæ consiliis anno 1547 conscientiarum suarum arbitrum & judicem eum assumserint. Quinquennio post regi ipsi notus ob eximias virtutes, primus factus est eleemosynarius die 1 Julii 1552, & regis ipsius confessarius anno sequenti. Decanum sancti Germani Autissiodorensis apud Parisios diximus electum Johannem 24 Oct. 1556 tom. VII; at tom. VI ignorabamus, Dominico *du Gabre* episcopo Leutevensi defuncto, designatum eum fuisse mense Februario 1557, quo nomine subscripsit libello a doctoribus & alumnis collegii Navarræi composito ultima Februarii hujus anni. Leutevensis ecclesiæ possessionem adeptus nondum erat, cum
ad Lexoviensem est translatus bulla data IV cal. Ch. XII. col. 215.
Febr. 1559 (1560). Per procuratorem desig- 1560.
natum 25 Novemb. anni ejusdem possessionem
iniit Sabbato die XI Jan. 1561, & die Veneris 1561.
24 mensis ejusdem de nonnullis convenit cum Ch. XII. col. 295.
capitulo, & loco prandii quod accurare eis tenebatur in quatuor festis anni solennibus, Natalis, Paschæ, Pentecostes & sanctorum Petri & Pauli, assignavit dignitatibus, canonicis & semipræbendatis duos galones vini panemque pondo quatuor librarum, quatuor vicariis 5 solidos, tresque ceteris ecclesiæ clericis. Possessionem ipse adeptus est die 25 Martii anni ejusdem. Cardinalis Borbonius archiepisc. Remensis Johanni episcopo Lexoviensi significavit die Veneris sancta 1561 bullam Pii IV datam XI Januarii præcedentis ut omnes episcopi Galliarum ad concilium Tridentinum properarent. Intercessit
edicto regis 17 Januarii 1561 (1562) quo 1562.
cautum erat ne quis ob religionem molestaretur. Johanni scripsit regina Franciæ 22 Januarii ejusdem anni ut cito ad concilium Tridentinum cum cardinali Lotharingo proficisceretur. Anno eodem 9 Maii & diebus sequentibus hæretici ecclesiam Lexoviensem expilarunt, diplomata, chartas, & quid non? combusserunt & dissiparunt, sed religionem suam ibi plantare nequiverunt, obstante episcopo, cui hac de re gratulatus est cardinalis Borbonius literis datis 17
Apr. 1563. Lexovii synodum habuit Johannes 1563.
25 Maii 1570. Recensionem bonorum suo- 1570.
rum dedit Lexovii 23 Augusti 1571, ut de-
derat Parisiis cameræ computorum 21 Julii 1571.
1561, qua fatetur se tenere a rege altam justitiam & comitatum Lexoviensis urbis & baronias *de Touque* & *de Nonant* in ballivatu Ebroicensi. Sed ne quid omittam eorum etiam quæ unum Antonium *Mallet* habent auctorem, an.
1572 cum prorex urbis Lexoviensis Liva- 1572.
rotus a Carolo rege literas accepisset, quibus qui Lexovii infecti erant hæresi occidi omnes jubebantur per eos dies quibus princeps civitas cruore ejus insaniæ hominum conimaduerat, easque communicasset episcopo: Neque sum passurus, inquit præsul, oves meas, & quamquam

ANNI CHRISTI

evagatas Christi caula, meas tamen adhuc, necdum desperatas, gladio trucidari. Referente contra prorege imperio se mandatoque urgeri principis; quod si posthabeatur, omnem esse periculi aleam in caput suum moriendique necessitatem redituram: Et polliceor, inquit episcopus, illa te eximendum, postulantique cautionem, præsul consignatum manu sua scriptum tradidit, fidem datam confirmans. Qua illico publicata clementia, & ad errantes oves perlata, sollicitudine præsulis vigilantis circa gregis commissi sibi salutem & conservationem, rediere sensim in ecclesiæ sinum omnes quotquot Lexovii per ea tempora novum istud fataleque delirium dementarat, nec ultra ibidem diu visi qui a recta fide aberrarent. Ita Hemeræus latine post A. *Mallet* gallice, qui intercessionem episcopi factam edicto regio anni 1562 confudisse videtur cum intercessione trucidationi Calvinistarum 1572 imperatæ. Hos antesignanos Latini postea & Galli secuti sunt

1573. Ch. XIII. col. 196. auctores coætaneorum ingratiis. Anno 1573 die 30 Octobris Johannes præbendam *des Vaux* Pœnitentiariæ annexuit, & ex secunda semipræbenda creavit alterum succentorem. Defunctus

1578. die Mercurii 12 Martii 1578 ante mediam noctem annos natus 80, sepultus est ante majus altare sub tumba ænea cum epitaphio, in quo & de professione religiosa & de clementia ejus in hæreticos altum erat silentium. Tumba deinceps sublata, conflatum est candelabrum.

5 Dionysius *Rouxel* filius Jacobi & Franciscæ *de Pierrefitte* arma primum secutus, clero dein nomen dedit. Nominatus autem episcopus Lexoviensis 18 Junii 1578, possessionem non iniit.

XLIV. Johannes VI. — DE VASSÉ.

Johannis domini *de Vassé* in Cenomannis, & Jacobæ *d'Alligni* filius Johannes, germanus autem Lanceloti abbatis Campaniæ, e stirpe Grognetorum dominorum *de Vassé* & *de Clossé*, Henrico III regi ab eleemosynis, & abbas beatæ Mariæ de Corneliis, diaconus ordinatus est Parisiis a Guillelmo *Ruzé* episcopo Andegavensi

1580. 20 Februarii 1580. Ecclesiam Lexoviensem solenniter ingressus est 3 Maii ejusdem anni, & paulo post regi fidem obstrinxit, ut discimus ex collatione præbendæ Lexoviensis ob fidei sacramentum regi debitæ facta a rege 25 Januarii

1581. 1580 (1581), quo Rotomagensi concilio ad-

1583. fuit. Obiit in castro de Logiis 16 Martii 1583, annos natus 49, habetque sepulturam in choro cathedralis, cujus hoc legitur elogium:

Quatuor ecclesiæ concusserat ante columnas,
Invidiosa quatit nunc Libitina basim,
Insignem claro Vasæum stemmate & armis,
Insignem varia cognitione virum.
Lexoviis præsul triplici qui præfuit abbas
Cænobio, cunctos re simul ore juvans.
In Pedemontanos juvenis tractaverat arma,
Sed dedit officiis acta suprema sacris.
Quem sacer induxit .... Borbonius heros
Ut redit a cœtu, publica jussa ferens,
Nondum quindenis provectus concidit annis,
Et grege disperso cœlica regna petit.
Orba tot auxiliis Petri non corruet ædes;
Attamen unde pares relligione patres!

XLV. Annas. — D'ES[...]

De Anna locuti sumus tom. IV, coll. 694, 728 & 740. Abbas erat S. Petri Pulteriarum, cum a Gregorio papa ecclesia Lexoviensi donatus, possessionem per procuratorem iniit 28 Januarii

1585, ipse vero Dominica 31 Martii. Ecclesiæ Rotomagensi solitum præstitit obsequium 11

158[6] Martii 1586. Lexovio egredi coactus an. 1589,

158[9] ut cederet regio gubernatori qui urbem defendere intendebat, secessit ad Portum gratiæ, ubi ab Henrico IV benigne exceptus est. Triennio post a factiosis Romam missus anno 1592, ut regis

159[2] reconciliationem impediret, de ejus reditu solenniter in ecclesia Minimorum Gallorum gratias egit 17 Sept. 1595. Insequenti factus cardinalis

159[5] nonis Junii 1596 inscio rege, ejus in offensionem incurrit. Attamen eodem anno adstitit generalibus regni comitiis Rotomagi in ecclesia S. Audoëni habitis. Indultum quoque apostolicum obtinuit III calend. Junii 1597, & literas

159[7] regias 28 Januarii 1598 in commentarios majoris consilii relatas 25 Martii ejusdem anni.

159[8] Sed regis offensi occasionem nactus Fervaquius tum urbis gubernator, bona episcopatus invasit favente rege, episcopumque cedere coegit, cui pensionem 3000 librarum assignavit, & abbatiam quam tenebat concessit. Annas autem abbas fuit Molismi, Pulteriarum, S. Benigni Divionensis, Barberii & Campaniæ, parumque absuit quin in locum Clementis VIII summi pontificis succederet anno 1605; nam in gratiam regis rediit, a quo Romam missus anno 1604, fit protector ordinis Cisterciensis & universalis inquisitionis. Interfuit quoque electionibus Leonis XI & Pauli V, in quibus viceprotectorem egit. A rege donatus est ecclesia Metensi an. 1607, ut dicemus in sequentibus. Vide Arnaldum Ossatum lib. II, epist. 55 & 56, seu 67 & 68 novæ editionis.

XLVI. Franciscus. — ROUXEL DE MEDAVY

Patria Neustrius Franciscus Jacobo toparcha *de Medavy* Alenconii & Perticensis provinciarum præfecto, & Petronilla *Fouques de Manetot* parentibus natus, regi a sanctioribus consiliis, canonicus Parisiensis & abbas sancti Andreæ in Gofferno & Cormeliensis, favore Fervaquii Lexoviensem ecclesiam obtinuit per cessionem cardinalis *de Givry*, bulla data Romæ 12 Martii 1598, quo anno Lexovii sede vacante synodus a capitulo habita est 14 Maii. Franciscus enim possessionem iniit die tantum 25 Martii anno 1600 in æde parochiali & collegiata S. Martini 1600. de Merula Rodulfi, ac 11 Junii ecclesiæ Lexoviensis per procuratorem, quam præsens invisit 17 Decembris 1610. Ecclesiæ Rotomagensi 1610.

obſequium præſtitit 19 Aug. 1612. Capucini Lexovii inſtituuntur anno 1613. Pariſienſibus
612. regni comitiis interfuit Franciſcus anno 1614.
613. Eodem anno regio diplomate pro privilegiorum
614. confirmatione donatus eſt menſe Julio. Statuta
615. in ſynodo publicavit an. 1615. Denatus Rotomagi in ædibus Lexovienſibus 8 Aug. 1617,
617. ſepulturam accepit in pago gentilitio *de Medavy*.

XLVII. GUILLLEMUS VII. (Vair.)

Natus eſt Guillelmus 7 aut 17 Martii 1556. Juriſprudentiæ & eloquentiæ ſua ætate facile princeps, ex ſenatore Pariſienſi factus eſt magiſter requæſtarum, primus præſes in ſenatu Aquenſi & Franciæ procancellarius. Ad Lexovienſem ſedem evectus die 11 Auguſti 1617, a Guidone cardinale Bentivoglio tunc ſedis apoſtolicæ nuncio, aſſiſtentibus epiſcopis Jacobo Sagienſi & Guillelmo *Aleaume* ejus nepote, in eccleſia Ciſtercienſium Pariſiis conſecratus eſt. Poſſeſſionem per procuratorem iniit die Mer-
1618. curii 14 Martii 1618, ipſe vero die Martis
1620. 14 Julii 1620. Tranſegerat anno ſuperiore 29 Januarii cum capitulo de exemtione & juriſdictione, terminaratque diſſidia quæ Franciſco ſedente recruduerant. Obtinuerat quoque a rege 17 Jan. 1620 ut ne bona epiſcopatus, quæ a mareſcallo *de Fervaques* diu detenta fuerant, ab iniquis uſurpatoribus retinerentur. Teſtamentum condiderat die Mercurii 10 Junii ejuſdem anni, ætatis 63, in quo 36000 libras Maſſilienſi S. Spiritus hoſpitali legavit ea lege, ut pauperes qualibet die ſemel ipſi divinam miſericordiam inter orandum adprecarentur, ibique viſitur marmore effictus. Tempore belli civilis Ludovicum XIII contra ſegreges ſecutus, vitam cum
1621. morte commutavit 3 Aug. 1621, Toneinſii in Occitania peſtilenti febre correptus. Sepultus fuit in eccleſia Ciſtercienſium Pariſienſium, his, ut teſtamento edixerat, tumulo adſcriptis: *Guillelmus* du Vair *epiſcopus Lexovienſis Franciæ procancellarius hic exſpecto reſurrectionem & miſericordiam.* Guillelmi memoriæ parentavit Gabriel-Bartholomæus Gramondus in parlamento Toloſano præſes lib. IX hiſtoriæ Galliæ his verbis: *Erat majeſtate venerabilis, quales Roma olim vidit & mirata eſt Fabricios, Cincinnatos, aut Fabios, ſagax, ſeverus, ſapiens, oratorum ſui temporis princeps, qui locutionem Gallicam aut reſtituit decori ſuo, aut decorem primus in eam invexit. Stoicorum philoſophiam ſcripto tradidit & ſecutus eſt. Patre libellorum ſupplicum in regia magiſtro natus, vix adoleverat, cum advocatus fiſci renunciatur. Exin parlamenti Provincialis princeps adhuc ætate valens, urgentibus in ſenectam annis procancellarium agit, nec multo poſt movetur. Reſtitutus dignitati ſigilla iterum adminiſtrat magna integritate, mox epiſcopatu Lexovienſi donatur. Regi auctor eſt bello contra ſectarios movendo, prætextuque ex rebellione quæſito ſectam opprimit. Denique qui auctor belli, in bello moritur.* Guillelmi opera poſt obitum typis edita ſunt anno 1641. Scripſit nempe meditationes pias in pſalmos, de ſancta philoſophia, tractatus philoſophicos, actiones forenſes complures & orationes.

XLVIII. GUILLELMUS VIII. (Aleaume.)

Nicolao ſenatore Pariſienſi & Antonietta *du Vair* Guillelmi ſorore prognatus Guillelmus, Reienſis erat epiſcopus cum avunculum ſuum conſecravit anno 1618. Huic datus adjutor, defuncto ſucceſſit, poſſeſſionemque per procuratorem adiit menſe Martio 1622, ipſe vero 1622.
ſolita pompa 24 Julii anni ejuſdem. Biennio poſt breviarium edidit anno 1624. Eccleſiæ 1624.
Rotomagenſi obſequium præſtitit 13 Aprilis 1625. Urſulinæ Lexovii fundantur 15 Dec. 1625.
1628. Peſtis furibunda ibidem graſſavit, Guil- 1628.
lelmo ſedente, qui ſolennem indixit Dei placandi cauſa ſupplicationem ad beatam Mariam de Gratia. Capitulo Lexovienſi dedit 1800 libras Turonenſes pro fundando die 30 Auguſti anniverſario. Adſtitit ſacro Ludovici *Bretel* archiepiſcopi Aquenſis Rotomagi 11 Januarii 1632. 1632.
Exceſſit e vivis exeunte Auguſto die 27 aut 29 an. 1634 Pariſiis, ætatis 49, ubi ad avun- 1634.
culum ſuum appoſitus eſt.

XLIX. PHILIPPUS. (Cospean.)

De Philippo jam diximus in Adurenſibus. Vir fuit doctus, pius & concionator eximius, cui ad maxima quæque beneficia, utpote advenæ denegatus aditus, ob eximias virtutes gratia regum patuit. Itaque ab Adurenſi ad Nannetenſem, indeque ad Lexovienſem menſe Martio 1635 1635.
traductus eccleſiam, poſſeſſionem per procuratorem adiit 25 Julii 1636, ipſe vero admiſſus 1636.
eſt die 4 Octobris, & eccleſiæ Rotomagenſi obſequium præſtitit 24 Decemb. Literas regias obtinuit 4 Julii 1637 adverſus detentores bonorum epiſcopi. Dicata ei eſt an. 1638 epitome 1638.
annalium Baronii a Ludovico Aurelio Peruſino. Eodem anno die 5 Septembris regis ad preces hora 4 matutina miſſam celebravit in camera regia pro felici partu reginæ, quæ paulo poſt enixa eſt delfinum Franciæ, & die Dominica 26 Sept. miſſam celebravit ad altare novum beatæ Mariæ in eccleſia Pariſienſi, ad cujus offertorium Deo obtulit regina infantem delfinum, ſuper quem epiſcopus evangelium in fine ſacrificii legit. Johannam B. *de Bourbon* abbatiſſam Fontis Ebraldi benedixit 20 Maii 1639. De ejus 1639.
licentia Franciſcus *Fouquet* epiſcopus Baionenſis majus altare duoque alia contigua conſecravit in eccleſia Montis Dei 7 Julii anni ejuſdem. Publicavit 1 Februarii 1640 mandatum pro 1640.
reſidentia parochorum diœceſis. Novum dormitorium monialium Pratelli benedixit 4 Jul. Unus fuit e judicibus a rege deputatis qui definiere litem ordinis Fontis Ebraldi die 12 Nov. quorum judicium Ambiani executioni demandatum eſt an. 1641. Licentiam fecit religioſis Carmelitis 1641.
dicandi ſe civitati Pontis Audomari 18 Januarii 1642. Synodum habuit 25 Maii, & ſtatuta 1642.
confecit. De ejus licentia canonici regulares S. Genovefæ poſſeſſionem iniere prioratus ſanctæ

ANNI CHRISTI 1643. Barbaræ in Algia 11 Martii 1643, eodemque A
anno 14 Maii Ludovico XIII animam exhalanti adstitit, ejusque oculos clausit. Philippo sedente, virgines Carmelitæ apud Pontem Audomari, & Hospitalariæ apud Huneflotum, & Dominicanæ moniales fundantur apud Pontem
1644. episcopi 25 Julii 1644. Decessit Philippus 8
1646. Maii 1646 in castro de Logiis, cujus viscera sepulta ante majus altare ecclesiæ Lexov. prope aquilam, corpus vero Luteciam allatum 18 Junii primo quievit apud moniales Capucinas, vulgo Passionis filias, ubi sepultum cor. Exinde deductum funus ad Carmelitas discalceatas 10 Julii, dum cœtus cleri Gallicani generalis haberetur, B
ubi nuncius apostolicus missarum solemnia celebravit, & D. *Grillet* Uticensis episcopus funebrem habuit orationem, quibus expletis delatum est corpus die eadem ad ecclesiam monialium Benedictinarum e congregatione de Calvario in Marisco, sicut testamento caverat, ibique terræ mandatum ante majus altare cum hoc Gallico epitaphio : *Ci-gist le corps de Messire Philippe de Cospean évêque & comte de Lisieux, la lumière & le patron des illustres personnages de son siècle, qui après avoir excellé en doctrine, en éloquence & en piété, après avoir porté la mitre quarante-deux ans avec l'approbation des souverains Pontifes,* C
qui luy ont donné le titre de défenseur de l'héritage de Saint Pierre, après avoir été l'honneur des prélats de nôtre France, le modèle des plus fameux prédicateurs & sçavans Théologiens, le pasteur sans intérêt, le père des pauvres, le consolateur des affligez, le parfait amateur de la Croix, mourut dans son évêché de Lisieux le 8 Mai 1646, âgé de soixante-seize ans, prononçant ces paroles : Viximus in Christo, moriamur in Christo. *Il étoit supérieur & protecteur des religieuses du Calvaire, auxquelles, après avoir donné ses soins pendant sa vie, il leur a donné son corps par testament, pour être inhumé en ce monastère.* D

GOYON DE MATIGNON.

L. LEONORIUS I.

Natus an. 1604 Leonorius parentibus Carolo comite de Torigneio ex nobili vetustaque gente *de Matignon*, marchione *de Longray*, principe Mauritaniæ, barone S. Laudi & de Gaceio, utriusque ordinis equite torquato, inferioris Normanniæ prorege, & Eleonora Aurelianensi filia ducis Longævillæ, abbas Exaquiensis & Torigneii, ex ecclesia Constantiensi transiit ad Lexo-
1646. viensem mense Augusto an. 1646, cujus possessionem per procuratorem arripuit 25 Sept.
1648. 1648, ipse vero 30 Decemb. præstita prius E
regi fide clientelari pro temporalibus. Synodum
1649. habuit 27 Maii 1649. Duo cœnobia monialium construxit, unum Benedictinarum abbatiæ monasterii Villaris in burgo *de Livarot* 24 Oct.
1650. 1650, alterum in oppido *de Honfleur* Hospitalariarum ordinis S. Augustini. Literas a rege obtinuit contra detentores bonorum episcopatus
1655. 18 Maii 1655. Concilio provinciali adstitit
1660. apud Pontisaram an. 1660. Insequenti ordinis S. Spiritus commendator creatus est. Seminarium Eudistis regendum commisit, parthenonemque Ursulinis apud Pontem Audomari indulsit mense Decembri 1671. Altare Pratellensis ecclesiæ consecravit 18 Junii 1673. Cessit an. 1677 in gratiam sequentis nepotis. Defunctus Parisiis die Mercurii 14 Februarii 1680, annum agens 76, sepultus est Lexovii in sacello B. Mariæ 11 Martii.

LI. LEONORIUS II.

Francisci *Goyon* comitis Torigneii & Gaceii, equitis torquati, inferioris Normanniæ proregis & Annæ *Malon de Bercy* deuterogenitus Leonorius, apud Torigneium natus est 5 Septembris 1637. Abbas erat Exaquiensis, decanus Lexoviensis, regi ab eleemosynis regisque fratri a consiliis, cum per cessionem patrui factus episcopus Lexoviensis, inunctus est 14 Martii 1677 in ecclesia novitiorum Jesuitarum Paris. ab archiepiscopo Remensi, adstantibus Bajocensi & Abrincensi episcopis. Possessionem per procuratorem adeptus est 15 Aprilis, ipse vero 29 Julii. Ædes episcopi refecit, ecclesiam variis decoravit ornamentis. Synodo provinciali apud Gallionem adstitit 30 Junii 1699. Breviarium edidit anno 1704. Seminaria duo ædificavit, quorum unum pro 20 pauperibus clericis ad ordinem sacerdotii promovendis, quod regia auctoritate sancitum est mense Julio 1711. Duo quoque ptochodochia construxit. Sacravit 6 Nov. 1712 Ludovicum *de la Tour du Pin* episcopum Tolonensem in ecclesia cathedrali. Testamentum condidit 30 Junii 1714, quo legavit pauperibus 50000 libras & 20000 ad construendum altare majus. Obiit Parisiis 14 Julii anni ejusdem, cujus Lexovium translatum cor, terræ mandatur in sacello parvi seminarii, corpus vero ante majus altare cum hoc epitaphio : *Hic quiescit beatam exspectans resurrectionem Leonorius* de Matignon *Lexoviensis episcopus nomine secundus. Antiquam avorum gloriam propria virtute illustravit. Prædecessorum laudem, fide, pietate, charitate, vigilantia unus omnium complexus est. Gregi pastor bonus, novitatum osor, doctor ecclesiæ & discipulus, clero magnum exemplum, pauperum amore, divitiarum usu. Quæris præsulis eximii monumentum ! Urbs tota monumentum est, erectis passim & dotatis seminariis, nosocomiis & ptochotrophiis. Pauperes heredes reliquit, ne quos vivens aluerat, moriens desereret. Quantum dilexerit decorem domus Dei, hoc templum, hæc ara testantur. Obiit anno M. DCCXIIII, die 14 Julii, ætatis anno LXXIV, episcopatus XXXVII.*

LII. HENRICUS-IGNATIUS.

DE BRANC.

Henrici *de Brancas* Marchionis *de Cereste*, & Dorotheæ *de Cheilus de S. Jean* filius Henricus-Ignatius, germanus autem Ludovici Franciæ marescalli, Johannis-Baptistæ-Antonii archiepiscopi Aquensis, & Busilii comitis consistoriani, doctor facultatis Parisiensis, abbas sancti Gildasii de nemore & Camerifontis, regi ab eleemosynis anno 1712, nominatus episcopus Lexoviensis 15 Augusti 1714, inauguratur 13 Jan. 1715 1715

ANNI CHRISTI in ecclesia novitiorum Jesuitarum Parisiis ab archiepiscopo Rotomagensi, adstantibus Æduensi & Sagiensi episcopis. Regi fidem juravit 18 eorumdem mensis & anni, & possessionem iniit 8 Febr. per procuratorem, ipse vero 12 Apr. Filias seculares de Providentia a rege confirmari
1723. obtinuit 1723. Prioratus Bellimontis in Algia
Ch. XVIII. n. 120. reditus omnes & bona quæcumque monachis
1741. concessit 15 Sept. 1741 ad preces serenissimi ducis Aurelianensis, ea lege ut sex nobiles juvenes a principe designatos ab anno septimo ad decimum septimum educarent, & sumtus necessarios suppeditarent uni filiæ de Providentia domus Lexoviensis, quibus postea dedit 10000 libras. Exemtionem & jurisdictionem capituli toties & a tot episcopis oppugnatam expugnavit 17 Augusti 1744 & 12 Martii 1745, relictumque est capitulo tantummodo jus corrigendi subditos, salva ad episcopum appellatione, & decano jus visitandi seu per se, seu per clericum ab episcopo approbatum parochias urbis & finium. Plurima statuta condidit Henricus-Ignatius pro bono regimine diœcesis & pro disciplina ecclesiæ. Largitus quoque est duabus pauperum domibus, unicuique 10000 libras. Sacellum B. Mariæ decoravit. Rituale anno 1742, cæremoniale 1747, & breviarium novis recudit typis 1751. ANNI CHRISTI 1744. 1745.

5 Nicolaus *du Pont* recensetur 2 Decemb. in obituario ecclesiæ cathedralis, ubi fundavit obitus qui per singulos annos pro eo decantantur.

DECANI LEXOVIENSES.

I. GUILLELMUS I de Glandivilla decanus & archidiaconus Lexoviensis, memoratur ab Orderico Vitali lib. V, pag. 551, inter honorabiles personas & illustres viros hujus ecclesiæ, quos fovit Gislebertus episcopus.

II. Reinfredus præsens legitur in charta Johannis episcopi pro Becco anno 1134.

III. Fulco I testis fuit initæ anno 1142 concordiæ inter abbates Fiscanni & Bernaii. Interfuit donationi quatuor ecclesiarum factæ Beccensibus ab Arnulfo episcopo 1147.

IV. Hugo de Gaceio decanus erat temporibus Radulfi episcopi & Radulfi abbatis Uticensis.

Chr. IV. col. 216. V. Johannes I consensit restitutæ S. Victori Parisiensi ecclesiæ S. Petri de Gaceio tempore Radulfi episcopi. Reperitur an. 1177 & 1186 cum Roberto abbate Vallis Richerii & Petro abbate Blancæ-landæ. Memoratur in necrologio die 2 Decembris.

VI. Willelmus II decanus erat anno 1195, ex chartis Valassiæ, & 1221, ex Beccensibus.

VII. Gaufridus reperitur 1222 & 1226 in chartis Becci. Hiccine est de quo legitur in necrologio: *die 27 Julii obitus Gaufridi de Cortona decani?*

VIII. Fulco II *d'Astin* de Dominicanis optime meritus est, quos amore paterno ac singulari complectebatur. Subscripsit mense Decemb. 1248 chartæ in eorum favorem datæ. Inde fit episcopus.

IX. Johannes II *de Saint-Evroul* occurrit mensibus Junio & Julio 1252 in chartis archiepiscopatus. Cancellarius erat ecclesiæ Parisiensis, scripsitque sermones de sanctis & de tempore. Defunctus est 1255 ex chronico Uticensi, de quo legitur in eodem necrologio: *XII calend. Aprilis obiit magister Johannes de sancto Ebrulfo decanus Lexoviensis, qui totum corpus Bibliæ glossatum nobis contulit, & de bonis suis domui nostræ largissime erogavit.* Memoratur quoque ad diem 20 Martii in necrologio cathedralis.

X. Guillelmus III de Ponte arcæ pepigit mense Decembri 1259 cum Richardo *Hoillan* vicario perpetuo S. Melanii de Besvilla. Occurrit adhuc anno 1260 in Quadragesima, hic est 1261, in chartis Becci. Ac proinde Guillelmus, non Girardus, decanus adstitit concilio provinciali VII calendas Februarii 1260. Memoratur in antiquissimo necrologio die 30 Septembris.

XI. Johannes III nepos occurrit an. 1287 in chartis Becci. Querelam habuit cum Guillelmo episcopo pro jurisdictione in urbe & banleuca Lexoviensi, quæ ab arbitris Radulfo Abrincensi & Johanne Sagiensi terminata est mense Octobri 1290. Præerat adhuc capitulo anno 1293, memoratus in necrologio 24 Aprilis.

XII. Richardus *de Harcourt*, dominus de Escalsoio, transegit 19 Aug. 1376 cum Alfonso episcopo pro reparanda ecclesia. Memoratur cum Johanne fratre ejus pridie calendas Decembris in necrologio Uticensis ecclesiæ, cui plurima largitus est, & ubi anniversarium fundavit, defunctus ante 1385. Sexennio post Johannes dux Bituricensis ecclesiæ Lexoviensi concessit an. 1391 mense Januario os maxillæ S. Petri apostoli, quod ipsi largitus fuerat Clemens VII. Ch. IX. col. 213.

XIII. Michaël *Pelotte* reperitur in literis Caroli VI Francorum regis pro Guillelmo episcopo annis 1409, 1410 & 1411. Memoratur 17 Julii in necrologio.

XIV. Robertus de Saana, *al.* Servia, legum doctor, pepigit die 1 Maii 1433 cum Petro episcopo. Laudatur in necrologio 26 Augusti ob ædificatam sumtuose domum canonialem.

XV. Hector *de Cocquerel* decanus Lexoviensis, in scacario Rotomagensi annorum 1453, 1454, 1456, legitur inter clericos deputatos judices. Hoc ultimo anno vicarius erat generalis archiepiscopi Rotomagensis. Hiccine est, aut sequens, qui anno 1464 in Paschate legatus regis erat in Hispanias, ex regestis scacarii Rotomagensis?

XVI. Stephanus *Goupillon* ex decano Lexoviensi episcopus Sagiensis, æmulum passus est Egidium *de Laval*, qui licet consecratus 23 Aprilis 1480, gavisus tamen non est ante defunctum Romæ Stephanum 19 Decemb. 1493.

Memoratur in necrologio 25 Januarii. Circa id tempus an. 1467 Ludovicus XI canonicos Lexovienses ab excipiendis tecto militibus exemit.

Char. ix. col. 219.

XVII. Matthæus *de Brée* consiliarius in parlamento Parisiensi, canonicus ecclesiæ Parisiensis, decanusque & cantor Lexoviensis, deputatus est ab episcopo Parisiensi ad visitandum monasterium sancti Petri Latiniacensis 12 Martii 1474. Querelam habuit cum Antonio episcopo an. 1479, quicum transegit anno sequenti pro jurisdictione spiritali & temporali in urbe & banleuca Lexoviensi. Defunctus 19 Aprilis 1482 Parisiis in domo sua, sepultus est in navi ecclesiæ Parisiensis cum epitaphio.

XVIII. Ludovicus I *Blosset* decanus erat Lexoviensis & canonicus Rotomagensis anno 1488.

XIX. Gabriël *le Veneur* scacario Rotomagensi adfuit anno 1497. Transegit 19 Augusti 1499 cum presbyteris & capellanis inferioris chori de officiis & fundationibus ecclesiæ. In processu capituli Lexoviensis pro restitutione reliquiarum quas sacrilegi nuper furati fuerant, ut de eis inquisitio fieret ac punitio an. 1512, die Mercurii 9 Martii, dicitur magister Gabriël *le Veneur* circumspectus & eminentis scientiæ vir, decanus secundæ portionis de Lievreyo, canonicus præbendatus ecclesiæ Lexoviensis, abbas vero commendatarius B. Mariæ de sancto Severo Constantiensis, & prior de Plessæo Grimoldi in sententia quam arbiter tulit 28 Aug. 1518 inter Johannem *le Veneur* episcopum Lexoviensem & abbatem commendatarium S. Petri Pratellensis, & monachos ejusdem, ac parochum sancti Audoëni de Ponte Audomari. Recensionem bonorum decanatus regi dedit 5 Julii 1521, & obiit 1522.

XX. Ambrosius *le Veneur* germanus Johannis episcopi Lexoviensis & Gabrielis decani, filius quippe Philippi *le Veneur* domini *de Carouges*, baronis *de Tillieres*, & Mariæ *Blosset*, factus anno 1511 episcopus Ebroicensis, servavit canonicatum & præbendam primæ portionis de Lievreyo, & archidiaconatum de Lievrino, quæ ab annis aliquot tenebat. Anno 1522, die 3 Septembris, per procuratorem possessionem iniit canonicatus & præbendæ de Assemonte in eadem ecclesia, & 1 Aprilis 1523 decanatus vacantis per obitum Gabrielis. Aliquot post diebus 15 Aprilis capitulum Lexoviense exemit eum qua episcopum Ebroicensem a lege residendi in ecclesia Lexoviensi, qua obstrinxerat se cum admissus fuerat. Decani ædes anteriores exstruxit, ecclesiæ etiam nonnulla largitus, memoratur in necrologio die 10 Aprilis.

XXI. Ludovicus II *de Bailleul* canonicus præbendatus de Assemonte abbasque commendatarius Lonleii & Silleii, decanus reperitur in chartis ab anno 1544.

XXII. Claudius I *de Bauquemare* canonicus præbendatus de Assemonte, decanus legitur ab anno 1575 ad 1610.

XXIII. Ludovicus III *Bretel* nobilis, dominus

A *d'Auberbosc*, senator Rotomagensis, abbas de Alneto, canonicus & decanus Lexoviensis ab anno 1611, compromissum fecit 9 Julii 1616 cum Francisco episcopo de litibus inter eos pendentibus circa jurisdictionem. Fuit inde decanus Rotomagensis & archiepiscopus Aquensis.

XXIV. Claudius II *du Rosel* consiliarius parlamenti Rotomagensis, abbas S. Severi, memoratur decanus annis 1626, 1628 & 1629.

XXV. Andreas *de Bigars de la Londe* dominus *de Tourville*, *la Champagne* & *de Saint-Melaigne du Dos*, regi ab eleemosynis, abbas de Cornevilla, decanus ab an. 1630 ad 1636.

B XXVI. Baltazar *Grangier* electus decanus, possessionem iniit 12 Novemb. 1639. Reditus elocavit 17 Martii 1640.

XXVII. Carolus I *Aubery* doctor facultatis Parisiensis decanatus electus possessionem iniit 22 Augusti 1645. Leonorium *de Matignon* episcopum in possessionem immisit 30 Dec. 1648. Lites habuit cum capitulo de prærogativis dignitati suæ debitis, quæ ab arbitris terminatæ sunt in ejus gratiam annis 1651 & 1652, quo ultimo anno sententias confirmavit senatus Parisiensis.

XXVIII. Carolus II *le Marchant* possessionem iniit 24 Octobr. 1653, occurritque in C chartis an. 1656. Cessit in gratiam sequentis.

XXIX. Leonorius *de Matignon* baccalaureus in theologia, abbasque Torigniaci, cedente Carolo, bullis donatus 1 Julii 1658, possessionem per procuratorem adeptus est 18 Octobr. anni ejusdem, ipseque 30 Martii 1660. Postea fit episcopus, ut diximus.

XXX. Jacobus *de Matignon* Leonorii germanus, possessionem apprehendit 21 Aprilis 1666, factusque est an. 1671 episcopus Condomiensis, ubi vide tom. II, col. 973.

XXXI. Nicolaus *Taigner de la Bretesche* D regi ab eleemosynis, possessionem iniit 27 Oct. 1672, præfuitque ad 1698, quo defunctus 9 Aprilis, sepultus est in sacello B. Mariæ.

XXXII. Johannes-Baptista *de Franqueville* doctor sorbonæ, ex cantore decanus 24 Apr. 1698 electus, possessionem iniit. Obiit anno 1702 3 Junii juxta decessorem sepultus.

XXXIII. Claudius III *de Franqueville* presbyter, cantor 20 Aprilis 1700, decanus electus, possessionem excepit 5 Julii 1702.

XXXIV. Johannes-Baptista-Antonius *de Brancas* presbyter, electus decanus 26 Sept. 1721, possessionem iniit 9 Oct. Cessit sequenti E anno 1725, nominatus episcopus Rupellensis, indeque archiepiscopus Aquensis.

XXXV. Ludovicus-Henricus *de Fogasses de la Bastie* doctor theologus, ex canonico Carnotensi Lexoviensis 22 Aug. 1725, per cessionem superioris factus decanus, possessionem iniit 16 Februarii 1726; inde vicarius generalis episcopi Lexoviensis, agens generalis cleri Gallicani & abbas Corneliensis, obiit 4 Junii 1754.

XXXVI. Josephus-Dominicus *de Cheylus* nobilis Vivariensis, doctor Sorbonæ, canonicus & vicarius

& vicarius generalis Lexoviensis episcopi, nec- A non commendatarius Cormeliensis, electus est a capitulo & admissus ecclesiæ Lexoviensis decanus 14 Junii 1754.

Hos præter leguntur in necrologio :

9 Januarii Germanus Paillardi 60 libras legavit pro ædificanda libraria hujus ecclesiæ.

28 Januarii Guillelmus de Estoutevilla.

27 Aprilis Guillelmus de Cyraio.

14 Julii Radulfus de S. Leonardo.

9 Augusti Henricus *du Quesney* doctor theologus.

29 Novembris Johannes *Bacon.*

11 Decemb. Nicolaus de Saviniaco legavit 60 libras ad construendam capellam B. Mariæ, bellorum tempestate funditus eversam, & a Petro episcopo cum magnis sumtibus erectam.

18 Decembris Terricus.

Baltazar de Caligariis.

ABBATIÆ DIŒCESIS LEXOVIENSIS.

De veteribus diœcesis Lexoviensis mona- B steriis non est quod loquamur : si enim partim ob Normannicos furores, partim propter veterum negligentiam vix nota quæ supersunt monasteria, quanto minus destructa. Nec ipsa lacunas explet Neustria Pia, quæ non omnia, & quæcumque collegit, indiscriminatim & inordinate collegit. Inde fit ut rebus ita semel constitutis meliorem formam addere vix ac ne vix quidem potis sit. Interim S. Imerius prioratus a Becco modo dependens, forte fuit olim abbatia : abbas enim S. Imerii reperitur Rodulfus temporibus Maurilii archiepiscopi Rotomag. & H. episcopi Lexoviensis. Vide Annal. tom. VI, pag. 696. C Quoad superstites abbatias, hæ modo sunt numero octo, e quibus septem

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

S. Ebrulfus Uticensis, *Saint Evroul.*
Bernaicus, *Bernay.*
Pratellum, *Preaux.*
Grestanum, *Grestain.*
Corneliæ, *Cormeilles.*

Feminarum.

S. Leodegarius, *S. Leger.*
S. Desiderius, *S. Desir.*

Ordinis Præmonstratensis.

Mons Dei, *Mondée.*

Quibus addi possunt duo prioratus, Bellusmons, S. Benedicti, & S. Barbara S. Augustini ordinis.

S. EBRULFUS.

Evroul.

Ad Carentonam fluvium situm est non ignobile totius Normanniæ ordinis sancti Benedicti monasterium, quod in honorem sancti E Petri a S. Ebrulfo primitus instructum, a conditore demum vocabulum & decus retinuit. Defuncta uxore, vir sanctus ex aula Childeberti regis tanquam e naufragio elapsus, ad monasterium duorum Gemellorum apud Bajocasses, ut creditur, confugit, ubi cum aliquandiu constitisset, assumtis secum tribus sociis, in Uticensi pagi Oximensis silva sese abdidit, non longe ab oppidulo Montis-fortis. At cum nec hic ab adventantium molestia tuti essent, loco deserto, ubi in honorem sancti Ebrulfi a posteris condita est basilica, densissima & opacissima silvæ penetrarunt, ubi sedem figentes, extemporaneum quoddam construxere tugurium exiguo claustro circumcinctum. Atque hæc sunt veluti cunæ monasterii nunc Oximensis a pago, nunc Uticensis a silva dicti, quod a S. Ebrulfo *anno circiter 560 aut 567* tumultuario opere tentatum, paucis post annis, *Chilperico & Sigeberto regnantibus* meliorem formam accepit. Rebus postea in deteriora delapsis eversoque a Paganis seculo nono, uti alia fere Neustriæ monasteria, Uticensi asceterio, monachis successere canonici, quibus Carolus rex villas & possessiones jam concessas, confirmavit anno 900. Dubitare tamen licet monachine Uticense monasterium incoluerint an canonici, quando Hugo comes reliquiarum avidus Uticum divertit, & corpora SS. Ebrulfi, Ebremundi & Ansberti inde Aurelianos cum chartis donationum exportavit an. 950. Sicque sanctorum suorum reliquias insequentibus monachis, per annos centum in solitudinem redactum mansit monasterium ad seculum sequens, quo medio veterem S. Petri ecclesiam Restoldo & Ingranno piis presbyteris incolendam primum D assignavit Willelmus Geroii viri præpotentis filius, Escalfoii dominus, qui a Willelmo Talvacio perfide oculis & membris orbatus, seculo nuncium remisit, factusque Becci monachus, hanc ecclesiam paulo post Beccensibus monachis largitus est. Hi Lanfrancum cum tribus sociis mittunt, qui divinum eo loci cultum instaurare cœperunt. Normanni interea, proceres ubique nova erigebant monasteria, seu antiqua quæ majores eorum destruxissent redintegrare nitebantur. Eadem cupido Hugonem & Robertum filios Roberti de Grentemaisnilio & Hadvisæ filiæ Geroii subiit, consilioque inito apud Nuceretum prope Falesiam monasterium ædificare decreverunt. Verum avunculus eorum Willelmus Beccensis monachus eos a sententia dimovit induxitque ut cœnobium olim a sancto Ebrulfo constructum renovarent. Auctori acquievere Hugo & Robertus, dataque Rosseria villa Herluino abbati, ut a Beccensium potestate immunis ecclesia Uticensis prisco abbatiæ titulo redderetur, Uticum liberum receperunt. Possessiones Utico instaurato datas recenset Order. Vitalis pag. 575.

Amplif. Collect. t. 1, col. 255.

& seqq. Dehinc Willelmi principis obtento consensu novi monasterii anno 1050 fundamenta ponunt, acceptaque abbatis eligendi facultate, hunc a Roberto Gemeticensi abbate exposcunt, quem concessum dux novo Uticensi monasterio præfecit. Quid per sequentium seculorum curricula actum sit dicere supersedemus, ne actum agere videamur. Rerum enim gestarum series, series est abbatum. Addere tantum sufficiat instaurando monasterio eadem indulta privilegia, quæ regalibus abbatiis solent impertiri. Habentur hanc in rem multorum regum diplomata, Philippi Valesii anno 1325, Caroli V anno 1379, Caroli VI 1407 & 1415, Caroli VII 1459, in cujus diplomate expresse dicitur Uticum de fundatione regia existere. Denique Ludovicus XI anno 1474 lites Uticensium ad scacarium suum immediate referri mandat, quod regalium abbatiarum privilegium est. Ab omni servitio immunis hæc abbatia, nullum præter regem dominum agnoscit. In tutelam regiam assumta, ab omni onere & jure sive imposito sive imponendo regum literis sit libera. Arcis in modum muris & aggeribus domum munire & circumvallare, mandato etiam vicinis populis dato in his operas impendendi, per reges sæpius concessum. Dominium Uticense baroniam vocant, cujus senescallus justitiam exercet in subditos, reservatis tamen causis majoribus, quanquam de illis etiam olim in curia S. Ebrulfi judicia habita sunt, ex Orderico. Quantum ad jura & usus silvæ Uticensis, quæ acrarum, ut loquuntur incolæ, quatuor millia & amplius continet, ita officiales abbatis, senescallus nimirum, fisci procurator, scriba, apparitor baronalis cum quatuor custodibus moderantur, ut regiis ministris, licet non raro ad tribunalia sua causas evocare conati sint, nullus ad hanc diem patuerit aditus. Venatio soli abbati & monachis permissa: quoties vero ipsi jubent, tenentur omnes baroniæ subditi, maxime vero Ebrulfiani incolæ, adesse venantibus, indagandis feris opem laturi. Silvæ Uticensi jus ferrariæ adjunctum, ut cudendo ferro scindendoque ligna consumantur. Sed inter barones fossarios nancariosque primas tenet abbas Uticensis. Ferrarii autem vocantur, ut hoc interim explicem, ad quos scilicet ferrariæ, seu fossæ carbonariæ, nam hæc promiscue usurpantur, pertinent. A fossis itaque fossarii nominati sunt. Nancarios vero plures appellatos volunt a Naca vel Nacisternia, hoc est a vase aquas continente, eo quod aquarum domini eas quibusdam veluti repagulis coerceant, ut posthac emissæ ferrariæ rotas implendo exagitent. Alii & forte melius Nancarios, vernacule *Nampacies,* Namiarios appellant ab exotico nomine Namium, quod idem est ac pignoris ablatio; cum scilicet ob rationem debiti pecora vel alia mobilia auferuntur. Unde hæc ablata Namia, *les Namps* vocantur. Namiarii igitur dicti sunt, ut multis placet, ferrarii, quod a Namii custodia liberentur & multis hujuscemodi privilegiis gaudeant. Itaque in tractu ingenti superioris Normanniæ fluvios inter Ornam &

A Avram sex sunt hujusmodi barones, qui fossarum aquarumque jura teneant, tres ecclesiastici, abbates Uticensis, Lirensis & Fontanellensis; totidem sunt laici, toparchæ de Gaceio, de Cambræo & de Feritate Fresnelii, Ferrarii vero Namiarii quinquaginta supra centum numerum complent. Ex hoc Fossarii Nancariique baronis jure aliud sequitur, ut scilicet ab eo tributo, quod vocatur *Tiers & danger,* quod regi sola pendet Normannia, immunis sit Uticensis silva, quæ postea in monachorum sortem inito cum abbate pacto venit. Ferrarii porro Namiarii quotannis circa festum sancti Johannis conveniunt B præsidem sidereiam exercentibus daturi. Istius est lites omnes quæ inter ferrarios oriuntur dirimere, pretium mercibus taxare, de omnibus denique quæ ad ferrum pertinent sententiam, tanquam qui supremus sit arbiter & judex & ob id ferrariorum magister vocetur, pronunciare.

Ordericus Vitalis non minima Uticensis cœnobii gloria, scripsit 13 ecclesiasticæ historiæ libros, quos Andreas Duchesnius publici juris fecit. Septem posteriorum codex MSS. exstat in bibliotheca Uticensi, qui vel ab ipso auctore, vel aliquo ejus synchrono aut suppare scriptus est. Historiam vero suam laudatus auctor ab C Incarnatione verbi ad annum 1141 perduxit. In illis libris quæ Angliam Normanniamque aut cœnobium Uticense spectant, fusiori stilo prosecutus est. Multum certe illi debet doctorum respublica, cum posteritati plurima consignarit, quæ alias ex hominum memoria penitus obliterata forent.

Catalogus Abbatum.

I. Sanctus Ebrulfus nobili apud Bajocasses ortus prosapia, an. 516 aut 517 relicta Childeberti senioris aula atque uxore velata, ad cœnobium duorum Gemellorum se D recepit, auctore Orderico Vitali, qui ait sola hujus monasterii suo tempore superfuisse rudera. Inde Ebrulfus solius Dei contemplationi vacare volens, assumtis secum tribus sociis, in Uticensem silvam pagi Oximensis se abdidit, non longe ab oppidulo Montis-fortis, ubi posteri basilicam in honorem S. Ebrulfi condidere, nunc prioratum in eadem diœcesi. Ibi enim cum nec satis ab adventantium molestia tuti essent, locum deseruere, densissimaque se abstruserunt silva, ubi ex virgultis & frondibus extemporaneum construxere tugurium exiguo ejusdem materiæ claustro circumcinctum. Hic singularis patientiæ, E abstinentiæ & orationis specimina exhibuit Ebrulfus, cujus monitis flexi etiam latrones qui silvam illam infestam habebant, ad meliorem frugem omnes conversi sunt, & ad monasticam vitam plurimi tracti, qui sua omnia Ebrulfo dedere, rogantes sibi ut monasteria construeret. Horum petitionibus acquievit vir sanctus, monasteria quindecim cum virorum tum mulierum regularibus instituit disciplinis, iisque probatissimæ vitæ præfectos imposuit: ipse vero postquam Uticense monasterium diu sanctissime rexisset,

migravit a seculo octogenarius IV cal. Januarii 596, residente in sede apostolica Gregorio summo doctore & Anglorum apostolo, ex Willelmo Gemeticensi, tempore vero Rodoberti Sagiensis episcopi, anno 12 regis Childeberti, ex Orderico Vitali, cujus cæteroquin chronologia de sancto Ebrulfo coincidit cum Willelmo Gemeticensi; unde concludunt alii obiisse anno 706, alii forsan melius loco Childeberti apud Ordericum substituendum Clotarii: corpus ejus in marmoreo loculo conditum est in basilica sancti Petri, quam ipse ædificaverat. Ejus postea reliquiæ ab Herluino Hugonis magni cancellario ablatæ, Hugonis jussu in Aurelianensi ecclesia sancti Petri de Puncto depositæ sunt, cujus abbas erat Herluinus, qui aliquam earum partem Radulfo de Dragiaco cubiculario concessit. Hugo quoque Hugonis filius defuncto patre partem earumdem reliquiarum Gofrido Andecavorum comiti ejus filiolo concessit, qui eas apud Andecavos in ecclesia S. Mainbodi reposuit. Sancti Ebrulfi vitam libro VI Historiæ ecclesiasticæ ex antiquioribus auctoribus inseruit Ordericus Vitalis, qui ignorare se fatetur qui vel quot Ebrulfi in Uticensi monasterio successores fuerint per 400 annos. Attamen

II. Ragingarius abbas de Utico synodo Attiniacensi subscripsit anno 765. Seculo decimo destructo a paganis monasterio, monachis successere canonici, quibus Carolus rex ad preces Adelaidis genitricis & Hugonis comitis diploma concessit pridie calend. Novembris, anno regni 8, Christi 900.

Ascelinus præpositus, seu prior erat monasterii anno 946, qui quamdiu superstes fuit, vixit autem usque ad decrepitam ætatem, ut loquitur Ordericus, in eum domus inclinata recubuit, nec tali fulcro sustentata concidit.

Ascelinus Ascelini nepos, cui curam Utici bonus senex commiserat, ut liberius genio indulgeret, in Franciam profectus est: sic domus deserta propriis ruinis brevi sepelitur.

Restoldus presbyter circa annum 1030 Uticum incolere cœpit, & per plures annos solus cum Ingranno presbytero vixit in hac eremo.

Lanfrancus ab Herluino Beccensi abbate missus cum tribus monachis, prioris munere functus est, donec consilio de instauranda sancti Ebrulfi abbatia firmato, Beccum revocatus, locum abbatibus, qui hoc cœnobium deinceps rexere, dedit.

I. S. Theodericus cognomento *de Mathonville*, ortus ex Caletensi pago, Theoderici abbatis Gemeticensis nepos, ab eoque de sacro fonte levatus, & adhuc infans habitu monastico indutus, vir factus omni virtutum genere, miraculis etiam claruit. Ex priore Gemetici in abbatem Uticensem ab instauratoribus monasterii expetitus, annuente duce Guillelmo, abbas instituitur ab Hugone Lexoviensi episcopo III nonas Octobris anni 1050. Mox Rudolfum nepotem suum & Hugonem cantorem aliosque fratres de Gemetico secum adduxit, ut novellæ plantationi

A excolendæ collaborarent. Plurimos ad professionem monasticam, sed præ ceteris nobilem dynastam Robertum *de Grentemesnil* unum ex instauratoribus admisit. Multa passus est in regimine monasterii, quod totus spiritualibus exercitiis addictus, res temporales non satis promovere videretur. Ivoni de Belismo Sagiensi episcopo in tantum carus fuit, ut in ejus gratiam cœnobium sancti Martini restaurare pius præsul susceperit. Ea provincia Theoderico demandata est, qui Uticensibus suis usus, rem ad felicem exitum perduxit. Defuncto Willelmo Geroii, qui dum viveret, Theodericum adversus obtre-B ctatores egregie tuebatur, se tanto subsidio privatum advertens, cedendum ratus, Willelmo Normannorum duci baculum pastoralem & dignitatem resignavit, quæ anno 1056 III calend. Julii a Maurilio archiepiscopo, Hugone Lexoviensi episcopo, Ansfrido Pratellensium abbate, & Lanfranco Beccensium præposito, restituta ei est. Ast a Rodberto priore, ut prius, lacessitus, anno 1057 ex urbe Saio Uticum IV calendas Septemb. reversus, ad sepulcrum Domini peregrinari decrevit. Sed Cyprum insulam devectus, in ecclesia sancti Nicolai precibus fusis & coram altari decumbens, obdormivit in Domino ca-C lendis Augusti anno 1058. Ejus memoria quotannis celebratur in Uticensi monasterio, ex consuetudine Orderici Vitalis ætate jam recepta. Regularem disciplinam optimis munivit constitutionibus, quas a venerabilium abbatum Richardi Virdunensis, Willelmi Divionensis, atque Theoderici Gemeticensis doctrina susceperat. Sancti viri epitaphium scripsit Ordericus.

II. Rodbertus I *de Grentemesnil* frater Hugonis, infans literis operam dedit, tum per quinquennium armiger ducis fuit, inde constructa cum fratre abbatia, fit monachus. Prior autem erat, cum unanimi monachorum consilio in D abbatem assumtus anno 1059 indict. XII, a Willelmo duce confirmatur per cambutam Ivonis episcopi Sagiensis, & benedicitur a Guillelmo Ebroicensi episcopo XI calendas Julii. Cluniacensium mores, quos adhuc neophytus sub Hugone magno edoctus fuerat, Uticensibus suis præscripsit. Ita reditus auxit, ut 40 monachorum familiæ res omnes non tantum abunde, sed & magnifice suppeditaret. Novam basilicam amplitudinis maximæ & insignis operis construere animo proposuerat, sed ab inceptis desistere coactus est. Pulsis enim in exsilium Roberti fratribus & consanguineis, a Rainerio Castel-E lionis seu sancti Petri de Conchis monacho, quem priorem Uticensibus præfecerat, ipse apud Guillelmum ducem de quibusdam improvide dictis accusatus, ut ducis iræ cederet, e monasterio tertio sui regiminis anno, duobus scilicet annis & duobus fere mensibus, discedens anno 1061, in Galliam primum, ubi Aurelianis invenit diploma Caroli simplicis pro monasterio S. Ebrulfi, indeque in Italiam est profectus, ubi Romanum pontificem adiit, a quo missi duo cardinales clerici cum literis apostolicis, qui

Rodbertum Willelmo duci reconciliarent. Quo A audito dux ira excanduit. Rodbertus itaque ad Hugonem abbatem sancti Dionysii se recepit, a quo benigne acceptus est. Inde Osberno abbati, qui ejus in locum suffectus fuerat, diem dixit in pago Carnotensi coram Romanis cardinalibus. At cum ille & tempori & loco defuisset, eum Rodbertus ex auctoritate papæ tanquam Uticensis abbatiæ invasorem excommunicavit, omnesque Uticenses monachi ut ipsum sequerentur præcepit. Sicque Rodbertus cum undecim monachis suis confugit ad Alexandrum papam, qui eis S. Pauli ecclesiam concessit, ut illic ordinem suum tenerent, donec eis congruam B habitationem provideret. Verum Rodbertus Willelmum de Mosterolo consanguineum suum qui Campaniam obtinuerat adiit, qui ei monachisque ejus mediam partem Aquinæ urbis concessit. Postmodum ad Rodbertum Wiscardum Calabriæ ducem se contulit, a quo ecclesiam S. Euphemiæ ad litus Adriatici maris, ubi ruinæ antiquæ urbis quam Brixiam vocabant, positam accepit, ut cœnobium in honorem B. Mariæ construeret. Idem cœnobium S. Trinitatis in urbe Venusia eidem Roberto commendavit, insuper tertium cœnobium in honorem sancti Michaëlis in urbe Mellito exstructum. Eumdem, cum aliquando C in Galliam reversus esset, Philippus rex Carnotensem episcopum constituere voluit: at ille oblatam sibi dignitatem recusavit, ut diximus tomo octavo. Denique post annos fere septemdecim, abbas sanctæ Euphemiæ migravit ad Dominum idibus Decembris.

III. Osbernus Erfasti filius, apud Caletos ortus, a puero literis optime eruditus, primum canonicus Lexoviensis sub Herberto antistite, ac demum in monasterio S. Trinitatis de Monte sub Isemberto abbate factus monachus, a Rainerio Isemberti successore ad informandum novum Cormeliense monasterium missus est, unde dis- D cedente Rodberto, Willelmus dux consultu Ansfridi Pratellensis abbatis, & Lanfranci Beccensium prioris, Osbernum ab eodem abbate, cujus olim monachus fuerat, postulavit, eique nihil tale suspicanti per cambutam Maurilii archiepiscopi in synodo Rotomagensi curam Uticensis abbatiæ commisit. Deinde Hugo Lexoviensis episcopus, jussu ducis, eum ad Pratellense monasterium adduxit, ibique statim nescientibus Uticensibus monachis abbatem consecravit, indeque Uticum perduxit, ac mœstis fratribus ex imperio ducis imposuit. Roma postea reversus Robertus, coram Romanis cardinalibus in pago E Carnotensi certum diem præfixit Osberno, qui cum non adfuisset, ab ipso Rodberto auctoritate summi pontificis excommunicatus est. Sententia perculsi monachi, aufugerunt omnes. Verum S. Euphemiæ facto abbate Rodberto, supplices ad Alexandrum papam dedit literas Osbernus: ipse vero causa diligenter discussa, Rodberti abbatis qui præsens aderat rogatu, Osbernum absolvit, eumque in abbatia quietum & tranquillum remanere jussit. In pauperes ac leprosos largissimus fuit Osbernus. Anniversarium solenne pro defunctis monachorum parentibus celebrandum VI calendas Julii constituit. In Franciam aliquando profectus, fundum Heldrici in pago Wilcassino a militibus & plebeiis recepit. Inde reversus lecto discubuit, & post aliquot dies cum Uticensis abbatiæ regimen quinque annis & tribus mensibus tenuisset, VI calend. Junii an. 1066 spiritum Deo reddidit, & in claustro juxta ecclesiam sancti Petri sepultus est, unde Mainerius ejus successor ipsum post annos 17 in novum capitulum transtulit.

IV. Mainerius Goscelini de Escalfoio filius, abbate Rodberto monasticam vitam amplexus est, a quo factus prior claustralis, ejus discedentis in locum de substituendo alio abbate cum Lanfranco egit. At excommunicato successore Osberno territus Mainerius Cluniacum secessit, ubi per annum unum Cluniacensium rigorem expertus est. Inde ab Osberno revocatus, in partem curarum prior monasterii assumitur. Defuncto Osberno, duos elegerant Uticenses Rainaldum de Rupe & Fulconem de Warlenvilla. Neuter duci placuit, sed Hugonis Lexoviensis episcopi procerumque consilio Mainerium priorem, virum pietate & doctrina insignem, monachis id moleste ferentibus, eadem die qua Lanfranco Cadomensem contulit abbatiam, anno scilicet 1066 præfecit. Ab Hugone XVII cal. Augusti ante altare sancti Petri consecratus est. Novam basilicam non ea quidem amplitudine, qua Robertus abbas destinarat, pulcherrimam tamen est adorsus. Monasterium vero cunctis partibus absolutum ædificavit, 92 monachis Uticensem auxit familiam, simulque ipso administrante mirum res domestica sumsit incrementum. A Philippo Francorum rege obtinuit ut donationes omnes quæ Uticensibus in Francia factæ fuerant, proprio diplomate confirmaret. Sui vero regiminis anno 14 transfretavit in Angliam, quem rex Guillelmus ejusque optimates donis pluribus cumularunt anno 1081. Et ut omnium firma possessio maneret, Uticensibus præceptum regale factum est regis multorumque principum subscriptionibus munitum, quod abbas Uticum rediens secum retulit, & ex integro refert Ordericus. Data est hæc charta an. 1081. Exsequiis regis Guillelmi adfuit Mainerius V idus Sept. 1087. Ipse vero expletis in monasterii regimine 22 annis & 7 mensibus fatis functus est an. 1089. in capitulo sepultus. Hunc annum obitui Mainerii assignat chronicon Uticense, ex quo colligitur quid sit magis eligendum inter tria quæ apud Ordericum videntur repugnantia. Nam lib. III, pag. 477, dicitur monasterium administrasse 21 annis & 7 mensibus; eodem libro, pag. 494, 22 annis & 7 mensibus; libro vero V, pag. 574, 23 annis & 7 mensibus. Eodem anno, scilicet 1066 quo Lanfrancus, abbas creatus est, & eodem anno nempe 1089 obiit. Rursum Serlo duobus tantum annis præfuit Uticensibus, anno autem 1091 ad sedem Sagiensem assumtus est: quæ omnia inducunt ut dicamus

Monast. Anglic. t. III pag. 966 & seqq.

Mainerii tempus in præfectura Uticensi 22 annis & mensibus 7 esse definiendum. Notatur in necrologio die 5 Martii.

V. Serlo de Orgeriis natus, a Mainerio in cœnobium admissus, ex priore in locum abbatis sui defuncti suffectus est. Duobus tantum annis & 3 mensibus præfuit Uticensibus, ex Orderico, maluitque sine benedictione abbatiali manere, quam chirographum canonicæ professionis, quod præter jus exigebat episcopus Lexoviensis, exhibere. In concilio Rotomagensi an. 1091 x cal. Junii episcopus Sagiensis renuntiatus est.

VI. Rogerius I de Sappo parentibus Gervasio & Emma satus, monachus Uticensis, simplici- B tate, peritia literarum multaque honestate & dulcedine morum præditus, post triduanum jejunium convocatis Serlone episc. Sagiensi, abbatibusque Fulcone Divensi, Arnulfo Troarnensi & Radulfo Sagiensi, a toto conventu XII cal. Aug. an. 1091 electus est. Protinus in Angliam transfretavit cum Ernaldo de Tilliolo ut electionem Uticensium Roberto duci Normanniæ exhiberent. Eam dux ratam habuit, & Willelmus Angliæ rex eidem electo omnia quæ pater suus ejusque proceres Uticensibus contulerant confirmavit. Aderat anno 1092, cum dens sancti Nicolai in ecclesia Noromensi susceptus est. C Uticum reversus, a fratribus abbas suscipitur XV calendas Januarii. Anno autem tantum 1099 IV cal. Septembris consecratus est. Gislebertus quippe Lexoviensis episcopus eum benedicere diu recusavit. At regali tandem mandato parere oportuit. *Regalis pietas,* inquit Ordericus, *a monachis requisita jure prævaluit, & pertinaci episcopo imperavit, ut mores quos antecessores ejus in Normannia sub patre suo tenuerunt, observaret, & abbatem sine alicujus novitatis exactione consecraret.* Eodem anno nova basilica a tribus episcopis dedicata est XVII calend. Novemb. al. idibus Nov. Ad monasticam professionem 115 discipulos D admisit, quorum 12 ad construendum apud Nogionem cœnobium suppeditavit. Annis & ægritudine fractus ab Henrico Anglorum rege facultatem obtinuit qua Uticensibus alium sibi præficere abbatem liceret. Paucis post annis Dominicæ videlicet Incarnationis an. 1126, juxta Ordericum, aut sequenti, juxta chronicon Uticense, idibus Januarii a suscepto cœnobii regimine 34, in cœlum migravit. Corpus ejus in capitulo sepultum est, cujus memoriæ epitaphium Ordericus scripsit.

VII. Guarinus *des Essarts* cognomento parvus, Roberti & Gislæ filius, monachorum 66 E quos in capitulo Rogerius abbas congregarat calculis in abbatem cooptatus est. Rex Angliæ Henricus de consilio Turstini Eboracensis archiepiscopi, & Stephani Carnotensis abbatis, qui postea patriarcha fuit, capituli Uticensis vota comprobavit. Die vero festo Ascensionis anno 1123, a Johanne Lexoviensi episcopo consecratus est Guarinus, qui imprimis laudatur ab Orderico, quod Rogerio seni benigniter servivit eique per tres annos, quibus postmodum super- A vixit, ut patri filius & magistro discipulus obsecundavit. Concilio Rotomagensi adfuit anno 1128, amplissimumque ab Henrico rege diploma obtinuit. Biennio post ad Claramvallem cum abbate Resbacensi Natali profectus est, ubi cum S. Bernardo locuti, magnam in eo sapientiam invenerunt. Inde reversus Resbacum, brachium sancti Ebrulfi ab abbate impetravit VII calendas Junii 1130. Prioratus Novi mercati a Willelmo *de Roumare* anno 1132 fundatus est sedente Guarino, qui in militis cujusdam exsequiis celebrata solenniter missa in morbum incidit XVII calendas Julii an. 1137. Sacramentis omnibus rite susceptis, finem vivendi fecit XI calendas mensis ejusdem, ætatis 66, monasticæ professionis 43, regiminis vero 14. Sepultus est in capitulo ad Osbernum abbatem a Gisleberto Sagiensi episcopo, ejusque epitaphium Ordericus ejus olim sodalis composuit.

Charta III. col. 204.

VIII. Richardus I de Legrecestria, natione Anglus, Legrecestræ quondam canonicus, ex Orderico, *sexdecim annis ante conversionem in curia Roberti consulis de Mellento causarum censor, arcanorum conscius, & in agendis rebus familiaris consiliarius. Postmodum monachus fuit literatus, religiosus, facundus & pluribus bonis atque claris charismatibus instructus.* Dum esset prior, a fratribus, quibus gravis erat ejus censura, lacessitus est, sed frustra. Mortuo tamen Liræ abbate, ad supplendum ejus locum postulatur, at cum se exorari non facile sineret, contigit Guarinum ex hac vita migrare. Nulli autem fratrum sanguine conjunctus, absens quoque & in Anglia negotiis monasterii curandis sex jam menses incumbens, ad ecclesiæ Uticensis regimen annuente rege Stephano assumtus est die festo sancti Johannis-Baptistæ mense Junio. Concilio Lateranensi adfuit anno 1139, unde reversus, in Angliam trajecit, ubi plurimis laboribus fatigatus, in Quadragesima febres incurrit, quibus per multos dies vexatus, post Pascha lethali a medicis potione accepta oppressus VII idus Maii 1140, tertio sui regiminis anno interiit. Corpus ejus in Torneiense monasterium delatum, in ecclesia B. Mariæ ante crucifixum a D. Roberto ejusdem cœnobii abbate & monacho quondam Uticensi sepultum est.

IX. Rannulfus quadraginta annorum monachus, ex priore sancti Martini de Nogione super Andelam electus abbas, cum literis Hugonis archiepiscopi & Johannis Lexoviensis ad Stephanum regem in Angliam profectus, confirmationem adeptus est, & ex Anglia reversus VIII idus Novemb. 1140, a Johanne episcopo abbas consecratur. Obiit XIV cal. Novemb.

X. Bernardus monachus Uticensis, abbas factus, multum æris alieni contraxit, qua de causa exauctoratus est an. 1159. Vix per annum præfuit monasterio, quo tempore chartam confirmationis obtinuit a Roberto Lincolniensi episcopo. Vide epistolas 12, 13, 61, 69 Arnulfi Lexoviensis episcopi, tom. XXII Bibliothecæ Patrum Lugdunensium, pag. 1309 & seqq.

XI. Robertus II *de Blangis* ex monacho Becci factus abbas prima hebdomada Septuagesimæ an. 1159, bullam ab Alexandro III obtinuit, qua confirmantur cellæ de Altifago, de Nogione, de Novoforo, de Parnis, de Capella, de Maulia, de Marchevilla, de Aquilavilla, de Villariis, de Molendinis, de Curta Haraia, de S. Senerico & de Norum. Ricardus de Altifago confirmavit bona prioratus de Altifago fundati ab Gulberto atavo. Dissidia habuit Robertus cum Roberto comite Glocestriæ filio naturali Henrici I, pro ecclesia de Sappo, quos conciliavit Rotrocus Ebroicensis episcopus qui regalem justitiam per totam Normanniam tunc temporis exercebat, abbasque comiti dedit duos palefridos valentes 20 libras. Querelam quoque habuit cum Frogerio Sagiensi episcopo pro procurationibus in cellis sancti Ebrulfi in diœcesi Sagiensi sitis, a quibus absolutus est Robertus a Rotroco eodem facto archiepisc. Rotomagensi, qui coegit moniales Villaris Caniveti decimas solvere sancto Ebrulfo, quas utpote de ordine de Savigneio recusabant. Occurrit Robertus an. 1167 in chartis Becci, & 1175 in Trappensibus. Obiit 1177 XI calend. Februarii.

XII. Radulfus I de sancta Columba factus est abbas 1178, ex Roberto de Monte. Huic restituit Radulfus episcopus Lexoviensis ecclesias *de Augeron*, de Orgeriis & de Croisillis, de quibus Arnulfus decessor de voluntate potius quam de jure monachos spoliaverat. Gaufrido filio & cancellario Henrici II regis fraternitatem domus concessit Radulfus, & e vivis excessit XIV cal. Febr. 1188, modo 1189.

XIII. Ricardus II Radulfo successit. *Huic compatri suo* Guillelmus de S. Senerico confirmavit omnes donationes a decessoribus factas, & Rotrocus Perticensis comes quidquid Uticum in terris comitis tenebat anno 1189 X calend. Augusti coram Gervasio abbate de Trappa. Defunctus IV idus Martii 1189, nunc 1190, sepultus est in capitulo.

XIV. Raginaldus Ricardum excepit, quo sedente Herbertus *de Aumenesches* prior *de Warich* in Anglia, Uticum attulit III non. Martii 1213 reliquias, quas donaverat Petronilla comitissa Leycestriæ, quas a Jerosolymis attulerat Robertus comes maritus ejus. Insequenti anno III idus Julii Reginaldus ipse e Resbaco attulit reliquias de sancto Ebrulfo, de S. Agylo abbate, & de sancto Ansberto, quas impetraverat, ea lege, ut quotannis apud Uticum sancti Agyli festum in albis celebraretur. Depositus fuisse legitur Raginaldus, & obiisse 12 Octobr. 1214. Jacet in cella de Parmis in diœcesi Rotomagensi.

XV. Herbertus, quo præsente Thomas comes Pertici super majus altare juravit fidelitatem servaturum se abbatiæ pro villa Marchevillæ anno 1215, die 3 post translationem S. Benedicti. Obiit V calend. Junii 1217.

XVI. Gaufridus I, cujus temporibus Robertus Rotomagensis archiepiscopus Uticensibus confirmavit facultatem a Walterio prius concessam decimas ecclesiasticas clericis quibuscumque de provincia idoneis tradendi ad firmam pridie nonas Julii 1217. Obiit anno 1218.

XVII. Rogerius II de Salmonvilla monachus Beccensis, ex priore B. Mariæ de Prato, seu de Bono nuncio Rotomagensi, ad Uticensis cœnobii regimen vocatus est. Huic fidelitatem professus est Robertus *de Baugency* anno 1218. Loco anniversariorum quæ a monachis negligebantur, copiosas pro defunctis eleemosynas fieri constituit 1219 in Quadragesima. Generalem quoque eleemosynam assignavit in die defunctorum. Societatem iniit cum Willelmo abbate Sagiensi anno eodem, quo Guillelmus episcopus Catalaunensis & Pertici comes fidem juravit abbatiæ S. Ebrulfi pro villa Marchevillæ die 3 post festum sancti Johannis ante portam latinam, coram Rogerio abbate, qui anno 1223 societatem iniit cum Johanne abbate Resbacensi, & renovavit cum Guillelmo Gemeticensi. Eodem anno instituit ut in Dominica Palmarum ab uno sacerdote stola, & manipulo & cappa pretiosa induto eucharistia ad supplicationem deferretur. Occurrit anno 1230 in chartis Becci. Fabricam ecclesiæ sancti Ebrulfi inchoavit anno 1231, bienrioque post obiit VIII cal. Sept. 1233.

XVIII. Nicolaus I electus est anno 1233, monachique pro eo regalium copiam a rege postularunt hoc anno, ex chartis thesauri. Excepit hominium Stephani *de Sancerre* pro villa Marchevillæ anno 1234, pridie translationis sancti Benedicti. Occurrit annis 1242 & 1245 in chartulario Conchensi. Abbatis officio quatuor & decem annos functus, sedem reliquit anno 1247, ut ad Cartusianorum ordinem transiret in Cartusia Vallis Dei prope Mauritaniam, cujus postea prior fuit. Hanc vitam cum meliore commutavit XV calendas Octobris. Hæc quidem eruuntur tum ex chronico, tum ex necrologio Uticensi. Attamen monachi S. Ebrulfi Ludovico regi significant a se electum abbatem Michaëlem de Novo mercato monachum suum, ut ei se exhibeat qualiter in casu simili fieri consuevit an. 1234 Sabbato I post festum sancti Nicolai, Prob. libert. eccles. Gallic. tom. I, pag. 601.

XIX. Richardus III de valle *de Corjon* natus, memoratur in tabulis an. 1249. Capitulo Carnotensi vendidit anno 1260, die Jovis ante Purificationem B. Mariæ, tres modios vini apud Carnotum in decimis vini, quæ fuerunt quondam Girardi Boëlli. Caput S. Ceciliæ de capsa veteri in vas argenteum transtulit anno 1267. Muris cinxit monasterium. Mortuus nonis Octobris an. 1269, sepelitur in capitulo.

XX. Nicolaus II de Villaribus ex priore de Molendinis factus abbas, sponte cessit an. 1274, & fuit prior de domo *Maugis*, unde rediit Uticum, ubi obiit VI calendas Septembris.

XXI. Willelmus I *de Montpinçon* petita a monachis eligendi licentia electus est an. 1274, & confirmatus a Guidone episcopo qui regalia pro eo a rege postulavit. Hoc autem anno ballivo regis apud Rotomagum declaravit abbatiam

S. Ebrulfi ratione obsequii sui erga regem teneri A mittere loricam ad exercitum, quam mittit dominus *de Baugency* ratione terræ suæ; ob alia vero bona sua ad reddendum duntaxat Deo servitutis religiosæ officium adstringi, quippe quæ in puram eleemosynam data eis sunt, tam a fundatore H. *de Grentemaisnil*, quam aliis, maxime dominis de S. Senerico, de Feritate, de Gaceio, de Merula, quæ omnia fuerunt confirmata in puram & liberam eleemosynam a regibus Angliæ Willelmo, Henrico veteri, Henrico juvene & a Richardo. Cum P. priore Longævillæ societatem iniit anno 1280, & cum Gemeticensibus an. 1281, obiitque nonis Novembris B anni certe ejusdem, quo monachi sancti Ebrulfi eligendi abbatis facultatem a rege postulant in regesto 16 chartarum thesauri.

XXII. Gaufridus II *de Girouart* filius Johannis & Æliciæ, ex priore de Altisago abbas electus, auctoritateque pontificali & ordinaria confirmatus est ab episcopo Lexoviensi, qui an. 1281 regem rogavit ut regalia ei concederet. Memor præsidii sibi olim & monachis Uticensibus concessi a Matthæo de Vindocino abbate S. Dionysii dedit mense Decemb. 1287 ad Reginaldum ejus suc- Chart. VI. f. 188. cessorem literas, quibus participem suarum precum eum faciunt, spondentque pro eo defuncto C missam solennem. Confirmavit an. 1298 fundatam a Simone *d'Alençon* capellano suo missam perpetuam de Spiritu Sancto dum viveret & de defunctis post mortem. Sponte cessit Gaufridus an. 1303, quo capitulum eligendi abbatis a rege facultatem petiit, ex regesto 16 chartarum thesauri.

XXIII. Thomas *du Doet Artus* natus de Valle Corjonis, ex camerario abbas, obiit III calendas Maii 1309 sepultus prope Ricardum de Valle Corjonis.

XXIV. Nicolaus III de Ponte Cardonis de Ductu natus, excepit hominium Johannis *de* D *Courtenay* tutoris Simonis & Mariæ *de Melun* pro Marchevilla an. 1310 Sabbato post Ascensionem. Missam perpetuam pro eo fundavit conventus. Multa pro bono ordine statuit Nicolaus, voluitque ut monachi in feretro sepelirentur. Cessit an. 1316, secessitque in domum *Maugis*, unde reversus Uticum, moritur 24 Februarii, sepeliturque in capitulo prope Richardum de Valle Corjonis & Thomam de Ductu, *ut qui unanimes fuerunt ipsis viventibus & amici, uno quoque sanguine & patria procreati, in morte locali nulla distantia separentur.*

XXV. Radulfus II *Grente* prior de Waris in E Anglia, divina inspiratione ab omnibus monachis nominatus abbas anno 1316, scyphos argenteos eis dedit. Obiit VIII idus Novembris 1318.

XXVI. Richardus IV *de Tiescelin* ex priore claustri abbas, Henrico *d'Avaujour* vendidit an. 1322 in vigilia S. Thomæ apostoli quidquid habebat apud turrim Mabiliam. Excepit anno 1323 hominium Simonis *de Melun* pro Marchevilla. Officium cantoris fundavit an. 1328. Ecclesiam decoravit, majorem turrim plumbo obtexit. In monasterium & fratres beneficus meruit defunctus bis in anno anniversariis sublevari. Obiit IV calendas Junii 1334.

XXVII. Nicolaus IV *Hebert* Morenvilla oriundus, ex priore claustri abbas, decrevit an. 1340 ut festum S. Benedicti eadem solemnitate ac festum Annunciationis festaque SS. Ambrosii & Hieronymi in albis celebrarentur. Monasterium devote ac strenue gubernavit. Cessit 14 Maii 1347, & recessit ad vetus Mesnilium, defunctus 14 Maii 1352.

XXVIII. Elias una cum Guillelmo episcopo Lexoviensi transegit anno 1353 cum priore S. Martini de Vallibus.

XXIX. Johannes de Bosco Genscelini filius Petri & Aliciæ, attulit anno 1358 reliquias S. Ebrulfi. Huic præsidii literas dedit Eduardus III annis regni 32, 33, 34 & 36. Abbatis hujus tempore Johanna *Bacon* dedit S. Ebrulfo Ch. VIII. mense Aug. 1364 quidquid habebat in parochia ccl. 212. sanctæ Crucis de Garentonna. Fundavit anniversarium pro se & parentibus Johannes, qui obiit XVI calendas Octobris 1366.

XXX. Philippus *le Breton* successit anno 5 Urbani V. Societatem renovavit cum Johanne abbate Resbacensi. Ejus tempore Robertus episcopus Ebroicensis indulsit monachis Uticensibus 6 Octob. 1370, ut ad castrum Firmitatis secederent propter ingruentia bella. Quadriennio post domum apud Falesiam locarunt, quam morticinii jure donavit rex mense Decemb. 1374. Ad S. Ebrulfum reversi, monasterium de licentia Caroli V munierunt. Officium infirmarii fundavit Philippus anno 1390, qui obiit 7 Sept. 1392. Quatuor post mensibus Hugo abbas Resbacensis literis datis 7 Januarii 1392 (1393), significavit defunctum Johannem decessorem suum.

XXXI. Guillelmus II *de Vergy* archiepiscopus Bisuntinus & cardinalis tit. S. Ceciliæ ab anno 1391, insequenti a Clemente VII, qui collationem post mortem Philippi sibi servaverat, obtinuit commendam S. Ebrulfi, quam tenuit a Paschate 1392 ad diem 11 Novemb. 1395, quo permutavit cum sequenti priore S. Imerii in Algia.

XXXII. Robertus III *le Tellier* Rotomagensis, monachus Becci & prior sancti Imerii in Algia, permutatione facta cum cardinali factus est abbas a Benedicto XIII, qui commendam revocarat, occurritque jam eo nomine anno I Benedicti XIII, V calendas Augusti, id est 28 Julii 1395. Cameræ apostolicæ solvit 40 florenos 14 Augusti 1396. Huic die 5 Januarii 1405 (1406) scripsit Hugo abbas Resbacensis de duobus monachis qui ad Uticum profecti fuerant. Litem habuit cum heredibus cardinalis de Vergeio, quam abstulit 5 Decembr. 1407. Memoratur annis 1399, 1400 & 1408 20 Aprilis in chartis authenticis *D. de Gaignieres.* Subditos suos verbo & exemplo solerter rexit, ecclesiamque reditibus & bonis ampliavit, defunctus 29 Maii 1408.

XXXIII. Michael Philippi natus de *Airtenvium*, prior de Nogione, factus abbas possessionem iniit 11 Julii 1408. Vir fuit literis cultissimus, facultatis Parisiensis doctor in utroque jure. Encyclicas de morte Roberti decessoris factus abbas dedit literas, quas habes Amplisl. collect. tom. I, col. 1745. Dum Lutetiæ studiis operam daret, a Carolo VI speciali diplomate obtinuit jus evocandi ad senatum Parisiensem omnes qui monachis S. Ebrulfi aliquid negotii facesserent. A summo pontifice delegatus, abbatiæ sancti Martini confirmavit 20 Julii 1414 annexas a Johanne episcopo plures parochias. Occurrit annis 1408, 1412, 1425 & 1433 in collectaneis *D. de Gaignieres*. Salvus conductus ei datus est ab Henrico V Angliæ rege in ducatu Normanniæ anno regni 5, salva gardia in comitatu Orbecensi an. 6, literæ de non molestando abbate ob non præstitum fidei sacramentum anno eodem, nonoque ab eodem rege temporalia ei fuere restituta. Cartusianis quibus Henricus rex circa id tempus tres prioratus Uticensis monasterii in Anglia sitos concesserat, strenue restitit Michael, dataque ad ipsos 27 Octobr. 1416 epistola ut ab incœpto desisterent hortatus est. Cum vero his nil moti Cartusiani per fas & nefas beneficiorum sibi a rege concessorum bonis perfrui conarentur, Michael abbas regem ipsum & Cartusianos ad concilium Constantiense quod tunc temporis congregatum erat appellavit. Multi abbates Normanniæ, quibus similis inflicta fuerat injuria, Michaeli sese adjunxere, plurimas Henrico V & VII obtulerunt literas, sed incassum. Michael quoque ab abbatibus Romam missus, a cardinalibus & summo pontifice obtinuit tum ad Cartusianos, tum ad regem Angliæ regnique proceres literas. Quid inde factum sit ignoratur, nisi quod hereditas nostra versa est ad alienos, quibus postea male cessit. Michael regi fidem juravit 24 Junii 1433. Incarceratus fuit & apud Falesiam obiit X calend. Apr. 1438 (1439). Jacet in capitulo.

XXXIV. Robertus IV *l'Apostole* natus de Magno Saxo, ex subpriore abbas receptus est 14 Maii 1439. Tempus ad recensenda monasterii bona obtinuit 16 Augusti 1442 & 20 Julii 1443. Regi juravit fidem 25 Julii 1450. Superstes 26 Novembris 1457. Obiit pridie calendas Maii 1459. Jacet in capitulo.

XXXV. Guillelmus III *le Seilleys* prior de Curta Haraia, a monachis cum aliis ad regem morantem in oppido Rassilliaci prope Cainonem die 4 mensis Maii 1459 deputatus, electus est. Regi fidem dixit 18 Aug. 1459 & 21 Oct. 1461. Occurrit 15 Februar. 1460, 12 Dec. 1464 & 13 Apr. 1466 in collectaneis *D. de Gaignieres*. De eo legitur in chronico: *Anno 1466 Sept. 22, quod non sine gemitu referimus, obiit vitæ venerabilis dominus Willelmus* Seilleys *quondam hujus cœnobii humilis abbas, quem genuit Uticensis burgus, qui Uticenses structuras ob stragem guerrarum ubique ruinosas magnifice reparavit, nova ædificia construxit, redditus, ecclesiam longe lateque ampliavit. Quid plura! ecclesiam spiritualibus, necnon temporalibus strenue rexit. Postea in itinere Romano* (redeundo) *optimo fine quievit, & in abbatia sancti Sequani, quinque leucis a Divione distanti, juxta portam chori inhumatur ejus corpusculum.*

XXXVI. Jacobus *de l'Espinasse* nobilis Æduensis, monachus Cluniacensis, factus abbas Uticensis, confirmatur a vicariis generalibus Lexoviensis episcopi 2 Dec. 1466. Regi fidem juravit 9 Febr. 1466 (1467); reperiturque annis 1470, 1475 & 1476 17 Dec. Regularium postremus obiit pridie cal. Nov. 1484, sepultusque est in capitulo sub tumba lapidea. Cesserat ante mortem in gratiam sequentis, assignata sibi pensione in omnia monasterii beneficia.

XXXVII. Augerius *de Brie* canonicus Carnotensis & Cenomannensis, licentiatus in legibus, protonotarius apostolicus, primus abbatiam sancti Ebrulfi in commendam obtinuit, cujus possessionem ut coadjutor iniit 21 Apr. 1477. Insequenti fidem juravit regi 24 Apr. 1478. Cum Jacobo decessore plurimas habuit lites, demumque compositionem fecit, qua Antonius *de l'Espinasse* sacrista Silviniacensis in diœcesi Claromontensi priorque de Parnis opima in abbatiam pensione potiebatur anno 1487, & præsentabat ad tertiam partem beneficiorum. Carolo VII fidem juravit Augerius apud *Montils-les-Tours* 17 Febr. 1483. Ejusdem ad preces Georgius *d'Amboise* archiepiscopus Rotomagensis & sedis apostolicæ legatus abbatibus S. Ebrulfi indulsit facultatem pontificiis vestibus utendi & tonsuram conferendi 12 Maii 1502, quæ facultas suum non sortita est effectum propter commendam. Cessit Augerius simul abbas Latiniacensis, die 6 Maii 1503, & Romæ decessit ineunte Octobri 1503, al. 1504, post 28 annos commendæ.

XXXVIII. Felix I *de Brie* Augerii nepos, decanus Cenomannensis & protonotarius apostolicus, commendam S. Ebrulfi a Julio II obtinuit die 11 Decemb. 1503, vacantem per cessionem Georgii *d'Amboise* cardinalis archiepiscopi Rotomagensis, cui eam dimiserat Augerius die 6 Maii 1503, ut ad nepotem transferret cardinalis. Æmulum tamen passus est Felix Guillelmum *de Hellemvillier* monachum sancti Ebrulfi postea abbatem Ibriacensem, qui a monachis electus, a vicario generali confirmatus est. Jus suum uterque aliquandiu tueri conatus est. At scacarii Rotomagensis edicto 4 Januarii anni 1505 (1506) Felici adjudicata est commenda, qui pacifice gavisus non est ante annum 1509. Interim Godefridus *Hebert* Constantiensis episcopus & protopræses parlamenti Rotomagensis, qui pendente lite Uticum venerat, ut de sequestri ordinaret, statuit ut 30 scuta aurea, quæ sibi hanc ob rem debebantur, ad testitudinem chori conficiendam impenderentur, quæ anno 1505 absoluta est. Felix autem post diuturnas cum monachis lites pro restauranda & reformanda abbatia, superstes adhuc 3 Septembris 1546, obiit 23 mensis ejusdem.

XXXIX. Gabriel *le Veneur* episc. Ebroicensis, abbas

abbas Liræ, Grestani, priorque S. Imerii, sancti Ebrulfi commendatarius, possessionem iniit 28 Dec. 1546, & obiit 24 Januarii 1574.

XL. Antonius I *Ebrard de S. Sulpice* possessionem adeptus 21 Martii 1575, reperitur 4 Junii & 20 Novembr. factus est anno sequenti episcopus Cadurcensis, ubi vide.

XLI. Ludovicus *d'Est* cardinalis fato functus est anno 1586.

XLII. Antonius II *de Roquelaure* œconomi titulo possedit abbatiam, cujus administrationem cuidam nomine Sarroni commisit, & reditibus fruitus est ab an. 1588 ad annum usque 1595. Multa tum passi sunt Uticenses, quorum calamitatibus mota ducissa Nemosiensis soror cardinalis Ludovici *d'Est*, legitimum abbatem nominari procuravit. Fuit ille

XLIII. Franciscus I *de Saquepée de Selincourt* presbyter Ambianensis, domus ducissæ præfectus, commendam jam tenebat anno 1596, ut patet ex duobus actis 21 Julii & 11 Decembris anni ejusdem. In gratiam regis reversus, obtinuit ut causæ suæ ad majus consilium evocarentur 24 Februarii 1597, quod dictum approbavit consilium 1 Aug. Bullis donatus ultima Martii 1597, possessionem per procuratorem apprehendit 13 Julii anni ejusdem, relictisque omnibus mundi curis, Uticum secessit, ubi ruinas reparavit & sedilia chori refecit. Disciplinæ monasticæ zelator eximius divinis officiis interdiu noctuque primus aderat, labore manuum exercebatur. Verbo tandem & exemplo ad observantiam regulæ quam professus non erat, monachos ei voto adstrictos sedulus hortabatur. Obiit v calendas Martii 1613. In capitulo sepultus jacet.

XLIV. Carolus I *Chaliveau de la Bretonniere* regi a consiliis & eleemosynis, & præfectus domus ducis de Nemosio, ejus favore adeptus commendam S. Ebrulfi anno 1615, a rege quoque obtinuit ut causæ suæ ad consilium majus evocarentur ultima Februarii 1623, quod consilium approbavit 27 Junii. Multas possessiones quæ alienas in manus transierant, recuperavit, inde dictus benemeritus abbas in tumba pone majus altare, ubi sepultus est, obiit autem IX calendas Decembris 1625.

XLV. Nicolaus V *Haligre* filius Stephani Franciæ cancellarii, jam abbas S. Jacobi Pruvinensis, priorque S. Jacobi de Piramilio, commendam Uticensem annos natus 16 obtinuit. Bullis donatus 26 Dec. 1625 possessionem per procuratorem apprehendit 21 Martii sequentis. Congregationis sancti Mauri monachos Uticum induxit 14 Decemb. 1628, obiitque in finibus Hispaniarum captus ab hostibus 26 Oct. 1638.

XLVI. Antonius III *Barberin* nepos Urbani VII, cardinalis episcopus Prænestinus, archiepiscopus Remensis, majorque Franciæ eleemosynarius, abbas Uticensis nominatus ultima Martii 1639, bullas obtinuit 12 Nov. anni ejusdem. Possessionem per procuratorem iniit 14 Martii 1640. Obiit 3 Augusti 1671.

XLVII. Guillelmus IV *Egon* cardinalis *de* A *Furstemberg*, Uticensis abbas nominatus 24 Oct. 1671, possessionem iniit 6 Februarii 1672. Cessit anno 1689 in gratiam sequentis, obiitque Parisiis 10 Aprilis 1704, ætatis 75.

XLVIII. Felix II *Egon* princeps *de Furstemberg*, Guillelmi nepos, renunciatus 2 Febr. 1689, obiit mense Augusto 1695, etiam abbas Barbelli.

XLIX. Franciscus II *Gobert* comes *d'Apremont* & *de Reckeim*, canonicus Argentoratensis & Coloniensis, podagra moritur anno 1702 circa Natale Domini.

L. Carolus-Philippus *Gobert* Francisci germanus, B canonicus Argentinensis & Coloniensis, a rege in vigilia Paschæ 1703 nominatus abbas, obiit mense Sept. 1719, etiam abbas Barbelli.

LI. Carolus II *de S. Albin* abbas sancti Audoëni Rotomagensis, nominatur a rege sancti Ebrulfi Uticensis 8 Jan. 1721, inde archiepiscopus Cameracensis, &c. Vide tomos VII, col. 544, IX, col. 559, & XI, col. 155.

BERNAICUS.

POsitum est Bernaicense sanctæ Mariæ monasterium ad Carentonam fluvium, qui per rivos in canales deductus cœnobium interfluit. C Judithæ Conani junioris Britanniæ ducis filiæ & Richardi II ducis Normannorum primæ uxori prima debet incunabula. Hæc enim auctore Guillelmo abbate Fiscannensi de bonis a marito concessis monasterium in honorem beatæ Mariæ inchoavit in loco qui *Bernaicus* priscorum dictus est vocabulo, sed morte interveniente an. 1024, perficere non potuit. Piæ conjugis obsecundans consilio Richardus illud Willelmo Fiscannensi abbati perficiendum & monasticis institutis informandum commisit, perfectumque impense dotavit solenni diplomate dato apud Fiscannum an. 1025, non an. 1027, indict. quippe VIII, D regnante Roberto anno 38, annuentibus filiis suis Richardo atque Roberto archiepiscopo, Roberto, aliisque provinciæ episcopis & proceribus. Diploma habes in Neustria pia p. 398. Subsecutis deinde Gallos inter & Anglos bellis, gravia sunt passi detrimenta Bernaicenses, graviora a perduellibus calvinistis, qui monasterium ac urbem expilarunt anno 1563. Gravissima in urbis obsidione an. 1590 a fœderatis militibus, qui monasterium magnamque urbis partem incenderunt. Pace reddita, ut ædificiis moribusque restitueretur honos, Drogo *Hennequin* plurimum laboravit, reformatosque sancti Mauri E monachos appellavit anno 1628, qui dejectos relevarent muros, religionemque avitam revocarent. Bernaicensi monasterio non statim abbas præfuisse videtur: nam Guillelmus abbas Fiscannensis Judithæ quidem locandorum fundamentorum auctor fuit, ipsique ab origine perficiendum monasticeque ordinandum a Richardo Normannorum duce commissum est monasterium. At Bernaicensis abbas fuisse non legitur, sicut nec Radulfus, nec Theodericus, qui a Roberto de Monte monasterii custodes, id est procuratores

seu œconomi dicuntur, minime vero abbates. At dum monasterii res curare debuissent, Radulfus dedit Bellum-montellum Hunfrido de Vetulis, factus postea abbas sancti Michaëlis, & Theodericus medietatem burgi Bernaici patri Rogerii de Montegomerici, quæ in Alenconiorum comitum manus delapsa, comitatus titulum accepit: unde abbatem inter & Petrum Alenconii comitem lis exorta Philippi regis auctoritate comprimitur anno 1280, definiturque conditum a Richardo duce cœnobium regi Francorum domino Normanniæ subjectum esse. Custodum hujus modi officium brevi excidit totaque monasterii administratio penes solos abbates remansit, quorum nonnulli e Fiscanno quasi e matre educti sunt. Illorum hæc fere est series.

ABBATES.

I. VITALIS Fiscannensis monachus, primus Roberto de Monte fuit abbas Bernaici, Uticum ad tumulandum amicum suum Osbernum abbatem accessit an. 1066. Bellobeccense prædium ubi constituta sancti Michaëlis cella a Rogerio *Porchet* aliisque nobilibus excepit, non quidem an. 1061, uti ferunt editæ apud Arturum donationis literæ, sed cum Willelmus Anglorum rex apud Illebonam in concilio moraretur. Subscripsit literis ejusdem pro fundatione

Chart. III. col. 66.

prioratus Plessæi Grimoldi. Cum autem abbatiam de Bernaico ex minimo multum sublimasset, dignus visus est Angliæ conquæstori abbatia de Westmonasterio, quam de licentia abbatis Fiscannensis jam senis, qui ægre annuit, ei regendam commisit Willelmus. Vide Analecta Mabillonii tom. I, pag. 219 & seqq.

II. Osbernus Vitalis germanus, Troarnensis monachus, a Willelmo rege est electus cum bona venia Johannis abbatis Fiscannensis, qui assensum præbuit ea lege, ut accepta licentia ab abbate Troarnensi Osbernus fieret monachus Fiscannensis, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti & ordinem profiteretur. Exsequiis Guillelmi conquæstoris apud Cadomum sepulti anno 1087 interfuit.

III. Robertus *Noé* omissus a Roberto de Monte innotescit ex ejus epitaphio, in quo anno 1128 die 1 Nov. obiisse legitur in Neustria pia. Sunt qui & epitaphium & Robertum recentiorum esse temporum autumant.

IV. Nicolaus Fiscanni monachus solo nomine cognoscitur.

V. Richardus I Fiscanni quoque monachus dissidium habuit cum Henrico abbate Fiscannensi, a quo pendere recusabat, quos an. 1142 conciliavit Lexoviensis episcopus Arnulfus, statuens abbates Bernaici e gremio Bernaici aut Fiscanni deinceps assumendos, coram testibus Hugone archiepiscopo & abbatibus S. Audoëni fraterno, S. Trinitatis de Monte Walterio, de Blangiaco Gissleberto & Fulcone decano Lexoviensi. Quos Bernaicus in capella sancti Marcelli possidebat agros, permutavit Richardus cum

A Galeranno comite Mellenti pro fundanda abbatia de Voto. Defunctum ferunt Richardum anno 1169, ex Roberto de Monte.

VI. Goscelinus ex monacho Becci abbas Bernaici, memoratur 15 Augusti in necrologio Becci.

VII. Guillelmus I Beccensis quoque monasterii alumnus, litem cum Guillelmo abbate de Voto subortam compescuit ac hominem exuit XIV calendas Novembris. Incertum Guillelmone an Gauscelino rebus humanis exemto, Arnulfus Lexoviensis antistes literas ad Bernaicenses monachos scripserit, quibus electionem illorum

B *indulgentiore gratia prævenisse* se testatur, conquestus missum *ad assignandam diem benedictionis nuncium sine literis, nec moribus gravem, nec ætate* qui præsulem *superbis non timuit irritare sermonibus.* Omnia tamen se facili negotio compositurum pollicetur.

VIII. Secundus dum præesset, lis composita fuit Bernaicenses inter & Cernaienses super quibusdam juribus suis per G. de Ursicampo, G. de Valle sanctæ Mariæ & V. de Frigido monte abbates an. 1192. Desiit Secundus an. 1203.

IX. Richardus II *de Moiaz* transegit cum Vincentio abbate de Valassia anno 1204, præ-

C sente Roberto comite Mellenti. Occurrit adhuc 1220 in chartis Mortui-maris.

X. Galterius querelam habuit pro decimis de Toënio cum monachis Conchensibus, quibus adjudicatæ sunt ab R. Ebroicensi episcopo anno 1226.

XI. Guillelmus II vita functus est an. 1227.

XII. Laurentius I *le Trecalier* mortem oppetiit die 24 Maii 1264, ex epitaphio quod dedit Arturus.

XIII. Gillebertus *Chouquet* monasterii alumnus & eleemosynarius, abbas electus a monachis, ab episcopo Lexoviensi confirmatus est, qui

D regem rogavit literis apud Tibervillam die Mercurii post *Quasimodo* anno 1277 datis, ut eum monasterii regalibus dignaretur.

XIV. Guillelmus III interfuit dedicationi ecclesiæ Beccensis anno 1342.

XV. Stephanus obiit anno 5 Urbani V, die 11 Januarii 1367.

XVI. Guillelmus IV *Viard* electus anno eodem, præerat adhuc 11 Septembris 1375, ex chartis authenticis *D. de Gaignieres.*

XVII. Guido *de Roffinhac* sedebat an. 1389, ex instrumento illius temporis; inde abbas Crassensis an. 1394, ut diximus tom. VI, col. 961.

E XVIII. Bego *de Murat* nobilis Arvernus, decretorum doctor, prior B. Mariæ de Ellencuria abbasque B. Mariæ de Bernaico, fit rector collegii S. Martialis Avenionensis die 10 Martii 1384 ad annum 1395. Procurator generalis & vicarius Johannis abbatis Cluniacensis, pro eo cameræ apostolicæ solvit 7 & 23 Junii 1394, & ab eo delegatus fuit cum Fulcone *de Blandes* priore sancti Martini a Campis ad visitanda & reformanda monasteria ordinis Cluniacensis.

XIX. Bertrandus *de S. Bausille* abbas erat

4 Septembris 1406, ex regestis cameræ computorum Parisiensis. A

XX. Pontius *Pignon* calendis Decembris 1422 via juris privatus est.

XXI. Simon I *de Gonnelle* granatarius & gubernator monasterii, electus est abbas 23 Junii 1422, indict. 1, Martini V anno 6, ejusque electio significata fuit episcopo Lexoviensi. Nondum confirmatus erat anno 1424 in Paschate. Moras ad præstandam regi fidem obtinuit annis 1432 & 1434, quam præstitit 1449. Interfuit scacario 1453. Ludovico XI novo regi sacramentum præstitit 1461, eodemque societatem iniit cum Corneliensibus. Annum 1463 B in Paschate agebat ætatis suæ 80. Obitum ejus necrologium refert ad Decemb. ultimam diem.

XXII. Guillelmus V *de Flocques* ab anno 1447 episcopus Ebroicensis, moritur 23 Novembris 1464.

XXIII. Richardus III *Boschage* regi jurat fidem 4 Maii 1465. Scacario Rotomagensi præsens fuit anno 1469, ibique procuratorem cardinalis Constantiensis adversarium passus est, qui Bernaici administratorem cardinalem contendebat. Vicit Richardus, qui anno 1474 iterum scacario adfuit. Biennio ante 1472 suo & 14 monachorum nomine conventionem firmavit C cum lanificis operis de titulo magistri & de jure civis Bernaicensis obtinendo per literas ipsimet abbati vel priori seu ballivo sistendas sub assium duodecim mulcta. Moritur Richardus 1476, & ad dextram altaris S. Stephani partem sepelitur.

XXIV. Johannes *de la Chapelle* abbas scribitur in literis anno 1481, simulque vicarius S. Petri Carnotensis 10 Octobris 1482. Regi fidem juravit 8 Maii 1484. Commendatarius erat Novigenti anno 1486. Defunctus est die 13 Junii an. 1488, ex Corneliensi necrologio.

XXV. Simon II *de Sallois* occurrit 29 Novembris 1492 in chartis prioratus Vallis D infirmorum. Anno 1497 annuente conventu partem horti monachorum permisit civibus ad sternendam molendinum petituris viam. Idem vicum augendæ sanctæ Crucis ecclesiæ concessit. Die 11 Aprilis locum habet in Corneliensi necrologio.

XXVI. Ludovicus *des Haulles* vir spectatæ pietatis, exornandæ domus Dei studiosissimus, exquisitis picturis & sculptis iconibus ac multa supellectile basilicam ditavit, præfuitque ab anno 1499 ad 1524, & adfuit scacariis annorum 1502, 1503 & 1505.

XXVII. Franciscus *Bohier* decanus Turo- E nensis & præpositus Normanniæ in ecclesia Carnotensi, primus commendam obtinebat anno 1524. Insequenti & 1526 adfuit comitiis Normanniæ a domina regente Franciæ deputatus mense Martio. Ex coadjutore Dionysii *Briçonnet* episcopus Maclovienfis, Francisco regi obsequium præstitit 5 Januarii 1534.

XXVIII. Antonius *Vialart* professione monachus, prior erat sancti Martini a Campis & abbas de Bernaico, quando factus est archiepiscopus Bituricensis anno 1572. Sic implevit dignitatem, ut tamen propositum monachi habitumque non exuerit, meliore seculo dignus.

XXIX. Thomas *Bohier* dominus *de Nazelles*, &c. decanus Turonensis, Francisci Maclovienfis & Egidii Agathensis episcoporum germanus, abbas & baro erat Bernaici 11 Martii 1575, id est 1576, in regestis Parlamenti Parisiensis.

XXX. Aymarus *Hennequin* primo canonicus & consiliarius Parisiensis, dein Rhedonensis episcopus anno 1575, illatas monasterio clades sarcivit, & obiit anno 1596.

XXXI. Hieronymus *Hennequin* Suessionum episcopus, capellam suam Bernaicensi monasterio vivens reliquit anno 1619.

XXXII. Drogo *Hennequin*, dictus *de Villenoce*, senator Parisiensis a die 12 Aug. 1598, recusato Suessionensi episcopatu, thesaurarius & abbas dici maluit. Optime de Bernaico meritus, congregationis S. Mauri monachos anno 1628 admisit, ingentique piorum omnium desiderio migravit a seculo 7 Martii 1651, ætatis 77, consiliariorum clericorum decanus.

XXXIII. Franciscus, al. Henricus *Feydeau de Brou* Drogonis ex sorore nepos, senator Parisiensis, obiit anno 1666.

XXXIV. Leo *Potier de Gesvres* cardinalis presbyter, commendator ordinis sancti Spiritus, quondam archiepiscopus Bituricensis abbasque S. Remigii Remensis, S. Amandi, Crispiniensis ab anno 1725, & Bernaicensis ab anno 1666, obiit Parisiis 12 Nov. 1744, annum agens 88.

XXXV. Johannes - Baptista - Josephus *Languet de Gergy* doctor sorbonicus, parochus sancti Sulpicii Parisiensis, nominatus est a rege mense Maio 1745. Obiit apud Bernaicum 11 Octobris 1750, inde Luteciam translatus, sepultus est in ecclesia sancti Sulpicii 15 ejusdem mensis.

XXXVI. N. *de Poudens* delfinæ ab eleemosynis commendam obtinuit, a rege nominatus mense Nov. 1754, & Romæ propositus 17 Februarii 1755.

5 Johannes *Hennuyer* abbas Bernaici fuisse dicitur, qui Lexoviensis episcopus factus est anno 1560.

PRATELLUM. PREAUX.

IN angusto montium intervallo haud procul a Ponte Audomari positus est locus, quem veteres Pratellos, alii Pratellum vocant, ubi antiquitus monasterium stetit, cui Ansegisus Fontanellensis abbas imperante Ludovico pio quindecim solidos legavit. Hoc monasterium Danica tempestate, ut alia illis in partibus fere omnia, solo æquatum instaurare, imo a fundamentis erigere aggressus est nobilissimus miles Humfredus (Charta I. col. 199.) nomine, cognomento de Vetulis, Turoldi filius, in proprio fundo Pratellis dicto, suffragante conjuge Albereda, in honorem sancti Petri, & liberaliter dotavit. Quamobrem accersito Gradulfo Fontanellæ abbate cui valde familiaris erat,

ejus consilio novi monasterii ædificia disposuit, A brevique multum promovit eidemque locum regendum commisit. Mox adducti e Fontanella monachi quibus sui vice Gradulfus præfecit Ansfridum abbatem. Tempus conditi cœnobii discimus ex charta ipsius Humfridi, qui annuente piissimo Roberto Normanniæ marchione & Willelmo ejus filio, consentientibus etiam filiis suis & conjuge, apud quamdam mansionem suam nomine Pratellum abbatiam antique destructam in honorem S. Petri apostolorum principis restruxit ac dotavit, concessis Pratellensi mansione, Torivilla, Merlini monte, Sellis, Campiniaco & decima villæ quæ Boscus Osberni B vocatur, aliisque. Id factum proinde ante annum 1035, quo Robertus princeps in Jerosolymitano itinere decessit. Rogerius de Bellomonte Humfridi major natu filius ex Adelina uxore, Mellenti comes, paternam virtutem æmulatus, cœnobium a patre inchoatum perfecit, assentiente Rotberto fratre, magno Normanniæ senescallo, qui velut alter monasterii conditor laudatur ab Orderico; contulit insuper Rogerius decimam partem redituum Pontis Audomari adjectis ecclesiis ejusdem urbis, tum aliis, Hispaniæ, Manichivillæ, Salerniæ & Combonii, cum omnibus terris & decimis ad eas pertinentibus. Robertus C Leicestrensis & Mellenti comes Rogerii filius ejusque frater Henricus comes Warvicensis octo parochias in Anglia concesserunt cum jurisdictione temporali, qua ditionum illarum incolæ sub dominio essent Pratellensis abbatis & in ejus obsequio totam vitam ducerent. Gualerannus Rotberti filius idemque Mellenti comes prædictis donationibus addidit decimam salmonum & aliorum piscium in Risla fluvio captorum cum annua duorum dierum piscatura atque decimam septimanam totius reditus Pontis Audomari per terram & per aquam, & ut jugiter in capitulo lampas arderet ante corpora parentum suorum D ibidem tumulata, viginti solidos annui reditus addixit. Robertus comes Mellenti Gualeranni filius dedit decimam septimanam piscaturæ, viginti vineæ acras apud Mulanchum cum iisdem quibus in Mellenti comitiva potiebatur juribus & prærogativis. Henricus I rex Anglorum & Normanniæ dux, hanc abbatiam ab omni teloneorum, consuetudinum & passagiorum onere liberam fecit: fecit & Henricus II; itemque adepta Normannia confirmavit Philippus-Augustus Francorum rex. S. Ludovicus an. 1257 facultatem concessit erigendi mercati, tum anno 1269 immunitatem ab omni pedagio & alia E consuetudine pro vinis adducendis per Sequanam dedit, quam postea ratam habuerunt Philippus & Carolus Francorum reges. Lexovienses episcopi decimas & proventus sex ecclesiarum in diœcesi positarum contulere, quarum decimis ad nutum locandis Innocentius III an. 1199 literas in libro III Decretalium editas concessit. Ejusdem monasterii bona datis etiam literis roborarunt Alexander III an. 1170, & post Innocentium III Honorius pariter III anno 1221.

Inter sepulturas insigniores apud Pratellum recensentur Turoldus fundatoris parens, Hunfredus de Vetulis, Rogerius & Robertus Hunfredi filii, Robertus & Henricus Rogerii filii, Gualerannus Roberti filius cum filio suo Petro & Baldricus ex abbate Burguliensi archiepiscopus Dolensis. Triginta sex olim numerabantur ecclesiæ parochiales monasterio subjectæ, quæ ad 28 reducuntur, ex quo reliquæ Anglicanis sunt a regibus occupatæ. Insignis est Pratellensium in clerum Pontis Audomari prærogativa, nulli ut liceat citra nutum eorum intra vel juxta muros urbis sacerdoti domicilium præbere, vel alterius ordinis religiosos aut sanctimoniales admittere, seu quaslibet in posterum ecclesias aut capellas ædificare. Hinc anno 1499 Minoritis facultas datur conventum intra urbem construendi. Eadem Ursulinis virginibus facta libertas anno 1667, quibus Benedictinæ S. Amantii moniales paulo ante præiverant, at minus fausto exitu. Quod spectat ad eventus varios, humana omnia passum est Pratellum tam ab Anglis & Calvinistis, quam a diebus deterioribus & morum pravitate. Sed omnia nova fecit congregatio sancti Mauri illuc inducta anno 1650.

CATALOGUS ABBATUM.

EIMARDUS, seu Evrardus, primus loci œconomus sub Gradulfo Fontanellæ abbate Pratelli ordinatore, seu etiam sub Ansfredo primo Pratelli abbate fuerit per me licet; at abbas non fuit, mortuus III cal. Januarii 1044. Sepelitur intra murum claustri ecclesiæ contiguum. Hujusce tempore, regnante adhuc puero Willelmo Roberti comitis filio duo fratres Gislebertus & Turstinus S. Petro Pratellensi dederunt duodecim acras terræ pro anima sororis suæ Bensceline.

I. Ansfredus I monachis e Fontanella adductis primus a Gradulfo abbate sui vice præficitur abbas. Hunfridum fundatorem monastico induit habitu. Ab Odone Bajocensi episcopo impetravit terras sancti Petri quas invaserat anno 1047. Enatam cum abbate S. Salvatoris Vicecomitis litem an. 1051 amice composuit. Berengarium ad monasterium suum appellentem ut humanissime excepit anno 1050, sic errores suos disseminantem tanquam blasphemum ac perfidum statim repulit. Cum aliis Uticum convenit anno 1056 abbatem cum priore conciliaturus pacemque inter eos reformavit. Anno 1063 Normannicus dux per consilium Ansfredi Osbernum Cormeliensem priorem Uticensibus imposuit. Anno 1074 decessit Hunfridus de Vetulis fundator paulo postquam monasticum induerat habitum. Quadriennio post Ansfredus ipse meritis onustus obiit XVI calendas Aprilis 1078, appositusque est ad ostium basilicæ. Ejus epitaphium ita refert Ordericus:

Ecce sub hac tumba tegitur sine felle columba,
Abbas Ansfridus, vir probus atque pius.
Pervigil implebat quod lex divina jubebat,
Ejus consilium quæ fuit & studium.

Debilibus, dubiis, cæcis, claudis, peregrinis
Tectum, pes, oculus, consilium, baculus.
Triginta Phœbus cum decidit iste diebus
Torruerat pisces, cui Deus est requies.

Ansfredo nuncuparunt Robertus de Tumbalenia commentarium in cantica canticorum, & Durandus opus adversus Berengarium.

II. Guillelmus I a Roberto de Monte prætermissus, Rogerio de Bellomonte & Roberto fratri ejus acceptissimus fuit. Ab illis aucta monasterii res nonnullos movit ut utrumque pro conditore agnoscerent. Denique Rogerius postea quam Pontis Audomari parochialem ecclesiam Guillelmo restituendam curasset, monachum ut pater induit, & ad finem in sancto proposito perseveravit. Guillelmus vero abbas post 18 annos regiminis devixit IV idus Dec. 1096. Jacet in sarcophago parieti exciso ad dextrum sanctuarii latus.

III. Gaufredus, seu Goisfredus, a S. Gilberto Fontanellensi educatus, religione præcelluit, ex Orderico. Multis procerum donis cumulatus, basilicam absolvit, ejusque dedicationem procuravit XVI calendas Novembris. Demum anno 1101 exstinguitur III calend. non Decembris, sed Septembris, sepultus in claustro.

IV. Richardus I de Furnellis dictus a patria vel genere, de Bajocis a professione nuncupatus est, quam in Bajocensi sancti Vigoris cœnobio emiserat sub abbate Roberto Tumbaleniensi, quo ad Montem sancti Michaëlis cujus cœnobita erat reverso, novellus grex brevi dispersus est. Unus ex illis Richardus ut erat sciendi avidus, doctos monachos quæsivit, in quorum contubernio aliquandiu habitavit. Mortuo Gaufredo, ad regimen illius abbatiæ evocatus est. Huic an. 1106 Robertus filius Hunfridi Pincernæ dedit terram quam habebat in Hispania. Baldrici Dolensis antistitis necessitudine usus, multa cum illo de scripturarum sensu conseruit. Ivonis etiam Carnotensis fultus amicitia, literas ab eo petiit ad Robertum Mellenti comitem, ubi commendata ejus prudentia & religione, quod in revocandis monasterii possessionibus elaboraret maxime probatur & comitis postulatur auxilium : nec ille defuit auxilio, sed collatis sæpe beneficiis Pratellum ditavit, ubi & terræ mandatur an. 1110. Mox comitiis nobilium Rotomagi sub Goiffredo metropolitano anno 1118 habitis interfuit Richardus, qui & Gualerannum comitem Roberti filium avitas donationes probantem excepit, atque Baldricum Dolensem sepultura donavit, Willelmo Beccensium abbati supremum diem obeunti succurrit an. 1124. Cumque prudenter & pie rexisset commissum sibi gregem totos 30 annos, ætate confectus migravit anno 1131 III calendas Februarii. Jacet ad parietem capituli cum hoc epitaphio :

Lux, flos, vas, patriæ, monachorum, philosophiæ,
Abbas Richardus, tota domus jacet hic.
Quidquid contexit lex, ejus lingua retexit,
A *Et veterum quidquid implicat, explicuit.*
Qui febri ternas assignat morte calendas.
Cui Deus perpetuum vivere, vita Deus.

Divinis literis eruditissimus fuit Richardus, inquit Ordericus Vitalis, *præceptoribus usus Anselmo Beccensi, Gerberto Fontanellensi & Gontardo Gemeticensi, per antiquorum vestigia patrum psallens ab adolescentia cucurrit, famelicisque pueris ænigmaticum panem in domo Domini benigniter fregit..... Commentarium super Genesim Mauricio S. Launomari Blesensium eruditissimo abbati,* seu Anselmo Cantuariensi archiepiscopo *edidit, & aliud* B *domno Adelelmo eruditissimo presbytero conscripsit, Flaviacensi monacho, qui cum Fiscamnensibus sanctæ Trinitatis reverenter militans consenuit. Egregio Cluniacensium abbati Poncio eximiam explanationem super parabolas Salomonis contexuit, aliisque venerabilibus personis Ecclesiasten & cantica canticorum ac Deuteronomium luculenter exposuit, multosque tractatus super obscura prophetarum problemata allegorice seu tropologice disseruit.* Hæc omnia cum pluribus aliis Pratelli servata sunt ad annum plus minus 1630, quo distracta fuere. Aliquanta pars impluvio ferme corrupta, postea reddita est, latetque in Pratellensi & Sangermanensi bi- C bliothecis.

V. Richardus II de Comitisvilla successit ad 15 annos. Virtutibus ac divitiis pollens præfulsit in annum 1146 vitæ postremum, sepultusque est in claustro in parlamento sacerdotum.

VI. Reginaldus ex monacho Fontanellensi creatus abbas, sexto regiminis anno decessit pridie non. Martias an. 1151 (1152), & Fontanellæ sepultus est.

VII. Michael *de Tourville* Beccensis monachus in festo sancti Thomæ dicitur abbas an. 1152. Decem solidos annui proventus ex patrimonio contulit in precem annuam an. 1153. Roberti D de Torinneio, seu de Monte S. Michaëlis, benedictioni præsens fuit anno 1154. Gualerannum Mellenti comitem collatis donis beneficentissimum 1155, viginti ante obitum diebus monastica veste contexit an. 1166. Ipsemet superstes in annum 1168, devixit XVIII cal. Januarii, humatus in claustro, in arca quæ est in pariete navis inter sacellum B. Mariæ & parlamentum sacerdotum.

VIII. Henricus I Becci quoque monachus & hospitum procurator, jam sedebat abbas anno 1168. Ab Alexandro III jurium ac bonorum confirmationem accepit anno 1179. Cum Ro- E gerio de Salmonisvilla sancti Salvatoris abbate pacem redintegrarat anno 1172. Bibliothecam sacris aliisque permultis codicibus fecit ampliorem. Commemoratur in catalogo abbatum qui ad bellum sacrum & transmarinum suppetias promiserunt. Multorum nobilium curato funere vitam & ipse clausit anno 1182, memoratus, si non alter, 20 Aprilis in necrologio sancti Georgii.

IX. Osbernus, sive Osbertus, mox electus an. 1182, cum Willelmo Mortui-maris abbate

litem sedavit præsente Radulfo Lexoviensi episcopo. Bullam obtinuit a Cœlestino pontificatus anno 4, & ab Innocentio III pontificatus 2.° Subscripsit conventioni inter Galterium archidiaconum Rotomagensem & Richardum I Angliæ regem an. 1196. Sepultus est in capitulo.

Ch. xxvi. col. 29.

X. Guillelmus II jure vel injuria dicitur remissioni laxasse habenas, sed vereor ut in Guillelmum III melius cadat hæc vituperatio. Circiter annum 1205 desiit.

XI. Thomas anno 1208 legendarium scribi curavit, dormitorium instauravit, reique domesticæ curam gessit ad annum 1216. Idibus Februarii consumtus, tumulatur in capitulo.

XII. Adam eodem anno creatus abbas, incertum quamdiu præfuerit. Memoratur 13 Julii in necrologio sancti Georgii.

XIII. Bernardus *de Combon*, male in editis *de Courbon*, Beccensis monachus, anno 1224 cum Ludovico VIII Francorum rege pactum edidit in Neustria pia relatum. Post triennium chartas in unum corpus redigi, describi & colligari jussit. Venit de Anglia an. 1227. Excepit hominium Adami filii Odonis Castellani Bellovacensis pro feodo quem ab ipsis Pratellensibus tenere debebat. Sedebat adhuc an. 1228. Obiit die festo S. Marci ex ejus epitaphio, sepultusque est in meridionali latere sanctuarii, memoratus 24 Aprilis in necrologio sancti Georgii.

XIV. Aufredus II annis 1234 & 1239 locum habet in tabulis. Tumulatur ad ingressum capituli.

XV. Bartholomæus in altero chartario notatur annis 1241 & 1248. Obitum ejus antiquum breviarium signat ad IV calendas Junii, & necrologium S. Georgii 30 Maii.

XVI. Aufredus III anno 1251 mense Maio in chartis sancti Salvatoris. Anno 1260 cum rectore beatæ Mariæ de Pratellis pactum iniit. Sepultus est die Veneris post Exaltationem S. Crucis 1266.

XVII. Willelmus III de Hamello die eadem electus, reperitur annis 1272, 1280, 1281 & 1282. Is ipse, sin minus superior, fuit Guillelmus qui regularem disciplinam adeo labefactavit, ut inde timens excommunicationem, Romanum pontificem adierit, a quo vinculis solutus & in remissiori vivendi genere confirmatus legitur in diplomate MS. cujus scriptura ad huncce Guillelmum verius accedit. Ex epitaphio quod edidit Arturus, Guillelmi mors in VIII calend. Julii an. 1284 incidit. Sepultus est ad ingressum capituli. Eodem anno Pratellenses monachi abbatis eligendi facultatem a rege petiere, ex regesto 16 chartarum thesauri, petitionemque suam renovarunt anno 1297.

XVIII. Robertus I *Houel* scribitur in chartariis annis 1297, 1313 & 1314.

XIX. Radulfus *Morel* notatus anno 1320 supellectilem sacram auxit, docente pluviali quod acu textam imaginem ejus refert. Memoratur 29 Januarii & 28 Junii in necrologio sancti Georgii.

XX. Robertus II *Lionel* monasterium novis ædibus decoravit, uti probant gentilitia scuta multis in locis exstantia. Conditoris Humfridi sarcophagum e navi in chorum transtulit. Post annum 1331 mortuus est.

XXI. Henricus II anno 1337 vitam exegisse creditur.

XXII. Johannes I *de Carretot* anno 1339 præerat, docente Guillelmi Lexoviensis actu visitationis, quo sacræ reliquiæ solenni ritu sunt recognitæ. Anglorum regi cessit Johannes quidquid ultra mare Pratellensis erat ditionis, dummodo parem reditibus illis summam intra Normanniæ fines colligendam reciperet, frustra. Devixit anno 2 Innocentii VI, 1353, laudatus in epitaphio, quod in Neustria pia prodidit Arturus. Sepultus est ante aram S. Benedicto sacram.

XXIII. Guido ex abbate S. Crucis de Saxovivo diœcesis Fulginatensis, abbas Pratellensis, in literis annum 1356 præferentibus una cum suis conqueritur monasterium non modo bellicis cladibus, sed maxime litibus innumeris a curia Romana intentatis vehementer attritum ut monachis victui necessaria suppeditare non posset. Hisce vexatus incommodis opprimitur anno decimo Innocentii VI.

XXIV. Guillelmus IV *Binet* annis 1366 & 1376 laudatur in chartis, 1380 ac 1385 28 Septembris in collectaneis *D. de Gaignieres*, obiit anno 7 Urbani V.

XXV. Johannes *de Dormans* cardinalis tituli quatuor coronatorum, episcopus Bellovacensis, post Guillelmum dictus abbas anno 7 Urbani V, obiit 7 Nov. 1373, ex commentariis Henrici *Suarés*.

XXVI. Vincentius *le Lieur* Rotomagensis, Becci monachus, sub abbate Guillelmo de Beusevilla, occurrit ab anno 1390 14 Julii, ad 1416 16 Octobr. in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Defunctus 25 Maii 1418, sepelitur in ecclesia S. Audoëni in capella S. Eligii a parte sinistra. Rotomagum enim bellorum tempore secesserat. In quodam regulæ S. Benedicti codice anno 1402 exarato dicitur vicesimus septimus abbas.

XXVII. Guillelmus V *le Roy* fidei sacramentum præstat Henrico V Anglorum regi, qui ei temporalia restituit 16 Februarii 1419, & monachis eligendi alterius abbatis, Guillelmo defuncto, dat facultatem 30 Januarii 1420.

XXVIII. Rogerius *Sorel* regi quoque Angliæ fidem jurat anno regni ejus octavo, quo etiam defuncto, eligendi datur facultas ab Henrico 22 Augusti 1420.

XXIX. Johannes II *Moreti* Anglorum regi fidem præstat 5 Martii 1421. Ecclesiam effuso sanguine pollutam reconciliari vel expiari curavit anno 1427. Legitur adhuc 1428 & 1430 20 Dec. in chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XXX. Stephanus *Bertault* juris utriusque peritus, moras obtinet ad fidem regi præstandam 27 Octobris 1435, quo anno juri studebat,

Occurrit adhuc annis 1436 & 1437 in collectaneis *D. de Gaignieres.* Moritur 1438.

XXXI. Johannes III *Halluin* cum Johanne Corneliarum abbate precum ac suffragiorum communionem sanciit anno 1446. Moras obtinuit ad præstandam regi fidem 13 Februarii 1449. Memoratur an. 1450 in chartis authenticis *D. de Gaignieres.* Decessit an. 1458, aut sequenti.

XXXII. Johannes IV *Agasse* juravit fidem Carolo VII die 16 Junii 1459, & Ludovico XI 12 Januarii 1461, hic est 1462, superstes in annum 1476.

XXXIII. Antonius *Raguier* Lexoviensis episcopus, velut invitus, nec sine interiore animi pugna, nominationi regis statim post obitum factæ consensit. Sex annis inquieta conscientia reditus abbatiæ percepit. At in extremo mortis discrimine monachis auctor fuit ut canonicam facerent abbatis regularis electionem. Hoc illi protinus aggressi pridie quam moreretur Antonius die 10 Junii 1482, Richardum *Houel* monachum unanimi voto dixerunt abbatem, sed incassum, abnuente rege, Lexoviensibus canonicis electionem ratam non habentibus, quin etiam Rotomagensi archiepiscopo reluctante.

XXXIV. Olivarius *de Pontbriant* thesaurarius sacræ capellæ Parisiensis, jubente rege commendam iniit, qui tamen sola, nec admodum pingui contentus pensione, Richardum *Houel* in spiritalibus & temporalibus vicarium creat anno 1488. Hic autem anno 1489 penultima Aprilis se dicit monachum & vicarium hujus abbatiæ, non abbatem, in chartis authenticis *D. de Gaignieres.*

XXXV. Johannes V *le Veneur* cardinalis, Lexoviensis episcopus, commendam tenet anno 1506, & sequenti cessit anno 1535.

XXXVI. Jacobus *d'Annebaut* cardinalis, episcopus Lexoviensis, Johannem consanguineum multis onustum sacerdotiis, Pratellensi sublevat anno 1535.

XXXVII. Guillelmus VI *de Vienpont* canonicus Lexoviensis, abbatiæ ditionem occupat per quinquennium ab anno 1554 ad 1559.

XXXVIII. Carolus I *de Lorraine* cardinalis, ad annum 1566.

XXXIX. Guillelmus VII *de l'Aubespine* in annum 1572.

XL. Nicolaus *Jacoppin* fiduciarius titularis a Guillelmo decessore creatus, dum filius ad idoneam ætatem adolesceret, dicitur abbas anno 1579 in regestis cameræ computorum Parisiensis, quo mortuo an. 1584, Plancinus quidam regio nomine constituitur œconomus.

XLI. Guillelmus VIII *de l'Aubespine* superioris filius utriusque ordinis eques torquatus, circiter 1600 Pratellum obtinuit.

XLII. Carolus II *de l'Aubespine* marchio Castellinovi super Carum, regi a sanctioribus consiliis, cedente patre regiorum ordinum cancellarius regnique procancellarius fratri successit anno 1611. Deplorandum abbatiæ statum aliquando miseratus, congregationis sancti Mauri reformatos in illam induxit 1 Octobr. 1650. Moritur v calendas Octobris 1653.

XLIII. Julius cardinalis Mazarinus anno 1656 commendam obtinuit, cujus, bullis non obtentis, possessionem iniit anno 1659. Hanc tenuit in annum 1661, quo obiit 9 Martii.

XLIV. Franciscus-Maria cardinalis Mancinus bullis ab Alexandro VII recusatis, possessionem apprehendit 21 Martii 1663; at a Clemente IX bullis donatus, possessionem novam adeptus est 18 Aprilis 1668.

XLV. Melchior *de Harod de Senevas* marchio de S. Romano, multis legationibus egregie perfunctus, abbatia Pratellensi donatur an. 1673. Possessionem apprehendit 28 Febr. anni ejusdem, iterumque post bullas impetratas 9 Junii 1674. Hanc cum Corbiniacensi tenuit ad annum 1694, quo Parisiis improviso obiit 14 Julii, ætatis 83.

XLVI. Johannes VI *d'Estrées* legatus in Lusitaniam, designatur abbas 24 Dec. 1694. Obiit 3 Martii 1718. Vide tom. III, col. 63.

XLVII. Thomas-Johannes-Franciscus *de Strickland de Sazerghe* natione Anglus e diœcesi Carleolensi, educatus fuit Parisiis in seminariis S. Maglorii & S. Sulpicii. Doctoris Parisiensis lauream accepit 20 Aprilis 1712. Romam missus secretiora tractavit negotia. Reversus, nominatus est a rege abbas Pratellensis mense Novembri aut Decembri 1718, & a Cæsare episcopus Namurcensis mense Novembri 1725. Proclamatus Romæ 9 Decembr. 1726 & propositus 20 Januarii 1727, inunctus fuit 28 Septembris anni ejusdem Mechliniі a cardinali archiepiscopo, assistentibus Iprensi & Tricalensi episcopis. Cardinalis nominatus a rege Poloniæ anno 1721 juri suo cessit in gratiam Philippi-Ludovici comitis *de Sintzendorf* episcopi Javarini. Curiam officialitatis apud Nigellam instituit anno 1732. Obiit abbas etiam B. Mariæ Namurcensis Lovanii in collegio abbatiæ Alnensis 12 Febr. 1740, unde corpus Namurcum translatum, in ecclesia cathedrali sepultum est.

Henricus-Constantius *de Lort de Serignan de Valras* episc. Matisconensis ab anno 1732, nominatus a rege commendatarius Pratellensis ineunte Sept. 1743, continuo cessit, factus abbas S. Mansueti Tullensis.

XLVIII. N. *de S. Aubin* comes Lugdunensis & vicarius generalis archiepiscopi Lugdunensis, commendam obtinuit, a rege nominatus 24 Aprilis 1745.

Matthæus abbas Pratellensis memoratur 10 Julii in necrologio S. Georgii.

GRESTANUM.

AD ostia Sequanæ sub Hunflutto oppido situm est B. Mariæ sacrum Grestani cœnobium. Ejus auctor Herluinus miles de Contavilla, qui Herlewam Willelmi Normanniæ ducis matrem duxerat uxorem, ex qua Odonem postmodum Bajocensem episcopum & Robertum

Moritonii comitem suscepit. Consensu itaque & favore Willelmi ducis privigni sui, monasterium post annum 1050 condere aggressus est Herluinus in prædicto loco, cui nomen Grestanum, juxta fontem, ubi olim oratorium B. Virginis exstitisse fama erat, in cujus honorem novum monasterium ab Hugone Lexoviensi episcopo dedicari curavit. Illic monachi aliquot partim de Fontanella, partim de Pratellis congregati, quibus congruam assignavit substantiam. Ejus pietatem æmulatus Robertus Moritonii comes, monachorum numerum & censum ita auxit, ut eum monasterii conditorem dixerit Guillelmus Gemeticensis. Fundatoris quoque titulo honoratur in necrologio Odo Bajocensis episcopus, tametsi uterque potius benefactor dicendus est. Harecolii etiam comes Grestani claustrum suis impensis condidit magnificeque dotavit. Roberti filius Guillelmus Grestanum cum suis pertinentiis in dominio suo & in tutela sua retinuit: at bello fusus anno 1106, bonis omnibus spoliatus est, e quibus Grestanum fisco regio cedere voluit Henricus I Angliæ rex. Ricardus quoque I & Eduardus II Grestanenses diplomatibus suis dignati sunt, quæ habes in monastico Anglicano tom. III, p. 982 & seq. Sepulti sunt in Grestano monasterio Herluinus ejusque filius Robertus cum conjuge Mathilde filia Rogerii comitis de Montegomerico. Pluries destructa basilica, pluries consecrata fuit, a Johanne, ab Arnulfo Lexoviensibus, & a Rotrodo Ebroicensi episcopis.

ABBATES.

I. REGINALDUS I a Rocha monachus sancti Ebrulfi, ab Herluino fundatore præpositus est monachis S. Wandregisili & Pratelli ad inchoandam Grestanensem abbatiam evocatis.

II. Gaufridus e nobili ortus genere, monachus S. Sergii Andegavensis a Roberto comite Moritonii aucti a se redditibus, possessionibus ac monachis cœnobii primus renuntiatus est abbas, cujus in gratiam parentes ipsius Grestano dedere cellam S. Astorgii in Vasconia cum pertinentiis. Obiit anno 1114.

III. Fulchrius, seu Fulco, ex monacho Sagiensi abbas erat ab annis novem, cum combusta veteri nova cœpit ædificari basilica Grestani in honorem beatæ Mariæ anno 1122, Henrici I Anglorum regis anno 23, quæ ab episcopo Lexoviensi Johanne consecrata est. Mortis debitum exsolvit IV nonas Julii 1139.

IV. Herbertus monachus Grestani, abbas electus est mense Sept. quo sedente Johannes Sagiensis episcopus, a Johanne Lexoviensi episcopo Grestanum missus, cœmeterium benedixit die festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli, monachos ad diaconatum ordinavit altariaque SS. Trinitatis, S. Petri & S. Nicolai consecravit. Herbertus autem ab anno 1140 ecclesiam ampliavit, & plurimum adornavit. Prope centenarius devixit 15 Jan. 1179, & ad decessores suos appositus est.

V. Guillelmus I de Exonia ex monacho Beccensi abbas renuntiatus est mense Apr. 1179, qui cum sæpius abesset, ac in Anglia patria sua negotiis temporalibus absque episcopi licentia incumberet, occasionem præbuit gravissimis scandalis, quæ narrat Arnulfus episcopus ad Alexandrum papam scribens. Ea propter bis eum revocavit & a summo pontifice petiit, ut ejectis monachis in illud cœnobium admitterentur canonici regulares, qui in illa provincia pauci erant & pauperrimi, quod a moribus horumce temporum prorsus alienum minime probavit summus pontifex. Guillelmus autem a Grestano ad præfecturam sancti Martini Pontisarensis translatus est anno 1185 in vigilia SS. apostolorum Petri & Pauli a Galterio Rotomagensi archiepiscopo conterraneo & amico suo, qui ipsum voluit habere juxta se, inquit Robertus de Monte ad annum 1179.

VI. Rodulfus monachus Turonensis & prior de Perreriis, volente rege fit abbas pridie idus Martii 1186. Reperitur R. III idus Maii, Cœlestini III anno 3, in tabulis Fiscanni. In fata concessit 28 Julii 1197.

VII. Robertus ex monacho Grestani electus est abbas 8 Septemb. 1197. Cessit in manibus W. episcopi quidquid in ecclesia de Mesnillomaugeri & in ecclesiis *de Bonnefleu* possidebant monachi, 1233 in festo Conceptionis.

VIII. Guillelmus II de Farnovilla præerat abbas, cum anno 1254 X calendas Septembris dedicata est ecclesia ab episcopo Lexoviensi.

IX. Thomas pacem fecit cum Gemeticensibus in vigilia apostolorum Jacobi & Philippi 1259. Societatem iniit cum Simone Cormeliensi abbate 1260.

X. Guillelmus III commemoratur in indice abbatum Normanniæ, qui fidem obstrinxerunt de suppeditandis ad bellum sacrum sumtibus.

XI. Reginaldus *Caruel* factus abbas regnante Philippo rege 1291, moritur 1297.

XII. Radulfus Vincundus, an secundus? ex monacho loci abbas IV nonas Maii 1197, a Johanne Lexoviensi episcopo amotus fuit anno 1302, expostulantibus monachis.

XIII. Guillelmus IV *le Vavasseur* de Beusevilla, electus abbas ultima Aprilis 1308, confirmatur & benedicitur ab episcopo Lexoviensi Guidone. Rem adauxit & ædes ampliavit.

XIV. Johannes I legitur 24 Aprilis 1346. Obiit anno I Urbani V.

XV. Johannes II Macri successit anno eodem, & mortuus est anno 8 Urbani V. Ac proinde ipse est, quo sedente Britones, qui 15 Novembris 1364 ecclesiam Grestani invaserant, de monasterio exierunt 10 Aug. 1365, quibus egressis, destructum est monasterium fereque solo æquatum ob ingentium bellorum tumultus.

XVI. Johannes III Rainfredi successit anno 8 Urbani V.

XVII. Stephanus.

XVIII. Johannes IV *Picot* 9 Oct. 1377.

XIX. Martinus de Heussaya memoratur annis 1388 & 1391 in regestis scacarii.

XX.

XX. Johannes V de Foussiaco decretorum doctor, obiit Parisiis 6 Jan. 1406, & tumulatus est in æde collegii Cluniacensis.

XXI. Richardus I *de Thieuville* nobilis, sedebat 18 Octobris 1411 & 28 Junii 1424, ex tabulis cameræ computorum Parisiensis, ac proinde ipse est qui fidei sacramentum juravit Henrico V Angliæ regi anno regni septimo, id est 1419, cuique idem rex bona temporalia restituit monasteriique possessiones anno eodem confirmavit. Obiit Richardus 11 Febr. 1435.

XXII. Guillelmus V *Poret* 19 Jan. 1443.

XXIII. Johannes VI *le Lievre* scacario interfuit anno 1448, quo duo altaria in choro ecclesiæ dedicata sunt calendis Augusti a Thoma Lexoviensi episcopo. Moras obtinuit ad fidem regi præstandam 14 Februarii 1449. Migravit a seculo 28 Julii 1458.

XXIV. Johannes VII *Baudouin* receptus 29 Sept. 1458, regi fidem dixit 12 Decembris anni ejusdem & 13 Januarii 1461. Societatem iniit 13 Decembris 1466 cum abbate sancti Martini Sagiensis. Animam exhalavit 13 Apr. 1468.

XXV. Richardus II *de Thienville* Richardi I nepos, regi fidem dixit 12 Julii & 6 Septemb. 1469 pro baronia de Grestano aliisque prædiis ad abbatiam spectantibus. Anno 1474 23 monachi degebant in abbatia. Memoratur Richardus 17 Februarii 1477 in chartis authenticis *D. de Gaignieres*. Societatem iniit cum Pratellensibus an. 1478. Cessit an. 1478 in gratiam sequentis non monachi, & obiit 1 Octobris 1495.

XXVI. Guillelmus VI *Descolles* protonotarius apostolicus, primus commendam obtinuit, & tenuit ab anno 1481 ad 1502, quo subito periit die 10 Januarii.

XXVII. Johannes VIII de Furtovilla, Guillelmo defuncto, electus abbas 14 Januarii 1502, ad preces regis Franciæ juri suo cessit in gratiam sequentis.

XXVIII. Johannes IX *le Veneur* archidiaconus Lexoviensis, Grestani possessionem adeptus est per procuratorem 29 Maii 1503, ipse vero 26 Maii 1504. Inde cedente avunculo episcopus Lexoviensis abbatiam suam ingressus est 17 Dec. 1505. Obiit 7 Augusti 1543.

XXIX. Jacobus *Marlet*, quo cedente,

XXX. Johannes X *le Breton* filius Gabrielis, nobilis clericus Parisinus, regi a consiliis & eleemosynis, abbas Nisortii, defuncto Antonio *Prevost de Sansac*, gratia magistri stabuli regii a rege nominatus est archiepiscopus Burdegalensis 1 Januarii 1592. At propter dissidia inter regem & summum pontificem bullis non cito donatus, reditus ecclesiæ Burdigalensis elocavit 26 Maii 1594. Biennio post litem habuit pro jure regaliæ cum canonicis sacræ capellæ Parisiensis, a quibus victus 30 Julii 1596, cum iis transegit 10 Augusti sequentis pro summa 3000 librarum. Permutavit anno 1598 mense Februario cum Francisco *d'Escoubleau* abbate S. Jovini, qua permutatione factus Domnus Aubracensis, bullas obtinuit XVI calend. Martii 1599. Prior quoque sancti Lupi per cessionem Johannis *de Gaucourt* XVI calend. Martii 1599, possessionem iniit 20 Sept. 1600, & tenuit ad annum 1604 quo pulsus est. Abbas quoque Grestani cedente Jacobo *Marlet*, bullis donatus est VI calend. Julii 1600. Oblatum S. Germani Autissiodorensis apud Parisios decanatum a cardinali *de Sourdis* recusavit 20 Julii 1604. E vivis excesserat mense Aprili 1607.

XXXI. N. Baro *de Termes*.

XXXII. Franciscus *Petit* a rege nominatus est.

XXXIII. Jacobus *Habert* canonicus ecclesiæ Parisiensis, consiliarius erat Parlamenti anno 1600, & commendatarius Grestani 17 Junii 1608, quo nomine Johannis *le Breton* decessoris heredibus litem intendit 18 Decembris anni ejusdem pro reparationibus, quibuscum transegit 29 Martii 1609.

XXXIV. Dionysius *Sanguin de S. Pavet* commendam tenebat 1646 & 27 Oct. 1679, episcopus Silvanectensis obiit 13 Martii 1702.

XXXV. Chrysanthus *de Levis* filius Alexandri *de Levis*, marchionis *de Gaudiez*, & Margaritæ *de Caumels*, delfinæ ab eleemosynis, 15 Aprilis 1702.

XXXVI. Antonius-Leonorius *de Berceur de Fontenay* reginæ ab eleemosynis, obiit Parisiis die 25 Februarii 1735, annum agens 45.

XXXVII. N. *Malherbe* vicarius generalis archiepiscopi Rotomagensis, commendatarius Grestani mense Maio 1735, tum abbas Tironii a rege renunciatus est exeunte Junio 1743.

XXXVIII. N. *de Renty* designatus est a rege exeunte Junio 1743 per cessionem superioris.

CORMELIÆ.

CORMEILLES.

Lexovium inter & Pontem Audomari ad Colonnam fluviolum sitæ sunt Cormeliæ. Ibi Guillelmus Osberni *de Crespon* filius, ducis Guillelmi II cognatus & dapifer, insigne suæ pietatis monimentum erexit, exstructo circa annum 1060 in honorem B. Mariæ dotatoque cœnobio, in quo ipse post mortem humatus est anno 1072. Vir erat magnæ apud Guillelmum conquæstorem auctoritatis, a quo Herfordiæ comitatum & Normanniæ præfecturam obtinuit. Nec te moveat quod Emma fundatrix in necrologio, & comes Leicestriæ fundator in diplomate Henrici regis dicantur. Emma enim fundatoris filia fundationis in partem venit: comes vero Ittam filiam Emmæ desponsaverat, quæ filia erat Guillelmi *de Crespon* auctoris. Novi monasterii constructioni præfuit Osbernus monachus S. Trinitatis in Monte prope Rotomagum, missus ab abbate suo Rainerio. Osbernus autem paulo post raptus ut Uticensibus præesset, locum fecit Gisleberto Cormeliarum primo abbati. De historia hujus monasterii nihil est quod dicamus: latet enim vel oblivione sepulta, vel saltem in tenebris & pulvere abstrusa. *Nuncque*

proh dolor! inquit Mabillonius, *prope interitum est haud ignobile monasterium, basilica igne cælesti jam dudum pene consumta, ædes regulares situ ac senio deformatæ; exiguus omnino numerus monachorum, tametsi cum censu sufficienti. Deuique omnia ruinæ proxima, nisi illic brevi excitetur religio, qua languente deficiunt omnia, uti ea stante ac vigente, omnia consistunt, eademque restituta denuo reflorescunt.* Hæc scribebat Mabillonius anno 1707: verum postea Carolo *d'Orléans* commendam adepto, ecclesiæ ædesque regulares restauratæ, moribus ac disciplinæ restitutus honos, sed nondum auctus monachorum numerus. Aliud a supra memorato Henrici II Angliæ regis diploma legesis in Monastico Anglicano t. III, col. 963. En aliquot abbates e ruinis superstites.

Annal. tom. IV, p. 599.

A

Abbatum Catalogus.

Osbernus Ersasti filius, apud Caletos ortus, a puero literis apprime eruditus, primum canonicus Lexoviensis sub Herberto antistite, ac demum in monasterio S. Trinitatis sub Isemberto abbate factus monachus, a Rainerio Isemberti successore ad informandum Cormeliense monasterium missus est, ubi prior rexit ad annum 1061, quo factus est abbas Uticensis.

I. Gislebertus circa annum 1070 subscripsit literis Guillelmi filii Osberni dapiferi regis Anglorum pro monasterio S. Dionysii. Ad Deum migravit 25 Martii. Primus Cormeliarum abbas visus est Mabillonio, contra fidem Roberti de Monte, qui priorem locum dedit Roberto monacho S. Trinitatis in maris naufragio defuncto; huicque suffecit Gaufridum ejusdem loci monachum, Gaufrido Willelmum Beccensem ascetam & Guillelmo Benedictum. At cum Robertus de Monte non sit omni exceptione major, pro altero abbate sit.

II. Guillelmus I monachus Becci, unus e primis Herluini abbatis Beccensis discipulis, factus abbas Cormeliensis subscripsit chartæ Willelmi I Anglorum regis pro Fiscanno. Willelmum abbatem Beccensem de mandato & vice archiepiscopi Rotomagensis in sede sua collocavit anno 1094. Decessit 27 Julii 1109, ex Orderico, qui eum inter venerabiles cœnobiorum rectores qui hoc anno e vivis migrarunt tertium annumerat. Magna necessitudine conjunctus fuit cum Lanfranco, ut testatur ejus epistola ad Willelmum Beccensem abbatem.

III. Richardus I mortuus 9 Decembris.

IV. Benedictus obiit 10 Maii.

V. Robertus I de S. Pancratio, ex monacho S. Michaëlis abbas Cormeliensis anno 1158, bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1168. Occurrit in chartulario Falesiano anno 1171. Abiit e vivis 21 Februarii 1174.

Monast. Anglic. t. III, pag. 962.

VI. Harduinus ex monacho Beccensi prior S. Imerii, tum abbas Cormeliensis an. 1174, diem suum obiit 18 Decembris.

VII. Durandus monachus Beccensis, reperitur abbas anno 1200 in charta Gemeticensi. Memoratur 21 Aprilis in necrologio domestico.

VIII. Stephanus I Beccensis quoque asceta, obiit 22 Maii. Hoc aut altero cedente, episcopus Lexoviensis a rege petiit anno 1221 ut monachis Cormeliensibus abbatis eligendi facultatem concederet, ex chartis regii thesauri.

IX. Guillelmus II occurrit anno 1238, in archivo metropolis Rotomagensis, & 1243 in regesto 31 thesauri regii, defunctus 29 Nov.

X. Simon præerat anno 1260, ex codice Grestani. Decessit e vita 20 Martii.

XI. Richardus II eamdem societatem iniit cum L. abbate Conchensi, quam habebat cum monasterio S. Petri supra Divam anno 1276. In fata concessit die 5 Novembris.

B

XII. Nicolaus I animam exhalavit 30 Nov.

XIII. Guillelmus III *de Chantecur* 15 abbas obiit 7 Septembris 1371, ex epitaphio apud Arturum, notatus 10 in necrologio. Obiit anno 9 Innocentii VI, quo ei succedit Rotbertus, ex schedis nonnullis. Hic est annus 1361, cujus loco male forte lectus fuit annus 1371 in epitaphio.

XIV. Robertus II *le Brument* e Cormeliis oriundus, filius Leodegarii & Isabellæ, præerat 1372 die 5 Martii, & 1404 1 Octobris. Migravit die 2 Septembris 1405.

C

XV. Guillelmus IV *Bonnel* e Cormeliis ortus, Fiscanni eleemosynarius, Cormeliis sedebat abbas 18 Octobris 1408 & 7 Oct. 1412. Concilio Pisano adfuit anno 1409. Henrico V Anglorum regi fidem juravit, qui ei bona temporalia restituit anno 1418. Parisiis in facultate decretorum toto biennio audivit. Johannem abbatem S. Taurini ab anno 1426 ad 1428, quo decretorum ipse doctor legebat in eadem facultate. Occurrit anno eodem in regestis cameræ computorum Parisiens. Anno 1431 sententiam suam de Puella Aurelianensi scripto misit ad Petrum *Cauchon* Bellovacensem episcopum. Obiit 24 Julii 1437, memoratus in necrologio 22 Augusti.

D

XVI. Johannes I *Taisson*, qui regi Anglorum hominium præstitisse legitur 16 Febr. 1419 apud Rimerum tom. IX, pag. 694, reperitur 24 Nov. 1439 in regestis cameræ computorum Parisiensis, & 1446 in charta Johannis abbatis Pratellensis. Vitam finivit 17 Maii.

XVII. Constantinus filius Johannis *Segre* & Thominæ, tempus obtinuit ad jurandam regi fidem 25 Maii 1451, quam juravit an. 1452. Memoratur 18 Aprilis 1453 in chartis scacarii, & alibi 1459, fer. 7, die 8 Januarii, & 1461 tempore Simonis abbatis Bernaicensis. Bona abbatiæ regi declaravit anno 1467. Scribit ad eum Johannes abbas de Conchis anno 1473. Sedebat adhuc 15 Februarii 1474. Defunctus est 23 Martii.

E

XVIII. Petrus reperitur die 3 Aprilis 1499 in regestis cameræ computorum Parisiensium.

XIX. Stephanus *Blosset* episcopus Lexoviensis, Cormeliensis abbas 26 Maii 1504 & prior S. Barbaræ.

XX. Thomas *de Clermont* filius Renati *de Clermont* militis & Petronillæ *d'Estouteville*, frater

autem Ludovici *de Clermont d'Anjou*, ex monacho abbas præerat 24 Augusti 1504, ex regestis cameræ computorum Parisiens. Dedit pulpitum chori æneum anno 1516. Memoratur 2 Febr. 1518 & 17 Febr. 1522 in chartis archiepiscopatus, & 1 Octobris anni ejusdem, ex chartis authenticis *D. de Gaignieres*.

XXI. Ogerius *de Chambray* filius Johannis, commendam tenebat an. 1529, inde prior de Charollis & Bellimontis, nonnulla dedit canonicis S. Johannis de Falesia, tempore Johannis *de Glatigny* abbatis.

XXII. Johannes II *des Serpens* 27 Julii 1536 in chartis cameræ computorum Paris.

XXIII. Johannes III *de Vassey* 1565 episcopus Lexoviensis, ubi vide.

XXIV. Benignus *le Clerc* 12 Febr. 1571, ex regestis Parlamenti.

XXV. Nicolaus II *Quentin* anno 1580 nominatur.

XXVI. Dionysius *Rouxel* filius Jacobi toparchæ *de Medavy* & Franciscæ *de Pierrefite*, post secularem sacræ militiæ nomen dedit. Nominatus episcopus Lexoviensis 18 Junii 1578, possessionem non iniit; abbas vero Cormeliensis anno 1580, obiit 6 Augusti 1581.

XXVII. Franciscus I *Rouxel* episcopus Lexoviensis, obiit Rotomagi 1617.

XXVIII. Franciscus II *Rouxel* natus 8 Aug. 1604, abbas Cormeliarum 1617, S. Andreæ 1630, episcopus Sagiensis 1651, Augustodunensis 1664, Lingonensis 1670, archiepiscopus Rotomagensis 1671, comesque consistorianus, obiit Matiscone 29 Januarii 1691. Ejus tempore tacta fulmine ecclesia 30 Novemb. 1674, consumpta est.

XXIX. Philibertus-Carolus *de Pas de Feuquieres* abbas mense Aprili 1691, obiit medio anno 1726.

XXX. Carolus *d'Orleans* filius Henrici *d'Orleans* marchionis *de Rhotelin*, & Gabrielidis-Eleonoræ *de Montaut*, natus 5 Augusti 1691, doctor facultatis Parisiensis, unus e 40 viris academiæ Gallicanæ & Inscriptionum academiæ honorarius, renunciatus abbas mense Octobri 1726, obiit Parisiis 17 Julii 1744, annos natus 53.

XXXI. Ludovicus-Henricus *de Fogasses de la Bastie* decanus Lexoviensis & agens generalis cleri Gallicani, defuncti in locum a rege suffectus est mense Septembri 1744. Obiit 4 Junii 1754, annos natus 40.

XXXII. Josephus-Dominicus *de Cheylus* vicarius generalis episcopi Lexoviensis, nominatus est a rege mense Junio 1754, & a capitulo Lexoviensi decanus iisdem mense & anno.

Hi autem sunt ab Arturo recensiti, quibus assignare non possumus locum.

Guillelmus defunctus 26 Julii.
Matthæus *Toutain* 3 Octobris.
Johannes *Bernard* 1 Novembris.
Robertus *Vaudon* 2 Julii & 7 Octobris.
Nicolaus *Kivilei* 9 Maii.
Johannes *le Veneur* 1505.

BELLUS-MONS IN ALGIA, PRIORATUS.

A Ponte episcopi duobus circiter millibus distans Bellus-mons, quatuor vero ab oceano, cella est Rotomagensium sancti Audoëni monachorum virgini Dei-paræ sacra, quam Robertus *Bertran*, cognomento Tortus, Ronchevillæ toparcha cum Susanna uxore condidit circiter annum 1060, certe ante annum 1066, quandoquidem Guillelmus I Nortmannorum dux & Mathildis conjux ante conquisitum Angliæ regnum Roberti donationem firmarunt. Roberti posterorumque liberalitate fovendis cum priore 13 monachis par erat, sed urgente bellorum fato natisque commendis longe pauciores tulit. Prima mali labes ab æquivoco conditoris filio venit, qui concessas a parentibus ecclesias, aliaque jura sibi vindicavit: at malorum pertæsus, illata damna sarcivit posterisque fuit auctor, ut donis ac latifundiis cellam augerent. Subsecuta deinde bella felicitatem illam corrupere, sed ab ineunte seculo XIII pax & integra securitas cum ingenti proventu successerunt, maxime studio Nicolai de Godardivilla prioris, qui collapsas ædes restituit, villas auxit, & antequam in abbatem sancti Audoëni crearetur, successorem sibi providit Thomam de Brogariis virum religione sapientiaque præstantem, qui cellæ reditus egregie curavit, factusque post modum & ipse abbas, alios haud inferioris meriti cellæ præpositos creari studuit. Præcipuæ fuerunt in illis partes Johannis de Marca argentea prioris, qui multa passus a Lexoviensibus episc. Bellomontenses, imo potius Audoënenses monachos divexantibus, post 3000 & amplius librarum expensas, cum litium seu Rotomagi seu Romæ sævientium premeretur angustiis, maluit a conditorum heredibus, quam ab episcopi nova contentione pendere præpositorum institutionem, quos deinceps Ronchevillæ domini e pluribus ab Audoënensium cœtu oblatis elegerunt; hanc prioris creandi rationem firmante Romano pontifice. Quam a cella condita patronam & tutelarem habuere Bellimontenses virginem Dei param, illa patratis an. 1317 & sequenti miraculis, quam grate exciperet impensam imagini suæ reverentiam evidenter ostendit. Multis enim ad ejus confugium certatim accedentibus tam sæpe reddidit sanitatem, ut non alio quam *Dominæ miraculorum* nomine donaretur. Refrigescente postea nostrorum pietate, bellisque liberum commeatum vetantibus, remissa pariter elanguit plebium religio. Sicque violatum ab inquilinis votorum oblitis locum Calvinistæ furentes constupravere. Præcipua illis cura fuit ut sacratam imaginem solio dejicerent ac in partes comminuerent, sacellum obruerent ruinis, omnemque Mariæ cultum penitus abrogarent. Hæc ferme rerum facies ad annum 1660, quo cum S. Audoëni princeps asceterium inductis

congregationis sancti Mauri monachis formam A meliorem accepisset, mox eadem sors Bellimontensem affecit cellam. Horum protinus in mentem venit juventutis humaniores literas & religionis elementa edocendæ, quorum consilium Ch. XVII. col. 315. nuperis hisce temporibus ratum habuit & firmavit dux Aurelianensis princeps vere pius, assignatis ad hoc opus beneficii cujus collator erat reditibus. En priores qui cellam ad illud tempus rexere.

Priorum Series.

Succensis ante seculum XIII plerisque monasterii documentis, exciderunt & præposi- B torum nomina, quos ad idem seculum provectum eo loci mittebat revocabatque ad nutum sancti Audoëni abbas, obedientiarios potius quam priores aut præpositos vocare solitus. Primus omnium venit in notitiam

I. Nicolaus I de Godardivilla, qui docente chronico Gallica lingua manuque exarato, diu apud Bellum-montem prioris munere functus, monasterium ea quæ adhuc prostat forma construxit. Basilicæ quoque, tum ecclesiæ parochialis auctor villis optimum in statum erigendis incubuit, dum circiter annum 1260 in abbatem sancti Audoëni fuit electus.

II. Thomas de Brogariis, *de Bruyeres*, dum C viveret, ait chronicon, bonus clericus, hoc est vir agendi peritissimus fuit: nam spatio trium quibus Bellimontenses rexit annorum, cellam tum suis, tum amicorum opibus auxit, domum & hortos ad mare conversos, ædificia quoque apud Briccæbecium, Tougrevillæ, Pennepiæ S. Filiberti & Herbetoti rusticanas villas erexit, Guillelmi de Bello-monte prædia tam in pratis quam in nemoribus ac domum comparavit. His prospere gestis, Rotomagum rediit, ubi claustralibus deditus officiis privatus egit, dum Johanne sublato, demum abbas est salutatus. D

III. Johannes I de Marca argentea vir strenuus, antequam diceretur abbas, regendi peritiam apud Bellimontenses probavit, quos optime constitutis moribus ad sanctiora promovere satagebat. Reditus auxit, ædes instauravit, jura libertatemque tuitus acerrime nulli unquam acceptæ a majoribus prærogativæ decessit. Factus abbas, Lexovienses episcopos a quibus multa tulerat ne Bellimontenses obruerentur, Lexovii, Tuccæ, Cadomi, Nonnanti apud Theodebertivillam & Canappivillam adiit, eorum repressit impetus & ad Romanam curiam provocavit. Verum post trium millium marcarum expensas, cum litium E anfractibus aliter explicari non posset, prætensa ab episcopo jura transtulit in conditoris heredes, qui ex oblatis ab Audoënensium cœtu monachis duodecim ternis vicibus unum in priorem eligerent. Eo pacto Bellimontensibus pax & securitas affulsit. Litibus fatigatos recrearunt innumera virginis Dei-paræ miracula, quibus eos pia mater solari voluit.

IV. Simon *de Foy*.

V. Egidius *le Marchand*.

VI. Hugo *de Maudeslour*.

VII. Nicolaus II *Mulet*.

VIII. Reginaldus *le Prevost*.

IX. Petrus I de Bolonia.

X. Johannes II *le Saige*.

XI. Johannes III *Hellebout*.

XII. Petrus II *de Rezeuchou* circiter annum 1466 obiit.

XIII. Guillelmus I *d'Estouteville*, postea archiepiscopus Rotomagensis & cardinalis, affini suo Ronchevillæ domino jurium ac prædiorum indicem exhibuit.

XIV. Johannes IV *de Fumechon*.

XV. Guillelmus II *de Rouves*, quo defuncto, abbas & conventus S. Audoëni Bellimontensibus priorem ex more dixerunt, sed oblatos sibi monachos repudiavit Guillelmus *d'Estouteville* Ronchevillæ dominus, qui Ludovicum *d'Estouteville* fratrem protonotarium apostolicum Bellimontensibus vel invitis imposuit. Obniti contra fategerunt Audoënenses, a quibus

XVI. Anselmus *du Hay* unus e duodecim Guillelmo oblatis prior creatus est. Inde lites & censuum ingens distractio.

XVII. Arturus *Martel* evicto Ludovico *d'Estouteville*, rerum potitur.

XVIII. Guillelmus III *Vasselin*.

XIX. Richardus Ango mortuus an. 1549.

XX. Jessæus *Thorel* causæ diffidens Johanni *de Hangest* canonico Parisiensi prioratum in commendam tribuit. Obstitere Audoënenses eoque Johannem adegerunt, ut anno 1552 juri suo cederet. Itaque cellam denuo possedit Jessæus.

XXI. Petrus III *Dufour* Audoënensis monachus, Johannem *de Forges* monachum Bellomontensem ne diutius sentiret adversarium, Olivario *Mallet* Rotomagensi senatori sub annua sexcentorum scutorum pensione prioratum dimisit.

XXII. Olivarius *Mallet* senator Rotomagensis, in jus vocatus a Guillelmo *Hazar* dicto a sociis Audoënensibus & probato a comite S. Pauli Ronchevillæ domino, ea lege in majore consilio causam evicit, ut eo mortuo cellæ præpositura cederet in monachum. Ejus temporibus an. 1612 D. *de Monthelone* principissæ Montispensati domui præpositus collapsos chori fornices aliaque tum impluvio tum etiam commendatariorum affectata negligentia multis in locis prostrata refici voluit, frustra repugnante Olivario, quem ejusmodi ruinæ nihil movebant.

XXIII. Laurentius *Gyel* Audoënensis monachus, sacramenti fide violata, patri Meurissio ordinis Minorum, postea Madaurensium episcopo prioratum tradidit sub annuæ bis mille librarum pensionis & monachum apud S. Audoënum profitendi conditione. Quas ille leges exsequi minime cum posset, aut vellet, Laurentius ut Meurissii frangeret potentiam, in marchionem *de Breauté* tunc aulæ gratiosissimum jus omne suum transmisit. Cessit vero Meurissius Victori *le Bouthillier*, qui & vicit.

XXIV. Victor *le Bouthillier* in possessionem

immissus est, assignata marchioni annua 400 A & Laurentio 800 librarum pensione. Congregationis sancti Mauri monachos apud Bellummontem admisit anno 1660; nec obstitit aliquando quin illi restituendis ædibus & instaurando loco sedulam operam navarent. Cessit sequenti anno 1667.

XXV. Franciscus *le Bouthillier de Chavigny* superioris nepos, possessionem per procuratorem iniit 8 Septembris 1667. Abdicavit & ipse in gratiam nepotis anno 1695.

XXVI. Dionysius-Franciscus *le Bouthillier de Chavigny* Francisci nepos, ejusdem cessione prior, possessionem per procuratorem adeptus B est anno 1695, obtinuitque ad mortem.

XXVII. Jacobus *Veytard* monachus congregationis S. Mauri, a duce Aurelianensi nominatus & ab abbate sancti Audoëni institutus, instituendo ibidem collegio assensum præbuit anno 1731.

S. LEODEGARIUS.

HUmfredus de Vetulis auctor sancti Petri Pratellensis, auctor quoque fuit S. Leodegarii. Paulo enim post conditum virorum cœnobium, alterum etiam virginum in eadem valle construxit, flagitante Alberada conjuge sua, C illudque in honorem B. Mariæ & S. Leodegarii martyris dedicari curavit multisque prædiis dotavit, veterum more, qui monasteria ejusmodi duplicia struere ac conjungere solebant. S. Leodegario donavit Humfredus quidquid in villa Bodelsa possidebat, Malgerio archiepiscopo, a quo id in beneficium tenebat assentiente & confirmante, ea conditione *ut abbatissa ejusdem monasterii semel in anno in solemnitate ejusdem dominatricis nostræ & dominæ Mariæ in episcopio suo deserviret.* Ne quis vero de his litem moveret, Hugo grammaticus archidiaconus Rotomagensis, in dedicatione ipsius Pratellensis ecclesiæ ex præ- D cepto Humfridi sub gravi pœna interdixit, quod Hugo Lexoviensis episcopus sanxit. Paternam donationem ratam habuit auxitque Rogerius de Bello-monte, aliique ejus exemplo conterranei multa eidem cœnobio contulerunt. Inter alios præminet Alberada, quæ Humfrido marito superstes, cum filio suo Rogero duos mansos terræ in Corbello-monte de terra Turchetilli sui avunculi donavit, qui Turchetillus S. Leodegario quædam largitus memoratur pro anima uxoris suæ Durandæ, quæ in eodem parthenone monacha facta est & sepulta uti & Alberada ejusdem cœnobii fundatrix, cujus obitus XII calend. E Octobris notatur.

SERIES ABBATISSARUM.

I. EMMA soror Guillelmi Pictavini archidiaconi Lexoviensis, ex Orderico p. 521.

II. Ansfrida.

III. Cecilia.

IV. Mathildis I legitur anno 1166 in fundatione anniversarii Gualeranni comitis de Mellento, teste Rotrodo archiepisc. Rotomagensi.

V. Elizabeth rixas habuit cum Johanne presbytero de Villeio super decimis, quas terminarunt delegati a summo pontifice Martinus abbas Cerasiensis & Guillelmus decanus Bajocensis VII calendas Augusti 1179.

VI. Francisca I *Martel* ex priorissa de Bondevilla, obiit abbatissa Pratelli 10 Januarii, ætatis 66.

VII. Richildis.

VIII. Isabella de Monteforti.

IX. Mathildis II anno 1221 defuncta.

X. Georgia 1256 obiit.

XI. Nicolaa *de Cordelon* 1293. Hæc illa sane est, cujus G. Lexoviensis episcopus cessionem sponte factam propter infirmitates admisit, quamque ab administratione absolvit an. 1294, quo anno moniales eligendi facultatem petiere.

XII. Emma, Amata, seu Anna *de Quinquerbourg* obiit 3 Junii 1345.

XIII. Aëlis, seu Aalips, occurrit 21 Nov. 1379 & 29 Decembris 1380 in collectaneis D. *de Gaignieres.*

XIV. Petronilla I *le Breton* ab anno 1385 ad 1426 13 Dec. ibidem occurrit 18 Aprilis 1418 in regestis cameræ computorum Paris. Regi Anglorum fidem juravit 16 Febr. 1419, qui temporalia ei restituit, & salvam gardiam concessit anno sequenti.

XV. Johanna occurrit in chartis D. *de Gaignieres* ab anno 1430 fer. IV 27 Decemb. ad 1440 18 Januarii. Moras obtinuit ad recensenda monasterii sui bona 15 Oct. 1436.

XVI. Petronilla II *du Bosc* regi fidem juravit 24 Februarii 1449, legiturque in chartis authenticis D. *de Gaignieres* ab anno 1445 15 Oct. ad 4 Oct. 1459. Obiit 5 Maii 1462.

XVII. Margarita I *du Bosc* Petronillæ neptis ei successit. Memoratur ibidem ab anno 1462 ad 1500. Alveredæ fundatrici sepulcrum erexit 1478. Regi fidem juravit 13 Januarii 1483. Obiit 27 Septembris 1503.

XVIII. Margarita II *Suhart* reperitur 3 Augusti 1509 in regestis cameræ computorum Paris. 15 Octobris 1510, & 21 Oct. 1511 in collectaneis D. *de Gaignieres*, Obiit 1 Maii 1513.

XIX. Guillelma *du Quesne* 1 Martii 1518 & 24 Febr. 1531, ibidem defuncta 8 Octobris 1535.

XX. Jaquelina *du Quesne* 12 Junii 1535 in regestis cameræ computorum Paris. 1550 15 Novemb. apud D. *de Gaignieres*, & 7 Sept. 1570 alibi.

XXI. Margarita III *de Souvré* filia Johannis & Franciscæ *Martel*, per 40 annos rexit, & obiit 4 Junii 1620.

XXII. Anna *de Souvré* filia Egidii Franciæ marescalli, germana Egidii episcopi Autissiodorensis, neptis Margaritæ ejusdemque coadjutrix ab anno 1610 ætatis 20, abbatissa per obitum amitæ anno 1620 ad Montem-martyrum perrexit ut reformationem addisceret. Inde post tres menses excedens ad monasterium villare

eamdem ob causam se contulit, quibus munita A præsidiis, reformationem in monasterio suo inchoavit & provexit, ac paulo post Rotomagum ad sanctum Amandum translata est, ubi obiit 14 Martii 1651.

XXIII. Maria *de la Fontaine* monialis ordinis Fontebraldensis apud Altam-brueriam professa, recensetur abbatissa 27 Augusti 1647 in regestis parlamenti Rotomagensis. Ab episcopo Tarsensi coadjutore Abrincensi benedicta fuerat 23 Septembris 1633. Regularem restituit disciplinam, ecclesiam sacra supellectile decoravit, monasterium reparavit & auxit. Denique meritis & virtutibus plena mundo valedixit 23 Sep- B tembris 1654, sepulta in medio chori versus latus epistolæ.

XXIV. Antonia *de la Fontaine* Mariæ germana, Altæ quoque Brueriæ professa, sorori successit, & nondum elapso biennio hydropisi pressa Parisiis obiit 25 Julii 1656, unde Pratellum revecta juxta Mariam est tumulata.

XXV. Claudia *de la Fontaine* utriusque germana, Cisterciensis thesauri monialis, Antoniam excepit & cessit in gratiam sequentis an. 1676.

XXVI. Francisca *Olivier de Leuville* avum habuit Franciscum *Olivier* Franciæ cancellarium, ex moniali Belli-montis Turonensis abbatissa C Pratellensis, per annos novem rexit & sequenti locum fecit anno 1685, eodem defuncta.

XXVII. Ludovica *de Vaudetur de Persan* monialis S. Jacobi ordinis Cisterciensis in Campania, post 28 annos regiminis obiit 9 Sept. 1713 apud Bellum-beccum, unde Pratellum revecta est.

XXVIII. Anna-Theresia *de Rohan Guemené* monialis Jotrensis, nata 15 Octobris 1684 parentibus Carolo *de Rohan* & Catharina-Eleonora *de Bethisy* nominata abbatissa 31 Octobr. 1713, benedicta fuit a cardinali *de Bissy* in basilica S. Germani a Pratis 13 Junii 1717. D Translata ad Jotrum mense Novembri 1729, obiit Rotomagi 2 Novembr. 1738, unde Pratellum allata est die 7 ejusdem mensis.

XXIX. Angelica-Eleonora *de Rohan Guemené* superioris germana, nominata a rege 27 Dec. 1729, inde transfertur ad Marquettam 8 Augusti 1731.

XXX. Margarita-Candida *de Brancas* filia Ludovici Franciæ marescalli & Elisabethæ-Carolæ-Candidæ *de Brancas*, designata est a rege 31 Januarii 1732.

Has præter duæ recensentur ab Arturo, Johanna *de Fonteines* quæ obiit 22 Maii 1720, E & Alienor.

Roberta *de Silly* germana Guillelmi abbatis Troarnensis, dicitur quoque abbatissa sancti Leodegarii.

S. DESIDERIUS.

ÆDem quam in prædio suo, quod ab antiquis S. Petri supra Divam ob parœcialem ecclesiam S. Petro nuncupatam, appellatum est, ædificaverat Guillelmus comes Augensis frater naturalis Richardi secundi Nortmannorum ducis, post ejus mortem Lescelina relicta in cœnobium convertit. Ibi primo sanctimoniales collocavit, quas cum a vicinis vexari intelligeret, eas Lexovium transtulit, locumque qui ad S. Desiderium dicebatur, in suburbio Lexovii positum ad construendum B. Mariæ monasterium eis contulit. Editum est hac de re Willelmi Nortmannorum ducis diploma in Appendice, forte cum aliquot mendis, & sine chronicis notis, quæ in literis Nortmannorum per id tempus omitti solent. Verum non ante annum 1050 datum est hoc diploma, cui Hugonis episcopi qui hoc anno sedere cœpit appositum est nomen. Præter Lescelinam parentem, filius quoque ejus Hugo episcopus fundator audit, quippe qui cum matre abbatiam construxit, moniales aggregavit & educavit, & de parthenone optime meritus est, ubi locum sepulturæ sibi elegit. Benefactores quoque numerantur Gislebertus & Oilia, & alii in charta recensiti. Abbatissas fere damus quales in Neustria pia, imperfectissime scilicet, aliter enim non scripsit Arturus, frustraque post eum in chartulariis aut in monasteriis quæsieris.

ABBATISSÆ.

I. GODEHIUNDIS *Medon* prima abbatissa, decessit 30 Martii, & jacet in capella S. Benedicti a cornu epistolæ.

II. Massia *de Millon* defuncta 19 Februarii, jacet ante altare S. Jacobi retro majus altare.

III. Odelina obiit 15 Aprilis.

IV. Martina de Ouvilla defuncta 31 Oct. jacet in sacello S. Benedicti.

V. Haytissa 11 Decembris.

VI. Margarita I obiit 29 Decembris.

VII. Nicolaa I de Nigronia defuncta 21 Martii anno 1299, jacet ante majus altare.

VIII. Dionysia I de Cortonna obiit 5 Junii 1339, jacet in sacello S. Benedicti.

IX. Beatrix *Daron* obiit 16 Octobris, jacet ante majus altare.

X. Johanna I *de Villers* obiit 15 Septemb. sepulta ibidem.

XI. Maria I 10 Aprilis 1385 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XII. Nicolaa II *de Mailloc* 27 Apr. 1403, ibidem, & 20 Octobr. 1410, 7 Junii 1411, 27 Decembr. 1416. Hæc aut alia Henrico V Anglorum regi fidem juravit anno regni 6, qui temporalia ei restituit. Defuncta 23 Septembris, jacet in sacello S. Veronicæ in sinistro latere.

XIII. Johanna II *de Lieuray* ibidem 30 Decembris 1428, 11 Junii 1432, 20 Apr. 1441. Obiit 15 Octobr. 1449, jacetque in sacello sanctæ Veronicæ.

XIV. Johanna III *Paynel* regi juravit fidem 13 Octob. 1453, defunctaque mense est Novembri 1457.

XV. Johanna IV *Bardouf* regi juravit fidem ultima Septembris 1459 & 27 Julii 1462. Occurrit 25 Sept. 1464 in regestis cameræ computorum Parisiensium, & 10 Dec. 1466

& penultima Dec. 1479. in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Obiit 25 Octobr. 1497 si Arturo fides, jacetque ante majus altare. A

XVI. Claudia *Sernam* memoratur in scacario anno 1474, ex Arturo, de quodam sacello B. Mariæ fundato in ecclesia monialium. Obiit 7 Novemb. sepulta ante altare B. Mariæ.

XVII. Elisabetha *de Brucourt* defuncta 19 Novembris, jacet ante majus altare.

XVIII. Margarita II *Waquart* obiit 8 Sept. 1504, & jacet ibidem.

XIX. Jaquelina *de Hulleul* obiit 22 Dec. 1504, & jacet ibidem.

XX. Margarita III *Baigmart* obiit 5 Jan. B

XXI. Ludovica *le Clerc* 21 Octob. 1509, in chartis authenticis D. *de Gaignieres*.

XXII. Dionysia *de Razé-le-Clerc* præerat anno 1521, obiitque 20 Oct. 1531, sepulta ante majus altare.

XXIII. Margarita IV *de Montblaru* ex priore a monialibus electa abbatissa, a ministris episcopi Lexoviensis recusata, a ministris archiepiscopi Rotomagensis confirmatur 28 Junii 1532. Obiit 29 Januarii 1548, jacetque ibidem.

XXIV. Maria *de Briqueville* erat abbatissa S. Desiderii, cum votorum fide soluta, nupsit 1 Carolo *de Harcourt* equiti torquato, 2 Petro *de Harville*. Filia erat Francisci *de Briquèville* & Florenciæ *de Clere*. C

XXV. Judith *de Pons*.

XXVI. Jolanda *de Mailloc* electa 3 Julii 1557. Cessit 1599, obiitque 14 Oct. 1625, tumulata ante majus altare.

XXVII. Maria II *de Raveton* electa 15 Aug. 1599, chorum clausit. Cessit anno 1634, obiitque 24 Aprilis 1651.

XXVIII. Maria III *de Raveton de Chauvigny* Mariæ neptis & coadjutrix Maria cedente fit abbatissa 8 Dec. 1634. Benedicta est Parisiis in ecclesia monialium de S. Thoma ab Henrico *de Maupas du Tour* episcopo Aniciensi 26 Junii 1651. Coadjutricem habuit Mariam-Elisabetham *de la Rochefoucaud* postea abbatissam sancti Salvatoris Ebroicensis 1650. Maria vero cessit sequenti, & obiit 20 Novembris 1669. D

XXIX. Carola de *Matignon* apud Thorigniacum nata 28 Maii 1639, parentibus Francisco *de Matignon* equite torquato & Anna *Malon de Bercy*, monialis Castellionis an. 1665, postea sancti Desiderii abbatissa electa 8 Martii 1668, ecclesiam & ædes reparavit, obiit 6 Maii 1703.

XXX. N. *de Culan* electa est 15 Augusti 1703. E

XXXI. Perretta-Maria *de Culan* nata est anno 1662 parentibus Ludovico *de Culan* & Genovefa-Maria *de la Boissiere de Chambors*. Ex moniali Argentoni nominata a rege abbatissa sancti Desiderii 15 Augusti 1707, benedicta est ab episcopo Lexoviensi 8 Septembris 1715, obiit mense Februario 1747, annos nata 85.

XXXII. N. *de Vaulanglart* nominata est a rege 4 Martii 1747.

S. BARBARA IN ALGIA.

IN Algia pinguissima diœcesis Lexoviensis regiuncula situs est celeberrimus canonicorum regularium S. Augustini prioratus, S. Barbaræ virgini & martyri consecratus, cujus reliquias e Græcia allatas in ecclesiam S. Martini de Escasolo intulit Robertus filius Odonis Stigandi pagi domini, qui præbendas & sex canonicos seculares instituit, ut divinum officium in ecclesia peragerent. Defuncto Odone, Mauritius Roberti natu major, cui baronia de Scajoleio devenerat, castellum patris evertit, augustamque loco prioris sacelli in honorem B. Barbaræ construxit basilicam. Illic canonicos regulares ex Augensi cœnobio adductos collocavit anno 1128. Rabellus camerarius, qui Agnetem uxorem duxerat Mauritii & Roberti germanam & post eos ex asse heredem, canonicisque præfecit Guillelmum de Ebroicis regium thesaurarium, qui nuper in eremo castro Britolio adjacente habitum religionis assumserat. Hic assumtis secum duobus sociis anno eodem ecclesiam S. Barbaræ favente Johanne episcopo Lexoviensi adiit. Paulatim crevit hæc canonia, quam non solum reges, proceres ac episcopi donis ac bonis maximis ditaverunt tam in Anglia quam in Francia, ut videre est in Monastico Anglicano tom. III, pag. 1010, sed etiam summi pontifices, privilegiis, indultis, exemtionibus aliisque favoribus & gratiis amplissimis cohonestarunt, quales Innocentius II anno pontificatus 3, Adrianus anno 1156, Lucius II anno 1184, Alexander III, Gregorius VIII anno 3, Urbanus II anno 11, Bonifacius VIII an. 1298. Prioribus regularibus successere commendatarii, quorum postremus resignavit Jesuitis collegii Cadomensis an. 1607. Ch. XIV. col. 299.
Jam multi anni sunt, quibus canonici regulares congregationis Gallicanæ hoc potiuntur beneficio.

PRIORES.

I. GUILLELMUS I de Ebroicis novellæ plantationis rector accitus anno 1128, abbatis nomen refugit, prioris titulo & officio contentus, in ordinanda domo multam & longam operam navavit. Præbendas ecclesiæ S. Stephani de Mesnillo Maugerii favente Arnulfo Lexoviensi episcopo ecclesiæ S. Barbaræ adjecit. Canonicos suos in Anglia apud *Bexfort* & Celestcordiam, in Normannia vero in ecclesiis S. Laudi Rotomagensis & Constantiensis instituit. Ter Romam pro sustentando novello grege petiit & a summo pontifice exauditus est. Arnulfus aliquando Lexoviensis episc. Jerosolymam migraturus, ovium suarum curam Guillelmo præ ceteris commisit, ejusque post maximos exantlatos labores defuncti die 13 Januarii 1153 exequias celebravit.

II. Daniel Anglus juvenis in Nortmanniam transfretavit, ubi Guillelmi disciplinæ sumto religionis habitu se mancipavit. Factus ab eo aliquanto post supprior, tum fratribus qui in Anglia morabantur præfectus est, ac ab eo moriente successor designatus. Defuncto itaque

Guillelmo; a fratribus præeunte episcopo prior A S. Barbaræ dictus est Daniel, missique ad eum in Angliam qui eum deducerent. Daniel primum modestia reniti, at jubenti episcopo & minanti obsequendum fuit. Migravit igitur in Normanniam, ubi ab episcopo regendæ domui præfectus, brevi tantam apud regem, pontifices & proceres gratiam sibi conciliavit, ut multa domui beneficia inde provenerint. Mortuus est 21 Martii.

III. Gaufridus defunctus 16 Novembris.

IV. Galterus rem habuit cum Lisiardo episcopo Sagiensi & cum abbate Troarnensi pro abbatia Conchensi circa 1195. Obiit 18 Apr. B

V. Guillelmus II Eremita notatur annis 1209 & 1210. Obiit 29 Januarii.

VI. Henricus, ad quem rescriptum dedit Honorius III, pro terminanda lite inter abbates S. Taurini & S. Leufredi ac monachos Fiscannenses super electione abbatis Fiscannensis. Mortuus est 28 Augusti.

VII. Rogerius, cujus obitus incidit in 19 Februarii, nonnulla concordavit pro abbatia Lirensi. Occurrit adhuc an. 1226 & 1235, inquit Arturus, qui laudat chartularium Uticense, ubi tamen denotatur litera majuscula A loco R, certe abdicante Rogerio electus est sequens. C

VIII. Philippus I prior de Guerardivilla una voce dictus est prior S. Barbaræ a 66 canonicis primo dicente Rogerio superiore anno 1247 in festo SS. Fabiani & Sebastiani, & in crastino ab episcopo Lexoviensi confirmatus. Obiit 19 Februarii.

IX. Nicolaus migravit 12 Julii.

X. Radulfus notatus 1276 moritur 2 Nov.

XI. Dionysius 26 Junii.

XII. Robertus I Burgensis 27 Februarii.

XIII. Guillelmus III de Alneto 25 Sept. circa 1332.

XIV. Guillelmus IV Lucii, al. Luciæ, 4 D Septembris 1335.

XV. Guillelmus V de Valle seminata 9 Januarii 1352.

XVI. Guillelmus VI Lamberti 28 Aug.

XVII. Guillelmus VII de Vallewarini 22 Junii 1385.

XVIII. Ludovicus Vigorosi, al. *le Mignereux*, 3 Decembris 1408.

XIX. Egidius Fabri, cui Johannes XXIII & successoribus indulsit usum annuli pontificalis XII calendas Aug. pontificatus anno 1. Obiit 28 Februarii 1417.

XX. Robertus II de Cauchea 19 Dec. 1418. E

XXI. Jacobus *Ratel* 12 Dec. 1442.

XXII. Richardus *Maloisel* 21 Junii 1454.

XXIII. Philippus II *de Courmarel* 22 Oct. 1484. Capitulum construxit.

XXIV. Johannes I *Ingier* 13 Maii 1494, cujus est hoc epitaphium.

Mole sub hac lapidis somnum capit ille Johannes
Ingier, *exspectans judicis ora sui.*
Æmulus hic pacis, veneranda forma senecta.
Mutuo solvit humo, spiritus orat opem
Sollicitus, qui dum vitales carperet auras
Nomine, re pariter, vixit in orbe prior.
Nummis emta suis vicina baronia quondam
De Mesidone, solet hos habitare lares.
Ænea quem rursus structura, canuntque cathedræ,
Hospita testudo, magnaque gesta domi.

XXV. Georgius *d'Arcques* spiritum emisit 25 Julii 1496.

XXVI. Stephanus *Blosset* episcopus Lexoviensis 31 Augusti 1505.

XXVII. Johannes II *Cousin* 1 Augusti circa 1515, post quem recensetur Nicolaus *Fouquet.*

XXVIII. Gabriel *le Boulanger* cessit sequenti, & obiit 13 Maii 1560.

XXIX. Nicolaus II *Fouquet* 21 Junii 1554.

XXX. Ludovicus *de la Menardiere*, etiam abbas Barbereii, primus fuit commendatarius.

XXXI. Robertus III *de la Menardiere* cantor sacræ capellæ Parisiensis & abbas S. Columbæ, cedente patruo prioratum S. Barbaræ obtinuit, quem Jesuitis Cadomensibus dimisit 30 Dec. 1607, concedentibus canonicis an. 1609. Char. col. 29

MONS-DEI.

MONTI

SIta est abbatia B. Martini de Monte-Dei, ordinis Præmonstratensis, in solo satis amœno, duabus a Bajocis distans leucis, quinque vero aut sex a Cadomo, intra fines quinque parochiarum, quæ episcopali Lexoviensis antistitis subjacent jurisdictioni, ultro cedente Bajocensi episcopo, eo quod baronia de Nonanto, quæ a Bajocis ad Cadomum protenditur, parochias & abbatiam complectens, paternum esset jus Jordani fundatoris, ut tradit Arturus. Ceteris suo situ locis eminet, monticulo *d'Aé* insidens, a quo primum appellationem mutuata, inde dicta est Mons Auxilii & Mons-Dei. Fundatorem agnoscit & diœcesanum Johannem *du Hommet*, qui factus est episcopus ante annum 1202, si legitima sit charta Thomæ *le Comte* de Iveto & Sibilla uxore quidquam hoc anno abbati sancti Martini vendentibus, relata ab Annalista ordinis. Jordanus autem totum clausum, in quo ædificia construuntur in parochia *de Ivés*, ubi quidam inhabitabat anachoreta, acquisivit a Radulfo de Perceio milite & custodiendum commisit abbati de Lucerna, ut in eodem instituerentur Præmonstratenses, annuente capitulo generali VII id. Octobris 1216. Præter Jordanum auctorem & Radulfum de Perceio, inter benefactores recensent Alienorem comitissam Saresberiensem, Franciæ reges Ludovicum IX & Philippum IV, episcopos Lexovienses & Bajocenses, &c.

ABBATUM SERIES.

I. ROGERIUS I *de Ivés* primus abbas Montis Dei, obiit IV idus Junii 1215, ex necrologio.

II. Richardus I an. 1225 VII idus Jan.

III.

III. Rogerius II quædam tradit in feudum anno 1242, moriturque v idus Novembris.

IV. Gabriel *du Fay* 1276, defunctus XVIII calendas Septembris.

V. Gaufridus I mortuus 1280 mense Martio.

VI. Gaufridus II *Blason* ex canonico Lucernæ abbas Montis Dei, animam Deo reddidit 1312.

VII. Gaufridus III de Campo repulso 1318. Notatur in necrologio pridie nonas Januarii & III cal. Novembr.

VIII. Radulfus de Aurea-valle canonicus Lucernæ, anno 1327.

IX. Richardus II Simonis defunctus IX cal. Februarii 1349.

X. Robertus I *Garet* sedebat annis 1360, 1363 & 1378. In fata concessit IX cal. Aug.

XI. Gaufridus IV *Baudoin*, al. *Randouin*, 1389, mortuus est IX calendas Martii.

XII. Robertus II de Bacilleyo canonicus Lucernæ anno 1400, is forte qui fidem juravit Henrico V Angliæ regi, anno regni 5. Memoratur in necrologiis Bellæ stellæ 31 Martii, Lucernæ cal. Apr. & Montis Dei v non. Apr.

XIII. Thomas I Arnulfus Angliæ quoque regi sacramentum fidei præstitisse videtur anno 6 Henrici V. Occurrit an. 1421. In cœlum abiit 11 Junii in necrologio Bellæ stellæ, & calendis Junii in obituario Montis Dei.

XIV. Johannes *Louis*, ad quem Eugenius IV bullam direxit 13 Novembris 1432 ut petita a Nicolao *de Clemengis* examinaret.

XV. Guillelmus I ab Eugenio IV deputatus, episcopum Bajocensem cum canonicis conciliavit 4 Aprilis 1440 (1441).

XVI. Petrus cum Thoma abbate Bellæ stellæ electioni abbatis Lucernensis adstitit 1452, superstes adhuc 1457.

XVII. Thomas II Petri nepos 1465. Migravit a seculo IV nonas Martii.

XVIII. Guillelmus II *le Bigot* 1470, memoratus in necrologiis v calendas Maii & XIV calend. Junii.

XIX. Johannes I *le Barberel* 1482. Notatur in obituariis v idus Sept. & XIV cal. Junii.

XX. Samson filius Ascelinæ *de Crepon* 1487. Diem suum obiit III nonas Novembris.

XXI. Laurentius de Cusseyo 1490, defunctus III nonas Aprilis.

XXII. Nicolaus *de la Boyssaine* 1497, obiit XII calend. Septembris.

XXIII. Egidius I *l'Ours* scacario interfuit an. 1497. Memoratur an. 1507 in regestis scacarii. Cessit 1512 in manibus patrum synodi Pisanæ Lugdunum ad tempus translatæ in gratiam sequentis, & excessit e vita VII cal. Febr.

A XXIV. Johannes II *Ferey*, al. *Ferry*, nobilis, canonicus Præmonstrati, a patribus synodi Pisanæ cedente avunculo nominatus anno 1512, filiationem Montis-Dei literis ad Franciscum *Coignon* Lucernæ abbatem datis an. 1525 agnovit. Cessit in manibus summi pontificis an. 1555 in gratiam sequentis, & obiit idibus Julii 1557.

XXV. Egidius II *de Valognes* ad Deum migravit VII idus Aprilis 1562.

XXVI. Johannes III, al. Guillelmus, *Poyneau* 1564.

XXVII. Julianus *Guicharda* nefario in ædibus abbatis gladio perimitur v idus Sept. 1565.

XXVIII. Guido *Hamel* subita morte correptus obiit pridie idus Julii 1572. B

XXIX. Johannes IV *Bourdon* cessit in manibus summi pontificis 1587.

XXX. Franciscus *de Bouillonnay* vir nobilis, a summo pontifice nominatus, collapsam penitus regularem disciplinam restituit, reditus recuperavit & duplicavit, ecclesiam altaribus decoravit, dormitorium construxit, ædesque labentes relevavit & collapsas ædificavit. Defunctus 18 Oct. 1631, conditus jacet ante majus altare cum hoc epitaphio.

En qui congessit, dicant altaria, cælo
Quas Franciscus opes egerat ante necem.
C *Bullisse ipsius divino apparet amore*
Pectus, Bullonii vox bene namque canit.
Numquid tantus amor tantumque altare tulerunt
Franciscum cælis! Id meruere satis.

XXXI. Claudius-Philippus *le Clerc du Tremblay* canonicus Parisiensis, etiam abbas Belliloci Macloviensis, primus & unicus commendatarius in defuncti locum a rege suffectus, reformationem in monasterio Montis-Dei ad canonicorum vota procuravit anno 1634. Obiit 4 Septembris 1704, ætatis 91. Conditur Parisiis in ecclesia metropolitana.

XXXII. Philippus *l'Hermite* canonicus Præmonstrati, congregationis reformatæ pluries definitor, electus abbas Montis-Dei 31 Octobris anno 1704, ecclesiæ a fundamentis renovandæ dum incumbit, occumbit XV cal. Julii 1725, apoplexia correptus, annos natus 73. D

XXXIII. Olivarius *Jahouel* ex priore Ardenensi coadjutor Montis-Dei mense Febr. 1719, fit abbas an. 1725. Ecclesiam perfecit, ædesque alias inchoabat, cum refluente suffocatus humore animam egit pridie calend. Aprilis 1738, homo religiosus & doctus.

XXXIV. Ludovicus *Reusse* ex priore Seriaci nominatus est a rege abbas an. 1738.



CONSTANTIENSIS ECCLESIA.

INferioris Normanniæ urbs Constantia in provincia Lugdunensi secunda, Oceano propinqua, collis vertici assidet pluribus aliis circumcinctæ. Sunt qui veterem, sunt qui recentiorem existimant. Qui stant pro veteri Unellos a Cæsare inter Armoricas civitates Oceanum attingentes in libris II, III ac VII memoratos, a Plinio Venellos dictos in Gallia, a Ptolemæo Venelos quibus præfuit Viridorix, non alios esse a Constantiensibus censent, eo fulti fundamento quod hodieque Constantienses Bajocassesque confines sint, quos Ptolemæus quoque conjungit ac contiguos facit. Quoad caput gentis sedemque episcopatus non ita consentiunt: Crociatonum enim quod Hadriano Valesio pro Constantia est, Carentonum Sansoni fuerat, utrique dissonus Brietius Cosediam in tabula Peutingeriana Crociatono inferiorem Constantiam interpretatur. Sunt qui nullam ante Flavium Constantinum-Augustum Chlorum & pauperem cognominatum, patrem Constantini maximi Augusti Constantiam fuisse ejusque nomine appellatam autumant: hique auctoritate Orderici Vitalis communique ejus ætatis opinione nituntur. *Hic*, inquit Ordericus, *in Neustria civitatem condidit, quam a nomine suo Constantiam nominavit.* Ætate igitur Orderici regionis hujus incolæ Constantium Chlorum Augustum conditorem suum agnoscebant, qui trajecturus in insulam Britanniam hic stativa forte habuerit, cujus ex castris urbs facta est. Huicque opinioni favere videtur Ammianus Marcellinus, castra Constantia Constantiam urbem appellans. Quibus vero tam cito crescere, aut de nihilo statim civitas celebris & sedes episcopalis evadere minime potuisse videtur, ab uno e tribus Flaviæ gentis imperatoribus reparatam, operibus ornatam & præsidio militum primæ Flaviæ legionis munitam fuisse arbitrantur, ita ut pro auctore altero ac conditore suo eum habuerit, & veteri nomine deposito, Constantia appellata fuerit. Quidquid sit, muris antiquitus circumsepta est, quos funditus disjecit Ludovicus XI. *Carolo* enim *Ludovici XI germano quorumdam procerum principumque suggestione ducatum Normanniæ non precario, sed vi impense ambiente, cum via sibi per posticum episcopalis domus aperta esset, rex idcirco indignatus incolis qui a fide defecerant, cavit decreto suo in pœnam criminis, quod funditus solo everterentur civitatis mœnia, quæ nulla vel pretii, vel precum sollicitatione restitui potuerunt.* Hæc Robertus Cenalis lib. II, qui de hac urbe loquens, addit: *Habet in templi sui meditullio merito suspiciendum spectaculum miræ architecturæ contextum, e cujus abside si quis lapillum dejecerit, nunquam a puncto designato ultra citrave dimovebitur instar laternæ vitreæ in sublime erectum: vitream arcem merito dixeris, opus sane venustum & elegans. Urbem præterea insigniter ornat aquæductus ad milliaris semissem, ingenti impensa & opera arcuatim suppositis fornicibus longo ductu protensus, cujus artificii ope civitas alluitur & rigatur. Denique si mœnibus conclusa foret, quis vetet civitatem illam Constantinopolim Neustriæ maritimæ appellari!* Hanc constituunt in civilibus comitatus, præturæ tribunal, ballivatus, vicecomitatus, electionis, senescalliæ, aquarum & silvarum sedes judiciariæ, quæ senatui Rotomagensi subjacent. Quoad res ecclesiasticas, capitulum constat 26 canonicis & octo dignitatibus, cantore, quatuor archidiaconis, scholastico, thesaurario & pœnitentiario. Sunt quoque in eadem ecclesia sex vicarii chori, 42 capellani & 14 cantores, sex pueri chori & corpus musices. Præter majus templum beatæ Mariæ dicatum, duæ exstant in suburbiis parochiæ, S. Petri [a] & S. Nicolai [b], cœnobia duo Dominicanorum & Capucinorum, parthenones totidem, Benedictinarum unus & alter Hospitalariarum S. Augustini. Xenodochium antiquum ab episcopis fundatum, regitur a sex religiosis ordinis clericorum regularium S. Augustini episcopo subjectis. Non ita pridem constructum est seminarium ab episcopis, & concreditum presbyteris congregationis Jesu & Mariæ, dictis Eudistis. Diœcesis a Boreali plaga oceano clauditur, ab Austro Abrincensi & Bajocensi tractu, ab ortu Viria fluvio. In ea occurrunt oppida plura, præcipua sunt Valloniæ, Carentonum, S. Laudus, olim Briovera, Cæsaris-burgus & Grandisvilla, plurimique vici, in quibus numerantur circiter 550 parochiæ, decemque abbatiæ, de quibus singillatim post episcoporum seriem loquemur. Hanc ad texendam maximo nobis auxilio fuit *N. Pouret* hujus ecclesiæ canonicus & pœnitentiarius.

[a] Ecclesia S. Petri ab antiquis temporibus exstructa, a Guillelmo duce donata est anno 1056 canonicis, qui eam administrantes adhuc 1221, largiti sunt clericis regularibus xenodochii. Inclinatam seculo XV reposuit Gaufridus *Hebert* episcopus.

[b] Ecclesia S. Nicolai prius in cathedrali, constructa est prope capellam S. Flocelli, ad quam transierunt parochiani arbitrorum sententia lata 1241.



EPISCOPI CONSTANTIENSES.

ANNI CHRISTI

I. S. Ereptiolus.

Constantiensium episcoporum catenam orditur Ereptiolus in indicibus Constantiensi, Thuaneo & Sanvictorino. Hunc tradunt ortu Constantiensem, factum Rotomagi christianum, inde Constantias prædicandi evangelii causa missum & defunctum fuisse circa annum 475. Alii Ereptiolum B. Germani Autissiodorensis episcopi discipulum opinantur, qui ab eo in Britanniam transfretanti Constantiensibus apostolus datus fuerit.

II. S. Exuperius.

Exuperius, qui Exupericus, Exuperatus & Exuperantius passim legitur, Ereptiolum sequitur in iisdem catalogis.

III. S. Leontianus.

Leontianus, qui Leonatus, Leonius & Leon-
511. tius, concilio I Aurelianensi an. 511 subscripsit. Paternum, qui seculo sexto factus est Abrincatensis episcopus, ut diœcesi suæ strictius obligaret, diaconum ac mox presbyterum ordinavit.

IV. S. Possessor.

S. Marculfum presbyterum sacrique verbi præconem per diœcesim suam instituit Possessor,
Nantum. qui a Childeberto rege Chlodovæi filio Nantum ad ædificandum monasterium obtinuit.

V. S. Laudus.

A Gildardo Rotomagensi præsule consecratus Laudus, qui & Lauto, Andegavos venit, ubi tunc sedebat S. Albinus, cum Victore Cenomannensi, Melanio Redonensi & Masso Nannetensi episcopis, ex scriptore vitæ S. Melanii, cujus S. pontificis funus cum iisdem episcopis curavit. Adfuit synodis Aurelianensibus II & III
533. annis 533 & 538. Ad IV anno 541 Scubi-
538. lionem presbyterum misit. Ipse vero quintæ anno
541. 549 sic subscripsit: *Lauto in Christi nomine epi-*
549. *scopus ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis*, quo nomine castrum, quod postea S. Laudi dictum est intelligi debet: nam Briovera idem est ac Briaveræ; Briva vero pons est ac transitus, vera autem seu Viria est fluvius, ad quem sita est urbs a S. Laudo nomen postea sortita, qui ibidem sedem aliquandiu habuit, ubi etiam sepultus dicitur. S. Marculfo abbati Nantuensi circa 556 & sancto Paterno morientibus adfuit, cujus ultimi mortui
565. exsequias curavit apud Sesciacum anno 565, ex Mabillonio. Sunt qui opinantur sanctum Laudum defunctum anno ætatis 58 sedisse 46 annis, unde sequeretur duodennem eum ad episcopatum assumtum esse, quod nec ab ullo auctore synchrono asseritur, nec verisimile videtur. Populari huic traditioni favere utcumque potuit, quod duæ ecclesiæ S. Laudulo dicatæ sint in hac diœcesi

A quasi Laudo juniori, vulgo *S. Loüet*. S. Laudi festum agitur 22 Septembris in martyrologio Romano & 21 in additionibus Molani ad Usuardum, ubi perperam dicitur S. Laudus primus Constantiensis episcopus. Habet nominis sui abbatiam & urbem in Constantiensi pago, ecclesiamque parochialem Rotomagi cum insigni prioratu canonicorum regularium, qui uti ecclesia parochialis juris est episcoporum Constantiensium, quibus cum parochia B. Mariæ in castro sancti Laudi & aliis confirmata fuere a Guillelmo Normanniæ duce an. 1056. Sacræ sancti
B Laudi reliquiæ postquam diu quievissent in fano sancti Laudi Constantiensis pagi, ad S. Laudum Rotomagensem translatæ sunt, inde Andegavum, tandem Tutellas, ubi nunc honorifice asservantur. Harum portiones non modicas canonici Constantienses a canonicis sancti Laudi Andegavensis impetrarunt anno 1632. Alias a Julio *Mascaron* episcopo & a capitulo Tutellensi obtinuit Jacobus *de Matignon* tunc episcopus Condomiensis, quas solenni ritu in ecclesiam B. Mariæ de S. Laudo transtulit Carolus-Franciscus *de Lomenie* episcopus Constantiensis die 3 Maii, feria III post Pentecosten an. 1679.

C

VI. S. Romacharius.

Romacharius, inquit Gregorius Turonensis lib. VIII Hist. capite XXXI, Constantinæ urbis episcopus advenit ad sepeliendum Prætextatum Rotomagensem pontificem, qui percussus occubuit anno 586. Hunc eumdem vult Cointius ac 586.
Maracharium, qui a Felice Nannetensi episcopo vocatus est ad dedicationem ecclesiæ, quam exstruxerat circa 568, quod Marachario Engolismensi attribuimus tom. II, col. 980. Confunditur quoque Romacharius cum Romphario, qui
D natione Britannus, Hermolai & Delfinæ filius Barbefluctum appulit, ubi postquam diu solitarius hæsisset, S. Laudo datus successor, ab ipso Prætextato ordinatus est episcopus. Colitur die 19 Novembris. Ejus reliquiæ cum sacro corpore S. Laudi leguntur tempore Theoderici Rotomagum translatæ.

5 Ursicinus qui sequitur in catalogis, idem forte est qui alteri Constantiæ circa idem fere tempus præfuit.

VII. Ulfobertus.

E

VIII. Lupicinus.

5 Post Lupicinum in vulgata episcoporum Constantiensium serie ponitur Nepus, quem omisit Cointius post fratres Sammarthanos, eo quod nullo certo constet argumento eum Constantiæ sedisse.

IX. Chairibonus.

Chairibonus, qui corrupte Cratibo & Trabus

ANNI CHRISTI

vocatur, subscripsit concilio Cabilonensi anno A circiter 648.

X. Waldalmarus.

Baldomerus, seu Waldalmarus subscripsit privilegiis pro S. Dionysio, Landerici Parisiensis
653. episcopi & Chlodovæi II anno 653.

XI. Hughierius.

Hughierius, seu Hildericus, is esse videtur Mabillonio, qui subscripsit privilegio sancti Petri
658. vivi anno 658.

XII. Frodomundus.

Frodomundus in vulgatis indicibus dictus Rotmundus, quem e pago Ebroicensi ortum ferunt, monasterium in diœcesi Constantiensi duabus ab Oceano leucis pro virginibus condidit sub titulo B. Mariæ, modo S. Petri de Hamo, anno 3 sui pontificatus, 4 Theoderici regis,
677. Christi 677, uti diserte probat inscriptio triplex sub altari matutinali illius ecclesiæ reperta seculo superiore exeunte. Modo cella est, seu prioratus ab annis septingentis subjectus Carnutensi sancti Petri abbatiæ ex dono Aresasti fratris Gonoris uxoris quondam Richardi primi Normannorum ducis. Vide Mabillonium Annal. t. I, p. 538, 539 & 697.

XIII. Willebertus.

Concilio Rotomagensi anno 693 interfuit Willebertus, qui idem sane est ac Aldobertus notatus in catalogis.

¶ Toto octavo seculo & historici desunt & monumenta vetera, quibus episcoporum nomina, ætas & acta illustrantur. Veteres ipsi indices adeo variant, ut iis vix ulla fides adhiberi valeat. Salomonem Willeberto subjiciunt nonnulli: at tres Constantiæ Germanicæ episcopi eo nomine vocati reperiuntur.

XIV. Agathius.

XV. Livinus.

XVI. Wilfridus.

XVII. Josue.

XVIII. Leo.

XIX. Angulo.

XX. Hubertus.

798. Alicubi notatur ad annum 798.

XXI. Willardus.

Idem videtur Baluzio ac Guiladus, qui con-
829. cilio Parisiensi adfuit an. 829. Subscripsit con-
835. cilio apud Theodonisvillam anno 835. Placito
837. Aquisgranensi adstitit an. 837. Superiore anno sævire cœperunt Normanni Hastingo duce, quorum persecutio amplius triginta annis duravit, ut legitur in tabulariis ecclesiæ.

XXII. Herluinus.

Privilegio Corbionensi dato apud Germiniacum an. 843 subscripsit Herluinus, qui synodo 843.
Parisiensi adfuit anno 846, ubi consensit privi- 846.
legio Corbeiensi. Adstitit synodis Suessionensi II
& Vermeriensi II anno 853, Bonogilensi 856, 853.
Metensi ac Tullensi apud Saponarias 859, Pi- 856.
stensi 861 & Suessionensi anno 862, ubi sub- 859.
scripsit privilegiis S. Dionysii & S. Vedasti. 861.
862.

XXIII. Sigenandus.

Cum Constantiensis episcopi titulo Sigenandus
B subsignat acta concilii Suessionensis III an. 866, 866.
sicut & epistolam synodicam ad Nicolaum papam de Britonum infestationibus. Legitur etiam ejus nomen in subscriptionibus privilegii concessi ab Hincmaro & aliis patribus synodi Vermeriensis
anno 866, aut 868, monasterio S. Vedasti 868.
Atrebatensis. In alia Vermeriensi an. 869 con- 869.
firmavit cum aliis episcopis præcepta regia pro Carrofensibus. Subscripsit adhuc concilio Ponti-
gonensi an. 876. *At secunda Rollonis illustrissimi* 876.
Normannorum ducis ebulliente persecutione, ejusdem Chart.
sacrosanctæ incarnationis an. 875, indict. octava, col. 217.
ut legitur in libro nigro Constantiensis ecclesiæ,
C *Walgria, Frisia, Flandria, Burgundia, Britannia* Ibidem.
& tota Neustria, quæ nunc dicitur Normannia, partimque Francia, inenarrabiliter desolatis, plurimæ captæ & concrematæ sunt urbes, oppida diruta, destructæ ecclesiæ, prædia sanctorum, & ecclesiastica jura & privilegia direpta, clerus & incola populus gladiis aufugit annullatus, sanctorum reliquiæ & corpora latibulis abscondita vel fugâ per diversas provincias exsportata. His itaque miseriis ingruentibus, sancta Constantiensis ecclesia quæ præterito jam multo tempore floruerat, jamque sub triginta L. viginti.
tribus episcopis Deo fideliter militaverat, funditus evertitur, clero & populo, prædiis simul & privi-
D *legiis privatur, reliquiis & sanctorum corporibus viduatur continuisque* LXXIIII *annis, ut legitur in chronicis, fœditate idololatriæ & paganis furibus conculcatur. Tanto vero desolationis hujus decurrente spatio, multi qui reliquias & corpora sanctorum detulerant, in exilio tam longo defuncti sunt, & ob hoc per diversa terrarum spatia corpora sanctorum multa defunctis custodibus remanserunt.*

XXIV. Lista.

Is esse videtur, aut sequens, qui a Normannis apud sanctum Laudum peremtus est, ut annotavit
Regino Prumiensis ad annum 890, cujus hæc 890.
E sunt verba: *Normanni a Matrona fluvio exeuntes Parisius revertuntur, & quia omnimodus descensus fluminis per pontem prohibebatur, tertio castra locant & iterato certamine prædictam urbem impugnant: sed civibus (continuis enim operum ac vigiliarum laboribus induruerant & assiduis bellorum conflictibus exercitati erant) audaciter reluctantibus, Normanni desperatis rebus naves per terram cum magno sudore trahunt, & sic alveum repetentes, in Britanniæ finibus classem trajiciunt. Quoddam castellum in Constantiniensi territorio, quod ad* S. Loth *dicebatur*

ANNI CHRISTI

obsident, & accessum ad fontem aquæ ex toto prohibentes, oppidanis siti arescentibus fit deditio eo pacto, ut vitâ tantum concessâ cetera tollerent. Illis a munitione progressis, gens perfida fidem & promissa data profanat, omnesque absque respectu jugulat, inter quos episcopum Constantiensis ecclesiæ perimunt.

XXV. Ragenardus.

XXVI. Herlebaldus.

Rexit is episcopatum Carolo simplice regnante
905. an. 905, qui ab ipso impetravit licentiam retinendi corpus S. Marculfi, quod ex Nantensi cœnobio diœcesis Constantiensis advectum fuerat Corbiniacum fiscum regium ob Normannorum infestationem. Exstat in archivo S. Remigii apud Remos authenticum Caroli simplicis diploma.

XXVII. Agebertus.

XXVIII. Theodericus.

Chart. I. col. 218.
911. *Rollone autem potentissimo duce sanctæ fidei & secundæ regenerationis fonte rênato anno 911, indictione XIV, & post biennium cum Carolo rege pacificato, corpora sanctorum Constantiensium episcoporum Laudi atque Rumpharii, quæ exportata fuerant (Bajocas scilicet) Rotomagum sunt delata, atque in ecclesia sancti Salvatoris concessu Rollonis recepta. Igitur Rollo qui & Robertus nomine sacri baptismatis, dedit eamdem ecclesiam, in qua sunt prædictorum sanctorum corpora suscepta, B. Laudo, necnon & domno Theoderico, qui tunc temporis Constantiensis episcopus erat, & omnibus successoribus ejus jure perenni; terram quoque juxta prædictam ecclesiam, ubi maneret episcopus cum clericis suis qui ecclesiæ servirent. Quia vero Constantiensis pagus christicolis vacuus erat & paganismo vacabat, prædictus Constantiensis episcopus B. Laudo & ipsius ecclesiæ Rotomagi serviebat, ibique sicut in sede propria sedebat: ipsa quoque ecclesia, quæ transacto longo tempore vocata fuerat S. Salvatoris, ob honorem & merita sancti & gloriosi hospitis nominata dicitur, & est S. Laudi. Reviviscente vero Dei gratia religione christiana Constantiis & ejusdem circumquaque finibus, ex deliberatione & temporis & rei necessitate veniebat huc sæpedictus præsul, dispositisque ecclesiasticis propriisque negotiis Rotomagum reversus, ibi velut in propria sede morabatur, scilicet episcopale officium agens libere in ecclesia S. Laudi, sicut in Constantiensi. Hæc igitur est vera & certa ratio, qua hucusque Constantiensis præsul nominatur episcopus de S. Laudo. Sederunt itaque ibi præcipue quam Constantiis quinque episcopi, prædictus scilicet Theodericus, Herbertus, Algerundus, Gilbertus & Hugo.* Ita legitur in libro nigro.

XXIX. Herbertus I.

XXX. Algerundus.

XXXI. Gilbertus.

[1] Rotomagi jacet in ecclesia S. Laudi, ex codice Sanvictorino.

XXXII. Hugo I.

Charta I. col. 218.
Evoluto autem toto tempore ducaminis invictissimi Rollonis, sed & filii ejus Willelmi marchionis, pariter & ducis, &, ut legitur, Christi martyris, Richardus hujus Willelmi filius, marchio famosissimus, dux bellicosus, inexpugnabilis, imperterritus, fide tam pius quam catholicus, sanctam Constantiensem ecclesiam largius quam ceteri sublimare decrevit: canonicos namque instituit, & terras & reditus unde viverent dedit & confirmavit. Verum mundi labentis casibus more solito nunc desursum nunc deorsum gyrantibus, præscriptus episcopus Hugo septem canonicos de his qui Constantiensi ecclesiæ deputandi erant, ad sæpedictam ecclesiam S. Laudi, ubi Rotomagi morabatur transtulit. Ita MS. codex Constantiensis. Præterea Hugo adfuit dedicationi ecclesiæ Fiscannensis anno 990. Fiscannum advocatur cum aliis Normanniæ episcopis a Richardo II duce an. 1006. Subscripsit chartis Richardi II Normanniæ ducis, pro ecclesia S. Quintini an. 1015, & Willelmi Divionensis abbatis pro fundatione monasterii Fructuariensis anno 1017; subscripsit & diplomati Richardi II Normannorum ducis pro Fontanella an. 1020. Vixit usque ad annum 1025, ex supradicto codice. 990. 1006. 1017. 1020.

XXXIII. Herbertus II.

Defuncto Hugone episcopo, Herbertus episcopatum accepit. Uno tantum anno sedit apud S. Laudum super Viriam fluvium. Hic quosdam canonicos, qui scilicet minus urbani minusque faceti videbantur, ab ecclesia Constantiensi radicitus tanquam illiteratos & inutiles extrudit, eorumque terras & possessiones non modicas, donec eruditiores & aptiores restitueret, in dominio suo retinuit: sed anno sequenti Herbertus Lexovium translatus est. Id asseverant cathedralis documenta.

XXXIV. Robertus I.

Ibidem.
Herberto successit Robertus, qui fuerat episcopus Lexoviensis. Sedit quoque apud S. Laudum Constantiensem sicut Herbertus, & præbendas prædictorum canonicorum (ab ecclesia ejectorum) non solum servitio ecclesiæ non restituit, verum etiam hæc & alia in feodum & hereditatem nepotibus, & consanguineis, & sororibus suis non large, sed prodige distribuit. Hujus autem temporibus incæpta & ex parte constructa est Constantiensis ecclesia, fundante & coadjuvante Gonorra comitissa, auxiliantibus etiam canonicis, reditibus medietatis altaris ad tempus operi concessis, cooperantibus quoque baronibus & parochianis fidelibus, quod usque hodie contestantur aliquot ipsorum nomina insculpta lapidibus in ecclesiæ arcubus. Robertus subscripsit chartæ Richardi II Normannorum ducis pro monasterio sancti Michaëlis de Monte; subscripsit confirmationi abbatiæ Bernaicensis an. 1025, chartæ Cerasiensi 1025.
anno 1032, & chartæ Roberti Rotomagensis 1032.
archiepisc. pro Carnutensibus S. Petri monachis. Adfuit Roberto eidem novam Fontanellensis monasterii basilicam consecranti anno 1033. 1033.

ANNI CHRISTI

Charta v. col. 129. Confirmavit donationes factas monasterio Conchensi anno 1035, ubi appellatur episcopus de sancto Laudo. Subscripsit terræ de Pyro, vulgo *Periers*, super Andelam fluvium donatæ monachis sancti Audoëni a Guillelmo Archensi comite & fratre ejus Malgerio archiepiscopo, qui concilium habuit Rotomagi, cui adfuit Robertus. Subscripsit adhuc chartæ sancti Eduardi Anglorum regis donantis monachis S. Michaëlis S. Michaëlem de Cornubia post annum 1043, quo regnare cœpit S. Eduardus.

DE MONTBRAY.

XXXV. GAUFRIDUS I.

Ibidem. *In his pro certo diebus*, ut legitur in libro nigro, *eadem rudis erat & imbecillis ecclesia* (Constantiensis) *quinque tantum canonicorum personis contenta, bibliothecis, chartis authenticis, canonialibus libris & ornamentis pene penitus destituta. Miserator autem & misericors dominus, patiens & multum misericors, hujus sanctæ pauperis ecclesiæ tandem misertus, quia venerat tempus miserendi ejus, ut suscitaret a terra inopem & de stercore erigeret pauperem, ut sederet cum principibus & solium gloriæ teneret, gratiam suæ benignitatis cœpit in multimodarum virtutum illustrare signis & miraculis, & corroborare caritate principum & regimine Gaufridi*
1048. *præsidis. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1048, duodecim tantum diebus ipsius anni restantibus, id est IV idus Aprilis, indict. 1, venerandus Gaufridus post Robertum Constantiensis episcopus Rotomagi consecratur nobilium baronum prosapia ortus, statura procerus, vultu decorus, prudentia consiliisque providus, quanquam sæpissime curialibus negotiis regiisque obsecundationibus irretitus, tamen ad ædificationem & incrementa ecclesiæ suæ omni nisu & voluntate promtior erat. Qui ut eamdem ecclesiam celebrem gloriosamque restitueret, in Apuliam & Calabriam adire Robertum cognomine Guiscardum parochianum suum aliosque barones consanguineos suos & alumnos & notos peragre profectus, multum in auro, & argento, & gemmis, & palliis variisque divitiarum donariis acquisivit, tresque asportavit phialas puro plenas opobalsamo aliaque pretiosissima, quibus postea præfatam ecclesiam intus & extus locupletavit, majoremque crucifixum largis sumtibus & tempore longo construxit. Cum autem non haberet in civitate, sive in suburbio, tantum possessionis ecclesiæ, ubi maneret episcopus, vel proprius equus ejus posset stabulari, sed neque propriam domum, nisi quoddam appendicium humile, quod pendebat de parietibus ecclesiæ, ipse prudentia sua & probitate valentiorem medietatem civitatis, suburbii, & telonei, & vectigalis, cum molendinis, & multas Grimoldi villas a Guillelmo invictissimo duce Normannorum, postea quoque glorioso rege Anglorum trecentis libris comparavit & acquitavit. Postea vero episcopalem aulam & reliquas officinas construxit, virgultum & vineam non modicam plantavit, capitium navis ecclesiæ cum area & hinc inde duo majora capitia nobiliora & ampliora construxit. Duas turres posteriores a fundamentis tertiamque supra chorum opere spectabili sublimavit, in quibus classicum consonans & pretiosum imposuit & hæc omnia plumbo cooperuit, &c.*

Et paulo post, *super hæc omnia pretiosum famosumque clerum, quo nihil pretiosius in ecclesia & utilius, in officium & servitium divini cultus delegavit septemque canonicos, quos episcopus Hugo Rotomagi in ecclesia S. Laudi irregulariter constituerat, apostolica auctoritate ecclesiæ matri revocavit, itemque duos alios adjecit, cantorem quoque & succentorem, & rectorem scholarum & custodes ecclesiæ constituit.* Hæc omnia desumta ex libro nigro ecclesiæ Constantiensis. Sed res gestas Gaufridi per ordinem recenseamus. De simonia insimulatus in concilio Remensi an. 1049, confessus est inscio 1045
se a quodam fratre suo emtum sibi episcopium fuisse; quod cum rescisset, ne contra fas ordinationem illam susciperet, voluisse aufugere, sed ab eodem violenter captum, episcopali contra voluntatem suam esse dignitate donatum, quod sacramento comprobare jussus, nec renitens, sic judicatus est simoniacæ hæresis non incurrisse facinus, quin immo Leonem IX Romam pergentem prosecutus est cum non paucis præsulibus Gallicanis, ibique sedit in synodo Romana, in qua Berengarius condemnatus est anno 1050. 1050
Subscripsit ibidem bullæ canonizationis sancti Gerardi episcopi Tullensis. Memoratur an. 1054 1054
in chartis Montis S. Michaëlis & Pratelli. Biennio post ab archiepisc. Maurilio, Gaufrido episcopo aliisque consecrata est Constantiensis ecclesia VI idus Decembris 1056 coram Willelmo Nor- 1056
mannorum duce, qui ipsa die nonnulla dedit & confirmavit possessiones ecclesiæ, in primis ecclesiam sancti Laudi super Viriæ fluvium, necnon terram quam dederat Gonnor famula Dei cum primum posuerat lapidem in fundamentis ecclesiæ, ex ejusdem chartulario, ubi legitur præbendarios qui de terris præfatæ ecclesiæ pertinentibus non canonice apud S. Laudum Rotomagi serviebant prænominatus dux corrigere studuisse. Concilio Rotomagensi adfuit Gaufridus anno 1063. De ejus consilio & licentia anno circiter 1064, Turstinus cum uxore Anna & filio Eudone construendum curavit Exaquium monasterium. Pugnæ Guillelmi ducis adversus Heraldum aderat pridie idus Octobris an. 1066 cum monachis & clericis multis, quorum officium erat, inquit Ordericus, pugnare precibus & consiliis. Paulo post adfuit coronationi Guillelmi Angliæ regis, in qua peroravit. Circa id tempus subscripsit diplomati ejusdem, & chartis baronum & nobilium Normanniæ pro abbatia S. Stephani Cadomensis. *Anno sequenti*, inquit Ordericus lib. IV, *Saxones occidentales de Dorseta & Sumierseta Montem acutum assilierunt, sed divino nutu impediti sunt: nam Guentani Lundonici, Salesberici Gaufrido præsule Constantiensi ductore, quosdam peremerunt, partim captos mutilaverunt, reliquos fugaverunt.* Adfuit Gaufridus dedicationi ecclesiæ Gemeticensis calendis Julii 1067. Subscripsit donatæ ecclesiæ *de Derhest* in Anglia monachis S. Dionysii in Francia anno 1069. Multas in Anglia possessiones obtinuisse auctor est Ordericus ad annum 1070: *Gaufredus Constantiensis episcopus, de nobili Normannorum progenie ortus,*

ANNI CHRISTI

qui certamini Senlacio fautor acer & consolator A *interfuit, & in aliis conflictibus qui postmodum advenas & indigenas utrimque contriverant, magister militum fuit, dono Guillelmi regis ducentas & octoginta villas, quas a manendo manerios vulgo vocamus, obtinuit, quas omnes nepoti suo* (Roberto filio Rogerii) *de Molbraio propter nequitiam & temeritatem suam non diu possessuro moriens dereliquit.* Vices regis tenuit in placito apud Pinendenam anno 1071 habito inter Lanfrancum Cantuariensem archiepiscopum & Odonem Bajocensem episcopum Cantiæ comitem. Subscripsit ordinationi latæ anno 1072 auctoritate apostolica de primatu ecclesiæ Cantuariensis adversus Eboracensem archiepiscopum. B Conflata circa 1074 summa conjuratione in Anglia adversus Guillelmum regem per Rogerium Herefordensem comitem, Radulfum aliosque proceres, protinus Gaufridus cum Odone aliisque episcopis partes regis suscipiens, ad arma cucurrit impetumque insurgentium magna strenuitate composuit. Interfuit anno 1075 licet transmarinus, sed quia multa in Anglia possidebat, concilio totius Anglicæ gentis episcoporum in Londinensi S. Pauli ecclesia. Præsens adstitit dedicationi ecclesiæ S. Stephani Cadomensis anno 1077. (Car. IV. c. 18.) Adfuit anno 1080 concilio apud Juliam bonam. C Subscripsit privilegiis Willelmi Angliæ regis pro monasteriis Exaquiensi anno 1080, & S. Edmundi pridie calendas Junii anno 15 Willelmi 1081, indict. IV, de libertate Melodunensis cœnobii anno eodem, pro monasteriis S. Carilefi & S. Stephani Cadomensis an. 1082, (Car. VI. c. 74.) eodemque chartæ Willelmi de Karilefo de libertatibus & possessionibus monasterii S. Euthberti, & diplomati Willelmi regis anno 18, Dunelmenses canonicos in monachos convertentis. Convenit anno 1087 ad exsequias regis ejusdem. Northanhumbrorum consulatum gerebat anno 1088, cum interfuit fundationi beatæ Mariæ Eboracensis in Anglia. D Anno 1091 cum dux Robertus Constantiensem pagum fratri suo Henrico vendidisset, alii præter Robertum domino obsequium negavit Gaufridus, qui multa hanc ob rem perpessus, ipso contradicente Roberto, propositi tenax duci Normanniæ addictus semper fuit. Per totam autem vitam diversis seu regni, seu domus suæ negotiis, sive etiam itineribus detentus, Petrum camerarium ecclesiæ decanum, diœcesi suæ & domui præposuerat. Obiit autem venerandus antistes Gaufridus, ob præclaras virtutes cognomento & per omnia bonus, IV nonas Februarii 1093, præsentibus Odone Bajocensi, Michaële Abrincensi, E Willelmo Dunelmensi episcopis, abbatibusque Gilberto Cadomensi, Rogerio Exaquiensi, Rogerio Montisburgi & aliis permultis. Rexit ecclesiam 45 annis 66 diebus minus, & sepultus est in stillicidio ecclesiæ, quod vivens humiliter & instanter postulaverat. Exstat in chartulario Constantiensi nænia prolixior de morte Gaufridi. Adjecta sunt ibidem vetera miracula in eadem ecclesia meritis B. Virginis perpetrata. Inter epistolas Lantfranci 32.ª inscribitur Gaufrido.

XXXVI. Radulfus.

Post obitum venerandi præsulis, ita legitur in tabulario, *successit in episcopatum Radulfus, qui archidiaconus fuerat, duobusque mensibus evolutis consecratus est Rotomagi Dominica I in Passione Domini, III nonas Aprilis. In hujus episcopatus initio decretum est canonicorum constitutione & ejusdem episcopi inenodabili sanctione ut anniversaria dies Gaufridi episcopi solemnis in ecclesia Constantiensi & in ejus diœcesi perenniter celebretur III nonas Februarii*, &c. Radulfus autem adfuit anno 1096 concilio Rotomagensi, ubi relecta sunt 1096. & approbata decreta concilii Claromontani superiore anno celebrati. Alteri synodo adstitit anno 1108. 1108 Rotomagi, ubi Serloni episcopo Sagiensi retulit patrata in ecclesia S. Petri Constantiensis portenta, unde in Normannia paulo post subsecutæ sunt multæ calamitates bellorum, tempestatum & famis, inquit Ordericus pag. 700. Nam idem episcopus paulo post defunctus est, & lethifera clades per totam ejus diœcesim debacchata est. Attamen Radulfus thesaurum Sagiensis episcopi a duobus clericis furto sublatum juxta altare monasterii sancti Martini Sagiensis reperit, & episcopo Sagiensi reddidit; qua de causa ecclesiam *de Pirou*, quam dederat Guillelmus, duobus clericis abstulit, & monachis S. Trinitatis Exaquiensis in eleemosynam dedit an. 1116, teste Radulfo, ex chartulario ejusdem monasterii: sed errorem suspicor, vel in notis chronologicis, vel in nomine episcopi, nudumque forte apicem R. in apographo scriptum, lectum & intellectum fuisse pro Radulfo Rogerii loco, & certe nuperus ecclesiæ Constantiensis scriptor defunctum Radulfum tradit an. 1110.

XXXVII. Rogerius.

Diplomati Henrici I Anglorum regis pro monasterio S. Georgii subscriptus legitur Rogerius anno 1114, qui memoratur 1115 in schedis 1114. ecclesiæ Constantiensis, quo anno sedente Ro- 1115. gerio ecclesia *d'Orval* donata est monachis Exaquiensibus, ut in ea monachos instituerent. Concilio Rotomagensi interfuit 1118, ex Orderico, 1118. apud quem legitur ad annum 1119: *Rogerius* (Chart. X. col. 111.) *Constant. episcopus Guillelmum filium suum, quem rex unum ex quatuor principalibus capellanis jam suis effecerat, fratrem quoque suum & tres egregios nepotes ad damnatam judicio Dei navem conduxerat, ipsosque & consortes eorum, licet flocci penderent, pontificali more benedixerat. Ipse aliique multi qui adhuc simul in littore stabant, & rex sociique ejus, qui jam in freto eleganti fuerant, terribilem vociferationem periclitantium audierunt; sed causam usque in crastinum ignorantes mirati sunt, & inde mutuo indagantes tractaverunt.* Concilio Remensi adfuit Rogerius anno 1119; chartæ Cerasiacensi sub- 1119. scripsit 1120. Defunctus 1123, memoratur in 1120. obituario mense Octobri. Jam diximus tom. V, 1123. col. 913, epistolam 195 S. Bernardi inscriptam esse episcopo Constantiæ, non Gallicæ, sed Germanicæ.

ANNI CHRISTI DE BRUIX.

XXXVIII. Richardus I.

Jam memoratus anno 1124 in chartis Savi-
niaci, monachis sancti Michaëlis de Monte con-
firmavit Richardus ecclesiam de Casteraio in
1125. Gerseio insula an. 1125. Adfuit concilio Roto-
1128. magensi an. 1128 & exsequiis Gaufridi archie-
piscopi. Hujus memoria est in inventione cor-
1131. poris S. Gaudi episcopi Ebroicensis an. 1131.
Defunctus sepelitur in ecclesia cathedrali, in
sacello S. Sebastiani.

XXXIX. Algarus.

Qui diu Lauduni manserat clericus Algarus, B
in provinciam Davanexeriam in Anglia adven-
tantes canonicos Laudunenses cum feretro beatæ
Spicil. tom. XIII. pag. 272. Mariæ benigne excepit, idem forte cui priori
S. Euthberti scripsit epistolam XV Hildebertus
Cenomannensis episcopus. Factus ipse Constan-
tiensis præsul, bullam ab Innocentio II obtinuit
1132. datam Viennæ VI nonas Martii 1132, qua
ecclesiæ bona auctoritate apostolica confirmat
summus pontifex, & episcopo concedit ut in
ecclesiis sancti Laudi Rotomagensis & Constan-
tiensis canonicum ordinem instituat. Quod præ-
stitit Algarus non solum his in ecclesiis anno
1142, sed & apud Cæsarisburgum, auctorque C
fuit Guillelmo *Pinel* fundandæ Hambecensis ab-
batiæ. Factas monasteriis Exaquii & S. Laudi
1134. donationes confirmavit anno 1134. Monasterio
1135. S. Michaëlis asseruit anno 1135 ecclesiam de
Casteraio. Subscripsit chartæ Stephani Angliæ
regis pro Montisburgo an. 1136. Confirmavit
1138. cal. Maii 1138 monachis S. Nicolai Andegav.
ecclesiam de Sanctineio. Adsuit anno eodem
consecrationi ecclesiæ prioratus Godestowensis
in agro Oximensi, & subscripsit confirmatis a
1140. Stephano rege prædiis. Memoratur annis 1140
1141. & 1142 in chartis Fontanellensibus, testis 1141
1142. in Audoenensibus & 1143 in charta Willelmi D
Chart. IX. col. 163. comitis Pontivorum pro Radulfo abbate sancti
Andreæ. Interfuit an. 1144 dedicationi ecclesiæ
1143. S. Dionysii Parisiensis, & consecravit aram S.
1144. Hilari. Subscripsit anno 1145 chartæ Hugonis
1145. archiepiscopi certos reditus a laica manu receptos
concedentis in usum monachorum S. Audoëni.
Ch. XIII. col. 239. Bullam circa id tempus obtinuit ab Eugenio III,
qui ecclesiæ bona confirmat. Donationem factam
B. Mariæ de Soleuvria & fratribus ibidem Deo
Chart. XII. col. 80. servientibus anno 1146 in manu Nivardi fratris
1146. S. Bernardi auctoritate munivit sua. Testis fuit
1147. anno 1147 compositionis inter Galterum abba-
tem Montisburgi, & abbatem sancti Salvatoris. E
Eodem anno cum Arnulfo Lexoviensi episcopo
operam præstitit suam pro pace inter capitulum
Lexoviense & abbatem S. Salvatoris conciliandа.
1149. Reperitur adhuc 1149 Gaufrido Normanniæ
1150. duce, 1150 in tabulis Vallis Richerii, & 1151
in chartis Saviniaci. Subscripsit chartæ Engelgerii
de Bohun de Hosseleia datæ ecclesiæ B. Mariæ
de Quarrera. Decessit, ut legitur in chronicis
Normanniæ ad annum 1151, *Algarius episcopus
Constantiensis, vir admodum religiosus, qui canonicos*
A *regulares posuit in ecclesia S. Laudi de Constantino,
& in ecclesia S. Laudi Rotomagi, & in ecclesia
Cæsarisburgi.* Defunctum aliqui volunt Rotomagi
Algarum, qui tamen sepultus creditur sub altari
S. Eligii in ecclesia Constantiensi IV idus Nov.
Epitaphium illi scripsit Arnulfus Lexoviensis
episcopus, unde apparet obiisse die XI mensis
ejusdem. Ita quoque notatur ejus obitus in necro-
logio ecclesiæ Rotomagensis, & anniversarium
in calendariis S. Victoris Parisiensis & B. Mariæ
Augensis. Sic autem habet epitaphium.

Præsulis Algari cineri natura sepulto
Non potuit meritum consepelire viri.
Nam terram titulis, cælum virtutibus implens,
Dum nobis moritur, ut sibi vivat, obit.
Ipsum igitur, quia terra virum cælique loquuntur,
Consignasse brevi sufficit elogio.
Hunc & Martinum meritorum conscia terris
Abstulit, & cælo reddidit una dies.

XL. Richardus II.

DE BOHO[N]

Ex decano Bajocensi episcopus Constantiensis
Richardus anno 1150, inter initia novi episco-
patus nihil faciendum potius reputavit, quam
Romani pontificis gratiam quærere seque totum
familiaritati Romanæ ecclesiæ eo devotius quo
velocius mancipare, inquit Arnulfus episcopus
Lexoviensis epistola 8 ad summum pontificem,
cui eum commendat. Consecravit anno 1152 1152
ecclesiam Montisburgi, huicque factæ a Guil-
lelmo *de Vernon* donationi subscripsit. Donavit
anno eodem Exaquio ecclesiam S. Symphoriani.
Subscripsit anno 1153 transactioni inter Ludo- 1153
vicum sancti Georgii & Galterium Montisburgi
abbates. Composuit anno eodem cum eodem
Galterio pro ecclesia B. Mariæ *de Bruix*, &
confirmavit donum factum S. Salvatori. Circa Ch. X col. 241
id tempus dedicavit parthenonem S. Michaëlis
in bosco. Testis legitur in charta fundationis Ch. X col. 243
Blancælandæ an. 1154, quam ipse confirmavit. 1154
Anno eodem per manus Richardi Richardus de Ch. XV col. 243
Milleriis reddidit ecclesiæ S. Taurini ecclesiam
S. Stephani de Milleriis Anastasio papa, Stephano
in Anglia rege, Henrico in Normannia duce,
post pacem inter Stephanum regem & Hen-
ricum comitem factam. Novos canonicos apud
Blancamlandam introduxit, ædesque consecravit
mense Octobri 1155. Ad preces G. abbatis 1155
Montisburgi contulit anno 1156 ecclesiam de
Barnavilla. Bullam obtinuit anno eodem ab
Adriano IV pro S. Laudo Rotomagensi. Adsuit
1157 judicio Cadomi lato in gratiam Montis 1157
S. Michaëlis, eodemque anno elevationi corporis
S. Firmati apud Moretonium in octava Pente-
costes, donationes factas Montisburgo confir-
mavit, & adstitit Henrico II Anglorum regi
fundationem Blancælandæ confirmanti. Cum
Philippo archidiacono ab Adriano IV delegatus
bulla data Laterani pontificatus 4, conciliavit
disceptantes abbatem Montisburgi & monachos 1159
sancti Cosmæ Constantiensis de ecclesia de
Morsalinis,

ANNI CHRISTI Morsalinis, de qua chartam ei direxit Petrus A
abbas Cluniacensis. Diplomati Henrici regis
1160. Angliæ pro S. Salvatore subscripsit an. 1160.
1162. Memoratur 1162 in chartulariis Exaquiensi &
1163. Lucernensi. Concilio Turonensi adsuit 1163,
factasque ecclesiæ de Vauvilla donationes confir-
1164. mavit. Blancælandæ dedit 1164 ecclesiam B.
Mariæ de Ravenovilla, & canonicis Cæsarisburgi
ad preces Mathildis imperatricis decimarum duas
1165. partes in parochia de Esqueudrevilla 1165, qua
defuncta Richardo scripsit Henricus Mathildis
Ch. xxi. col. 145. filius, Angliæ rex ut eisdem canonicis confir-
maret ecclesiam de Vastavilla. Blancælandæ factas
donationes a Guillelmo *d'Angerville* & Basilia B
1166. uxore asseruit anno 1166, canonicos ejusdem
in novas ultra rivum ædes introduxit 28 Junii
1170. 1170 & tria altaria consecravit. Interfuit con-
1172. ciliis Abrincensi & Cadomensi annis 1172 &
1173. 1173. Instituit 3 Febr. 1174 novam præ-
1174. bendam de Hubervilla in ecclesia Constantiensi.
Adstitit mense Septembri dedicationi ecclesiæ
Ch. xxii. col. 145. sancti Thomæ Cantuariensis apud S. Laudum,
eamque abbati & canonicis S. Laudi concessit.
Toparchæ *d'Aagon* ædificandæ capellæ licentiam
1177. fecit anno 1177. Cum Rotrodo archiepiscopo
1178. dedicavit ecclesiam Exaquii an. 1178. Monachis
S. Nicolai Andegavensis confirmavit ecclesiam C
S. Petri de Sanctineio, & monachis S. Florentii
Salmuriensis ecclesiam de Bernavilla. Defunctus
XIV calendas Decembris 1179, forte 1178,
memoratur 22 Martii & 1 Junii in necrologio
S. Laudi. Epistolam 199 scripsit ei Johannes
Saresberiensis in causa episcopi Saresberiensis
adversus archiepiscopum Cantuariensem, de quo
Richardo jam scripserat summus pontifex.

XLI. WILLELMUS.

DE JUSSAC.

Familia in Vulcassino tractu conspicua ortus
Willelmus, ex decano Bajocensi electus Con-
1179. stantiensis episcopus 1179, a Rotrodo metro- D
Ann. t. III. p. 157. politano confirmatur & consecrationi terminus
assignatur. Rotrodo interim defuncto, consecratio
per sex annos & amplius est dilata. Itaque Lucius
III papa capitulo Rotomagensi dedit literas Veru-
lani VIII calendas Maii ut consecrationis munus
Willelmo curarent impendi, quod & factum est.
Interim Willelmus Gaufrido ecclesiam B. Mariæ
1184. de Brevilla contulit XIV calend. Sept. 1184 ad
preces Roberti abbatis S. Michaëlis de Monte.
Cart. xix. col. 84. Dedicavit ecclesiam Blancælandæ XIX calendas
1185. Februarii, fer. 2, an. 1185, Lucii III, an. 4,
Henrici regis 31, a fundatione 25. Memoratur
eodem anno in compositione facta inter Hen- E
ricum episcopum Bajocensem, decanum ecclesiæ
ejusdem & cantorem Constantiensem. Circa id
tempus subscripsit diplomati Henrici II regis
1187. Anglorum pro Longis. Donatam monasterio
Ch. xxvi. col. 151. Lucernensi ecclesiam de Suligneio confirmavit
1187. Robertum abbatem S. Salvatoris bene-
Ch. xxvi. col. 91. dixit anno 1188. Terram *de Ganestor* & de
1188. Trouvilla B. Mariæ de Voto donatam confir-
1189. mavit an. 1189. Concilio Rotomagensi adsuit
1190. 1190 III idus Febr. Dedicavit eodem ecclesiam
Alneti, & subscripsit chartæ Richardi regis ANNI CHRISTI
Angliæ pro S. Stephano Cadomensi 20 Martii, Ch. xxv. col. 90.
regni 1. Ecclesiam S. Bartholomæi *de Hardinvast*
ecclesiæ B. Mariæ de Voto donatam approbavit
1193. Cum aliis provinciæ episcopis excom- 1193.
municavit cives Rotomagenses qui murum atrii
Rotomag. ecclesiæ destruxerant 1195. Occurrit
an. 1196 cum Gaufrido cantore in chartulario 1196.
Exaquii. Subscripsit eodem permutationi *de* Ch. xxvi. col. 28.
Andeli inter Richardum Angliæ regem & Wal-
terum archiepiscopum Rotomagensem. Confir-
mavit Hambeiæ data a Richardo decessore anno
1197. Concessa Alneto in ecclesiis de Cenelleio
a Radulfo de Brulleyo tradidit 1198. Reperitur 1198.
in chartis monasteriorum ab anno 1185 ad
1199, in Taurinensibus dicitur regis Angliæ
Richardi cancellarius. Moritur 4 Nov. 1199
in conciliis Normanniæ, anno vero 1202 ex
chronographo Blancælandæ & ex schedis D. *du*
Fourny. Dies ejus obitus notatur in obituariis
Exaquii VII idus Novembris, Lucernæ VIII idus
& Perrinæ X cal. Dec. Tumulatus est in sacello
S. Petri ad vincula ecclesiæ Constantiensis.

Nescio quis ille sit Hugo, de quo sic legitur
in conventionibus inter Philippum regem Fran-
ciæ & Johannem fratrem Richardi regis Angliæ
initis mense Januario 1193 (1194). *Præterea*
rex Franciæ concessit amico & fideli suo & meo
Hugoni Constantiensi episcopo, quod si pacem fecerit
cum Richardo rege Angliæ fratre meo, dictum epi-
scopum in pace sua mittat, ita quod idem episcopus
ecclesiam suam Constantiensem habebit, & posses-
siones & jura ad eam pertinentia ita libere &
pacifice sicut ante guerram habebat, & si rex Angliæ
non teneret ei pacem quæ fieret, rex Franciæ tantum
ei faceret, tanquam si rex Angliæ pacem regi Franciæ
infringeret.

XLII. VIVIANUS.

Constantiensis episcopus inungitur Vivianus
anno 1202, ait chronographus Blancælandæ. 1202.
Dedicavit anno eodem die octava Octobris eccle-
siam S. Laudi super Viriam fluvium cum Guil-
lelmo Abrincensi episcopo. Conciliavit eodem
in capitulo Constantiensi fer. V infra octavam
Nativitatis B. Mariæ G. Exaquii & Petrum
Blancælandæ abbates. Arbiter fuit anno 1205 1205.
inter abbates B. Mariæ de Voto & S. Salvatoris.
Confirmavit eodem Valli-Richerii molendinum
S. Michaëlis in insula de Gerseio situm. Dona-
tionem factam fratribus de Bloteria a Guillelmo
de Rollos eodem confirmavit anno. Subscripsit
chartæ Walteri archiepiscopi decimam de Diepa
& Botellis capitulo Rotomagensi donantis. Can-
toriæ univit præbendam de Bleinvilla, quod
ratum habuit Innocentius III V idus Novembr.
pontificatus anno nono. Conciliavit apud S. Lau-
dum anno eodem 1206 G. abbatem Exaquii 1206.
& monachos S. Taurini Ebroicensis. Circa id
tempus cum Galterio archiepiscopo & episcopis
provinciæ scripsit ad Philippum regem post sub-
jectam Normanniam de ratione finiendarum
controversiarum circa patronatus ecclesiarum

ANNI CHRISTI

parochialium. Scacario Rotomagensi interfuit anno 1207. Defuncto Waltero archiepiscopo,
1207. Philippum regem rogavit exeunte anno eodem, ut temporalium administrationem capitulo Rotomagensi dimitteret. Ipse quoque post confirmatam monachis Hambeiensibus ecclesiam *de Brehal*, fundatumque in ecclesia sua anniversarium, ibi-
1208. dem sepultus est, defunctus 15 Febr. 1208.

DE MORVILLE.

XLIII. Hugo II.

Ex archidiacono 1207, factus episcopus Hugo, Nicolai filius, *Neret* cognominatus in obituario Goserni, quod vidit Arturus, ecclesiam B. Mariæ de Guibrayo prope Falesiam consecravit die festo sancti Barnabæ 11 Junii 1208. Confirmavit decimam S. Opportunæ monachis Exaquiensibus anno eodem, & ecclesiam *de Tripchon* monachis Hambeiæ, abbatique & monachis S. Taurini qui ei absolutam dispositionem ecclesiarum de Poreseis & *de Gondrilmesnil* dimiserant, concessit ecclesiam de Poreseis proprios in usus convertendam & abbati præbendam in ecclesia Constantiensi. Ecclesias Cæsarisburgi & de Torlovilla Philippus-Augustus Hugoni confirmavit charta data Aneti anno 1208, aliaque
1209. data apud Gisortium anno 1209 concessit ei ut ad ecclesiam Constantiensem transferret octo præbendas quas dux Guillelmus fundaverat apud Cæsarisburgum in recompensationem damnorum, inquit Philippus, quæ passa est ecclesia Constantiensis pro nobis, id est, in *guerra* ejus. Hugo itaque duarum præbendarum reditus scholastico & thesaurario univit, ut in ecclesia perpetuo residerent, & ex quatuor aliis præbendis sex capellas instituit anno 1223 post obitum
Ch. xxvii. col. 251. Philippi. Hospitale Constantiense fundavit mense Julio 1209 ad quod regendum fraternitatem nulli addictam religioni instituit, & ordinationes
1210. pro ejus eorumque regimine condidit an. 1210 quas sicut & donationes hospitali factas confirmavit Honorius papa Viterbii XVII calend. Dec. anno 4 pontificatus, & Laterani XII cal. Martii, anno nono. Delegatus est ab Innocentio III nonis Septembris, pontificatus 13, Christi 1210, cum abbatibus de Persenia & de Savigneio, ut monasterium Montis S. Michaëlis depravatum corrigeret. Eadem auctoritate conciliavit circa id tempus monachos de Voto cum monachis sancti Nigasii de Mellento. Subscripsit Concilio Pari-
1212. siensi anno 1212. Insequenti patronatum &
1213. decimas ecclesiæ *de l'Aitre* data Blancælandæ, factamque a Petro abbate Blancælandæ hospitali eleemosynam confirmavit. Concilio Rotomag.
1214. adstitit 1214. Dedit hoc anno capitulo tertiam partem decimarum *de Quetehon*, duas partes & patronatum ecclesiæ Fiscannensi, oblationes vero & decimas minutas vicario. Confirmavit eodem priori & canonicis de Gravilla donationem quam eis fecerant Heroina uxor & Philippa de Romaria filia Johannis comitis de Alenconio in parochia de Monte acuto prope Vallonias. Testis est anno eodem in literis Roberti archiepiscopi Rotomagensis pro quadam compositione cum monachis

A sancti Taurini. Permutavit anno 1215 mense Septembri feodum *de Soulle* pro patronatu ejusdem ecclesiæ cum Philippo rege. Hoc eodem anno ad concilium Lateranense perrexisse a nonnullis dicitur. Arbiter fuit an. 1217 inter abbatissam Cadomensem & Præmonstratenses sancti Johannis prope Falesiam. Statuta edidit anno eodem pro administratione redituum hospitalis. Ratam habuit an. 1218 mense Martio transactionem initam inter canonicos S. Laudi Rotomagensis & monachos Gemeticenses, qui capellam S. Philiberti in dominio S. Laudi construxerant. Hospitali plurima largitus est an. 1221.
B Decrevit mense Julio 1222 ut abbas Exaquiensis foret canonicus in ecclesia Constantiensi sicut & ceteri canonici, excepta eligendi episcopi facultate. Acquisivit anno eodem patronatum *de Monhuchon*, cujus decimas capitulo concessit de consensu Richardi de Croilio donatoris. Exsequiis Philippi-Augusti interfuit mense Julio 1223. Fundata fuit anno eodem lampas semper ardens ante majus altare a toparcha *du Mesnil*. Cum episcopis Abrincensi & Lexoviensi Hugo recessit anno 1224 die festo S. Johannis-Baptistæ ab exercitu regis, dicentes episcopos Normanniæ ad illud non teneri: statuta pro hospitali condidit
C annis 1224 & 1225. Hoc ultimo contulit parochiam de Gerouvilla ad præsentationem abbatis S. Salvatoris. Decimas Exaquii confirmavit in festo S. Vincentii 1226. Decimas de Canisiaco largitus est canonicis pro anniversario suo anno 1227 mense Januario. Dedicavit mense Junio 1228 sacellum B. Mariæ apud Landam Exaquii & indulgentias concessit. Auctor anno eodem Fulconi de Cantulupi cedendæ decimæ sancti Petri monachis de Hambeia ad novam fabricam ecclesiæ & luminare. Asseruit quoque donationes Richardi *du Hommet* confirmatas S. Michaëli de Bosco a Guillelmo *du Hommet* con-
D nestabili Normanniæ. Decimas de Alno donavit anno 1230. Medietatem patronatus ecclesiæ *des Pieux* canonicis Cæsarisburgi confirmavit anno eodem mense Februario. Cum archiepiscopo Rotomagensi conciliavit canonicos sancti Laudi Rotomagensis & monachos Belliprati 1232. Consensit die Jovis ante Natale Domini 1233, ut ecclesiæ S. Laudi Rotomagensis & S. Johannis super Renellam servarent interdictum latum ab archiepiscopo Rotomagensi. Transegit eodem cum monachis Cerasii, & Bellæ-stellæ bona confirmavit. Patronatum sancti Egidii acquisivit anno 1235. Transegit eodem cum capitulo, cui
E cessit decimas terrarum postea colendarum pro necessaria ecclesiæ administratione. Decimas ecclesiæ cathedralis confirmavit an. 1236 earumque ordinationes. Cessit hoc adhuc anno decimas Bonæ-villæ ad dotandas unam capellam in ecclesia cathedrali & capellam de Alno. Confirmavit anno eodem donatas a se capitulo decimas, ea lege ut parochis necessaria administrarent. Fundavit anniversarium 1237. Concordiam iniit cum rege Ludovico anno 1238, qua cessit ei feodum *de Sole*, immunisque efficitur ab uno

Right margin (partly cut off): AN[NI] CHRI[STI] 121[5]. 121[7]. Ch. xx[x] col. 25[5]. 121[8]. 122[1]. Ch. x[xx] col. 255. Ch. xxx col. 258. 1222. 1223. 1224. Ch. xx[x] col. 257. Ch. xxx col. 258. 1225. 1226. 1227. 1228. 1230. 1232. 1233. Ch. xxxiv. col. 259. 1235. 1236. 1237. 1238.

ANNI CHRISTI

militem quem castris regiis subministrare tenebatur. Variis monasteriorum chartis subscripsit ab anno 1208 ad 1238, in quibus aliquando legitur Henricus, male interpretato a notariis apice H. pro Henrico loco Hugonis, qui defunctus anno 1238 27 Oct. sepultus est sub tumba ænea, in qua effigies ejus repræsentabatur; sed postea in capitulum translata, conversa deinde est in campanam a Carolo-Francisco *de Lomenie*, ejusque nomine Hugonem dictam. Hæc autem in ea legebantur carmina:

Qui jacet hic Hugo, Cato pectore, Tullius ore,
Muneribus Titus, præsul honore fuit.
Quique sequens Marthæ studium, requiemque Mariæ,
Quæ sua sunt mundo reddidit atque Deo,
Prævia quem rapuit lux festi Simonis, annos
Post bis sexcentos octoque terque decem.
Det Deus huic vere secum sine fine manere. Amen.

De Hugone in obituario Goferni sic legitur: *VI calendas Novembris obiit magister Hugo* Neret *Constantiensis episcopus vitæ venerabilis & sanctæ religionis amator.* Fit ejus obitus quotannis in ecclesia Cæsarisburgi, cui multa dederat.

Post obitum Hugonis regalia incipit ab anno 1238 ad annum 1245, totoque hoc annorum intervallo vacat sedes in chartis diœcesis.

DE CAEN.

XLIV. GILLANUS.

1246. Occurrit Gillanus anno 1246 die Veneris post S. Barnabam in chartis Fontanellensibus, eodemque in tabulis hospitalis & Cerasii, die vero Martis proxima post Dominicam *Reminiscere*,
1247. id est 1247 in chartis Blancælandæ. Contro-
Ch. XXXV. col. 259. versiam habuit cum capitulo super correctione personarum capituli, chori, &c. pro qua dirimenda arbitros elegerunt mense Januario 1247 priorem & subpriorem conventus Prædicatorum, qui nuper apud Constantiam instituti fuerant. Monachorum de Hambeia paupertati consulens,
1248. unam eis concessit ecclesiam mense Julio 1248. Memoratur in chartis capituli mense Decembri
1249. 1249; quæ si vera sunt, falso tribus annis rexisse legitur in catalogo episcoporum, falsius anno 1247 pridie calend. Dec. obiisse in necrologio sancti Laudi. Memoratur 8 Junii in obituario Saviniacensi. Vacabat autem sedes die Veneris
1250. ante festum S. Thomæ apostoli 1250.

Alius forte non est Gillanus a Guillelmo Minorita, qui anno 1240 unum aut alterum errorem recantavit Parisiis in domo Minorum in octavis Epiphaniæ, qui an. 1241 pœnitentiarius erat Gregorii IX, & factus est postea Constantiensis episcopus in Normannia, ut legitur in utraque Patrum Bibliotheca & in Historia Universitatis Parisf. Ita quoque censuit Claudius-Robertus in Gallia sua Christiana, pag. 311.

D'ESSEY.

XLV. JOHANNES I.

Ex archidiacono episcopus a capitulo electus est Johannes de Esseyo ab omnibus, de Freevilla vero in chartulario S. Salvatoris cognominatus, cui electo ut regalia restitueret Blancham reginam rogarunt canonici Sabbato in vigilia S. Hilarii mense Januario 1250 (1251). Consecratus est 1251.
Rotomagi ab Odone archiepiscopo IV calendas Martii anni ejusdem. Donationes factas capitulo confirmavit 20 Martii. Coram eo confectum, seu potius inchoatum 1251 regestum de patronatibus ecclesiarum diœcesis, ab integumento postea dictum liber niger, de quo sæpius diximus. Hoc quoque anno religiosis de Redemtione Captivorum datus est prioratus de Perrina a Guillelmo *du Hommet* & Eustachia *de Monteney* uxore. Memoratur Johannes an. 1254 in chartis 1254.
Cerasiensibus & 1255 in Fiscannensibus. Exa- 1255.
quio plures ecclesias confirmavit anno eodem. De jurisdictione contendit cum Odone archiepiscopo, qui conciliati ab Innocentio IV 1254, compositionem inierunt apud Pontem Audomari die Lunæ post Nativitatem S. Johannis-Baptistæ 1256. Subscripsit literis episcoporum 1256.
sancto Ludovico concedentium, ut quæ ignotis restituere non poterat bona, pia in opera converteret anno 1259. Composuit anno 1262 1259.
inter Robertum abbatem Hambeiæ & parochum 1262.
de Cantulupi, & pro ecclesia *de Brehal* anno 1263.
1263. Eodem terminata ab electis an. 1256 Ch. XXXIX. col. 263.
arbitris querela, quam cum capitulo de utriusque jurisdictione habebat. Conciliavit abbatem Saviniaci patrem Moritonii & abbatem Hambeiæ an. 1264, cujus in chartis occurrit adhuc annis 1264.
1266 & 1269. Adfuit an. 1267 consecrationi 1266.
Guidonis episcopi Lexoviensis. Commutatione 1267.
facta cum religiosis prioratus de Brenthonia 1269.
Bathoniensis in Anglia diœcesis de consensu J. episcopi, abbati & monachis Troarnensibus cessit canonia & præbenda in ecclesia Constantiensi, quæ intercedentibus canonicis adjudicata eis est ab Arnulfo sedis apostolicæ legato VIII idus Augusti 1269. Ballivus Constantini jussus Charta XL. col. 270.
est a rege Ludovico Johanni fidei sacramentum præstare pro comitatu Moritonii die Veneris post Dominicam *Reminiscere* 1269 (1270). 1270.
Donatas capitulo decimas confirmavit 1271. In 1271.
generali capitulo die crastina Assumtionis beatæ Mariæ 1273 fundavit anniversarium suum. 1273.
Vicariam ecclesiæ de Piris contulit die Mercurii in festo S. Clari 1274 ad preces abbatis & 1274.
monachorum S. Taurini. Duas capellas in cathedrali instituit anno eodem in festo SS. Simonis & Judæ, ac paulo post defunctus est, die, quam nonnulli assignant, ultima Octobris. Certe vacabat sedes die festo sanctæ Catharinæ 25 Nov. 1274, ex chartulariis Constantiensi, S. Taurini & sancti Salvatoris. Sepultus est in sinistra parte majoris altaris ecclesiæ cathedralis. Memoratur calendis Martii, III nonas Maii & III calendas Novembris in obituario Perrinæ, cui plurima largitus fuerat.

DE ROUEN.

XLVI. EUSTACHIUS.

Johanne defuncto, eligendi episcopi facultatem a rege petiit capitulum mense Novembri

ANNI CHRISTI

1274, *juxta morem & consuetudinem* regni: qua
certe concessa, electus est Robertus *Goubert* per
viam compromissi a Guillelmo *de Lendelles*,
Matthæo *d'Essey*, Gaufrido *d'Ivetot* & Juliano
de Zamato canonicis ecclesiæ Constantiensis. At
electioni cum intercederet Johannes *Grosparmi*,
summumque appellasset pontificem, causa perennante,
juri suo cessit Robertus in manibus Martini
IV, ideoque totis septem annis sedes vacasse
legitur in chartis & variis instrumentis, episcopatusque
fuisse in regalia ab an. 1275 ad 1282.
Martinus autem summus pontifex in locum Roberti
suffecit Eustachium de Rotomago oriundum
& dictum, ordinis Franciscanorum alumnum,
capellanum suum regique Philippo commendavit
literis datis anno pontificatus secundo.
1282. Eustachius statim factus episcopus anno 1282
die Mercurii post festum Omnium Sanctorum,
ad regem Philippum misit Radulfum de Clauso,
electum abbatem B. Mariæ de Voto, ut ei administrationem
bonorum monasterii concederet,
eodemque anno decimæ de Orvilla, de Buchervilla,
&c. quæ sede vacante fuerant perceptæ,
episcopo Constantiensi senatusconsulto sunt restitutæ.
Decimas in parochia *du Rozel* canonicis
1283. Blancælandæ confirmavit anno 1283. Fundatus
1286. an. 1286 a Philippo pulchro rege apud *Barbaflot*
religiosorum Augustinianorum conventus. Venditionem
factam capitulo confirmavit mense
1287. Aug. 1287 Eustachius, qui donata a Roberto
d'Harcourt archidiacono in gratiam archidiaconorum
pro anniversario suo approbavit anno
1289. 1289. Cum Johanne abbate sancti Michaëlis
de Monte scripsit eodem anno pro jure patronatus
S. Columbæ, ex chartulario S. Salvatoris,
1290. in quo & Fontanellensi occurrit anno 1290,
1291. & in tabulario de Hambeia 1291 die Martis
post festum SS. Petri & Pauli. Decessit hoc anno
die Mercurii ante S. Laurentium 8 Augusti,
sedesque vacabat die Martis post festum sancti
Matthæi 1291, ex chartis Hambeiæ. Sepultus
est in sacello sancti Francisci, quod in ecclesia
Constantiensi dotaverat & decoraverat, memoratus
in necrologiis Cæsarisburgi VII idus Apr.
Lucernensi IV idus Aprilis, ecclesiæ Rotomagensis
& Fratrum Minorum Rotomagensium
nonis Augusti, & Perrinæ VII idus Augusti.

DE HARCOURT.

XLVII. Robertus II.

Post obitum E. capitulum episcopi eligendi
facultatem petiit anno 1291. Electus autem est
Robertus mense Septembri, cui die Martis post
S. Martinum restituta sunt regalia. Is erat filius
Johannis *de Harcourt* & Ælidis *de Beaumont*,
& germanus Guidonis episcopi Lexoviensis, dominus
temporalis S. Salvatoris vicecomitis. Ex
archidiacono factus episcopus, visitavit prioratum
S. Germani super Eptam Dominica post Pascha
1292. 1292. Memoratur in chartis Blancælandæ &
Hambeiæ annis 1292, 1293 & 1294. Ad
Ch. XLII. col. 171. ecclesiæ securitatem & tuitionem canonicorum
a rege petiit, ut claustrum eis concederet, rexque
ballivo Constantiensi mandavit ut de his

A inquireret, mense Octobri 1293. Cumque eis
rex indulsisset ut ædes episcopi & canonicorum
muris clauderent, confessi sunt nullam sibi in
claustro competere immunitatem, mense Febr.
sequenti. Confirmavit anno 1294 prioratui 129
sancti Michaëlis de Bosco factas a Guillelmo
du Hommet, & approbatas ab Hugone episcopo
donationes. Sedit annis 1296 & 1298 in consilio 129
regis. Compositionem iniit cum archidiaconis 129
ratione jurisdictionis a Bonifacio VIII 129
approbatam die Veneris ante festum cathedræ
S. Petri 1297. Concilio Rotomagensi adsuit in
monasterio B. Mariæ de Prato 1299. Transactionem
B initam anno 1235 inter capitulum &
Hugonem episc. ratam habuit 1299. Transegit 129
ipse cum capitulo pro patronatu de Lenguerona
anno 1300. Convocatis totius regni comitiis 130
mense Aprili 1302, lectaque coram rege Bonifacii 130
VIII papæ epistola, regnum Francorum
sibi temporaliter subesse asserentis damnaque a
rege illata regno emendare studentis, Constantiensis
episcopus cum Noviomensi & Biterrensi
ad papam directi sunt cum literis, quibus se
clerici novis & inauditis illis verbis, quæ regni
Francorum libertatem imminuunt valde perculsos
testantur, rogantque ut concordiæ regni
C & ecclesiæ consulens literas illas tractatorias revocet.
Abbates Blancælandæ & Montis sancti
Michaëlis disceptantes de prioratu S. Germani
super Eptam conciliavit mense Junio. Synodo
Romanæ interfuit mense Novembri, & assensum
præbuit fundatæ in hospitali castri Viriæ
a Richardo *Goulon* capellæ, die Lunæ ante Nativitatem
Domini. Paulo post annum 1302
duobus Luteciæ parlamentis duobusque Rotomagi
scacariis a Philippo pulchro rege, & in
camera inquæstarum præfectus est, cum Suessionensi
episcopo & cantore Parisiensi. Guidonem
fratrem suum Lexoviensem episcopum ab archiepiscopo
D delegatus consecravit an. 1303. Eodem 1303.
appellationi a Philippo rege ad futurum concilium
adversus Bonifacium VIII factæ cum aliis
regni prælatis adhæsit 13 Junii. Eodem tres in
ecclesia Constantiensi fundavit capellas S. Ludovici,
S. Egidii & de Doloribus. Eodem canonicis
Parisiensibus, quorum concanonicus fuerat,
dedit die Veneris post festum sancti Martini,
7 libras annui reditus pro missa de Spiritu sancto
singulis annis pro ipso quandiu viveret in eorum
ecclesia ad majus altare die 4 Octobris, & post
ipsius mortem missa de defunctis celebrandis.
Anniversarium suum fundavit 6 Januarii 1303
E (1304), quo anno adsuit synodo provinciali 1304.
habitæ apud Denvillam juxta Rotomagum. Interfuit
an. 1306, die Martis ante Pentecosten, 1306.
translationi capitis sancti Ludovici ad ecclesiam
sacræ capellæ Parisiensis. Transegit anno 1307 1307.
cum capitulo super patronatu capellarum, quarum
17 manent episcopo. Pollicitus est anno 1308 1308.
soluturum se quotannis regi centum libras pro
molendinis sibi ab eo donatis. A Philippo rege
impetravit confirmationem fundatarum duarum
capellarum a Johanne *de Harcourt* parente in

ANNI terra sua mense Martio 1308 (1309). Anno A
CHRISTI 1310 Robertus sedit in Parlamento Parisiensi.
1309. Regiæ tuitionis literas anno eodem 9 maii ob-
1310. tinuit pro bonis ecclesiæ Constantiensis. Exse-
cutor ultimæ voluntatis Radulfi *de Harcourt* ar-
chidiaconi de Constantino in ecclesia Constan-
1311. tiensi emit anno 1311 tres domos Parisiis in
vico S. Cosmæ versus portam Inferni, & ab-
solvit collegium de Haricuria in crastino Nati-
vitatis B. Mariæ. Interfuit anno eodem conci-
liationi inter abbatem S. Salvatoris & Petrum
abbatem Montisburgi. A Clemente V vocatus
ex nomine, adstitit cum archiepiscopo Roto-
magensi & episcopo Bajocensi concilio Viennensi B
quod inchoatum anno 1311, finitum est anno
1312. 1312, ibique sicut ceteri facultatem obtinuit a
summo pontifice tabellionatus concedendi duabus
idoneis personis. Egidio Rotomagensi & Roberto
Constantiensi Clemens V provinciam dedit XII
calendas Januarii, pontificatus 8, sponsalia Caroli
ducis Burgundiæ & filiæ Catharinæ imperatricis
rescindendi. Idem pontifex anno eodem ponti-
ficatus Robertum instituit judicem litis inter
Johannem III Britanniæ ducem & exsecutores
testamenti Arturi II ducis Britanniæ. Decimam
de Gefosse capitulo donavit prima die anni 1313
pro anniversario Radulphi archidiaconi de Con- C
stantino ipsius germani. A Clemente V delegatus
1313. fuit anno 1313, ut inquireret de vexationibus
episcoporum Redonensis & Venetensis adversus
Britanniæ ducem. Confirmavit anno eodem ini-
tam a Johanne prædecessore cum capitulo de
jurisdictione compositionem. Sex clericos insti-
1314. tuit anno 1314 in subsidium canonicorum &
Ch. XLI. cantorum. Circa id tempus adstitit dedicationi
col. 2.. ecclesiæ de Escoiaco Rotomagensis diœcesis.
Denique cum Robertus sedisset annis 23 & sex
mensibus, obiit die Veneris nonis Martii 1314
1315. (1315) Parisiis, ubi sepultus est in majori ec-
clesia prope majus altare, ita codex Constan- D
tiensis, al. in ecclesia prioratus de Porco juxta
Haricuriam, inchoatumque regale 9 Martii 1314,
perseveravit ad diem Jovis post Magdalenam
1315. Memoratur autem Robertus die 11 Mart.
in codice Sanvictorino his verbis: *Robertus de
Haricuria noster magnanimis, totius prudentiæ &
canonum scientia clarus, hic ecclesiæ columna inflexi-
bilis, utriusque juris peritus, cum fratre suo Radulfo
fundavit Parisius domum scholarium de Haricuria.
Ipse fratres habuit D. Johannem de Haricuria pri-
mogenitum & Radulfum prædictum legum peritum,
venerabilem Guidonem episcopum Lexoviensem, Guil-
lelmumque militem dominum de Palceia. Robertus E
præfatus obiit 11 Martii, & sepultus est Parisius
in majori ecclesia prope majus altare.* Memoria
obitus ejus agitur 7 Martii in ecclesia Lexoviensi,
cui adstipulantur necrologia sancti Salvatoris &
Cæsarisburgi, cui donasse legitur 100 libras,
sicut & Perrinæ, totidem vero annui reditus
abbatiæ S. Ebrulfi pro anniversario suo. Ceterum
pastor fuit, ut legitur in archivis capituli Roto-
magensis, *si quis alius, per omnia commendabilis,
fide in regem, studio ad ecclesiasticam disciplinam,
ovium cura & sollicitudine omnium ecclesiarum,* ANNI
sincera ad omnes caritate, animo pacifico & benefico CHRISTI
*ad singulos; statuta synodalia antecessorum exquisivit
& renovavit, ac nova prout convenientius visum est
addidit. Synodos bis in anno more veteri celebrari
constituit.*

XLVIII. GUILLELMUS II. DE THIEVILLE.

Nobilis Normannus Guillelmus, Constantiis
ortus, filius Radulfi militis & Isabellis de Bella-
fago, dominus temporalis Mesnilii Garnerii,
Radulfi Abrincensis episcopi patrui sui curis edu-
catus, canonicus primum Constantiensis, tum
archidiaconus, demum communibus votis in
episcopum assumtus in locum Roberti consan-
guinei sui, unctus est ab Egidio Rotomagensi
archipræsule anno 1315, eodemque bona epi-
scopatus temporalia concessa ei fuunt a rege die
Jovis post festum S. Magdalenæ. In capitulo
generali die 3 Septembris habito, composuit
cum capitulo de rebus ad ecclesiam pertinentibus.
Monachos Cormaricenses cum canonicis Cæsa-
risburgi conciliavit 4 Novembris super decimis.
Concilio provinciali apud Pontisaram adstitit
anno 1317. Memoratur 1318 in chartis sancti 1317.
Salvatoris. Peramplam a Philipo V Francorum 1318.
rege confirmationem obtinuit anno 1319, om- Ch. XLIII.
nium quæ ecclesiæ Constantiensi contulerat Wil- col. 271.
lelmus dux Normannorum. Nonnulla dedit ca- 1319.
pitulo an. 1323. Parochiam contulit an. 1325 1323.
die Lunæ post translationem S. Nicolai ad præ- 1325.
sentationem abbatis Exaquiensis. Spopondit anno
1326 soluturum se regi 225 libras pro parco 1326.
du Plessis. Contra Petrum de Cugneriis, qui
jurisdictionem ecclesiasticam pessumdare aggressus
fuerat coram rege, cum Petro Augustodunensi
episcopo feliciter depugnasse & evicisse anno
1329 legitur. Eodem ecclesiam parochialem 1329.
S. Jacobi de Montisburgo dedicavit IV nonas
Septemb. & majus altare ad preces Petri abbatis.
Procuratorem misit ad concilium provinciale
habitum in monasterio B. Mariæ de Prato mense
Septembri 1335. Ecclesiam beati Stephani de 1335.
Milleriis ad præsentationem abbatis & mona-
chorum S. Taurini eodem anno die Lunæ post
festum sanctorum Tiburtii & Valeriani contulit.
Ordinavit anno 1336 ut distributo in partes 1336.
psalterio pro numero canonicorum præbenda- Ch. XLIV.
riorum, unusquisque quotidie partem suam in col. 274.
ecclesia privatim recitare teneretur, præter ea
quæ in publico chori officio decantarentur. Per-
misit anno 1337 apud S. Laudum die Jovis 1337.
post Annunciationem, ædificare capellam sanctæ
Crucis ad officium parochiale S. Opportunæ
peragendum, quod prius in ecclesia Exaquiensi
celebrabatur. Confirmavit statutum in capitulo
generali mense Augusto 1338 regimen chori. 1338.
Locum prope ecclesiam ad exstruendam sacri-
stiam concessit anno 1341. Concilio Rotoma- 1341.
gensi adfuit 14 Dec. 1342. Anniversarium 1342.
suum fundavit 1343 de emtis a se an. 1338. 1343.
Eodem anno de Guillelmi assensu construitur
FF. Minorum conventus in insula Chersonensi.

ANNI Memoratur anno 1344 in regesto 75 archivi
CHRISTI regii. Domum Constantiis sitam capitulo dedit
1344. die 10 Decembris 1345, quo differretur capi-
1345. tulum generale post octavam Assumtionis, ut solennius ejus officium celebraretur. Defunctum volunt alii 1345, alii 1347. Dies assignantur x calend. Decembr. 14 Decemb. & XIX cal. Januarii. Certe obierat 4 Octobr. 1347, qua die Guillelmus *de Thieville* pœnitentiarius ecclesiæ Constantiensis exsecutor testamenti Guillelmi *de Thieville* ultimi episcopi Constantiensis, confitetur se recepisse quamdam pecuniæ summam a ducissa Normanniæ, cui mutuo eam dederat episcopus. Defunctus autem Guillelmus, tumulatur in medio chori cathedralis.

Petrum non curo ex ordine Minorum factum a Clemente VI Avenione pridie cal. Augusti, pontificatus anno 5, episcopum Constantiensem in patriarchatu Antiocheno, & consecratum an. 1346 a Petro Judicis archiepiscopo Cæsaraugustano. Constantia enim est Arabiæ, sicut Galliæ & Germaniæ, sub metropoli Bostrorum in patriarchatu Antiocheno.

D'Erquery.

XLIX. Ludovicus.

Patria Bellovacensis Ludovicus, filius Radulfi dicti Herpini militis, magni Franciæ panetarii, fratres habuit Simonem dominum *d'Erquery* proregem in Occitania, & Johannem decanum Noviomensem, ipse vero regi a consiliis & eleemosynis, canonicus Parisiensis, regis ac summi pontificis gratia Constantiensem cathedram adeptus, primus apostolicæ sedis gratia episcopum se inscripsit. Ordinatus autem fuit episcopus anno 1345, ex chronographo Blancælandæ & ex schedis D. *du Fourny*. Memoratur 30 Januarii 1347 in actis consistorialibus Vaticani, inquiunt
1348. Sammarthani. Anno 1348 calendis Julii Clemens VI Parisiensi & Constantiensi episcopis, ac abbati Majoris monasterii potestatem fecit animadvertendi in Geraldum de Ulmis canonicum Meldensem & sedis apostolicæ capellanum, si reus convincatur, vicissimque insontem a ca-
1349. lumnia liberandi. Anno 1349 Ludovicus Henricum canonicum Blancælandæ ab abbate nominatum ecclesiæ Bellosæ parochum instituit.
1350. Anno 1350, die 16 Aprilis, Rotomagi apud S. Laudum decreta edidit ad canonicorum ejusdem loci regulam renovandam, ecclesiamque inter ipsos & parochianos interjecto muro dividi voluit. Capellam sancti Michaëlis in ecclesia de Monte acuto a Michaële *d'Anneville* milite fun-
1352. datam approbavit 5 Februarii 1351 (1352). A summo pontifice delegatus fuit 3 Martii
1354. 1354 ad colligendam in urbe & diœcesi Constantiensi decimam per biennium Franciæ regi
1361. a papa concessam. Anno 1361 die ultima Aug. Johanni Lavallensi domino *d'artichy* factam donationem a Jacobo *d'Erquery* Ludovicus patruus & heres confirmavit. In remotis agebat anno
1363. 1363, cum ejus vicarii generales permiserunt erigere alterum altare in sacello prioratus de Bloteria propter populi frequentiam; Rotomagi tunc
A degebat apud S. Laudum, ubi ordines celebravit anno eodem. Carolo V ecclesiam Rotomagensem ingredienti anno 1364 evangeliorum codicem deosculandum offerre cum vellet jussus ab ipso rege, prohibitus est a capitulo metropolitano. Primus post archiepiscopum Senonensem adfuit die 21 Febr. 1365 consilio regis apud Luteciam pro abbate Fiscannensi, & anno sequenti 27 Julii & 25 Nov. Anno 1367 Ludovicus hereditatem adiit 20 Maii Jacobi Erpini equitis nepotis sui domini *d'Erquery*. Adstitit an. 1368 baptismo Caroli filii Caroli V in ecclesia sancti Pauli Parisiensis. Parlamento regio interfuit Pa-
B risiis 9 Maii 1369 Constantiensis episcopus, qui certe Ludovicus regi a consiliis pensionem mille librarum ex ærario hoc anno percipiebat. Legitur adhuc absens an. 1370 in chartis prioratus de Bloteria, quo anno Guillelmo *le Marquis* confirmationis sacramentum & tonsuram clericalem contulit in ecclesia parochiali S. Laudi apud Rotomagum, ubi vel inter aulicos semper diversatus, ecclesiam suam vix unquam invisit furentibus forte Anglorum bellis, quam per vicarios generales administrabat. Ibidem apud S. Laudum defunctus anno, inquiunt 1371, sepultus est in choro canonicorum, quorum priori
C baculum suum pastoralem legaverat.

A CI 13 13 13 13 13 13 137

Dissimulare nequeo Johannem Constantiensem episcopum adstitisse in curia cum aliis quatuor Normanniæ episcopis, quando Johannes Britanniæ dux homagium fecit Carolo Francorum regi die 13 Decembris 1366, cujus exemplar ex authentico exstat in probationibus historiæ Britannicæ. Sed ut fatear quod res est, hic hæret animus. An duplex Ludovicus? an binominis? an error in exemplari, &c.

L. Silvester.

De L. Cervel

De Silvestro jam diximus in majoribus Fran-
D ciæ eleemosynariis tom. VII, col. 232. Constantiensis electus episcopus cameræ apostolicæ
promisit die 29 Martii 1371, & regi fidei 1371
sacramentum præstitit 28 Aprilis anni ejusdem. Hujus nutu data die Jovis post Nativitatem B. Mariæ canonicis de Bloteria ecclesia sancti Fragarii. Silvestro assignatæ a rege anno 1371
(1372) die 5 Januarii 600 libræ aureæ pro 1372.
reficienda ecclesia Constantiensi bellis attrita & imminuta. Concessæ quoque ei sunt 16 Octob.
1375 aureæ 1000 libræ pro recuperato e ma- 1375.
nibus Anglorum loco S. Salvatoris vicecomitis,
quas recepit 1 Martii 1376. Synodos habuit 1376.
E Constantiis annis 1372, 1375 & 1377, quo- 1377.
rum decreta etiamnum exstant. Thomam *de Riby* a Ricardo II Anglorum rege præsentatum
ad ecclesiam S. Martini in insula Sarmiæ, ad- Garnsey.
mittere recusavit, de quo rex scripsit 12 Febr.
regni 3. Memoratur in chartis Hambeiæ 1379, 1379.
Constantiensibus 1382 & Blancælandæ 1383. 1382.
Anno 1384 in Paschate benedixit in ecclesia 1383.
Constantiensi priorem S. Laudi Rotomagensis, 1384.
& ab eo obedientiæ obsequium excepit. Approbavit fundationem capellarum sancti Georgii &

S. Christophori a D. *de Cyssrenart*, die 2 Martii
1384. Defunctus mense Sept. 1386, sepelitur
1385. ad sinistram partem altaris de Cerrata dicti in
1386. sacello B. Mariæ, quod ædificaverat. Effigies ejus ibi conspicitur in vitro. Memoratur 4 Septemb. in obituario cathedralis. Per obitum Silvestri aperta regalia 24 Sept. 1386, cessavit 29 Oct. sequentis, ex schedis D. *du Fourny*, & certe

LI. NICOLAUS.

DE ...LON.

Ducis Burgundiæ cancellarius, necnon ecclesiæ Augustodunensis cantor Nicolaus, electus Constantiensis episcopus promisit 24 Octobris 1386 cameræ apostolicæ, ex regestis Vaticani. Obtinuit possessionem temporalium per literas datas 29 Oct. hujus anni Clausulis in Flandria, ex diario cameræ computorum sub die 7 Nov. 1386. Electus adhuc dicitur Constantiensis 6 Novemb. anni ejusdem in regestis cameræ com-
1387. putorum Divionensis. Insequenti anno vicarii generales Nicolai indulserunt Johanni de Prato Blancælandæ canonico, ut a quocumque vellet episcopo minoribus ordinibus initiari posset. Mensibus tantum 11 ecclesiam Constantiensem tenuit Nicolaus, qui ad Augustodunensem translatus, promisit 19 Septembris 1387 & solvit 28 Septembris 1391, ex regestis Vaticani. Vide tom. IV, col. 418.

LII. GUILLELMUS III.

DE CHEVR...

Ex archidiacono Brabantii in ecclesia Cameracensi Guillelmus, auctoritate Philippi Burgundi patrui regis, penes quem summa rerum tunc erat, episcopus Constantiensis 13 Septembris cameræ apostolicæ promisit 19 ejusdem anno 1387, & solvit 12 Junii 1391. Litigabat anno
1389. 1389 cum Johanna *de Ponthieu* relicta Droci fratris sui pro ejus dote. Canonicis sancti Laudi
1391. indulsit anno 1391, ut induerent almucias loco capuciorum alborum, quæ prius in æstate gestabant, & tunicas nigras. Ratum habuit anno eodem pactum inter fratres Hospitalis & Dominicanos de sepulturis parochianorum sancti Petri
1392. & S. Nicolai. Adfuit anno 1392 translationi reliquiarum S. Ludovici in ecclesia S. Dionysii
1393. Parisiensis. Ordines habuit an. 1393 Rotomagi in ecclesia parochiali S. Johannis supra Renellam. Comitiis generalibus cleri Parisiis habitis
1394. 1394 adstitit. In testamento Johannis *de Roye*
1396. *de Bethune* condito an. 1396 exsecutor legitur Guillelmus, qui in chartis authenticis D. *de Gaignieres* occurrit 4 Maii 1393, 8 Maii 1401 & 31 Oct. 1407, & in chartis Blancælandæ
1397. annis 1397, 1398, 1400, 1402 & 1406,
1398. ex quibus apparet eum ab anno 1400 a diœcesi
1400. sua abfuisse. Hujus forte efflagitatu canonici
Gall. Chr. ... Constantienses a reparationibus turris & muro-
1401. rum urbis immunes a rege declarati sunt 15 Julii
1402. 1402. Transactionem de multis cum civibus S. Laudi iniit, quæ confirmata est in scacario
1408. mense Junio 1408. Jam obierat Guillelmus, qui ad Bellumpratum apud Bellovacos monasterium Cisterciense secessisse legitur, ubi defunctus

A die Veneris 20 Apr. post Pascha 1408, sepultus est in ecclesia Belliprati ante sacellum S. Bernardi, a parte cœmeterii, sub tumba lapidea, cum epitaphio.

LIII. EGIDIUS I.

DES CHAMPS.

E nobili prosapia ortus Egidius Rotomagi, parentes habuit Robertum *des Champs*, dominum *de Tourville*, majorem Rotomagi & Thomasiam *de Maudetour*. In Parisiensi Navarræ collegio literis institutus cum adolevisset, theologicis studiis apprime exercitatus, doctoris laurea decoratus est. In canonicum ecclesiæ Rotomagensis
B cooptatus die 8 Junii 1380, collegii Navarræi gymnasiarchiam adeptus est ab anno 1389 ad 1402. Inde clarescentibus viri meritis, electus est ut regi esset a confessionibus. In schismate demum sedando eruditionem simul & strenuam impendit operam. Legatus enim Avenionem a Carolo VI anno 1395 cum regiæ stirpis principibus, Aurelianensi, Bituricensi & Burgundo ducibus, omnium vice jussus est coram Benedicto XIII perorare, & legationis summam exponere, quod gravissima oratione prosecutus est. Vix ad curiam reversus, in Germaniam ad Vinceslaum imperatorem eamdem ob rem missus
C est. Inde regressus, honestatur a rege officio majoris eleemosynarii, ut diximus tomo VII, col. 233. Silvanectensi ecclesiæ pastor deputatus erat, cum vacavit & Constantiensis, ad quam promotus dicitur 27 Septemb. 1408: & certe memoratur eo nomine 2 Octob. anni ejusdem in chartulario Exaquiensi, & 10 mensis & anni eorumdem in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Insequenti ut nuncius Franciæ regis & episcopus Constantiensis adfuit concilio Pisano mense Maio 1409. Attamen factus legitur episcopus 2 Oct. 1409.
1409 in regesto Alexandri V, forte quia tunc solum modo a summo pontifice confirmatus fuit.
D Ne quid vero meritis tanti viri deesset, a Johanne XXIII presbyter cardinalis creatus est nonis Junii 1411, ad preces Caroli VI regis, cujus 1411.
erat consiliarius, cum licentia retinendi episcopatum & ecclesiam titularem quam nusquam obtinuit, quia morte propera præventus, ad Romanam curiam accedere non valuit. Eodem anno Henricus IV Angliæ rex, regni 12, Eustachio præsentavit ad ecclesias S. Branvaladri & S. Petri *de Pierreport* in insula Sarmiæ, ratione temporalium quæ habebat in manu sua, ob bellum Anglos inter & Francos motum. Priorem sancti Laudi Rotomagensis confirmavit Eustachius die
E 10 Februarii 1411 (1412). Sedit an. 1412 1412.
in consilio regis. Variis autem & regis & regni negotiis irretitus, ecclesiam suam per vicarios generales ut plurimum administravit. Testamenti tabulis ecclesiæ Rotomagensi pecuniam pro anniversario celebrando erogavit. Defunctus Rotomagi 15, al. 5, Martii 1413 (1414), jacet 1414.
in ecclesia Rotomagensi, in sacello majori beatæ Mariæ retro chorum, sub tumulo marmoreo, qui una cum effigie & majori parte mausolæi a segregibus an. 1562 destructus est. Epitaphii

ANNI CHRISTI

titulus hic erat: *In hac sepultura jacet bonæ memoriæ quondam, eminentissimæ scientiæ nobilis vir, magister Egidius de Campis de Rotomago oriundus, sacræ theologiæ eximius professor, episcopus Constantiensis, ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis Constantiensis nuncupatus, qui obiit anno Domini 1413, die 15, al. 5, Martii, qua die fundatus est suus obitus, & in hac ecclesia celebratur.*

DE MARLE.

LIV. Johannes II.

Henrici Franciæ cancellarii & Mathildis *le Barbier* filius Johannes, magister in artibus, in utroque jure licentiatus, libellorum supplicum in regia magister & canonicus Bajocensis, defuncti Egidii in locum suffectus est a Johanne XXIII IV nonas Aprilis, pontificatus 4, 1414. Æmulum passus est Ursinum *de Taillevande* doctorem theologum Normannum, qui die 5 Augusti anni ejusdem supplicavit ut universitas ipsi adjungeretur ad adipiscendum episcopatum Constantiensem, de quo contendebat, quod renuens rector ab Ursino pugnis est appetitus, qui vicissim causa sua cecidisse videtur: nam Johannes electus adhuc dicitur pridie calend. Septembris 1414, in regestis parlamenti Parisiensis. Inhibitus est anno eodem a Ludovico archiepiscopo Rotomagensi ecclesiam Constantiensem ingredi priusquam ad Rotomagensem accessisset juramenta solita præstiturus, & ecclesiæ personis certum pastum facturus. Sedit in parlamento
1417. Parisiensi 25 Februarii 1417. Occisus una cum
1418. patre cancellario Parisiis 29 Maii 1418 nefaria & populari Burgundorum factione, tumulatus est ibidem apud sanctum Martinum de Campis. Nominatur Johannes in literis Guillelmi cardinalis S. Martini in Montibus in Gallia legati apostolici, quibus omnibus vere pœnitentibus & confessis qui ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum conventus Claromontensis reparandam & construendam manus porrigerent adjutrices, & in missa ac divinis officiis pro dominis *de Marle* celebratis devote interforent centum dies de injunctis pœnitentiis relaxat. Datum Parisiis 29 Maii 1452, Nicolai papæ V anno 6.

DE MALATESTIS.

LV. Pandulfus.

Clarissima apud Ariminienses stirpe editus Pandulfus, archidiaconus Bononiensis & referendarius apostolicus, in concilio Constantiensi anno 1415 adeo inclaruit, ut abdicata per Carolum Malatestam Pandulfi patruum Gregorii nomine pontificia dignitate, unus e 30 fuerit Pandulfus a concilio electis, qui Martinum V cardinalibus adjuncti papam dixere 11 Novembris 1417; vicissimque Martinus Pandulfo ecclesiam Constantiensem, quam reservarat, contulit nonis Octobris, an. 1, 1418. Æmulum tamen passus est Nicolaum *Habard*, cujus electioni regium præbuit assensum Henricus V Angliæ rex an. 6, qui imperaverat ne quis admitteretur episcopus Constantiensis absque ipsius licentia. Electus tamen a papa vicisse videtur, nam Pandulfus Henrico regi Anglorum fidei sacramentum
A præstitit 1 Maii 1420, qui ei temporalia restituit. 1420
Alterum Pandulfo tradit competitorem Theodericus *de Niem* in historia, scilicet Johannem *de* 1422
Harcourt an. 1422. Hanc forte ob causam & propter intolerabilia gravamina, quæ passim gentilibus inferebant Angli, ecclesiam Constantiensem reliquit Pandulfus, & in Italiam repedavit, & ad ecclesiam Patracensem translatus est VI idus
Maii 1424, qua die Johannes ecclesiæ Ambia- 1424
nensi præfectus est.

DE MONT...

LVI. Filibertus.

Patria Augustodunensis, aut Lugdunensis Fili-
B bertus, stirpe nobilis, canonicus erat Ambianensis & archidiaconus Pontivi anno 1414, contendebatque de episcopatu Ambianensi cum Johanne *de Harcourt*, cum agente apud Bethfordium proregem Philippo Burgundo, ex Ambianensi, ad Constantiensem translatus est a Martino V VI idus Maii 1424. Inauguratum eum volunt anno eodem exeunte. Occurrit 14 Julii
1428 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. 1428
Transegit eodem anno 6 Decembris cum presbyteris & thesaurariis ecclesiæ beatæ Mariæ de S. Laudo de capellis ejusdem ecclesiæ. Dedit ei
literas universitas Parisiensis 16 Decemb. 1430, 1430
C ut pecuniam conferret pro legatis ad concilium Basileense mittendis; ut a patriis bellis & infortuniis sese subtraheret, Basileam ipse profectus est, ubi in prima concilii generalis sessione die
Veneris 14 Decemb. 1431 celebravit missam, 1431
ac subinde de synodi mandato suggestum ascendens, legit decretum synodi Constantiensis de celebratione conciliorum generalium, instrumentum electionis civitatis Basileensis pro ejus celebratione in Senensi factum auctoritate Martini V, ac successoris Eugenii IV, & mandata Juliano cardinali injuncta de eodem Basileensi celebrando. Missam quoque de beata Maria celebravit die
D Sabbati 6 Septemb. 1432 initio sessionis sextæ, 1432
cui præsidebat. Pragam a concilii patribus missus
est idibus Aprilis 1433 pro negotio Bohemo- 1433
rum. Exinde Viennam Austriæ profectus, literas
ad concilium scripsit 1 Aprilis 1435, a quo & 1435
literas accepit III idus Martii 1436 cum facultate 1436
legati quam habuit ratam Sigismundus imperator die 3 Julii sequentis. A concilio adhuc ad conventum Ratisponensem missus est rogatu imperatoris anno eodem. Contulit quoque se Iglaviam Olomnensis diœcesis, ubi cum aliis concilii oratoribus, & Bohemis ipsoque Sigismundo imperatore una cum Alberto Austriæ duce pacem
E cum eisdem Bohemis acceptavit, & quinta Julii eodem anno sacra Pragæ restituit. Barbaram filiam comitis Ciliæ conjugem Sigismundi impe-
ratoris fer. 3 in Carnis-privio 1437 reginam 1437
Bohemiæ coronavit. Ex supra dictis patet quantum pro ecclesia laboraverit: gentes integræ ad pacem & ecclesiæ unitatem restitutæ, bella sævissima sopita, cultus divinus, religio & templa restaurata prudentiam ejus & in rebus gerendis dexteritatem prædicant. Totus in illis, Pragæ de-
cessit 20 Junii 1439, sepultusque est honorifice 1439
in

ANNI CHRISTI

in castro Pragensi in ecclesia metropolitana. A Memoratur calendis Julii in obituario cathedralis. Interim dum a diœcesi abfuit, duos sororum suarum filios & ecclesiæ canonicos ejusdem regiminis præposuit qui statuta synodalia ediderunt anno 1434, & in sacello beati Johannis quiescunt.

Dure-mort.

LVII. Egidius II.

Ex abbate Fiscannensi Constantiensis episcopus Egidius, jam sedebat anno saltem ineunte 1438, si fides habenda schedis Exaquiensibus, in quibus parochiam contulisse legitur ad preces Guillelmi abbatis die 5 Febr. 1437, qui 1438. Verum B factus Constantiensis episcopus per obitum Philiberti ab Eugenio IV dicitur VII idus Octobris 1439 in regestis Vaticani. Memoratur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 1439 7 Januarii,

1440. & 1440 5 Apr. Ecclesiæ Rotomagensi nuper consecratus juramentum præstitit 28 Jul. 1440. Obiit Rotomagi, & jacet apud S. Laudum cum hoc epitaphio: *Hic jacet bonæ memoriæ, eximiæ quondam scientiæ, virtutis & eloquentiæ, reverendus in Christo pater Egidius Duræ-mortis, sacræ theologiæ professor, cœnobiorum pridem Belliprati, hinc Bellibecci, postea Fiscannensis abbas, postremo Constantiensis episcopus, qui decessit anno 1444 29 Julii.* C His suffragantur in Parisiensi regesto literæ M. Guillelmi *Cotin* canonici Constantiensis, archidiaconi Vallis-viriæ & in Parlamenti curia regis consiliarii, datæ die 4 Septembris hujus anni 1444, quibus cum non posset ad illius ecclesiæ pastore orbatæ capitulum se conferre præfixa die ad electionem seu postulationem pontificis prosequendam & faciendam, vices suas committit Petro *d'Orgemont* cantori, Richardo *Varroc*, Guillelmo *Auber*, Guillelmo de Albaripa archidiacono de Baptezio in ecclesia Constantiensi, Guillelmo *Villequin*, Johanni *de Saulx* canonicis singulis & universis. D

de Castilione.

LVIII. Johannes III.

Nobilis Mediolanensis Johannes, sedis apostolicæ protonotarius, jure reservationis fit episcopus ab Eugenio IV per obitum Egidii, IV nonas

1446. Septembris 1444. Memoratur 21 Nov. 1446 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Ab Hen-

1447. rico VI Anglorum rege missus est anno 1447 ad summum pontificem adversus commendas aliasque ejusmodi beneficiorum dispensationes.

1448. Moras obtinuit 14 Decembris 1448 ab Angliæ rege ad recensenda episcopatus bona. Capta a Francis Constantia, Carolo VII regi fidem ju- E

1449. ravit 3 Nov. 1449. Litem habuit cum Johanne *du Bec* pro præbenda in ecclesia Rotomagensi, quam Guillelmo *de Chatillon* super Matronam contulerat archiepiscopus Rotomagensis, & causa

1450. cecidit senatusconsulto 14 Febr. 1449 (1450). Ad ecclesiam Ticinensem seu Papiensem a Ni-

1453. colao papa traductus est an. 1453, quo Constantiensis sedes vacasse legitur in regestis scacarii Paschalis. Ad conventum Ratisponensem, ad imperatorem & principes congregatos missus quoque est a Callixto III, a quo anno 1456 inter purpuratos patres relatus, & postmodum ad legationem Marchiæ Anconitanæ directus est. Ibi apud Maceratam obiit XVIII calendas Maii 1460. Corpus ad sepulcrum majorum Mediolanum translatum est, ubi prostat monumentum nobile cum sequenti inscriptione.

DEO OPT. MAX.

Johanni castelloneo Mediolanensi, episcopo Papiensi, tit. D. Clementis sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero cardinali, Cælestini IV pontificis maximi, Octaviani, Gotifredi & Brandæ cardinalium gentili, qui cum legationis munere apud Fridericum III imperatorem concitandi in Turcas exercitus causa apostolicæ sedis nomine fungeretur, a Callisto III in amplissimum ordinem absens est cooptatus, eoque defuncto, a Pio II legatus Marchiæ Anconitanæ designatus, dum in ea provincia legislatoris strenui, simul ducis operam contra Piccininum nimis sollicite impendit, inopinata febre præventus, Maceratæ interiit XVIII cal. Maii anno salutis MCCCCLX.

LIX. Richardus III.

Olivier de Longueil.

Guillelmo vicecomite Augi, domino de Varengevilla & Offreinvilla, ac Catharina *de Bourquenobles* parentibus natus est Richardus, cujus habes genealogiam tom. II historiæ generalis cardinalium pag. 314. Licentiatus in legibus, præses in camera computorum, cantor Lexoviensis, canonicus erat & archidiaconus de Augo in ecclesia Rotomagensi, officialis metropolitanus & protonotarius apostolicus, cum defuncto Radulfo archiepiscopo, divisis eligentium votis, electi Richardus & Philippus de Rosa summum pontificem appellarunt, qui Guillelmum *d'Estouteville* nominavit. Richardus autem factus episcopus Constantiensis inauguratur 28 Septemb. 1453, & memoratur V nonas Oct. in regestis Vaticani. Regi juravit fidem 4 Decembris, & sequenti mense Februario adfuit translationi S. Martini in ecclesia Turonensi. Synodum habuit an. 1454, in qua multa sancivit notatu digna. 1454.
Datus a pontifice judex revisendi processus Johannæ puellæ Aurelianensis an. 1455, hanc 1455.
7 Julii 1456 cum Johanne archiepisc. Roto- 1456.
magensi, Guillelmo Parisiensi episc. & Johanne Brehatio ordinis Prædicatorum inquisitore insontem declaravit. Priorem S. Laudi Rotomagensis confirmavit 8 Sept. al. 18 Martii 1455. Delegatur inde ad Burgundum ducem a Carolo rege. A Callisto III purpura decoratus cum fuisset VI calendas Januarii 1456, tituli S. Eusebii archipresbyter S. Petri, statim regalia aperta, & Branda de Castiglione archidiaconus Constantiensis & canonicus præbendatus de Virevilla ad ejus curam delegatus est. Anno 1458 adfuit 1458.
Richardus judicio ducis Alenconiensis: sed cum esset in ferenda sententia liber & propositi tenax, pragmaticæ sanctionis institutioni quæ gratiosa regi erat in parlamento repugnavit. Eam ob rem multatus fuit summa 10000 librarum an. 1458. Episcopus Tornacensis a rege nominatus anno

ANNI CHRISTI

1460, causa cecidit. Eodem anno diœcesim
suam visitavit & ordines celebravit. Interfuit
1460. Remis sacro Ludovici XI die 15 Aug. 1461,
1461. & die 3 Septemb. ei fidei sacramentum præstitit.
Sub finem anni ejusdem a Ludovico XI ad
Pium II papam Romam missus est cum cardinali
Atrebatensi pro obtinendo Siciliæ regno. Ibi a
summo pontifice humanissime exceptus, illi in
paucis charus fuit. Quanti illum faceret testantur
verba epistolæ 97 cardinalis Papiensis, ubi ait:
*Utinam Constantienses haberemus plures, bene consultum
esset ecclesiæ. Vir gravis est, vir bonus, vir
mitis, vir doctus, semper in suis sententiis verus.*
Romæ degens, officio protopræsidis cameræ
computorum a rege privatus est quod Johanni
de Bellavalle codicillis regiis collatum est 18
1462. Junii an. 1462. Insequenti jussu regio dicam ei
impingebat curia parlamenti pro regalibus. Adfuit
1464. anno 1464 electioni & consecrationi Pauli II
pontificis, a quo legatus apostolicus in Umbriam
missus est anno eodem, quo & facultatem fecit
Johanni Justinopolitano, al. Janopolitano episcopo
reconciliandi ecclesiam B. Mariæ de Voto.
Inter alia beneficia abbas erat Vindocinensis,
Soricinii, Ambroniaci, S. Petri supra Divam,
1465. & sancti Cornelii Compendiensis. Anno 1465
abbatiæ S. Nicasii Remensis a papa nominatus
possessionem iniit, quam anno sequenti cessit
Johanni *Jacquier*. Portuensis episcopus evasit
1469. anno 1469. Ædes archipresbyteri sancti Petri
pene a fundamentis restituit, sed morte oppressus
absolvere non potuit. Destructa Jovis capitolini
statua, curavit simulacrum æneum S. Petri fieri
& collocari in basilica Vaticana cum insignibus
Longolianis. Fundatis 120 missis a duobus capellanis
per annum celebrandis, diem clausit
extremum apud Sutrium in legatione Perusii XV
1470. calendas Sept. 1470. Corpus Romam delatum
in basilica S. Petri ante altare tumulatum, ubi
hæc in pavimento legebatur inscriptio: *Richardus
episcopus Portuensis, cardinalis Constantiensis, e
Normandia oriundus, hoc altare vetustissimum nova
facie & dote nova testamento jussit ornari, ubi
in pace requiescit anno Domini MCCCCLXX.*
Richardi elogium pluribus texuere quotquot de
cardinalibus scripsere, qui Richardum e gente
Longolia nobili prognatum tradunt, iisque adstipulatur
Christophorus Longolius in oratione ad
Leonem X summum pontificem anno 1621.
Legendæ quoque cardinalis Papiensis plures ad
cardinalem Constantiensem epistolæ.

Vicariis generalibus usus est Guillelmo *de
Longeuil* nepote, & Johanne *Rati* tum officiali,
postea cantore. Testamenti ejus executor cardinalis
d'Estouteville. Capitulo dedit duas planetas
duasque cappas 28 Augusti 1471.

DE MONTFERRAND.

LX. BENEDICTUS.

Genere inter Sabaudos clarus Benedictus,
religiosus S. Antonii Viennensis, hanc abbatiam
qua arte nescio a Pio II adeptus, homo difficilis
regimine monasterii excidit. Viro autem alias
genere præclaro compassus summus pontifex,
A Constantiensem ecclesiam per obitum Richardi
episcopi Ostiensis, ejusdem ecclesiæ administratoris
vacantem contulit VI idus Augusti 1470,
ex regestis Vaticani. Constantias statim adiit
Benedictus, bullas inconsultis canonicis palam
affixit, inde iræ, inde dissensiones: unde minime
possessionem sicut nec gratiam seu regis,
seu Constantiensium est adeptus. In regestis enim
capituli sedes episcopalis vacasse legitur 3 Febr.
21 Augusti, 11 Sept. 1471, & 3 Febr. 1472. 147
Biduo post Amedeo *Maltier* literas summi pon- 147
tificis & cardinalium in gratiam Benedicti porrigenti
causati sunt canonici interdictum a rege,
B ne quemquam pastorem ecclesiæ ejusdem absque
ejus licentia reciperent, & 24 ejusdem mensis
D. Admiraldus iisdem significavit temporalia
episcopatus Constantiensis episcopo Laudunensi
a rege fuisse concessa. Literas itaque monitorias
valvis ecclesiæ affixit Benedictus, de quibus certiores
faciendos Admiraldum & regem concluserunt
canonici 3 Aprilis, & ob id canonicos
miserunt 22 Maii. Iterum tentavit Benedictus,
& canonicos admonuit ut eum reciperent, ipsi
vero beneplacitum regis rursus exegere 7 Oct.
qui quidem rex hoc anno & sequentibus multa
ecclesiæ Constantiensis beneficia jure regaliæ
C contulit: nec quidquam profecisse videtur Benedictus,
nisi quod in regestis capituli dicitur episcopus
Constantiensis absens ab anno 1474 23 1474
Augusti ad annum 1476, quo die Veneris 11
Octobris nunciatum est capitulo translatum Benedictum
nuper Constantiensem episcopum ad ecclesiam
Lausanensem. Unde patet Benedictum
consecratum quidem fuisse, quo nomine in vigilia
Paschæ 1471, ordines celebravit in ecclesia
S. Dionysii in Francia; agnitum autem minime
fuisse, nec bonis ecclesiæ gavisum esse, nec ulla
apud Constantias episcopalia obiisse munia. Et
certe cum interea infensus Benedicto rex Franciæ
D ciæ scripsisset summo pontifici, ut Johannem
Abrincensem episcopum Constantias transferret,
Johannique Guillelmum de Estotevilla substitueret,
id fieri posse negat Sixtus IV, quia nullus
invitus potest ab ecclesia sua dimoveri, pontificatus
an. 4, 13 Febr. 1475. Vide Amplissim.
Collect. tom. II, col. 1483. 1475.

DE LA ROVÈRE

LXI. JULIANUS.

Sixti IV nepos Julianus, cardinalis S. Petri
ad vincula, e Lausanensi ad Constantiensem *Amplis. Collect. tom. I c. 1548.*
translatus ecclesiam ad preces regis die 15 Julii
1476, pontificatus anno 5, possessionem iniit 1476.
E 18 Oct. per procuratorem Georgium *du Menilpeny*
legum doctorem, decanum ecclesiæ collegiatæ
B. Mariæ novæ de Villanova. Alter ejus
procurator Guillelmus *Gelin* officialis rationem
exegit 6 Decemb. sequentis spoliorum Richardi
quondam episcopi, & fructuum episcopatus sede
vacante perceptorum, cui responsum fuit a canonicis
Richardi esse se hæredes; officiarios vero
qui bona administraverant sedis vacantis, paratos
esse rationem reddere. Vicarius ejus generalis
Georgius erigendo apud Valonias FF. Minorum

NNI
ISTI
477. conventui assensum præbuit 23 Julii 1477. A
Duobus tantum annis post Benedictum sedisse
legitur in serie MS. episcoporum Constantien-
sium. Inde translatus ad Mimatensem VIII idus
478. Aprilis 1478 in regestis Vaticani, fit postea
summus pontifex dictus Julius II. Julianone
successit Galeatius Sixti IV nepos alter, per cujus
translationem ad ecclesiam Aginnensem, Con-
stantiensis Gaufridus *Herbert* fit episcopus?

LXII. GAUFRIDUS II.

Parisinus clericus Gaufridus, Johanne ærarii
Galliarum præfecto domino *d'Aussonvilliers* & *de*
Courcy & Johanna *Guerin* parentibus natus, do- B
minus ipse *du Verger*, Mimatensis primum desti-
natus dicitur, tum electus Constantiensis, ut
semper optaverat, per translationem Galeatii ad
Aginnensem V nonas Julii 1478 legitur in re-
gestis Vaticani. Cameræ apostolicæ promisit die
eadem, & solvit die 5 Octobris. Regi juravit
fidem 24 Septembris, & possessionem per pro-
curatorem Stephanum *de la Mare* archipresby-
terum Insularum adeptus est ultima die Decemb.
Ipsius vice anno eodem Guillelmus episcopus
Porphyriensis diœcesim circuivit & ordines ce-
lebravit. Supplicationem generalem indixit 21
1479. Maii 1479 ad obtinendam a Deo pacem, syno- C
dumque convocari jussit. De multis arcessitus
1480. anno 1480, ac præsertim quod invocator esset
diabolorum Latine & Græce propalam, in quo
D. *de Bourbon* præiverat & eum adjuvarat, Pari-
siensis senatus consultis 29 Julii & 7 Septembr.
carceri mancipatur, bonaque ejus temporalia &
beneficia regi addicta, interdictumque Johanni
Herbert ejus parenti, ne fructus episcopatus am-
plius perciperet, jussumque ut perceptorum ra-
tionem redderet, eosque ad manum regis appo-
neret. Brevi duravit infortunium, jussu enim regis
e carcere liberatur Gaufridus die Veneris 22
1481. Decemb. 1481, qui mense elapso 22 Januarii D
obsequium præstitit ecclesiæ Rotomagensi. Con-
stantias ingressus 17 aut 18 Februarii, synodum
post Pascha coegit. Insequenti vicarius ejus gene-
1482. ralis iterum decrevit anno 1482, ut defuncti
Constantienses ad Dominicanos sepeliendi prius
in ecclesiam sancti Petri deferrentur. Una cum
Albiensi & Lingonensi episcopis Blesis sedit
1483. Gaufridus 1483 in consilio regis habito in gra-
tiam comitis Lavallensis. A Carolo VIII obtinuit
anno eodem clericis Constantiensibus excipien-
1484. dorum tectis militum immunitatem. Anno 1484
germanum suum Philippum ad metropolim
Aquensem sua maxime suffragatione produxit. E
Interfuit die 5 Augusti alteri regis consilio, ubi
pro exceptione & ingressu cardinalis de Balua
legati a latere peroravit. Anno eodem metro-
politano & episcopo ab anno 1458 de juris-
dictione in S. Laudum Rotomagensem litigan-
tibus, canonicos in fidem sedis apostolicæ accepit
Innocentius VIII. Absente episcopo, episcopus
Porphyriensis de licentia Theobaldi *de Fromen-*
1485. *tieres* ordines celebravit anno 1485. Sanctiones
1487. de divinis officiis edidit Gaufridus anno 1487,
eodemque confirmavit Thomam electum abba- ANNI
tem B. Mariæ de Voto. Carolo VIII regi fidem CHRISTI
juravit 8 Januarii 1487 (1488). Ad reædi- 1488.
ficandam ecclesiam sancti Petri Constantiensis
nonnihil contulit anno 1494. Eodem cum epi- 1494.
scopo Macloviensi delegatus 1 Junii a summo
pontifice, solitum excepit sacramentum a Georgio
Ambasiano archiepiscopo Rotomagensi, cujus
vice possessionem iniit 7 Augusti anni ejusdem.
De Gaufridi licentia Guillelmus Porphyriensis
episcopus ordines celebravit an. 1497 in insulis 1497.
Guernezeti & Gerzeii. Georgio Ambasiano ac-
ceptissimus, ab ipso ejusque absentis vice pro-
vinciæ Normanniæ præfectus est, literis datis
6 Decembris 1498. Paulo post adstitit judicio 1498.
lato 17 Decembris ab apostolicis legatis pro
discutiendo matrimonio Ludovici XII regis &
Johannæ a Francia. Acquisivit anno eodem a
Johanna notha Ludovici XI relicta Ludovici
Borbonii Franciæ amirallii, toparchiam de Anne-
villa, quam capitulo donavit. Exstincta juridica
Alenconii sede, erectoque a Ludovico XII senatu
Normanniæ apud Rotomagum an. 1499, ejus- 1499.
dem protopræses ab ipso declaratus est Gaufridus,
qui juramentum præstitit 1 Octobris in manibus
Aimerici Ambasiani majoris Franciæ prioris ad
hoc specialiter deputati solennemque missam ce-
lebravit. Insequenti ab eodem parlamento missus 1500.
ad gratulandum regi Mediolanensis ducatus vi-
ctori, eleganti sermone regem excepit. Discep-
tavit mense Maio anni ejusdem pro abbatia Savi-
niacensi cum Claudio *de Dinteville* abbate de
Firmitate & Johanne *Haurteau*. Exeunte anno
jubilæi solennitatem in ecclesia metropolitana a
Georgio cardinali delegatus auspicatus est, & die
crastina missam solennem celebravit pro iis qui
hesterna a multitudine exanimati fuerant. Syno-
dum adhuc habuit paschalem anno 1506, & 1506.
statuta publicavit maxime contra impios Dei ac
cœlitum obtrectatores, missasque de defunctis
festis solennibus celebrari solitas interdixit. De
regis licentia anno 1507 sese a sollicitudinibus
seculi penitus abstraxit, ut uni necessario vacaret,
oviumque suarum curæ totum se devoveret.
Basilicæ suæ magnificus benefactor proventus
auxit, & in ea officium vesperarum quotidianum
pueroscque chorales fundavit, data pro eis susten-
tandis solida atque integra præbenda, domos
capituli restauravit, aulæumque de laboribus Her-
culis quo cathedralis chorus olim adornabatur
auro intextum ecclesiæ sacrario largitus est, ubi
etiamnum asservatur. *Castrum quoque exstruxit*
apud Motam, tanto sumtu, tanto ingenio, tamque
affabre factum atque politum, ut regium opus existi-
mari queat, inquit Guillelmus de Mara, *quod non*
ostentationis gratia erexit, sed ut ipse suique posteri,
si quid hostile immineret, quo se tuto reciperent habere
possent, utque otiosi artifices & operarii sua simul
& ingenia & corpora exercerent, dicereque solitum
malle se operari volentibus pecunias largiri, quam
mendicantibus validis, quos juris sanctio persequitur
atque improbat. Ruinæ proximum hoc castrum,
nuperis hisce temporibus fuit destructum. Deni-

ANNI CHRISTI Ch. XLVI. col. 278.

que testamentum condidit in castro de Curceio dioecesis Sagiensis 1 Januarii 1509 (1510), cujus executionem capitulo Constantiensi de-
1510. mandavit. In eo pro pauperibus in moribus, literis ac bonis artibus educandis & imbuendis in Parisiensi Haricuriæ collegio quatuordecim bursas a se jam 7 Oct. 1509 fundatas dotavit, duas alias recens instituit ac theologorum jam institutas auxit, & opulentiores reddidit, legato feodo bosci de Pratellis in dioecesi Constantiensi. Defuncti 1 Februarii 1510 corpus Constantias delatum anno 1513, in majori ecclesia conditur. Mortui laudes celebravit oratione octava Guillelmus de Mara canonicus Constantiensis. Legitur quoque Gaufridi encomium apud J. B. Candelarium lib. I virorum omnium consularium ab instituto Rotomagi senatu promotorum.

GOUFFIER.

LXIII. ADRIANUS.

De Adriano jam diximus tom. I & sequentibus: obtenta enim annos tantum 14 natus quibuslibet beneficiis gaudendi licentia, iis impinguatus est. Interea a Ludovico XII designatus, a capitulo Constantiensi via scrutinii eligitur episcopus, a summo pontifice per obitum Gaufridi confirmatur 15 Aprilis 1510, & a metropolitano consecratus 2 Maii, possessionem solenni
1511. pompa adipiscitur 9 Februarii 1511, in qua a Guillelmo de Mara supradicto latina oratione salutatur. Anno superiori Petrus Ricardus theologus Parisiensis & canonicus Trecensis nuncu-
1512. paverat ei decalogum pastoralem. Anno 1512 quod ad bannum regis non comparuerat, fisco addicta est baronia de sancto Laudo, verum cito liberata. Anno sequenti servata clero Constan-
1513. tiensi per edictum Blesense 8 Apr. 1513 privilegia illibata, ut nullis tributis, nec militum hospitio vexarentur clerici, quæ cum violari coepissent, altero Molinis dato 29 Julii 1516 renovari studuit & confirmari Adrianus. Guillelmo *Quetil* canonico poenitentiario & vicario generali Constantiis & archidiacono Majoris Caleti in ecclesia Rotomagensi ecclesiam paro-
1514. chialem contulit 23 Aprilis 1514. Peste apud Constantias grassante secessit mense Augusto, suffraganeumque episcopum Porphyriensem reliquit. Mortuo Ludovico XII calendis Januarii
1515. 1515, accersitus statim a Francisco I Adrianus, ad colloquium Bononiense cum ipso perrexit, & concordati pro abrogandis electionibus Franciscum I inter & Leonem X initi, si non auctor, ut quibusdam visus est, particeps saltem fuit, ideoque ibi donatus est purpura cum titulo SS. Petri & Marcellini XIX cal. Jan. 1515, quem
1517. cum titulo S. Sabinæ permutavit anno 1517. Electus quoque qui cleri nomine in senatu Parisiensi coram rege pro recipiendo concordato peroraret, id absque cujusquam offensa peregit. Subscripsit instrumento sponsaliorum Francisci
1518. delfini & Mariæ ab Anglia 16 Decemb. 1518. Galliæ legatus a latere, adjecto etiam Delfinatu, qui ulterius Avenionensi vicecomitatui conjunctus non esset, a rege postulatus est & impetratus

A 1519. Fit anno eodem episcopus Albiensis 13 Aprilis, majorque Franciæ eleemosynarius. Ligneas majoris ecclesiæ Constantiensis fieri curavit portas. ANN CHRIS 1519

DIVITII

LXIV. BERNARDUS.

Bibiena dictus est Bernardus Divitius ex oppido cognomine dioecesis Florentinæ, in quo lucem aspexit IV nonas Augusti 1470. Mediceæ primum familiæ addictus, procellis quibus per id tempus agitata est aut occurrit, aut sua ipsas dexteritate & sapientia elusit. Deinde ut Leo X summus pontifex renuntiaretur, sua apud cardi-
B nales sagacitate egregie promovit. Memor officii Leo, Bernardum sedis apostolicæ protonotarium ac generalem thesaurarium in collegium cardinalium titulo S. Mariæ in porticu adlexit calendis Octobris 1513, Umbriæ quoque legationi & suo adversus Urbinensem ducem exercitui præfecit. Ad imperatorem etiam cum exercitu in Italiam descendentem specie quidem honoris, sed reipsa consiliorum exploratorem transmisit. In Galliam vero legatus, regi cum acceptissimus fuisset Bernardus, Constantiensi ecclesia per translationem Adriani vacante donatus est exeunte Septembri 1519. Hanc per vicarios generales
C administravit, in curia enim legatus Leonis Francisci regis lateri semper assidebat, cujus magnanimitatem prædicare non cessabat. Qua de re indignatus Leo, legatum revocavit, comessantemque ovo manu sua porrecto, ut volunt, veneno infecit. Ut ut est, certum est Bernardum obiisse 9 Novembris 1520, ipsiusque corpus 1520.
in ecclesia sanctæ Mariæ de Ara coeli conditum fuisse cum hac inscriptione: *Bernardo Divitio cardinali, viro plurimis maximisque virtutibus ac Leonis X pontificis maximi veteri familiaritate & benevolentia insigni, amplissimisque muneribus & legationibus probe functo, fratrum filii mæstissimi*
D *patruo B. M. qui eis cuncta paterna beneficia præstitit, arcam sepulcralem, dum quo jussit inferatur, posuere.*

Jamjam moriturus cardinalis Bibiena, Valerium familiarem suum ad regem Franciscum misit, rogans ut ecclesiam Constantiensem sororis suæ filio tradere posset. Familiari quoque Leo decimus dedit literas IV idus Oct. 1520, anno pontificatus 8, tam ad regem quam ad Ludovicam regis matrem, ut hunc episcopatum sororis cardinalis filio obtineret, qui quidem cardinalis humili loco natus multum æris alieni contraxerat familiamque suam, si id non impetraret, in ege-
E state & discrimine erat relicturus. Quid præstiterit rex ignoramus, nisi quod nec in regestis Vaticani, nec in monimentis ecclesiæ Constantiensis de nepote cardinalis quidquam occurrat.

Ceterum alti profusique animi fuit cardinalis Bibiena, cujus ingenium & industriam satis declarant epistolæ ejus, quæ reperiuntur in collectione libri epistolarum principum. Ejus elogium habes in purpura docta, tom. II.

NNI ISTI

LXV. RENATUS.

DE ECHR. XLVII. …ilo. Defuncto cardinali Bibiena, electione interdictum est capitulo, donec eligendi jus probassent : Duo tamen canonici Ludovicum *d'Estouteville* protonotarium apostolicum & abbatem Saviniacensem elegerunt episcopum Constantiensem. Hic pro virili jus suum persecutus est, sed irrito conatu : nam sedes vacasse legitur annis
1521. 1521, 1522 & 1523, Renatusque episcopus
1522. Constantiensis per obitum Bernardi cardinalis
1523. memoratur 28 Julii 1525 in regestis Vaticani.
1525. Natus is Johanne notho Ludovici *de la Tremoille* & Carlotta *d'Autry* parentibus, ex monacho abbas Flaviniaci, Fontaneti, Buxeriæ, S. Benigni & sancti Stephani Divionensis, ecclesiæ Constantiensis possessionem per procuratorem adeptus est 18 aut 20 Novembris anni ejusdem. Vicarium generalem instituit Guillelmum *Quetil.* Annis quinque episcopatu potitus, vix per sex menses adfuit, cum regi esset ab eleemosynis, vixque ex aula secedere concederetur. Receptus tamen
527. 6 Octobris 1527, ordines celebravit 21 Dec.
528. & 7 Martii 1528. Obiit in monasterio Flavi-
529. niacensi 19 Nov. 1529, ut diximus tom. IV, col. 463, non vero 18 Novembris 1530, ut pariter diximus col. 693. Defunctus sepelitur in ecclesia Flaviniaci ante januam chori. Vide etiam coll. 494, 498 & 766 tomi ejusdem.

LXVI. PHILIPPUS.

COSSE. Renati toparchæ *de Brissac* primi panis regii promi & Carlottæ *Gouffier* filius Philippus, germanus autem Caroli & Arturi Franciæ marescallorum, ordinis quoque S. Benedicti alumnus, abbas S. Jovini de Marnis, necnon prior sancti Nicolai Pictaviensis, S. Crucis de Volta & sancti Eutropii Santonensis a rege nominatus, fit administrator perpetuus ecclesiæ Constantiensis per
530. obitum Renati 9 Martii 1530, possessionemque apprehendit per procuratores Franciscum *de Lautrec* & Robertum *de Glos* priorem monasterii novi Pictaviensis, 15 Maii. Ecclesiam suam nusquam invisit, sed totis 18 annis administravit per vicarios generales Robertum *de Glos*, Guillelmum *Quetil*, Guillelmum *de Grimouville*, & Franciscum *de Lautrec* tantum clericum. Absente igitur Philippo, Franciscus I rex Constantias adiit
532. 21 Aprilis 1532, ibique usque ad 5 Maii
533. moram traxit. Anno 1533 Philippus interfuit ingressui & coronationi Francisci III ducis Bri-
537. tanniæ apud Redones. Anno 1537 mortuo Johanne *d'Aloigny*, Petrus *Pinson* abbas Hambeiæ & episcopus Porphyriensis fit Constantiensis suf-
538. fraganeus. Anno 1538 vicariorum generalium opera, Constantiensium episcoporum præcepta synodalia typis prodiere. Ab episcopo Carnotensi
42. consecratus est Parisiis Philippus 21 Apr. 1542,
46. qui facultatem fecit an. 1546 Jaquelinæ *d'Estouteville* & Hadrianæ ejus filiæ conventus Minorum ædificandi juxta Grandivillam, quorum ecclesiam dicavit anno sequenti episcopus Porphyriensis. Defuncto cardinali *de Meudon*, Philippus anno 1547 fit major Franciæ eleemosynarius, ast obiit ipse 24 Novembris 1548 totus in aulicis muniis & studiis. Linguarum enim Latinæ, Grecæ & Hebraicæ callentissimus, omnium eruditorum erat Mecenas. Delectabatur in primis consuetudine Ludovici Regii, qui peragratis studiorum causa celebrioribus Europæ civitatibus, maxime tunc inclaruerat, ac plurimis veterum scriptorum versionibus, lucubrationibus quoque propriis non paucis, epistolis & criticis operibus apud eruditos satis notus est. Johannis Budæi vitam a se concinnatam consilio Philippi Guillelmo *Poyet* Franciæ cancellario nuncupavit Regius. Philippo etiam scribit Salomon Matrinus Juliodunensis poeta lyricus lib. II hymnorum carmen 2, ubi eum laudat a flagranti amore scientiarum linguæque sacræ, philosophiæ & musarum piarum studiis, quæ apud S. Jovinum excolebat. Nicolaus Borbonius Vendoperanus sic Philippum compellat lib. VIII, carmine 118.

ANNI CHRISTI 1547. 1548.

Quod cudo opus, pacem requirit & otium
Profundum, præsul optime:
At otium tale, unde nanciscar miser,
Nisi ab inclytis heroibus
Tuique similibus : quare oro te tui
Generis per claritudinem
Rarasque per dotes animique & corporis,
Quibus cumulavit te Deus,
Meis ut & tu adsis favens conatibus.

LXVII. PAGANUS.

Guillelmum dominum *de Riquierville, Esquetot, Bughise* & aliarum dynastiarum in pago Caletensi, consiliarium in parlamento Normanniæ & Mariam *de Normanville* parentes habuit Paganus, germanum vero Johannem, cujus filia Carlotta nupsit Carolo de *Cossé* Philippi superioris fratri. Quamobrem pluribus statim auctus est beneficiis Paganus : canonicus enim Rotomagensis, tum Constantiensis, abbas S. Jovini & S. Melanii Redonensis, necnon sigillorum custos in parlamento Normanniæ creatur anno 1544, quod munus etiam gerebat infula ornatus. Nam Philippo mortuo, nominatus a rege Constantiensis episcopus memoratur in regestis Vaticani 9 Januarii 1549, possessionemque per procu- 1549.
ratorem N. *de S. Germier* vicarium generalem iniit 16 Martii sequentis. In funebri pompa Georgii de Ambasia sacris operatus est in æde metropolitana Rotomag. diebus 18 & 19 Sept.
1550. Ecclesiam suam solenniter ingressus est 1550.
die Ascensionis Domini 7 Maii 1551, statim- 1551.
que diœcesis suæ lustrationem auspicatus est ab abbatiis & prioratibus. Fundatum de sacro Jesu nomine officium confirmavit 25 Augusti & obiit 24 Dec. anni ejusdem in pago Ebronio, ubi in abbatiali ecclesia sepultus est inter gradus majoris altaris & sepulcrum Renaudi vicecomitis Blesensis. Ita legitur in historia MS. Ebronii.

LE SUEUR D'ESQUETOT.

ANNI CHRISTI

MARTEL.

LXVIII. Stephanus.

E familia dominorum *de Bacqueville* oriundus Stephanus, Ludovici toparchæ *de Cretot* filius, ex parocho de Montepinconis episcopus Constantiensis memoratur per obitum Pagani 17
1552. Sept. 1552 in regestis Vaticani. Possessionem per procuratorem adeptus est die 9 Decembris Guillelmum *de Grimouville*, quem vicarium generalem instituit, civitatem suam ingressus die 20 Febr. sequentis. Henrico regi hominium præ-
1553. stiterat 6 Jan. 1552 (1553). Solenni pompa ecclesiam suam ingressus est die tantum 18 Oct.
1558. 1558. Unde incuriæ & negligentiæ arguitur in regestis capituli 28 Augusti anni ejusdem, quod diœcesim suam non visitaret, nec serpenti hæreseos cancro occurreret. Paschalem synodum
1559. celebravit 1559, & mense Maio Constantiis excessit, ultra non rediturus. Ebulliente enim hæreticorum rabie secessit ad monasterium sancti Jovini, tum S. Melanii Redonensis, quorum erat abbas, unde ad S. Jovinum reversus, ibidem
1560. mortem oppetiit 26 Maii 1560, & sepulturam nactus est.

Stephano Robertus *le Roquez* Carentonius, doctor theologus, dicavit Gallicas decades de triumpho & trophæo Christi. Belcarius lib. XXVIII comment. rerum Gallicarum ad annum 1560, vocat Stephanum hæreticorum tuditem.

DE COSSÉ.

LXIX. Arturus.

Caroli *de Cossé* comitis *de Brissac* Franciæ marescalli filius nothus Arturus, Francisco Andium duci a consiliis & eleemosynis, per obitum Stephani Constantiensis episcopus legitur 2 Octobr. 1560 in regestis Vaticani. Ecclesiam suam per procuratorem Ludovicum *du Bois* parochum de
1561. Cerenciis adiit 4 Martii 1561, ipse vero solenni
1562. apparatu 8 Febr. 1562. Expilatis ab hæreticis mense Augusto tam ecclesia quam civitate, ab iis ad S. Laudum captivus abducitur asino capite ad caudam verso insidens, sed brevi molitoris specie asellum farre onustum agentis evasit ad Grandivillam ante diem decimam Septembris, ubi per tres menses moratus est. Inde profectus est Redonas, cujus, sicut & S. Jovini & Exaquii erat commendatarius. Constantias reversus, sy-
1563. nodum Paschalem habuit anno 1563, aliasque
1564. annis 1565 & 1567. Præsens fuit an. 1564 juramento præstito pro fœdere inter Carolum IX & Elisabetham Angliæ reginam die 7 Junii.
1567. Regi dicitur a consiliis anno 1567. Domum
1570. episcopi apud Valonias sitam alienavit an. 1570, ut vectigalibus a rege in diœcesi impositis satisfaceret. Commutavit anno eodem commendam S. Melanii pro commenda Montis S. Michaëlis 6 Junii. Literas adoptionis in familia Cossæa
1571. obtinuit an. 1571. Nicolaum *de Briroy* futurum postea successorem vicarium generalem in-
1575. stituit 1575. Alienavit anno 1576 baroniam
1576. sancti Laudi in gratiam marescalli *de Matignon*.
1580. Decrevit anno 1580 ut archidiaconi quotannis archidiaconatus suos perlustrarent, & ut ecclesia

A Valoniensis in collegiatam assurgeret. Sedes quoque balliviæ Constantini Constantias ejus cura translata est e Cadomo, cui postea restituta fuit. Anno 1581 Nicolaum *de Briroy* ad synodum 1581
Rotomagens. vicarium suum transmisit Arturus, ad quem anno 1582 6 Novemb. de dicta sy- 1582
nodo publicanda scripsit archiepiscopus Rotomagensis. In Flandriam cum duce Alenconii fratre regis profectus anno eodem, in carcerem cum aliis Francis conjicitur. Illic quasi de vita desperans, a Nassovio principe liber dimittitur. Constantias reversus, statuta pro religiosis domus Dei sanxit anno 1584. Insequenti peste Constantiis 1584
B grassante indicta est supplicatio generalis in die Nativitatis B. Mariæ. Arturus interea tranquillo apud Avicularium Montis S. Michaëlis castellum fruebatur otio, unde vix bis pedem ad obitum extulit. Constantiis tamen anno 1587 Carolum 1587
Turgot consiliarium senatus Rotomagensis & canonicum Constantiensem scholasticum instituit 23 Apr. & vicarium generalem 9 Sept. Romam profecturus substituit. Ast cita morte præventus est Parisiis 7 Oct. anni ejusdem, legatis capitulo sexcentis libris pro annuis precibus. Corpus Constantias relatum, in medio choro sepultum est.

Lancelotus *de Matignon* filius Jacobi Franciæ
C marescalli, & Franciscæ *de Daillon du Lude*, Arturo successor a rege delectus 21 Decembris 1587, dum Romam peteret ut a summo pontifice confirmaretur & institueretur, in itinere raptus est 1 Jan. 1588, optimæ indolis adolescens, ne malitia mutaret intellectum ejus, cujus ut de morte mœstissimum parentem leniret rex, episcopum ei designandum generose permisit.

LXX. Nicolaus II.

DE BRIR[OY]

Nobilis Constantiensis Nicolaus, annum vix agens decimum quintum, per cessionem Nicolai patrui factus est parochus de Fierrevilla, cano-
D nicus Constantiensis 1570, archidiaconus de Baptesio 1574 & Arturi *de Cossé* vicarius generalis 1575, cleri Constantiensis nomine ad comitia regni generalia Blesas perrexit an. 1576 & 1588, Parisios & Melodunum anno 1580. Conventui quoque Rotomagensi edictis Blesensibus indicto pro interpretatione consuetudinum Normanniæ interfuit & subscripsit 1583. Denique cum canonicus, archidiaconus, vicarius generalis & officialis jampridem diœcesim totam ea prudentia simul & magnanimitate moderatus fuisset ut omnibus carus esset, dignus visus est Matignonio, quem regi episcopum indicaret.
E Regi quoque tantopere acceptus fuit & gratus, Ch. xlv col. 18[…]
ut apud Blesas 29 Octobris 1588 dato chiro- 1588
grapho præbendarum, canonicatuum aliorumque beneficiorum, quæ regaliæ jure sibi competebant, collationem ei permiserit, ac diplomata perfici ad institutionem a summo pontifice obtinendam, aut alias ipsi necessaria, jusserit. Regias statim nominationis suæ literas capitulo exhibuit Nicolaus, quam ratam habuerunt canonici 11 Nov. anni ejusdem qui ne juri suo penitus renunciare viderentur, eum & ipsi elegerunt episcopum in

ANNI CHRISTI capitulo 21 Apr. 1589. Defuncto die 2 Aug.
hujus anni Henrico III, qui succeſſit Hen-
1589. ricus IV. memor inviolatæ erga ſe Briroii fidei,
1590. 10 Maii 1590 non ſolum conceſſa ei a deceſſore rata habuit, ſed & addidit ut cuncta quæ ſibi debebantur regaliæ aut jucundi adventus cauſa, aut fiſci ſeu confiſcationis capellanorum ſacræ palatii capellæ, qui ex crimine perduellionis juribus ſibi in vacantes epiſcopatus quæſitis exciderant, in Briroii beneficium converterentur, ac tam ad temporalia quam ad ſpiritualia epiſcopatu ſolus ex integro potiretur. Sedatis demum bellorum civilium tempeſtatibus, reformataque cum ſummo pontifice pace, Nicolaus jampridem nominatus, bullis donatur XVII cal. Oct. 1597, conſecraturque Dominica 7 Decemb. in majori B. Mariæ ſacello eccleſiæ S. Germani a Pratis Pariſiis a Gaufrido Ambianenſi, Claudio Dinienſi & Renato Bellovacenſi epiſcopis. Poſſeſſionem die 18 menſis ejuſdem abſque apparatu apprehendit. Quatuor ſtatim theologiæ doctores ordinandorum & ad curam animarum inſtituendorum examini præfecit. Diœceſim ſuam quotannis quoad potuit viſitavit. Libros eccleſiæ, breviarium, miſſale, proceſſionale, diurnale, manuale & horas renovavit. Bona eccleſiarum ab hæreticis ablata, deperdita, auctoritate ſenatus Rotomagenſis aſſeruit. Eccleſiæ PP. Capucinorum primarium lapidem poſuit 29 Junii 1617. Denique integer vitæ vir, & paſtor optimus defunctus 3 Martii 1620, in publico conſiſtorio ob eximiam ejus caritatem & * largitionum copiam meruit a Paulo V pontifice maximo decorari ulo patris pauperum ac ſolenni ſacri ſacrificii mmemoratione pro defunctis, cui interfuit rpuratorum collegium. Jacet in choro eccleſiæ, oque marmore cum hoc epitaphio tumulus ntectus.

D. O. M.

Quod fauſtum fortunatumque ſit. Piis manibus rendi D. Nicolai de Briroy *Conſtantienſis epi- vigilantiſſimi religionis pietatiſque avitæ & iæ ſervatoris fideliſſimi. Qui quatuor & nona- annos agens, in epiſcopatu tres & viginti, er obdormivit in domino 22 Martii 1620. ſanctitatis aram monumentum hoc pietatis & litatis poſteritati mandandum, Adrianus ex nepos hujus eccleſiæ archidiaconus & canonicus dicat, conſecrat 1621.*

colao ſedente, vigebat celebris Minorita iſcus Feuardentius nobilis Conſtantienſis, urima edidit in ſacram ſcripturam commria, & hæreticos ſui temporis debellavit.

Guillelmus *le Blanc* Toloſanus, canonicus enſis, a rege quidem nominatus eſt epi- Conſtantienſis, promotioque ejus Coninnotuit menſe Januario 1621: at nononſecratus obiit menſe Octobri anni ejuſepultuſque eſt Aginni in eccleſia cathedrali

ta erat ejus in pauperes charitas, ut obeunti aſſes dunvemdecim ſuperfuerint, ac divenditæ publice modicæ tilis ad funeralium onera pretium non ſuffecerit.

A ſancti Stephani in media navi. Hunc volunt nepotem Guillelmi *du Blanc* epiſcopi Telonenſis defuncti anno 1588.

Jacobus *Carbonel* filius Renati marchionis *de Canizy*, & Annæ *de Matignon*, a rege quoque deſignatus, arma prætulit tunicæ. Illud tamen inde retulit commodi quod quamdiu vixit, 2000 libras ex bonis epiſcopatus perceperit. Vixit autem ad annum 1626.

LXXI. Nicolaus III. BOURGOING

Pariſiis natus Nicolaus, doctor Navarricus &
verbi Dei præco egregius, ex theologo Maclo-
B vienſi, Conſtantienſis erat & parochus S. Laudi,
cum vacanti ſedi præfectus a rege, inauguratur
apud Maturinos Pariſienſes die Dominica 9 Julii
1623 a Franciſco metropolitano, Claudio Baio- 1623.
nenſi & Henrico Tarſenſi coadjutore Ebroicenſi
epiſcopis, ætate jam provectior. Conſtantias illico
regreſſus, eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem die 27 ejuſ-
dem menſis & anni adeptus eſt. Primus celebravit
miſſam in eccleſia Capucinorum Dominica IV
Adventus 22 Decemb. 1624. Fundavit feſtum
S. Genovefæ, & defunctus 19 Aprilis 1625, 1625.
die ſequenti ſepultus eſt in choro cathedralis.

LXXII. Leonorius I. DE MATIGNON.

C Natus Leonorius ultima Maii 1604 parentibus Carolo comite de Torigneio inferioris Normanniæ prorege, equite torquato, Franciæ mareſcallo, & Leonora *d'Orléans* ex ramo ducum Longævillæ, jam abbas Torigneii & Exaquii, Conſtantienſis epiſcopus a rege deſignatus menſe Julio 1625, peracto Luteciæ ſtudiorum ſtadio
Romam petiit anno 1629. Inde redux, cleri 1629.
Gallicani conventui adſtitit anno 1631. Biennio 1631.
poſt apud Alenconium inungitur ab epiſcopis
Franciſco Abrincenſi, Henrico Tarſenſi coad-
jutore Abrincenſi & Franciſco Ebroicenſi Do-
D minica 9 Octobris 1633. In cujus ſacro Petrus 1633.
Bellicenſis epiſcopus eleganti ſermone peroravit.
Inde ad eccleſiam ſuam divertens Leonorius,
Conſtantias ſolenniter ingreſſus eſt 15 Decemb.
1633. Vicarium ſtatim generalem & officialem
in juriſdictione S. Laudi Rotomagenſis inſtituit
Petrum *de Boiſſyvon* conſiliarium parlamenti.
Bertinus Bertholdus preſbyter dicavit ei cate-
chiſmum confeſſariorum an. 1634. Generalibus 1634.
cleri Gallicani comitiis Pariſiis adfuturum anno
1635 Leonorium comitati ſunt Jacobus Sag. 1635.
epiſcopus, Ferdinandus *de Neuville* abbas S. Van-
dregiſili, Guillelmus *de Boivin* conſiliarius regius
E in parlamento Normanniæ, abbas Monmorelli,
canonicus & decanus Abrincenſis, & Andreas
de Bigardo regi a conſiliis & eleemoſynis, abbas
Cornevillæ, decanus Lexovienſis, omnes deputati
a provincia Rotomagenſi. Anno 1637 anteceſ- 1637.
ſorum ſtatuta ſynodalia quibuſdam pro temporis
neceſſitate additis renovavit, & publici juris fecit.
Subſcripſit cenſuræ latæ anno 1640 28 Martii 1640.
a præſulibus adverſus librum Optati Galli de ca-
vendo ſchiſmate. Eodem anno adſtitit die 4 Maii
ſacro Petri Autiſſiodorenſis epiſcopi in eccleſia

ANNI CHRISTI 1643. Cistercienfium Parifienfium. Præfens fuit 21 Aprilis 1643 cæremoniis baptifmalibus delfini Franciæ in facello veteris caftri S. Germani in Laia. Eodem anno admifit in urbe moniales S. Auguftini dictas Hofpitalarias. Comitiis cleri
1645. Gallicani adfuit Luteciæ an. 1645, & fequenti
1646. ad ecclefiam Lexovienfem tranflatus eft. In oppido S. Laudi Pœnitentium tertii ordinis fancti Francifci conventum excepit, Capucinos apud Valoniam, ibidemque Benedictinarum monialium parthenonem fub invocatione B. Mariæ, apud Conftantias ejufdem regulæ fanctimoniales & Hofpitalarias ordinis fancti Auguftini, apud Carentonum domum filiarum Noftræ Dominæ pro inftruendis puellis juvenculis. Denique Leonorius reftauravit ædes epifcopales pro fuccefforum commodo atque oblectamento.

AUVRY.

LXXIII. CLAUDIUS.

Sat humili loco Parifiis natus Claudius patre pannorum propola, Romæ diu verfatus, Barberinorum cardinalium in familiam adfcitus eft, ubi arctam cum Mazarino contraxit amicitiam. A quo ad varia regni negotia poftea allegatus, bene ac feliciter ea geffit. Hujus itaque favore & gratia Antonii Barberini majoris Franciæ eleemofynarii, cujus erat generalis vices gerens, epifcopus primum fancti Flori, exinde Conftantienfis a rege dictus 27 Julii 1646, bullas gratis a fummo pontifice obtinuit 3 Decemb. ad preces reginæ, agente Rainaldo Cardinali Eftenfi negotiorum Franciæ apud fedem apoftolicam procuratore. Sacram unctionem excepit Pontifaræ 15
1647. Febr. 1647 a Dominico *de Vic* archiepifcopo Auxitano, adftantibus Francifco *Pericard* Ebroicenfi & Arturo *de Lionne* Vapincenfi epifcopis. Tum in diœcefim fuam fe contulit, ac Dominica 15 Septembris fequentis feftivo apparatu in urbem invectus eft. Primam abbatiffam B. Mariæ de Protectione benedixit 9 Oct. 1647, cujus parthenonis ecclefiam confecravit 25 Aug.
1648. 1648. Regi ex debito pontificiæ dignitatis facramentum juravit pro clientela temporali 18 Martii 1648. Partibus cardinalis Mazarini addictiffimum, cum multa ejus gratia moveret, eum comprehendere juffit dux Longævilleus regius
1649. inferioris Normanniæ præfectus 21 Martii 1649. Aft aut nulla, aut emendata fuit accufatio, nam eodem anno Carolum II Angliæ regem cum Jacobo Eboracenfi duce fratre ejus in urbem fuam excepit. Decretum edidit 15 Novembris adverfus nuptias clam contractas. Ab hoc circiter anno per fexennium lites cum capitulo exercuit Claudius, qui Eudiftas apud Conftantias admifit
1651. an. 1651. Biennio poft beneficio regis fit facræ
1653. capellæ Parifienfis thefaurarius an. 1653. Ludo-
1654. vici XIV unctioni Remis interfuit anno 1654, quo anno vicarius generalis cardinalis Barberini adhuc erat, necnon præfectus cameræ cardinalis
1655. Mazarini. Anno 1655 cum pontificalia obiiffet munia in ecclefia Parifienfi de fola D. Sauffaii vicarii generalis inconfulto archiepifcopo abfente licentia, fufpenfus & irregularis a metropolitano fuo declaratus eft 18 Sept. fed irrita vindicta : anno enim 1656 Parifienfibus cleri Gallicani comitiis adftitit, Judæum recens converfum de facro fonte nomine cardinalis Mazarini fufcepit & Julium appellavit die 2 Apr. Dominica 1, in ecclefia S. Sulpicii, & anniverfario Ludovici XIII apud S. Dionyfium 15 Maii interfuit. Anno eodem quo vicarius generalis Antonii Barberini cardinalis, majoris Franciæ eleemofynarii, moniales S. Urfulæ ad parthenonem B. Mariæ de Gratia in fuburbio Sangermanenfi inhabitandum deduxit 24 Octobris. Eumdem cardinalem factum Remenfem archipræfulem Romam pergentem nomine regis aliquo itinere comitatus eft 6 Sept. 1657. Infequenti offenfus 1657. ecclefiæ de qua optime meritus fuerat, erectis in ea duobus feminariis, fervavit fibi 12000 annuæ penfionis libras, & permutavit annuente rege cum Euftachio abbate S. Crifpini in Cavea menfe Septembri 1658. Inunctioni Bernardi 1658. *de Sariac* epifcopi Adurenfis adftitit 1 Junii 1659, & Johannis *Maupeou* Cabilonenfis 9 Maii 1660. Octogenario major fubito Parifiis occidit die Mercurii 9 Julii 1687, die fequenti fepultus in choro inferioris capellæ. Solenniter ei parentatum in ecclefia Conftantienfi a canonicis, & in ecclefia Dominicanorum ab oppidanis gratiarum a benefico præfule collatarum memoribus, defuncti laudes profequente N. *du Pré* prefbytero Conftantienfi. Claudio nuncupavit Petrus Gaffendus præpofitus Dinienfis, vir omni eruditione clarus, Romanum calendarium compendiofe expofitum.

LE CLERC DE LESSEVILLE.

LXXIV. EUSTACHIUS II.

Nicolai cameræ computorum Parifienfis decani & Catharinæ *le Boulanger de Viarme* tertiogenitus Euftachius, rector univerfitatis Parifienfis annos tantum natus 17 electus eft, tum doctor & focius forbonicus, ac fucceffive canonicus & comes Brivatenfis, canonicus & theologus Parifienfis, ecclefiæ fancti Gervafii in eadem urbe parochus, regibus Ludovico XIII & XIV ab eleemofynis ordinarius per octo annos, confiliarius parlamenti Parifienfis per 14, necnon abbas S. Crifpini in Cavea, facta cum Claudio beneficiorum permutatione, nominatus a rege 28 Septembris 1658, eidem juravit fidem ob temporalia epifcopatus bona 14 Martii 1659, 1659. & 23 infequenti epifcopalem accepit unctionem in ecclefia S. Ludovici Jefuitarum a Claudio *Auvry* deceffore, affiftentibus epifcopis Sueffionenfi & Cæfarienfi. Conftantias de nocte vitandi apparatus gratia ingreffus, poftera die 28 Maii poffeffionem affecutus eft. Provinciali fynodo apud Pontifaram habitæ adfuit 15 Apr. 1660. 1660. Abbatiffam B. Mariæ de Protectione benedixit 13 Novembris 1661. Novum breviarium typis 1661 mandavit 1663. Corpus S. Gaudi Ebroicenfis 1663 epifcopi in ecclefia S. Paterni juxta Grandivillam fepulti e terra levavit anno 1664, ufus opera 1664 trium Conftantienfium totidemque Ebroicenfium canonicorum, qui feretrum geftarunt. Aquas cœleftes

ANNI CHRISTI cœlestes supplicatione solenni deprecatus est 20 Augusti anni ejusdem per merita beati Laudi. Insequenti cum ad comitia cleri Gallicani Luteciam perrexisset, apoplexia correptus, ibidem
1665. exspiravit 3 Decembris 1665, sepultusque est in ecclesia Majorum Augustinianorum in sacello suæ gentis. Perfacilis omnibus ad Eustachium aditus, omnium sibi amorem simul ac reverentiam conciliarat.

LXXV. Carolus-Franciscus.

DE ...MENIE DE ...IENNE.

Post obitum Eustachii, renunciatus Claudius *Auvry* mense Maio 1666, forte recusavit, nam Carolus-Franciscus nominatus est a rege Constantiensis episcopus per obitum Eustachii decessoris 5 Decembris anni ejusdem. 1666. Natus is Parisiis anno 1638 parentibus Henrico Augusto comite *de Brienne* & *de Montberon*, barone *de Pougy*, domino *de la Ville-aux-Clercs* & Ludovica *de Beon*, Ludovici XIV domicellus primum fuit, tum clero addictus, solitum studiorum stadium cucurrit. Inde doctor sorbonicus, abbas S. Germani Autissiodorensis, S. Eligii Noviomensis, demum S. Cypriani Pictaviensis & episcopus Constantiensis a rege renunciatus, sacratus est
1668. 19 Febr. 1668 in ecclesia monialium Carmelitarum, quæ a munificentissimis ejus parentibus in fano S. Dionysii fundatæ fuerant, ab archiepiscopo Rotomagensi, adstantibus episc. Ebroicensi & Bajocensi. Possessionem solennem iniit die 28 Oct. anni ejusdem. Ecclesias Eudistarum
1669. & Capucinorum consecravit 1669. Abbatissas B. Mariæ de Protectione benedixit annis 1669 & 1672, & abbatissam B. Mariæ de Angelis 28 Octobris 1680. Statuta synodalia renovavit, & typis mandavit 19 Martii 1676. Rituale quoque edidit aliorum ritualium exemplar. Conventui episcoporum provinciæ apud Gallionem adstitit anno 1699. Novum breviarium emisit in lucem anno 1714. Revocato Nannetensi edicto, viros apostolicos ad oppidum S. Laudi misit, ut hæreticos qui in eo frequentes erant catholica doctrina imbuerent. Curis ejus & liberalitate fundata in urbe domus virginum, quæ nomen ab unione christiana sortitæ sunt & curam habent feminarum recens ab hæresi conversarum. Collegiatam de Vallonia parochiam sicuti fuerat prius restituit. Obiit in sua diœcesi 7 Apr. 1720, annos natus 83, sepultusque est in choro cathedralis.

ANNI CHRISTI 1672. 1676. 1699. 1714. 1720.

LXXVI. Leonorius II.

GOYON DE MATIGNON.

Caroli-Augusti Franciæ marescalli & Mariæ-Elizabethæ *Berthelot* filius Leonorius, doctor Sorbonæ, abbas Exaquii & prior Plessæi Grimoldi, nominatus a rege episcopus Constantiensis 8 Jan. 1721, admittitur Romæ 28 Maii, & proponitur 1 Decemb. Sacro ritu inungitur 11 Jan. 1722 ab Andrea-Hercule *de Fleury* quondam episcopo Forojuliensi, regis præceptore, collaborantibus episcopis Sagiensi & Abrincensi in ecclesia Carmelitarum discalceatorum Parisiis. Regi fidem obstrinxit 18 eorumdem mensis & anni præsente duce Aurelianensi regni administro. Constantias adiit die Dominica 11 Oct. & absque apparatu possessionem iniit die 12 sequentis. 1721. 1722.

CANTORES ECCLESIÆ CONSTANTIENSIS.

PRima ecclesiæ Constantiensis dignitas cantor est, quem Gaufridus de Molbraio episcopus, ut desolatam a Normannis ecclesiam relevaret, medio seculo XI instituit. Huic a Viviano attributi reditus præbendæ de Blainvilla, quos approbavit Innocentius III mense Novembri, pontificatus 9. Toti Normanniæ ac præsertim maritimæ communia non sinunt infortunia, ut accuratam cantorum demus seriem. Ceterum quam damus, hanc debemus curis & studio N. *Pouret* canonici & pœnitentiarii hujus ecclesiæ, qui suam in omnibus nobis operam perlibenter commodavit.

I. Petrus I camerarius, vir ecclesiasticus, quem vicarium suum & ecclesiæ decanum in rectorem præposuit Gaufridus episcopus, pro primo cantore a nonnullis habetur & cantoribus præponitur. Verba unde desumta conjectura ponderet lector, & judicet in appendice. Charta I. 220.

II. Alveredus occurrit in chartis Montisburgi 1156, & Cæsarisburgi circa 1165.

III. Gaufridus de Burgo legitur in charta Guillelmi episcopi pro Cæsarisburgo 1193, & 1196 in chartulario Exaquii.

IV. Willelmus I cum Viviano episcopo & W. abbate Hambeiæ a sede apostolica arbiter est institutus inter monachos Exaquienses & Thomam *de Mouny* ac Ricardum de Roca.

V. Richardus cantor erat circa 1220, ex chartis capituli. Anno 1224 mense Novembri, Ludovicus VIII ad preces Garini episcopi Silvanectensis & Franciæ cancellarii, donavit capitulo Constantiensi patronatum ecclesiæ de Bellavalle pro suo & Philippi patris anniversario.

VI. Johannes I *d'Argenton* anniversarium suum fundavit anno 1255.

VII. Thomas *Daunest* capitulo præsidebat tempore Johannis *d'Essey* episcopi.

VIII. Guillelmus II *de la Lande* jam memoratus 1270 mense Jan. in chartis capituli, cum Johanne archidiacono Vallis-viriæ arbiter fuit 1286 Sabbato ante festum S. Egidii.

IX. Guillelmus III *de Vauxmare* 1298, die Veneris ante S. Marcum.

X. Johannes II *de Hautsaney* 1326 Sabbato post Assumtionem.

XI. Simon *de Villepour* 1339.

XII. Guido *Guarin* præsens fuit renovatis ecclesiæ statutis 1377 a Silvestro episcopo.

XIII. Martinus de castris 1380.

XIV. Robertus *Brotey* 1414 & 1434.

XV. Petrus II *d'Orgemont* 1443, 1444, 1448. Obiit 6 Aprilis 1470.

XVI. Johannes III *Rati* ter possessionem apprehendit, 1.° statim post obitum Petri factus cantor 11 Aprilis 1470, 2.° 19 Junii postquam a Paulo II confirmatus fuisset IV calendas Maii 1470, 3.° defuncto 13 Septembris anni ejusdem Richardo Constantiensi episcopo, a rege nominatus, 1 Martii 1471; æmulum tamen passus est Johannem *de Beauvoisin* consiliarium Parisiensem & Inquisitionum præsidem, qui nominatus a rege capitulo supplicavit ut eum admitterent 3 Aprilis 1471. Paulo autem post cessit in gratiam Ludovici *de Beauvoisin*, qui renunciatus quoque a rege possessionem adiit 15 Novembris 1472. Inde lis in parlamento Parisiensi inter Johannem *Rati* & Ludovicum *de Beauvoisin*. Causa tamen vicit Johannes, qui Benedicti episcopi vicarius generalis erat anno 1476, quemque canonici Juliano *de la Rovere* facto Constantiensi episcopo gratulaturum deputarunt 26 Martii 1477. Juliani quoque, nondum significata capitulo translatione, Johannes erat vicarius generalis 24 Augusti 1478, ex regestis capituli, in quibus reperitur adhuc mense Julio 1485.

XVII. Johannes IV *Poisson* ibidem memoratur 4 Januarii 1499 nonnulla emisse, quæ capitulo donavit 26 Januarii 1503. Adrianum *Gouffier* in jucundo adventu excepit 9 Februarii 1511. Permutavit 21 Septembris 1517 cum sequenti parocho Carentonii.

XVIII. Carolus *de S. Germain* parochus Carentonii permutatione facta cum Johanne fit cantor 1517, & obiit circa 1536.

XIX. Franciscus *de Lautrec*, tantum clericus, vi senatus Parisiensis consulti possessionem apprehendit 20 Febr. 1541, admissusque est ea lege, ut ad sacros ordines promoveretur: Philippi episcopi generalis fuit vicarius. Permutavit anno 1548 cum sequenti.

XX. Petrus III *Pinson* Porphyriensis episcopus & abbas Hambeiæ, permutatione facta cum Francisco factus cantor, possessionem adeptus est 9 Julii 1548. Retinuit semper monachi cucullam. Cessit in gratiam sequentis an. 1556. Defunctus 19 Aprilis 1559, sepultus est in cathedrali ecclesia, in sacello puerorum chori.

XXI. Jacobus I *le Marquetel* possessionem iniit 27 Junii 1556, & obiit mense Augusto 1570.

XXII. Egidius *Hurel* cantor admissus est 23 Aug. 1570, cessitque in gratiam sequentis.

XXIII. Johannes V *de Ravalet* dominus *de Tourlaville*, abbas Hambeiæ, cessione Egidii factus cantor, possessionem apprehendit 4 Junii 1572; dotavit collegium Constantiense, cessit quoque in favorem sequentis.

XXIV. Jacobus II *de Franquetot* regi ab eleemosynis, abbas Hambeiæ, possessionem apprehendit 9 Apr. 1602, obiitque 2 Apr. 1626.

XXV. Jacobus III *de Franquetot* adhuc clericus, patruo successit, a rege nominatus cantor, possessionem iniit 27 Aprilis 1626; cessit sequentis in gratiam.

XXVI. Antonius-Ludovicus *de la Luzerne Brevant* per cessionem Jacobi cantor possessionem adeptus est 22 Sept. 1664, obiitque 1684.

XXVII. Petrus IV *Blanger* doctor sorbonicus, quondam præceptor Caroli-Francisci *de Lomenie* episcopi, canonicus, officialis, vicarius generalis, cantor possessionem adiit 10 Martii 1684; cessit 1705.

XXVIII. Petrus V *le Roux de Neville* admissus 15 Maii 1705, obiit mense Oct. 1731.

XXIX. Vercingetorix Renatus *de Gourmont de Courcy* possessionem apprehendit 19 Octob. 1731, defunctus mense Martio 1746.

XXX. Jacobus IV *de la Bossiere de Vains* admissus est 11 Martii 1746.

DE ANTIQUIS ECCLESIÆ CONSTANTIENSIS MONASTERIIS.

Plurima in diœcesi Constantiensi sub Meroveadis regibus fuere monasteria, quæ a Normannis seculo IX fuere destructa; primorumque abbatum qui Pippino rege claruere interciderunt nomina.

I. Scicy. Ad oram Oceani, haud procul a Grandivilla oppido, parochia est S. Paterni nomine insignita. In ea adhuc visuntur tumuli tam sancti Paterni quam aliorum, fundamentaque ædium vastarum ecclesiam circumjacentium, ex quibus haud temere conjicitur inibi situm olim fuisse monasterium Sesciacense. Hujus auctor fuit S. Paternus postea Abrincensis episcopus. Is ortus Pictavis, & a Julitta matre nobili piissime educatus, vixdum adolescens prima vitæ monasticæ rudimenta didicit magistro generoso Ensionensi apud Pictavos abbate, qui eum cellario statim præposuit. Verum Paternus parentum viciniam & consuetudinem ægre ferens, una cum Scubilione ejusdem cœnobii monacho in Constantinum se recepit pagum. Ibi cum ambo in quamdam insulam majoris solitudinis causa vellent secedere, Amabilis vir religiosus auctor eis fuit ut apud Sesciacum consisterent ad expurgandum fanum, ubi profanæ superstitionis sacra exsecranda etiamtum incolæ frequentabant. Hinc antrum montis proximi ad habitandum eligunt, ut ad fanum adventantes a nefario cultu compescerent. Paterno & Scubilioni brevi adjuncti sunt discipuli, quorum ita accrevit numerus, ut iis cellulas per circumpositas civitates, Bajocas, Cenomannos, Abrincas & Redones construxerit Paternus. Jam triennium erat quo Ensionense monasterium reliquerat, cum generosus abbas ad requirendos discipulos istuc fama volante advenit. At non ferens Leontianus Constantiensis episcopus ut Paternus ad pristinum monasterium reverteretur, quo eum suæ diœcesi strictius obligaret, diaconum ac mox presbyterum ordinavit. Jam septuagenarius raptus est ad sedem Abrincatensem an. 552.

Decimo post anno fratres Sesciasenses visitare cupiens, in morbum incidit, defunctusque anno 565, a Laudo Constantiensi episcopo apud Sesciacum sepulturæ mandatus fuit. Jam dudum excidit monasterium, locumque possidet abbatia S. Michaëlis in Monte-tumba ex dono Richardi II ducis Normannorum.

I. In pago Constantiensi aliud fuit monasterium Mandanense, in quo deguit Scubilio. Generosum enim abbatem qui ad eos requirendos venerat secutus, & ad S. Paternum post modum reversus, non Sesciacum, sed Mandanum secessit, ubi eodem momento ac S. Paternus in morbum dilapsus, a Lascivo Bajocensi episcopo mortuus apud Sesciacum terræ mandatus est eadem hora. Mandanum autem spatio plusquam trium millium distabat a Sesciacô, brachio maris interjecto. Vult Arturus Mandanense monasterium aliud non esse a Maduinensi diœcesis itidem Constantiensis, cujus loci seculo IX abbas erat S. Odobertus, nec conjecturam improbat Mabillonius.

Locum in pago Constantiensi construendo monasterio aptum, Nantum vocabulo, a Childeberto rege facile obtinuit S. Marculfus. Natus is apud Bajocasses, relictis omnibus, Possessorem Constantiensem episcopum adiit, a quo presbyter & sacri verbi præco institutus est. Subinde cum Cariulfo & Domardo sociis aliisque monachis secedens piissime vixit. Quod enim alios docebat, ipse ad amussim implebat. Morti proximus ad Childebertum regem Compendium profectus, ab eo monasterii sui bonorum confirmationem obtinuit. Defunctus sepultus fuit in monasterio suo Nantensi cum Cariulfo & Domardo qui eodem tempore obierunt. Ejus corpus e tumulo extulit seculo VII S. Audoënus Rotomagensis episcopus rogatu Berwini abbatis. Everso per Normannos Nantensi monasterio, S. Marculfi corpus in villam regiam pagi Laudunensis translatum, Carolo simplice regnante, scilicet Corbiniacum, ibidemque erecta est ejus in honorem ecclesia, quo voti solvendi causa reges Francorum statim a sua inunctione proficisci aut mittere solent, ut ob strumarum sanandarum donum cœlitus acceptum se Deo gratos exhibeant.

IV. Potentinus Scottus S. Columbani discipulus, Luxovio discedentem eum secutus, unus e duobus qui apud Aurelianos annonæ quærendæ causa in urbem a S. Columbano missi sunt, in Neustria constitit, & in suburbio Constantiæ urbis monachorum cœtum congregavit seculo VII ineunte. Ita Jonas in vita sancti Columbani nn. 16, 34 & 41.

V. Hamum. Vide in Frodomundo Constantiensi episcopo ad annum 677.

VI. S. Helerius discipulus S. Marculfi, a Vandalis in Gerseyo insula occisus fuit, cujus in honorem ibidem fundatum est a Guillelmo filio Hamerici monasterium e congregatione Aroasiensi, quod ad sustentationem conventus minus sufficiens, Henricus II rex Anglorum conjunxit anno circiter 1187 cum Cæsarisburgo ea lege, ut ecclesia Cæsarisburgi præcipua foret sedes abbatis, & in domo S. Elerii quinque saltem canonici regulariter Deo deservirent abbati Cæsarisburgi subjecti. Unus tantum memoratur S. Helerii abbas primus Robertus nomine, qui locum a fundamentis ædificare cœpit, memoratus VI cal. Febr. in necrologio Cæsarisburgi.

VII. Landellæ modo parochia est in archidiaconatu & decanatu Vallis-viriæ ad collationem B. Mariæ de Cleriaco pertinens.

VIII. S. Salvator de Petraponte parochia quoque est in archidiaconatu de Baptesio ad collationem monachorum S. Salvatoris vicecomitis.

IX. S. Cosmas de Monte nunc prioratus ordinis Cluniacensis, veteribus quoque accensetur monasteriis.

ABBATIÆ SUPERSTITES.

Decem omnino sunt in diœcesi Constantiensi, quarum septem ordinis S. Benedicti, tresque ordinis S. Augustini.

Ordinis S. Benedicti.

Virorum.

Severus.
...aquium.
...Salvator vicecomes.
...ntisburgus.
...mbeia.

Feminarum.

...Maria de Protectione.
...Maria de Angelis.

Ordinis S. Augustini.

Virorum.

...Laudus.
...arisburgus.

Ordinis Præmonstratensis.

Blancalanda.

S. SEVERUS.

Duabus a Virensi oppido leucis circiter dissitum sancti Severi cœnobium, ordinis sancti Benedicti ab ipso sancto Severo episcopo Abrincensi exstructum traditur, in quo & sepultus est. Post ejus mortem monachis omnibus irruentium turbine barbarorum fugatis, nemo illic remansit, locusque humano prorsus destitutus fuit auxilio ad Guillelmi I regis Angliæ tempora, quibus cum certatim nobiles in Normannia monasteria ædificarent, Hugo de Abrincis vicecomes Abrincatensis, qui postea fuit comes Cestrensis, fecit abbatiam S. Severi, Guillelmo Gemeticensi auctore anno circiter 1085. Nec quidquam

amplius de hoc asceterio scire licuit; nullæ enim sunt chartæ, nullum tabularium, quia bis destructum, direptum & igne consumtum fuit monasterium. Ex chartulario autem ecclesiæ Abrincensis discimus abbates sancti Severi de antiqua consuetudine ratione bonorum quæ in illa habent diœcesi, teneri quotannis interesse in ecclesia beati Andreæ Abrincensis die ejus festo. Hoc autem jam in desuetudinem abiit. Addi quoque potest unitum forte fuisse hoc monasterium congregationi Casalis benedicti, cujus quippe & missali & breviario utebantur Sanseveriani monachi, apud quos nulla quoque sunt quæ vocantur officia claustralia.

Charta XXXVIII. col. 262.

Abbates.

I. Anselmus, cujus nomen legitur in rotulo monialium Cadomensium, e Gemetico assumtus est primus S. Severi abbas, teste Roberto de Monte.

II. Arnulfus Ebroicensis, ibidem.

III. Petrus I monachus Floriacensis, ibidem.

IV. Robertus I monachus ejusdem loci, id est S. Severi, ibidem.

V. Guido Cestrensis, ibidem.

VI. Godefridus adfuit curiæ regis apud Cadomum in Natali Domini 1173.

VII. Stephanus occurrit an. 1173 in purificatione in chartis Constantiensibus, & 1176 in libro nigro Bajocensis ecclesiæ.

VIII. V. D. memoratur anno 1208 in chartulario de Longis.

IX. Petrus II abbas 1228. Professus est an. 1258 teneri se & successores suos interesse die festo S. Andreæ in ecclesia Abrincatensi.

Charta XXXVIII. col. 262.

X. Ricardus I de Villeio abbas electus & confirmatus an. 1279, ad Philippum III regem Francorum missus est a capitulo Constantiensi cum litteris commendatitiis, ut administrationem bonorum temporalium ei rex liberaret, cui simul significant idem monasterium ad tam miserabilem statum devenisse, ut monachi inibi residentes non haberent unde commode valerent sustentari. Datum sede Constantiensi vacante 1279 die Dominica ante festum S. Michaëlis. Occurrit Ricardus anno 1280 in chartis domesticis.

XI. Thomas I. Monachi S. Severi eligendi abbatis veniam a rege postularunt 1282. Electus forte est Thomas, qui reperitur anno 1300 in chartis monasterii.

XII. Johannes I societatem iniit an. 1321 cum monachis S. Petri supra Divam.

XIII. Michaël *Sanson* 1340, cujus nomen inscriptum campanæ instauratæ.

XIV. Guillelmus *Hovel* moras obtinet ad fidem regi præstandam 1352. Obiit anno 1 Innocentii papæ VI.

XV. Robertus II succedit anno eodem & obiit anno 4 Urbani V.

XVI. Johannes II *Guesdon* Robertum excepit. Occurrit 2 Aug. 1372 in chartis D. *de Gaignieres*. Defunctus est anno 2 Gregorii XI.

XVII. Petrus III *de la Perouse* sedit ad annum 4 Gregorii XI, postea abbas S. Albini Andegavensis.

XVIII. Henricus I *l'Anglois* per cessionem superioris memoratur 16 Novembris 1378, & 24 Apr. 1379 in chartis D. *de Gaignieres*.

XIX. Michaël II anno 1390 2 Novembr. ibidem.

XX. Guillelmus II an. 1391 2 Maii, ibidem.

XXI. Michaël III *Sanson* 1393 1 Nov. & 20 Maii 1398, ibidem.

XXII. Nicolaus *l'Anglois* occurrit an. 1400 in chartis domesticis, 26 Septembris 1401 & 2 Martii 1412 in chartis D. *de Gaignieres*.

XXIII. Thomas II *Vivian* regi Anglorum fidem juravit mense Januario 1451, reperiturque 1 Maii 1422 & 10 Novembris 1446 in chartis D. *de Gaignieres*.

XXIV. Guillelmus III an. 1452 13 Nov. & 1 Maii 1454, ibidem. Regi præstitit fidem 25 Febr. 1453.

XXV. Johannes III an. 1454 14 Augusti in chartis D. *de Gaignieres*.

XXVI. Guillelmus IV *Hoel* 16 Februarii 1460 & 6 Febr. 1463, ibidem. Regi fidem dixit 6 Augusti 1462.

XXVII. Guillelmus V *de Malestroit* archiepiscopus Thessalonicensis, primus abbas commendatarius 1466 in regestis scacarii, 1 Oct. 1468 in chartis D. *de Gaignieres*, & 1470 in chartis domesticis. Reperitur adhuc 1471 mense Septembri.

XXVIII. Guillelmus VI *Vigeon* 15 Octobr. 1480, & 6 Novembris 1504 in chartis D. *de Gaignieres*. Anno vero 1488 regularis dicitur abbas in membranis ejusdem monasterii.

XXIX. Ambrosius *le Veneur* episc. Ebroicensis, memoratur annis 1507 & 1510 in chartis domesticis.

XXX. Gabriel I *le Veneur* episcopus Ebroicensis, prior de Plesseyo & commendatarius S. Severi anno 1515 12 Octobr. & 1520 17 Junii in chartis D. *de Gaignieres*.

XXXI. Johannes IV *de S. Germain* abbas regularis reperitur 14 Octobr. 1531 in chartis D. *de Gaignieres*. Occurrit adhuc 19 Februarii 1532. Defunctus est an. 1539.

XXXII. Antonius *de S. Germain* Johannis germanus, commendatarius memoratur in tabulario domestico ab anno 1540 ad annum 1559, quo mortuus est.

XXXIII. Claudius I *de Vieuxpont* commendatarius notatur annis 1560 & 1583 in chartis cœnobii.

XXXIV. Philippus *Raffin* presbyter parochiæ *du Beny*, abbatis titulo gavisus an. 1583, a Carolo *de Bourbon* archiepiscopo Rotomagensi non parum exagitatus fuit anno 1590. Gratia tamen & auctoritate Franciscæ *de Nantier* baronis *de Landelle* Philippus confirmatus anno 1595, cessit in gratiam sequentis.

XXXV. Ludovicus I *de Renti* filius Jacobi *de Reny* & Franciscæ *de Nantier*, possessionem iniit an. 1597. Vitam monasticam nec proprio

motu, nec lubens professus in eodem monasterio, A contra Carolum *de Renty* litem intentavit ut votis liberaretur, abbatis tamen titulum servavit ad annum 1618, quo cessit sequenti, servata sibi pensione. Defunctus est 1658.

XXXVI. Claudius II *du Rozel* canonicus & decanus Rotomagensis, commenda potitus est ab anno 1618 ad 1630.

XXXVII. Stephanus *de Virazel* episcopus Sanbriocensis, ab anno 1630 ad 1641, quo obiit.

XXXVIII. Franciscus I *Fouquet* episcopus Agathensis, dein archiepiscopus Narbonensis, commendam tenuit ad annum 1656. De eo B jam diximus tom. VI, col. 122 & 701.

XXXIX. Franciscus II *de Rebé* renunciatur abbas anno 1657, & cedit.

XL. Guillelmus VII *Boucherat* germanus Ludovici Franciæ cancellarii, natus 4 Octobris 1620, senator Parisiensis, commendam obtinuit anno 1658, & obiit 20 Decembris 1679, sepultus Parisiis in ecclesia S. Landerici.

XLI. Olivarius-Franciscus *de Fourcy* decessoris ex matre pronepos, canonicus & senator Parisiensis, abbas sancti Severi designatur mense Februario 1680, & S. Ambrosii Bituricensis 1684. C

XLII. Baltasar-Henricus *de Fourcy* superioris germanus, abbas sancti Severi anno 1684, & sancti Wandregisili 1690.

XLIII. Carolus-Magdalena *Frezeau de la Frezeliere* commendatarius sancti Severi, fit episcopus Malleacensis 24 Decembris 1693, ut diximus tom. II, col. 1379.

XLIV. Carolus *de la Grange-Trianon* ultimus e stirpe antiqua nec minus illustri in senatu Parisiensi, canonicus ecclesiæ Parisiensis, & decanus consiliariorum clericorum senatus ejusdem urbis, abbas S. Severi 1694, obiit Parisiis 10 Julii 1733, annos natus 80. D

XLV. Ludovicus II *de Chamillard* renunciatus abbas die 13 Dec. 1733, translatus est ad Vallem regiam in Remensi diœcesi an. 1741.

XLVI. N. *de S. Exupery* canonicus & cantor ecclesiæ Parisiensis a rege nominatur abbas S. Severi mense Maio 1741, & Romæ proclamatur 3 Julii ejusdem anni. Decanus eligitur a canonicis ecclesiæ Parisiensis in locum Ludovici-Abrahami *de Harcourt* cedentis 24 Apr. 1747, eodemque anno fit abbas S. Dionysii Remensis mense Novembri ineunte.

XLVII. N. *d'Anneville de Chifrevast* vicarius generalis episcopi Constantiensis, commendam E a rege obtinuit 23 Decembris 1747.

EXAQUIUM.

ssat.

EXaquiense monasterium ordinis S. Benedicti SS. Trinitati sacrum, situm est in vico ejusdem nominis quatuor leucis ab urbe Constantia, totidemque a sancto Salvatore vicecomite, haud procul ab Oceano, secus fluvium Eptam fundatur an. 1056, si disticho sequenti ex chartulario desumto fides: t. 11. 24.

Anno milleno quinquageno quoque seno
Eudo genus regum condidit Exaquium.

Alii in assignandis & fundationis anno & fundatoris nomine discrepant: illam enim ad annum 1064 referunt; hunc vero Eudonis parentem esse volunt: quæ ita facile conciliantur, si prima, ut ita dicam operis anno 1056, & Turstino *Haldup* attribuantur. Ex chartis enim discimus Richardum dictum Turstinum *Haldup* cum Anna, al. Amia seu Emma, uxore sua, de consensu filii eorum Eudonis cum Capello, consilioque Gaufridi Constantiensis episcopi & licentia Guillelmi ducis Normannorum abbatiam Exaquiensem in villa S. Opportunæ exstruxisse, ita ut nulli subjiceretur cœnobio. Plurimis possessionibus & ecclesiis eam dotarunt, quas post mortem patris multum adauxit Eudo, unde fundatoris nomen sumsit, defunctusque 3 Febr. 1098, sepultus est medio in choro, ubi ejus imago tumulo superposita visitur induta cappa cum capitio, quibus ornatus officiis divinis interfuisse traditur. Hujus ad rei perpetuam memoriam hactenus secularis Vassalus abbatiæ alba indutus & cappa, floribus redimitus, flores quoque dextra, sinistra tintinnabulum gestans, primis & secundis vesperis solennibus, supplicationi & majori sacro, medius inter cantores assidet. Fundationis chartam firmavit Willelmus I Anglorum rex cum uxore sua & filiis Roberto & Henrico, Willelmo Rotomagensi, Lanfranco Cantuariensi archiepiscopis, Gaufrido Constantiensi, Gisleberto Ebroicensi episcopis, &c. anno 14 regni ejus IV idus Julii 1080 apud Bonam-villam. Confirmationi patris quarto post die suffragatus est Robertus, sicut & Robertus alter Moritonii comes & Matildis uxor ejus in die vigiliæ Assumtionis S. Mariæ, & *recepit societatem loci*. Processu temporis piam nobilium liberalitatem experti sunt monachi Exaquienses. Anno 1105 Robertus de Haia nepos Eudonis dapiferi Willelmi regis, multas ecclesias & terras largitus est in diœcesi Cicestrensi, ecclesiam scilicet beatæ Mariæ de Boxgrava, quæ monasterio Exaquiensi exinde subjecta permansit cum monachis ibidem commorantibus, ecclesiam S. Petri de Hamtonetta, &c. Anno 1116 Guillelmus *de Pirou* dedit ecclesiam cognominem, ut ibi tres monachi Deo servirent. Henricus I rex Angliæ anno 1126 firmavit dona fundatorum sicut Henricus II, diplomate quod in appendice perperam Henrico I ad annum 1126 attribuimus, melius post annum 1185 reponendum. Henricus item III rex Anglorum in diplomate anno 1256 dona & eleemosynas omnium benefactorum relatas comprobavit, quorum in numero præter jam laudatos habentur Robertus II de Haia filius Radulfi II, Radulfus cognominis, Reginaldus & Willelmus de Aurea-valle, Robertus *Bavoncic*, Guillelmus de Abrincis, Willelmus de Britevilla, Robertus de Briquevilla, Richardus & Robertus de Mereio, Willelmus & Robertus de S. Johanne nepotes Roberti de

Ch. IX. col. 233.

Chart. X. col. 234.

Monastic. Angl. t. III. pag. 970 & seq.

Haia aliique plures, quos in diplomate cernere licet. Summi quoque pontifices de Exaquio bene meriti sunt, præcipue Urbanus III & Innocentius. Hos secuti episcopi Constantienses, inter quos Hugo instituit an. 1222, ut abbates Exaquienses forent canonici ecclesiæ Constantiensis, & excepta electionis causa, omnibus canonicorum emolumentis gauderent. In hoc quidem privilegium diversis temporibus insurrexere Constantienses canonici, sed frustra; quippe qui semper tum in foro Exaquiensi, tum in senatu Rotomagensi condemnati fuerunt. Injurias temporum non semel expertum est monasterium Exaquiense, bellis & incendiis vastatum, præsertim ab Anglis die 11 Junii 1356; ast laboribus & monachorum studio semper resurrexit. Cormeliensium anno 1692 & postea reformatas congregationis S. Mauri leges subiit an. 1706. En abbates ex chartis & schedis domesticis.

Ch. XXIII. col. 245.

Ch. XXXIII. col. 258.

ABBATUM SYLLABUS.

I. ROGERIUS, ex monacho Becci primus abbas Exaquii dicitur a Roberto de Monte, & legitur in responso monachorum Exaquiensium ad sanctimoniales Cadomenses de morte Matildis abbatissæ, & in monumentis Becci, cujus abbati Herluino morienti adstitit, & Willelmi abbatis electioni anno 1078. Gaufrido itidem episcopo Constantiensi animam exhalanti an. 1093 adfuit Rogerius, qui Emmam filiam Turstini fundatoris post 30 viduitatis probatissimæ annos sacro religionis velamine donavit anno 1094. Hoc ipso anno defunctus Rogerius legitur in schedis Becci 29 Junii. Alii volunt Rogerio fundationem Exaquii confirmatam die Natalis Domini 1095 ab Eudone fundatore, cujus Murieldam uxorem postea monachi in custodia sua receperunt, eique quamdiu vixit in victu & vestitu necessaria ministraverunt. Addunt defunctum Rogerium an. 1106, 3 Febr. die anniversaria mortis Eudonis. Alia de Rogerio primo abbate exoritur quæstio: præfuitne ab anno 1056 ad annum 1106, per annos scilicet quinquaginta? Deinde Rannulfus abbas legitur in notitia authentica Exaquii scripta an. 1084, indict. VII, qui quidem Rannulfus sepultus dicitur in summo capitulo ad dextram. At ex vetusto catalogo Rannulfus Turstini frater, hujus domus ædificiis præfuit, absolvit & 70 monachis inibi adunatis, eos aliquando rexit gubernavitque, abbas vero fuisse non videtur, alioquin duo fuissent Rogerii inter quos Rannulfus. Rogerio autem primo abbati ex monumentis supra laudatis succedit.

II. Gaufridus monachus ejusdem loci, ait Robertus de Monte, id est Becci, ex schedis illius monasterii aut Exaquii. Huic Guillelmus de Anslevilla dedit ecclesiam S. Leodegarii de Sarmis anno 1106, quam duabus argenti marcis rependit Gaufridus ad redimendum filium ejus captivum. Obiit III nonas Junii.

III. Guarinus I monachus ejusdem loci.

IV. Robertus I ex monacho Cadomensi abbas Exaquii pro 100 solidis Rotomagensibus & uno palefredo possessionum a decessoribus collatarum confirmationem obtinuit a Gaufrido de Anslevilla anno 1118.

V. Radulfus monachus ejusdem loci, abbas Exaquii notatur an. 1125 in charta donationis Roberti de Haia. Occurrit adhuc anno 1134 in chartis domesticis. Ecclesiam S. Michaëlis de Nemore cum decimis ejusdem loci monialibus de Moritonio contulit anno 1150, parthenonis inibi ædificandi causa. Memoratur anno 1152 in charta Richardi episcopi Constantiensis donantis ecclesiam S. Symphoriani & 1154 in chartis ejusdem, & Richardi de Haia dapiferi Henrici ducis Normanniæ.

Char. XI col. 241.

Willelmus omissus a Roberto de Monte occurrit tempore Algari episcopi, nullo tamen præfinito anno, in schedis nonnullis. Hic autem si exstitit, cum ab anno 1132 ad annum 1150 sedem Constantiensem tenuerit Algarus, duos procul dubio Radulfos extitisse dicendum foret.

VI. Rogerius II monachus ejusdem loci paciscitur de nonnullis juribus ecclesiæ in diœcesi Lincolniensi in Anglia an. 1157, præsente Roberto episcopo Lincolniensi. Eodem anno data ab Algaro confirmavit Richardus Constantiensis episcopus successor. Guillelmum *de Planticarde* ad parochiam *de Karleton* Roberto Lincolniensi præsentavit Rogerius, qui cum Richardo Constantiensi transegit super decima molendini sancti Salvatoris 1 Novembris 1164.

VII. Petrus I, cui Hugo Rotomagensis archiepiscopus donata a Roberto de Haia confirmavit, sedebat anno 1164, quo obiit Hugo die festo S. Martini. Memoratur in charta sancti Georgii *de Bohun* an. 1172. Ad Petrum chartam direxit Rotrodus archiepiscopus Rotomagensis ipsa die qua dedicavit ecclesiam Exaquii cum Richardo episcopo Constantiensi mense Septembri 1178.

VIII. Thomas I Cadomi monachus, jam præerat Rotrodo archiepiscopo Rotomagensi. Adfuit dedicationi ecclesiæ Blancælandæ XIX cal. Febr. 1185. Bullas plures ab Urbano III obtinuit, quarum in una data pridie idus Dec. 1186 pontificatus 2, omnes possessiones abbatiæ enumerat pontifex; in altera inter immunitates & privilegia quibus cœnobium decorat, nulla omnino quacumque ratione aut colore pecuniaria multari pœna decernit. Anno 1187 Willelmus de S. Johanne & Robertus frater ejus donationes B. Mariæ de Boxgrava factas a Roberto de Haia avo & Rogerio de S. Johanne patre eorum approbarunt, qua in confirmatione Thomas dicitur abbas Exaquii, qui statuta a Petro decessore pro eodem prioratu confirmavit. Anno 1192 convenit cum Willelmo *de Pirou* unicum in ecclesia *de Pirou* monachum deinceps mansurum.

Ch. XXIII. col. 245.

Monastic. Anglic. t. I. pag. 592 & seq.

IX. Hunfridus duas contulit parochias 1197. Dissidium habuit cum Petro abbate Blancælandæ super decimis ecclesiæ S. Georgii, quæ arbitro Viviano episcopo canonicis cessit anno 1202.

Controversiam cum abbate & monachis sancti Taurini Ebroicensis de decimis, &c. dominii sui *de Peres* in parochia S. Stephani de Milleriis apud S. Laudum composuit an. 1206. Defunctus est VI calendas Martii, ex obituario.

X. Willelmus I memoratur in charta Hugonis episcopi an. 1222. Obiit IV cal. Martii.

XI. Guillebertus VI calend. Januarii.

XII. Robertus II *Pasturel* legitur in chartis ann. 1225, 1226, 1228, 1232 & 1237.

XIII. Nicolaus I notatur calendis Decembris in obituario.

XIV. Hunfridus II sedebat annis 1252 & 1256, defunctus IV idus Aprilis.

XV. Petrus II *de Creances*. Hic ille forte est, qui abbas renunciatur circa festum Omnium Sanctorum anno 1265. Legitur annis 1271, 1276, 1277, 1291, 1292, 1301. Vita cessit 29 Januarii 1311.

XVI. Johannes I *de Creances* 1319. Huic monachi de Boxgrava obedientiam promisere anno 1321, facultatemque priorem eligendi ad ipsum pertinere professi sunt.

XVII. Silvester precum societatem cum canonicis Blancælandæ iniit anno 1329.

XVIII. Johannes II *de Courcé* licentiam obtinuit a Willelmo episcopo ecclesiæ S. Crucis ædificandæ in subsidium parochiæ S. Opportunæ die Jovis post Annuntiationem an. 1337; officium enim divinum prius in ecclesia monasterii celebrabatur. Obiit VII cal. Febr. 1352.

XIX. Guillelmus II *Aste* successor Johannis defuncti, obiit an. 9 Innocentii VI 1361.

XX. Guillelmus II *Borelin* memoratur annis 1376, 1379, 1384.

XXI. Petrus III *le Roy* ex abbate S. Taurini fit abbas Exaquii 1385. Basilicam inchoasse dicitur. Transiit ad Montem sancti Michaëlis anno 1386.

XXII. Thomas II *le Forestier* 1387, 1388, 1389, 1396. Defunctus VII cal. Februarii.

XXIII. Johannes III *Jemiers* sigillum commune abbati & monachis obtinuit a Carolo VI 5 Decembris 1397, quo anno 25 Februarii Guillelmum monachum Exaquiensem instituit priorem de Boxgrava. Reperitur adhuc 1399, 1403, 1407. Litem habuit cum canonicis Constantiensibus de jure canoniali abbatum Exaquiensium, quos tam ædes habere quam distributionum participes fieri debere acerrime propugnavit anno 1408. Procuratorem misit ad concilium Pisanum an. 1409.

XXIV. Johannes IV *le Roux* baccalaureus in decretis studens Parisiis occurrit 1412, 1413 & 1417, quo ultimo fato functus est.

XXV. Guillelmus III *de Guichebert* e nobili familia hujus cognominis Constantias inter & Hambeiam commoranti, ex ballivo Exaquii Johanni successit, memoratus 1423. Regi fidem dixit 8 Aug. 1430. Reperitur 18 Apr. 1431 in chartis D. *de Gaignieres*. Occurrit adhuc 1433 & 1437. Basilicam absolvit æneumque chori candelabrum dedit, ut patet ex ipsius cælatura. Cessit ante obitum, qui contigit mense Aprili 1447. Jacet e regione sacelli S. Petri, statuaque tumulo superposita est cum gentilitio stemmate.

XXVI. Eustachius *de Ver* factus monachus in vigilia Nativitatis Domini anno 1432 per cessionem superioris abbas renunciatur 1444, fidem Carolo VII obstrinxit 1450. Sacramentum quoque fidelitatis præstitit Ludovico XI 9 Decembris 1461. Occurrit anno 1471 25 Aprilis, & 1472 1 Septembris in chartis D. *de Gaignieres*. Scacario interfuit anno 1474. Defunctus demum pridie idus Julii 1478, ex necrologio S. Salvatoris, sepelitur ante sacellum S. Crucis.

XXVII. Geroldus *Rustain* mortuus 1478.

XXVIII. Radulfus *Piroust* electus est 14 Julii 1478.

XXIX. Johannes V *Vastin* protonotarius apostolicus & commendatarius Exaquiensis reperitur ab anno 1484 ad 1504.

XXX. Guarinus II *Laure de Thieville* memoratur 10 Martii 1512, simul abbas Montis S. Michaëlis. Moritur IV idus Februarii 1513, sepultus in choro a parte epistolæ.

XXXI. Nicolaus II *Jeruesme* loci alumnus, electus abbas 1514, litem adversus capitulum Constantiense cœptam prosecutus, judicium obtinuit 22 Augusti 1519, quo abbas Exaquii intercedentibus licet canonicis, in præpositurae possessione ut canonicus præbendatus ecclesiæ Constantiensis confirmatur. Hac quoque sententia declaratur abbatem in suo ordine & gradu præpositurae munere functurum nemine contradicente, ut immunitatibus libertatibusque ad illam dignitatem pertinentibus fruiturum. Præterea almutiam in choro deferre ei licitum fore, canonicosque distributionum & fructuum perceptorum restitutione multatos iri. A senatu Rotomagensi sententia confirmata fuit 6 Junii 1520, anno 6 Francisci I regis. Causam propugnabat adhuc Nicolaus 1524, qui obiit III idus Januarii 1558. Sepultus creditur in choro a latere evangelii.

XXXII. Arturus *de Cossé* commendam Exaquiensem tenebat anno 1566. Dein episcopus Constantiensis & abbas sancti Michaëlis, obiit 7 Octobris 1587.

XXXIII. Lancelotus *de Matignon* Arturo Constantiensi episcopo & Exaquiensi commendatario successit, & obiit 1 Januarii 1588, quo defuncto sedes vacavit ad annum 1619. Interim ad pristinam disciplinæ observantiam revocati monachi anno 1598, brevi ad priorem vitam reversi sunt.

XXXIV. Johannes VI *Rombault* commendæ possessionem iniit anno 1620.

XXXV. Leonorius I *Goyon de Matignon* Exaquiensis abbas 1622, & episc. Lexoviensis, obiit 6 Februarii 1680.

XXXVI. Leonorius II *Goyon de Matignon* renunciatus abbas mense Aprili 1680, Cormelienses accivit 1692, & monachos sancti Mauri

1706. Episcopus Lexoviensis obiit 14 Julii A 1714.

XXXVII. Leonorius III *Goyon de Matignon* nepos Leonorii II, qui nepos erat Leonorii I, episcopus Constantiensis & prior Plessæi Grimoldi, commendam tenet ab anno 1714 15 Augusti.

In vetusto necrologio inter Rogerium & Petrum VI & VII abbates collocatur Godefridus frater domini de Glatigueio, qui alius forte non est a Gaufrido abbate II.

S. Sauveur le Vicomte.

S. SALVATOR VICECOMES.

Ordinis S. Benedicti monasterium, quatuor B a Valloniis & Exaquio situm est, tribus vero a Montisburgo leucis, non longe a vico sancti Salvatoris. Richardi vetuli Normannorum ducis tempore ecclesiam in honorem S. Salvatoris Rogerius vicecomes in castro suo construxerat, (Chart. VI. col. 231.) immunemque ab omnibus episcopalibus consuetudinibus reddiderat; quod ut assequeretur, ecclesiam sancti Nicolai de Hulmo & vicum Gishaula dictum, S. Mariæ Constantiensi cesserat. Regnante vero Guillelmo I Anglorum rege, Nigellus vicecomes Constantiensis monachos e Gemeticensi cœnobio adductos in locum (Charta V. col. 231.) canonicorum ecclesiæ S. Salvatoris dignum duxit C subrogare, quos liberos fecit & quietos ab omnibus consuetudinibus ad ipsum pertinentibus, aliisque dotavit in charta fundationis recensitis immunitatibus, quas Rogerius prius canonicis concesserat. Non multo post Rogerius Nigelli germanus propter locorum angustiam hactenus ubi visitur monasterium exstruxit, quod brevi tum ipsius cum Eudonis fratris ejus liberalitate locupletatum est: castelli autem sancti Salvatoris (Ch. XLI. col. 271.) capella exhinc veteris asceterii nomine donata, pro cujus in posterum reparationibus Robertus de Haricuria dominus sancti Salvatoris pro se & heredibus suis de nemore suo ligna monachis D sumenda concessit. Decursu temporis anno scilicet 1127 Guillelmus *de Ponthieu* terram in parochia S. Germani de Monte acuto & decimas ejusdem parochiæ iisdem contulit, cui donationi suffragatus est Johannes filius ejus comes Alenconii anno 1155. Rebus cœnobii singulari cura miroque studio identidem consuluere Nigelli successores Jordanus *Taisson* & Lætitia ejus uxor domina S. Salvatoris, qui cum filiis suis Radulfo, (Ch. VII. col. 232.) Rogerio & Jordano die dedicationis ecclesiæ decessorum donationes confirmarunt, addiderunt & novas. Anno 1188 Radulfus *Taisson* abbatiæ dedit heremitagium S. Mariæ de Columba cum E (Ch. XXVI. col. 232.) redditibus ad locum pertinentibus, ea lege ut ibi duo saltem monachi de consensu domini sancti Salvatoris ab abbate missi morarentur. Johannam filiam & heredem unicam Radulfi, cujus connubio cum Richardo de Haricuria in gentem Haricurianam S. Salvatoris dominium transfusum est, & posteros ejus Johannem & Robertum episcopum Constantiensem benefactores sæpe sæpius experti sunt monachi, qui abbate defuncto, (Charta XXXVII. col. 262.) a domino S. Salvatoris novum eligendi licentiam quam denegare non poterat petere, electumque ab ipso confirmandum exhibere tenebantur. Benevolum erga eos animum demonstrarunt maxime Henricus II Angliæ rex tribus datis diplomatibus tum pro confirmandis abbatiæ jam factis donationibus, cum pluribus addendis, Adelizis regina, Adamus *de Brie* S. Jovini, al. S. (Monast. Angl. t. III p. 1001.) Petri *de la Lutumiere*, & Rogerius de Turquevilla S. Crucis de Virandevilla prioratuum fundatores, aliique non pauci. Abbatum seriem tum ex archivis ejusdem abbatiæ, cum ex perantiquo catalogo depromsimus.

ABBATES.

I. Benignus e Gemeticensi monasterio adductus est ab ipso Nigello fundatore. (Charta V col. 231.) Memoratur in responso ad moniales Cadomenses de morte Matildis abbatissæ. Vivebat adhuc 1104, ex vetustissimo abbatum domestico indice. Vita cessit 22 Martii, ex obituario ejusdem monasterii.

II. Hamelinus Benigno successit, ex Roberto de Monte. Obiit VI calendas Aprilis, ex necrologio Exaquii.

III. Hunfredus sedebat Algaro Constantiensi præsule, defunctusque est XII calend. Novemb. 1147, ex obituariis S. Salvatoris & Exaquii. Vide Analecta Mabillonii tom. I, pag. 132.

IV. Hugo I monachus sancti Michaëlis de Monte, quem Robertus Willelmo postponit, eidem anteponendus est, eodem enim anno memoratur in abbatum catalogo & in antiquitatibus MSS. Normanniæ, quo vitam reliquisse dicitur Hunfridus, id est an. 1147, sicut & an. 1153. Interfuit anno sequenti benedictioni Roberti de Torigneio abbatis Montis S. Michaëlis.

V. Willelmus I fato functus est V nonas Julii, ex necrologio.

VI. Rogerius de Salmonvilla concordiam iniit cum Henrico abbate Pratelli anno 1172. Ecclesiam de Petraponte Rogerio confirmarunt Egidius Ebroicensis episcopus anno 1173 & Richardus, qui ecclesiam S. Clementis ei asseruit. Extruendæ capellæ in parochia a sancto Salvatore dependenti Roberto abbati licentiam concessit, ad usum monachorum S. Michaëlis in insula Gerseii, nunc est prioratus S. Clementis. Testis legitur in charta donationis Dodonis Bardi factæ Blancælandæ ipsa dedicationis die anno 1185. E vivis excessit Rogerius IV calendas Augusti, ex obituario Exaquii.

VII. Hugo II dissidium de capella prædicta in insula Gerseii movit adversus Robertum de Monte S. Michaëlis abbatem: de consensu vero Rogerii decessoris certior factus Hugo, discordiæ finem imposuit.

VIII. Robertus *de Veules* electus a capitulo & institutus a Radulfo *Taisson*, ordinatus & benedictus est a Willelmo Constantiensi episcopo. Huic anno 1188 & cœnobio dedit Radulfus (Ch. XXVI col. 272.) eremum S. Mariæ de Columba, de quo superius. Dissidium habuit cum Odone abbate Cæsarisburgi super prioratu sancti Helerii de Garseio, quod terminarunt an. 1205 Vivianus episcopus Constantiensis,

Constantiensis, W. Montisburgi & P. Blancælandæ abbates. Roberto abbate & coram Viviano Constantiensi episcopo Guillelmus *Corbet* miles dedit abbatiæ S. Salvatoris & ecclesiæ S. Mariæ de Columba præsentationem sanctæ Mariæ *de Mergerei* cum terra Jordani telonearii.

IX. Humfredus II occurrit cum Hugone episcopo in conventione facta anno 1230, item annis 1243 & 1248.

X. Petrus I obiit VI idus Julii, ex necrologio Exaquii.

XI. Guillelmus II animam efflavit pridie calendas Octobris. Hiccine est qui episcopum Constantiensem rogavit mense Septembri 1266, ut ipsum confirmaret?

XII. Thomas I ex Arturo, mortuus XI cal. Decembris.

XIII. Johannes I Condranius quædam in silvis S. Salvatoris jura commutavit cum Roberto de Haricuria postea episcopo Constantiensi anno 1290. Eodem anno Robertus prædictus concessit Johanni & monachis ligna de nemore suo ad restaurandam capellam castelli sui sancti Salvatoris, quam antiquam vocabant abbatiam, eo quod eam prius incoluerant canonici. Reperitur adhuc Johannes an. 1298 in catalogo. Debitum naturæ persolvit VI cal. Septembris, ex necrologio domestico.

XIV. Thomas II *d'Aubigny* occurrit anno 1299. Anno 1301 episcopus Bajocensis confirmavit omnia bona & donationes monasterio factas in sua diœcesi ad instar decessoris. Obiit Thomas 12 Novembris an. 1305, ex obituariis S. Salvatoris & Exaquii.

XV. Thomas III in vivis erat anno 1307. Defunctus est XII calendas Octobris.

XVI. Nicolaus I *du Jardin* societatem iniit cum monachis S. Petri super Divam an. 1312. Mortem oppetiit pridie idus Junii 1322.

XVII. Petrus II *Morice* memoratur anno 1333. Viam universæ carnis ingressus est VIII calendas Septembris 1362.

XVIII. Petrus III *Langlois*, cujus tempore ab Anglis dirutum est monasterium, obiit 10 Junii 1376, ex obituario.

XIX. Thomas IV *du Bigard* electus feria V post festum SS. Sacramenti anno 1376, ex Arturo, vivebat adhuc anno 1383. Defunctus est VIII calendas Decembris 1390.

XX. Dionysius *Loquet* ante electionem ad summum pontificem perrexit annatarum quas nondum solverat decessor, remissionem petiturus, qua de re per annos 14 a divinis suspensus fuerat Thomas. Incassum non fuit iter, cum & decessoris & suimet annatas dimiserit Clemens VII Avenione 1390. Occurrit adhuc Nicolaus anno 1394. Fato functus est XV cal. Febr. ex necrologiis S. Salvatoris & Cæsarisburgi.

XXI. Michaël *de la Hougue* reperitur 21 Octobris 1403. Procuratorem misit ad concilium Pisanum an. 1409. Henricus V rex Angliæ dedit anno regni 7 potestatem ballivo Constantiensi hominii recipiendi ab abbate. Hic longo tempore cum infirmaretur, de destructione & redituum monasterii imminutione inquisivit officialis Valloniarum anno 1422, ut pro annatis mitius taxaretur. Vitam reliquit XVIII calendas Julii, ex obituario.

XXII. Guillelmus III *le Reverend* notatur an. 1429. Moras obtinuit ad fidem regi dicendam 24 Septemb. 1430, quam præstitit anno sequenti die 18 Decembris. Concilio Basileensi adfuit 1437. Occurrit ad annum 1439.

XXIII. Stephanus *du Hauquet* electus anno 1440, capellam B. Virginis restauravit & chori libros exaravit. Societatem iniit cum Johanne abbate Gemeticensi 22 Aprilis 1444. Vitam reliquit IX calendas Septembris. Sepelitur ante altare B. Mariæ a parte epistolæ.

XXIV. Ludovicus *Hermen*, seu *Hervien*, e stirpe de Senovilla oriundus, electus 1444, ex Arturo, obiit anno 1451 XV cal. Aprilis.

XXV. Johannes II *Caillot* moras obtinuit ad fidem præstandam regi anno 1451. Hanc præstitit 4 Febr. 1451 (1452) Carolo VII, & Ludovico XI 21 Decembris 1461. Monasterium ab Anglis dirutum reædificavit. Excessit e vivis 7 Februarii 1470, tumulatus in medio sanctuario.

XXVI. Jacobus *Caillot* sepultus ibidem est, ex schedis nonnullis.

XXVII. Reginaldus *de Bourbon* episcopus Laudunensis, primus forte commendatarius, memoratur an. 1472. Vide tom. VI, col. 104, & tom. IX, col. 552.

XXVIII. Guido *Louvet*, al. *Lauret*, protonotarius apostolicus, commendatarius regi jurat fidem 7 Nov. 1473. Reperitur adhuc 1480.

XXIX. Guillelmus IV de S. Felice an. 1483.

XXX. Radulfus *Boniface* fidem regi dixit 13 Nov. 1484. Memoratur ad annum 1505, quo fato functus est XIV calendas Octobris, ex obituario.

XXXI. Jacobus II *Langlois* ex monacho ejusdem cœnobii fit abbas & moritur III nonas Jan. 1517, terræ mandatus ad latus Johannis *Caillot* in sanctuario, idem forte ac Jacobus I *Caillot*.

XXXII. Guillelmus V *Trousfey* ejusdem loci monachus, occurrit 13 Febr. 1522 (1523) in chartis archiepiscopatus Rotomagensis. Excessit e vivis die 8 Januarii 1529, ex obituariis. Jacet ad dextram Johannis *Caillot* cum hac inscriptione: *Hic jacet venerabilis & discretus vir D. Guillelmus* Troussey, *qui dum viveret, inter multa alia bona quæ ipse ad utilitatem ...... ædificavit ..... & decessit ab humanis anno Domini 1529 die Januarii 8.*

XXXIII. Carolus I *de Panyot* commendatarius, obiit anno 1548.

XXXIV. Johannes III *le Gruyer* canonicus Trecensis, mortem oppetiit XIII calend. Aprilis 1560.

XXXV. Jacobus III *de Grimonville* cedente Johanne, commendam suscepit. Humatur ad pedes majoris altaris cum hoc epitaphio: *Jacobus*

de Grimonville *presbyter, dum viveret, abbas commendatarius qui obiit 17 Novembr. 1573.*

XXXVI. Jacobus IV *de Cerceau* possessionem per procuratorem iniit an. 1576, ex Arturo.

XXXVII. Ludovicus *de Nogaret* cardinalis *de la Valette*, archiepiscopus Tolosanus, defunctus 1639.

XXXVIII. Carolus II *de Montchal* filius Petri *de Montchal* & Annæ *de Guillon*, comes consistorianus & abbas sancti Amandi de Buxia diœcesis Encolismensis, postea archiepiscopus Tolosanus, abbatiam sancti Salvatoris codicibus manuscriptis exspoliavit. Obiit Carcassonæ 22 Augusti 1651.

XXXIX. Carolus II *de Ruolz* diœcesis Viennensis, doctor sorbonicus, reperitur anno 1652.

XL. Johannes IV *d'Orange des Roches* e Cæsarisburgo oriundus, germanus N. *des Roches* Invalidorum militum gubernatoris, obiit anno 1683 die 2 Novembris.

XLI. Simon *Cuvier de la Bussiere* filius N. *de la Bussiere* regi a cubiculo, designatus abbas 2 Januarii 1684, obiit 3 Martii 1740.

XLII. Ludovicus-Augustus, al. Franciscus *de Rohan Chabot* filius Ludovici *Bretagne* Alani *de Rohan Chabot* ducis & paris Franciæ, principis *de Leon*, comitis *de Porrhoet*, &c. & Franciscæ *de Roquelaure*, a rege nominatus abbas S. Salvatoris mense Sept. 1740, cessit 1743.

XLIII. Jacobus *le Fevre du Quesnoy* vicarius generalis episcopi Constantiensis, per cessionem superioris renunciatur abbas exeunte Junio 1743.

MONTISBURGUS.

MONTEBOURG.

CŒnobium ordinis S. Benedicti, B. Mariæ dicatum, a Valloniis una fere leuca dissitum ad meridiem, fundatur a Guillelmo I Angliæ rege, qui monachis dedit locum, in quo sita est abbatia cum villa Montisburgi, mercato, molendinis, nundinis, &c. ubi Rogerius monachus S. Crucis Ebroicensis monasterium exstruxit, cujus primus abbas effectus est. Guillelmi chartam habes in appendice, cui postea apposita videntur nomina episcoporum Angliæ qui nondum tunc temporis sedentes, chartæ Henrici I filii Guillelmi postmodum subscripserunt. Quod autem Richardus de Redeveris auctor Montisburgi apud nonnullos audierit, inde natus error, quod terram Montisburgi, quam Willelmus I eidem ecclesiæ prius dederat, & Richardo post concesserat Henricus I, abbatiæ Montisburgi restituerit Richardus, quem ibidem humatum fuisse tradit Ordericus Vitalis. At quod Montisburgum Richardi fidei commiserit Henricus rex, ut vult Robertus de Monte, ut illum custodiret & augeret ut proprium, nil inde detractum laudi Willelmi regis primi & præcipui fundatoris volumus. Ad annum 1152 revocant hujus ecclesiæ dedicationem factam ab Hugone Rotomagensi archiepiscopo, Richardo Constantiensi & Rothaldo Ebroicensi episcopis, præsente Henrico duce Normanniæ & post Angliæ rege. Hos

Chart. IV, col. 229.

Ch. VIII. col. 232.

A præter quos jam laudavimus benefactores, multis attributis prædiis, possessionibus ac exemtionibus locupletatum est asceterium a regibus Angliæ Henrico I, Stephano, Henrico II. Bona ejus & possessiones Henricus V non semel confirmavit, sed & nova concessit diplomatibus datis annis 6, 7 & 10 regni sui. Eduardus III eadem confirmat 28 Januarii apud Eboracum. Francorum quoque reges de Montisburgo bene meriti sunt, puta Ludovicus IX, Philippus III & Ludovicus X, sicut summus pontifex Nicolaus IV anno 1291, & Richardus de Vernone dominus *de Biards* & *de Nohan*, posteri Richardi B de Redeveriis, Guillelmus *Suhart* miles, Adelicia uxor Richardi *de Revers*, Willelmus filius ejus & Beatrix uxor Willelmi, W. *de Arundel*, Willelmus de Vernone & Lucia uxor ejus, Isabella de Fortibus comitissa Albermaliæ, Mathilda *Estur* domina *de Catecumbe*, recensiti omnes in Monastico Anglicano tom. III, pag. 992.

Ch. col. 23

ABBATUM NOMENCLATURA.

I. ROGERIUS I monachus S. Crucis Ebroicensis, socius Wimundi postea episcopi Aversani, qui librum de corpore Domini ei scripsit, monasterium ædificavit, eique primus C abbas præfuit. Gaufrido Constantiensi episcopo morienti adfuit IV nonas Febr. 1093. Memoratur 2 Maii in necrologio S. Georgii.

II. Urso ex subpriore Gemeticensi abbas Montisburgi, ordine & ædificiis monasterium nobilitavit. Huic & monachis Henricus I concessit prioratum *Lodrevensem* in Anglia.

Monast. Angl. t. 1, p. 570.

III. Petrus I Montisburgi alumnus, testis legitur in charta donationis factæ monasterio B. Mariæ de Quarrera ab Engelgerio *de Bohun*.

IV. Walterius I ejusdem loci monachus, composuit cum abbate sancti Salvatoris anno 1147 coram Algaro episcopo Constantiensi. Transegit D anno 1153 cum Ludovico abbate S. Georgii. Testis legitur anno 1154 in charta fundationis Blancælandæ, & 7 Augusti in necrologio sancti Georgii. Bullam obtinuit ab Adriano IV summo pontifice, & chartam ab Hugone archiepiscopo Rotomagensi.

Ch. XV col. 243.

V. Richardus I prima nominis litera notus in charta Richardi episcopi anno 1157, sedebat 1163, & obiit 1182, & quidem 2 Octobris, ex necrologio Cæsarisburgi.

VI. Robertus I ex priore abbas, mortuus est anno 1184.

E VII. Guillelmus I monachus ejusdem loci, adfuit dedicationi ecclesiæ Blancælandæ, & subscripsit donationi a Dodone Bardi factæ eidem cœnobio XIX cal. Feb. 1185. Occurrit anno 1189 in chartis Cæsarisburgi. Cum Willelmo Constantiensi episcopo & Petro abbate Blancælandæ arbiter pacis constituitur inter abbates Cæsarisburgi & sancti Salvatoris super prioratu S. Helerii de Gerseis an. 1205. A summo pontifice delegatus cum R. abbate Cæsarisburgi & Richardo de Polleio archidiacono Constantiensi, controversiam prius diremerat inter monachos

Exaquii & moniales de Mustonibus ortam super ecclesia sancti Michaëlis de Nemore. Occurrit in charta S. Georgii an. 1200, defunctus eodem, ex antiquitatibus MSS. Normanniæ.

VIII. Johannes I defunctus x cal. Augusti, ex obituario Exaquii.

IX. Rogerius II reperitur abbas an. 1222. Spiritum exhalavit VI calendas Novembris, ex obituario Cæsarisburgi, memoratus 28 Octobr. in necrologio S. Georgii.

X. Balduinus I *de Longueil* filius Henrici toparchæ *de Longueil* & *de Rumenil* ac Mariæ *de S. Denis*, occurrit annis 1242 & 1248 Dominica qua cantatur *Lætare Jerusalem*. Obiit 6 Junii ex necrologio S. Georgii.

XI. Thomas I *Leonard* 1265, excessit e vita IV nonas Februarii.

XII. Petrus II *de Greance* 1274.

XIII. Richardus II memoratur mense Aug. 1280 in chartis S. Vandregisili, 1284 mense Julio & 1285 mense Februario in chartis sancti Georgii. Anno 1288 Richardum inter & abbatem S. Salvatoris orta controversia de præsentatione ad quamdam ecclesiam. Occurrit adhuc Richardus die Veneris post exaltationem sanctæ Crucis anno 1294.

XIV. Balduinus II notatus anno 1295 in chartis S. Salvatoris, memoratur pridie nonas Maii in obituario Cæsarisburgi & postridie in necrologio Exaquii.

XV. Petrus III *Dorée* dissidium habuit cum monachis S. Salvatoris super decimis prioratus de Tordevilla, quos conciliavit Robertus episcopus die Veneris ante festum S. Petri ad vincula anno 1311. Obiit x calend. Julii.

XVI. Walterius II anno 1315 in antiquitatibus MSS. Normanniæ.

XVII. Richardus III *Guillard* 1318.

XVIII. Petrus IV *Ozenne* decretorum doctor, ecclesiam parochialem sancti Jacobi quæ dudum fuerat in ecclesia B. Mariæ, in capella fundata in honorem S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi ædificavit & dedicari fecit a Guillelmo episcopo Constantiensi IV nonas Sept. 1329. Legitur adhuc an. 1360, defunctus III idus Januarii, ex obituario Exaquii.

XIX. Johannes II *Seguin* in charta authentica D. *de Gaignieres*, in qua & de successore.

XX. Michaël *Besnard* accepit anno 1370 100 francos auri quos antecessor defunctus Johannes *Seguin* commodaverat Gerardo *de Crespin* vicecomiti & receptori de Valonia, ex charta authentica D. *de Gaignieres*, apud quem reperitur adhuc 1390 8 Oct. Vita cessit XVII cal. Maii.

XXI. Stephanus notatus an. 1406 a Sammarthanis, ad concilium Pisanum procuratorem misit an. 1409. Defunctus est III nonas Martii, ex obituario Exaquii.

XXII. Richardus IV, cujus ad fidelitatem recipiendam Henricus V Angliæ rex commisit Johannem *de Assethon* anno regni 7. Regalia restituerat idem rex anno 5, quo forte electus fuerat Richardus, & chartas confirmavit anno 10.

XXIII. Guillelmus II *Guerin* abbas Montisburgi decretis studebat in universitate Parisiensi 6 Junii 1429. Occurrit 22 Octobris 1445 in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Moras obtinuit ad fidem regi præstandam anno 1450, quam præstitit 24 Januarii 1451. Chartularium confici curavit anno 1452, & textum Evangeliorum an. 1453. Memoratur adhuc an. 1461 in veteri Gallia christiana. Vacabat autem sedes annis 1462 & 1463, ex regestis scacarii.

XXIV. Guillelmus III cardinalis *d'Estouteville*, primus a rege nominatus commendatarius, occurrit an. 1466 mense Septembri in regestis scacarii. Regi fidem juravit 7 Aprilis 1472. Obiit anno 1483, ut diximus col. 92.

XXV. Claudius *de Rie* miles, regi fidem dixit 6 Aprilis 1483, ex regestis cameræ computorum.

5 Nescio quis sit Gerardus *de Montmirail* notatus a Sammarthanis anno 1488, vereor ne idem sit ac sequens, nam

XXVI. Guido *de Montmirail* filius Roberti domini *de Fourqueux* & Dionysiæ *de Harlay*, monachus S. Dionysii, baccalaureus in decretis, & administrator perpetuus S. Maglorii, per cessionem Claudii factus abbas Montisburgi, bullas obtinuit v idus Maii 1492, ex regestis Vaticani. Pontificalium usum ab Alexandro VI impetravit mense Novembri anni ejusdem, licentiamque non solum tonsuram, sed & minores ordines suis monachis conferendi. Regi fidem obstrinxit 31 Decembris anni ejusdem. Huic collata jure devoluto præpositura *de Clignancourt* a sancto Dionysio dependens, 27 Sept. 1499. Petrus a Monte-martyrum monachus Cluniacensis Guidoni dicavit anno 1521 sermones Jordani *de Quedelinbourg* lectoris Magdeburgensis. Memoratur Guido an. 1522 18 Februarii in chartis archiepiscopatus Rotomag. Adstitit Parisiis cum Guillelmo de Longovillari & Carolo S. Maglorii abbatibus benedictioni Petri *Disque* S. Johannis in Monte abbatis 23 Septembris 1523; item Antonii *Pot* S. Petri de Virzione 8 Maii 1524, & Ludovici *d'Anjou* Pontilevienfis abbatum 25 Febr. 1526. Cessit ante mortem, quæ contigit 1538 20 Julii. Defuncti cor sepultum in media navi, quam longiorem fecerat.

XXVII. Carolus I *Boucher d'Orsay* abbas S. Maglorii Parisiensis, benedictus est ab episcopo Parisiensi 26 Augusti 1520. S. Maglorii & Montisburgi abbas pepigit 15 Januarii 1535. Eodem nomine adsuit dedicationi altarium & recensioni reliquiarum Faræ monasterii 10 Maii 1536. Occurrit adhuc 3 Julii 1537; sequentis quoque in gratiam abdicavit, nam

XXVIII. Nicolaus *de S. Ouen* doctor theologus, Caroli consanguineus, eidem successit abbas Montisburgi & S. Maglorii, sive ante, sive post mortem Caroli: ipse vero occurrit 1554 24 Februarii in chartis S. Maglorii. Mortuus est calendis Junii ante annum 1564. De eo, sicut & de duobus superioribus, vide quæ diximus in abbatibus S. Maglorii t. VII, col. 324 & seqq.

XXIX. Carolus II *de Bourbon* cardinalis, A archiepiscopus Rotomagensis, commendatarius Montisburgi laudatur a Sammarthanis ad annum 1563.

XXX. Bonus *de Broé* filius Johannis *de Broé* domini *de Marclus* & *de Chardon*, ac Johannæ *de Chapoton*, canonicus sacræ capellæ Parisiensis, necnon commendatarius S. Amandi de Buxia, commendam quoque Montisburgi tenebat anno 1580, ubi collegium testamento fundavit. Defunctus calendis Martii 1588, jacet apud Augustinianos Parisienses prope Sequanam, cum epitaphio, quod legesis tom. II, col. 1038.

XXXI. Jacobus *de Serres* deputatus a clero B Caletensi, adfuit comitiis regni generalibus Luteciæ habitis anno 1593. Episcopus Aniciensis cum ad extremam pervenisset senectutem, Justum nepotem adscivit sibi coadjutorem, cui ad sumtus faciendos commendam Montisburgi dimisit. Vide tom. II, col. 737.

XXXII. Justus *de Serres* superioris nepos & in utraque sede successor, memoratur abbas Montisburgi 8 Februarii 1639 in regestis parlamenti Rotomagensis. Obiit 28 Aug. 1641, ut diximus tom. II, col. 738.

XXXIII. Melchior *de Polignac* dominus ac comes *de Rioux*, baro de Sara, de Randone, C *de Beaumont*, regi a consiliis & reginæ ab eleemosynis, post Justum commendam obtinuit. Huic Adrianus *Sicler* medicus dicavit librum de Medicina anno 1670. Inde præpositus ecclesiæ Aniciensis Melchior, obiit 8 Julii 1699, ætatis 88. Sepelitur in tumulo majorum apud Voltam Podemniacensem. Vide tom. II, col. 752.

XXXIV. Franciscus *Carbonel de Canisy* episcopus Lemovicensis, commendatarius Montisburgi renunciatur 14 Augusti 1699 & Bellævallis in Campania 15 Augusti 1706. Domum Dei apud Montisburgum fundavit anno 1718, sicut & Missionem Eudistarum decimo quoque D anno, & duos in seminario alumnos. Duas in unam reduxit parochias anno 1714. De eo quoque diximus tom. II, col. 544. Defunctus Parisiis 28 Oct. 1723, sepultus est in ecclesia parochiali S. Sulpicii.

† Claudius-Josephus *de Simiane* episcopus Tricastrinensis, nominatus est mense Octobri 1723 commendatarius Montisburgi ac paulo post S. Petri supra Divam.

XXXV. Carolus III *de Bannes d'Avejan* episcopus Aleziensis, commendatarius Montisburgi designatur sub finem Oct. 1723. Prior quoque S. Lupi Bellovacensis & S. Salvatoris E Senonensis, obiit Parisiis 23 Maii 1744, annos natus 56, sepultusque est in ecclesia parochiali S. Sulpicii.

XXXVI. Mathias *Poncet de la Riviere* episcopus Trecensis, nominatus est abbas Montisburgi 3 Julii 1745.

HAMBEIA. HAMB.

CŒnobium ordinis S. Benedicti B. Virgini Mariæ dicatum, ab urbe Constantiensi quinque, sex a Grandivilla leucis, non longe a burgo & antiquo Hambeiæ castello, ad radicem montis abrupti situm est. Hujus fundator extitit Guillelmus Paganellus hortamentis & admonitionibus Algari episcopi Constantiensis, qui Guillelmi & filiorum ejus dona confirmavit, ea lege ut cœnobium ad normam Tironensis monasterii ordinaretur. Cum autem Algarus e vivis excesserit anno 1150, ante hunc annum hujus abbatiæ fundatio præfinienda. Plurimis paulo post ortum abbatiis tam in Normannia, quam in Anglia originem dedit Hambeia, de Mûla, *de Osnoñ*, de Longis, de Valle-monte & *de Hûbreslene*, quæ recensentur in bulla Alexandri III, qui sicut Gregorius X & alii pontifices monasterii bona confirmarunt, privilegiisque & immunitatibus illud decorarunt. Ejus quoque rebus impense consuluere tum archiepiscopi Rotomagenses Walterus, &c. tum Constantienses episcopi, inter quos Vivianus confirmavit ecclesiam *de Brehal* cum appenditiis suis. Idem præstiterunt præsules Abrincenses, ex quibus Guillelmus confirmat ea quæ Lesceline de Subligneio uxor Fulconis Paganelli dederat. Denique Henricus II Angliæ rex, Johanna Paganella ultima & unica heres castelli Hambeiensis desponsata Ludovico *d'Estouteville*, quæ una cum marito jacet in medio ecclesiæ choro sub tumulo æneo, monasterii restauratores habentur. Benefactores autem non pauci computantur, Alienor comitissa Salesberiensis, Andreas de Vitreio, Fulco de Cantalupi, Jordanus de Haia, Nicolaus de Haia Hugonis, Henricus *de Thieville* dominus *de Mesnilgarnier*, Guillelmus *de Thieville*, Willelmus de Fontaneio & alii ejusdem stirpis bene multi, Willelmus *de Tregoz* dominus de S. Rumphario, Gaufridus filius ejus, Willelmus *Carbonel*, Willelmus *de Monteogu*, domini de Vadohuberti, Guillelmus & Johannes *de Brucourt*, Richardus de Croseio, aliique complures de abbatia bene meriti sunt. Abbatum ejus indicem tum ex schedis ejusdem monasterii, cum ex chartis authenticis D. *de Gaignieres* texuimus; quosdam etiam ex Sammarthanis & Arturo desumsimus.

Ch. col. 24

Chart. col. 24

ABBATES.

I. FULCONIUS, ex Sammarthanis & Arturo.

II. Roscelinus, cui Richardus Abrincensis episcopus confirmat omnia monasterii bona, bullam obtinuit ab Alexandro III anno 1181, in qua summus pontifex statuit, ne abbatiæ, quæ ab Hambeia regulæ monasticæ observantiam assumserant, videlicet abbatia de Mûla, abbatia *de Osnoñ*, abbatia de Longis, abbatia de Valle-monte & abbatia *de Hûbreslene*, ab ejus jurisdictione se subtraherent.

III. Willelmus I memoratur 1197 in chartis Saviniaci. Sedebat anno 1209. Composuit cum Durando abbate Troarni, præsentibus Henrico

episcopo Bajocensi & P. abbate Cadomensi. A summo pontifice delegatus fuit cum Willelmo episcopo Constantiensi pro finienda lite abbatiæ Exaquiensis. Vita cessit 8 cal. Aprilis, ex necrologio Lucernæ.

IV. Lucas sedebat anno 1218, ex chartario Fontanetensi, defunctus VI calendas Januarii, ex obituario de Longis. Anno eodem 1218 Philippus-Augustus Francorum rex confirmavit bona monasterii.

V. Johannes I composuit cum A. abbate S. Laudi an. 1231 mense Junio. Monachis assignavit anno 1234 decimam S. Rumpharii, unde vestimenta sibi conquirerent. Notatur etiam ad annum 1240 mense Januario.

VI. Hamon memoratur 1242 mense Januario, id est 1243 in chartis Fontaneti.

VII. Hugo capitulum generale habuit anno xxvi. 162. 1248 die 3 post festum S. Crucis in Maio cum Roberto abbate de Lantenaco, P. abbate de Longis, P. abbate *de Valmont*, P. priore de Merula, P. priore de Burone & aliis Hambeiæ subjectis, ubi plurima statuta sunt. Reperitur adhuc Hugo an. 1256 mense Jan. in chartulario domestico.

VIII. Robertus I memoratur ab anno 1262 ad 1282, quo præstitit obsequium Johanni abbati Montis sancti Michaëlis de quodam tenemento in parochia Pontis-ursonis. Obiit nonis Augusti, ex obituario Lucernæ.

IX. Gaufridus I, ex Arturo.

X. Philippus reperitur ab anno 1296 ad annum 1306. Legitur in chartario Fontanetensi 1303 fer. 2 post *Cantate*. Obiit IX cal. Septembris, ex obituario Lucernæ.

XI. Richardus I, ex Neustria pia.

XII. Robertus II obsequium pro terra Pontis-ursonis præstitit more decessorum abbati Montis S. Michaëlis Sabbato inter octavas Epiphaniæ Domini anno 1315, ex schedis Montis sancti Michaëlis.

XIII. Thomas I defunctus est X cal. Sept. ex obituario Lucernæ.

XIV. Gerardus.

XV. Guillelmus II *Bovelin* reperitur ab anno 1376 ad annum 1384. Obiit VIII idus Apr. ex necrologio Exaquiensi.

XVI. Valeranus.

XVII. Radulfus.

XVIII. Guillelmus III *Bertaut* reperitur in chartis authenticis D. *de Gaignieres* anno 1400 ultima die Januarii, (1401), 1405 2 Januarii & 1415 ultima Januarii. Procuratorem misit ad concilium Pisanum 1409. Hujus tempore Guillelmus *Paynel* fundavit quatuor anniversaria & tres missas. Obiit Guillelmus IV cal. Dec. ex obituario de Longis.

XIX. Robertus III, ex Neustria pia.

XX. Godofredus II ex ballivo & procuratore abbas reperitur ab anno 1422 ad 1427, ex chartulario. Ille-ne est, cui Henricus V Angliæ rex temporalia restituit anno regni septimo?

XXI. Martinus *le Massier* ab anno 1436 ad 1456.

XXII. Robertus IV, ex Arturo.

XXIII. Guillelmus IV regi jurat fidem 13 Decembris 1476.

XXIV. Beraltus *de Bonce* reperitur mense Octobri 1504 in regestis scacarii.

XXV. Richardus II *l'Hermite* occurrit anno 1522 (1523) 22 nempe Februarii in archivis archiepiscopatus Rotomagensis.

XXVI. Petrus *Pinson*, al. *Pinchon*, regularium ultimus, electus 28 Maii 1528, confirmatur a vicario generali episcopi Constantiensis, inde episcopus Porphyriensis, permutavit cum cantore Constantiensi anno 1548.

B XXVII. Franciscus *de Lautrec* filius Simonis toparchæ *de S. Gernier* & Margaritæ *Sanguinette*, germanus Jacobi abbatis Juncellensis, ex cantore Constantiensi permutatione facta Hambeiam obtinuit 1548.

XXVIII. Johannes II *de Ravalet* dominus *de Tourlaville*, canonicus & cantor Constantiensis, Hambeiæ commendam tenuit ab anno 1561.

XXIX. Thomas II *Morant* commendam obtinuit cessione Caroli *de Bourbon* archiepiscopi Rotomagensis, & cujusdam nepotis Johannis decessoris, qui ambo jus suum ei cesserunt, C quod vicissim ipse præstitit in gratiam sequentis anno 1602, ita Arturus.

XXX. Jacobus *de Franquetot* regi ab eleemosynis, cantor Constantiensis, commendatariusque Hambeiæ 1602, obiit 26 Apr. 1626.

XXXI. Alfonsus *de Richelieu* cardinalis, Lugdunensis archiepiscopus, de quo diximus tom. IV, col. 193.

XXXII. Johannes III *de Passelaigue* monachus Cluniacensis, prior Charitatis super Ligerim & S. Victoris Nivernensis ac Bellicensis episcopus, Hambeiæ abbas erat anno 1652, obiit anno 1664.

D XXXIII. Henricus I *de Mesmes* filius Johannis-Antonii & Annæ *Courtin*, obiit anno 1658.

XXXIV. Claudius *de Mesmes* superioris germanus, eques Melitensis, abbas Hambeiæ & Vallis-regiæ Remensis, occisus est Romæ mense Februario 1681.

XXXV. Henricus II *de Mesmes* filius Johannis-Jacobi præsidis infulati in parlamento Parisiensi, & Margaritæ *Bertrand de la Basiniere*, reginæ Poloniæ ab eleemosynis, patruo successit in utraque abbatia Vallis-regiæ & Hambeiæ, nominatus mense Aprili 1681. Obiit pridie E nonas Maii 1721.

XXXVI. Nicolaus-Judocus *le Pelletier de la Houssaye* nominatus 8 Maii 1721, obiit Parisiis 28 Aprilis 1740, annum agens 44.

XXXVII. N. *de Pontac* reginæ ab eleemosynis, nominatus a rege abbas Hambeiæ mense Sept. 1740, cessit 8 Octobris ejusdem anni.

XXXVIII. Josephus-Hubertus *de Vintimille du Luc* filius Josephi-Huberti toparchæ *de Vidauban* & *de Figanieres* ac Marthæ *de Fortia de Piles*, canonicus ecclesiæ Parisiensis, designatur

a rege abbas mense Novembri 1740. Obiit A 31 Januarii 1744, annos natus 26.

XXXIX. N. *de Scepeaux* vicarius generalis episcopi Lingonensis, nominatur a rege 2 Apr. 1744.

Hos præter in catalogo Sammarthanorum reperiuntur Eudo, Validus, Hastinus, Platonus *Ursin*, Johannes II & III, Gaufridus II & III, & Valerannus II.

B. MARIA DE PROTECTIONE.

JOhannes *de Tourlaville* eques, regis cubicularius & uxor Magdalena *de la Vigne*, Annæ *de Medavy* abbatissæ de Vinatio domos duas in B urbe Cæsarisburgi concesserunt, ea lege ut monialium Benedictinarum arctioris observantiæ ibidem parthenon excitaretur. Hujus loci possessionem iniit Anna 25 Januarii 1624 tribus cum monialibus de Vinatio. Biennio post peste cogente translatus est Walonias, ubi abhinc præfuere quæ sequuntur.

ABBATISSÆ.

I. CAROLA I *de la Vigne* filia N. *de la Vigne Tubeuf* cubicularii reginæ Margaritæ, germanaque Magdalenæ fundatricis, jam monialis Vinatii, ab Anna abbatissa in possessionem novi C parthenonis immissa 25 Januarii 1624, duobus elapsis annis ob grassantem apud Cæsarisburgum pestem aufugere coacta, diversa in loca una cum sociabus monialibus se recepit, donec an. 1631 die festo S. Placidi Waloniis fixerunt sedem. Carolæ in gratiam abbatiæ titulo decoratus est parthenon anno 1646; ipsa vero benedicta est a Claudio *Auvry* Constantiensi episcopo 9 Oct. 1647, qui 25 Aug. 1648 ecclesiam in honorem Dei genitricis sub titulo B. Mariæ de Protectione consecravit. Carolam neptim coadjutricem admisit an. 1656, & obiit 21 Febr. 1664, annos nata 70. D

II. Carola II *de la Vigne* Carolæ I neptis, filia Jacobi *de la Vigne* domini *d'Esmondeville*, & Franciscæ *de la Rupiere*, monialium suffragiis regioque diplomate adjutricis titulo insignita an. 1656 per amitæ decessum abbatiæ regimen assumsit, benedicta Walloniis a Carolo-Francisco *de Lomenie* episcopo Constantiensi, die 29 Septembris anni 1669.

III. Carola III *de la Luzerne* ex antiqua nobilique stirpe in Normannia inferiori oriunda, ab episcopo diœcesano Walloniis benedicta 13 Nov. 1672, sedem abdicavit; superstes 1710.

IV. Francisca-Gabriëlis *d'Orleans de Rothelin* E ex majori priorissa S. Crucis Pictaviensis, cedente Carola *de la Luzerne* abbatissa Walloniarum renunciatur 3 Aprilis 1706, Parisiis in sacello archiepiscopali a cardinali *de Noailles* benedicta 21 Sept. possessionem iniit 11 Nov. ejusdem anni. Inde transfertur ad abbatiam S. Ausonii Engolismensis 31 Oct. 1711, ubi vide.

V. N. *de Castel S. Pierre* designatur a rege abbatissa 31 Octobris 1711.

VI. N. *de Fontenay Neuville*.

B. MARIA DE ANGELIS.

PArthenon ordinis sancti Benedicti in urbe Constantienii, a Martha *de Malherbe* Francisci *de Sarcilly de Brucourt* relicta, sub titulo B. Mariæ de Annuntiatione fundatur 14 Maii 1633, quo relicto, ad abbatiæ dignitatem evectus est sub titulo B. Mariæ de Angelis anno 1660.

I. Gabriëlis *de Sarcilly de Brucourt* fundatricis filia, monialis de Vinatio, perpetua constituitur antistita novi cœnobii, cujus regimine ad annum usque 1649 potita, variis autem a monialibus offensis lacessita, mœroreque confecta, pristinum de Vinatio parthenonem tranquille victura repetiit.

II. Cecilia *de Montecoq* ab abbatia B. Mariæ de Protectione tribus cum monialibus nuperrime accita anno 1649, recedentis sedem occupavit ad annum 1653.

III. Carola-Scholastica *Carbonel de Canisy* episcopi Lemovicensis amita, monialis de Vinatio, Ceciliæ successit a monialibus electa 2 Septemb. 1653. Anno autem 1660 abbatissæ titulo insignita, in cathedrali Constantiensi ab episcopo benedicta fuit 13 Novembris 1661. Obiit 9 Decembris 1679.

IV. Anna-Leonora *Carbonel de Canisy* Carolæ germana, eidem priorissa successit, a Carolo-Francisco *de Lomenie* benedicta 28 Oct. 1680. Memoratur adhuc 25 Decembris 1711.

V. Francisca *de Pelleve*, Antonii *de Pelleve*, comitis *de Flers* & Mariæ *Fauvel* filia, Annæ-Leonoræ sedem excepit 9 Junii 1713.

VI. Ludovica *de Pelleve*, *de Flers* Franciscæ germana, ejusdemque parthenonis subpriorissa, abbatiæ regimen suscepit 17 decembris 1720 per obitum Franciscæ.

VII. N. *de S. Germain de Gonfreville* ineunte Februario 1728 abbatissa a rege nominata est.

S. LAUDUS. SAINT-L

ECclesia S. Laudi parochia erat in suburbio urbis cognominis, ut etiamnum sita, quam cum ecclesia S. Laudi Rotomagensis & parochia B. Mariæ in castro S. Laudi ecclesiæ Constantiensi confirmavit anno 1056 Guillelmus dux Normanniæ. In ea vero seculares canonici non ita pridem instituti, inordinate vivebant, cum Algaro Constantiensi episcopo Innocentius II summus pontifex bulla data anno 1132 Viennæ Allobrogum VI nonas Martii facultatem dedit ecclesias S. Laudi Rotomagensis & S. Laudi Constantiensis ad canonicum ordinem redigendi. Itaque summi pontificis auctoritate fretus Algarus regiaque accedente auctoritate, canonicos regulares e monasterio S. Barbaræ in Algia accitos novum in cœnobium introduxit Dominica 4 Quadragesimæ, die 2 Aprilis anni 1139. Hoc institutum confirmavit Eugenius III bulla data Narniæ pridie idus Martii, anno pontificatus 1. Urbanus quoque III approbavit canonicorum regularium institutionem & bona temporalia

Chart. x col. 238.

hujus abbatiæ, cujus præcipuus benefactor audit Algarus, qui e suo terras complures, ecclesias & decimam omnium decimarum ad se pertinentium huic asceterio largitus est. Philippus pulcher dictus rex Franciæ, hæc non tantum confirmavit, sed & abbatiæ bona accrevit dono baroniæ de Barra cum omnibus latifundiis, honoribus, juribus ac appendicibus. Abbates descripsimus ex pervetusto necrologio.

Index Abbatum.

I. Theodericus I ex priore de Meretonia primus S. Laudi abbas fuit, ex Arturo. Ad eum direxit bullam Eugenius III, qua confirmat quæ decessor ejus Innocentius Algaro
l. xiv ii. col. 2. mandaverat. Subscripsit chartæ fundationis Hambeiæ. Subsignatus quoque reperitur donationi Engelgerii *de Bohun* de Halesia factæ abbatiæ de Quarrera in insula Vectæ in Anglia. Memoratur in confirmatione Algari. Occurrit etiam ad annum 1159 in chartis ecclesiæ Bajocensis, teste Arturo. Defunctus tamen legitur 14 Oct. 1151 in schedis monasterii.

II. Guillelmus I filius Hecæ de Constantiis, obiit 1167 20 Martii.

III. Alexander de S. Barbara, assumtus scilicet ex illo monasterio, ex schedis ejusdem, moritur 1168.

IV. Guillelmus II *de Martinville* memoratur anno 1172 in charta prioratus *de Bohun*, & 1173 in institutione præbendæ de Hubervilla.
l. xxii. 245. Anno sequenti Guillelmi ad preces Reginaldus Bathoniensis episcopus in Anglia dedicavit novam ecclesiam recens exstructam in oppido S. Laudi in honorem S. Thomæ martyris & archiepiscopi Cantuariensis, quam Richardus Constantiensis episcopus canonicis sancti Laudi donavit. Adstitit dedicationi ecclesiæ Blancælandæ mense Jan. 1185. Vita cessit Guillelmus 22 Nov. 1186, seu 1188.

V. Guillelmus III *de Mantel* adfuit dedica-
l. xxv. 90. tioni ecclesiæ de Alneto 1190. Reperitur adhuc
l. xxvi. 91. 1197 in schedis Saviniaci & in chartulario Exaquii tempore Petri abbatis Blancælandæ. Obiit 19 Februarii 12....

VI. Robertus I de Molayo, quo sedente dedicata est nova ecclesia hujus abbatiæ, ut legitur in veteri membrana, sic: *Anno ab Incarnatione Domini 1202 Rotomagensium civitati præsidente Gualterio, ecclesiæ Constantiensis curam gerente Viviano, regni Johannis regis Anglorum anno quarto, in monasterio isto vices abbatis agente Roberto de Moleio prælatorum hujusce loci VI, dedicata est hæc ecclesia in honore S. Laudi episcopi patroni nostri a præfato Viviano & a Guillelmo Abrincensi episcopo die 8 Octobris, quæ erat Dominica secunda hujus mensis, qui ex abundanti caritate animarum liberationi intendentes, omnibus qui in die dedicationis & deinceps usque ad festum sancti Martini episcopi cum muneribus quæ Deus inspiraverit, in honorem Dei, & suæ matris, & B. Laudi præsentem in perpetuum adibunt ecclesiam, tertiam partem injunctæ sibi pœnitentiæ & peccata oblita & vota*
A *fracta, si ad ea facienda redierint, relaxaverunt. Illos etiam qui patris & matris citra violentiam manuum injectione offensam incurrerunt, a pœna pœnitentiæ propter hunc excessum temporaliter sustinendæ, dummodo hujus offensæ pœniteant, concesserunt esse immunes.* Dies obitus Roberti agitur VII idus Julii in necrologio Lucernæ; obiit autem an. 1211.

VII. Ambrosius de S. Laudulo super Senam reperitur abbas 1213, & in chartis Montis S. Michaëlis anno 1219. Concordiam iniit cum abbate Hambeiæ mense Junio 1231. Defunctus est 17 Aprilis 1238.

VIII. Robertus II *Hardoin* vita functus 9
B Julii 1249.

IX. Stephanus I *de Torigny* mortuus 9 Maii 1252. Memoratur X calendas Decembris in necrologio Lucernæ.

X. Johannes I *Petihne* obiit 17 Januarii 1261, notatus pridie calendas Septembris in obituario Cæsarisburgi.

XI. Nicolaus de Spineto obiit 22 Augusti 1267.

XII. Thomas I de Spineto mortuus 22 Junii 1279.

XIII. Radulfus I *de Cheux* prope Cadomum duodecim annis regimine potitus, Dominica-
C norum ordinem ingressus est, & defunctus 11 Augusti 1291.

XIV. Robertus III de Insulis e mundo migravit 11 Julii 1307.

XV. Richardus I de Bolevilla vitam reliquit 19 Martii 1310.

XVI. Petrus I *le Vautre* sedebat tempore Gundefridi abbatis de Alneto. Obiit 11 Julii, al. 1 Dec. 1324. Notatur III calendas Decemb. in necrologio Lucernæ.

XVII. Johannes II de Doito breviarium & martyrologium monasterii renovavit an. 1328 ultima Aug. Rexit 16 an. & mensibus sex, mor-
D tuus 31 Aug. 1341. Obitus ejus dies assignatur 16 Februarii in necrologio Lucernæ.

XVIII. Stephanus II *Gobout* defunctus 22 Novembris 1343.

XIX. Gaufridus I *le May* mortem oppetiit 13 Januarii 1356, notatus VI nonas Maii in obituario Montis-Dei.

XX. Johannes III *Languelier* vitam finivit 3 Julii 1362.

XXI. Johannes IV de Albigneio obiit 16 Decembris 1380.

XXII. Johannes V *Marcelle* decretorum doctor, quo sedente *anno 1391 de consensu R.*
E *in Christo patris D. G.* de Crevecœur *Constantiensis episcopi, nos accepimus almucias pro capuciis albis quæ prius tempore æstivali portabamus.* Ita legitur in publico instrumento. Memoratur adhuc Johannes in chartis authenticis D. *de Gaignieres* 17 Maii 1400 & 25 Octobris 1409, quo ultimo anno & misit Procuratorem ad concilium Pisanum, & obiit 8 Septembris.

XXIII. Robertus IV *la Nieche* occurrit 28 Januarii 1410 in chartis D. *de Gaignieres*. Diem clausit extremum 25 Decembris 1411.

XXIV. Robertus V *de Pitponte* defunctus 14 Martii 1413.

XXV. Robertus VI *Quesnel* fato functus 15 Maii 1419.

XXVI. Johannes VI *Gueroult* juri canonico incumbebat Parisiis 8 Martii 1429. Reperitur 1433 in chartis D. *de Gaignieres*. Obiit 15 Maii 1438.

XXVII. Johannes VII *Bense* interfuit scacario anno 1448. Vita cessit 29 Aprilis.

XXVIII. Richardus II, quo præsente anno 1456 puella Aurelianensis innocens est proclamata, ex Arturo, qui forte eum confudit cum Richardo Constantiensi episcopo.

XXIX. Ivo *de Plantegenel* post 16 annos & 6 menses regiminis cessit, decessitque 5 Oct. 1485.

XXX. Jacobus *Vaultier* chorum exstruxit anno 1488 nunc destructum; chorum & alas circumadjacentes cœpit ædificare anno 1493. Post 22 annos administrationis animam efflavit 13 Martii 1505.

XXXI. Michaël *Vimont* ex subpriore ultimus regularis abbas, obiit 18 Martii.

XXXII. Ludovicus I *Herbert* germanus Gaufridi Constantiensis episcopi, archidiaconus erat Constantiensis & abbas S. Laudi, cum defunctus est Gaufridus anno 1510. Memoratur in regestis scacarii mense Januario 1510 (1511). Fit demum episcopus Abrincensis.

XXXIII. Robertus VII *de Caguebourne* episcopus Rosensis & suffraganeus Constantiensis, commendam S. Laudi tenebat anno 1520.

XXXIV. Franciscus I *du Bourg* episcopus Rivensis, S. Laudi commendatarius 1560, cessit in gratiam sequentis.

XXXV. Johannes VIII *du Bourg* Francisci germanus.

XXXVI. Ludovicus II *Ricard de Gourdon de Genoilhac* sedis apostolicæ protonotarius, abbas S. Martialis Lemovicensis ac S. Laudi, permutavit cum sequenti, factus abbas sancti Romani Blaviensis. Fuit quoque episcopus Tutelensis. Vide tom. II, col. 565, 675 & 884.

XXXVII. Tussanus *Barrin* dominus *de Vincelles*, doctor in jure canonico, regi a consiliis & eleemosynis, abbas S. Romani de Blavia, omissus a nobis, tom. II, col. 884, permutatione facta cum Ludovico superiori, erat abbas S. Laudi 1577, fuit quoque commendatarius Ferrariarum. Defunctus 2 Maii 1581, sepultus est in ecclesia Gerciaci diœcesis Parisiensis cum hoc epitaphio latine reddito: *Hic jacet nobilis & honestus vir M. Tussanus* Barrin *dictus* de Vincelles, *regi reginæque a consiliis & eleemosynis, & canonicus sacræ capellæ palatii Parisiensis, commendatarius abbatiarum SS. Petri & Pauli Ferrariarum & S. Laudi, qui obiit 2 Maii 1581, annos natus 75.*

XXXVIII. Franciscus II *de S. Gelais* toparcha de Vernone, filius Ludovici *de S. Gelais*, dicti *de Lezignem*, equitis torquati, ac Gabriëlidis *de Rochechouart*, protonotarius apostolicus,

A prior Plessiaci Grimoldi, commenda Laudensi potiebatur anno 1587.

XXXIX. Franciscus III *de Rochechouart* regi a consiliis & eleemosynis, decanus Engolismensis, commendam S. Laudi occupabat anno 1597. Vide tom. II, col. 1028.

XL. Franciscus IV *de Montmorency* regi a consiliis & eleemosynis, Laudensem tenebat commendam anno 1615.

XLI. N. *du Fresnoy* anno 1617.

XLII. Johannes IX *des Jardins* filius Jacobi domini *de Montreau*, consiliarii curiæ castelleti & urbis Parisiensis ædilis, ac Elizabethæ *Chevalier*,
B commendatarius erat sancti Laudi anno 1622, necnon B. Mariæ de Hibernali.

XLIII. Ludovicus III *de Montmorency* filius Ludovici ac Carolæ-Catharinæ *de Luxe*, arma secutus, ad Batavos transiit anno 1629, ubi eodem anno mortuus est.

XLIV. Andreas I *Merlet du Jardin* doctor theologus facultatis Parisiensis & societatis Navarricæ decanus, vir avitæ nobilitatis & virtutis probatæ, nominatus abbas S. Laudi possessionem iniit anno 1638. Deputatur a provincia Rotomagensi ad comitia cleri generalia 13 Februarii anni 1641. Abbatiæ reditus temporum injuria
C dissipatos summa cura eximioque labore collegit, ejusque diruta restauravit ædificia, majus quid facturus, ni morte fuisset præventus.

XLV. Andreas *Merlet* superioris nepos, filius nempe Johannis doctoris regentis in facultate medicinæ Parisiensis, regi a consiliis ejusque medici ordinarii, regi ipse a consiliis & eleemosynis, commendæ possessionem adeptus est 28 Oct. 1646. Transegit cum Francisco *Blanchard* congregationis canonicorum regularium Gallicanæ superiore generali 26 Martii 1659, ut in abbatiam S. Laudi strictiorem induceret observantiam, quod & præstitit 30 Novembris
D ejusdem anni. Domus Dei zelo æstuans magnum decus magnamque munificentiam in ipsam importavit. Inopum miserias impense sublevabat. Demumque plenus meritis obdormivit in domino mense Septembri 1664.

XLVI. Michaël II *Phelypeaux de la Vrilliere* episcopus Uceticensis, dein archiepiscopus Bituricensis, abbasque B. Mariæ de Absia in diœcesi Malleacensi, Nioli & Quinacici in Lingonensi, sancti Laudi commendam tenebat anno 1667. Obiit Luteciæ 28 Aprilis 1694, ætatis 52. Vide tom. II, col. 109, & tom. VI, col. 647.

XLVII. Petrus I *de Langle* episcopus Bolo-
E niensis, renunciatur abbas S. Laudi 24 Dec. 1694. Plura vide tom. X, col. 1578.

XLVIII. Ludovicus III *de Targny* presbyter Noviomensis, doctor theologus facultatis Parisiensis 22 Septembris 1688, collegii Damvillæi moderator, tum thesaurarius ecclesiæ Remensis, custos bibliothecæ regiæ 1712, Obasinam quam 17 Octobris 1723 adeptus fuerat dimisit, & Laudensem obtinuit commendam nominatus 13 Maii 1724. Translati autem 9 Jan. 1729 ad abbatiam S. Bartholomæi Noviomensis, ejus in

in locum S. Laudi abbas renuntiatus est a rege Bonaventura *Bauyn*, qui Ludovico translationem recusante, ultimam hanc commendam obtinuit. Ludovicus autem cunctis beneficus, omnibusque litteratis officiosus, litteratus ipse omnium votis perenniter victurus, subita morte Parisiis raptus est 3 maii 1737, annos natus 78.

XLIX. N. *d'Halleberg* nominatur a rege an. 1737.

CÆSARIS-BURGUS seu B. MARIA DE VOTO.

A

ECCLESIAM in honorem sanctissimæ Dei Genitricis, Cæsaris-Burgi oppressus infirmitate, ab ea si resurgeret, ibidem se exstructurum voverat Willelmus dux Normannorum. an. III. 119.
Recuperata itaque sanitate, ecclesiam in castello in honorem B. Mariæ construxit, dedicare fecit & in ea canonicos instituit & dotavit. Aliam quoque jussit fieri ecclesiam extra castellum, quæ præivisse creditur capellæ illi B. Mariæ de Voto Cæsaris-Burgum inter & abbatiam sitæ, cui forte nomen dedit. Hanc centum fere post annis in insula Ulmi fundavit a parte septentrionali ad litus Oceani Mathildis imperatrix, & cœnobium adjunxit anno circiter 1145, in quo canonicos regulares ordinis S. Augustini e S. Victore Parisiensi accitos instituit Algarus Constantiensis episcopus. Matris exemplum secutus Henricus
h. xx. 144. II rex Angliæ, voluit præfatam abbatiam ita
h. xxi. 145. honorifice, quiete & libere bona data tenere, sicut tenebat ulla totius Normanniæ abbatia, cum omnibus consuetudinibus & libertatibus suis. His autem plura alia addidit, tam ipse quam nepos ejus Henricus III, diplomatibus quæ habes tum in appendice tum in Monastico Anglicano, t. III. p. 1009 & seq. Sic vero locupletatæ abbatiæ de Voto, consilio Rotrodi archiepiscopi Rotomagensis primum, tum precibus Walterii suc-
xxiv. 50. cessoris ejus, monasterium S. Helerii in insula Gerseii situm e congregatione Aroasiensi, a Guillelmo filio Hamerici non ita pridem fundatum adjunxit anno 1187, ita tamen ut abbatia de Voto tanquam mater & caput monasterium S. Helerii cum omnibus pertinentiis ejus possideret. Non semel vastatum & bonis spoliatum fuit hoc cœnobium, inprimis annis 1295 & 1296, quibus ex Thoma *Walsingham* in historia Angliæ, tempore Eduardi I regis nautæ Gemenulthenses Cæsaris-Burgum incendio vastaverunt. Libertates B. Mariæ de Voto & privilegia
xv. 2. antiqua confirmarunt Urbanus III, Nicolaus IV, Clemens VI, aliique summi pontifices hanc novis immunitatibus decorarunt. Inter benefactores computantur Robertus miles, Rogerius de Magnevilla, Willelmus de Braiosa & Osbernus Henrici regis constabularius. Processu temporis labante disciplina, strictiorem Burgi-Achardi observantiam hortamentis Caroli Francisci *de Lomenie* Constantiensis episcopi & opera Alexandri *le Jay* abbatis amplexi sunt canonici. Abbates habes ex schedis domesticis.

B

ABBATUM INDEX.

I. ROBERTUS ex canonico S. Victoris Parisiensis primus Cæsaris-Burgi abbas, alter est a Roberto primo S. Helerii in insula Gerseii abbate, quippe quæ cœnobia pluribus post annis in unum coaluere. Ad Alexandrum III pacis componendæ ergo Henricum II inter & S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum à Mathilde imperatrice missus est anno 1165, ut constat ex epistola Johannis Saresberiensis ad S. Thomam. Obiit Robertus 16 Martii, ex necrologio S. Laurentii Lehunensis.

II. Jonas locum tenet post Robertum in indice, an autem abbatis dignitate decoratus fuerit non omnino constat. Talem non sibi sumit honorem in epistola quam scripsit ad Ervisium S. Victoris abbatem, quam hic referre juvat ex veteri manuscripto Cæsaris-Burgi. *Ervisio patri suo spirituali Dei gratia B. Victoris Parisiensis abbati frater Jonas suus qualiscumque canonicus miser, exsul & peregrinus, quam non habet ipse, salutem. Inveni, carissime pater, verissime dici:*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non sinit esse sui.
Sic fera, sic volucris, sic piscis nota requirit
In quibus ante locis pascua parvus habet.

C

Non secus ego illum cunctis jure præfero locis in quo me mater gratia cum multis fratribus sponso suo genuit Christo, ubi esse vellem, ut apud Cæsaris-Burgum non essem; nec mirum, perfidus hic populus & regis amor metuendus (alludit ad mortem S. Thomæ).

Hic terræ steriles, & vinea nulla superstes;
Sylva caret foliis, desunt sua pascua pratis,
Est mare confine, sed mortis mille ruinæ.
Dulcius hic mihi est, quam mala posse pati.

D

Sunt prætererea quæ intrinsecus latent.

Anxia cura domus, rerum possessio parva,
Quam quærunt multi, non dare crimen erit.

Ut ego hæc patiar, quod crimen admisi! si nullum, mitius exsilium & vestra potuit præcepisse obedientia, & mea invenisse ignorantia. Ne pigeat itaque tam pium pastorem & ovem reducere centesimam, & benignum patrem filium e regione dissimilitudinis redeuntem suscipere perditum. Non rogo stolam primam, nec vitulum saginatum, sed fiat mihi sicut uni ex mercenariis vestris. Vale.

E

III. Benjamin, quo sedente cœnobia B. Mariæ de Voto & S. Helerii in insula Gerseii Ch. xxiv. col. 250.
in unum coaluere anno 1187, quo monasterium S. Helerii recensetur inter possessiones Cæsaris-Burgi in bulla Urbani III, qui anno superiori bullam quoque concesserat canonicis S. Helerii Ch. xxv. col. 250.
IX cal. Sept. an. 1186. Memoratur in necrologio X cal. Sept. Benjamin abbas S. Helerii & Cæsaris-Burgi.

IV. Richardus I *Martin* canonicus regularis, & capellanus Walterii Rotomagensis archiepiscopi, ab ipso institutus est abbas. Hujus tempore multipliciter auctum fuit & reparatum monasterium ab Osberno de Hosa constabulario Henrici II regis Angliæ, qui tunc temporis Cæsaris-Burgi præfectus in abbatia de Voto, domum pulcherrimam cum officinis construxit, in qua satis honeste quamdiu vixit conversatus est, octoque ante mortem diebus canonicus factus, eidem abbatiæ dedit 32 marcas auri & centum libras cenomannenses ad augendas abbatiæ possessiones, quibus demum addidit 60 marcas argenti in plata & totidem in vasis, ita continuator Roberti de Monte ad annum 1184. Occurrit Richardus an. 1201 in charta Gemeticensi, & 1202 in Fontanellensi, memoratus XII cal. Febr. in necrologio.

V. Odo querelam habuit cum abbate S. Salvatoris super prioratu S. Helerii, quam terminarunt anno 1205 arbitri Vivianus Constantiensis episcopus, Willelmus Montisburgi & P. de Blancalanda abbates. Obiit XV cal. Augusti.

VI. Willelmus I reperitur anno 1230 in chartulariis Constantiensi & Exaquiensi, defunctus XII cal. Januarii.

VII. Rogerius I de Vauvilla, mortuus XIV cal. Dec.

VIII. Rogerius II *Poutrel*, e Montisburgo oriundus, obiit XI cal. Octobris.

IX. Radulfus *Macquerel.*

X. Richardus II.

XI. Durandus de Hannevilla obiit XII cal. Octobris.

XII. Guillelmus II de Tribus-montibus moritur IV idus Aprilis.

XIII. Robertus II vendidit abbati Vallis-Richerii quidquid habebat apud Englesquevillam & Bonam-villam super Thoncam anno 1240. Quis autem locus ei assignandus, cujusve decessor vel successor fuerit, non constat. Falsus enim videtur catalogus domesticus. Vacabat autem sedes anno 1281, quo abbatem eligendi licentiam a rege canonici postularunt, ex chartis thesauri, qua obtenta,

XIV. Radulfus II de Clauso electus, sede vacante a canonicis Constantiensibus confirmatus est, qui Philippum Franciæ regem rogarunt an. 1282, ut administrationem bonorum temporalium cœnobii ei liberaret. Idem præstitit anno eodem die Mercurii post festum Omnium-Sanctorum Eustachius factus circa id tempus episcopus Constantiensis. Notatur Radulphus XI cal. Martii in necrologio.

XV. Robertus III de Coudreio VII calend. Aprilis, ibidem.

XVI. Johannes I regi dixit fidem 17 Martii an. 1350 ante Pascha.

XVII. Robertus IV *le Ponchin* obiit pridie cal. Sept. 1353.

XVIII. Guillelmus III locum tenens Ludovici *de Navarre* comitis Bellimontis Rogerii, occurrit in chartis authenticis *D. de Gaignieres* annis 1361, 1365 17 Febr. & 11 Martii & 1377; mortuus V nonas Octobris. Anno 1379 Ricardus II rex Angliæ concessit abbati B. Mariæ de Voto custodiam prioratuum *de Hagh* in comitatu Lincolniensi & S. Helerii in insula Gerseii.

XIX. Hunfredus, ex Arturo.

XX. Richardus III memoratus 28 Dec. 1407 in chartis D. *de Gaignieres*, obiit 1409, ex ejus epitaphio, quod legitur in claustro ubi ante januam capituli sepultus est.

XXI. Thomas I.

XXII. Robertus V electus a capitulo, confirmatus est ab Henrico V Angliæ rege anno regni sexto, qui potestatem dedit anno eodem Waltero *Hangerford* ballivo Rotomagi sacramenti fidei exigendi a Roberto, & temporalia ei restituit.

XXIII. Michael reperitur 22 Dec. 1424 in chartis D. *de Gaignieres.* Moras obtinet ad fidem regi præstandam anno 1428. Mortuus 1431 VI idus Julii legitur in ejus tumulo.

XXIV. Johannes II *Boudarre* moras obtinet ad fidem regi dicendam an. 1431, 1436 27 Sept. & 1447 16 Sept. Occurrit adhuc 1445 in chartis D. *de Gaignieres.* Sedebat quoque an. 1450, cum Cæsarisburgus in ditionem Caroli VII regis reductus fuit. Notatur pridie calend. Julii in necrologio S. Salvatoris.

XXV. Galterius *le Blond* regi fidem obstrinxit 31 Augusti 1459, quo sedente, id est, *anno 1464, die S. Michaelis de Tumba, ecclesia B. Mariæ de Voto juxta Cæsarisburgum reconciliata fuit per dominum Johannem Justinopolitanum episcopum, de licentia reverendissimi in Christo patris D. Richardi episcopi Constantiensis tituli S. Eusebii S. R. E. presbyteri cardinalis, & consecravit majus altare in honorem B. Mariæ Virginis & Omnium Sanctorum; secundum vero in honorem Petri & Pauli apostolorum, &c. in præsentia D. Galteri abbatis & totius conventus ejusdem loci.* Ita legitur in veteri rituali Cæsarisburgi. Obiit autem Galterus 20 Januarii.

XXVI. Johannes III *Bazan*, mortuus VII idus Martii, ex obituario.

XXVII. Philippus I *de Barneville* defunctus III idus Novembris, ibidem.

XXVIII. Thomas II *Leonard* electus a capitulo an. 1487, & confirmatus a Gaufrido Constantiensi episcopo 29 Nov. ejusdem anni, vita cessit idibus Martii, ex necrologio S. Salvatoris.

XXIX. Johannes IV *Noel* baccalaureus in decretis, interfuit comitiis ordinis Lutetiæ habitis an. 1493. Defunctus 1 Dec. 1514, tumulatur in sanctuario.

XXX. Johannes V *Hubert* mortuus VII cal. Dec. 1517, sepelitur quoque in sanctuario.

XXXI. Jacobus *Marette* fato functus est XVI cal. Junii 1518.

XXXII. Leobinus *le Fillastre* ultimus electus a capitulo 1518. Æmulum passus est Florentinum *de Passener*, a quo non parum exagitatus

est. Quinque demum mensibus elapsis liti finem imponunt, & Leobinus confirmatur ab episcopo Constantiensi an. 1519, appellaret licet Antonius *Ardillon*, dictus quoque abbas B. Mariæ de Voto. Cessit Leobinus in gratiam sequentis. Post Leobinum Arturus *du Moutier* abbatem assignat Franciscum, ex inscriptione ejus tumuli defunctum an. 1558, quo Leobini mortis diem etiam præfinit calendis Martii. Sepultus est ad gradus majoris altaris cum epitaphio.

XXXIII. Guillelmus IV *le Fillastre* ex canonico ejusdem cœnobii per cessionem patrui fit abbas, & moritur idibus Augusti, ex necrologio S. Salvatoris.

XXXIV. Lancelotus *de Matignon* per cessionem superioris primus commendatarius a rege nominatus, obiit 1 Januarii 1588.

XXXV. Franciscus I *Hotman* parlamenti Parisiensis consiliarius, nominatus a rege, litem habuit cum Egidio *Gallien* priore Cæsarisburgi ob annuam pensionem priori persolvendam, & causa cecidit. Vita functus est an. 1636.

XXXVI. Henricus Guillelmus *le Jay* episcopus Cadurcensis, hanc quoque commendam tenuisse traditur, cujus tempore jura, ædificia & regularis observantia omnino deperiere. Mortuus est Cadurci 5 Aprilis 1693.

XXXVII. Alexander *le Jay* senatus Parisiensis proto-præses a rege factus abbas, disciplinam labantem ut restitueret, ex abbatia Burgi-Achardi sex accivit canonicos. Vitam finivit anno 1704.

XXXVIII. Ludovicus *Persat de Villemareuil* presbyter Catalaunensis, canonicus ecclesiæ Catalaunensis, abbas de Miseraio, uno duntaxat anno commenda B. Mariæ de Voto potitus, occubuit 12 Sept. 1705, ætatis an. 76, sepultusque est in navi ecclesiæ Parisiensis ante sacellum B. Mariæ.

XXXIX. Franciscus II *Chevalier* dominus *de Saulx*, primus episcopus Alesiensis & abbas Psalmodii, commenda Cæsarisburgi donatus a rege anno 1705. Hanc cum sequenti permutavit. *Vide* tom. VI. col. 517.

XL. N. *de Valat* canonicus Alesiensis, commendatarius erat an. 1710.

XLI. Johannes-Josephus *le Normant* decanus S. Marcelli Parisiensis, commendam Cæsarisburgi a rege obtinuit an. 1730, Romæ propositus 22 Nov. Obiit Parisiis 30 Martii 1753, annos natus 79.

XLII. N. *de Dampierre* Cancellarius & canonicus Tullensis, nominatus est a rege mense Maio 1753.

BLANCALANDA.

IN loco deserto, aspero & spinoso, Blancalanda dicto, Exaquium inter & S. Salvatorem, sex a Constantia leucis, ordinis Præmonstratensis cœnobium anno 1154 condiderunt & dotarunt Ricardus de Haia Henrici ducis Normanniæ dapifer, qui prius parthenonem sancti Michaelis de Bosco fundaverat, uxorque ejus Matildis *de Vernon*, amita Guillelmi *du Houmet* connestabilis Normanniæ, de consensu Guillelmi de Vernone, Richardi filii ejus & Radulfi de Haia fundatorum nepotis. Incœpta autem est ecclesia in honorem B. Mariæ & S. Nicolai an. 1155 mense Augusto, ad ripam australem rivi *de Neaudouil*. Perfectam mense Octob. ligneam capellam cum claustro ædibusque necessariis ingressi sunt Ranulfus & septem discipuli, qui apud *Broquebeuf* vicini Deo serviebant, & consecravit Constantiensis episcopus Richardus, qui institutionem hanc novam pontificia auctoritate confirmavit, cui accessit regium Henrici II Angliæ regis diploma anno 1157. Sunt & quatuor aliæ fundatorum chartæ in monastico Anglicano, t. III, p. 1015. Sexto post anno Ranulfus prædictus novus abbas ecclesiam ultra rivum transtulit, cæmentoque & lapide construxit IV calend. Maii 1161 ædes in quas Richardus episcopus introduxit canonicos, qui ad 30 excreverant die dominica 28 Junii 1170. Hanc ecclesiam benedixit Willielmus Constantiensis episcopus XIX cal. Febr. 1185, in qua prope chorum sepulti jacent fundatores Ricardus & Matildis. Pietatem illorum æmulati domini de Humeto cognati, diversorum Normanniæ monasteriorum auctores, de Blancalanda quoque optime meriti sunt. Locus vero *Brocquebeuf* dictus, quem primi habitaverant incolæ, nunc est prioratus simplex a Blancalanda dependens. Accitos tamen primarios e Domno-Martino canonicos legitur in bibliotheca Præmonstratensi. Abbatum seriem tum Annalista Præmonstratensis, tum Neustriæ piæ auctor nobis subministraverunt, nec minus profuere Johannes Columbi, diversæque ejusdem monasterii schedæ.

Ch. XVIII. col. 243.
Ch. XIX. col. 244.

Abbatum Series.

I. PRIMI seu abbatis, seu superioris, ignoratur nomen, quia forte quarto post electionem anno minus utilis repertus, lubens ipse cessit, fratribusque auctor fuit, ut sequentem eligerent.

II. Ranulfus de Roncheia prior *de Brocquebeuf*, qui ut esset abbas prius nunquam adduci potuerat, novisque incolis suaserat ut alium superiorem deligerent & ad pristinam habitationem suam unico cum socio redierat, ipso cedente vix ac ne vix quidem ut eligeretur assensum præbuit. Factus sic abbas cœmeterium ultra rivum *de Neaudouil* consecrari fecit die 28 Junii 1160. Insequenti anno ecclesiam cæmento & lapide fundavit ibidem IV cal. Maii 1161. Hujus loci ædificio cum per sexennium fidelem dedisset operam, viam universæ carnis ingressus est VII cal. Augusti 1167.

III. Petrus I, Poëta dictus ab arte poëtica quam callebat, communi fratrum assensu IV nonas Nov. 1167 Ranulfo successit Ranulfi discipulus. *Tertio ab eo quo electus est anno, Incarnationis vero Dominicæ anno 1170, in vigilia apostolorum Petri & Pauli, die Dominica, commissum sibi gregem, qui usque ad triginta excreverat, de illa ut videbatur vili mansione in novam quam multo labore & sudore*

vultus sui construxerat ..... prædictus per manum A *episcopi præfati introduxit, qui fratribus in ecclesia introductis eadem die tria altaria in ea consecravit, primum in parte Australi in honorem S. Petri apostolorum principis & omnium apostolorum, secundum in eadem parte in honorem B. Martini & omnium pontificum, tertium in parte Aquilonis in honorem S. Blasii & omnium martyrum. Ipsa demum ecclesia sedente Petro dedicata est a Guillelmo Constantiensi episcopo feria secunda, XIX cal. Feb. an. 1185, pontificatus Lucii papæ III anno 4, regni Henrici Anglorum regis an. 31.* Occurrit Petrus anno sequenti in chartis Montis S. Michaelis. Transegit an. 1192 cum monachis Exaquiensibus, B quorum in chartulario reperitur an. 1202. Arbiter eligitur an. 1206 cum V. episcopo Constantiensi inter abbatem & monachos Vallis Richerii & R. Fiscamnensem abbatem in præsentia J. Lexoviensis decani. Nominatur in donatione facta monasterio anno 1211. Nonnulla dedit hospitali Constantiensi mense Oct. 1213. Cessit anno eodem cal. Dec. in gratiam sequentis, & decessit 5 Januarii 1217.

IV. Robertus I de Ravenovilla, cujus mortis dies annotatur in catalogis 25 Aprilis 1217.

V. Petrus II occurrit an. 1222 in chartulario.

VI. Nicolaus I de Sturvilla obiit 2 Martii C 1232.

VII. Petrus III *de Baudienville* cessit anno 1247, ex Johanne Columbi.

VIII. Robertus II *Hairon* abbas mense Sept. 1247, abdicat 13 Maii 1253, defunctus 16 Nov. anni ejusdem.

IX. Thomas I de Sancta-matre-Ecclesia vico ejusdem nominis vulgo *Sainte-mère-Eglise*, Rex etiam dictus a Johanne Columbi, vita functus est IV idus Sept. 1262, aut 27 Oct. 1260.

X. Petrus IV de Sancta-matre-Ecclesia post Thomam reponitur in veteri catalogo.

XI. Guillelmus I *Aubert* de Sancta-matre- D Ecclesia, ex Johanne Columbi, electus 1260, & defunctus 14, 19 & 20 Nov. 1271.

XII. Thomas II *Fabien* memoratur annis 1275 & 1277 in chartis Exaquii. Obiit autem 29 aut 30 Aug. 1298.

XIII. Robertus III *Hardy* pacem iniit cum Guillelmo abbate Montis-sancti-Michaëlis super decimis territorii *de Rotour* anno 1302, & post 33 regiminis annos, obiit 1 Junii 1331, ut legitur in ejus tumulo.

XIV. Johannes I *Pitebout* obiit XVI cal. Febr. 1337, ex necrologio Exaquii & ejus epitaphio. E

XV. Guillelmus II *de Cresal* vita cessit 4 Sept. 1349.

XVI. Nicolaus II *de la Bonneville* anno eodem subrogatus, naturæ debitum solvit 26 Augusti 1362.

XVII. Albinus *le Roux* defunctus est 2 Aprilis 1377.

XVIII. Thomas III de Insulis defunctus legitur 26 Augusti 1400 in necrologio Bellosanæ & 22 Junii 1412 in catalogis.

XIX. Ricardus in Neustria pia & Annalibus Præmonstratensibus, hic forte extra ordinem collocatus, obiit XII cal. Nov.

XX. Thomas IV *de S. Lo* pontificalibus infulis donatus a Johanne papa XXIII anno 1413, in Angliam secessit cum sanctorum reliquiis, vasis sacris & veteribus chartis, ibique novem annis mansit, unde demum redeundi copiam ab Henrico VI Angliæ rege obtinuit an. 1430. Obiit 25 Febr. 1446, hic est 1447.

XXI. Thomas V *de S. Lo* prioris germanus vel nepos, ad dicendam regi fidem moras obtinuit anno 1450. Defunctus legitur 8 Octobris 1452 in necrologio Bellosanæ, & 8 Septemb. 1461 in catalogis.

XXII. Nicolaus III *Mulot* regi præstat fidem 10 Novemb. 1461. Dedit candelabrum æneum chori 1473. Abbatis dignitatem deposuit 1476, mortuus est 7 Februarii 1483 cum hoc epitaphio.

Hac sub pyramide nunc sunt tria corpora patrum,
Quorum sub clamyde prior exemplaria fratrum
Exhibuit, ritus hic ampliat, arteque donis
Ecclesiæ dictus Nicolaus Mulot *in annis*
M. semel & C. quater decies octo unum ter
Est obitus annus, sed septimus ac Februarius.

XXIII. Petrus V *Pitebout* memoratur anno 1480 4 Nov. in chartis authenticis D. *de Gaignieres*. Defunctus est 6 Februarii 1485, ex ejus epitaphio.

Corpus ab hac petra Petri Pitebout *oneratur.*
Qui leget hæc metro, roget nunc luce fruatur;
Huic qui præcessit, nam præsciit intima morum;
Horum concessit jus mitræ canonicorum.
Decessit juvenis, mitram tenuit modo senis
Annis, sol Februo radiabat lumine sexto.

XXIV. Robertus IV *Rosselins* mortuus dicitur 4 Martii 1501.

XXV. Petrus VI *le Fevre* obiit X calendas Julii 1507 cum hoc sepultus epitaphio.

Hic Petrus latuit fabri massa sub eadem
Abbas qui patuit; quinis febre quadam
Succubuit fatis, sacra sumens tunc bene gratis.
Mensis ut intendas Julii decimoque calendas
Quingentis annis septenis milleque junctis
Hic obiit, in scamnis tribus his sit gloria suis.

XXVI. Laurentius *Mulot* electus 22 Junii 1507, dedit Moysen æneum chori an. 1519. Memoratur 14 Febr. 1522 in chartis archiepiscopatus Rotomagensis. Obiit 1 Febr. 1525, al. 1526 13 Apr. ex ejus tumulo, inquit Arturus. Cessit vero 1535, ex Johanne Columbi, & obiit 2 Februarii.

XXVII. Nicolaus II *le Maître*, cedente Laurentio abbate 1535, cessit ipse in gratiam sequentis 23 Ap. 1539, al. 1537, obiit 5 Maii aut Jun. 1539, al. 22 Maii 1537, ex ejus epitaphio.

XXVIII. Nicolaus V *le Maitre* ex Hugue- A villa oriundus, superioris germanus, abbas 16 al. 22 Maii 1539. Memoratur in actis capituli generalis 1539. Obiit ex Arturo 25 Aprilis 1557.

XXIX. Franciscus I *de Bouillers* Mannæ in Provincia dominus, commendatarius cessit an. 1575 in gratiam sequentis sub annua 1800 librarum pensione. Fit postea episcopus Forojuliensis, t. I, col. 441.

XXX. Philippus I *Troussey* ex priore abbas, & post episcopus Porphyriensis & suffraganeus Constantiensis, abbatis ædes exstruxit, in quibus a militibus fœderatis occisus est 25 Mai 1590. B

XXXI. Franciscus II *Troussey* Philippi germanus, eo cedente jam abbas 1589, obiit 22 Febr. 1614, ex epitaphio.

XXXII. Philippus II *Troussey* Francisci nepos, cui patruo epitaphium erigendum curavit, successit per cessionem N. *Phelippeaux* a rege nominati factam sub pensione 1200 librarum. Regularium postremus obiit 11 Febr. 1646.

XXXIII. Hieronymus *Grimaldi* primus abbas commendatarius a rege designatus, cessit an. 1648. De eo jam diximus, t. I, col. 339.

XXXIV. Josephus *Zongo Ondedei* 1 Jan. 1649. Cessit quoque in favorem sequentis mense C Augusto 1651. *Vide* t. I, col. 443.

XXXV. Johannes-Vincentius *de Tulles* Vaurensis episcopus, annua 5000 librarum pensione gravatam excepit commendam 1651, & obiit 4 Decemb. 1668.

XXXVI. Franciscus III. *de Caillebot de la Salle* nominatus a rege 18 Dec. 1668, cessit 1 Oct. 1671.

XXXVII. Melchior *de Harod* Marchio *de S. Romain* a rege donatus est commenda 11 Oct. 1671, qua cessit 1 Oct. 1672.

XXXVIII. Johannes-Baptista *Boyer* canonicus Parisiensis, nominatus a rege ultima Oct. 1672, obiit mense Nov. 1685.

XXXIX. Franciscus IV *le Vasseur* filius marchionis *de Coignée*, nominatus est 29 Martii 1687.

XL. Egidius-Bernardus *Raguet* designatus 2 Aug. 1721 cessit 1723, post abbas Eleemosynæ priorque Argentolii.

XLI. N. *de Lormande* designatur exeunte Octobri 1723.

XLII. N. *d'Inteville* renunciatur 12 Aprilis 1738, & transiit ad Liskam Boloniensem, anno 1748.

XLIII. N. *Prevost* Hesdiniensis ex priore regulari nominatus est a rege abbas 2 Martii 1748.

Addenda huic tomo & corrigenda.

Col. 115. C. 6. Nicolaus *de Saulx-Tavannes* Ludovici XV regis Francorum gratia sacro cardinalium collegio a Benedicto XIV summo pontifice adscriptus est an. 1756 die 5 Aprilis.

Col. 117. A. 6. Richardus occurrit in chartis Gemeticensibus.

Col. 185. B. 12. Baltasar-Henricus *de Fourcy* abbas S. Wandregisili obiit Parisiis 24 Aprilis D 1754 annos natus 80, & sepultus est in ecclesia parochiali S. Gervasii die 26 ejusdem mensis. Huic post aliquantam intermissionem successit

LXXIV. Fredericus-Hieronymus *de Roye de la Rochefoucauld*, e Francisco *de Roye de la Rochefoucauld* & Catharina-Francisca *d'Arpajon* parentibus 16 julii 1701 natus, abbas S. Romani Blaviensis mense Nov. 1717, Belli-portus mense Maio 1722, prior Lanvillæ Engolismensis & Boni-nuncii Rotomagensis, Pontisaræ major vicarius archiepiscopi Rotomagensis, abbas Belliloci Virdunensis, per cessionem cardinalis *de Gêvres* nominatur a rege archiepiscopus Bituri- E censis 27 Januarii 1729, admittitur Romæ in consistorio 6 Julii, & consecratur 7 Augusti ejusdem anni in sacello Theatinorum Parisiensium ab archiepiscopo Rotomagensi, cooperantibus Laudunensi & Bellovacensi præsulibus. Regi sacramentum dixit 14 Augusti ejusdem anni. Prior Caritatis ad Ligerim, coadjutor Cluniacensis eligitur 1738 die 29 Septemb. tum ipse abbas Cluniaci post obitum Henrici-Oswaldi cardinalis *de la Tour d'Auvergne*. S. R. E. cardinalis anno 1747; Johanni-Francisco *Boyer* veterano Mirapicensi episcopo defuncto 20 Augusti 1755 sufficitur a rege ut dignos ad ecclesiastica beneficia quæ regii juris sunt, deligat, donaturque ipse abbatia S. Wandregisili 15 Novembris 1755.

Col. 185. C. Alteram hanc abbatum Gemeticensium historiam ab erudito sodali nostro N. *Dubust* loci monacho ex veteribus monasterii documentis accurate contextam, ac nuper ad nos ab ipso transmissam prelo subjicere constituimus, ut ad eam quam supra typis mandavimus foret additamentum.

GEmeticum, alias Gemedicum Vnnedica & Gimegiæ dictum, locus est in pago Rotomagensi situs ad ripam Sequanæ, quæ eum fere totum cingit ac peninsulam facit. Silvestri frondium coma, multiplicibus arborum frugibus, odoriferis hortorum floribus, virentibusque pratorum arridet graminibus. Ibidem castrum condiderant antiqui, quod cum Filibertus Elusano territorio oriundus, una cum terris, silvis, aquis, aquarumque decursibus a Chlodovæo juniore Francorum rege, opitulante conjuge ejus Bathilde, petiisset ac obtinuisset, celebre ibi quinque circiter leucis ab urbe Rotomago monasterium a primo lapide fundavit construxitque, ac Deo sub regula S. Benedicti famulantium monachorum nobili

ornavit congregatione anno Domini 654, ut patet ex Mabillonio & pluribus aliis. Gemeticum recentiores quidam a gemma vocatum arbitrantur, quia ut gemma in annulo, situ & ubertate fructuum rutilat; quidam a gemitibus monachorum qui illuc pro suis gemunt offensis, ut in flammis ultricibus non sint gemituri; alii demque cœnobium S. Petri de Gemellis enervatis appellant, propterea quod filii duo Chlodovæi & Bathildis natu majores perduellionis in patrem rei præcisis poplitum & brachiorum nervis, navi super Sequanam impositi Gemeticumque appulsi illic sanctæ conversationis habitum quæsierint & a beato Filiberto perhumaniter accepti susceperint. Verum hæc mendose dicta ex eo collige, quod locum in quo situm est monasterium vetusto vocabulo Gemeticum nuncupare consuevisset antiquitas. Ab ipso ingressu, ducentorum nonaginta pedum in longitudine, in latitudine quinquaginta duplex ad meridiem dormitorium, triplicemque ad eurum basilicam Gemeticenses habuere monachi. Sed quo tempore, quove ab episcopo triplex illud templum consecratum fuerit, penitus incompertum nosque divinare piget. Potior tamen illa sententia quæ circa annum 656 ab Audoëno factam consecrationem memoraret. Patroni præcipui ad annum 851, quo funditus ab Hastingo Normannorum duce eversum est monasterium, beatissima Virgo Maria, Petrusque apostolorum princeps, qui etiam nunc titularis agnoscitur, cum Dionysio martyre & Germano Parisiensi episcopo; quibus post factam anno 940 a Willelmo cognomine longa spata restaurationem, decursu temporum ut minus principales accensiti sunt sancti Filibertus & Aicadrus abbates, Hugo itidem abbas & archiepiscopus Rotomagensis & Valentinus Interamnæ in Italia episcopus & martyr, cujus sacrum caput a sexcentis & amplius annis inde huc asportatum magna devotione recolitur. Gaudebat inclytum cœnobium ante primam sui cladem plurimis sanctorum reliquiis, quæ vel flammis tunc absumptæ sunt vel a fugientibus monachis alio, uti corpora sanctorum Aicadri & Hugonis Haspram in agro Cameracensi delatæ, vel reconditioribus locis abditæ, quam ut hactenus detegi & reperiri potuerint. Pluribus etiam post erectionem quam nostris temporibus nobilitatum constat ex inventariis non paucis, sed ab iis maxima ex parte sub Carolo IX sacrilegus & effrenis hæreticorum furor minime abstinuit. Quæ supersunt & quibus ditatur, insigniores subjicimus. Capita sanctorum Valentini & Leodegarii episcoporum & martyrum argenteis capitibus inclusa. Ossa quædam & cineres sancti Filiberti in perelegans scrinium argenteum, ædiculæ quadratæ formam referens, rotundoque fastigio assurgens, cleri & populi vicinarum parochiarum maximo concursu an. 1670 imposita. Brachia sanctorum Aicadri & Hugonis argenteis brachiis inserta, particula veræ Crucis alteri pariter argenteæ Cruci indita, imagines duæ ex argento unum fere pedem altæ, quarum una sancti Laurentii martyris, altera sanctæ Bathildis reginæ os exiguum continet, maxilla sancti Hieronymi ecclesiæ doctoris scrinio argenteo & crystallo pellucido decentissime condita. Alias complures sanctorum exuvias prætermittimus, quæ pro sua dignitate eo quo par est honore variis thecis asservantur & coluntur. Cætera quæ ad historiam monasterii spectant, singulos abbates decurrendo prosequemur, ac paucis quid rerum ante eversionem, quid post restaurationem tum ipsi tum monachi egerint, aperiemus.

Abbatum Series.

I. Primus auctor cœnobii Gemeticensis idemque primus abbas exstitit sanctus Filibertus, qui a Filibaudo patre Aturensium ecclesiæ præfecto in aulam Dagoberti missus ipsamque sapienter exosus, ad Resbacense monasterium Deo militaturus convolavit; cujus etiam loci, defuncto Agilo, communi omnium fratrum consensu abbas electus est. Sed eosdem brevi adversarios expertus, varia cœpit lustrare cœnobia ut eorum sacras edisceret institutiones. Quibus peractis peregrinationibus, hoc capitale, ut vocant, monasterium construxit. Ea fuit sanctissimi viri prudentia, ea virtus virtutisque opinio, ut alii abbates sua monasteria relinquerent, vel probatissimos monachos ad eum dirigerent, ut sub ejus magisterio ac disciplina perfectam vitæ monasticæ normam addiscerent. Moris etiam erat viro sancto electos e monasterio fratres ad exhortandos circumquaque populos dirigere, imo & trans maria ad redimendos captivos cum onustis regio munere & fidelium largitate navibus mittere. Unde factum est ut monachorum numerus ad nongentos ipso adhuc superstite excreverit. His annumeratur sanctus Sidonius natione Hibernus, qui cum cellerarii munus aliquandiu prudenter obiisset, a beato Audoëno a quo impense diligebatur, monasterii in Caletensi regione, cui postea nomen dedit, regimini præfectus est.

Jam Pauliacense virginum asceterium ordinaverat Filibertus, jam multis inclaruerat virtutum & miraculorum fulgoribus, ac etiam prophetiæ dono, cum depravatos Ebroini mores liberius reprehendens, anno 674 ejus factione ab episcopo suo & amico primum Rotomagi in carcerem trusus, deinde in exilium ad Ansoaldum Pictavorum antistitem abire compellitur; quod cœnobii instruendi causa accidisse narrat Mabillonius. Equidem perspecta ejus sanctitate Ansoaldus, cum Eremi vastitatem quærentem secum in urbe retinere non valeret, in insula maris Pictonici Hero seu Herio monasterium ædificavit, eique, vocatis e Gemetico monachis, regendum commisit. Interea Ebroino circa annum 681 interfecto, Audoënus mitigatus Filibertum, missis nunciis, in cœnobium Gemeticense revocavit, & cum eo, tota gratulante provincia, in concordiam rediit. Sed piissimus abbas, exstructo a fundamentis Montivillarensi parthenone, arctioris solitudinis desiderio inflammatus, suadente Ansoaldo, qui se ejus consiliis totum permiserat,

annuente Audoëno, lugentibusque monachis, in Herum insulam reversurus denuo proficiscitur. Tum Quinciacum veniens, ibique accepto consilio unum de discipulis suis electum, Aicadrum nomine, Gemeticum dirigens ut in sui absentia pastoris vices gereret, ipse demum in Herense monasterium reversus, ibidem XIII cal. Septemb. anni 684 quievit in Domino.

II. Aicadrus S. Filiberti discipulus & successor, Anscario & Ermena piis ac nobilibus apud Aquitanos parentibus Pictavis natus est. Adolescens Ansfrido monasterii S. Hilarii in eadem urbe monacho instituendus traditur. Institutus autem in Ansionensi monasterio monachum induit, ubi ad tam sublimem sanctitatis gradum evectus est, ut sub ipsum religionis ingressum jam innumeros variis languoribus affectos sanaret. Novos subinde de perfectionis culmine conscendendo stimulos admoveri sibi persentiens, sancti Filiberti instituto se subdidit in Quinciaco cœnobio a suis parentibus exstructo, & colonia Gemeticensium monachorum a sancto Filiberto transmissa ornato. Eidem præesse jussus, admirabili vitæ sanctimonia in dies refulsit. Is erat Aicadrus, cum sanctissimo patri Filiberto substitutus est in Gemeticensi monasterio, ubi expleto quinto regiminis sui anno, præmissisque una die in cœlum quadringentis quinquaginta monachis, anno 687 migravit ad Dominum.

III. Aicadro abbati suffectus est vir venerabilis vitæ & summæ simplicitatis Coschinus, quem chronographus Centulensis, lib. I, cap 26. ex majorum relatu sancti Filiberti discipulum fuisse tradit, eundemque post Ocioaldum sancti Richarii in Centulensi Monasterio successorem. Docet idem chronographus jussu Coschini, ad incitamenta virtutum & ædificationem animarum, sancti Filiberti vitam a monacho Gemeticensi anonymo fuisse descriptam, vero quidem sed inculto sermone, ut & simpliciores ex lectione admodum plana fructum uberiorem perciperent. Hanc edidit Mabillonius noster in act. SS. ord. S. Bened. sæc. II. pag. 816. Quanta religione Gemeticum rexerit Coschinus, quantamque sui non solum apud domesticos, sed etiam apud exteros opinionem excitaverit, facile inducitur ex concursu nobilium ac potentum, qui ad eum confluebant, proprias voluntates cum facultatibus abdicaturi & Christo Domino servituri. Hac virtutum ejus & discipulorum fama excitus inter cæteros nobilis quidam Aurelianensis, nomine Eucherius, relicta domo rebusque omnibus ad eum confugit, atque anno 714, inter nongentos monachos * vitam monasticam sub ejus disciplina tam perfecte aggressus est, ut Suavarico episcopo mortuo, Aurelianenses sui eum procul degentem, invitum & reluctantem, adhibita Caroli Martelli auctoritate, expetierint impetrarintque episcopum. Anno etiam 718, sub ejusdem magisterio, sanctus Hugo se in Dei cultum mancipavit. Obiit Coschinus sub finem anni 723.

* t. III, p. 0.

IV. Hugo Drogonis Campaniæ ducis filius, Caroli sagacissimi principis nepos, ex monacho Gemeticensi Rotomagensis archiepiscopus & Fontanellensis abbas, Parisiensem simul & Bajocassinam ecclesias tenuit, non perversæ cupiditatis causa, aut aliquo sæculari fastu, sed ad procurandam earum ecclesiarum utilitatem, cum spiritualem, tum temporalem. Hujus cœnobii post Coschinum regimen suscepit anno 724, & in eo perseveravit ad annum 730, quo cursu vitæ laudabiliter expleto, decessit VI idus Aprilis. Corpus ejus sepulturæ traditum est in ecclesia beatæ Mariæ, cui fiscum Apuliacum in territorio Rotomagensi, fiscum Segiam in Caletensi, Belniacum & Ambliniacum donaverat.

V. Hildegarius Gemeticensi monasterio præfuit statim a morte S. Hugonis, cujus & socius & discipulus extiterat. Eo moderante anonymus Gemeticensis monachus libellum de vita sanctæ Austrebertæ scripsit.

VI. Droctegangus abbatiæ clavum moderabatur anno 753, quo valide ab Aistulfo Longobardorum rege civitas & provincia Romanorum opprimebantur. Eo siquidem anno per Droctegangum abbatem Gemeticensem, Pippinus Francorum rex, Stephano III summo pontifici misit in responsis omnem se prædicti sanctissimi papæ voluntatem ac petitionem adimpleturum. De eoque in Franciam post legationem remeante sic scribit idem pontifex : « Præsens Droctegangus abbas fidelis tuus missus, juxta « quod nobis locutus fuit, congruum per eum tuæ « sublimissimæ bonitati in ore ponentes remisimus « responsum, cui & in omnibus credere jubeas ». Romam iterum missus anno 758 ad Paulum I Stephani successorem, duas ab eo accepit epistolas in quarum prima de Pippini valetudine percontatur Paulus; in altera autem Carolum & Carolomannum hortatur ut majorum vestigiis insistentes fidem beato Petro præstent, & Romanam defendant ecclesiam. Conventui apud Attiniacum habito interfuit subscripsitque Droctegangus anno 765.

VII. Landricus occurrit abbas Gemeticensis anno 787, regnante Carolo magno, a quo jussus est cum Richardo comite summam rerum omnium Fontanellensis cœnobii annumerare. Anno sequenti idem Carolus imperator, Tassilonem Bajoariæ ducem, majestatis reum legibusque damnatum, commiseratione motus in sancti Nazarii monasterium retrusit, unde post concilium Francofurtense an. 794 Gemeticum translatus, ibidem cum Theodone sub Landrico sanctissime vixit. Gemetici utrumque obiisse constat licetque suspicari enervatos illos, ut vocant, in isto monasterio sepultos, quorum tumuli hactenus in oratorio sancti Petri visuntur, esse Tassilonem ipsum & Theodonem, qui cum regi suo rebelles fuerint atque ideo exulati, senili fabulæ materiam præbuerunt in his tumulis duos contineri Clodovæi II & Bathildis filios, qui ob defectionem a patre factam nervis debilitati, & in profluentem Sequanam impositi Gemeticum appulsi sint, eoque loci vitam finierint. Vide Mabillonium in elogio

historico Tassilonis, seculo tertio Benedict. part. II.

VIII. Adam Gemeticensi monasterio præerat tempore Ludovici pii anno 815, ut patet ex diplomate ejusdem imperatoris ad firmandam venerabili viro & monachis Gemeticensibus per universum Galliæ imperium immunitatem a quibuslibet teloneis. Hanc chartam rogatu Adæ concessam legesis in novo alphabetho Tironiano.

IX. Helizachar presbyter canonicus & cancellarius Ludovici pii, multis cœnobiis ea ætate præfuit titulo abbatis, ut mirari desinamus nostrorum temporum mores ab iis minime absimiles. Inter præcipua, quorum administrationem habuit, recensentur monasteria S. Albini Andegavensis, S. Maximini Trevirensis, S. Richarii Centulensis & S. Petri Gemeticensis, ad cujus regimen anno circiter 820, ob mutuæ, inquit Hariulfus, lib. III, cap. 4, Centulenses inter & Gemeticenses dilectionis fraternitatem, assumptus est. Helizachari meminit S. Benedictus in epistola ad monachos Anianenses, quibus Helizacharum ut patrem & amicum, ad quem semper recurrant, venerari præcipit. Ludovico pio triginta & amplius annis plurimum acceptus, post habitum Noviomagi conventum, ubi ex præcepto regis justitias fecerat anno 830, eidem suspectus ablatis abbatiis exulare jussus est. Ab exilio tribus post annis revocatus, ac S. Maximini apud Treviros monasterio restitutus ibidem e vivis circiter an. 837 migravit. Hunc esse arbitramur Helizacharum, cui præceptori suo Freculphus Lexoviensis antistes chronicum dicat, eumdemque de quo Agobardus, t. I, pag. 268; Balusius, lib. III Miscell. pag. 166. Amalarius in prologo libri de ordine antiphonario; & Hugo Menardus in concordantia regularum.

X. Angilbertus in elencho abbatum Gemeticensis monasterii post Helizacharum primus legitur.

XI. Ansegisus ex Sammarthanis innotescit, sed nullo alio hactenus testimonio comprobatur: imo Helizacharo successisse Fulconem satis verisimile, nisi forte Angilberto & Ansegiso libera cancellarii abdicatione cesserit abbatia.

XII. Fulco archicapellani munere insignitus anno 830, Gemeticensis abbatiæ sedem anno sequenti adeptus est ex D. Martino *Bouquet*, t. 6. Collect. script Gall. pag. 216. Indeque evocatus, jussu Ludovici pii Remensem ecclesiam & abbatiam S. Remigii administrandas accepit.

XIII. Ricbodo discedenti Fulconi suffectus est anno 833.

XIV. Baldricus successit anno 836.

XV. Heribertus vacanti per obitum Baldrici Gemeticensi monasterio præfectus est. Laudatur a Mabillonio, t. II, p. 589. Pippini regis Aquitaniæ præceptum obtinuit, quo rex summa devotione genitorisque sui Ludovici-Augusti dirigentibus monitis commotus, abstractas Gemetico possessiones, quas vel suis attribuerat, vel ipse sibi aut genitor præripuerat, videlicet in comitatu Toarcense villam Tordiniaco & in comitatu Andegavino manentes sex liberaliter restituit 9 cal. Maii, indictione prima, an. 24 imperii Ludovici serenissimi Augusti, regni autem sui 23, id est 23 Aprilis an. 837.

XVI. Theodericus interfuit an. 843, indict. 7, regnante Carolo Calvo, generali episcoporum ac procerum conventui in villa Germiniaco, ad quam accedens venerabilis Herircus abbas Corbionensis monasterii, a patribus ejus synodi petiit pro suo monasterio obtinuitque synodales literas quibus Heribertus subscripsit.

XVII. Rodulphus Caroli Calvi avunculus, frater Judith imperatricis quam a Bajoaria in Franciam secutus fuerat, anno 830 velata sorore & in monasterium detrusa, ipse a Lothario & Ludovico patri rebellibus in Aquitaniam Pippino regi servandus mittitur. Mortuo Ludovico pio, a quo & revocatus ab exilio fuerat & pristino gradui restitutus, secessit in abbatiam Centulensem, quam anno 844 vir egregius tam divina philosophia quam sæculari prudentia ornatissimus ita strenue gubernavit, ut defuncto Theoderico monachi Gemeticenses abbatem sibi elegerint & obtinuerint. Argumenti satis est ipsum inter & monachos bonorum partitio, quam Carolus confirmavit in Carisiaco palatio, rogatu monachorum & Rodulphi avunculi sui Gemeticensis abbatiæ rectoris 7 cal. Martii, indict. 12. an. 849. Habes hoc diploma in cartario Gemeticensi & in appendice, t. II, annal. Bened. pag. 754.

Eodem fere tempore Danica gens e suis finibus jam dudum egressa, Rotomagum irruit, cunctaque inibi ferro igneque depopulatur. Quod cum rescivissent monachi Gemeticenses, quædam suarum rerum sub terra occulentes, quædam secum asportantes, fuga lapsi Deo juvante evaserunt. Peracta autem Rotomagensi clade, Sequanica aggrediuntur ora barbari, destructisque hinc inde tum cœnobiis tum ecclesiis, Gemeticense monasterium tunc vacuum obsident, succendunt & in solitudinem redigunt anno Incarnationis Dominicæ 851. Hac itaque peracta eversione, inquit Guillelmus Gemeticensis, lib. I, cap. 6, « locus, qui tanto honoris splendore diu viguerat, exturbatis omnibus ac subversis domibus, cœpit esse cubile ferarum ac volucrum ». Non defuere tamen his temporibus, qui vel ob immensas monasterii possessiones, vel etiam veræ pietatis in monachos qui Haspras Cameracum inter & Valentianas recesserant intuitu, titulum abbatis aut ambierint aut oblatum acceperint.

XVIII. Gauslinus idem fortasse qui sancti Germani monasterium regebat, Gemeticensis memoratur abbas in præcepto Caroli Calvi pro commutatione inter Gauzlinum Gemeticensem abbatem commendatarium & virum illustrem Warnarium facta de quibusdam prædiis in pago Vilcassino. Actum ad insulas super Matronam in expeditione hostili, pridie cal. Feb. indict. 10, an. 22, regnante Carolo gloriosissimo rege; hoc est 31 Januarii 862, quo Rodulfus abdicatis abbatiis cœlestem vitam agebat in monasterio sancti

sancti Richarii, ubi passione colica hominem exuit anno 866. Gausslinus episcopus Parisiensis factus vixit ad annum 886. Huic successere.

XIX. Codimus.

XX. Ludovicus.

XXI. Velpo seu Guelfo, quem veteres catalogi in devastatione monasterii sub Hastingo Normannorum duce cum nongentis monachis occisum ferunt; sed qui audiendi sint patet ex supra dictis.

XXII. Martinus quem Dudo necnon Mabillonius noster *Sanctum* appellant, restaurato Guillelmi Longæ-Spatæ curis & munificentia Gemeticensi monasterio, adductis secum a S. Cypriano Pictaviensi duodecim monachis, prælatus est anno 940. Interea piissimi restauratoris studio & diligentia, Martino & monachis ejus, quorum numerus in dies augebatur, restituta sunt Gemeticum & quidquid ad illud pertinere videbatur in pratis, vineis, silvis & piscariis, cum ecclesia Ennevillæ & Masnili quod dicitur Tractus, Davidi villa & Durclarum cum omnibus appenditiis suis & molendinis, tertia pars S. Martini de Spineto in omnibus terris & ecclesia, molendinum unum apud Calidobeccum, Nutrivilla super Sequanam, portus in eadem Sequana qui dicitur Tutus, Quelibos, Vamburgum cum ecclesia & portu, & teloneo & quidquid ex iis ad fiscum pertinere potest, Goyacus & Valsiardum, & alia plurima quæ expenduntur in carta Richardi II Normannorum ducis. Guillelmo e vivis maturius sublato, cum sibi in Gemeticensi monasterio, quod tribus annis pie ac sancte rexerat Martinus successorem elegisset, proprium S. Cypriani monasterium redux, ibidem anno sequenti 943 diem clausit supremum. Vide Tom. II Galliæ Christianæ, col. 1231.

XXIII. Anno seu Anna Miciacensis monachus, ob liberiorem suorum vivendi rationem, primum Haspras in Cameracensi agro, tum Gemeticum ad B. Martinum confugit, cui discedenti ad restaurandum S. Johannis Angeriacensis monasterium, omnium calculis suffectus est. Hujus abbatis temporibus regularis ordo a prædecessore restitutus ferventissime viguit. Per hunc enim venerabilem patrem monachi sub strictæ regulæ palæstra custodiebantur sacrarum litterarum studiis, labore manuum ac divina contemplatione exercitati. Verum non multo post Alberti & Azenerii, qui fratrem suum propius habere cupiebant, precibus & lacrymis Aureliam evocatus atque ab Ermentheo episcopo Miciacensi abbatiæ commissus, Gemeticenses orphanos reliquit, sibique non reversuro successorem eligendi liberam tradidit potestatem. Vide Mabill. act. SS. Bened. sæc. v, pag. 362.

XXIV. Rodericus Gemeticensis monachus idem monasterium procuravit an. 944. Homo valde idoneus multo vixit tempore ex veteribus syllabis Gemeticensium abbatum, sed nulla ejus gesta nobis nota sunt. Nondum e vivis excesserat an. 983. Annal. tom. IV, pag. 16.

XXV. Robertus eo nomine primus tempore Richardi primi Normannorum ducis præerat circa an. 986; commutationi de Tortoniaco & Longa-villa inter Gemeticenses & Burgulienses monachos factæ anno 1012 una cum quatuor monachis subscriptus legitur. Obiit anno 1014, quo ei successit

XXVI. Theodericus beati Guillelmi Divionensis discipulus, patria & ipse Divionensis, & ab eo prior Fiscanni quod reformaverat constitutus. Inter testes apponitur diplomati Richardi II Normannorum comitis pro Carnutensi sancti Petri monasterio. Memoratur etiam in chronico Cameracensi, lib. II, cap. 29 an. 1024 Haspren sem cellam Gemeticensibus hactenus subjectam, Anglicuriæ villæ pagi Belvacensis permutatione facta, Vedastinis cessisse; quod & Aubertus Mirræus ex notis Ludovici abbatis refert in diplomat. Belgicis, tom. I, cap. 31. Idem an. 1027, mense Augusto, indictione octava, regnante Roberto Francorum rege an. 38, privilegium accepit ab eodem Richardo pro confirmatione & tuitione omnium Gemeticensium bonorum, quæ vel ipse vel antecessores sui B. Mariæ sanctoque Petro tradiderant, ex autographo Gemeticensi. Laudatur adhuc in charta Drogonis Ambianensis patriæ comitis pro restitutione Genestæ villæ, quam Robertus abbas, urgente sæcularium militia, Valtero prædicti Drogonis avo, ut ex ea terra sibi fieret contra adversarios advocatus, commiserat; sed mundanæ legis succrescente usu superfluo, cœpit illa diversi census innumero ritu ad votum advocatorum fatigari; unde vir bonæ memoriæ Theodericus abbas miseriæ incolarum condolens, & eam intima compassione ferens, comitem adiit, suisque precibus tantæ superstitionis abdicationem ea lege obtinuit, ut tres monachos in prædictæ Genestæ villæ monasterio assidue futuros deinceps permitteret. Actum apud castrum Mellantum anno ab incarnatione Domini 1030. Hic ad monachatum recepit sanctum Theodericum, qui postea factus est primus abbas Uticensis. Huic & Albertus dives senioris Alberti filius & Annonis nepos vetus Vernolium, quod monachus Gemeticensis cum prioratibus Domnæ-Mariæ in pago Belismensi & S. Martini de Boafla in Pinceliaco donaverat, Miciacensis abbas confirmavit. De eo agunt chronicon sancti Benigni Divionensis, spicileg, tom. I, pag. 44. Ordericus Vitalis & Mabillonius tomo IV annal. passim. Fato functus est circa finem anni 1027, vel saltem ineunte 1028, ut liquet ex præcepto Roberti regis pro successore, cui subscribunt Henricus rex non ante annum 1027 coronatus, & Richardus III Normannorum comes, quem anno sequenti constat veneno sublatum.

XXVII. Guillelmus I, ex priore Gemeticensi abbas electus, laudatum privilegium accepit apud Silvanectensem urbem pro restitutione Montiteræ terræ quam Albertus Cretellensis castri dominus violenter invaserat. Aliud præceptum obtinuit a Valeranno Mellenti castri comite, qui ob quasdam sui patrimonii possessiones

in Normannicis partibus a Roberto duce ablatas, A ut illatam compensaret injuriam, S. Martini alodium de quo superius, suæ ditioni subjecerat. Quod Albertus Miciacensis abbas necnon pater Gemeticensis cœnobii Guillelmus audientes, comitem illico adierunt, datisque decem nummorum libris, ab eo impetrarunt ut prædictus locus nunquam per eum nec per suos heredes ac eorum successores exinde detrimentum sustineret. Acta est hæc descriptio Henrici regis temporibus, an. circiter 1033. Superstes fuit ad annum 1037.

XXVIII. Robertus II dictus *Champart*, Guillelmi consanguineus & ab eo successor designatus, ex monacho Gemeticensi in abbatem B assumitur anno 1037. Recensetur vir alti ingenii consiliique Robertus in charta Willelmi comitis territorii quod nuncupatur Talohu, gallice *le Talou*, qua prædictus comes pro Willelmi ducis salute animæque suæ & Hugonis Bajocensis episcopi redemptione Deo ac S. Petro monachisque illius in Gemetico monasterio partem silvæ Brothonii concedit anno 1038. Robertus quidam assentientibus filiis anno 9, regnante Henrico rege, huic abbati alodium dedit in pago Ebroicensi prope Valsiardum, loco *de Cupinne*. Curis ejus & parcimoniæ tribuitur novæ Dei Genitricis basilicæ constructio, cujus fundamenta an. C 1040 jecit, atque ad eam perficiendam quidquid ubique acquirebat delegavit. Exulabant per id tempus in Normannia Alfredus & Eduardus Eteldredi regis Angliæ, non Canuti, ex Emma filii, queis Robertus in quantum poterat adjutorium impendit. Cujus beneficii memor Eduardus, cum in Angliam, mortuo fratre an. 1043 rex coronandus rediret, eum secum abduxit, regiisque consiliis ita adhibuit, ut Robertus solio tenus a rege differret. Seq. anno Alvodo in sede Londinensi subrogatus, Gemeticensi monasterio multa contulit ornamenta cum sacramentorum libro aliisque innumeris codicibus in bibliotheca D huc usque asservatis. Cantuariensem demum ecclesiam adeptus, vix biennio tenuerat, cum per Godvinum comitem quasi statum regni ipse suique conturbarent insimulatus, pro sua causa sedem apostolicam appellavit anno 1052. Peracto autem itinere, acceptisque litteris commendatitiis, Gemeticum rediens morbo correptus ibidem interiit. Jacet in sanctuario ad latus sinistrum majoris altaris ecclesiæ quam ipse exstruxerat.

XXIX. Godefridus eidem Roberto Londinensi præsuli ordinato successerat anno 1044. Eodem Godefrido abbate Rogerius de Monte- E gomerii confirmavit donationem quam quidam ejus fidelis Goisfredus nomine, filius Gotzelini *Stantuin*, præsentem vitam omnimodo despiciens, futuramque acquirere desiderans, Spiritu sancto inspirante, Gemeticensi cœnobio fecerat de quodam alodio suo apud villam Fontanas in ditione ipsius Rogerii sito, cum monachicum Gemetici habitum susciperet. Pro cujus donationis libertate & immunitate accepit Rogerius a Godefrido illius loci abbate & ab ipso Goisfredo unum equum triginta librarum necnon unum *Halbere* septem librarum. Hæc eruimus ex authenticis literis hac de re, absque temporis quidem nota, sed non serius anno 1049 confectis, ut inferius patebit.

XXX. Robertus III Godefridi successor occurrit anno 1050 quo Robertus de Grentemaisnilio & Hugo germani fratres, instaurato Uticensi monasterio acceptaque eligendi abbatis licentia, Gemeticum se contulerunt, & a domno Roberto ejusdem ecclesiæ abbate, Theodericum monachum ad abbatiæ suæ regimen exquisierunt, Uticumque una cum Rodulfo & Hugone cantore aliisque idoneis fratribus, permissu patris adduxerunt *. Privilegium immunitatis a quocumque teloneo & consuetudine apud Mellentum obtinuit Robertus ab Hugone Galeranni filio ejusdem loci comite an. 1056, mense Octobri. Idem abbas & cuncta Gemeticensis congregatio anno 1060 terram *de Littehot* Hugoni cuidam de Monteforti quandiu viveret gratis tradidere. Perfectam hoc anno 1067 sanctæ Mariæ basilicam Robertus dedicari curavit a Maurilio Rotomagensi archiepiscopo, assistente Balduino Ebroicensi antistite & Guillelmo Normannorum duce calendis Julii. Regnante Philippo Francorum rege anno 1077, Galterius quidam Paganus nomine eidem Roberto abbati decimam dedit vinearum in parochia S. Petri de Mesiaco, & pretium quod solebat a Gemeticensibus exigere pro palo seu paxillo a quo navis sive baccus eorum religabatur. Non ergo audiendi sunt qui Mabillonio persuasere Guntardum ab anno 1072 Gemeticense monasterium procurasse. Sub utroque floruit Guillelmus Gemeticensis Normannorum historicus.

* Ord. V. lib. III, p. 461.

XXXI. Sanctus Guntardus ex Fontanellensi cœnobio electione sapientum assumptus, juxta Ordericum Vitalem, lib. IV, pag. 529, post obitum Roberti Gemeticensibus rector datus est circa annum 1078. Spiritualis doctrinæ pabula commissis ovibus studiose impendens, ordinisque monastici rigorem viriliter tenens, mansuetos & obedientes ut pater filios mulcens honoravit, in reprobos autem & contumaces regulæque contemptores ut severus magister disciplinæ virgam exercuit. Anno ab incarnatione Domini 1086 convenerunt idem Guntardus & Fulco Miciacensis abbas ante Robertum de Belismo ad finiendam in curia prædicti Roberti calumniam quam de domna Maria adversus Gemeticenses Fulco moverat. Hujus placiti judices fuere Robertus abbas Sagiensis, Mainerius abbas S. Ebrulfi, Johel abbas S. Petri de Cultura, Olivarius de Merlo, Rainaldus de *Nonan* laici, aliique complures, quorum judicio decretum est ut abbas S. Petri Gemeticensis antiqua possessione frueretur. Hoc judicium factum est in Dominica sequente Pentecosten prædicti anni ex autographo. Anselmi Beccensis, qui Guillelmo morienti præ infirmitate adesse non poterat, vices supplevit Guntardus, prope regem excubans, salutaribusque monitis animæ ipsius saluti invigilans, donec

v idus Septembris anni 1087 animam exhalaret. De Guntardo iterum agit Ordericus Vitalis lib. VII, dum illustriores recenset prælatos, qui eo tempore Neustriam incolebant. Migravit autem in cœlum anno 1095, VI calendas decembris, tempore concilii Claromontani in Arvernia cui præsens aderat, ordinatis vel etiam directis ante concilium ad regimen monasteriorum Montisburgi & Divensis Urso subpriore & Etardo Hortulano quem Mabillonius Galterium vocat, Annal. tom. V, p. 296.

XXXII. Tancardus, soluto Claromontensi concilio, Fiscannum redux, ubi prioris officium gerebat, beato Guntardo subrogatus est anno 1096, agente Guillelmo rege, qui tunc, absente fratre Roberto, Normanniam moderabatur. An. sequenti propter quorumdam hominum improborum temeritatem, qui majorum suorum dicta vel facta quodam protervæ mentis annisu tentant depravare aut ex toto in nihilum redigere, ad perpetuam rei memoriam membranis tradidit quomodo quidam miles Odardus nomine a sanctis Jerosolymorum locis rediens, quoddam suum alodium infra terminos Longævillæ constitutum, præsente fratre suo Richardo cæterisque parentibus Gemeticensi cœnobio priusquam ibi monachus efficeretur ea lege concesserit, ut ex eodem alodio extra censum Gaudefridus haberet unum quartarium vineæ cum sex caponibus & duobus solidis annui reditus. Quam membranam ipse Richardus cui residuum hereditatis Odardi contingebat, manu propria subscriptam super altare sanctæ Mariæ imposuit ipso die nativitatis sancti Johannis-Baptistæ. Eidem abbati restituit Gilbertus Roberti archidiaconi Ebroicensis filius ecclesiam de Roveriis cum duobus hospitibus an. 1099. Post hanc restitutionem non diu Gemeticensibus præfuit Tancardus, dictus Leo ab Orderico Vitali, lib. IV, p. 529. Orto enim inter ipsum & monachos probroso tumultu cum infamia recessit.

XXXIII. Ursus Rotomagensis ad abbatiam Gemeticensem, cujus ab infantia monachus fuerat, expulso Tancardo promovetur circa annum 1101. In gratiam hujus abbatis Willelmus camerarius confirmavit donationem quam Fulco Millonis villæ fecerat de ecclesia & decimis ejusdem villæ, assentiente Adam prædicti Fulconis filio apud Tancarti villam anno 1105, XIII cal. Sept. Adfuit Ursus insequenti 1106 compositioni inter Fiscannenses & Ebroicenses monachos in hunc modum factæ ab Henrico Anglorum rege & Willelmo Rotomagensi archiepiscopo, ut Fiscannensi abbati liceret S. Taurini abbatiam tanquam propriam cellam sibi vindicare, abbatem tum eligendo, tum, ubi res exigeret, deponendo, ejusque loci monachos pro arbitrio mutando. Post annos quinque orta Rotomagi inter Pilatenses & Calloenses seditione, idem abbas & conventus viro cuidam nobili ex parte Pilatensium Claro nomine, quem summopere diligebant, Alveredi turrim sibi subjectam monasterio contulerunt, quandiu bellum vigeret.

A Anno 1118, indictione II nonis Octobris interfuit Ursus Rotomagensi concilio, ubi rex Henricus de pace regni cum Radulfo Cantuariæ archiepiscopo aliisque baronibus tractavit; Goeffredus vero Rotomagensis archiepiscopus cum quatuor suffraganeis & abbatibus multis de statu ecclesiæ Dei locutus est. Idem anno sequenti Herberto in Hauvillæ plaga vadimonium cessit sub annuo censu sexaginta solidorum. Legitur in ejus epitaphio quod res ecclesiæ sic intus & extra rexerit, ut nulli causam dederit murmuris, quodque a recto justitiæ tramite nunquam deflexerit. Exstinctus est lugentibus fratribus & populo die
B 27 Octobris an. 1127, jacet in capitulo ante pulpitum ejusdem loci.

XXXIV. Guillelmus eo nomine secundus ex monacho Gemeticensi ejusdem cœnobii abbas comperitur inter abbates qui anno 1128 alteri concilio Rotomagensi cum Neustriæ prælatis adfuerunt, præsidente Matthæo Cluniacensi monacho, Albanensi antistite & ecclesiæ Romanæ legato. Hoc ipso anno alodem apud S. Martinum de Boassa prope Meduntam accepit a Guidardo de Farcis milite, eo pacto ut sibi vel filio monasticum ordinem suscipere volenti liber tribueretur ingressus. Anno 1131, ipsum inter &
C Willelmum de Altaribus compositum est pro aggere Durclari; & anno 1134 idem Guillelmus abbas & omnis congregatio Gemeticensis concesserunt S. Martino Sagiensi & monachis Deo ibi servientibus ecclesias de Poteria & de Seran cum terris & decimis & omnibus ecclesiastico jure ad eas pertinentibus, reddentibus sibi Sagiensibus annuatim decem solidos in nativitate S. Johannis-Baptistæ. Sepultus est in capitulo versus sedem prioris.

XXXV. Eustachius sedit anno 1142, regnante Ludovico juniore, quem beneficum expertus est. Idibus Aprilis indict. X, Incarnationis
D Dominicæ an. 1147, pontificatus vero sui an. tertio, Eugenius III justis Eustachii postulationibus clementer annuens, Gemeticensem pagum cum omnibus monasterii possessionibus quas juste & rationabiliter possidebat, aut in futurum adipisci poterat, eidem monasterio confirmavit & sub beati Petri ac sua protectione suscepit, præsenti privilegio statuens ut obeunte Eustachio nunc præfati monasterii abbate vel quolibet ejus successore, nullus qualibet ibi subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regu-
E lam duxerint eligendum. Vixit ex Cenali ad an. 1153, & 1154 ex Roberto de Monte, capite IX.

XXXVI. Petrus I Monachus Cluniacensis innotescit successor Eustachii ex cessione cujusdam alodii apud Curbidam villam facta a Guillelmo Godefridi filio sub obligatione quindecim librarum anno 1155. Privilegia obtinuit Petrus priori omnino consimilia ab Adriano IV & Alexandro III anno 1156 & 1163. Jam a Roberto Carnotensi episcopo, laudante & con-

cedente Ludovico Francorum rege, an. 1158 sententiam obtinuerat adversus Robertum Drocarum comitem, quod in territorio *de Bu* Gemeticensibus subjecto castellum construxisset, atque ab eis nemus ejusdem villæ & medietatem manerii abstulisset. Idem, assentiente universo monachorum cœtu, Rogerio & Huberto Goscelini filio terram de Cruptis pro pretio quatuor librarum annuatim contulit die 24 Junii an. 1165. Denique anno 1169 diu ventilatæ inter monachos Gemeticenses & Hugonem *Brotin* controversiæ finem dedit ad placitum Ludovici Francorum regis adducto Hugone, qui metis ad juramentum triginta hominum interpositis, acceptisque triginta sex libris Parisiensis monetæ, quidquid juris in silvam terrasque cultas & incultas Genestæ villæ habere se contendebat, assentientibus heredibus penitus dereliquit. Ergo chronicon Beccense depositionis ejus diem perperam notavit ad annum 1166. Hujus abbatis tempore scripsit Arnulphus Lexoviensis ad Adrianum papam super negotio Gemeticensi a se confecto, monasterium antiquum & nobile miserabiliter in temporalibus & spiritualibus defecisse, tantumque inter abbatem & monachos omnes, exceptis tribus vel quatuor, zelum exarsisse, ut in omne tempus de reformanda inter eos concordia desperetur: quod quam leviter assertum, divina propitiante clementia dissimilis probavit eventus.

XXXVII. Rogerius, viam universæ carnis ingresso Petro, suffectus est monachus Beccensis, Deo & regibus gratissimus. Gemeticensi ecclesiæ ejus temporibus multa evenerunt bona tum spiritualia tum temporalia, ut constat ex chartis Guillelmi de Mantevilla an. 1171, Ludovici Francorum regis, Richardi de Vernone & Guidonis de Rupe an. 1174. Obiit ex Cenali an. 1176, anno vero 1178 ex Roberto de Monte. In capitulo quiescit versus sedem prioris.

XXXVIII. Robertus IV de Argentiis ex cellerario Gemeticensi ad abbatiæ regimen promovetur circa annum 1178. Sane memoratur abbas ab archiepiscopo Rotomagensi in collatione ecclesiæ de Turbida villa ad Roberti & conventus præsentationem anno 1181. Cum vero 1182, regnantibus Philippo Francorum & Henrico Anglorum regibus, inter Robertum abbatem & Geroium bastardum de quibusdam rebus ad domnam Mariam pertinentibus quæstio verteretur, idem abbas consilio, assensu & voluntate Rotrodi Perticensis comitis acquisivit ab eodem Geroio ducentis & viginti libris quidquid habere se in prædicta villa contendebat. Eidem abbati & monachis Gemeticensibus ad colendum & exstirpandum vel quodlibet aliud faciendum, medietatem nemoris Genestæ villæ partitus est Galterus de Corcellis Vilcassini conslabularius, & ad voluntatem regis Francorum Philippi junioris tradidit VII calendas Sept. an. 1186, salva in alteram partem dominatione & justitia Gemeticensis ecclesiæ. Anno sequenti, pridie nonas Octobris agitata & finita est causa inter Henricum Fiscannensem & Robertum Gemeticensem

A abbates ea lege ut Fiscannense monasterium pro omni immunitate præstationis decimarum in Longavilla, singulis annis duos modios vini Gemeticensi cœnobio persolveret. Denique in charta archiepiscopi Rotomagensis anno 1188 exarata legitur Guillelmum quemdam clericum commisisse ecclesiæ S. Paterni de se & monachis habendæ & tenendæ sub antiquis consuetudinibus. Decessit IV idus Junii 1190.

XXXIX. Rogerius II, Gemeticensis cellerarius ejusdem loci abbas eligitur pridie idus Julii anno 1190, quo ei & monachis ejus Nicolaus de Lunda dedit in perpetuam eleemosynam tres
B solidos Andegavenses annui reditus quos habebat in domo apud Rotomagum sita in vico S. Stephani. Obiit anno sequenti IV cal. Novemb.

XL. Richardus I de Mara ex monacho regimini admotus est anno 1191, XVII calendas Januarii. Transegit apud Rotomagum in curia gloriosissimi Richardi Anglorum regis an. 1192 cum Adam de Varvenna super injuriis & damnis sibi & conventui in Belnaico tractu illatis, summque jus licet assertum pro tenemento de *Sauchantot* cum omnibus pertinentiis suis dimisit, ex archivo. Hanc autem compositionem eodem anno apud Gemeticum Rogerius de Mortuomari,
C testibus Valtero Rotomagensi archiepiscopo, Henrico Bajocensi, Willelmo Constantiensi & Garino Ebroicensi episcopis, confirmavit ac sigilli sui impressione cum eodem archiepiscopo & Richardo abbate munivit. Aliam querelam adversus Guidonem de Boquenneio & fratres ejus super cultura & marisco apud Genestæ villam in præsentia Hugonis *de Maldestort* constabularii Vilcassini diremit an. 1193, in die Purificationis sanctæ Mariæ. Laudatur adhuc cum Alexandro priore in chartis Guillelmi de Hirvilla & Henrici de Altaribus. Plenus dierum in pace quievit an. 1198, ipso die festo SS. Fabiani & Sebastiani,
D ex tabulis manuscriptis domini *Marete* advocati generalis in camera computorum.

XLI. Alexander prior Gemeticensis & doctor multiscius ac magnæ eruditionis, an. 1198 idib. Februarii creatus abbas, Dominica prima quadragesimæ consecratur. Eodem anno, ex tabula domini *Marete* jam a nobis superius laudata, rex Richardus cum celebrationi Pentecostes Gemeticis interesset, ad petitionem prædicti Alexandri abbatis dedit ecclesiæ Gemeticensi mercatum apud Durclarum qualibet septimana die Martis habendum cum libertatibus & consuetudinibus quæ ad alia fora Normanniæ pertinent,
E & chartam fieri præcepit, quæ hactenus in archivo servatur. Ipse pro excambio Pontis archæ Contevillam dedit, quam anno sequenti, mortuo Richardo, Johannes frater ejus Pontem archæ monachis restituens dominio suo iterum subjecit. Hoc ipso anno contulit Ansquetillus *de Cotevrard* Alexandro abbati & Willelmo ejusdem ecclesiæ priori terram suam de Gara ab eodem priore ejusque successoribus ad præsentationem abbatis in perpetuum tenendam, dummodo ipsummet Ansquetillum infra leucam a *Cotevrard* defunctum

audientes, ad suam ecclesiam deferri curent, idemque pro ipso quod pro fratre ageretur, fieri præcipiant. Insequenti anno Juliana uxor Roberti Peregrini cum duobus filiis ecclesiæ Gemeticensi dedit beneficium quod habebat in parochia S. Paterni supra Durclarum cum hominibus, terris, bosco, obventione, & quibuslibet pertinentiis, pro quibus omnibus accepit ab Alexandro abbate quadraginta libras Andegavenses & quadraginta solidos annui reditus per manum abbatis in festo S. Remigii percipiendos. Dedit & Reginaldus Boloniæ comes pro remedio animæ Alberti genitoris sui Dammartini comitis ante altare sanctæ Mariæ apud Gemeticum sepulti x cal. Octob. undecim libras annui reditus communis monetæ apud Lislebonam in feodo *Vasquet;* abbas vero Alexander & conventus ultro concesserunt ut sint universi & singuli fratres & participes omnium in ecclesia Gemeticensi beneficiorum. Elapso quinquennio, Martinus S. Andreæ Rotomagensis presbyter ab Alexandro designatus antiquam viginti solidorum pensionem in præsentia Richardi S. Salvatoris presbyteri recognovit, nullaque ordinationis suæ causa præter dictam ecclesiam a monachis amplius extorquere tentaturum, præstito tum a se tum ab amicis sacramento affirmavit. Varia insuper a variis excepit dona annis 1206, 1207, 1208, 1211 & 1213 mense Maio. Scripsit epistolam ad R. quemdam, ut putamus, monachum, de verbis Salvatoris : *quem dicunt homines esse filium hominis.* Hanc videre est tomo I anecdotorum domni Edmundi *Martene* col. 777. Vinculis carnis absolutus est mense Maio anni 1213.

XLII. Guillelmus III *de Revanchon* ex rectore S. Martini de Boafla & priore claustrali abbas legitur in charta Jordani Lexoviensis episcopi super decimis essartorum silvæ de Londa apud Wiffrevillam data anno 1213 coram episcopo Constantiensi & cantore ejusdem ecclesiæ, judicibus a summo pontifice delegatis. Testis est cum Rogerio S. Audoëni abbate an. 1217 in charta Renaldi Gemeticensis præpositi, qua Roberto fratri suo jus omne quod in terris & reditibus habebat apud Annevillam relaxat. Eidem abbati anno 1218 mense Martio licentiam fecere canonici regulares ecclesiæ sancti Laudi Rotomagensis, annuente Roberto archiepiscopo, exstruendi in hospitio de Poterna oratorium seu capellam, in qua missas tam pro suis hominibus quam pro civibus celebrare possent monachi, reservatis ecclesiæ parochiali civium oblationibus & jure paschalis communionis. Hoc ipso anno VIII calendas Maii coram Richardo Rotomagensi decano & Henrico cantore auctoritate apostolica suffultis juraverunt Ranulfus de Luzerna & Willelmus ejusdem villæ presbyter injuste per triennium a solutione viginti solidorum, quos ab antiquo ex eleemosyna Christianæ de Luzerna abbas & conventus Gemeticensis percipere solebant, cessasse; datoque præcepto in posterum se reddituros spoponderunt. V idus Februarii anno 1220 huic abbati restituit Villelmus patronatum

A ecclesiæ de Turovilla, quem inspectis titulis Gemeticensi monasterio competere cognoverat. Eodem anno Guillelmus abbas veteris Vernolii castrum Drogoni *de la Vilette* ad vitam concessit. Extant & aliæ plurimæ chartæ in quibus fit mentio Guillelmi abbatis, anno scilicet 1223 mense Maio, & v idus Februarii 1227, quibus supersedeo. Non tamen omittendum illud Gregorii IX privilegium, quo quieti abbatis & conventus de Gemeticis tanto libentius providere cupiens, quanto eos studiosius divinæ contemplationi, jejuniis & orationibus vacare cognosceret, auctoritate apostolica vetat, ne ulli unquam amplius sive clerici sive laici homines B ultra duas diætas a monasterio in causam eos possint trahere per literas a summis pontificibus impetratas, nisi ipsæ literæ de præsenti indulgentia fecerint mentionem. Datum Reate VI calendas Martii, pontificatus Gregorii an. 5, id est die 24 Februarii anno 1231. Vitæ finem accepit Guillelmus *de Revanchon* circa annum 1234, jacetque in capitulo ante sedem prioris.

XLIII. Guillelmus IV monachus Beccensis ex abbate S. Taurini Ebroicensis, Gemetici possessionem initurus juravit in verba Rotomagensis archiepiscopi, anno prorsus incerto, nisi C de eo intelligenda sit pactio quædam Guillelmi Gemeticensis abbatis cum veterinario seu mareschallo, quem comitem sibi dederat mense Maio anni 1234. Sane occurrit abbas anno 1241 in charta Joscelini Vintoniensis episcopi super decimis cujusdam parochiæ in Anglia, quas ex integro Guillelmo & monachis Gemeticensibus adjudicat. Quandiu huic assertioni superstes fuerit penitus incompertum.

XLIV. Guillelmus V ex monacho Gemeticensi abbatiale munus obire cœpit an. 1245, vel etiam 1247, ut palam fit ex jurejurando coram vicariis generalibus, vacante sede Rotoma-D gensi, a se præstito, quod his duobus annis solum competere manifestum est.

XLV. Robertus V *d'Estelant* juravit in verba Odonis *Rigaut* Rotomagensis archiepiscopi, quem sedisse constat an. 1247 dominica quarta in tempore paschali. Renuntiatur abbas in instrumento quod ipse fieri jussit anno 1251, in gratiam Richardi, cui domum *de Neuvilette* cum terris adjacentibus sub annuo sexaginta solidorum reditu conferebat.

XLVI. Richardus *de Bolville* eo nomine secundus memoratur abbas in præsentatione ecclesiæ parochialis S. Albini de Croismara die 23 E Junii an. 1265. Eidem abbati evolutis aliquot annis abdicanti iterum succedit Robertus, quem novi altaris, quale nunc visitur, auctorem faciunt manuscripti codices an. 1278. Die vero Martis ante assumptionem beatissimæ Virginis Mariæ an. 1281, Guillelmo Uticensi & monachis ejusdem cœnobii literas societatis indulsit. Jacet in capitulo sub tumba nigri coloris non scripta ex martyrologio Gemeticensi; Richardus autem in inferiori parte ante pulpitum.

XLVII. Johannes I de Toto, gallice *du Tot,*

vir prudens atque fidelis, Gemetici rector nuncupatur anno 1288 mense Januario in literis Guillelmi abbatis totiusque Fontanellensis conventus, quarum tenore certum esse volunt, quod inter ipsos & religiosos eximiæ sanctitatis viros dominum Johannem divina providentia Gemeticensis monasterii abbatem & ejusdem loci conventum, quos loci propinquitas, habitus & religionis identitas, necnon hypothetica bonitatis & famæ suavitas sibi & universis excellentius reddebant amabiles, imo & omni laude dignissimos, concorditer extiterit ordinatum ac inviolabili confirmatione institutum, ut abbates & conventus utriusque monasterii tam præsentes quam futuri indissolubili charitatis vinculo astricti per omnia sint unum, unus conventus, unum capitulum idemque collegium, concedentes & irrevocabiliter acceptantes quidquid unitatis, societatis & fœderis permittit religio. Requiescit in capella sanctæ Mariæ Virginis.

XLVIII. Guillelmus VI de Becqueto abbas Gemeticensis sententiam obtinuit an. 1302 adversus Andream *de Comserant* pro patronatu ecclesiæ S. Martini *de Hotot-Lauvrai*, quem dictus miles non tam jus suum prosequendo quam monachos persequendo vindicare sibi damnabiliter intendebat. An. 1306 Guillelmus abbas archiepiscopo Rotomagensi ad solvendas regi decimas, quarum defectu ecclesiæ Rotomagensis patrimonium in manu sua rex posuerat, 333 libras, elapsoque triennio 750 opportune commodavit, hujusque mutationis literas ab archiepiscopo & vicariis generalibus accepit sabbato post festum translationis S. Benedicti. In diebus suis genti suæ bona assidue quæsivit, cellas fratrum renovavit largissimamque successori suo pecuniam reliquit. Sepultus est anno 1311 in capella S. Johannis evangelistæ.

XLIX. Godefridus II dictus *Pignes* post obitum Guillelmi præfuit duobus fere annis, uti notatur in inventario de rebus monasterii ejus successori exhibito anno 1313. De eo fertur quod Domino servire semper paratus fuerit, monachis placidus & benefidus, vagantes & male stantes non tolerans, revertentes autem amanter recreans. Mortem occubuit an. 1313, sepultus in capella S. Stephani protomartyris.

L. Matthæus *Cornet* totius congregationis electione ad regimen monasterii vocatus, a fratre Thoma de Herincia tunc priore 377 libras, quas in camera prædecessoris repererat, accepit anno 1313. Per id tempus inter ipsum & Philippum *de Clere* ejusdem villæ baronem mota est de quibusdam in decimas Varengevillæ & Follendicuriæ juribus controversia, quam die Veneris ante festum S. Andreæ an. 1320 transactione diremit. Recensetur abbas in scripto signis testium & tabularii consignato pro locatione horti ab ipso & conventu facta apud S. Albinum *de Boisnormand* die 22 Februarii an. 1325. Ex hominum vita demigravit anno 1327, die Martis post festum sancti Barnabæ apostoli, lugentibus monachis & populis quibus bona quam plurima contulerat. Jacet in sacello beatæ Mariæ Virginis.

LI. Robertus VI *de Bordaux* monachus Gemeticensis, occurrit abbas eodem anno & mense quo e vita discessit Matthæus. Intranti sibi traditus est coram testibus index supellectilium monasterii, cum summa 3490 librarum. Fato functus est ineunte anno 1330, sepultusque in choro basilicæ S. Petri in latere dextro.

LII. Guillelmus VII, cognomento juvenis, ex monacho Gemeticensi memoratur abbas die Martis post Dominicam tertiam Quadragesimæ anno 1330, quo ei de more inventarium supellectilium & summam 4113 librarum frater Richardus de Calidobecco prior monasterii & conventus obtulerunt. Ex qua quidem pecunia ipse fratri coquinario triginta quatuor libras pro expensis in die obitus Roberti factis, viginti libras pro luminari, sex libras tabellionibus, centum solidos archidiacono Rotomagensi, totidemque clericis vicarii domini Rotomag. archiepiscopi, aliisque compluribus pro ratione dignitatis & laboris tradidit. Quod residuum erat, in hæc & illa opera contulit; maxime vero in basilicam S. Petri vitreis cancellandam fenestris, lapidibusque concamerandam. Reperitur idem abbas in tabulis accepti & expensi apud Gemeticum, quas anno 1338 die Jovis post festum Resurrectionis Dominicæ 16 mensis Aprilis deferri mandavit ad abbates Majoris monasterii & S. Florentii Salmuriensis a summo pontifice Benedicto XII, ad inquirendum de facultatibus ecclesiarum cathedralium, monasteriorum & aliorum locorum conventualium ordinis seu religionis monachorum nigrorum infra Rotomagensem & Turonensem provincias consistentium specialiter deputatos. Hæc tum apud monachos Gemeticenses officia recensebantur: camerarius seu capellanus abbatis mille octingentis & viginti libris donatus, cellerarius 3492, infirmarius 92, major eleemosynarius 521, pitanciarius 267, cantor 20, sacrista 230, hortolanus 39, prior claustralis per manum cellerarii 53, coquinarius 1230. Ad idem monasterium spectabant domus octo, quarum quælibet a monacho velut administratore & custode seu priore gubernari consueverat; videlicet domus de Joyaco in qua cum custode seu priore alii duo monachi commorabantur; domus de Montitera diœcesis Belvacensis, in qua unus custos cum tribus monachis solebat residere; domus de Boasla & Buto Carnotensis diœcesis, de Longavilla diœcesis Ebroicensis, de Genestæ villa diœcesis Rotomagensis, de Domnamaria diœcesis Sagiensis, & de Cruptis diœcesis Lexoviensis, in quarum qualibet monachus cum administratore habitabat. Erat & alia domus in Angliæ territorio suis tunc destituta monachis propter bellorum incommoda. Anno insequenti, die decima mensis Decembris, absoluto trium nocturnorum cum Laudibus officio, missam de defunctis solenniter celebravit pro Johanne *Marc-d'argent* S. Audoëni Rotomagensis abbate, quem postea astantibus Beccensi, sanctæ Catharinæ, S.

Georgii & Insulæ Dei abbatibus pontificalibus A infulis redimitis, in sacello B. M. semper virginis tumulavit. Pervenit Guillelmus juvenis qui & *Jemblet* dicitur ab Arturo *Dumontier* ad annum saltem 1344, quo ei Clemens VI papa privilegium confirmationis omnium bonorum Gemeticensium indulsit IV nonas Decembris anno pontificatus sui tertio. Cæterum ejus epitaphio satis dignoscitur ad annum 1349 vixisse & in latere dextro chori basilicæ quam instauraverat sepultum XVI calendas Octobris.

LIII. Johannes II *de Boiracher*, alias dictus de Claro, Gemeticum sanctioris vitæ desiderio a teneris unguiculis ingressus, statim a Guillelmo B officium abbatis utiliter gessit die 7 Aprilis an. 1350. Juravit in verba archiepiscopi Rotomagensis; & 26 Junii an. 1355 in ecclesiæ parochialis S. Paterni, servata vicario portione qua & congrue sustentari & episcopalia jura persolvere valeat, possessionem venit ex præcepto Innocentii prædictam ecclesiam cum omnibus juribus suis & pertinentiis ea lege mensæ abbatiali, quæ propter turbulentissimas regni tempestates & principum requestas imminuerat, in perpetuum annectentis. Idem abbas an. 1359 die 8 mensis Octob. dum Rotomagi propter frequentes hostium irruptiones versaretur, quosdam e suis metu C persecutionum fugitivos ad priorem direxit cum literis commendatitiis, ut in fratrum ordinem illaborati cooptarentur. Cessit e vita an. 1362 IV cal. Sept. Defossum est cadaver in sacello S. Stephani.

LIV. Petrus II *de Malorege* juravit in verba Philippi de Alenconio Rotomagensis archiepiscopi circa an. 1363.

LV. Johannes III de S. Dionysio alias dictus *Papillon*, decretorum doctor facundissimus, ex monacho Blesensi Conchensis abbas, tum sancti Eligii Noviomensis, ac demum Gemeticensis eligitur. In manuscriptis Conchensibus suggillatur D ut raptor & sacrilegus; in Gemeticensibus vero dicitur rationis speculum, casti dogmatis præco, virga superborum, ac ferventissimus piorum defensor. Laudatur die 20 Januarii anni 1365 in epistola a suis vicariis generalibus priori claustrali inscripta de reformandis ac dimovendis quibusdam Gemeticensis monasterii officialibus, quorum vivendi rationem cæteris fratribus malo exemplo fuisse audierant. Ejusdem abbatis rogatu Guillelmus Urbani V summi pontificis legatus die 24 Martii 1367 archiepiscopo Rotomagensi demandavit ut Gemeticum descendens in cellerarium inquireret, & a gradu, nulla intercessionis E aut provocationis habita ratione, depelleret. Anno 1370 die 15 Maii fratri Nicolao *de Berville* secum commonacho perscriptam dedit auctoritatem restituendi Montiteræ prioratum, ibique collapsæ disciplinæ suscitandi vigorem. Pridie cal. Maii an. 1375 is una cum priore Joyacensi Petro Arelatensi archiepiscopo, summi pontificis camerario, persolvendisque in provincia Rotomagensi decimis præfecto, libellum obtulit eo spectantem ut dimidia pars decimæ dicto prioratui impositæ eximeretur. Ad eumdem abbatem societatis & unionis literas misit Johannes S. Vedasti Atrebatensis abbas an. 1377 die 22 Aug. Hoc ipso anno Johanni de Gemeticis abbati, amico & fideli consiliario sistendi per se ad placita immunitatem concessit Carolus Francorum rex X cal. Sept. Obiit circa annum 1379, sepultus ante altare Innocentium in basilica S. Petri.

LVI. Johannes IV de Foris Rotomago oriundus canonicus Ebroicensis, S. Dionysii in Francia monachus & eleemosynarius ac decretorum doctor, libera Gemeticensium electione creatus confirmatur abbas a Clemente VII antipapa anno 1379, quo per Nicolaum Bajocensem episcopum possessionem iniit die 9 Octob. Anno insequenti Gemeticensium dominio iterum adjecit beneficium Marevallis, quod pridem in commodum & utilitatem Roberti *d'Enneval* Pauliacensis domini fuerat abalienatum. Perspecta insuper camerariorum suorum in persolvendis quæ ad vestiarium necessaria erant negligentia, convocatis in capitulum fratribus singula quæ ad monasterium pertinebant vectigalia in dicti vestiarii suppeditationem consignata auctoritate permisit die 16 Junii. Rerum etiam gerendarum provinciam ipse & universa Gemeticensis familia quibusdam fratribus demandarunt die 3 Nov. an. 1382. Ab hac luce recessit Johannes de Foris an. 1389, ut patet ex ejus epitaphio. Quiescit autem in sacello S. Andreæ.

LVII. Godefridus III de Paris sive *Harenc*, Guillelmi *de Beusville* Beccensis abbatis discipulus, vir acutissimi ingenii & baccalaureus in decretis ex priore de Conflantio ab universa Beccensi congregatione in abbatem & pastorem ejusdem monasterii eligitur; sed ab Estoldo *d'Estouteville* per auctoritatem summi pontificis regimine pulsus, privatam vitam iterum aggressus est. Vacanti interea per obitum Johannis abbatiæ Gemeticensi præfectus, sententiam a Castelleti majoris judicibus adversus homines de Tractu qui Lembum super Sequanam extruxerant obtinuit die 11 Feb. an 1389. Creato Fiscannensi abbate Estoldo, iterata a suis electione revocatus Godefridus Beccum subiit acclamantibus plaudentibusque omnibus die 14 mensis Martii feria III ante ramos palmarum, an. Domini 1390.

LVIII. Simon de Bosco e nobili familia dominorum hujus nominis apud Rotomagum, doctor in utroque jure eximius necnon sacræ theologiæ professor in academia Parisiensi primum fuit monachus S. Audoëni Rotomagensis, tum prior de Sigeyo, postea abbas S. Vigoris Cerasiensis Uboldi Ceccum translati cessione confirmata literis Clementis VII pseudopapæ, anno pontificatus 10, Christi vero 1387, tandem Gemeticensis abbas VIII idus Feb. 1390 bulla ejusdem Clementis renuntiatur. Rebus monasterii in Anglia procurandis quosdam Gemeticenses monachos præfecit an. 1392. Exacto biennio literis Petri sedis apostolicæ legati munitus cellariam Gemeticensem officium temporale, non beneficium perpetuum declaravit VII cal. Martii;

quod quidem officium Benedictus XIII Clementis VII successor, ejusdem abbatis & conventus jura præponderans, nudam ac simplicem administrationem pro voluntate abbatis professus est v cal. Maii an. 1396. Jura monasterii in omnes ecclesias parochiales ipsi subjectas pius pater ita asseruit an. 1399, ut archiepiscopus Rotomagensis, quem in collatione beneficii sancti Vedasti *de Diepdal* adversarium experiebatur, non lite tantum destiterit, verum etiam scripto jura in perpetuum confirmaverit. Idem ab universitate Parisiensi in qua tum publice theologiam docebat, non alibi juxta facultatis privilegia quam in Castelleto majori causas agere impetravit an. 1404 die 12 Decemb. Nuncius mittitur a Carolo rege ad pontificem Romanum pro unione ecclesiæ an. 1407, indict. xv, pontificatus Benedicti papæ XIII an. 14, die 15 mensis Aprilis ex manuscripto Coisliniano, Anecdotorum tom. II col. 1328 & sequentibus. Interfuit an. 1409 concilio Pisano Parisiis profectus die 2 Maii 1408. Eidem abbati pro devotionis sinceritate & religionis honestate VIII idus Julii 1409 indulsit Alexander V ut mitra, annulo & aliis pontificalibus insigniis libere uteretur, necnon in monasterio Gemeticensi, prioratibus eidem subjectis ac parochialibus ecclesiis ad id communiter vel divisim pertinentibus post missarum, vesperarum & matutinorum solemnia benedictionem solennem, dummodo in benedictione hujus modi aliquis antistes vel apostolicæ sedis legatus præsens non fuerit, tam ipse quam successores elargirentur. Anno 1411, die 5 Maii, adunato monachorum & præpositorum cœtu pactum Johannis prædecessoris sui pro vestimentis fratrum comprobavit, annuis reditibus auctis sub duplici conditione : prima ut prior claustralis, subprior, tertius & quartus prior, camerarius, eleemosynarius, pitanciarius, cellerarius & sacrista de officiis vestirentur; secunda, ut singulis diebus sabbati in sacello B. Mariæ prosam *Inviolata* in unum congregati decantarent. Insequentis anni die 4 Januarii Romam profectus concilio ibidem habito adfuit, eoque reversus a Johanne XXIII papa uniri suo monasterio prioratum de Joyaco an. 1414 x cal. Martii assecutus est. Unanimi archiepiscoporum, episcoporum, abbatum & aliorum ecclesiasticorum Parisiis in camera viridi regalis palatii de mandato ejusdem papæ generale concilium apud Constantiam actu celebrantis aggregatorum super his quæ ad perfectam unionem, prosperum universalis ecclesiæ statum, & subventionem ad concilium deputandis faciendam, primus inter secundi ordinis ex provincia Rotomagensi prælatos consensu electus, Constantiam perrexit die 8 mensis Februarii an. 1414. Eximias animi dotes in isto maxime prodidit concilio; sed illius præsertim honori vertitur, quod in electione sexdecim patrum concilii, qui quatuor cardinalibus adjuncti de sectatoribus Johannis *Hus* a patribus damnati cognoscerent & concilio referrent, inter quingentos tum episcopos tum abbates & doctores, ex parte deputatorum Galliæ post Genevensem episcopum designatus fuerit, ut patet ex sessione XIII ejusdem concilii. Præfuit monasterio Gemeticensi spatio 28 annorum cum dimidio. Parisiis interiit die 9 Sept. an. 1418, uti legitur in epistola successoris sui ad Martinum papam; verius tamen Gemetici, ubi sepulturam habet in sacello Virginis Deiparæ, cum effigie partim lapidea partim marmorea, fortassis illuc translatus.

LIX. Nicolaus Rufi Simonis de Bosco ex amita ejusdem consobrinus, ex monacho Gemeticensi, priore de Joyaco & abbate Crucis S. Leufredi eidem Simoni in Gemeticensis cœnobii regimine suffectus est an. 1418, IV cal. Octobr. Ejus electionem duplici bulla Nicolao & monachis inscripta confirmavit Martinus V die 17 Januarii an. 1419. Hoc ipso anno die 31 Jan. idem summus pontifex Nicolao abbati ob sincerum ejus ad ecclesiam Romanam affectum, ut haberet altare portatile super quo per proprium vel alium sacerdotem idoneum in sua ac familiarium domesticorum præsentia missa & alia officia divina absque juris alieni præjudicio celebrari possint indulsit. Anno 1421, cal. Octobris summum pontificem ut de summa 2300 florenorum aureorum quos cameræ apostolicæ pro servitio communi & bullis debebant dimidium remitteret, abbas & conventus suppliciter exorarunt; sed frustra ut plurimis patet æris memorati pensionibus annis 1423 & 1424. Insequenti veteris Vernolii decimarum partem mediam pastori adversus leprosorum ejusdem loci procuratorem, quibus arbiter datus fuerat, adjudicavit. Laudabili administratione expleta fidelis rerum omnium monasterii custos Nicolaus decretorum doctor animam reliquit an. 1431 XV calendas Julii. Jacet in sacello sanctorum Leobini & Nicolai.

LX. Johannes V *de la Chaussée* baccalaureus in theologia ex monacho & procuratore Gemeticensi evasit abbas die 5 Julii an. 1431 unanimi fratrum electione confirmata præcepto Eugenii IV dato VI calendas Octobris ejusdem anni. Huic altera bulla Eugenii facultas conceditur a quocumque prælato voluerit benedictionem percipiendi, quam certe accepit die 14 Octobris a Johanne Abrincatensi episcopo in capella S. Filiberti apud Rotomagum missam celebrante, assistentibus Thoma Beccensi & Guillelmo S. Georgii de Bauquervilla abbatibus. Anno 1433 die 4 Junii vi litterarum universitatis Parisiensis in qua theologiæ vacabat, ab omni se jurisdictione provinciali exemit, deductis ad Castelleti majoris judices quibuslibet monasterii litibus. Eisdem anno & mense die 6 Junii privilegium accepit ab Henrico Anglorum rege pro nova in consanguineos Nicolai decessoris, cui morienti 20000 libras violenter subripuerant inquisitione peragenda. Eidem abbati, ut ad concilium Basileense de jure monasterii accederet fidem dederunt patres anno 1434. calendis Augusti. Rem habuit Johannes cum Thoma Beccensi abbate de consessu in synodis Rotomagensibus; quem cum vicarii in spiritualibus generales

generales venerabilis archiepiscopi perperam in hujus modi causa procedentes Beccensi abbati tribuissent, Gemeticensis noster ad generale concilium Basileense appellavit, a quo & decretum obtinuit cal. Maii an. 1437, ad abbatem Fiscannensem & decanum ecclesiæ Rotomagensis, ut vocatis qui fuerint vocandi & auditis hinc inde propositis, habita tamen prioris institutionis, fundationis ac antiquitatis ratione, quod justum fuerit decernerent, & quod decreverint per censuram ecclesiasticam firmiter observari curarent. Aliud privilegium assecutus est ab Eugenio IV VIII idus Octobris anno 1442 pro restitutione bonorum Gemeticensium, quæ vigentibus bellis aut injuste abalienata fuerant aut per vim occupata. Carolum VII Francorum regem hospitio recepit, accommodavitque de habitatione amplissima intra septa monasterii ineunte anno 1449, cui & bona sua anno 1453 professus est. Recensetur idem abbas in bulla sibi a Pio II concessa contra invasores rerum monasterii x cal. Jan. 1460, & in charta ipsius manu exarata die 15 Aprilis 1462, pro commemoratione defunctorum in omnibus monasteriis, quibuscum societatem inierant Gemeticenses, citius facienda. Insimulatus aliquando apud Pium II a Francorum rege fallacibus Antonii *du Bec-Crespin* verbis nimium credulo, quod senio confectus tantæ abbatiæ regimini impar esset, summi pontificis auctoritati cedendum ratus pastorali munere se abdicavit an. 1464.

LXI. Antonius *du Bec-Crespin* archiepiscopus Narbonensis, &c. renuntiatur abbas an. 1463 in festo omnium sanctorum; nec tamen in possessionem venit ante annum 1464, quo ei Johannes involuntaria, imo & coacta cessione liberam præbuit occasionem. Præfuit Antonius commendatarius perpetuus die 17 Januarii an. 1466 deliberationi Gemeticensium monachorum pro reficiendis prioratus Montiteræ ab eadem abbatia dependentis ædibus, sodalitatisque literas confici curavit, ut penes eosdem apud Gemeticenses esset orationum participatio, quos ipsi beneficos experti fuissent. Idem anno 1470 die prima Novembris Valentino *le Machon* presbytero & monacho Gemeticensi prioratus de Halingia administrationem commisit. Rotomagi defunctus 15 Oct. an. 1472, postridie sepelitur in ecclesia fratrum prædicatorum. Vide tom. VI col. 104.

LXII. Ludovicus de Ambasia frater Georgii cardinalis archiepiscopi Rotomagensis a rege nominatus Gemeticensi abbatiæ præponitur sub finem anni 1472; sed insequenti Albiensis civitatis antistes electus, fratri suo Jacobo favore Ludovici regis abbatiale munus transtulit.

LXIII. Jacobus de Ambasia schedula regia fit Gemeticensis abbas anno Domini 1474, die Sabbati 28 mensis Maii. Jurat in verba ecclesiæ metropolitanæ die 17 Junii an. 1476. Privilegiis summorum pontificum Sixti IV & Innocentii X annis 1479 cal. Martii & 1490 die 13 Decembris, vasa quædam aurea & argentea, libros, chartas & alia mobilia & immobilia cœnobio restitui curavit. Jam monacho Gemeticensi prioratum de Halingia contulerat anno 1475 die 10 Aprilis. Jam ab anno 1480 silvulam de Creniis prope Joyacum, quam domini de Aquineio ditioni suæ adjecerant, receperat a Francisco *de Laval* comite de Monteforti sub ea conditione ut pro eo quotannis missa de B. Maria in ejusdem sacello celebraretur. Jam scholarum S. Paterni magistrum instituerat die 28 Dec. an. 1481. Jam anno 1485 die 12 Decemb. Thomæ *de Hautou* agrum cum aquæ decursu apud Cruptas ad struendum molendinum annuentibus monachis locaverat. Jam priori claustrali ad officiorum monasterii & beneficiorum ecclesiasticorum administrationem designandi facultatem tribuerat die 17 Januarii 1486, cum in gratiam fratris Henrici *Brion* Gemeticensis monachi & prioris S. Martini de Boafla adversus parochum ejusdem loci decimarum invasorem damnatorium judicium ab Alexandro VI obtinuit VIII cal. Martii 2 pontificatus anno, id est 1493. Idem abbas pactione cum conventu inita decimam *de Hautot-Lauvray* claustrali officio subjectam suæ adscripsit portioni; monachis vero eadem transactione Vimonasterium a mensa abbatiali dependens cum aliis quibusdam prædiis adjacentibus concessit. Actum Gemetici die prima Julii an. 1501. In Claromontensem episcopum electus 15 Martii 1505 abbatia Gemeticensi cessit in gratiam successoris. Obiit autem anno 1516, ut diximus tom. II, col. 296 in prioratu Paredimonialis, die 27 Dec. Jacet Cluniaci in sacello S. Martialis episcopi; nam Cluniacensis abbas extiterat, necnon S. Illidii.

LXIV. Franciscus I *de Clermont* filius Tristani baronis *de Clermont Lodeve* ex Catharina de Ambasia sorore Ludovici & Jacobi superiorum, presbyter cardinalis cum titulo S. Adriani, archiepiscopus Narbonensis tum Auscienesis, Gemeticensis ecclesiæ regimini ex cessione avunculi præfectus, ejusdem monasterii possessionem accepit an. 1505 die 8 Novembris; nec multo post, die videlicet 12 ejusdem mensis, dum adhuc Gemetici versaretur, Thomam *de la Houssaie* militem in Altivillæ curia senescallum instituit cum omnimoda faciendi & exercendi justitiam potestate. Lege tom. I nostræ Galliæ Christ. coll. 1001 & 1002.

LXV. Philippus a Luxemburgo cardinalis & episcopus Cenomanensis, monasterio Gemeticensi per cessionem Francisci *de Clermont* pastore destituto præerat an. 1511, 8 die Augusti, quo procuratores instituit quosdam e suis monachis, qui bona monasterii tum provocando tum obsistendo defenderent. His emortuis alios e gremio electos subrogavit die 29 Aprilis anno 1513. Multa legimus ab eo in Gemeticensis ecclesiæ administratione gesta, quæ eum nobis egregie commendant. Cum enim labante paulatim disciplina regulari, monachos remissius vivere advertisset, inde malum scaturisse arbitratus quod

primus abbas commendatarius non venerit nisi ut furaretur & perderet, veris ac legitimis hæredibus patrimonium restituere cogitat. Disposita igitur ad meliorem vitam majori Gemeticensium parte, evocatisque Casalis Benedictinæ viginti monachis, eidem congregationi, approbante senatu Rotomagensi, monasterium univit an. 1514, hebdomada prima quadragesimæ. Tum an. 1517 die 8 Julii, certis de causis Cenomani aliquantulum moraturus, priores S. Vincentii Cenomanensis sanctique Sulpicii Bituricensis una cum Francisco *de Fontenay* Gemeticensi abbate futuro, vicarios generales in spiritualibus & temporalibus constituit ad conferendum vel nominandum ad quæcumque vacantia beneficia ab ipso monasterio dependentia, tutandamque disciplinam sub pœna carceris rebellibus infligenda. Denique eodem anno possessionem monasterii in gratiam Johannis *Durand* Cenomanensis monachi abdicavit sub annua quingentarum librarum Turonensis monetæ pensione solvenda in Christi Domini & B. Johannis-Baptistæ nativitatibus, ut notatur in bulla Leonis X an. 1517, VIII cal. Januarii. Fatis concessit Cenomani an. 1519, IV nonas Julii.

LXVI. Johannes VI *Durand* monachus Cenomanensis congregationis Casalis Benedicti, laudato superius Leonis X privilegio Gemeticensis abbas confirmatur. Insequentis anni die 23 Februarii regi hominium præstitit, ex archivo regio Rotomagensi. Anno 1522, die 18 Aug. Franciscus *de Fontenay* ejusdem abbatis vicarius generalis procuratores nominavit ad peragenda monasterii negotia apud Vernolium. Ipse vero & universus monachorum cœtus die 7 Septemb. an. 1523 in Spiritu sancto congregati, Cœlestinis Rotomagensibus, habita eorum paupertatis & optimæ observationis ratione, patronatum & tertiam partem decimarum *de Hautot-Lauvray* in perpetuum concesserunt. Anno denique 1524, die 15 Novembris, vicarium generalem instituit domnum *Mousson* abbatem S. Martini Sagiensis cum omnimoda auctoritate præsentandi ad omnia Gemeticensis monasterii beneficia, delinquentibus pœnas imponendi, inflictasque augendi vel minuendi. Expleto vigilantissimi pastoris officio abbatialem dignitatem fratribus permisit sub finem ejusdem anni, mortis quæ post biennium die 6 Aprilis contigit quasi præscius. Jacet in choro sub lapideo sepulchro, cui epitaphium inscribitur.

LXVII. Franciscus II *de Fontenai* vir admodum pius & vere monasterii pater, ex monacho & priore Gemeticensi, a fratribus post admissam Johannis cessionem in prædicti cœnobii abbatem electus a Clemente VII, approbationem habuit literis hac de re tam ad ipsum quam ad regem & monachos conscriptis pridie cal. Aprilis an. 1525. Franciscum Galliæ regem ad impetrandam a summo pontifice Gemeticensis monasterii congregationi Casalis Benedicti unionis confirmationem, tribus mensibus ita feliciter instigavit, ut Clemens VII ejusdem regis supplicationi A tandem inclinatus VII idus Januarii anno 1526, eidem congregationi illiusque monasterii & personis abbatem & conventum necnon personas quascumque prædicti cœnobii Gemeticensis auctoritate apostolica aggregaverit, ac de illis unum & idem corpus inseparabile sub eisdem observantia & ordine constituerit. Possessiones monasterii pro quibus eodem anno Franciscus regi hominium fecerat, sub sua ac sedis apostolicæ tutela idem pontifex piissimi moderatoris precibus annuens suscepit an. reparatæ salutis 1531, pontificatus sui 9. Multis ædificatis tum in monasterio tum in ecclesia parochiali, sublevatis in fame B pauperibus, imo & civibus Rotomagensibus, annuis reditibus auctis ac denique, quod præcipuum erat, pace & regulari disciplina ad amussim restitutis, Turonis apud matrem, quam sexagenarius inviserat, obdormivit in Domino an. 1539 die 23 Augusti.

LXVIII. Hippolytus Estensis Alfonsi primi Ferrariæ ducis ex Lucretia Borgia filius, cardinalis Ferrariensis nuncupatus cum titulo sanctæ Mariæ in Aquivo, cum archiepiscopatus & episcopatus plurimos longeque plures abbatias jam obtinuisset, Gemeticensi adhuc, reluctantibus monachis qui prædecessoris nepotem elegerant, C a Francorum rege donatur an. 1539 quo bullas accepit a Paulo III, VI idus Novembris; sed possessionem non adeptus est nisi anno 1540, die 8 Julii, præstito per Thomam Delvecchio vicarium generalem aliosque procuratores, quos ad capescendam miserat, fratribus juramento, statuta & consuetudines monasterii in perpetuum servaturos. Verum promissis suis diu non steterunt; nam & officia claustralia, quæ a fratribus huc usque administrata fuerant, in abbatem transmoventes, ad senatum Rotomagensem ipsummetque Hippolytum confugiendi necessitatem monachis attulerunt. Hac repressi difficultate D Hippolyto suaserunt, ut servato sibi bonorum omnium usufructu, statutis temporibus persolvendum monachis stipendium statueret; quod revera a reverendissimo cardinali de Borbonio & prioribus SS. Martini & Victoris arbitris & judicibus utrimque assumptis constitutum est eodem anno die 3 Novemb. At veriti Gemeticenses ne per incuriam aut malignitatem procuratorum abbatis negligerentur, aliam ingressi sunt viam; cumque intellexissent eumdem assentire cessioni quarumdam possessionum quæ in rem suam magis conducerent, habita secum de oblatis conditionibus deliberatione, procuratores E ad rem perficiendam constituerunt die 21 Feb. an 1543. Porro initæ conventionis ea fuit lex, ut vinorum, granorum, ac certæ pecuniæ loco, haberent monachi pro ipsius conventus mensa, monachalibus portionibus & necessitatibus quibuslibet terram & dominium loci de Gemeticis, de Yenvilla & de Mesnillo, cum terris cultis & incultis, pratis, pascuis, vineis, aquis, aquarum decursibus, piscariis & portubus aliisque omnibus ad monasterium in dictis locis pertinentibus,

excepto nemore & emendis : terram & dominium de Durclaro cum duabus decimarum partibus omnium granorum, obventionibus ratione fori provenientibus, portu, molendinis, censibus, reditibus & juribus dominicalibus, tam in dicta parochia, quam in parochiis S. Paterni & de Spineto & Varengevilla; molendino de Alneto, juribus & pertinentiis præfati monasterii in parochia de Annevilla, feodis & terris de Novavileta & de Guiseneio : molendinum *Thorel* Andeliaci situm cum terris, vineis, decimis & reditibus in parochia de Altis seu Longa-villa & de Vallibus juxta Melantum; necnon sexaginta minas frumenti cum duobus modiis avenæ super dominium de Norvilla : apud Rotomagum domos *de la Poterne*, & in silvis de Brotonia & de Gemetico ducentas chordas ligni ad mensuram præpositturæ seu vicecomitatus Parisiensis cum quatuor millibus fasciculorum in nemore dicti loci de Gemeticis aut aliis monasterio propinquioribus : reliquum vero bonorum ejusdem monasterii Hippolyto cardinali & suis successoribus in perpetuum remaneret, prius tamen omnibus supportatis oneribus, quibus amodo & deinceps liberi, quieti & immunes renunciantur monachi. Ad hoc autem ut præmissa omnia perpetuæ firmitatis robur obtinerent, suis propriis sumptibus & expensis memoratus abbas confirmari curavit decreto Pauli III, anno Incarnationis Dominicæ 1546, VII idus Martii, & perscriptione eorumdem in tabulas consilii privati & senatus Rotomagensis diebus 18 Jan. & 16 Feb. an. 1548. Vide tom. I, col. 1003.

LXIX. Gabriel *le Veneur* Ebroicensis antistes, memoratur abbas Gemeticensis per cessionem Hippolyti die 25 Novembris 1549, uti recensetur in formula sacramenti quod præsentibus tabellione & testibus ad hoc vocatis, monachorum rogatu in capitulo præstitit his verbis: « Ego Gabriel *le Veneur* Dei providentia humilis „ abbas & minister hujus ecclesiæ juro, & ad hæc „ sancta Dei evangelia promitto, quod ipsam eccle- „ siam contra quoslibet tam in bona quam perso- „ nas ipsius invasores pro posse protegam viriliter „ & defendam : quod etiam ipsius ecclesiæ jura, „ libertates, privilegia, statuta, & consuetudines „ approbatas servabo fideliter, quodque ejusdem „ bona ecclesiæ non alienabo, nec alienari permit- „ tam; quin pro posse, si qua alienata fuerint, revo- „ cabo. Sic me adjuvet Dominus & hæc sancta evangelia ». Et sane monachorum negotia ut sua suscepit annis 1550, 1553 & 1554, imo 1556, ut satis probat humilis ad Paulum IV summum pontificem adversus bonorum monasterii invasores ejusdem abbatis & conventus deprecatio. Verum ingenuis laqueos tendebat venator, nec gratuita erat ejus amicitia. Ad suum quippe commodum tacitus omnia referens quo spectaverat brevi monachos adduxit, eorumque facilitate immoderate abusus elegantissimam turrim plumbeo tegmine opertam, quam suis sumptibus reficere tenebatur, non tantum diruit, sed & pretium ad se convertit. Rixas frequentes habuit cum suo conventu de collatione beneficiorum & officiorum, de sumptibus hospitum ab ipso suggerendis, ac de vineis in ipso monasterio conclusis, de quibus causa cecidit in senatu Rotomagensi an. 1561, & iterum die 4 Junii an. 1565 & anno 1571. Interea concilio Tridentino affuit, quo absoluto furentibus hæreticis & monasterium vastantibus patres congregationis Casalis Benedicti aufugerunt, sedata tempestate illuc reversuri, si per antiquos, qui locum priores occupaverant, licuisset. Obiit Gabriel *le Veneur* die 16 Martii 1574.

LXX. Carolus I a Borbonio Caroli ducis Vindocinensis filius, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis amplissimis a rege donatus est sacerdotiis, imprimis episcopatu Santonensi, cui successit Nivernensis episcopatus administratio, tum archiepiscopus Rotomagensis creatus Gemeticensem quoque abbatiam assecutus est anno 1574. Multum sed frustra laboravit ut Casalis Benedicti congregationem denuo in monasterium introduceret; etsi enim pie ac juste viverent monachi Gemeticenses, quin & societatem eodem anno 1574, die 2 Julii cum eadem congregatione iniissent, ejus tamen restitutioni nusquam assentiri voluerunt. Idem abbas eleemosynis quas ipse largiri tenebatur absolvi desiderans, ducentos nummos de reditibus suis conventui assignavit an. 1575, die 18 Martii; & 14 Maii pactionem inter Hippolytum & monachos approbavit in capitulo Gemeticensi; die 18 ejusdem mensis vicarium generalem instituit domnum Jacobum *Gaudri* priorem; die vero 20 mensæ conventuali in perpetuum adjecit silvam Gemeticensem integram cum omnibus suis appendititiis, ea lege ut ædificiorum regularium reparationibus in posterum levaretur. Anno 1577, die 14 Junii domno Jacobo *Gaudri* e vivis sublato vicarium generalem subrogavit domnum Tussanum *de Marseilles*, in cujus præsentia anno insequenti fratris Adriani *Langlois* eximiæ virtutis adolescentuli vota excepit die 5 Aprilis. Monasterio B. Mariæ Bonæ-spei suis apud Gallionem curis incepto, prioratus sancti Petri de Genestævilla ab abbatia Gemeticensi dependentis efflagitatam Romæ a Cartusianis ipso auctore unionem approbavit die 27 mensis Aug. anno 1580, ea conditione a Gemeticensibus lata, quod decem solidi annui & perpetui reditus per eosdem Cartusianos eorumque successores priori & conventui de Gemeticis eorumque successoribus quolibet anno persolverentur; quodque dum contigerit aliquem seu aliquos prædicti monasterii de Gemeticis monachos peregrinationis causa ad partes illas adire, aut pro rebus & negotiis dicti eorum monasterii tractandis se transferre, prior & fratres prædictæ domus B. Mariæ Bonæ-spei tenerentur eos cum servis suis & equis recipere, hospitium & cameram præbere & victum ac cætera victui necessaria tam pro se quam pro servis & equis ministrare ad perpetuam unionis ejusdem

prioratus ab eorum monasterio dependentis memoriam. Viro nobili Guillelmo *de Haultoi* Esmanvillæ & Ybonis villæ domino beneficium *des Belles* 78 acras terræ continens, assentientibus monachis, die 15 Junii an. 1581 in perpetuum cessit pretio centum auri scutorum annuatim præter 4300 libras in abbatialem ecclesiam aliaque ædificia restauranda partim insumendas. An. 1583 die 23 Julii mensæ conventuali univit prioratum sancti Filiberti de Torpo, de quo diu tam ipse quam prædecessores cum monachis litigaverant. Terram de Motevilla abalienavit anno 1587. Fonteniaci occubuit die 9 Maii 1590.

LXXI. Carolus II a Borbonio superioris nepos, parentes habuit Ludovicum a Borbonio hujus nominis primum Condæi principem, & Eleonoram *de Roye*. A Gregorio XIII cardinalis creatus pridie idus Dec. an. 1583, Gemeticensem abbatiam & archiepiscopatum Rotomagensem obtinuit anno 1590. Insequenti die 19 Julii ex senatusconsulto villicorum abbatiæ nomina monachis transcripsit ad farciendum decem modiorum frumenti detrimentum quod a militibus anno præcedenti acceperant, necnon 1030 nummorum quos apud Andeliacum, Vernonem, Pontem-archæ & Rotomagum pro vinorum invectitiorum vectigali numeraverant. Anno 1594 ingravis inter ipsum & monachos suborta est controversia pro pensione 2000 librarum & 60 medimnorum frumenti quibus indormiebant administratores. At senatus Rotomagensis litem diremit die 12 Julii ejusdem anni, causamque monachis adjudicans abbatialis mensæ possessiones in manus eorum tradidit. Parisiis in abbatia S. Germani quam in commendam acceperat morbo correptus a seculo migravit eodem anno die 30 Julii, apud Cartusianos Bonæ-spei in diœcesi Rotomagensi tumulandus.

LXXII. Renatus *de Courtenay* filius Guillelmi eo nomine primi domini *de Chevillon, du Martroi* & *de Frauville*, ex Margarita *Fretel*, abbatiæ Gemeticensi prælatus est die 5 Novemb. anno 1594, nec tamen possessionem iniit ante diem 20 Decembris 1595, quo & conventiones antecessorum in capitulo laudavit & approbavit. Rem habuit anno sequenti cum Davide *Vimond* valetudinarii sancti Martini *de Cotevrard*, ut sibi videbatur administratore; verum actor actione submotus est. Anno 1600, die 27 Novembris, domnum Tussanum *de Marseilles* priorem de Cruptis procuratorem suum nominavit. A Johanne *du Tilles* milite 5255 libras summi pontificis auctoritate ad usus imperii necessarios Gemeticensi monasterio imperatas sub annuo vectigali assentientibus monachis mutuatus est an. 1604. Debitam pecuniæ summam octoginta acrarum terræ pretio dissolvere meditabatur, cum mors imminens consilium præripuit an. 1605.

LXXIII. Marianus *de Martinbos* presbyter canonicus & cancellarius ecclesiæ Rotomagensis ex abbate sancti Michaëlis in eremo assumptus, Gemeticensi monasterio præficitur an. 1605, ut

A patet ex damnatorio senatus Rotomagensis adversus eum judicio die 17 Junii pro annuis rectorum de Gemetico & de Yenvilla pensionibus, quas ad monachos recidere contendebat. Bullas accepit die 21 Junii 1607 ab officiali Parisiensis ecclesiæ ad quem directæ fuerant. Insequenti an. die 1 Augusti jurisdictionis de Joyaco præsidem instituit Henricum *de Gouron*, vicarium vero generalem in spiritualibus domnum Tussanum *de Marseilles*, quem nihilominus in multis, imo quoties ab æquo & communi bono deflexit, contrarium expertus est. Ad omnes pactionis initæ inter Hippolytum Estensem & conventum conditiones descendit die 28 Novembris an. 1613, quinquemestri periturus.

B

LXXXIV. Balthazar *Poittevin* Ludovici a Borbonio Suessionum comitis quondam educator ac præceptor, Gemeticensis abbatiæ possessionem adeptus est 1614, quo circiter tempore congregationi Benedictinæ in Lotharingia uniri vehementius ambierunt Gemeticenses, instante præsertim domno Adriano *Langlois* priore ejusdem monasterii. Hic consilii sui participes & pii operis adjutores Suessionum comitem, cardinalem Joyosæ ipsumque regem Ludovicum XIII ac reginam matrem ita opportune accersivit, ut

C sublato remotoque quorumdam malevolorum impedimento, visitatoribus ejusdem congregationis cum universo Gemeticensium conventu de mutuis petitionibus scripto convenerit die 25 Feb. 1616. Hinc officiosæ & gratulatoriæ ad monachos Gemeticenses literæ tum ab ipso rege die 17 tum a regina matre die 29 Aprilis, & a cardinalibus de Lotharingia & de Montalto diebus 3 & 8 Maii ejusdem anni; hinc etiam Gregorii XV pontificis maximi & illustrissimi archiepiscopi Rotomagensis assensus, ac demum in Gemeticensem abbatiam Virdunensis congregationis sancti Vitoni, nunc sancti Mauri in Gallia

D reformatorum introductio, quæ huc usque permanet. Interea Balthazar quæcumque acta fuerant pergrata habens, decessorum suorum conventiones approbavit literis datis apud Parisios 7 die Julii anno 1618. Anno sequenti die 4 Julii amissam anno 1570 villæ de Coluncellis possessionem senatusconsulto recuperavit, sub ea conditione ut sortem ac legitimos sumptus persolveret, quod & perfici curavit die 14 Maii anno 1620. Pepigit anno 1630 die 13 Aug. cum vicario perpetuo sancti Vedasti *de Diepdal* super decimis ejusdem parochiæ, ex consilii Suessionum comitis sententia Gemeticensi mo-

E nasterio ejusque abbati in posterum adjudicatis. In suprema Parisiensi curia senator factus ibidem morte sublatus est anno 1632.

LXXV. Johannes-Baptista *de Croisilles* a secretioribus & sanctioribus consiliis dicti domini Suessionum comitis, abbas erat Gemeticensis an. 1633, quo ad pactionem inter prædecessores abbates & monachos accessit die 9 Decembris. Plures in commendam obtinuerat abbatias, maxime vero S. Audoëni Rotomagensis, sancti

Michaelis in eremo Lucionensis ac sancti Petri de cultura Cenomanensis, necnon Grandimontensem prioratum ejusdem diœcesis; sed abdicavit die 4 Julii an. 1638 in gratiam subsequentis. Sub ejus præfectura vitam monasticam aggressus est domnus Thomas *du Four* patria Fiscanensis, cujus studio in lucem prodiit Hebræa grammatica, qua nec ratione nec ordine potior ulla edita fuerat. Extant & alia quædam ejusdem auctoris opuscula quorum meminit bibliotheca scriptorum San-Maurianorum, pag. 132.

LXXVI. Guillelmus VIII *de Montagne* presbyter Telonensis diœcesis, a rege nominatur abbas per cessionem præcedentis die 4 Junii an. 1638. At bullis pontificiis non obtentis, eo quod deesset in curia Romana patronus qui eas procuraret, ad possessionem non admittitur ante diem 18 Augusti 1639 ex decreto magni consilii lato 6 eorumdem mensis & anni. Verum ut rem fatear, adumbrati potius quam veri abbates extitere Guillelmus *de Montagne* & Johannes-Baptista *de Croisilles*, delegati ad fructus percipiendos non suo sed nomine Ludovici *de Bourbon* administratoris perpetui ab anno 1630 ad annum 1641 quo e vivis excessit die 6 Julii.

LXXVII. Petrus III *du Cambout de Coislin* Petri-Cæsaris *du Cambout* marchionis *de Coislin*, baronis *de Pontchâteau* & *de la Rochebernard*, Helvetiorum & Rhætorum chiliarchi, necnon exercituum legati generalis, ex Maria *Seguier* filius, sex annorum puer Gemeticensi abbatia donatus possessionem adiit per procuratorem, nempe rerum capitalium in civitate Rotomagensi prætorem anno 1641, bonorum ejusdem compos diu futurus, ni permutatione facta cum Francisco *de Harlai de Champvalon*, rege approbante, ad abbatiam S. Victoris Parisiensis translatus fuisset exeunte anno 1643.

LXXVIII. Franciscus III *de Harlai de Champvalon* Rotomagensis archiepiscopus ex abbate sancti Victoris per resignationem Petri fit Gemeticensis abbas an. 1643, possessionem initurus per procuratorem anno sequenti die 10 Februarii. Hic anno 1645 die 14 Martii conventui suo baroniam de Norvilla cum omnibus juribus & proventibus recipiendi facultatem concessit, ea lege, ut si quando placuerit, numeratam pecuniam restituendo, ratam portionem obtineret: quam quidem clausulam quadriennio post fratribus renuntiavit ac dimisit. Eodem anno die 1 Aprilis irritum esse jussit mandatum archipresbyteri decanatus sancti Georgii ad rectores ecclesiarum de Gemetico, de Yenvilla, de Mesnillo & de Durclaro pro stationibus jubilei ab ipso constitutis, carissimo ac venerabili priori de Gemeticis hanc provinciam demandans. Immunitatum abbatiæ studiosus trium jugerum ligni in saltu Brotoniæ pretio 400 nummorum jus asseruit an. 1646 die 2 Februarii. Pepigit anno 1649 die 2 Januarii cum conventu de eversione domus abbatialis intra septa monasterii, ac nova

A sumptibus monachorum in Gemeticensi vico construenda. Ejusdem elogium legesis in archipræsulum Rotomagensis ecclesiæ catalogo, cui abs re non erit appingi vigilantissimum pontificem accessioni monasterii ad congregationem S. Mauri multum inserviisse, Gemeticensiumque reformatorum decus ita sustinuisse, ut in ipsis synodis Deum immortalem omnium bonorum copiam in ipsos effudisse sæpius dixerit. Francisco *de Harlai* nepoti suo resignavit an. 1650.

LXXIX. Franciscus IV *de Harlai de Champvalon* superioris nepos, parentes habuit Achillem marchionem *de Breval* & Odettam *de*
B *Vaudetar*, uti notavimus in elencho archiepiscoporum Parisiensium. Hic cessione patrui abbas Gemeticensis factus, ejusdem pactioni cum monachis subscripsit an. 1650, nec multo post in archiepiscopum Rotomagensem assumptus confirmatusque ab Innocentio X bulla data anno 1651 VI calendas Octobris, die 28 Decemb. insequentis sacram unctionem percepit, &c. An. 1652 mense Aprili Gemeticum adveniens, adorato inspectoque sanctissimo sacramento, receptus est in cella hospitum missam solemnem postridie celebraturus & sacramentum confirmationis ministraturus. Idem præstitit an 1653, Dominica
C secunda post Pascha, & 1654, die 11 Julii. Prioratum sancti Petri de Longavilla mensæ conventuali uniri permisit an. 1664. Novæ domûs abbatialis constructionem jam Parisiensis antistes approbavit recepitque an. 1673 die 5 Augusti. Anno 1683 die 13 Julii molendinum *de Gravigni* prope Ebroicas jam pridem solo æquatum Francisco *Miserai* in emphyteosim 29 annorum dedit. Permutavit anno 1685 die 20 Februarii baroniam de Contevilla cum illustri viro Petro *Cousin* regi a sanctioribus & secretioribus consiliis pro feudo & jurisdictione de Lendino. Apoplexia raptus est die 6 Augusti an. 1695 cardinalis a
D rege designatus & præclare gestorum gloria illustris. Cætera vide in archiepiscopis Rotomagensibus & Parisiensibus, quos inter recensetur.

LXXX. Claudius *de Saint-Simon* clericus Parisiensis post intermissam viginti & uno circiter annis abbatum seriem, literis Ludovici XV designatus abbas anno 1716, a Clemente XI confirmatur anno 1719 IV nonas Martii. Ad infulas Noviomenses evectus anno 1731, unde ad ecclesiam Metensem traductus an. 1733.

Col. 273. A. 6. Jacobus *Hamelin*..... Ex commentariis, actis, titulisque apud hæredes
E hujus præsulis asservatis, quorum usum habuit & summam ad nos humanissime transmisit officiosus & eruditus vir D. Johannes *Colomb* sodalis noster, comperimus nec patriam nec familiam Jacobi primis Galliæ Christianæ scriptoribus, immo nec ipsi Baluzio innotuisse. Hæc igitur retractare, quoniam eo loci recurrit tanti viri mentio, non abs re erit, & quidem occurrit

1.° Testamentum Johannis *Hamelin* Jacobi patris, pannorum negotiatoris & indigenæ vici

cujusdam, qui in veteribus monumentis abbatiæ S. Vincentii Cenomanensis (ad quam præsentantio parochiæ spectat) dicitur Renaium vulgo *le René*, in tractu quem vocant Sannesium sive Sagonensem agrum, Gallice *le Sannois* diœcesis Cenomanensis, ab ipso Cenomano sex vel septem leucis septentrionem versus distantis, datum 6 Aprilis 1499, in quo testamenti curatores uxorem suam Natalem, fratrem suum Guillelmum *Hamelin* & Johannem filium instituit, omisso Jacobo, qui forte tunc temporis junior erat.

2.° Julianus *Aubert* ejusdem vici *du René* parochianus fundos quosdam ibidem sitos legat Jacobo *Hamelin* regis ordinario capellano, ea lege ut pro se Deum oret. Actum coram *Poslé* notario 9 Sept. 1520.

3.° Ipse Jacobus regi a consiliis secretis & commentariis necnon primarius ejus eleemosynarius domum emit sitam in vico *du René*. Actum Parisiis coram duobus notariis die Jovis 30 Martii 1530.

4.° Reverendus in Domino pater D. Jacobus *Hamelin* regi a consiliis, sacris confessionibus, &c. episcopus Tutelensis abbasque commendatarius S. Gildasii Bituricensis & S. Georgii Rotomagensis diœcesis prædia quædam emit, &c. in eodem pago sita. Actum Parisiis coram notariis publicis 24 Decemb. 1536.

5.° Regium diploma Compendii datum impetrat mense Februario 1537 pro nundinarum & emporii institutione in eodem vico qui dicitur natale ejus solum; & 10 April. paciscitur cum operariis pro refectionibus ecclesiæ parochialis ejusdem loci. Utrobique eosdem titulos obtinet quos supra.

6.° Extat apographum collatum & recognitum a duobus notariis *Maupeou* & *Bastonneau* die Veneris 11 Julii 1539 testamenti olographi Jacobi Tutelensis episcopi & chirographo ejus muniti, Senonis scripti die Mercurii ultima April. 1539, quo inter cætera placita cardinalem Matisconensem vult unum esse e testamentariis curatoribus, sepulturam suam mandat Franciscanis Senonensibus, & abbatiæ S. Gildasii 30 nummos solares, S. Georgii 40 legat sarciendis tectis impendendos.

7.° Aliud apographum continens recensionem supellectilis universæ, equorum, &c. hujus præsulis per Guillelmum *l'Huillier* Senonensem præfectum die 2 Maii 1539, cum epistolæ cardinalis Matisconensis datæ 1 Maii 1539 descriptione, ex quibus Jacobum obiisse 1 Maii aut 30 Aprilis 1539 eruitur, post 7 aut. 8 dierum Senonis commorationem, quo venerat in comitatu regis.

8.° Ecclesiæ Cenomanensis canonicus erat ab anno 1530, ut discimus ex literis Francisci I regis 4 & 8 Julii ejusdem anni datis & in archivis hujus ecclesiæ custoditis, quibus rex a capitulo petit usumfructum præbendæ in gratiam *Hamelin* licet absentis.

A

Col. 278. D. 13. Johannes-Audomarus *Joly de Fleury* item abbas Caziaci obiit Parisiis die 27 Novembris 1755. Cui successit

XXXIX. N. *de Savary de Breves* vicarius generalis archiepiscopi Viennensis a rege designatus abbas Albæ-Marlæ die 14 Decembris 1755.

Col. 313. A. 5. Col. 758. B. 3. Carolus *Beaupoil de Saint-Aulaire* abbas Mortuimaris & sancti Johannis Falesiensis moritur 29 Junii

B

1756 natus annos 87.

Col. 440. B. 13. Maria-Susanna *le Berceur* diem ultimum clausit 9 Novembris 1755 annos nata 72. Cui successit

XXII. N. *de Banueville* a rege nominata 4 Januarii 1756 abbatissa sancti Laurentii *de Cordeillon*.

Coll. 485, 486, 487. A clarissimo viro *Cousin* facultatis Parisiensis doctore & parocho S. Gervasii Abrincensis nuperas accepimus epistolas contestantes Richardum *Laneum* & Richardum *Anglicum*, seu *Anglum* vel *Angelum*, non

C

duos uti dictum est coll. 485 & 486, sed unum & eumdem fuisse episcopum Abrincensem. Quod sic probat ex fragmento chronici S. Michaelis in periculo maris, in quo leguntur hæc verba ad an. 1252 id est 1253 : *Obiit Guillelmus de Sanctamatre-Ecclesia* Abrincensis episcopus, *successit Richardus Anglicus.* Idem chronicon hæc habet ad annum 1269 : *Obiit Richardus Anglicus, successit Radulphus de Thevilla.* Statim adjicit hæc verba chronici Saviniacensis ad præfatum annum 1253: *Richardus dictus Laneus canonicus Abrincensis qui tunc Romæ erat, canonice electus est, & a D. papa Innocentio consecratus.* Ex quibus, inquit eruditis-

D

simus vir, colligere est Richardum in chronico S. Michaelis dictum *Anglicum* & in chronico Saviniacensi *Laneum*, eumdem fuisse episcopum diverse nuncupatum, qui rexit ecclesiam Abrincensem ab anno 1253 ad usque 1269. Ergo, addit ille, expungendus est Guillelmus recensitus col. 486 ad annos 1257 & 1258. Ergo omnia facta inter annos 1253 & 1269 enunciata soli Richardo attribuenda sunt. Ad Hugonem anno 1264 coll. 486 & 487 memoratum quod attinet, non absimilis videtur doctissimo parocho a Richardo qui, pergit ille, nonnunquam dictus est indiscriminatim *Richardus* & *Hugo*.

E

Col. 491. C. Robertus I *de la Porte*, *lege* Robertus *Porte*. Is recognoscit an. 1370 die Mart. ante festum S. Michaelis se immerito & contra usum decessorum episcoporum in ecclesiam S. Gervasii non descendisse, priusquam ecclesiæ cathedralis possessionem iniret. Ch. xi col. 237

Col. 581. A. 5. Guarinus occurrit an. 1192 in chartis Gemetici.

Col. 647. E. 3. Dele ab Alexandro III.

Col. 749. B. 9. Post V *adde* ad ann. 1300, 1303 & 1307.

Col. 749. IX. Robertus II. Hujus etiam tempore Maria Hispana Caroli II Valesii uxor sacellum in ecclesia fundavit.

Col. 750. XIV. Robertus III *Lavolle* bullam impetravit a Paulo II papa pro restituendis compilatis.

Col. 750. XV. Henricus *Hoart*, incertum an Rotomagensis.

Col. 751. Post Dionysium *Hurault* abbas fuit Antonius *Seguier*, cui successit alter Antonius *Seguier* ejus forte germanus, quos sequitur Nicolaus *Bourgeois*. Hunc excipit alter Antonius *Seguier* filius Petri *Seguier* in parlamento Parisiensi præsidis & canonicus ecclesiæ Parisiensis. Antonio succedit Dominicus *Seguier*, &c. Duo priores Antonii Trappæ commendatarii fuere itidem parlamenti consiliarii & Ludovico XIII ab eleemosynis.

Col. 909. Leonorius *Goyon de Matignon* episcopus Constantiensis obiit anno 1757, eique successit

Jacobus *le Fèvre du Quesnoy* vicarius generalis & abbas S. Salvatoris vicecomitis, a rege nominatus est episcopus Constantiensis 24 Aprilis 1757, & consecratus eodem anno exeunte.

Col. 930. Mathias *Poncet de la Rivière* Montiburgensem abbatiam liquit, commendam sancti Benigni Divionensis adepturus 27 Martii 1758.

A Petrus *Desmarets*, dimissa commenda sancti Benigni Divionensis, Mathim habuit successorem in Montiburgensi abbatia 27 Martii 1758.

Col. 948. Nicolaus *de Saulx-Tavannes* cardinalis, donatus est abbatia Signiaci in diœcesi Remensi 29 Januarii anno 1757, & eodem anno 21 Junii per obitum cardinalis *de la Rochefoucault*, renunciatus à rege major Franciæ eleemosynarius, necnon Sorbonnæ provisor electus anno 1758.

B *Col. 949.* Fredericus-Hieronymus *de la Rochefoucault* abbas Athanaci in urbe Lugdunensi, commendator ordinis sancti Spiritus, Parisiis interiit 29 Aprilis 1757, natus annos 56 menses 9 & dies 13, humatus est in ecclesia parochiali sancti Sulpitii, cor vero depositum in ecclesia sancti Martini à campis.

Ludovicus-Sextius *de Jarente de la Bruyère*, Massiliæ natus 21 Octobris 1706, ad episcopatum Diniensem nominatus anno 1747, post C mortem cardinalis *de la Rochefoucault*, à rege suscepit anno 1757 die 21 Junii munus eligendi dignos viros, qui ad ecclesiasticas dignitates promoverentur. Eidemque cardinali successit in abbatiam S. Wandregisili exeunte mense Julio anni ejusdem. E Diniensi sede per cessionem Ludovici-Josephi *de Montmorency-Laval* ad Condomiensem ecclesiam traducti anno 1757, accitus est anno 1758 die 2 Februarii ad episcopatum Aurelianensem. Itemque abbas Lirinensis.



ERRATA.

Col. 56. D. lin. 6. Henricum II, *lege* Richardum I.
Col. 200. C. lin. 13. & quin, *lege* quin &.
Col. 202. D. lin. 5. flagare, *lege* flagrare.
Col. 206. B. lin. 11. texilitate, *lege* exilitate.
Col. 206. E. lin. 3. Richardus, *lege* Robertus.
Col. 291. E. lin. 3. millia, *lege* millium.
Col. 474. E. lin. 1. Hugo I, *dele* I.
Col. 492. B. lin. 13. Maximinum, *lege* Maximum.
Col. 513. E. lin. 11. Doelnsis, *lege* Dolensis.
Col. 518. C. lin. 6. Bernradus, *lege* Bernardus.
Col. 524. C. lin. 8. Ilata, *lege* illata.
Col. 529. D. lin. 8. alia, *lege* aliæ.
Col. 626. C. lin. 3. Innocentius X, *lege* IV.
Col. 626. D. lin. 10. Guillelmus, *lege* Radulfus.
Col. 640. A. lin. 6. Maurilius, *lege* Mauritius.
Col. 661. C. lin. 2. Claudio-Mauritio, *lege* Claudio-Mauro.
Col. 662. D. lin. 5. Meloduni, *lege* Maloduni.
Col. 672. D. lin. 8. Johannes I, *lege* III.
Col. 673. A. lin. 4 Johannes II, *lege* IV.
Col. 699. D. lin. 6. Phiberto, *lege* Philiberto.
Col. 722. E. lin. 7. Johannis, *lege* Philippi.
Col. 723. A. lin. 8. prioratumque, *lege* prioratuumque.
Col. 762. lin. 37. Vimontier, lege *Vimoutier.*
Col. 831. E. lin. 8. fraterno, *lege* Fraterno.
Col. 844. D. lin. 3. 1197, *lege* 1297.
Col. 848. C. lin. 7. post audivit, *dele* punctum.
Col. 874. C. lin. 2. Hambecensis, *lege* Hambeiensis.
Col. 879. B. in marg. 1212, *lege* 1222.
Col. 883. A. lin. 10, jnrisdictionis, *lege* jurisdictionis.
Col. 885. B. lin. 13. Philipo, *lege* Philippo.
Col. 889. D. lin. 8. Eustachio, *lege* Egidio.
Ibid. lin. 13. Eustachius, *lege* Egidius.
Col. 891. C. lin. 1. Consilium, *lege* Concilium.
Col. 892. A lin. 5. regiminis, *lege* regimini.
Col. 893. D. lin. 7 & 8. Rotomagensi, *lege* Remensi.
Col. 894. D. lin. 10. 1621, *lege* 1521.
Col. 910. E. lin. 4. generoso, *lege* Generoso.
Col. 911. E. lin. 2. generosus, *lege* Generosus.
Col. 939. D. lin. 9. Quinacici, *lege* Quinciaci.

Errata in Instrumentis.

Col. 33. A. lin. 5. Hunagrorum, *lege* Hungarorum.
Col. 92. C. lin. 15. dele virgulam post senescalli *quam transfer post* ultimo.
Col. 127. B. lin. 2. Fiscanna, *lege* Fiscanni.
Col. 141. D. lin. 13. N, *lege* W.
Col. 234. Charta Henrici I, *lege* II. *& in margine* 1126 *lege* 1186.
Col. 295. C. lin. 10. Cristople, *lege* Christophle.



INSTRUMENTA

INSTRUMENTA
AD TOMUM XI.
GALLIÆ CHRISTIANÆ
IN PROVINCIAS ECCLESIASTICAS DISTRIBUTÆ
SPECTANTIA,
QUÆ PERTINENT AD METROPOLIM ROTOMAGENSEM.

I.

IN ipso Instrumentorum ecclesiæ Rotomagensis fronte variantes quasdam lectiones tam chronici Fontanellensis, quam Dudonis ecclesiæ Quintinopolitanæ decani exhibemus; quarum priores excerpsimus ex codice manuscripto ejusdem monasterii, posteriores ex alio codice manuscripto monasterii Gemeticensis. Cujus porro hic sit ætatis incompertum, sed certe perantiquum est: ad codicem Fontanellæ quod attinet, nono illum seculo scriptum esse oculis perspicuum est. Unde jure ac merito dici potest omnium quæ supersint, chronici illius exemplarium antiquissimum.

Jam vero duo sunt Fontanellensia chronica, alterum brevius, prolixius alterum, quamvis unicum vulgaverit Acherius noster eum duabus appendicibus in Spicilegio suo, tom. III pag. 185, & seqq.

CHRONICON BREVE.

Huic præfigitur prologus ille quem habes in Spicilegio pagg. 185, 186, & 187, titulumque habet non ut apud Acherium, Commemoratio genealogiæ Arnulphi episcopi, & Wandregesili nepotis ejus; *sed* Commemoratio genealogiæ donni Arnulfi episcopi, unde Francorum reges orti sunt. *Præfationis autem illius eæ sunt variantes lectiones:*

SPICILEG.		COD. MS.
P. 185. N. 10.	Rodonis quiescit	Redonis requiescit
N. 18.	Stephanus papa	Stephanus Romanus pontifex
N. 19.	& benedixit	& unxit
N. 24.	Irmegarda	Ermengarda
P. 186. N. 25.	exilio detrusus	exilio dampnatus
P. 187. N. 13.	consecratus	consecratur

Præfationem sequitur non chronicon Spicilegii cum hoc titulo, Incipiunt gesta sanctorum patrum Fontanellensis cœnobii; *sed ipsius S. Wandregisili vita, qualem edidit Mabillonius Act. SS. Bened. tom. II pag. 526, & seqq.*

Post vitam sancti Wandregisili sequuntur in brevi chronico capita quædam, quæ sub titulo alterius appendicis *edita sunt in Spicilegio pag. 249 & seqq. Deest autem prologus appendicis illius in codice manuscripto, qui præterea quatuor tantum priora appendicis capita complectitur sub hoc titulo,* De inventione & miraculis sancti Vulfranni, cujus corpus sacratissimum Fontanellæ continet cœnobium. *In prioribus illis quatuor capitibus notæ quædam chronologicæ immutatæ aut depravatæ sunt; quæ sunt alicujus momenti variantes lectiones hæ sunt.*

SPICILEG.		COD. MS.
P. 250. N. 4.	Illi populo	Ibi populo
P. 251. N. 28.	Ædificia cum ipso	Ædificia, scilicet anno CCLXXX a prima ædificatione sua exacto, cum ipso
P. 252. N. 13.	præscripsit: optima denique jura	præscripsit, quas præliis frequentibus ne ultra excederent compescuit: optima denique jura
P. 253. N. 10.	Abbati Girardo	Abbatique Girardo
N. 28.	condemnare potuerit. Res ergo	condemnare potuit. Sicque factum est ut tota possessio illa, cui licet injuste prædictus Theodericus rex dominabatur, quæ etiam possessio pridem fuerat de ditione monasterii Fontanellensis, Deo sanctoque confessori Christi Wandregisilo extunc hoc viso miraculo totaliter redderetur. Res ergo
P. 255. N. 6.	adest ques	adest eques
N. 7.	qui inde	qui deinde

Denique vita sancti Lantberti episcopi Lugdunensis, quam habes apud Mabillonium, Act. SS. Bened. tom. IV pag. 462, & seqq. & quam Acherius quonam ex codice desumpta erat non potuit reminisci, descripta est, & prima quidem manu, in codice Fontanellensi, sed manca & mutila quemadmodum apud Mabillonium. Hujus porro eæ sunt variantes lectiones:

ACT. SS. BENED.		COD. MS.
P. 462. N. 18.	plurima ecclesiæ	plurimæ ecclesiæ
P. 463. N. 15.	namque ditissimis atque honorabilibus	namque de ditissimis & honorabilibus
N. 33.	amplius fatigare nolite	amplius fatigari nolite
N. 4.	*retrogr.* DCLXV.	*Eadem nunc legitur in codice MS. nota chronologica; sed certissime scriptum erat prima manu* DCLIIII. *Dubito an castigatio illa, quæ sane antiquissima est, non sit ejusdem manus.*
P. 464. N. 9.	Domnum & in	Donnum vel Dominum & in
N. 26.	Ulmius	Ulmirus.

CHRONICON MAJUS.

Huic, ut in Spicilegio pag. 188 præfixus est titulus, Incipiunt gesta sanctorum patrum Fontanellensis cœnobii. *Variantes autem lectiones sunt hujusmodi, quas conferes, si lubet, cum variantibus quas Acherius ipse ad calcem voluminis apposuit.*

		SPICILEG.	COD. MS.
P. 189.	*ỽ. 22.*	audiens	adiens
	ỽ. 24.	ad vitæ arctioris explorandam semitam	ac vitæ actioris explorandi semitam
	ỽ. 30.	eodem loco	eo deinde loco
	ỽ. 35.	debriabat, atque gnaram bene credere gentem docebat, sedulisque	debriabat, sedulisque
B			
P. 190.	*ỽ. 4.*	possit habere	posset habere
	ỽ. 5.	Evangelico	coangelico
	ỽ. 10.	construit	construxit
	ỽ. 15.	filio suo Clodoveo & Batile.	filio ejus Hlodoveo & Balthilde
	ỽ. 17.	Botmarias	Bothmariacas
	ỽ. 21.	Gemmeticus	Gemeticus
	ỽ. 22.	circumdatum (in ipso	circumdatum, in quo
	ỽ. 32.	emanationis per mille spacia	manationis per spacia
P. 191.	*ỽ. 1.*	irrigua. Quia admirabilis	irrigua, quæ admirabilis
C	*ỽ. 8.*	passus octingentos	passus DCCCV
	ỽ. 20.	infusi	refusi
	ỽ. 22.	& hortorum amœnitate virentia.	& amœna virentia
	ỽ. 23.	liceat	libeat
	ỽ. 26.	prope aquas	propter aquas
	ỽ. 31.	pretiosissimus	sanctus
	ỽ. 33.	statuerunt	studuerunt
P. 192.	*ỽ. 4.*	Indictione III qui erat	Indictione III ævo III qui erat
	ỽ. 7.	Martino III porro	Martino: porro
	ỽ. 8.	anno IV	*Post voculam* anno *deleta est nota chronologica primæ manus; cujus loco manus posterior emendavit in hunc modum:* X.°
D	*ỽ. 12.*	admirabilis in eodem	admirabilis pater in eodem
P. 194.	*ỽ. 3.*	jussu ejusdem regis & matris suæ Nanthildæ, quæ cum eo regnum tenebat, auctoritas confirmationis; ut veluti patris sui tempore, ita in postmodum ex sua indulgentia perenniter valeret possidere. Edita	jussu regis & reginæ, ut ex sua indulgentia jugiter teneret. Edita
E	*ỽ. 8.*	anno primo *&c. usque ad hæc verba versus 15.* Defuncto autem Rothmaro	*Hæc omnia desunt in codice MS.*
	ỽ. 16.	Amantius in pueritiæ vel adolescentiæ annis	Airannus in pueritiæ annis

		SPICILEG.	COD. MS.
P. 194.	*ỽ. 24.*	sub anno undecimo *&c. usque ad hæc verba versus 29.* Edita fuit anno duodecimo	*Hæc omnia desunt in codice MS. Et certe delendi videntur versus 24 & 25, qui nihil aliud continent quam notam chronologicam ædificati monasterii, eo loci valde absonam. Reliqua tamen servari nil vetat, ut hæc verba,* Edita fuit anno duodecimo, *apprime cadant in instrumentum confirmationis.*
P. 195.	*ỽ. 1.*	ab almifico ac cum omni honorificentia nominando protectore nostro clarissimo sacerdote Wandregisilo	ab almifico Wandregisilo
	ỽ. 5.	usque ad decimum *&c. usque ad hæc verba versus 28 paginæ 197.* Hic namque Bainus episcopus	*Hæc omnia desunt in codice MS.*
P. 198.	*ỽ. 9.*	trigesimo primo post	trigesimo post
	ỽ. 13.	annis novem	annos undecim } *utraque emendatio recentiori, antiquissima tamen manu.*
	ỽ. 14.	annis undecim	annos novem
	ỽ. 17.	tumulati fuerant.	*Ita definit caput secundum in Spicilegio. Sed codex MS. addit ea omnia quæ habes ibidem pag. 197 ab his verbis versus 11.* huic admirabili præsuli; *ita tamen ut nomina propria scripta sint in hunc modum:* Alpicum, Curbavia, Albachalhannido, Tremlido, *legaturque* forestariis *pro* præstariis, Pausas *pro* Pansas; Sicboldus *denique pro* Sicbaldus.
P. 199.	*ỽ. 6.*	in Tartam	*Legendum uno verbo* intartam: *quæ vox significat* perversum *seu* tyrannum, *a verbo Græco* ἀτηρὸς. *Vide Act. SS. Bened. tom. IV pag. 131, not. C.*
	ỽ. 21.	Traiclo	Trajecto
P. 200.	*ỽ. 2.*	Rothmundus	Hrotmundus (*id est* Fromondus)
	ỽ. 15.	Longensis	Logensis
	ỽ. 26.	sub rupe ecclesiolam	Sub rupe illa ecclesiam
P. 201.	*ỽ. 24.*	De Bagga monacho ac presbytero.	De sancto Baga presbytero.
P. 202.	*ỽ. 15.*	ipsum benignum	Jesum benignum
	ỽ. 23.	De horto Launo sylva	De Arlauno silva.
	ỽ. 27.	Theobaldo	Teodaldo.
	ỽ. 31.	per illum locum	per illum lacum
	ỽ. 33.	Sarconos	Sarcovos
P. 203.	*ỽ. 9.*	secus primam viam publicam quæ dicitur ad Vos pontes	secus illam viam publicam quæ dicitur ad Duos pontes
	ỽ. 8.	*retrogr.* pensavit	pensat

	Spicileg.	*Cod. MS.*
P. 203. ℣. 4.	Sennam & Maronis	Semnau & Mauronis
P. 204. ℣. 2.	*retrogr.* Major domus quondam. Item	Major domus quondam in Tarta. Item. *Sed hic legendum uno verbo* intarta. *Vide emendationem versus 6. paginæ 199.*
P. 205. ℣. 1.	Nervimaco	Nerviniaco
℣. 5.	Litor	ictor
℣. 11.	fratrem	filium
℣. 13.	Summacianna	Summacranna largitus est
℣. 15.	Roccolini lutum & Mancicum	Roccolini lucum & Manciacum largitus est
℣. 21.	Decessit decimo tertio Kalend. Aprilis.	Obiit autem isdem venerabilis Pater Benignus decimo tertio Kal. Aprilis.
℣. 9.	*retrogr.* Adaltrude primogenitus	Adeltrude progenitus
℣. 6.	Incarnationis septingentesimo vigesimo tertio	Incarnationis DCCXXXIX. (*Hæc tria recentiori manu emendata.*)
℣. 5.	Indict. VI.	Indict. XV.
P. 206. ℣. 2.	Septingentesimo & trigesimo, Indict. XIII.	DCCXLVIII. Indict. VIII.
P. 207. ℣. 1.	Vigesimus a Mellone	Vigesimus tertius a Mallono
℣. 11.	Indictione duodecima	Indict. XI.
℣. 14.	feria IV. Inter reliqua	feria IV. Factus vero præsul contulit possessionem suam quæ vocatur Molinus Cottus huic cœnobio, sitam in pago Belloacensi super fluvium Masso, continentem mansos LXXXIV. Inter reliqua
℣. 15.	Witslanam	Vintlanam
℣. 19.	illustris nomine	illustris vir, nomine
℣. 20.	Digmaniaco	Dogmaniaco
℣. 23.	Veringo	Vernigo
℣. 30.	Mensatas ad unum	Mensatas hoc in cœnobio constituit deputatis videlicet villis, quæ per unum
℣. 31.	sufficientes	sufficientem
P. 208.	Gesta Landonis &c.	*Titulus ille capitis IX sic se habet in codice MS.* Gesta Landonis episcopi atque abbatis
℣. 14.	*retrogr.* Septingentesimus trigesimus primus, Indictione decima quarta	*Eadem nota chronologica in codice MS. sed ad marginem recenti manu,* DCCXLIX. Indict. IX.
℣. 13.	*retrogr.* Waxinna	Warinna
P. 209. ℣. 24.	Materni	Martini
P. 210. ℣. ult.	rebus ablatis	rebus nobilioribus ablatis
P. 211. ℣. 12.	Warinnam cum	Warinnam: fiscos duos qui sunt in pago Tellau juxta fluvios Tellas & Warinna cum
℣. 19.	Vinonis & Ernomii	Nivonis & Ermonis
℣. 27.	Balciduum	Balcinium
℣. 32.	Cuniculi al.... in pago	Cucunioli in pago
℣. 33.	novem	octo
P. 212. ℣. 6.	principis	principatus

	Spicileg.	*Cod. MS.*
P. 212. ℣. 14.	jure ecclesiarum ac cœnobiorum ablato	de jure ecclesiarum ac cœnobiorum ablata
℣. 30.	Videtur	valet
P. 213. ℣. 11.	Gocia	Gotia
℣. 13.	primum	illum
℣. 21.	Acluma	Adhima
℣. 3.	*retrogr.* Erinhardus	Erinharius
P. 214. ℣. 12.	deficienti metallo	de sufficienti metallo
P. 215. ℣. 8.	semispiacium	semi-spatium
℣. ult.	Constantini	Constantino
P. 216. ℣. 12.	Hic Raginfridus	Hunc Raginfridum
℣. 13.	oriundus extitit	ortum fuisse constat
P. 217. ℣. 28.	ovespascuætuæ	oves gregis tui
P. 219. ℣. 6.	*retrogr.* Hildeberto	Hiltberto
℣. 4.	Cora	Eora
P. 220. ℣. 2.	in Tarta	*Vide emendationem versus 6. paginæ 199.*
℣. 4.	feria secunda	feria tertia
℣. 26.	item idem ad Rusticum	Item ejusdem ad Rusticum presbyterum
℣. 27.	apostolum. Item	apostolum fratrem Domini. Item
℣. 29.	in codice uno Jordani	codicem unum Jordanis.
℣. 30.	Gottharum	Getarum
P. 221. ℣. 4.	editam	editi
℣. ult.	Widonis laici vero abbatis annus primus.	*Hæc desunt in cod. MS.*
P. 222. ℣. 13.	*retrogr.* implere	impertiri
℣. 9.	ita se omnibus	ita se in omnibus
℣. 7.	videbat	audiebat
P. 223. ℣. 3.	Vicini	Vicani
P. 225. ℣. 6.	*retrogr.* promiit	promit
P. 231. ℣. 3.	*retrogr.* DCCCVI. qui erat	DCCCVI. Indict. VII. qui erat
P. 232. ℣. 5.	DCCCXXIII.	DCCCXXII.
℣. 15.	Girowaldo	Geroaldo
P. 233. ℣. 6.	refector, profluus ditator	refector profluus, ditator
℣. 13.	in ditione	de ditione
P. 234. ℣. 10	*retrogr.* quo	qui (*pro* quod, *ut videtur.*)
P. 236. ℣. 8.	annexos	adnixos
℣. 11.	Rodinum	Dirodinum
℣. 19.	portionem &c.	*Hi octo aut novem versus usque ad verba* Calicem aureum, *desunt hic in cod. MS. sed inserti sunt versui 10 p. 237, post vocem* eburneis.
P. 237. ℣. 2.	pixidas	Bullicas
℣. 10.	eburneis.	*Vide animadversionem in versum 19 pag. 236.*
P. 241. ℣. 2.	*retrogr.* decimo octavo	decimo
P. 243. ℣. ult.	Ad Anagrates &c.	*Hæc omnia usque ad verba* Rexit autem *versus 15 paginæ sequentis, desunt in cod. MS.*
℣. 23.	Constitutio Ansegisi &c.	*Hæc omnia similiter desunt in cod. MS. usque ad appendicem primam.*
P. 248. ℣. 6.	*retrogr.* insigniis declarare	insigniis illustrare
P. 249. ℣. 6.	sed rerum	sed de rerum
℣. 7.	veritatem	veritate

Spicileg.		*Cod. MS.*
P.258. N.21.	Hotwini	Gotwini
P.262. N.13.	inclangorium	in clangorium
P.263. N.13.	in opificio	in cujus opificio

Desinit Spicilegium in hæc verba paginæ 270. ovantes detulerunt; *sed longe diffusior est codex MS. Pergit enim ille in hunc modum:* sed quum juxta S. Ermelandi basilicam, *& cætera quæ habes in Actis SS. Bened. tomo III pag. 374.*

II.

DUDONEM *typis mandavit Querceranus inter historiæ Normannicæ scriptores, pag. 51 & seqq. Variantes hujus lectiones ex codice Gemeticensi excerptas perpaucas habemus, sed non spernendas.*

Edit.		*Cod. MS.*
P.62. N.11.	Ponto recipitur	Ponto Scithico recipitur
P.64. N.12.	Lunxc urbem	juxta urbem
N.45.	deportatus	deportatur
N.46.	totum	tantum
P.65. N.46.	mare mediterraneum	mare velivolum
P.71. N. 5.	stimulantem	simulantem
P.90. N.22.	novit se fieri	vovit se fieri
P.94. N. 4.	veram Franciam	verum Franciam
P.97. N.18.	quo servi petulanti	quo cervi petulanti
P.98. N.12.	venit ad Balonis	venit ad Baionis
P.100. N.15.	me nolente	me nolentem.
P.101. N. 8.	rege..... pariter	rege & duce pariter *(sed hæ duæ voculæ,* & duce, *recentiori manu additæ.)*
P.105. N.43.	parvissimam clavium	parvissimam clavim
P.106. N. 3.	XIII Kal.	XVI Kal.
P.115. N.17.	terrore	mœrore
N.41.	detur minare	determinare
P.119. N.36.	auxiliabitur	anxiabatur
P.132. N. 5.	videntes ut lupi	ut bidentes lupi
P.136. N.47.	futuri nuptiis connubio	futuri nuptus connubio
P.138. N. 9.	Flandrenses minatur, & devastat Dacos & Lotharienses, quin etiam *&c.*	*Sic interpungendum videtur:* Flandrenses minatur & devastat; Dacos & Lotharienses, quin etiam *&c.*
P.152. N.44.	nocentes	nescentes
P.157. N.55.	ululatuum. Quis vero	ululatuum. Tenebatur namque a populo feretrum, & retrahebatur retrorsum ne clauderetur sepulcrum; ut vel imo articulo superesset corpus in propatulo, quo satisfacerent suo desiderio. Quis vero
P.158. N.18.	millesimo secundo	*Abrasa est nota chronologica prioris manus; & scriptum recentiori manu* DCCCCXCVI.

III.

Charta de Abbatia Avangliæ.

986.

IN Christi nomine Gilbertus divina propitiatione abbas, omnisque grex Carnotensis cœnobii....... Quocirca universorum fidelium tam præsentium quam succedentium perpenderit industria, quoniam adierit quidam miles, Vibertus nomine, nostræ devotionis unanimem consensum, suppliciter deprecans, ut sibi suæque conjugi vocabulo Aige, unique heredi eorum, in pago Vilcasino, ex abbatia Beatæ Mariæ, quam illius loci incolæ Avangliam dicunt, in loco qui vocatur Altera-villa, mansum unum in dominicatu, cum universis ejusdem mansi appendiciis, sub annuo redditu vel censu concederemus. Igitur petitioni ejus concordibus animis assentientes, sibi atque ipsius jam dictæ uxori, uni quoque heredi eorum, ut dictum est, præfatum mansum concedimus, illa videlicet ratione servata, ut singulis annis in solennitate S. Remigii solidos sex persolvant &c....... Actum Gisiaco fundo III Kalend. Octobris primo anno regni Cludovici, indict. XIV.

IV.

Charta regis Roberti pro Fiscannensi monasterio.

1006.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Robertus divina favente clementia rex. Cum inter discretos gradus ecclesiastici ordinis & mundani persona sacerdotalis & regia principalem obtineant dignitatem, tanto in regendo corpore totius ecclesiæ debent cautiores fieri, & in providendis utilitatibus humiliari, quanto se conspiciunt omnibus præferri, illius exemplo ad hoc provocati qui utriusque personæ ministerio in se suscepto discipulis ait: *Non veni ministrari, sed ministrare.* Ergo quoniam inter numerum illorum computamur qui regali censentur nomine, si in omnibus hujus nominis officium devote nequimus adimplere, nimis impium est omnia inefficaciter præterire; unde Fiscannensis quam orationis gratia visitavimus justam ecclesiæ causam qua interpellamur, & benigne suscipimus & gratanter adimplemus. Notum sit igitur præsentibus & futuris, quod pia sumus petitione dilectissimi fidelis nostri Ricardi comitis exorati, ut res quas huic loco in honore Sanctæ Trinitatis Consubstantialis Patris & Filii & Spiritus sancti consecrato tradidit, & per chartæ testamentum firmavit, nos quoque nostro præcepto corroboraremus. Cujus preces delectabiliter auditas, sicut justum est, suscepimus tam libenter implendas. Pii enim prioris Ricardi intentio ad hoc hunc locum construxit, ut monachorum ordo ibi sub regula S. Benedicti viveret, & Dei laudibus inserviret. Quod desiderium, quum morte præveniente adimplere non potuit, pius filius Ricardus æquivocus implere procuravit. Et divina providentia repertum domnum abbatem Willelmum hujus monasticæ religionis, quæ ibi cernitur, præfecit magistrum & rectorem, sub quo crescente multitudine monachorum, hic comes Ricardus junior temporale bonum augere studuit in comitatu Calciacensi in ipsa villa Fiscanno tertiam partem hospitum quos colonos vocant cum terra arabili quæ ad ipsam tertiam partem pertinet. Silvæ unam partem a publica strata usque ad mare terminatam. Cui etiam dedit in Rothomagensi civitate ecclesiam sancti Paterni cum uno manso ubi sita est, quod cia. dit r ex uno latere muro civitatis, ex tribus partibus cingitur via publica. Hæc & omnia quæ data sunt ab ipso comite, vel a patre illius, vel nostra largitione collata sunt, vel a quocumque fideli huic loco deinceps fuerint conferenda, sancimus, corroboramus, justeque decernentes permittimus secundum proprii rectoris arbitrium regulari more cuncta esse disponenda sine contradictione, impeditione vel oppressione cujuscumque regis, ducis, pontificis, vicecomitis, magnæ parvæque personæ, quacumque dignitate, officio, sive ordine in ecclesiasticis, mundanisve rebus occupatæ, perfunctæ, seu quavis occasione alicujus ministerii præfectæ. *In omnibus ergo & per omnia sit ab omni subjectionis impedimento hujus loci congregatio Christo sub suo militans gubernatore adeo libera,* ut quæque cujuscumque sibi congruentis negotii necessaria in ecclesiasticis vel mundanis ordinationibus seu dispositionibus, ei prospicere, expetere, atque a quocumque vel ubicumque adquirere, ipsisque libere sine cujuspiam contradictione uti omni liceat tempore. In abbatis autem electione, ordinatione,

sive consecratione, illa apud istos consuetudo sequatur quæ hactenus in Cluniaco cœnobiorum servata est illustrissimo, unde fons sanctæ monasticæ religionis per multa jam longe lateque derivatus loca, ad huncusque divino profluxit principio. Nichil quippe horum quibus inibi Dei possit impediri servitus subreptori relinquimus avaro. Dum quæque ad continendam quietis securitatem cuicumque monastico nostris a prædecessoribus regali concessa authoritate, Nos in honore Sanctæ Trinitatis dedicato, his etiam si pleniter non notantur scriptis, huic sacro Fiscannensi libentissime annuimus loco. Cujus ut sanctæ quæ ibi, Domini opitulante gratia, digne modo religionis viget observatio non deficiat, sed magis ac magis ad profectum tam nostræ quam omnium fidelium proficiat animarum, sicut nulli ordini, dignitati, potestati, hereditariæque successioni, nostræ quin immo Majestati super idem jus relinquere decrevimus dominationis. Ita ut nulli, si, quod absit, habitatores ejus a tam bene jam cœpto rectitudinis aliquando deviaverint proposito, in pristinum illud reformandi potestatem denegamus, hinc digne a Christo mercedem promereri qui voluerit recompensationis. Et ut nostræ auctoritas confirmationis inviolabilem atque inconvulsam optineat firmitatem, annuli ac monogrammatis nostri signo illam decrevimus insignire. Quam si quis iram Dei non metuens, regalem auctoritatem, terribilemque episcoporum parvipendens contestationem ausu nefario infringere præsumpserit, publica compellatur vi auri optimi libras persolvere centum, totidemque probati talenta argenti, medietatemque gazæ regiæ, medietatemque ipsi sancto loco cui vim nisus fuerit inferre impio quoque ipse frustratus conamine. Actum Fiscanni anno Dominicæ Incarnationis M° VI.[to] Indictione IIII.[a] die tertio ante Kalendas Junias V feria, Dominicæ Ascensionis gaudio celeberrima, feliciter.

V.

Ex Neustria pia. pag. 412.

Fundatio monasterii SS. Trinitatis, seu sanctæ Catharinæ de Monte, supra Rotomagum.

1030. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Robertus divina ordinante providentia Normannorum dux & rector. Si fidelium nostrorum petitionibus &c..... Proinde notum esse cunctis regni nostri fidelibus, tam præsentibus quam futuris, volumus qualiter ad suggestum quorumdam fidelium nostrorum, Goscelini videlicet comitis, & Emmelinæ uxoris ejus, locum nostræ serenitatis dono concessum haud procul ab urbe Rotomago, vicino monte, super fluvium Sequanæ, in quo ipsi ex proprio censu in honorem & venerationem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, necnon gloriosæ genitricis Dei Virginis Mariæ, omniumque simul Sanctorum, ecclesiam fundaverunt, hunc locum immunem juris nostri judiciaria exactione reddentes, & ecclesiasticis usibus mancipantes, in perpetuum concedimus. De proventu quoque laborum suorum, id est, de terris, vineis, pascuis, aut de rebus donatis aut coëmtis, si qua ex eis pro victu & vestitu servorum Dei, aut instauratione ædificiorum aut rerum necessariarum, vendere ratio aut necessitas compulerit, quicquid ex hac venditione ad nostrum jus pertinet, cum omni quietudine illis habere concedimus. Sed & res quas memorati fideles ex rebus suis hereditariis, & ex nostra cessione, in usum monachorum ibi famulantium ad eumdem locum stipendiarias deputaverunt: id est, in pago *Talou* villam unam quæ ab incolis de *Canehan* dicitur: in eodem pago Villare cum tribus molendinis, & unam ecclesiam cum omnibus videlicet quæ ad illam videntur appenditia: in ipso quoque pago prædium ad villam *Cadecote* pertinens, cum omnibus appenditiis suis, id est, salinis, terra in dumetis maritimis & in campis & in aliis: ecclesiam quoque de Appevilla cum

A decima, necnon & decimam molendini: in pastura quoque ecclesiam unam supra mare positam, & unum parvum gardinum in Deppa, & dies Dominicos Piscariæ de Archas: ecclesiam quoque de *Muchedent*: villæ etiam quæ dicitur *Tosses*, partem illam quæ ad Goscelinum pertinebat: in pago denique Rotomagensi Amelini (*seu potius* Ancelmi) villam cum ecclesia, & molendinis juxta murum ipsius supra fluviolum Rodebecum: molendinum unum juxta insulam super alveum Sequanæ, quam nominant *Corthulmin*, alio quidem vocabulo Oystelum: in pago Liciatensi medietatem Brandevillæ, & dimidiam ecclesiam: in pago Constantiniensi Ernaldum mansionalem: in pago Ebroicensi duas ecclesias, scilicet de Granigero cum tota decima; & *Delbost* & *Molbost*, duas mansiones; & Novientum cum omnibus appenditiis suis, id est, cum medietate *Dricour*, & medietatem Allaviri, cum

B viculo Northerti, ecclesiis, molendinis, aquis, pratis, pascuis, ceterisque ad eum pertinentibus; & totam terram Corbuzonis, cum omnibus appenditiis suis: & quodcumque possidebant in valle Vattenenti, scilicet vineas suas, & coëmtionem omnium vinearum, quas tenebant de quodam homine, nomine Galtherio: in territorio Vernonensi, in Longa villa, decem arpentes vineæ: in suburbio Rotomagensi ecclesiam sancti Eligii: & in pago Liciatensi Martainvillam cum omnibus appenditiis suis. Quæ ego dedi in usum monachorum Deo inibi famulantium, præsentibus fidelibus nostris, domino videlicet archipræsule Roberto, avunculo meo, necnon & comite Gilleberto, & ceteris, quos non est præsentis negotii exponere. Sed ne quis contra hunc inscriptionis titulum contradictionis temerariæ signum erigat, nostræ auctoritatis

C privilegio firmamus. S. Roberti marchisi, Roberti archiepiscopi, Goscelini vicecomitis, qui hunc locum construxit, & donativis ampliavit. Actum Rotomagensi urbe anno Dominicæ Incarnationis 1030, Indictione XIII, Roberto rege Francorum, Roberto vero Richardi filio Normannorum regnum moderante.

VI.

Charta Drogonis comitis Ambianensis, in gratiam Gemeticensium.

Ex Sammarthanis, & Neustria pia.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Drogo nutu superni Regis comes patriæ Ambianensis, volo notum esse tam dominis meis quam fidelibus, sociis & heredibus cunctis, quæ quos monet causa, vel ratio hujus cartulæ, hoc quod loquitur nunc scriptis olim factis, post alios me firmasse. Re- 1030.

D gina Francorum Batildis Regi regum ancillata, multimode sicut multipliciter reperitur ejus in gestis, inter cetera quæ reliquit posteris bonitatis exempla, quæ etiam juste constituta sunt in memoria æterna, quamdam villam quæ Genestevilla vulgo dicitur, & proprie in sumptus regios expendebatur, dedit ad Gemmeticensis abbatiæ capitale monasterium, quod in honore sancti Petri Apostolorum principis est antiquitus dedicatum: illam vero ne quisquis exinde sibi vindicaret, saltem in aliquo violentiâ cupiditatis humanæ, facto & confirmato legaliter testamento, dedit in perpetuum possidendam jure hereditario, cum suis omnibus appenditiis, mansionibus, ecclesiis, molendinis, aliisque hujusmodi compluribus, quas juste vel

E injuste mundanis usurpantur legibus. Hoc autem sicut tunc mansit firmatum, sic postea permansit omnimodis firmum, usque ad tempora avi mei, & ejusdem loci abbatis videlicet Rotberti, qui quorumdam sæcularium malitia urgente coactus, postulavit ab illo, ut ex ea terra sibi fieret adversus adversarios advocatus, & taliter legis mundanæ succrescente usu superfluo, illa cœpit fatigari diversi census innumero ritu, ad votum advocatorum usque ad tempus meum. Quapropter vir bonæ memoriæ Theodericus tunc temporis

abbas supradicti cœnobii, miserias incolarum condolens, & cum compassione intima ferens, studuit a me obtinere meritis & precibus, ut superstitio tanta abdicaretur. Igitur Rotomagensis monetæ 62 libras mihi obtulit, necnon sex equos magni pretii præsentavit, & insuper tres monachos permisit deinceps futuros assidue in prædicto monasterio, qui regulariter militarent, pro animarum quarumcumque vellem remedio. Ego autem hominem Dei offendere nolens, imo Deum in homine diligens, simul ac formidans, hoc ut subveniret ad redemptionem animarum suarum, avo meo & aviæ sub quorum manibus illa xenia increvere, ut adhuc succurreret patri meo vel matri, quorum in curia tributarios census constat non tam quiescere quam removeri, ut insuper mihi & conjugi meæ Etiæ, vel Emmæ nomine, cunctisque nostris ex carne nostra heredibus, animarum & corporum adcresceret salus, recepi oblata, concessi petita, hujus prolocutionis, conventionis alterna. Quod qualiter actum sit ut liquido pateat, terram jam dictam quæ ad supradictam abbatiam quamvis inquiete, possessive tamen pendebat, quam manus nostra & nostrorum consuetudinibus variis & exactionibus diversis eam inquietabat, legatam exsolvi, solutam dimisi, dimissam reddidi. Scilicet postmodum immunem a consuetudinaria exactione, securam ab exactoria consuetudine; & ut brevius ac lucidius dicam, omnino vacuam tam in bono quam in malo advocatione, ut ex integro liberata a nostris nostrorumque legibus, monachorum tantummodo Gemmeticensium inserviret usibus, quamdiu moveretur præsentis seculi volubile tempus. Ut autem hujus conventionis laudabile pactum stabile permaneat ex tunc in perpetuum, inde hoc scriptum fieri jussi, & manu propria corroboravi. Quod si quis meorum heredum, vel aliorum, quod Deus prohibeat, quorumlibet successorum infringere præsumpserit, vi vel quolibet ingenio ex omnibus quæ loquitur, ne Deum in multis saltem, in uno imprimis iram Dei omnipotentis incurrat &c. Anno ab Incarnatione Domini MXXX, Indictione XIII, regnante rege Francorum Rotberto, anno regni sui XLII, & filii ejus Heinrici concorditer cum eo regnantis anno jam quarto. Actum est apud castrum Melantum. Henricus gratia Dei Francorum rex, hanc cartam a beatæ memoriæ patre meo Rotberto confirmatam, regia auctoritate similiter confirmo. S. Rotberti Northmannorum ducis, S. Drogonis comitis, S. Wualtheri filii.

VII.

Ex Semmarshamo.

Donatio facta a Malgero archiepiscopo ecclesiæ S. Petri Carnotensis.

Circiter 1045.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Opportunum valde est & omnino necessarium cuique fidelium Dominum timentium, & portionem habere cupientium in regione vivorum, ut de rebus quæ temporaliter possident, Dominum & Sanctos ejus atque eorum loca honorare, ditare, atque sublimare studeat, quatenus pro temporalibus æterna adquirat, & pro terrenis cœlestia obtineat. Ab exordio igitur nascentis ecclesiæ fuerunt viri religiosi Dominum timentes, & vera bona promereri desiderantes, qui ecclesiam Dei de suis possessionibus honoraverunt & exaltaverunt, unde a Christo dignam receperunt mercedem. Hinc est quod cogitans vigili mente ego *Malgerius* Dei gratia *Sanctæ Mariæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus*, pro divino amore & remedio animæ meæ & redemptione animarum parentum meorum, census telonei quod apud Andeliacum a ministris meis accipitur, S. Petro Carnotensis cœnobii & monachis ibidem famulantibus perpetualiter perdonavi, ut nullum teloneum persolvant imposterum de rebus S. Petri per flumen Sequanæ Rotomagum adductis. Hoc quoque perdonavi interventu Landrici dicti cœnobii abbatis. Si quis autem ecclesiæ rerum invasor hanc donationem voluerit delere, destruat illud ita ut non habeat partem in regno Dei. Quatenus autem hujus donationis authoritas firma permaneat, manu propria eam cum signo crucis firmavi, & fidelibus meis quorum nomina scripta habentur, firmare mecum præcepi. Sig. *Malgerii* archiepiscopi, S. Osberni decani, S. Hugonis archidiaconi, S. Fulberti cancellarii, S. Radbodi canonici, S. Rodberti levitæ, S. Gosleberti, S. Gerardi Pincernarum magistri comitis Wilelmi, S. Heriberti laïci, S. Stephani laïci. Alberti monachi & præpositi Gisiacensis, S. Ramerii monachi & æditui, S. Mainardi monachi & bajuli, Landrici abbatis, S. Gaufridi & Haimerici, S. Roscelini Rotomagensis, S. Oduini majoris.

VIII.

Fundatio abbatiæ Sigeii.

Ex Spicil. tom. XII pag. 288.

Circiter 1032.

QUONIAM vita mortalium in hoc mundo admodum brevi intercluditur spatio, & antecessores nostri corporis indumentis exuti verissimis hoc approbant argumentis, oportet nos eorum adhuc superstites ultimam resolutionis clementiam cum omni cautela providere, & qualiter in divinæ Majestatis præsentia veniam consequamur subtiliter pertractare. Sanctorum Patrum auctoritate docemur, quod hæc activæ mortalitatis vita ad contemplationis celsitudinem sit quasi quoddam ascensionis adminiculum. Et ideo bona transitoria nobis divinæ largitatis dono conceduntur, ut æterna vereque manentia Deo reddentes, vicissitudinem per charitatis officium mercemur. Quapropter ego Hugo divinitus præ ceteris salubriter admonitus, in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, in honore sanctorum Confessorum Martini & Wlgalrii, abbatiam construxi in loco qui dicitur *Sigey*, ... ea quæ subscripta sunt, donavi, & ... terram sancti Martini, & duo molendina, & ecclesias supraseriptas * cum earum præsentationibus. Villam etiam totam quæ dicitur *Becmicort*, apud Fraclam-coxam terram unius carrucæ, & pratum de Ulmo. In Monte *de Calvincourt* XL agros * ad vineam faciendam, silvam etiam quæ incipit a via Rotomagensi usque ad divisionem silvæ Gauffredi & Warnerii; ecclesiam *de Orgoil*, ecclesiam *de Suggey;* & in ipsa villa terram unius carrucæ, & unum mansum & decem cartarios *; in Cousangevilla terram unius carrucæ, & V mansos, ecclesiam sancti Samsonis, ecclesiam sancti Petri in castro, & ecclesiam Sanctæ Trinitatis extra castrum, ecclesiam beatæ Virginis Mariæ de Castillone, ecclesiam etiam *de Semvatimont* cum terra presbyteri, & Baidernæ beneficium, ecclesiam sanctæ Mariæ de Goillofontana cum terra presbyteri; terram etiam Warnerii, & molendinum unum cum terra unius carrucæ; ad hoc ecclesiam de Balsas, & XXX agros, & *Lesgors de Poses*, & piscatorem unum cum terra sua ad *Pont des Arches*. Præterea ecclesiam Bilcei, & feiram sancti Martini, feiram etiam sancti Michaëlis, & feiram sanctæ Margaretæ, & ecclesiam de Osbervilla, & terra *Abloders*, & Osridum cum Goscelino & Dragolino; terram etiam Roberti *le Mant*, & terram Ricardi *le Dringli*. Ad ultimum vero decimationem silvarum, axarum, molendinorum, denariorum, equorum, vaccarum, porcorum, & ovium, caseorum & piscium; & ut bene concludam, totius possessionis meæ decimationem.

Hæc, inquam, pro remedio animæ meæ, patris & matris meæ ad supradictum locum dedi, eo rationis tenore, ut sine contradictionis molestia ea perpetualiter habeant, & hereditaria lege possideant ibi Deo servientes, & sanctis ejus Confessoribus Martino scilicet & Wulganio. Hujus etenim concessionis rationem tali auctoritate firmavi, ut quicumque ea manu contradictoria vel violenta deteriorare præsumserit, perpetuæ damnationis ultioni subjaceat: quam abbatiam sub

* Forte suprascriptas
* Forte act
* Forte quarteria.

jurejurando sancto Petro apostolo, sanctoque Audoëno tradidi jure hereditario possidendam, ut moriente abbate per succedentia tempora exinde eidem loco subrogetur. Signum Hugonis hujus donativi actoris. Ego Malgerus gratia Dei Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopus hoc signo ✠ istud donatium * confirmo. Ego quoque Nicolaus Deo miserante abbas institutus hoc idem confirmo non dissimili signo. Hugonis indigni archidiaconi signum. Signum Willelmi comitis filii Roberti gloriosissimi ducis Normannorum. Signum Willelmi magistri comitis. Signum Nigelli vicecomitis. Signum Geffredi vicecomitis. Signum Radulphi *Teisson*.

* Forte donativum.

IX.

Fundatio monasterii S. Victoris in Caletis.

Ex Pommer. Histor. abbat. sancti Audoëni, p. 441.

1055. WILLELMUS Dei gratia dux Normannorum omnibus ad quos literæ istæ pervenerint salutem. Sciant tam præsentes quam futuri, quod coram me, & assensu meo, & Malgerii archiepiscopi, quidam nobilis clericus nomine *Tormor* ecclesiam sancti Victoris de Caleto, quæ sua erat jure hereditario, & absque calumnia, cum omni patrimonio suo quod habebat in terris & in reditibus, ecclesiæ sancti Audoëni æternaliter possidendam in eleemosynam dedit tempore domni Nicolai abbatis ad habitationem monachorum S. Audoëni; & ipse cum nutritio suo, nomine Gilleberto, in ecclesia monachus factus est. Rogavit enim me præfatus abbas Nicolaus, ut auctoritate sigilli mei ecclesiæ sancti Audoëni hoc confirmarem. Precibus vero ejus exauditis, sigillo meo prætaxata confirmavi ecclesiæ in æternum possidenda, & prohibui firma potentia sub forsfactura XX unciarum auri ducibus, & XX librarum archiepiscopis Rotomagensibus, ne aliquis, quod absit, hoc audeat infringere, vel præfata auferre, vel minuere; sed ibi monachi sancti Audoëni cum priore vel abbate, si forte per licentiam ecclesiæ S. Audoëni extiterit, & serviant Domino Regi regum sub tutela sancti Audoëni & dominio spirituali. Et præcipio quod nullus abbas electus aut præpositus, aut prior ibi ingrediatur, nisi positione abbatis S. Audoëni, cujus personatus est & in æternum sit. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MLV in urbe Rotomago, testibus Malgerio archiepiscopo, & Fulberto archidiacono, & Osberno dapifero.

X.

Monitum in Chartam sequentem.

PRIMUS chartam hanc vulgavit Acherius noster in suis ad Guibertum Novigentensem notis, non ex autographo, quod multis abhinc annis perierat, sed ex vitiato cum nonnullis in locis, tum maxime in nota chronologica exemplari: Acherium vero cum iisdem mendis exscripsere Sammarthani fratres, auctor Neustriæ piæ, & forte alii. At diligentes æque ac docti novæ Diplomaticæ vernaculè scriptæ auctores aliud ejusdem chartæ, vetustissimum quidem quod superfuit, sive exemplar, sive exemplaris documentum, in ipso Ulterioris-Portus archivo deprehendere. Ibi autem non annum Christi 1036, ut apud Acherium, sed conceptis verbis annum 1059 legere. Vulgatæ igitur, sed perquam vitiosæ anni 1036 notæ chronologicæ, accuratam, solamque admittendam anni 1059 notam hic substituere nil hæsitavimus.

Fundatio monasterii Ulterioris-Portus.

V. Contam-nis.

1059. IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo nono, Ego Robertus comes Augensis, consilio Maurilii archiepiscopi Rotomagensis, & Willermi Normannorum ducis, sed & aliorum tam episcoporum quam optimatum Normanniæ, hominumque meorum laude, & præcipue monitu uxoris meæ Beatricis comitissæ, abbatiam in honorem Dei & S. Michaëlis archangeli apud Ulterioris-portum constituo, & unde monachi ibi vivant, qui pro mea, meorumque salute Deum assidue exorent, uxore Beatrice, & filiis meis, Radulpho videlicet, Willermo, atque Roberto concedentibus atque laudantibus, de meis possessionibus stabilio. Do igitur eis in Ulterioris-portu ecclesiam, ubi eadem abbatia est constructa, cum tota decima, & cum omnibus ad eandem ecclesiam pertinentibus, & viginti domos in eadem villa, sex in campis ex ipsis, & duos homines vavasores liberos, & censum lignorum ejusdem villæ, & palustrem terram, & prata de juxta, & omnem terram arabilem, quam in dominio meo, in eadem villa, id est, in Ulterioris-portu habeo, & omnem consuetudinem hominum illorum qui sunt sancti Michaëlis, quicquid omnino sit. Item in Ulterioris-portu & in Augo oppido decimam denariorum de vicecomitatibus, & in utraque villa quidquid abbas & monachi acquirere poterunt. Quod si homines abbatis piscem, qui vocatur Turium, capiunt, totus erit S. Michaëlis, crassus piscis si captus fuerit, ala una, & medietas caudæ erit monachis. Do etiam ego Robertus comes eidem ecclesiæ apud Augum mansionem cujusdam hominis qui vocatur........ cum viridario, & alias tres mansiones, decimamque pasnagii sylvarum Augi, omniumque exaltatuum earumdem sylvarum, ubicumque fiant, sylvam quoque liberam in opus monasterii & ministerii monachorum. Do etiam terram Maisnilli-vallis, cum portu, & quidquid in eodem loco habeo, quercitumque Criolii, & Maisnillum Soreth liberum & quietum ab omni consuetudine, & quodcumque inde exit. Maisnillum quoque Alardum do, & villam quæ *Ramicheon-Maisnil* dicitur, & aliam quæ *Grimonth-Maisnil* vocatur. Et concedo medietatem *de Boiteal-Maisnil* apud Fucardimontem. Et de dominio meo do duos hortos, & mansiones quinque hospitum, & unum molendinum. In fontibus autem, excepto teloneo, & parochia, do illud quod in dominio meo habeo in terris, & pratis, & alnetis, & marescis, & unam domum liberam, & unum molendinum, ubi tota molitura *de Grimonth-Maisnil* debet venire, si dominus villæ molendino caruerit. Do etiam decimam molendinique Blangeci, & septem molarum. Apud septem molas do ejusdem villæ ecclesiam, & quodcumque ad eam pertinet, terramque unius carrucæ, & totam decimam de dominio meo; in Criolio molendinum unum cum tota molitura, & de floscis, & de Estaelonde Vinliothuil, & duas mansiones liberas. Ecclesiam quoque do de Anedinace, & fiscum Rogerii ejusdem villæ, qui monachus effectus est, & totam terram Gozondimare. In Verleio unum molendinum do pro anima Rogerii filii Turoldi, & terram quam Romeldis avia ipsius Rogerii in Verleio habuerat, & quam ipse Rogerius ecclesiæ S. Michaëlis, me præsente, dedit, scilicet medietatem villæ do ego Robertus comes liberam. De Boëvilla autem, & de Penleio, & de Brunvilla do ecclesias, & totam decimam & terram quatuor bobus. Ecclesiam quoque *de Guillemercourt* do cum tertia garba, & ecclesiam S. Petri in Valle, cum tota decima, & ecclesiam S. Walarici de Monte aquoso, cum terra & ceteris ad eam pertinentibus, & ecclesiam de Burgo Turoldi, cum tota decima, & XXXV acras terræ. Basilicis terram ad unam carrucam, & ecclesiam cum tota decima, & quicquid ad eam pertinet, & mansiones hospitum XII do, & Roscelinum *de Matunmaisnil* cementarium, cum filio suo; & S. Martinum de sylva liberum & quietum, cum terris & hospitibus, & quicquid ad eumdem locum pertinet, ubi quondam domnus Gervinus abbas S. Richarii eremiticam vitam duxit. Item locum illum qui dicitur Flamenguevilla, & terram unius aratri, & partem meæ Warance, decimamque telonei septem molarum & Grandinciæ;

omnium piscium coquinæ meæ, & de sale, & de omni carne, quæ mihi, vel heredibus meis de Anglia veniunt. Similiter decimam do, & aquam de Criolio, octo diebus ante festivitatem S. Michaëlis, & ipsa nocte festivitatis ejusdem, aquam de eo eidem abbatiæ do: similiter ante festum translationis S. Benedicti, aquam de Criolio concedo eidem ecclesiæ quatuor diebus, & ipsa nocte festi, aquam de eo. In Anglia do Bonitone, & quicquid ad eam pertinet in terris, in hospitibus & ceteris rebus. Hæc omnia dono eidem abbatiæ in eleemosynam liberam & quietam, & per chartam istam testificor dona quæ Guillermus filius meus, me præsente & consentiente, eidem ecclesiæ in eleemosynam contulit: videlicet ecclesiam de Haymies cum tota decima, & terram trium hospitum ad eamdem ecclesiam pertinentem. Testificor etiam omnia dona quæ, me præsente, volente, ac rogante, barones, milites, & nationes terræ meæ eidem ecclesiæ in eleemosynam liberam contulerunt & quietam; videlicet XXX acras terræ apud Ulterioris-portum de dono Hugonis vicecomitis, patris Guiberti de Dimeio: de dono Willermi *Caucheis,* duas mansiones in villa Ulterioris-portus, & totam terram Montis-Goisberti, & duo jugera prati apud Flamenguevillam, & apud Criolium alia duo jugera prati, & terram quam tenebat in Augo oppido, & viridarium unum, & quicquid habebat in septem molis. De dono Richardi *Boistel,* & Hilduini de Blangeio, & Guistini *de Grimontmaisnil,* & Henrici Jaillardi, duas garbas decimæ in feodis suis apud Blangeium. De dono Henrici Monstellencis, in fontibus XX jugera terræ, & duas garbas decimæ. De dono Anschierii *de Riu* senis, decimam suam *de Riu.* De dono Imberti *de Basinval,* & de dono Helduini Forestarii duas garbas decimæ de terris suis apud *Basinval.* De dono Valterii ad barbam de Daivilla, duas garbas decimæ de fisco suo apud Moncheium. De dono Gosselini *de Bernoumaisnil,* & Osineldis uxoris ejus terram de Sifridivilla. De dono Rogerii filii Teroldi, apud *Guillemercourt* fiscum duorum hominum, videlicet Goifridi filii Romoldis & Rogerii filii Henrici. De dono Radulfi qui non videt, patris Radulfi *de Grantcourt,* quamdam decimam in *Grantcourt.* De dono Willelmi *Tallebot* servitium terræ Sansogolinis in *Gillemercourt.* De dono Alundi *de Grantcourt,* patris Roberti, duas garbas decimæ de terra sua *de Grantcourt.* De dono Radulphi filii Alveredi totam decimam terræ suæ apud *Penlieu.* De dono Goifredi filii Rainoldi de sancto Martino Jaillardo, decimam de terris hominum suorum, quam habebat in dominio suo, & apud S. Martinum, & apud *Letot,* & apud Merlimcampum. De dono Claremboudi, patris Richardi de Tokevilla, duas garbas decimæ de Tokevilla. De dono Rogeri de Salcheio fratris Richardi de Freavilla, ecclesiam de Salcheio, cum tota decima, & quicquid ad eamdem ecclesiam pertinet, & unam acram prati. De dono Richardi, filii Roberti de Freavilla totam decimam de ...... De dono Picardi de Lonreio, patris Bartholomei, decimam de Bosco Richardi. De dono Milonis de Assingneio, duos hortos & duas garbas decimæ de Assingneio; ita libere, ut eas & nunc homines villæ ad domum monachorum adduxerunt, sicuti ad suam pridem facere ex debito solebant. De dono Roberti de Petraponte, & Godefridi fratris ejus decimam de Curvervilla, quam tenebant de Oylardo domino ejusdem villæ, & hoc fecerunt de consensu ejusdem domini. De dono Oystellandi militis mei, qui filium meum Willermum nutrivit, villam quæ vocatur *Maisinloystellant,* & hoc concessi precibus Willelmi filii mei, ut in perpetuum esset eadem villa ad eleemosynam pauperum libera & quieta. Et volo ut quæcumque monachi Ulterioris portus ex dono meo, sive successorum meorum tenuerint, vel possederint, ita libere & quiete teneant, quod vel ab eis, vel ab hominibus eorum heredes mei nulla servitia, nulla auxilia, nullas tallias, sive collectas, nullas omnino exactiones exigant: & successoribus nostris hoc annuentibus, & pro posse suo res hujus ecclesiæ augentibus, benedictionem; calumniantibus vero, & res hujus ecclesiæ retrahentibus, æternam maledictionem indico, & eos timendæ excommunicationis vinculo ligo. Horum donorum tam meorum, quam aliorum benefactorum hujus ecclesiæ, quos prædixi, testes: Ego Robertus comes Augi, & Radulfus, & Willelmus, & Robertus, filii mei, & Hugo vicecomes, & Gausridus *de Bailoil,* & Galterus ad Barbam de Davitusvilla, *&c.*

XI.

Privilegium Philippi Francorum regis, pro abbatia S. Martini Pontisarensis. Ex Neustria pia, p. 550.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Philippus Dei gratia Francorum rex, &c....... 1069.
Elucidare volentes ecclesiam sancti Germani per deprecationem procerum castri Pontis-Isaræ, Warnetii scilicet & Amaurici, ceterorumque illustrium virorum, quorum beneficiis & eleemosynis in tantum surrexerat, ut parietibus circumdaretur, & paucis monachis Deo servientibus inhabitaretur; eorum supplicationibus humillimis condescendentes, pro anima patris mei, parentumque memoria meorum, ecclesiæ supradictæ libertatem hanc tribui, ut quicquid semel dono vel emptione reciperet, absque inquietudine possideat. Et ut hoc firmum permaneat, sigilli mei impressione signavi, meisque fidelibus infrascriptis ad corroborandum attribui. Signum comitis Hugonis. S. Walerani. S. Balduini dapiferi. S. Rainaldi buticularii. S. Walteri constabularii. S. Widonis de Montelethario. S. Adam de Insula. S. Thetbaudi de Montemorentiaco. S. Lancelini de Belvaco. S. Stephani præpositi de Parisio. Petrus cancellarius relegendo subscripsit. Actum apud Pontem-Isaræ anno ab Incarnatione Domini 1069, regnique Philippi regnantis IX.

XII.

Prioratus S. Victoris in Caletis evehitur ad abbatias. Ex Pomerario, Conc. Rotomag. p. 97.

JOHANNES Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, universis Christi fidelibus salutem, gratiam, & benedictionem. Notum sit omnibus modernis & 1074.
futuris, quod petitio Rogerii de Mortuomari & uxoris ejus Advisæ ad nos venit, ad dominum Guillelmum regem Anglorum & ad me, sedentes & tractantes de negotiis ecclesiasticis & secularibus cum episcopis in quodam concilio congregato in urbe Rotomagensi, ut domnum Nicolaum abbatem S. Audoëni Rotomagensis cognatum nostrum obnixe conveniremus, quatinus pro amore Dei & nostri abbatiam fieri dimitteret de quodam prioratu de ecclesia S. Victoris in *Caux,* in qua habitabant monachi S. Audoëni, quæ dicitur ad S. Victorem, & quam ecclesiam quidam presbyter nomine *Tormor,* de cujus jure erat, ecclesiæ S. Audoëni assensu Guillelmi tunc ducis Normannorum, & Malgerii archiepiscopi Rotomagensis, & Rogerii de Mortuomari, in cujus feodo erat, pro salute animæ suæ dederat in eleemosynam; & in ecclesia S. Audoëni monachus effectus fuerat cum quodam nutritio suo nomine Gilberto. Et præfatus Rogerus concessit ut tantum reditum augeret ecclesiæ S. Victoris & ecclesiæ S. Audoëni, ut honorifice ibi Deo monachi servire possent, & eis digne sufficeret, & quale dominium habuerat antea ecclesia S. Audoëni in prioratu, tale postea in abbatia æternaliter possideret. Quum vero prædictus abbas Nicolaus assensu capituli sui, & rogatu nostro, & amore Rogerii & uxoris suæ, hæc concessisset, Radulfum quemdam monachum suum ibi abbatem præficiens ad supradictum locum constituendum misit, & cum eo de monachis suis S. Audoëni, Fulbertum, Gillebertum *Fauvetel,* Hubertum *Treton,* & Guillelmum:

& Guillelmum : tali tamen conditione quod dominium suum S. Audoëno in domo S. Victoris nullo modo minueretur, sed ibi poneret abbatem alio defuncto, sicut priorem ponere solebat, salva dignitate S. Audoëni. Hoc enim constitutum est inter nos ratum & firmum esse in perpetuum; cujus rei testes sumus ex utraque parte. Si enim in disponendo abbate monachi vel laïci rebelles ecclesiæ S. Audoëni fuerint, statuimus & firmiter præcipimus Guillelmus rex, & ego Johannes Rotomagensis archiepiscopus, & Rogerus de Mortuomari, in quorum præsentia hoc factum fuit, auctoritate domini papæ Gregorii & regia potestate, omnibus heredibus & successoribus nostris, ut abbas S. Audoëni accipiat ecclesiam prioratus sui S. Victoris cum omnibus appenditiis suis tunc ibi inventis, in ecclesiis, in decimis, & aliis substantiis, & ponat priorem in ecclesia illa sicut antea solebat, ne ecclesia S. Audoëni pro liberalitate sua detrimentum patiatur fraude & dolo, quam antecessores nostri pro salute animarum suarum fundaverunt. Hanc conventionem auctoritate nostra ab abbate Nicolao & Rogero de Mortuomari concessam coram rege, ratam esse statuimus; & præsentis scripti privilegio, & sigilli nostri auctoritate confirmavimus; & prohibuimus ego Johannes Rotomagensis archiepiscopus sub anathemate, ne quis ulterius clericus vel laïcus audeat hoc infringere, præsentibus istis episcopis, & mecum excommunicantibus: Gisleberto Ebroicensi episcopo, Odone Bajocensi, Hugone Lexoviensi, Roberto Sagiensi; quorum anathemate omnes fractores hujus operis confodiantur. Præfatus autem rex Anglorum Guillelmus prohibuit sub forisfactura XX unciarum auri reddendarum duci Normanniæ, & XX librarum Rotomagensi archiepiscopo, ne ab aliquo infringatur: testibus prædictis episcopis, & Fulberto archidiacono, & Rogero de Mortuomari, in quorum præsentia hoc factum fuit anno ab Incarnatione Domini M. LXXIV.

XIII.

Ex Summariis post Acherium in notis ad Lanfrancum, pag. 331.

Insigne privilegium S. Anselmo & ecclesiæ Beccensi concessum a Guillelmo I archiepiscopo Rotomagensi.

Circiter 1080.

VIRORUM prudentum consuetudo est, &c. Ego Willelmus Dei gratia Rotomagensium archiepiscopus literis mandare decrevi, tempore videlicet Roberti comitis filii Willelmi regis Anglorum, quod Beccensi ecclesiæ & domno Anselmo abbati, ob reverentiam ejusdem loci, & fratrum religiosissimam vitam, sed & propter salutem animæ meæ, antecessorumque meorum, necnon & successorum, concedo ut ecclesia ipsa, ejusque ipsius loci parochia, cum residentibus parochianis suis, perpetuo sit libera ab omni episcopali exactione, præter ea quæ ab episcopali officio administrari non possunt: ut est monachos vel clericos ordinare, ecclesias reconciliare, pœnitentiam publicam dare, & hujusmodi pœnitentes reconciliare: aut illa pœnitentiam occultam, quæ sine concilio episcopi dari non potest, determinare, chrisma quoque & oleum tribuere, ut in brevi cuncta complectar, monasterii & abbatis, prout decet, omnem pastoralem curam gerere sine acceptione pecuniæ. Si autem in eadem parochia talis causa orta fuerit, quæ ferri judicio finienda sit; tunc ex placito abbatis, aut apud matrem ecclesiam causa finiatur, judiciumque portabitur; aut archiepiscopus ferrum judicii ad locum illum per ministros suos destinabit, judiciumque ibi coram archiepiscopi ministris portabitur. Quod si pecunia exierit ubicumque judicium portatur, abbatis erit. In ceteris autem parochiis, quæ ad eandem abbatiam pertinent, & sunt de nostra diœcesi, hoc solum ei concessimus, ut manu pastos suos laïcos quietos habeat, illos tantummodo, qui terram, vel domos nullo modo possident. Si autem de his omnibus, quos liberos esse concessimus, aliquis contra christianitatem egerit, & abbas ad hoc corrigendum tardus exstiterit, archiepiscopus eum, ut corrigat monebit: quod si abbas postea corrigere noluerit, archiepiscopus emendabit. Pro his igitur quæ concessimus, abbas talem honorem, & tale servitium ecclesiæ nostræ metropolitanæ exhibebit, ut si ab archiepiscopo invitatus fuerit, & legitimam excusationem non habuerit, ad festum dedicationis ejusdem ecclesiæ veniat, sumptus archiepiscopi habiturus, ut archiepiscopo missam celebrante cho um teneat: aut si archiepiscopus aliqua causa missam celebrare noluerit, aut non potuerit, idem abbas missam festivam pro eo celebret. Hæc autem ex consulto clericorum nostrorum fecimus. At vero abbas ex consulto monachorum suorum querelas quasdam & calumnias, quas in quibusdam de præfatis ecclesiis faciebat, clamavit quietas, & concessit ut omnes episcopales consuetudines habeat archiepiscopus, & in illis ecclesiis, quas tunc temporis Beccensis ecclesia in diœcesi nostra possidebit, extra Beccensem parochiam, & insuper in illis omnibus, quas deinceps in diœcesi nostra acquisitura erat.

XIV.

Ex Schedis Fiscannensibus.

Notitia excommunicationis latæ in Guillelmum I Rotomagensem archiepiscopum ab Urbano II papa.

ANNO 1089 a Salvatoris Incarnatione, ea scilicet tempestate qua guerra erat inter fratres, regem Anglorum Willelmum & comitem Normannorum Robertum, idem comes volens regem Francorum Philippum, pro eo quod se in obsidenda Feritate regis castro juverat, remunerare, & non habens de proprio quod posset dare, *Gisorz* sic dictum manerium sanctæ Mariæ Rotomagensis abstulit, & regi illud contulit. 1089.
Hoc Willelmus qui tunc ex abbate Cadumensi præerat archiepiscopus dure accepit, & quia comitem ad hoc ut ablata redderet adducere non potuit, per totum Normanniam ecclesias omnes a divina cessare laude præcepit. Cumque & hanc Fiscannensem similiter cessare præcepisset, prior & monachi, nam abbas tum Willelmus III aberat in Anglia, respondere se cessare non posse, quia meminissent soli apostolico subditos fore, nemine excepto, vicario Beati Petri, & post ipsum suo abbati, maxime in tam nova re obedientiam debere, præsertim cum recolerent, multoties excommunicata Normannia, se semper opus Dei libere egisse absque alicujus prohibitione: abbatem suum abesse, sine ejus consilio & voluntate nihil agere posse; beato Benedicto præcipiente cum voluntate abbatis omnia agenda esse; quod charitatis esset, quod monasticæ consuetudinis, libenter impendere; a Dei vero opere nunquam cessare, quo magis irritaretur. Ubi hoc audivit archiepiscopus, pravo consilio usus, neque ratione, neque justa monachorum allegatione inflexus, nec etiam papæ Romani, quem prætenderant, auctoritate revocatus, eos anathematizavit. Monachi autem scientes scriptum, quod Deo magis quam hominibus oporteat obedire, reminiscentes sanctam, Romanam & Apostolicam sedem omnium caput ecclesiarum fore, & quod illa ligaverit, ligatum, quod solverit, solutum manere; timentes ne in servitutem redigerent libertatem quam a tanta perceperant sede, caventes ne tantæ sedis potestatem viderentur evacuare, si quod illa statuerat ipsi destituerent absque ejus requisitione, vinculum quod illa non ligaverat, suscipere noluerunt; quin potius in proposito suo permanentes, opus Dei cum summa, ut consueverant, alacritate egerunt. Interea venit abbas, & agnoscens archiepiscopum tam inconsiderate monasterium suum anathematisasse, & quod soli licebat papæ apostolico, sibi usurpasse, convenit eum. Verum nullam rectitudinem obtinuit apud eum, quia non fuit qui illam exequeretur propter clerum;

ita res indeterminata mansit: qui vero tantam in apostolicam sedem factam prævaricationem nunciaret, non defuit. Videns papa Urbanus .... prædecessorum suorum statuta violata, & Rotomagensem archiepiscopum tantum præsumpsisse in parochia sua, videlicet Fiscannensi ecclesia, per legatos suos, id est, Herbertum Theodfortensem episcopum, & Rogerium cardinalem archidiaconum, cum pro ipsa præsumptione uti pallio prohibuit, a quo diebus multis...... vacavit, atque ad sedem apostolicam de his & aliis nonnullis satisfacturum evocavit. Intercessit pro archiepiscopo comes Normanniæ, & a legatis, ut ei interim, dum papa requireretur, pallium suum restituerent, obtinuit multa supplicatione; tali interposita conditione ut ipse Romam mittat, & juri apostolico se cum suis omnibus, salvo tantum majorum suorum privilegio, summittat: cumque sicut dictum fuerat, Romam & comes & archiepiscopus misissent; vix papa cum archiepiscopo in gratiam redire voluit, quia tantum eum præsumpsisse non mediocriter doluit. Literas vero sigillo apostolico signatas ad Fiscannensem ecclesiam dedit in quibus ejus libertatem confirmavit, & confirmatam esse mandavit, atque ut ex tunc imposterum salva maneret, auctoritate apostolica auctorisavit.

XV.

Ex Archivio S. Luciani Bellovacensis.

Stephanus comes Albæ marlæ ecclesiam S. Martini de Achiaco tradit monachis S. Luciani Bellovacensis.

1096. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus, sanctæ & individuæ Trinitatis, ego Stephanus comes de Alba marla tam exemplis quam verbis religiosorum virorum instructus, temporalium rerum........ largitione posse mereri, immo ipsius summæ veritatis voce edoctus, pro omnibus in hoc seculo habitis, & in ejus .... bene distributis, in illa vero remuneratione centuplicata retributione pro transitoriis æterna recipere, & vitam æternam possidere. Ea igitur intentione harum promissionum confisus solatio, de hereditate mea a prædecessoribus meis possessa, ecclesiam S. Martini de Alciaco cum omnibus ad eam pertinentibus concessis atque deinceps concedendis, ita liberam atque quietam, sicut mater mea Adelidis comitissa, & ego post ejus obitum tenui hactenus, eam ecclesiæ sancti Luciani Belvacensis cœnobii, ita tamen ut semper ibidem monachi Deo serviant, pro anima Willelmi Anglorum regis, & anima matris meæ Adelidis, ceterorumque cunctorum defunctorum parentum meorum, & pro remissione peccatorum meorum, consensu simul & corroboratione sororis meæ Adelidis, consilioque & suggestione baronum meorum, hoc favente & corroborante Roberto Normannorum principe, jure perpetuo possidendam dono atque concedo: ea, inquam, conditione ut præsentes canonici qui hanc eandem conventionem coram archiepiscopo & clericis suis confirmandam concesserunt, de rebus suis ad eandem ecclesiam pertinentibus, quandiu vixerint, quicquam amittant; ornamenta autem ejusdem ecclesiæ, & omnia ad eam pertinentia, concessa videlicet, atque in perpetuum concedenda, ibidem ad Dei servitium & ecclesiæ cultum permaneant. Hunc privilegii tenorem ego Vilhelmus Rotomagensis episcopus auctoritate Dei & nostra, testimonio archidiaconorum & canonicorum nostrorum confirmo atque corroboro, salva tamen in omnibus ecclesiæ Rothomagensis justitia, & episcopalibus rectitudinibus. Si quis autem ausu temerario hujus nostræ auctoritatis confirmationem deinceps pervertere, vel minuere voluerit, excommunicatus atque anathematisatus usque ad condignam satisfactionem divinæ ultioni subjaceat. Signum Bilduini. Signum Gois. Signum Valteri cancellarii. Signum Radulphi. Signum Frm. Signum Radulphi. Signum Wilhelmi. Signum Roberti. Signum Gilleberti. Signum Alelmi. Signum Gois Flandrensis. Signum Lant..... archidiaconi filii Goseri. Signum Arnulf Bullensium, de Alto Maisnil monachi, archidiaconi Ebroicensis, Petri Curtis sacerdotis, Fredi martelli traditoris. S. Willelmi. S. Hugonis. Signum sicapellani Maissul. Signum Roberti comitis. Signum Willelmi archiepiscopi. Signum Gilleberti. Signum Gilleberti Luxoviensis episcopi. Signum Serlonis Sagiensis episcopi. Signum Walteri de S. Valarico. Signum Walteri Gifardi. Signum Stephani. Signum Fulberti archidiaconi. Signum Benedicti archidiaconi. Signum Richardi archidiaconi.

Signum Roberti comitis Normanniæ.	S. Willelmi archiepiscopi.	S. Eustachii comitis Boloniæ.
Signum Walteri abbatis.	S. Helgoti abbatis S. Audoeni Rotomagensis.	S. Engelranni comitis de S. Paulo.
Signum Manasse comitis *de Getrodi*	S. Roberti comitis Flandriæ.	S. Bernardi de sancto Vallerico.
Signum Matthæi comitis de Bello-monte.	S. Radulfi comitis *de Ur*....	S. Johannis *de Pelt.*
Signum Willelmi *de*..... S. Kardini.	S. Willelmi de monte Riboldi.	S. Roberti *de Beraey.*
S. Odardi.	S. Willelmi filii Lamberti.	
	S. Lancelini *de Tho*.....	
	S. Rogeri de Alto-massiaco.	

Anno Dominicæ Incarnationis 1096, indictione II^{a}, concurrente II°, epacta XXIII, II° idus Julii datum est hoc privilegium in capitulo Rothomagensi per manus Roberti Normannorum principis, & Willelmi archiepiscopi, ac Stephani comitis de Alba marla, in manu domini Gilleberti abbatis S. Luciani, astante maxima multitudine cleri & populi Normanniæ, regnante Domino nostro Jesu Christo per infinita secula seculorum, amen.

XVI.

Ex Autographo Albæ marlæ.

Giroldus abbas S. Luciani Bellovacensis consensum præbet suum Stephano comiti Albæ marlæ de erigenda ecclesia S. Martini in abbatiam.

GIROLDUS abbas S. Luciani Belvacensis, & capitulum ejusdem monasterii omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris in perpetuum salutes. Quoniam ecclesia sancti Martini, quæ in Alceio constructa est a nobili viro Stephano comite Albæmarlensi, & a prædecessoribus ejus sumpsit exordium, & eorum liberalitate monasterio S. Luciani Belvacensis in eleemosynam collata est communi consilio & assensu; præfato comiti Stephano Albæ marlæ, & heredibus ejus concedimus, & præsenti scripto confirmamus, ut ex quo præfata ecclesia S. Martini idonea & sufficiens fuerit in officinis & redditibus, liceat eis libere & quiete abbatiam ibi facere, & in ea abbatem ponere, ita quod primum abbatem capiant in ecclesia S. Luciani; omnes vero alios abbates subsequentes secundum velle suum eligant & capiant in ecclesia S. Martini, si ibi aliquem idoneum pastorem invenire potuerint. Si vero in ecclesia S. Martini inter monachos aliquis idoneus officio abbatis inveniri non poterit, in ecclesia S. Luciani eligatur & capiatur. Quod si abbas & capitulum S. Luciani concedere noluerint monachis S. Martini personam quam de monasterio S. Luciani elegerint, liceat præfatis monachis S. Martini de quacumque voluerint abbatia abbatem sibi eligere & assumere; & ut memorata ecclesia S. Martini ab omni subjectione & exactione in perpetuum liberrima fieret, communi consilio & assensu nostro, constituit memoratus vir nobilis Stephanus comes Albæ marlæ duas marcas, vel competens pretium earum de redditibus suis de Alba marla, per manus ministrorum suorum, qui eisdem redditibus colligendis præfuerint omni anno ex quo abbatem

in eadem ecclesia beati Martini ordinari contigerit, monasterio S. Luciani Belvacensis tam a se quam ab heredibus suis reddi in perpetuum. Actum est autem hoc coram his testibus, Theboldo, Bartholomeo, Gisleberto, Gosleno, Nevelone, Arnulfo, Waltero, Balduino, Radulfo, Garnero, Hugone, Rogero, Bernero, monachis S. Luciani; Roberto decano, Nicolao, Roberto de Luceio, Bernardo, Richardo filio Mariæ, Theobaldo, presbyteris; Wiberto filio dec. Villelmo, magistro Garnero, clericis; Willelmo filio comitis, Stephano fratre ejus, & Ingelranno Hugo *Tirel;* Girardo vicedomino Pinconii, Hugone de Mortuomari, Ingelranno vicecomite, Willelmo *Gifa*, Henrico & Ansoldo & Manasse filiis ejus; Girardo de Cagneio, Hugone *de Oiri*, Ulberto Const. Radulfo de Porta, militibus.

XVII.

Fundatio abbatiæ Augi.

Ex Pommerio, Concil. Rotom. pag. 119.

1119.

EGO Goisfridus Rotomagensis archiepiscopus petitioni Roberti decani, sociorumque ejus canonicorum, claustro & communi habitatione simul vivere desiderantium, ipsius sub manu comitis Augi seculariter viventium, assensum præbens, concedo: ut redditus præbendarum ipsorum, qui ipsas divisim juxta numerum personarum possidebant, a modo quia communiter vivunt, communes in perpetuum habeantur. Quod si quis reliquorum canonicorum ad eorum conversationem transire voluerit, redditus ejus supradicto modo fiat communis. Post mortem vero ceterorum, vel vitæ mutationem, redditus eorum ad illorum victum & communitatem transeant. Omnes autem redditus præbendarum, & ea quæ ad thesaurum ecclesiæ pertinent, ipsis regularibus & eorum ecclesiæ ita libere & quiete ab omni consuetudine concedo, sicut ecclesia Augensis liberius & quietius visa est possedisse. Liceat etiam eis, more aliorum claustralium, quot fratres voluerint in suo loco ad id servitium conjungere; & suorum abbatum liberam electionem facere: nec ulli abbatum liceat bonos usus ecclesiæ, qui secundum veram religionem in eadem instituti sunt, ullo modo infringere. Quod si quis canonicorum secularium de rebus ecclesiæ pertinentibus, sine meo jussu & comitum Augi, & consensu totius capituli, quoquo modo a præbendæ dominio alienaverit, primo quod præbendæ ad communitatem regularium pervenerint, omnis eorum donatio, vel venditio in irritum revocetur. Ipse vero decanus Robertus S. Mariæ Augi, & socii sui, præbendas quas a laïca manu acceperant, in manu mea reddiderunt, & sic victuros canonice promiserunt; ea quæ prius propria possederant, ipsis ut communiter viverent habere permisi; & eidem Roberto & successoribus suis dignitatem & potestatem ecclesiæ concessi. Hanc præscriptam institutionem regularium canonicorum Augensis ecclesiæ, Dei & nostræ metropolitanæ sedis auctoritate confirmo; & sacram religionem, & canonicum ordinem in ecclesia Augensi inviolabiliter præcipio permanere; & ne quis huic rei vel contradicere, vel aliquod impedimentum aliquando inferre præsumat, sub anathemate prohibeo. Anno Domini 1119, Ludovico regnante in Gallia, Henrico rege Anglorum principante in Normannia, in capitulo S. Mariæ Rotomagensis, præsentibus Audino Ebroicensi episcopo, Ranulfo Dunelmensi episcopo, W. abbate S. Audoëni, Rogero secretario, Richardo archidiacono, Osmundo archidiacono, & multis canonicis aliis S. Mariæ.

Ipse vero Henricus Augensis comes omnibus prædictis testibus & præsentibus, superius in sua charta citatis, iterum hanc hujusmodi fundationem iisdem verbis a se conceptam & expressam approbavit, laudavit, ratamque habuit; necnon omnia ejusdem ecclesiæ bona tum ab antecessoribus suis, tum a se & ab aliis data, confirmavit: cujus filius Johannes,
A & ipse Aucensis comes, pie postea comprobavit.

XVIII.

Fundatio abbatiæ Alciacensis, seu Albæ-Marlæ.

Ex Sammarthanis, & Pommeraio, Concil. Rotomag. p. 143.

1130.

HUGO, Dei gratia Rotomagensis ecclesiæ servus indignus, universis ecclesiæ Catholicæ filiis, tam præsentibus quam futuris salutem. Commodum gratiæ profectum intrare in perpetuum. Sciatis quia principis Albæ-Marlæ Wilelmi largitione, & regis Anglorum, acducis Normannorum Henrici grata concessione statuimus, ecclesiam S. Martini Accensis abbatiam utique fieri monachorum: ad hoc fine, ut Domino humiliter serviant, & professionem obedientiæ Rotomagensi archiepiscopo persolvant; nec filiis Belial,
B qui humilitatem prætendunt, & superbiæ serviunt, omnino consentiant, qui benedici refugiunt, quia obedientiæ debitum profiteri nolunt. Hanc itaque abbatiam ita disponimus, ut ab ecclesia S. Luciani Belvacensis abbatem primum accipiant, postmodum vero si intra ecclesiam suam idoneum invenerint, in abbatem sibi eligant, aut si vero non invenerint, ab ecclesia S. Luciani abbatem sibi canonice requirant. Quod si abbas S. Luciani dare noluerit, tunc accepta ab eo scientia, alias requirant ecclesias, ut a qua voluerint ecclesia abbatem idoneum licenter eligere possint. Quia vero abbatia Accensis per abbatem & monachos S. Luciani Belvacensis exordium sumpsit, in tanti remunerationе beneficii statuit præfatus princeps Albæ-Marlæ, duas de censu Albæ Marlæ marcas argenti, per singu-
C los annos persolvendas ecclesiæ S. Luciani, tam pro se, quam pro predecessoribus suis: & monachi S. Martini accipient eas, & reddent ecclesiæ S. Luciani. Quod si prædictæ marcæ in crastino festi S. Remigii, prout statutum est, solutæ non fuerint, decano archiepiscopi Rotomagensis Albæ Marlæ provisori injungimus, ut eas infra quindecim dies reddi faciat; & si infra quindecim dies illis redditæ non fuerint, divinum in parochia S. Martini & castello Albæ-Marlæ fieri interdicat officium, donec ecclesia S. Luciani Belvacensis præfatum debitum accipiat. Qui autem hujus instituti transgressor fuerit, hunc, & si monachi S. Martini Accensis prædictas marcas, sicut scriptum est, ecclesiæ S. Luciani non reddiderint, sicut transgressores sciant se divino judicio puniendos reser-
D vari. Decanus vero parochiæ illius, si justitiam quæ suprascripta est minime fecerit, sciat se ab officio deponendum, donec pro satisfactione duas marcas argenti archiepiscopo Rotomagensi solverit. Actum hoc anno Incarnati Verbi 1130, Innocentio papa Romano, regnante rege Francorum Ludovico, & principante in Normania rege Anglorum Henrico. Ego Hugo Rotomagensis archiepiscopus, Richardus archidiaconus, Osmundus archidiaconus, Valeranus archidiaconus, Robertus archidiaconus, Fulbertus archidiaconus, Nicolaus decanus, Varnerus capellanus, Guillelmus *Bisette*.

XIX.

Charta Hugonis archiepiscopi Rotomagensis pro
E *abbatia Cornevillæ.*

Ex Pommeraio, Concil. Rotom. pag. 145.

1143.

HUGO, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus carissimis filiis suis priori, & fratribus canonicis regularibus apud Cornevillam constitutis, in perpetuum. Sanctæ matris ecclesiæ moderata benignitas, &c. Justis si quidem postulationibus vestris assensum præbentes, concedimus vobis ecclesiam beatæ Mariæ de Cornevilla cum iis omnibus quæ juste ei pertinere noscuntur, videlicet decimis atque beneficiis; quin etiam ea quæ Galerannus comes Mellenti vobis concessit, scilicet unum eleemosynarium apud Villevillam, & decimam de Extaldis quæ vadunt a Monteforti ad pontem Audomarem, eo tempore

quo discurrunt per aquam, & consuetudines vestras quietas per totam terram suam de dominio suo, sicut ecclesia de Pratellis melius & quietius habet; in foresta de Monteforti mortuum boscum ad vestrum proprium ignem: terras quoque quas Guillebertus *de Corneville* dedit vobis, scilicet duas acras inter ecclesiam & domum suam, &c. Decernimus quoque ut si divina gratia suffragante locus vester per manus fidelium amplioribus possessionibus amplificatus fuerit, ita ut ibidem possit conventus congrue institui, instituatur tali modo, ut ab abbate & capitulo sancti Vincentii vobis semper prior substituatur, & sicut bonis temporalibus exterius excreverit, ita & interius amplificetur augmentis spiritualibus, &c. Actum est hoc anno Verbi Incarnati 1143, regnante rege Francorum Ludovico, principante in Normania rege Anglorum Stephano, pontificatus vero nostri anno XIII. Ego Hugo Rotomagensis archiepiscopus. Ego Gualerannus decanus. Ego Fulbertus archidiaconus. Ego Robertus archidiaconus. Ego Gaufridus archidiaconus. Ego Osmundus archidiaconus. Ego Hugo archidiaconus. Ego Ægidius archidiaconus. Ego Nicolaus sacrista. Ego Guillelmus cantor. Ego Robertus sub-cantor. Ego Gaufridus sacerdos & canonicus.

X X.

Ex Pommerajo, Concil. Rotom. pag. 146.

Literæ Hugonis archiepiscopi Rotomagensis, pro monasterio Burgi-Achardi.

1143. HUGO, Dei gratia Rotomagensis archiepisc. carissimis filiis suis prioribus Falesiæ & Burgi-Achardi salutem, gratiam & benedictionem. Auctoritate divina ad episcopos pertinere dignoscitur & ecclesias fundare, & fundatas canonicis institutionibus ordinare. Eapropter mandamus posteris nostris fidelibus atque catholicis, ut quæ de ecclesia S. Laudi, quæ sita est in Burgo-Achardi, quæ per priorem ecclesiæ sancti Johannis-Baptistæ & per ejus canonicos in religione ædificata est, & instituta petitione nostra, unius societatis ejusdemque capituli sit cum ecclesia Falesiensi, & prælatus ecclesiæ pro ordinis observatione & culparum emendatione præfatæ S. Laudi ecclesiæ digne præemineat. Ordinem vero & instructionem religionis quam prælatus ecclesiæ Falesiensis in præfata domo posuerit, tenebunt & observabunt canonici Burgi-Achardi, consilio & auctoritate Rotomagensis archiepiscopi. Si autem ex persona prioris, vel in fratribus S. Laudi de Burgo-Achardi aliquid corrigendum fuerit, & ipsos emendare nequiverit, tunc prior Falesiæ emendet & corrigat, strenue veniat, & potestate canonica libere peragat. Quod si non ille prior id agere poterit, archiepiscopus Rotomagensis constanter assurgat, & corrigenda corrigat, & emendata retineat, & extirpanda extirpet, & prioribus auctoritatem conservandi ordinem canonicum integre restituat. Cum vero fratres Falesiæ apud Burgum-Achardi fuerint, obediant priori ejusdem loci; similiter fratres Burgi-Achardi priori Falesiæ: quæ autem domus alteri melius subvenire in omni re, causa, poterit & negotio, devote subveniat. Actum est hoc anno 1143 ab Incarnatione Domini, pontifice Romano Innocentio II.

X X I.

Ex Pommerais, Concil. Rotom. pag. 144. Circiter 1150.

Diploma exemtionis abbatiæ Fiscannensis.

HUGO, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, dilecto filio Henrico abbati Fiscanensi, ejusque successoribus, in perpetuum. Ecclesiarum beneficia & jura tunc demum juste ac stabiliter habentur, cum pontificis manu de cujus parœchia ea esse constiterit data fuerint, & ejus auctoritate confirmata. Inde est quod tuæ justæ petitioni, dilecte in Domino fili Henrice, assensum præbentes, habito consilio & assensu A capituli nostri, ecclesias quasdam cum parœchiis suis in nostro episcopatu perpetuo jure libertatis absolutas ab omni jure episcopali tibi tuisque successoribus, & ecclesiæ Fiscanensi, habendas in perpetuum concedimus & confirmamus. Ut igitur nulla super eis de jure libertatis oriatur contentio, eas huic chartæ nostræ nominatim inserimus, scilicet ecclesiam de *Essectot*, ecclesiam *S. Gervasii* apud Rotom. ecclesiam *S. Mariæ de Wasto*, ecclesiam de *Limpivilla*, ecclesiam de *Tormot-villa*, ecclesiam de *Witeflue*, ecclesiam de *Paluel*, ecclesiam *S. Richarii*, ecclesiam de *Ingovilla*, ecclesiam *S. Walerici*, ecclesiam de *Mannevilla*, ecclesiam de *Wellis*, ecclesiam de *Plena-silva*, ecclesiam *S. Petri de Senis*, ecclesiam *S. Mariæ Gaillardæ*, ecclesiam *S. Petri Parvi*. Ut ergo jus prædictarum ecclesiarum B tibi & tuis successoribus, & ecclesiæ Fiscanensi constans & ratum conservetur, præsenti scripto & sigilli nostri auctoritate confirmamus. Testes Gaufridus Rotomagensis ecclesiæ decanus & archidiaconus, Willelmus cantor, Radulfus sacrista, Osmundus, Ægidius, Berardus archidiaconi, magister Reynerius, magister Reynaldus de S. Amando qui hoc notavit.

X X I I.

Ex tabulario.

Donatio ecclesiæ sancti Sidonii cum aliis, facta Fontanellensi monasterio.

HUGO, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, dilecto filio Rogero Fontanellensi abbati ejusque successoribus canonice substituendis, in perpe- C tuum. 1153. Pontificalis cura nos admonet & devota filiorum nostrorum compellit petitio, ut ea que locis religiosis discreta consideratione contulimus nostre auctoritatis munimine in perpetuum duratura firmemus. Hoc si quidem pia provisione antiquorum patrum consuevit benignitas, ut bona ecclesiastica auctorum suorum memoriam viri Dei observantia representent, & contra pravorum hominum infestationes ex pontificali attestatione robur & tuitionem obtineant. Ea propter, dilecte in Domino fili *Rogere* Fontanellensis cœnobii abbas, personam tuam religionis & scientie gratia decoratam paterno affectu amplectimur, & gregem tibi commissum tamquam devotos filios diligere & honorare intendimus. Unde bona vestra que in presentiarum, Deo auctore, pos- D sidetis, vel in futurum modis rationabilibus poteritis adipisci, sigilli nostri attestatione firmamus, & sub nostra & Rothomagensis ecclesie protectione suscipimus. Inter que ea propriis nominibus exprimenda duximus que nostri pontificatus tempore & nostra largitione propria accipere meruistis. Ecclesiam igitur beati Sidonii que a multis retroactis temporibus desolata extiterat, & laïcali tirannide ex prava consuetudine premebatur, de manu ipsius castri domini, ecclesiastica censura extraximus. Quam communicato fratrum & filiorum nostrorum consilio ad reformandum in ea religionis ecclesiastice statum tibi, *Rogere* abbas & ecclesie tue custodiendam, reformandam & jure stabili in perpetuum possidendam concessimus. Statuentes ut beati Sidonii ecclesia cum pertinentiis suis ad sol- E licitudinem & dispositionem tuam pertineat, salvo in omnibus jure pontificali vel parochiali. Hec autem que subnectimus bona sunt ipsius ecclesie, videlicet decima totius parochie, tam in terris quam in hortis & in molendinis, & decima censuum & thelonei, & unum molendinum proprium & hortus molendini, & gardinum proprium ipsius domini Mathei ex donatione sua monachis in eleemosyna concessum, & decima furnorum, tam in presentiarum existentium in villa sancti Sidonii & *Osmunville*, quam in posterum faciendorum, & decima vivarii, & decime . . . orum, & censuum in *Hers*. In Casneio, totum feodum Restoldi de Druella, tam in terris quam in silva, cum hospitibus apud Rovill. De feodo Roberti *Harenc*

decima unius molendini, & unus hospes, & unus campus. Apud sanctum Sidonium terram quam dedit Ric. præpositus juxta castellum, & campus Presoldi apud Hubanmanvill. II.° orti & IIII.° acre terre super quarrariam, 3 acre in valle Benedicti. Acra terre una super molendinum presbyterorum, due acre & campus *Abeline* apud Tiliam. Unus hospes & decima molendini apud Bussoriam. Due garbe de feodo domini sancti Sidonii, & decima molendini, & sedes grancetie. Apud Osinunvillam duos hospites, & campus Olcorum, & decima omnium molendinorum & censuum, & duo alii campi apud Bellum-montem, due garbe de feodo domini sancti Sidonii. Apud S. Martinum-Album due garbe de feodo eodem. Apud *Brichennie* 5. sol. de 2. vavassoribus, & de uno eorum servitium equi, unum de feodo Osinundi. Apud Novum-boscum 15. sol. in ecclesia & cantuaria, & unus hospes. Apud Bonum-Maisnil 12. sol. in ecclesia & cantuaria, & unus hospes. Apud sanctum Germanum in ecclesia 5. solid. & 2. garbe de feodo domini sancti Sidonii, & de 2. hospitibus 5. solid. & 6. capones. Apud Vadum decima de feodo *Augi.* Rursus in Casneio due garbe de feodo *Fuelle.* Apud Spinetum due acre de feodo Guadini. Apud Puteol. 3. acre, ibid. 2. acre de feodo Hugonis Holardi. Apud Freauvill. tota decima de feodo domini sancti Sidonii, & decima molendini, & unus hospes, & sedes grancee. Apud Novam-villam dimidia ecclesia, & dimidia decima, & 6. sol. in ecclesia. Apud Basleium dimidia ecclesia, & dimidia decima, & decima molendini, & unus hospes. Apud Eschethevillam ecclesia cum tota decima, & quedam mansura 4.°r acrarum terre, & 2. alie acre, & 2. hospites, & decima molendini. Rursus apud *Hubanmaisnil* tota molta, & similiter apud Perditam-villam molta. Item apud S. Sidonium molta territorii ubi vivarium factum est, & molta de feodo Gunduini, & molta mansionis Guillelmi Rosselli. Præterea ecclesiam de Greinvilla, quam multo tempore manus laïca violenter occupatam tenuerat, & contra sacrarum institutionum decreta ab ecclesiastico jure privaverat, nos eam ad sortem sanctuarii Dei reducentes, tibi, *Rogere* abbas, & ecclesie tue cum prebendis & terris & omnibus ad eam pertinentibus in perpetuum possidendam concedimus, & presentis scripti nostri auctoritate firmamus. Hec & que justa sunt, conservantibus sit pax & misericordia a Deo patre nostro & Domino Jhesu nostro, ut & in presenti de fructu pie operationis gaudeant atque in futuro pietatis divine mansuetudinem & gratiam eterne consolationis inveniant. Si quis autem adversus ista que nos paci posterorum providentes, legitime firmavimus, aliqua fraude vel malignitate venire attemptaverit, vel attestationis nostre munimentum temerare præsumpserit, in presenti traditus angel . . . . divine subjaceat maledictioni, & nisi penitens cito resipuerit, ad satisfactionis remedium convolaverit, percellat eum in die furoris Domini animadversio eterne ultionis. Actum est hoc anno Incarnati Verbi M. C°LIII. regnante in Francia illustri rege Ludovico, principante in Normannia nobilissimo duce Henrico. Ego Hugo Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus. S ✠. Ego Philippus Bajocensis episcopus. S ✠. Ego Arnulfus Lexoviensis episcopus. S ✠. Ego Rotrodus Ebroicensis episcopus. S ✠. Ego Egidius archidiaconus. S ✠. Ego Gaufridus decanus & archidiaconus. S ✠. Ego Osmundus archidiaconus S ✠. Ego Radulfus thesaurarius. S ✠.

XXIII.

Charta Rotrodi archiepiscopi pro monasterio Vallis-Azonis.

Ex Sammarthanis. 1169.

EGO Rotrodus, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, dilectis filiis Ricardo abbati de Voto, ejusque fratribus regularem vitam professis imperpetuum. Sancta mater ecclesia spiritu discretionis & gratiæ plena, humiles filios provehit & exaltat, quæ quanto ferventiores in religione conspicit, tanto eos carius amplecti consuevit. Eapropter, dilectissimi filii, quia districtiorem vitam Cistercii ordinis strenue vos tenere cognoscimus, sancti patris nostri papæ Alexandri vestigiis inhærentes, necnon & prædecessoris nostri piæ memoriæ Hugonis archiepiscopi, vos & vestra in quibus divino mancipati estis servitio, sub nostra & sanctæ Rotomagensis ecclesiæ protectione suscipimus, & præsenti confirmatione communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona impræsentiarum juste & canonice possidetis, & deinceps, annuente Domino, acquirere poteritis, vobis vestrisque successoribus firma & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, vallem scilicet ipsam inter Insulam bonam & *Bollebec*, in qua monasterium vestrum a Mathildi nobilissima imperatrice filioque ejus illustri rege Henrico, in honore sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ fundatum est, cum terra quam vobis prædicta imperatrix emit ab Aalix uxore Februarii, & filiis ejus, pro XL. libris, grangiam quoque de Parvo becco, cum omni terra quam vobis ibidem imperatrix & rex dederunt, in foresta etiam Fiscanni totam terram & boscum quæ vobis ab ipsis collata sunt, cum omni libertate, sicut cartæ eorum testantur, & metæ ibidem positæ dividunt, necnon & decimas ejusdem terræ, ab Henrico abbate Fiscanni & conventu sanctæ Trinitatis quæ juris sui sunt, vobis concessas & scripto confirmatas. Ex dono etiam Gualeranni comitis Mellenti, & Roberti filii ejus totam hayam de *Liutot* cum omnibus appenditiis suis, vineas quoque apud Mellentum, tam de dono ipsorum quam suorum hominum. Præterea redditum salis apud Cur. . . . . ex dono Vualteri comitis, Giffardi, & quicquid ex aliorum fidelium donatione possidetis, sicut cartæ donatorum attestantur, vobis nihilominus confirmamus. Allecum quoque sex millia apud Pontem-Audomari, a Galeranno comite Mellenti, & Roberto filio ejus vobis data, & in prima septimana Quadragesimæ reddenda. Capellam vero S. Marcelli cum proximis agris ab ecclesia Bernacensi in concambio alterius terræ vobis datam, sicut a prædecessore nostro confirmatum est, nos quoque confirmamus. Si qua ergo ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam temerare præsumpserit, vel vestrum monasterium super iis vexare, fatigare tentaverit, indignationem Dei, & sanctorum omnium se incursurum sciat: & a sacratissimo corpore & sanguine Domini alienus nisi resipuerit, remanebit. Cunctis autem loco vestro sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, & gratia per omnia secula seculorum, amen. Ego Rotrodus archiepiscopus Rotomagensis, ego Radulfus thesaurarius, ego Herbertus canonicus, ego Rainaldus canonicus. Datum per manum magistri Rainaldi cancellarii, anno ab Incarnatione Domini 1168, XVI calendas Aprilis, apud Votum.

XXIV.

De electione Walterii archiepiscopi Rotomagensis.

Ex Sammarthanis. *Circiter* 1184.

JOANNES de Pratellis, Richardus *de Rui*, Richardus *de Villequier*, Robertus *de Fresquines*, Willelmus de Vivario, Reginaldus de Petravillula, Robertus de Tiliolo, Galfredus de Mesnilio, Galterus de S. Johanne, Willelmus *Pantol*, Gilibertus de Remfrevilla, Adam *de Maretot*, Richardus *de Sahors*, Willelmus de Riparia milites, jurati dixerunt, quod mortuo Rotberto Rotomagensi archiepiscopo, rex Hainricus cepit regalia in manu sua, & posuit custodes suos ad ea custodienda. Cum autem Galterus de Constantiis, qui erat familiaris regis, in archiepiscopum promoveretur, rex reddidit ea illi. Sed

dixerunt se nescisse, utrum reddiderit ei amore, quia familiaris ejus erat, vel de jure, vel aliquo modo alio: de electione dicunt se vidisse Rotroldum & Galterum de Constantiis recipi in archiepiscopatum Rotomagentem, ad preces & ad voluntatem regis Hainrici. Cum autem archiepiscopus Rotroldus mortuus esset, orta est lis & contentio inter regem & capitulum, ita quod capitulum elegit Robertum de Novoburgo & alios duos qui erant de capitulo suo, volentes quod Robertus de Novoburgo esset archiepiscopus. Rex vero timens ne irent contra voluntatem suam, noluit sustinere hoc, & elegit Galterum de Constantiis, & duos alios episcopos de Anglia, volens quod idem Galterus esset archiepiscopus: capitulum vero pro posse suo regi contradixit. Tandem canonici videntes regem turbatum interrogaverunt eum, utrum hoc vellet fieri de jure regio, vel precibus. Rex vero dixit, volo & precor ut ita fiat. Capitulum vero acquiescens voluntati regis, receperunt Galterum prænominatum, & eum constituerunt archiepiscopum.

XXV.

Charta Reginaldi Pauliacensis pro dote abbatiæ Insulæ-Dei.

NOtum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Renaldus de Pavellio divinæ pietatis intuitu, & pro salute animæ Henrici regis Angliæ, filii Mathildis imperatricis, & pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, dedi in perpetuam & quietam eleemosynam ecclesiæ S. Mariæ de Insula-Dei, & canonicis ibidem servientibus, totam decimam redituum totius terræ meæ, tam in Anglia quam in Normannia, scilicet decimam reditus medietatis villæ *de Aberlenton*, quam medietatem in manu mea retinueram; nam aliam medietatem prædictis canonicis prius donaveram in perpetuam & quietam eleemosynam. Præterea dedi eis decimam redituum meorum de Ponte *Aldemer*, & decimam redituum meorum *de Wesbire* . . . . . testibus Gualtero Rotomagensi archiepiscopo, Willelmo abbate *de Resson*, Radulfo abbate de Silleio, &c.

XXVI.

Celebris commutatio facta inter Richardum I regem Angliæ, & Walterium archiepisc. Rotomagensem.

RICHARDUS, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegaviæ; archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, &c. salutem. Cum sacrosancta ecclesia sponsa sit regis regum, & unica dilecta illius, per quem reges regnant, & principes gubernacula possident: tanto ampliorem ei volumus devotionem & reverentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum, sed omnem a domino Deo esse credimus potestatem. Unde sicut venerabilis Rotomagensis ecclesia, quæ inter universas terrarum nostrarum plurima celebritate dinoscitur enitere, pro rerum necessitate vel temporum, nostris duxit utilitatibus opportuna diligentia consulendum: sic nos ejusdem matris nostræ commodis & augmentis digna compensatione dignum ducimus respondere. Sane villa Andeliaci, & quibusdam aliis adjacentibus locis quæ erant Rotomagensis ecclesiæ, minus sufficienter firmatis, inimicis nostris in terram nostram Normanniæ per eadem loca patebat ingressus, per quæ incendiis & rapinis, necnon & aliis hostilitatis sævitiis, in eandem terram nonnunquam licentius grassabantur. Quocirca venerabili patre Waltero archiepiscopo & capitulo Rotomagensi debitum habentibus ad nostra & prædictæ terræ nostræ damna respectum, facta est hæc permutatio inter ecclesiam Rotomagensem & archiepiscopum Rotomagensem Walterum ex una parte, & nos ex altera parte, de manerio *de Andeli*, in hac forma. Scilicet quod idem archiepiscopus de conscientia & voluntate domini papæ Cœlestini tertii, & de assensu capituli Rotomagensis ecclesiæ, & coepiscoporum suorum, & cleri ejusdem archiepiscopatus, concessit & in perpetuum quietum clamavit, nobis & heredibus nostris, prædictum manerium *de Andeli*, cum novo castello de Rupe & cum foresta, & cum omnibus aliis pertinentiis & libertatibus suis, exceptis ecclesiis & præbendis, & feodis militum, & excepto manerio de Fraxinis cum pertinentiis suis: quæ omnia idem archiepiscopus ecclesiæ Rotomagensi & sibi & successoribus suis retinuit, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, & cum omni integritate sua in perpetuum. Ita quod tam milites quam clerici, & omnes homines, tam de feodis militum quam de præbendis, sequentur molendina *de Andeli*, sicut consueverunt & debent, & moltura erit nostra. Archiepiscopus autem & homines sui de Fraxinis, molent ubi idem archiepiscopus volet, & si voluerit molere apud *Andeli*, dabunt molturas suas, sicut alii ibidem molentes. In escambium autem prædicti manerii *de Andeli* cum pertinentiis, concessimus & in perpetuum quieta clamavimus ecclesiæ Rotomagensi, & prædicto archiepiscopo & successoribus suis, omnia molendina quæ nos habuimus Rotomagi, quando hæc permutatio facta fuit, integre cum omni sequela & moltura sua, sine aliquo retinemento eorum quæ ad molendina pertinent vel ad molturam, & cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus quas solent & debent habere. Nec alicui alii licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum prædictorum molendinorum; & debet archiepiscopus solvere eleemosynas antiquitus statutas de iisdem molendinis. Concessimus etiam eis villam de Dieppa & villam *des Boteilles*, cum omnibus pertinentiis & libertatibus, & liberis consuetudinibus suis, exceptis eleemosynis constitutis in manerio de Dieppa a nobis & antecessoribus nostris, quarum summa est trecentæ & septuaginta duæ libræ, quæ debent solvi per manum dicti archiepiscopi & successorum suorum his quibus assignatæ sunt. Concessimus etiam eisdem manerium *de Loviers* cum omnibus pertinentiis, & libertatibus & liberis consuetudinibus suis, cum ministerio *de Loviers*, salvis ad opus nostrum venatione nostra & destructione forestæ, ita tamen quod non sit in regardo. Concessimus etiam eis totam forestam *de Aliermont*, cum feris & omnibus aliis pertinentiis & libertatibus suis, sicut eam habuimus. Hæc autem omnia in escambium prædicti manerii *de Andeli* cum prædictis pertinentiis data habebunt ecclesia Rotomagensis & prædictus archiepiscopus & successores sui, in perpetuum, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, sicut prædictum est; homines autem prædicti archiepiscopi de prædicto escambio habebunt omnes libertates & liberas consuetudines quas habuerunt homines *de Andeli*, dum manerium illud esset in manu dicti archiepiscopi: hæc etiam omnia quæ idem archiepiscopus in hoc escambio recepit, garantizabimus nos & hæredes nostri ecclesiæ Rotomagensi & prædicto archiepiscopo & successoribus suis in perpetuum contra omnes homines, ita quod si aliquis escambium aliquod est recepturus pro aliquo prædictorum quæ memoratus archiepiscopus hic recepit, nos vel heredes nostri faciemus illud escambium, & ecclesia Rotomagensis hæc prædicta in perpetuum pacifice possidebit. Nos autem, quantum rex potest, excommunicamus & concedimus quod incurrat indignationem omnipotentis Dei, quicunque contra hoc factum venerit. Testibus his, Huberto Cantuariensi archiepiscopo, Joanne Vuigorniensi, Hugone Coventrensi, Savarico Battoniensi, Henrico Baiocensi, Garino Ebroicensi, Lisiardo Sagiensi, Guillelmo Lexoviensi, Guillelmo Constantiensi episcopis, Guillelmo Abrincensi electo; R. S. Trinitatis

de Monte Rotomagensi, Reginaldo S. Vuandregisili, Victore sancti Georgii, Arturo Ulterioris-portus, Osberto de Pratellis, Hugone de Augo, Guillelmo de Cornavilla abbatibus; Joanne comite Moretonii, Othone comite Pictaviensi, Balduino comite de Albamarla, Radulpho comite Augi, Guillelmo Marescallo comite *de Estrigol*, Guillelmo filio Radulfi senescalli Normanniæ, Gileberto filio Reinfredi, Hugone *Brun*, Gaufrido de Leziniaco, Vuillelmo de Rupibus, Radulfo camerario Tancarvillæ, Guillelmo Martello, Radulfo *Texon*, Gaufrido de Sei, Roberto de Harecuria, & multis aliis. Datum per manum Eustachii electi Eliensis, tunc agentis vices cancellarii apud Rotomagum, anno ab Incarnat. Domini
a M.CXCVI. (a) 1 die Octobr. regni nostri anno VIII.

XXVII.

Fundatio abbatiæ Bellosannæ.

Ex archi-
...
1198. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo de Gornaco, salutem. Notum sit tam omnium futurorum quam præsentium caritati, quod ego Hugo de Gornaco divinæ pietatis & dilectionis intuitu, pro salute animæ meæ, & patris mei, & matris meæ, & aliorum antecessorum meorum, & pro salute heredum meorum, in propria hereditate mea, in foresta mea juxta Bellosannam, in honore Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & beatissimæ virginis Mariæ matris ejus, fundavi abbatiam; ibique ad serviendum Deo in perpetuum secundum regulam beati Augustini & consuetudines ordinis Præmonstratensis abbatem & conventum pie institui: ad quorum victum & vestitum, & ad necessaria Christi pauperum ad se confluentium secundum possibilitatem loci, de terris & redditibus, & justis acquisitionibus meis, in puram, perpetuam & liberam eleemosynam, omnipotenti Deo & beatæ Mariæ, & abbati & canonicis ibidem Deo servientibus, ea quæ subscripta sunt super altare ejusdem abbatiæ devote obtuli, scilicet locum illum in quo fundata est abbatia, &c. . . . . ecclesiam S. Petri de *Wlboe*, cum capella S. Aniani; & ecclesiam S. Martini de *Bremonstier*, cum capella S. Leonardi de *Merval;* & capellam S. Margaretæ de Bellosana; & quidquid juris & libertatis abbatia de Becco *Herlouin* & ego habuimus in prædictis ecclesiis & capellis, & in omnibus pertinentiis, & decimis, & libertatibus earum, excepta capella beatæ Mariæ, quæ est in curia mea de Bellosana, quam in manu mea retinui ad voluntatem meam faciendam, &c. . . . ecclesiam *de Tyl*, cum omnibus suis pertinentiis, & quidquid juris in eadem ecclesia habebam, quam mihi Simon de *Belfast* donavit, &c. . . . Actum est hoc Verbi Incarnati anno M. C. XCVIII, teste domino Gualtero Rothomagensi archiepiscopo, omnes donationes istas approbante & confirmante; teste etiam Hugone de *Cauquinvillers* abbate de Becco *Helloin;* Roberto abbate de Bellobecco, Gaudefrido abbate de Insula-Dei, Roberto abbate de Ardena, magistro Roberto de S. Paterno Rothomagensi archidiacono, &c. . . . .

XXVIII.

Fundatio parthenonis Fontium-Guerardi.

...chulario
...æ mona-
...irciter
...198. OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus comes *le Guerre,* salutem in Domino. Noverit universitas vestra, me intuitu
A pietatis, & petitione & consilio carissimi domini nostri Galtherii, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopi, & ceterorum amicorum meorum, dedisse & concessisse, & hac carta mea confirmasse pro anima patris mei & matris meæ, & omnium antecessorum meorum, & pro salute animæ meæ, & Petronillæ comitissæ, sponsæ meæ, Deo & S. Mariæ Fontis-Girardi, & monialibus ibidem Deo servientibus, locum illum qui appellatur *Fontaine-Guerard;* & in sarto de *Piru,* & in costa prope domum suam unam carrucatam terræ; & dimidium modium bladi annuatim per menses recipiendum in molendinis meis de Ponte S. Petri; item ad omnes ignes suos, &c. . . . . . Testibus his, Petronilla comitissa, &c. . . . . .

B

XXIX.

Confirmatio commutationis Andeliaci, a Johanne Anglorum rege.

Ex Sammarthanis.

JOANNES, Dei gratia rex Angliæ, dominus Hiberniæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, & comes Andegaviæ, archiepiscopis, &c. salutem. Sciatis nos concessisse, & præsenti charta confirmasse, Deo & beatæ Mariæ, & Waltero archiepiscopo Rotomagensi, & successoribus ejus in perpetuum, escambium factum inter bonæ memoriæ regem Ricardum fratrem nostrum, & ipsum archiepiscopum, de Andeliaco, pro quo recepit idem archiepiscopus villas de Dieppa, & *Buteilles*, & de *Loveres*, & forestam de *Aliermont*, & 1200.
C molendina Rotomagensia, cum omnibus pertinentiis eorum, sicut charta prædicti regis fratris nostri testatur, cum determinatione querelarum quæ exortæ sunt ex tenore prædictæ chartæ fratris nostri inter nos, & prædictum archiepiscopum, videlicet de prisa vini apud Dieppam, de Haya de Dampetra, de vivario apud Rotomagum per calceiam, de placitis ad spatham pertinentibus, de retrobanno. De prisa vini apud Dieppam sic erit: quia publice testificatum fuit coram nobis & prædicto archiepiscopo, quod prisa illa injuste capta fuit, & capi solebat, tam ex parte nostra quam ex parte archiepiscopi, concessum est, quod nunquam de cetero neque tempore guerræ, neque tempore pacis, a nobis vel heredibus nostris, vel prædicto archiepiscopo, vel successoribus suis capietur. De Haya de Dampetra sic erit: quod sive ipse archi-
D episcopus jus habuit in Haya illa per cartam prædicti regis fratris nostri, sive non; nos eam ei & successoribus suis in perpetuum quittavimus, ne occasione illius Hayæ possit in posterum suboriri contentio inter nos vel heredes nostros, & ipsum archiepiscopum vel successores suos. De vivario Rotomagensi sic erit: quod nos ipsum vivarium & piscariam ejusdem vivarii, in manu nostra retinemus, ita quod nihil de aqua vivarii facere possimus, ad damnum & nocumentum molendinorum prædicti archiepiscopi. De placitis ad spatham pertinentibus sic erit: quia ecclesiam Rotomagensem super omnes ecclesias Normanniæ venerari debemus, diligere & tueri, sicut matrem omnium ecclesiarum Normanniæ, & sicut illam unde ducatus nostri honorem accepimus, & antecessores
E nostri, sive ipsa ecclesia Rotomagensis jus habuit prius in placitis illis, sive non; nos ad honorem Dei & beatæ Virginis, concessimus ipsi archiepiscopo & successoribus suis in perpetuum, omnia placita illa & omnem justitiam placitorum: ita tamen quod justitia fiat per usum capitalis senescalli nostri Normanniæ, si præsens fuerit, vel proximi baillivi, cum ad hoc per archiepiscopum vocatus fuerit, nihil ibi facientis, nisi ut tantummodo videat justitiam fieri. Emendationes autem omnes & misericordiæ, ex prædictis placitis provenientes erunt ipsius archiepiscopi: & si baillivus noster ad vocationem ipsius archiepiscopi non venerit, erit in misericordia nostra; & nos vel senescallus noster aliquem mittat sine dilatione, cum

(a) In charta quam vulgavit Quercetanus hist. Norman. pagg. 1052 & 1053, appositus est in margina annus 1190, quamvis in contextu legatur annus 1197. Sed cum Richardus regnare cœperit anno 1189, mense Julio, necesse est mensem Octobrem & annum octavum regni ejus cadere in annum Christi 1196. Sic igitur interpungendi sunt chartæ hujus notæ chronologicæ, ut legas *anno M. CXCVI, 1 die,* seu *prima die* (id est kalendis) *Octobris.* Sammarthanos non refutamus, qui pessime scripserunt *anno M. CXCVII, XVI die Octobris;* aut Pommeraium qui scripsit *anno 1197, 26 die Octobris.*

inde requisitus fuerit, qui videat justitiam fieri in curia ipsius archiepiscopi. De retrobanno Normanniæ sic erit: quod cum oportuerit submoveri retrobannum secundum consuetudinem terræ, archiepiscopus per nos, vel per litteras nostras, vel per capitalem senescallum nostrum, vel per litteras ejus submoneri debet; & ipse archiepiscopus submonebit retrobannum, secundum consuetudinem terræ, & ducet vel duci faciet: & si retrobannum plenarie non venerit, justitia erit archiepiscopi de illis qui non venerint, & emendationes & echaetæ; & archiepiscopus non poterit relaxare justitiam sine nobis. Præterea de passagio de Diepa sic erit: quod omnes illi qui attulerint litteras nostras de passagio ad forum nostrum, passagium habebunt solvendo forum nostrum. Testibus Radulfo comite Cestriæ, Willelmo Marescalco comite Pembrocii, comite Roberto Sagiensi, Willelmo de *Homet* constabulario Normanniæ, Rogerio de *Thoeny*, Roberto de *Harecurt*, Joanne de Pratellis & Petro fratre ejus, Roberto de *Turneham*. Datum per manum Huberti Cantuariensis archiepiscopi, cancellarii nostri, apud Argentomum, 7 die Junii, regni nostri anno secundo.

XXX.

Literæ archiepiscopi Rotomagensis pro monasterio Bellosannæ.

UNiversis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum perveneritt, Gualterus, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, salutem in Domino. Ne Deo semel oblata, collata & dicata profanentur, vel in usus seculares convertantur, ad omnium notitiam volumus pertinere, nos ecclesias, grangias, & reditus, & libertates, quas dilectus filius noster Hugo de Gornaco contulit Deo & beatæ Mariæ ad fundandum & dotandum ecclesiam apud *Bellozane* .... auctoritate pontificali confirmasse, &c. ...... Confirmavimus etiam dictis canonicis de Bellosanna ecclesiam S. Luciani quam dedit eis Engerrannus de sancto Luciano, cum omnibus pertinentiis ejusdem, &c..... Dedimus autem & confirmavimus dictis canonicis omnes prædictas ecclesias.... salvis honestis vicariis sacerdotum in prædictis ecclesiis ministrantium, &c. .... Concessimus etiam eis & confirmavimus viginti libras reditus, quas dominus Joannes rex Angliæ, dum comes fuit Moritaniæ, eis in insula de *Gerst* dedit, & postea factus rex sigillo regio confirmavit, sicut in chartis ipsius, quas prædicti canonici habent, continetur. Ut autem hæc omnia prædicta in perpetuum inconcussa permaneant, &c.... Actum anno Incarnat. Dominicæ, M. CXCIX, XIII kal. Februar. pontificatus nostri anno quarto decimo, apud Rotomagum.

XXXI.

Fundatio monasterii Gomeri-fontis.

NE per obliviosæ corruptionem vetustatis, veritas probata periclitetur, ei scripturæ succurrendum est subsidio. Idcirco ego Hugo de Calvo-monte notum facio præsentibus & futuris, quod ego voluntate & concessione Petronillæ uxoris meæ, concedentibus Joanne & Jacobo, ceterisque filiis meis, pro salute animæ meæ & animæ uxoris meæ, & pro anima patris mei Galonis & matris meæ Mathildis, & pro animabus antecessorum & heredum nostrorum in puram & perpetuam eleemosynam, dedi, concessi, & hac mea carta confirmavi Deo & monialibus ordinis Cisterciensis totum mansuagium meum de Gaumerisonte cum virgulto adjacente, quatenus in eodem loco religioni perpetuæ dedito ad honorem Dei & beatæ Mariæ, & sancti Johannis-Baptistæ, necnon & sancti Jacobi, sanctique Joannis Evangelistæ, &

A sancti Eustachii, omniumque sanctorum, divina celebrentur obsequia. Dedi etiam eisdem monialibus totam decimam anguillarum mearum in vivariis meis de Gaumerisonte & de *Lateinville*, & centum solidos singulis annis ad festum sancti Remigii per decem annos recipiendos ad edificiorum suorum constructionem, & tres modios bladi ad mensuram de Calvomonte annuatim, & in perpetuum in molendino meo de Gaumerisonte sumendos: ita scilicet quod a festo sancti Petri in capite Augusti, ego & heredes mei nihil sumemus in dicto molendino, donec totius bladi sui integram & plenam habuerint solutionem. Quod si prædictum molendinum incendio seu casu aliquo deperierit vel cessaverit, ego & heredes mei nominatim, bladum aliunde persolvemus; hanc eleemosynam meam libere & quiete absque omni servitio
B omni redditu, & exactione seculari in perpetuum ab eis possidendam, ego & heredes mei tenemur omnimodo quittare, deffendere & garentire, donec eis pro jam dicto blado in præfato molendino sumendo bladum æquivalens competenter assignaverimus alibi accipiendum. His testibus domino Theobaldo canonico Rotomagensi, domino Osberto abbate Loci-Dei, & fratre Joanne monacho ejus, & aliis quamplurimis.

XXXII.

Hugo de Calvomonte quædam largitur monialibus Gomeri-fontis. *Ex autographo.*

C NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod ego Hugo de Calvomonte miles, & Petronilla uxor mea, de assensu Joannis, Jacobi, Ægidii, Gervasii & Hugonis filiorum nostrorum, dedimus & concessimus in puram & perpetuam eleemosynam Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ de Gaumeri-fonte, & monialibus ibidem Deo servientibus, Cisterciensis ordinis, pro salute animarum nostrarum, & animarum antecessorum nostrorum, domum nostram de Gaumeri-fonte, cum toto gardino & toto porprisio eidem appendenti, & duos hortos vicinos ante portam ejusdem domus, & boscum nostrum de Gillaurei, a via quæ descendit de Lateinvilla usque *Floocort*, & piscationem unius piscatoris ad opus earumdem monialium in stagno ejusdem loci annuatim in omnibus festivitatibus beatæ Mariæ virginis; & in censibus 1209.
D nostris de Calvomonte viginti solidos annuatim, & vineam nostram in valle de *Joy*, quæ appellatur vinea de *Glategny*, & totam decimam quam nos emimus a domino Roberto de *Pomereux* milite, quam ipse tenebat in villa nemoris Gilloudi. Ut igitur prædictæ moniales omnia prædicta libere, quiete & pacifice in perpetuam eleemosynam teneant & possideant, præsentem chartam in hujus nostræ donationis testimonium sigilli mei munimine roboravi. Testibus his domino Roberto Rothomagensi archiepiscopo, in cujus præsentia hoc totum factum fuit; Guillelmo de Tria canonico Rothomagensi, Joanne de Tria, Joanne de *Boissy* & Guillelmo de *Magnetot* militibus, & pluribus aliis. Actum hoc fuit apud sanctam Mariam de Prato juxta Rothomagum, anno Dominicæ
E Incarnationis millesimo ducentesimo nono, in octavis apostolorum Petri & Pauli.

XXXIII.

Epistola Conradi, sedis apostolicæ legati, adversus Albigenses. *Ex Pommeraio & Sammarthanis.*

VEnerabilibus patribus Dei gratia Rotomagensi 1233.
archiepiscopo & ejus suffraganeis episcopis, salutem in Domino Jesu Christo. Dum pro sponsa veri crucifixi, vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus & plorare: ecce quod vidimus loquimur, & quod scimus testificamur.

Ille

Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur, aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum Hæresiarcham, quem hæretici Albigenses papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum Croatiæ & Dalmatiæ, juxta Hunagrorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat; etenim Carcassona oriundus, vices illius antipapæ gerens, Bartholomæus hæreticorum episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem & locum concessit in villa quæ Porlos appellatur, & seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus in literarum suarum undique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum: *Bartholomæus servus servorum sanctæ fidei tali salutem.* Ipse etiam inter alias enormitates creat episcopos, & ecclesias perfide ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, & per aspersionem sanguinis Jesu Christi, & propensius obsecramus auctoritate domini papæ quâ fungimur in hac parte, districte præcipientes, quatenus veniatis Senonis, in octavis apostolorum Petri & Pauli proxime futuris, ubi & alii prælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto, & cum aliis qui ibidem aderunt providere super negotio Albigensi; alioquin inobedientiam vestram domino papæ curabimus significari. Datum Planium sexto nonas Julii.

XXXIV.

Ex Sammarthanis.

Pactum Blanchæ reginæ & Odonis Rigaldi archiepiscopi, de ecclesia Walteri-villæ.

1250. Universis præsentes literas inspecturis, frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesiæ minister indignus, salutem æternam in Domino Jesu Christo. Notum facimus quod cum vacante ecclesia de Wativilla (a) in archidiaconatu Augi, Rotomagensis diœcesis, super jure patronatus inter illustriss. Ludovicum regem Franc. ex una parte, & nos ex altera, contentio orta fuisset, & per diuturnitatem temporis præcedentis nequaquam sopita fuisset, tandem nos, cum illustrissima dom. Blancha, Dei gratia Franciæ regina, vices gerente prædicti illustrissimi Ludovici, Dei gratia Franciæ regis, tunc in partibus transmarinis agentis, tractatum & colloquium habuimus de prædictis; & consideratis periculo animarum & excidiis, tum ecclesiæ, tum reddituum, eodem communi assensu convenimus, ut abbas Fulcardimontis Cisterciensis ordinis, Rotomagensis diœcesis, ad eamdem ecclesiam personam idoneam præsentaret hac vice, salvo in posterum omni jure proprietatis & possessionis, ipsi & nobis, si quando utrumlibet nostrum de hoc videretur agendum; itaque per prædictam ordinationem, nulli utrinque in aliquo posset juri suo præjudicium generari. Quod ut ratum permaneat, præsentes literas sigilli munimine duximus roborandas. Actum apud Meldunum III kal. Martii anno M. CCXLIX.

XXXV.

Ex Sammarthanis.

Charta Odonis Rigaldi archiepiscopi, de archidiaconatu Pontisarensi.

1255. Frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesiæ minister indignus. Notum facimus quod cum excellentissimus dominus Ludovicus, Dei gratia rex Francorum illustris, archidiaconatum Pontisarensem, ex resignatione venerabilis viri magistri Haymonis quondam archidiaconi dicti loci, liberum & vacantem cum omni integritate ac plenitudine juris ac jurisdictionis, ceterorumque omnium pertinentium ad archidiaconatum eumdem, cujus archidiaconatus cum suis pertinentiis ad eumdem regem collatio pertinebat, ad honorem Dei & beatæ Mariæ virginis ecclesiæ Rotomagensis, & nobis ipsius ecclesiæ curam gerentibus pastoralem, contulerit intuitu pietatis a nobis & nostris successoribus in perpetuum libere ac pacifice possidendum, nosque investierit de eodem, omnia ipsius archidiaconatus jura & jurisdictionem, ceteraque omnia ad ipsum archidiaconatum pertinentia, in nos & Rotomagensem ecclesiam totaliter transferendo; Nos eidem domino regi illustrissimo promisimus & promittimus bona fide, nostro Rotomagensi capitulo consentiente & etiam approbante, quod nos & successores nostri qui pro tempore fuerint, deputabimus certam personam, quæ tenebitur facere apud Pontisaram residentiam personalem, videlicet infra muros castri Pontisaræ in parochia sanctæ Mariæ Pontisarensis, vel apud sanctum Martinum Pontisarensem, in illo loco de prædictis, in quo maluerimus nos vel nostri qui pro tempore fuerint successores, & in aliquo dictorum locorum cognoscet de omnibus causis Burgensium Pontisarensium, per simplicem querimoniam conveniendorum ad forum ecclesiasticum pertinentibus, ipsasque decidet ibidem: exceptis causis super criminibus hæreseos & falsi; de quibus coram nobis & successoribus nostris vel officiali Rotomag. & non coram prædicta persona, per simplicem querimoniam respondebunt; de causis vero aliis, non poterunt extra prædicta loca, coram nobis vel nostris successoribus, vel alia quacumque persona vices nostras, vel alicujus successorum nostrorum gerente per simplicem querimoniam conveniri. Poterunt tamen dicti Burgenses, vel contra ipsos litigantes, a dicta persona in omnibus causis ad ejus forum spectantibus, tam a gravaminibus quam a sententiis, ad nos successoresque nostros qui pro tempore fuerint, & ad officialem Rotomagensem licite ac libere appellare. Nos autem & successores nostri, prædictaque persona, tenebimur dictis burgensibus observare eorum consuetudines rationabiles & antiquas. Nos vero Rotomagense capitulum consentimus dictæ permissioni, a memorato reverendo patre factæ, eamdem prout est expressa superius approbantes. In cujus rei testimonium nos archiepiscopus & capitulum prædicti sigilla nostra præsentibus literis duximus apponenda. Datum anno Domini M. CCLV, mense Julio.

XXXVI.

Ordinatio status B. Mariæ Rotundæ Rotomagensis. Ex regestis Visit. Odonis Rigaldii.

1257. Frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesiæ minister indignus, universis præsentes literas inspecturis, æternam in Domino salutem. Licet ad petitionem excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia Francorum regis illustris, ordinationem quamdam super reformatione status ecclesiæ sanctæ Mariæ Rotundæ Rotomagensis, præbendarum ac vicariarum ipsius ecclesiæ numero, perceptione distributionum, & jure parochiali, ac quibusdam aliis in dicta ordinatione contentis, duxerimus faciendam; quia tamen prædicta ordinatio nostra demum post vacationem trium præbendarum existentium in dicta ecclesia expleri debebat, nec continebatur in ea quid fieri deberet, si unam tantum vel duas præbendas interim vacare contingeret sigillatim, defuncto postmodum magistro Ricardo de *Torny*, quondam canonico ejusdem ecclesiæ, habente præbendam, quæ CVII libr. Turonens. valere per annum communiter æstimatur; & si expectaretur aliorum canonicorum decessus, dicta ecclesia consueto servitorum numero, ac debito servitio interim fraudaretur, seu aliquam in temporalibus pateretur jacturam: cupientes hujusmodi periculo obviare, ad petitionem ejusdem domini regis, deliberatione super iis habita diligenti, de dicta præbenda vacante sic duximus ordinandum: videlicet quod de ipsius

(a) Legendum est *Walteri-villa.*

eddititibus fundabuntur duæ præbendæ, una valoris A . libr. Turonenſ. annui redditus, quæ juxta priorem ordinationem noſtram aſſignabitur decano inſtituendo in eccleſia memorata: alia valoris XL libr. Turonenſ. conferenda cuidam canonico, qui juxta eamdem ordinationem inſtituetur ibidem: reſiduum vero aſſignabitur tribus vicariis in eadem eccleſia exiſtentibus, & dividetur æqualibus portionibus inter ipſos, dum tamen ſummam XXI libr. annui redditus non excedat. Si quid autem reſiduum fuerit, ad diſtributiones faciendas reſervabitur per decanum; ita etiam quod quantum eiſdem vicariis accreſcet ex aſſignatione reſidui ſupradicti, tantum eis ſubtrahetur de proventibus oblationum, & aliorum quæ de jure communi pertinent ad curatum, quod ſubſtractum ipſi curato totaliter remanebit. De duabus autem aliis præbendis, quarum magiſter Johannes de Nemauſio B unam, & Gaufridus de Soliaco aliam obtinent in dicta eccleſia, taliter ordinamus: videlicet quod quandocunque præbenda magiſtri prædicti Johannis vacaverit, de ipſius proventibus fundabitur una præbenda valoris XL libr. Turonenſ. annui redditus, & cuidam canonico inſtituendo in eadem eccleſia conferetur; & de reſiduo fundatæ præbendæ ſupplebitur & aſſignabitur vicariis eccleſiæ, ſi quid defuerit de ſumma XXI libr. Turon. ſupra id quod de prima præbenda mag. Ricardi eis fuerit aſſignatum: quod autem ſuperfuerit de præbenda mag. Johannis, totaliter cadet de diſtributionibus quotidianis percipiendis a decano & canonicis ac vicariis. De alia autem præbenda mag. Gaufridi, quandocunque vacaverit fundabitur una præbenda XL libr. Turonenſ. annui redditus; & totum reſiduum committetur in diſtributiones prædictas. C Hæc autem omnia ordinamus & ſtatuimus de ipſius domini regis aſſenſu, ordinatione noſtra priori, quantum ad alia quæ ibidem continentur, in ſuo valore permanente. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri. Actum Pariſius anno Domini M. CCLVII, in craſtino beati Michaëlis.

XXXVII.

Bulla Alexandri IV papæ, de juriſdictione in Cruce-ſignatos.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri archiepiſcopo Rotomagenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Tua fraternitas D intimavit, quod prætextu indulgentiæ Cruce-ſignatis ab apoſtolica ſede conceſſæ, in qua continetur, quod eos cum familia & omnibus bonis ſuis recipimus ſub protectione ipſius ſedis & noſtra, inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum regem Francorum illuſtrem, & barones & ballivos ejus provinciæ Rotomagenſis, ex parte una; & te ac venerabiles fratres noſtros epiſcopos ſuffraganeos tuos, ex altera, diſſenſionis materia eſt exorta: proponentibus rege, ballivo & baronibus prædictis, quod Cruce-ſignati laïci eorum juriſdictioni non ſunt ſubjecti; contra juriſdictionem hujuſmodi, eorumque jura, prætextu talis indulgentiæ, per eccleſiaſticos judices defendendi: te vero ac prædictis epiſcopis aſſerentibus ex adverſo, quod dicti Cruce-ſignati occaſione talis indulgentiæ, de E foro veſtro exiſtunt; & quod in quibuſlibet cauſis, tam criminalibus quam civilibus, coram vobis ſtare jure tenentur, & quod ipſi a juriſdictione dominorum temporalium fuerint exempti; ſimiliterque petiiſti per ſedis iſtius oraculum edoceri. Nos itaque conſultationi tuæ totaliter reſpondemus, quod dictos Cruce-ſignatos a juriſdictione dominorum ipſorum indulgentia prædicta non eximit, niſi forte conſuetudo legitime præſcripta defendat eoſdem, ut aliàs privilegio ſeu indulgentia ſpeciali, vel jure alio ſint muniti. Datum Viterbii VIII idus Auguſti, pontificatus noſtri anno quarto.

XXXVIII.

Odo Rigaldus commutat vivarium & molendina Rotomagenſia, cum caſtro Gallionis. *Ex Sammarthanis.*

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater Odo, Rotomagenſis eccleſiæ miniſter indignus, ſalutem æternam in Domino J. C. Notum facimus quod nos, cum excellentiſſimo domino Ludovico, Dei gratia Francorum rege illuſtri, permutationem fecimus, ſicut inferius continetur, videlicet quod eidem domino regi ejuſque ſucceſſoribus ex cauſa permutationis ſeu eſcambii, dedimus & conceſſimus tenenda perpetuo & habenda omnia molendina noſtra, & vivarium noſtrum apud Rotomagum, cum omnibus pertinentiis eorum, juribus omnibus, & tota juſtitia, nil retinentes in molta civium Rotomagenſium, vel eorum qui in ſuburbiis commorantur: nobis tamen retinuimus molturam liberam in dictis molendinis, tam pro hoſpitio noſtro Rotomagenſi, quam pro nobis ubicunque Rotomagi fuerimus, vel apud Devillam, vel alibi prope Rotomagum, in loco æque diſtanti; ita quod poſt bladum quod fuerit in tremia, veniente nuntio ſeu ſerviente noſtro ad molendinum, primo & immediate noſtra moltura libere compleatur, &c. Cum prædictis etiam dedimus dicto domino regi quatuor molendina apud Devillam, &c. abſque tamen læſione ſeu impedimento molendini noſtri in ſuperiori parte aquæ conſtituti, nihil omnino ipſis in dicta villa ex permutatione hujuſmodi concedentis propter illa quatuor molendina, cum juribus ſupradictis. Dedimus etiam cum prædictis, domino regi, quatuor millia libr. Turonenſ. in pecunia numerata, pro quibus præfatus dominus rex conceſſit nobis & ſucceſſoribus, tenenda perpetuo & habenda, in puram eleemoſynam caſtrum ſuum & villam *de Gaillon*, turrim & villam *des Noees*, villas *de Douvrent* & *de Humeſnil*, cum omnibus pertinentiis prædictorum infraſcriptis & omnibus juribus, juriſdictione & juſtitia, & pleno jure regali, nihil penitus retinens in prædictis, exceptis feodis & membris loricæ extra villas nobis traditas conſtitutis. In quibus feodis & membris, extra villas omnem juſtitiam magnam & parvam retinuit dominus rex, hoc adjecto, quod prædicta ſibi vel ſucceſſoribus ſuis cedent in regalia, vacante Rotomagenſi eccleſia. Prædicta autem omnia & ſingula; quæ dicto regi ejuſque ſucceſſoribus dedimus ex cauſa prædicta, nos & ſucceſſores garantizare tenebimur præfato regi ſuiſque ſucceſſoribus in futurum, &c. Similiter prædicta omnia & ſingula, quæ dictus dominus rex nobis & ſucceſſoribus noſtris dedit ex cauſa prædicta, idem dominus rex nobis & ſucceſſoribus noſtris, adverſus omnes garantizare tenebuntur, &c. Si autem contra dictum dominum regem, quod abſit, aliquoties contigerit in Normannia guerram fieri, totiens ad magnam vim & ad parvam, dictum caſtrum *de Gaillon* & turrim *des Noees*, ſibi & ſucceſſoribus ſuis, cum munitionibus quæ ibidem tunc temporis fuerint, tunc tradere tenebimur nos & ſucceſſores noſtri, qui pro tunc fuerint, cum ſuper hoc a dicto domino rege vel ſucceſſoribus ſuis, per ipſius vel ipſorum literas patentes fuerimus requiſiti; qua ſedata guerra, pace vel treuga, vel alio modo, ipſe & ſucceſſores ſui dictum caſtrum & turrim nobis & ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint, in æque bono ſtatu, quo eiſdem tradita fuerint, tam in foſſatis, muris & ædificiis, armis, victualibus & omnibus aliis, libere & ſine difficultate qualibet reſtituere tenebuntur. Inſuper nos & ſucceſſores noſtri in caſtro prædicto, neminem contra regem poterimus receptare, & ad hoc quod de caſtro prædicto diximus obſervandum, nos & ſucceſſores noſtri regi & ſucceſſoribus ejus ſalva fidelitate quam eiſdem præſtamus, cum ab ipſis regalia recepimus, tenebimur obligati, pertinentiæ *de Gaillon*, *des Noees*, & *de Humeſnil* & *de Douvrent*. Sunt hæc jus patronatus præbendarum quod * habebit dictus dominus rex apud *Gaillon*,

1262.

* habebat

& jus patronatus parochiæ *de Douvrent*, terræ arabiles, vineæ, modiaciones vini, prata, nemora, garenæ, focagium, redditus in frumento, avena, blado, cum nucibus, denariis, caponibus, gallinis, anseribus, ovis, panibus, garbis, calcaribus, montonagiis, gardina, campipartes bladorum & nucum, sive terragia, coustuma, denarii & oboli, vendæ, furni, molendina, molta sicca, estoublagia, servitia rusticorum, quariagia, messeria, servitia vavassorum, precariæ & corveiæ carrucarum, servitia quadrigandi & tassandi, &c. In præmissorum autem testimonium & munimen præsentes literas fecimus sigillari sigillo nostro. Actum Niverni anno Domini M. CCLXII, mense Julio.

XXXIX.

Institutio decani sancti Melloni Pontisarensis.

1266. UNiversis præsentes literas inspecturis, frater Odo, permissione divina Rotomagensis ecclesiæ minister indignus, salutem æternam in Domino Jesu Christo. Ad notitiam vestram volumus pervenire, quod cum ecclesia B. Melloni Pontisarensis, Rotomagensis diœcesis, cujus ad nos jurisdictio & ordinatio pertinere noscuntur, neminem in se haberet præpositum, qui curæ animarum ipsius intenderet; nos attendentes ibidem unicam dignitatem quæ thesauraria vocabatur, cui thesaurariæ nulla erat præbenda adjuncta sive subjecta, consensu & voluntate excellentissimi domini Ludovici, Dei gratia regis Francorum illustris, ejusdem ecclesiæ patroni, thesaurariam illam in decanatum convertimus, ita ut qui prius thesaurarius vocabatur prædictæ ecclesiæ, de cetero re & nomine sit decanus. Cui quidem prædictus dominus rex unam de præbendis ecclesiæ adjunxit; ita ut de cetero ibidem decanus esse non possit, qui aliquam præbendam non obtineat in eadem. Et hic quidem decanus tenebitur per juramentum proprium esse sacerdos, & jugem residentiam facere in ecclesia supradicta: habebit etiam curam animarum canonicorum & vicariorum, & clericorum frequentantium ibi chorum. Et quoniam dictus dominus rex, utpote persona laïca non potest curam animarum conferre, eamdem personam nobis & successoribus nostris ad curam præsentabit prædictam, sicut præsentat ad alias curas in præfata diœcesi existentes. Insuper quoniam ratione thesaurariæ thesaurarius tenebatur ad quædam in prædicta ecclesia facienda, sive reficienda, sive reparanda; idem decanus ratione beneficii sui eadem onera subibit, & easdem obligationes ad ecclesiam ad quæ vel quas thesaurarius tempore thesaurariæ tenebatur. Ad hæc autem adjicimus, quod cum quædam capiceria in dicta ecclesia fuerit ab antiquo, quam conferre consuevit idem decanus tempore quo thesaurarius exstitit, nos nolentes, sicut nec decet, divinum cultum minui, neque numerum servitorum in eadem, volumus & ordinamus ut decanus ipsius ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, ad cujus collationem dicta capiceria pertinebit, ipsam capiceriam semper conferre, cum eam vacare contigerit, teneatur personæ idoneæ quæ in dicta deserviat ecclesia, sicut antea faciebat; & eamdem capiceriam sibi seu decanatui suo nullatenus valeat aggregare. Et hæc omnia de consensu & voluntate excellentissimi dicti domini nostri regis ordinata sunt & statuta. In cujus testimonium præsentes literas fecimus sigillo nostro sigillari. Actum Parisiis anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, Dominica proxima post festum beati Barnabæ apostoli.

XL.

Ex Sammarthanis. *Odo Rigaldus datur administro regni consiliarius.*

1270. PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex, &c. Notum facimus, quod nos mentis compotes & in bona sanitate, de regno nostro ordinavimus in hunc modum: videlicet quod si nos morte contigerit præveniri, antequam Ludovicus primogenitus noster, vel alter liberorum nostrorum quartum decimum annum compleverit, disponimus & volumus quod Petrus carissimus frater noster, custodiat regnum nostrum, & ipsum principalem tutorem, defensorem & custodem constituimus super regnum prædictum, & pertinentia ad illud, quousque unus liberorum nostrorum XIV annum compleverit, ut dictum est; tradentes eidem & constituentes secum ad consilium suum, pro negotiis regni faciendis, venerabiles viros Odonem archiepiscopum Rotomagensem, Stephanum Parisiensem, Odonem Bajocensem, Philippum Ebroicensem, episcopos; Matthæum abbatem sancti Dionysii in Francia, Simonem dominum Nigellæ, Erardum de Valeriaco, Petrum cambellanum, Julianum de Perona, milites; magistrum Henricum de Vezeliaco & Johannem de Trecis archidiaconos in ecclesia Bajocensi; Nicolaum de Altolio & Johannem Sarraceni, propter scacarios, & propter compotos templi, & alios compotos regni nostri faciendos. Volumus etiam quod dictus Petrus frater noster, ad consilium suum & ad prædicta negotia facienda, advocet Petrum de Brocia cambellanum nostrum, & etiam alios, quos ad prædicta facienda viderit necessarios, per consilium prædictorum similiter advocet ad consilium suum, quando viderit expedire. Volumus autem, quod dictus Petrus expensas & missiones suas, quas ipse faciet pro negotiis regni nostri, capiat de bonis regni prædicti, & residuum deponatur Parisius apud Templum, ad custodiendum & tradendum mandato primogeniti nostri, cum ad ætatem pervenerit supradictam, vel si necesse fuerit, pro defensione regni nostri. In cujus rei testimonium, ad robur & firmitatem prædictorum, præsentes literas fecimus sigilli nostri impressione muniri. Actum in castris juxta Cartaginem, die Jovis post festum S. Remigii, anno Domini M. CCLXX.

XLI.

Fundatio ecclesiæ collegiatæ B. Mariæ Escoyensis. Ex Sammarthanis.

UNiversis Christi fidelibus, Ingerannus dominus de Marigniaco, miles & cambellanus excellentissimi principis domini Philippi, Dei gratia regis Francorum illustris, salutem & pacem. Æterni regis immensa bonitas, &c. Hac consideratione deductus, de carissimæ consortis meæ Ælipdis assensu benivolo, ad honorem Dei, beatæ Mariæ virginis matris ejus, ac omnium sanctorum: præcipue in augmentum cultus illius, qui exinaniens semetipsum in ligno crucis, humani salutem generis constituit, pro nostrorum antecessorum & successorum nostrorum, necnon prædicti domini regis inclitæ memoriæ, dominæ reginæ Joannæ quondam consortis ejusdem, ac Joannæ prioris conjugis meæ defunctæ animarum remedio & salute, constituo, fundo & doto, bonis mihi & dictæ consorti meæ a Deo collatis, quoddam collegium in parochiali ecclesia Escoyarum, Rotomagensis diœcesis, cujus ecclesiæ patronatus jus pertinet ad me solum. Per cujusmodi fundationem dispono & volo, quod die qualibet in aurora pro viatoribus una missa de sancto Spiritu, &c. Cujusmodi præbendarum dignitatis, & officiorum collationem, & ipsius vicariæ præsentationem, pro me & heredibus meis de Marigniaco & de Plexeio dominis ac successoribus suis, retineo & reservo, hac conditione posita, quod post meum decessum dominus de Marigniaco prior, & dominus de Plexeio postmodum, & sic ipsi duo alternatim deinceps, videlicet unus post alium, ipsa conferent beneficia, & ad vicariam præsentabunt, &c. Item volo quod decanus, cum sibi collatus fuerit decanatus, adeat cum ipsis collatoriis literis archiepiscopum, qui pro tempore fuerit, ab eodem curam canonicorum & clericorum prædicti collegii recepturus, 1311.

quam sibi archiepiscopus ipse, absque examinatione aliqua committere teneatur. Qui cum reversus fuerit, ad meam, & dictorum heredum meorum post decessum meum, accedet præsentiam, & mihi & ipsis heredibus juramentum fidelitatis debitæ præstiturus; & inantea a singulis canonicis in eorum receptione in dicta ecclesia, meo & ipsorum heredum nomine, juramentum simile recepturus, &c. Item ut dicta ecclesia & personæ ejusdem congrua gaudeant libertate, volo quod non possint ab aliquo visitari, corrigi vel puniri, hoc salvo, quod si archiepiscopus loci ordinarius per se vel per alium, propter aliquod crimen, perpetuam officii vel beneficii privationem requirens voluerit id facere, sibi licebit: nullam propter visitationis ipsius officium sic impensum, vel causam aliam, procurationem, aut subventionem seu exactionem aliquam percepturus; quam si peteret, eam volo a prædictis canonicis denegari, &c. In quorum omnium testimonium præsentibus sigillum meum, una cum sigillo prædictæ consortis meæ apposui. Et ego Ælipdis ipsius domini de Marigniaco conjux, prædictæ fundationi consensum meum præbeo, &c. Actum anno Domini 1310, mense Januario.

XLII.

Clemens VI papa confirmat fundationem ecclesiæ collegiatæ beatæ Mariæ Escoyensis.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. . . . . Exhibita siquidem nobis venerabilis fratris nostri Joannis archiepiscopi Rotomagensis petitio continebat, quod olim bonæ memoriæ Nicolaus titulo sancti Eusebii presbyter cardinalis, & Ægidius Rotomagensis, ac Philippus Senonensis archiepiscopi; necnon Guillelmus Bajocensis, Robertus Constantiensis, Joannes Carnotensis, Petrus Autissiodorensis, Joannes Belvacensis, Guido Lexoviensis, Guillelmus Parisiensis, Gaufridus Ebroicensis, Simon Meldensis, Petrus Cenomanensis, Vulfranus Beethlemitarum episcopi, qui præsentes in ecclesia de Escoyaco, Rotomagensis diœcesis, in ipsius Joannis archiepiscopi ac primogenitorum suorum patrimonio fundatæ, dedicatione fuerunt; eorum videlicet quilibet omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui præfatam ecclesiam in die dedicationis hujusmodi, & singulis beatæ Mariæ virginis festivitatibus, ac per octavas eorum devote visitarent annuatim, centum & viginti dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxarunt. Nos igitur ejusdem Joannis archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, relaxationem ejusmodi, per eosdem cardinalem, archiepiscopos & episcopos factam, sicut prædicitur, ratam & gratam habemus, illamque auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat, &c. Datum Avenione VIII kal. Maii, pontificatus nostri anno VI.

XLIII.

Bulla Gregorii XI papæ, de regalia ecclesiæ Rotomagensis.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Romani pontificis providentia circumspecta, ad ea ex apostolicæ servitutis officio libenter intendit, per quæ ecclesiis & personis ecclesiasticis utilitas proveniat, & jus suum cuilibet conservetur. Cum itaque nuper venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum, olim archiepiscopum Narbonensem, in Rotomagensem archiepiscopum electum, a vinculo quo Narbonensi ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ potestatis plenitudine absolvenies, eum ad Rotomagensem ecclesiam, tunc vacantem, authoritate apostolica duxerimus transferendum, præficiendo ipsum eidem Rotomagensi ecclesiæ in archiepiscopum & pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur: idemque Petrus electus, qui carissimo in Christo filio nostro Carolo regi Francorum illustri, ratione temporalitatis dictæ Rotomagensis ecclesiæ, homagium & fidelitatis debitæ juramentum, prout fertur, præstare tenetur, pro ipsis præstandis, ejusdem regis præsentiam adire nequeat de præsenti; & sicut accepimus, idem rex intendens, dictum Petrum electum proxima consanguinitatis linea nobis junctum, favoribus prosequi gratiosis, regaliam quam ratione hujusmodi vacationis dictæ Rotomagensis ecclesiæ, ibidem habere dicitur, ac omnia & singula jura ei ratione hujusmodi regaliæ, in quibuscumque consistant competentia, hac vice eidem archiepiscopo remittere, & ipsum ad præstandum hujusmodi homagium & fidelitatis juramentum, per procuratorem, prout tenemus, de speciali gratia admittere, aut saltem pro his in propria persona præstandis, longam & sufficientem dilationem concedere velit: Nos hæc grata habentes multipliciter & accepta, volumus, & auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, quod per hujusmodi remissionem regaliæ, si eam dictus rex hac vice prædicto Petro electo, ut præmittitur, fecerit, vel etiam per receptionem præmissorum homagii & fidelitatis juramenti, si eum ad hoc per procuratorem admiserit, vel dilationem, ut præmittitur, dederit eidem regaliæ, & ejus juribus in quibuscumque consistant, regi & successoribus, seu etiam coronæ regiæ, nullum in posterum præjudicium generetur, nec ad consequentiam trahi valeant in futurum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & B. Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum apud Villam-novam Avinionensis diœcesis, V kal. Septemb. pontificatus nostri anno V. De mandato domini nostri papæ, Franciscus.

XLIV.

Testamentum Guillelmi de Vienne *archiepiscopi Rotomagensis.* Ex Sammarth.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Noverint universi 1407.
& singuli præsens instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini M.CCCCVI, indict. XV, mensis vero Februarii die XVIII, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri Benedicti, digna Dei providentia papæ XIII, anno XIII, in mei notarii publici & testium infra scriptorum ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, propter hoc personaliter constitutus reverend. in Christo pater & dominus Guillelmus Rotomagensis archiepiscopus, &c. Nolens intestatus decedere, dispositione testamentaria cupiens pervenire, de rebus & bonis suis sibi a Deo collatis, causa suæ ultimæ voluntatis ordinandæ, testamentum suum & suam ultimam voluntatem fecit, condidit & ordinavit modo & forma inferius designatis. Imprimis enim animam suam dum de corpore exierit, omnipotenti Deo creatori suo, &c. devote recommendavit. Item voluit cuncta debita sua persolvi. Item ordinavit corpus seu cadaver suum deferri apud ecclesiam seu monasterium S. Secani, Lingonensis diœcesis, cui quidem olim abbas extitit & pastor, & illud inhumari in monasterio memorato, in sepultura per eum jam diu ibidem electa & ordinata. Item voluit quod servitium exequiarum suarum penitus & ante omnia fiat & disponatur secundum & juxta voluntatem executorum suorum infra nominatorum, aut amborum ex eisdem. Item legavit ecclesiæ

suæ Rotomagensi, omnia bona per eum acquisita, qualiacumque sint, in villis *de Dieppe & de Loviers*, & finibus suis, pro anniversariis & aliis divinis servitiis in ecclesia memorata annuatim faciendis, pro ejus & suorum benefactorum animabus, prout dicti executores ordinabunt. Item voluit, præsente venerando patre Joanne abbate monasterii sancti Secani antedicti, & hoc sibi benigniter annuente, quod fiat & fundetur in ecclesia ipsa seu monasterio, anniversarium solemne, pro salute animæ illustrissimi principis, domini Joannis ducis Burgundiæ, & suorum, qui quidem dominus Burgundiæ, instante eodem patre testatore, pro eodem monasterio centum libr. Turonenses perpetuo admortisavit. Item voluit quod per executores suos fiat competens retributio, compensatio & satisfactio, suis servitoribus singulis cujuscumque status, de eorum laboribus secundum conscientiam & ordinationem ipsorum executorum, residuum vero omnium & singulorum bonorum suorum, tam mobilium quam immobilium, quorumcumque, ubicumque, & in quibuscumque rebus existentium, legavit & legat pure & libere monasterio S. Secani, in augmentationem fundationis capellæ suæ & perfectionis ædificiorum, per eundem testatorem in ipso monasterio inceptorum; & quoad præmissa omnia & singula tenenda, complenda & exequenda, ac executioni debitæ demandanda, fecit, constituit, nominavit & ordinavit in præsentia mei notarii subscripti, ac testium infra nominatorum, executores suos reverend. in Christo patres Guidonem miseratione divina Remensem, & Joannem eadem miseratione Viennensem archiepiscopos, prælibatum dominum Joannem abbatem monasterii antedicti, & venerandæ discretionis & scientiæ virum magistrum Hugonem *le Renoise* decanum Rotomagensem, & Laurentium *Poitillot* de dicto sancto Secano, ejusdem testatoris familiares: ita tamen quod si omnibus præmissis vacare nequiverint, aut forsan noluerint, duos ipsis se intromittere volentes, præmissa omnia & singula exequi valeant & complere, &c. Item memoratus testator revocavit, & tenore hujus præsentis instrumenti, revocat omnia alia testamenta, codicillos seu ultimas voluntates, forsitan hactenus per eum factas & conditas, &c. Acta fuerunt in domo archiepiscopali dicti patris Rotomagensis archiepiscopi testantis, sita in parochia sanctorum Cosmæ & Damiani, prope portam sancti Germani de Pratis, sub anno, indictione, mense, die & pontificatu prædictis, præsentibus prænominatis reverendissimo in Christo patre Guidone Remensi archiepiscopo, domino Joanne abbate monasterii sancti Secani, testibus, &c.

X L V.

…nd MS.

Ludovicus Haricuriensis postulatur in archiepiscopum Rotomagensem.

1408. IN nomine Domini, amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima, mensis Septembris die vicesima, & ab electione Petri de Luna ultimo in papam electi, qui dudum Benedictus decimus tertius dicebatur, anno quarto decimo, in aula palatii supra Sequanam Paris. in concilio prælatorum, universitatum & deputatorum per capitula ecclesiæ Gallicanæ & Dalphinatus, quorum quamplures sunt inferius nominati, ubi aderant serenissimi principes domini Bituriæ ac Britanniæ duces, comes de Vindocino conestabularius & cancellarius Franciæ; qui quidem prælati, scilicet archiepiscopi, episcopi, abbates, universitatum Parisiensis rectores, & Aurelianensis & Andegavensis, & capitulorum cathedralium ecclesiarum deputati, cum multitudine magistrorum & baccalaureorum formatorum in theologia, & doctorum ac licentiatorum in jure & medicina Parisius per dominum nostrum regem convocati, ad tenendum & celebrandum concilium ecclesiæ Gallicanæ & Dalphinatus Viennensis pendente neutralitate nunc currente super certis aliis regis & regni honorem & utilitatem construentibus ipsas ecclesias Gallicanam & Dalphinatus faciebant & repræsentabant, ut dicebatur, in præsentia nostrûm notariorum & testium infra scriptorum, venerandæ circumspectionis ac famosæ scientiæ vir magister Hugo *le Renvoisie* sacræ theologiæ professor, decanus ecclesiæ Rotomagensis, ex parte ipsius ecclesiæ proposuit quod ad notitiam ipsius decani & capituli Rotomagensis devento, quod bonæ memoriæ dominus Guillermus de Vienna, nuper archiepiscopus Rotomagensis, viam fuerat universæ carnis ingressus, ipsiusque corpus traditum sepulturæ, ad obviandum incommodis & scandalis quæ ex longævis vacationibus solita sunt evenire, de communi omnium assensu ad electionem futuri pastoris procedere decreverunt. Propter quod ad diem certam absentibus & quibuslibet aliis vocem in electione habentibus, qui potuerunt & debuerunt ipsi interesse, ipsaque die convenientibus in unum in capitulo dictæ ecclesiæ, dicto decano & aliis dominis canonicis, cæterisque personis habentibus vocem ad hoc, qui voluerunt & debuerunt interesse, missa de Spiritu sancto prius debite celebrata, propositoque verbo Dei ac humiliter invocata gratia sancti Spiritus in loco consueto, de electione sive postulatione futuri eorum pastoris tractare cum promissi .... decreverunt, & in certos arbitros viros providos & honestos qui de pastore Deo grato ac ecclesiæ utili & idoneo, quantum in eis foret, providere haberent conpromiserunt. Qui si quidem arbitri votis omnium juxta formam sibi datam perscrutatis de ômnium unanimi consensu, uno dempto, in nobilem ac magnæ commendationis virum dominum Ludovicum Haricuriæ in sacerdotio constitutum, de regali prosapia Francorum procreatum, & in secundo gradu consanguinitatis dominum nostrum regem Francorum attingentem, convenerunt, ac ipsum quem propter ætatis defectum eligere non poterant, in archiepiscopum Rotomagensis ecclesiæ postulaverunt. Quo facto canonici de capitulo ad chorum exeuntes hymnum *Te Deum laudamus* devote ac lætanter decantaverunt, eoque finito dictam postulationem in valvis illius ecclesiæ populo publicaverunt, ex quo totus clerus, nobiles & populus exultantes, in laudibus gratias Domino reddiderunt de tam idoneo atque generoso pastore eisdem salutifere præficiendo, per quem ab oppressionibus patria tueri, ac jura ecclesiæ defendi, ipsiusque facultates augmentari sperabant, suæ internæ lætitiæ signis, verbis & vocibus extremis ostendentes, postmodumque dictum capitulum Petro de Luna, tunc pro vero papa generaliter reputato, dictam postulationem præsentavit humiliter pro ipsius admissione supplicantes, quam tamen licet admittere distulerit, non tamen repudiavit, in qua si quidem postulatione dictum capitulum perseveravit hactenus & perseverat. Narravit insuper dictus dominus decanus multa laudabilia & virtuosa opera progenitorum & antecessorum præfati domini Ludovici, tam ecclesiasticorum quam sæcularium, in fundatione, constructione, dotatione & augmentatione ecclesiarum collegiatarum, tam regularium quam sæcularium, & collegiorum scholarium in universitate Parisiensi, unde ex hoc verisimiliter præsumptio exurgebat, ut dicebat, præfatum dominum Ludovicum a vestigiis dictorum prædecessorum suorum non deviare, sed ea potius imitari. Quapropter humiliter supplicavit præfatis dominis concilium prædictum ecclesiarum Gallicanæ & Dalphinatus Viennensis celebrantibus & facientibus quatenus attentis præmissis præfatam postulationem, sicut dignum & justum erat, efficaciter admittere dignarentur, dispensando super defectu ætatis cum eodem

atque dicta ecclesia sibi canonice providendo; addens insuper quia hujusmodi materia erat juridica, reverendus pater dominus abbas de Monte S. Michaëlis Rotomagensis diœcesis, famatus & profundus decretorum doctor, ex parte nationis Normanniæ super hoc requisitus, dictam supplicationem per rationes & jura justificaret & coloraret. Exurgens igitur præfatus dominus abbas alta & intelligibili voce præmissis quibusdam excusationibus humilibus & benivolis, protestato quod quidquid diceret in materia diceret requisitus & jussus ex parte prædictæ nationis, late & diffuse proposuit, ac per rationes & jura declaravit, sicut per nos notarios infra scriptos recolligi potuit, quæ ad dictam supplicationem & requestam admittendam dictos dominos concilium præfatum facientes & celebrantes movere debebant. Primo quod quia attentis factis per dictum dominum decanum narratis bene & utiliter providebatur ecclesiæ Rotomagensi, absque violentia vel offensa juris naturalis, divini etiam & rationis juris positivi, & insuper temporis qualitas neutralitatis in quo sumus, quo non poterat neque potest ad superiorem, nec est spes quod in proximo haberi possit recursus, necnon dictæ ecclesiæ urgens necessitas, cum dicta ecclesia jam diutius vacasset & esset disposita ad diuturnam vacationem, ex quo multa incommoda deploranda in spiritualibus & temporalibus passa est, & multo plura disposita sustinere ac incurrere in futurum, nisi celeriter per istud concilium occurreretur, evidensque docet ecclesiæ utilitas, eo præsertim quia non occurrebat alius per cujus potentiam & industriam jurisdictio & jura ecclesiæ possent æque bene observari, ac deperdita ad statum debitum & antiquum reduci, necnon ipsius generis sublimitas ac potentia; postulatio denique per dictum capitulum Rotomagense in concordia celebrata, ipsius insuper in hujus postulatione perseverantia regis, cujus maxime interest habere bonum ac fidum prælatum omni sinistra suspicione carentem, ac suffraganeorum, cleri, nobilium & populi assensus & petitio, necnon morum ipsius domini Ludovici gravitas, ac meritorum virtutumque exuberantia atque ex gestis laudabilibus & virtuosis operibus suorum progenitorum & prædecessorum conjectura seu præsumptio verisimilis de imitatione per eum ad similia insurgens & resultans, unde præfatus reverendus pater dominus abbas ex parte nationis prædictæ concludebat præmissis allegationibus & pluribus aliis rationibus juris & facti consideratis & attentis præmissa per dictum dominum decanum supplicata concedi ac admitti debere, illudque idem nomine nationis memoratæ requirebat ac supplicabat. Post hæc exurgens magnæ authoritatis vir dominus rector venerabilis famosæ universitatis Parisiensis, nomine ipsius universitatis ac procurator nationis Normanniæ in universitate Parisiensi, approbantes & laudantes proposita per dictos dominos abbatem & decanum ut supplicata per eos admitterentur & fierent humiliter supplicaverunt. Cæterum dictis propositionibus & supplicationibus sic factis, magnificus vir dominus Arnaldus *de Corbie* miles, cancellarius Franciæ, dictis dominis de concilio declaravit & significavit quod dominus noster rex ac regina, domini duces Aquitaniæ eorum primogenitus, Bituriæ, Borbonii, ac cæteri de sanguine regali, multum (haberent) gratum in quantum rationabiliter fieri posset, quod dictæ supplicationes per dictos dominum abbatem & decanum sic factæ concederentur & admitterentur. Quapropter idem dominus cancellarius, ut super præmissis certa conclusio reciperetur, petiit ab omnibus & singulis prælatis, archiepiscopis, episcopis ibidem assistentibus, necnon a quampluribus abbatibus ac deputatis per episcopos, per universitates, abbates & capitula absentes super præmissis suam opinionem. Qui omnes & singuli ei sigillatim responderunt supplicationes, tam super postulatione admittenda quam super dispensatione ætatis facienda, attentis rationibus propositis esse admittendas & annuendas, easque annuerunt, & admiserunt, & concesserunt; & insuper ut præmissa rite, juste ac rationabiliter valerent expediri pro executione præmissorum, deputaverunt reverendissimos in Christo patres & dominos dominos patriarcham Alexandrinum, archiepiscopos Bituricensem, Turonensem, Tolosanum & Senonensem, necnon episcopos Lexoviensem & Ebroicensem, ac abbatem Montis sancti Michaëlis in periculo maris, videlicet ad videndum ac plene discutiendum & examinandum formam dictæ postulationis ipsiusque processum, & personam postulatam, ac cætera hujusmodi negotium concernentia, quibus & eorum tribus aut duobus dederunt plenariam potestatem & mandatum speciale dictam postulationem admittendi, & dictam dispensationem faciendi nomine & authoritate dicti concilii, necnon procedendi ulterius secundum juris formam & prout volunt canonicæ sanctiones, & generaliter omnia alia & singula ad hoc necessaria agendi, & sine quibus præmissa expediri non valerent, de & super quibus omnibus pro parte regis nostri & cæterorum regalium dicti domini Ludovici, ecclesiæ Rotomagensis, universitatis Parisiensis & nationis Normanniæ in dicta universitate fuerunt hæc Parisius in aula palatii prædicta, anno, indictione, mense, die, & ab electione prædictis, præsentibus ad hoc venerabilibus & circumspectis viris magistris Eustachio *de Lettre*, Johanne *Garicel*, Milone *Dangel* consiliariis regis; Johanne *Lugneti*, Dominico *Parvi*, Roberto de Gardinis magistris in theologia; Petro *de Bony* licentiato in decretis, canonico ecclesiæ Carnotensis; Roulando *Ranner* baccalaureo in theologia, & Johanne de Monte-leonis magistro in artibus & baccalario in theologia, cum pluribus aliis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & requisitis. Nomina autem prælatorum in dicto concilio interessentium subsequuntur, scilicet reverendissimi in Christo patres & domini domini archiepiscopi Bituricensis, Turonensis, Tolosanus & Senonensis; prædicti episcopi Parisiensis, Lexoviensis, Ambianensis, Tornacensis, Autissiodorensis, Trecensis, Silvanectensis, Malleacensis, Appamiarum, Uticensis, Lodovensis, Nemausensis, Rivensis, Pictaviensis, Albiensis, Lucionensis, Æduensis, Abrincensis, Atrebatensis; abbates Cistercii, Claræ-vallis, de Pontigniaco, sancti Ægidii, Montis S. Michaëlis, Viziliacensis, sancti Benedicti, & plures, super prosecutione unionis universalis ecclesiæ, ac etiam super regimen dictarum Gallicanæ & Dalphinatus. Istud signum signaverunt etiam magister Amisius Gomberti presbyter Aurelianensis, in utroque jure licentiatus, decanus ecclesiæ S. Liphardi Aurelianensis diœcesis, apostolicus & imperialis; & Johannes *Biousamis* presbyter Regensis diœcesis, magister in artibus, apostolicus & imperialis; & Johannes de Civello, clericus Tullensis diœcesis, apostolicus & imperialis, & etiam instrumentum sequens.

XLVI.

Ecclesia Rotomag. postulato Ludovico de Haricuria administranda committitur.

Ex cod. MS bibliotheca Coisliniana.

1408.

UNiversis præsentes literas inspecturis, & quos infra scriptum tangit negotium, seu tangere poterit quomodolibet in futurum. Simon, miseratione divina patriarcha Alexandrinus, perpetuus administrator ecclesiæ Carcassonensis, ac eadem miseratione Petrus Bituricensis, Amelius Turonensis, Thomas Bisuntinensis, Vitalis Tolosanus, & Johannes Senonensis archiepiscopi; Lexoviensis, Parisiensis, Ambianensis, Tornacensis, Malleacensis, Autissiodorensis, Nemausensis, Abrincensis, Xantonensis, Trecensis, Cenomanensis, Nivernensis, Trecorensis, Sagiensis, Silvanectensis, Belvacensis, Uticensis,

Rivensis, Lodovensis, Æduensis, Appamiarum, Mirapicensis, Aniciensis, Lemovicensis, Lucionensis, Pictaviensis, Carnotensis episcopi; sancti Ægidii in Provincia, de Monte S. Michaëlis, de Pontigniaco, Cisterciensis, Claræ-vallis abbates; prior S. Martini de Campis Parisius, decanus Rotomagensis, cum quamplurimis episcopis, abbatibus & prioribus, ac procuratoribus quamplurimorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, capitulorum, ecclesiarum cathedralium, necnon rector & universitates Parisiensis, Aurelianensis & Andegavensis, per suos procuratores & deputatos in multitudine notabili & copiosa tenentes & concilium ecclesiarum Gallicanarum & Delphinatus, ac ipsas ecclesias repræsentantes de speciali mandato regis Parisius in aula supra Secanam super facto unionis universalis, salutem in eo qui tempore tribulationis solitus est mittere Salvatorem, & pias mentes in suo desiderio confovere. Jesu Christi Salvatoris nostri ecclesiæ suæ sanctæ sponsæ dicentis: *oravi pro te, ne deficiat fides tua*, verba fideliter amplectentes, inimici generis humani nitentis ecclesiæ columnas subvertere, qui gregem pastore carentem lupinis morsibus solitus est lacerare, fraudibus quantum cum Deo possumus occurrere cupientes, illis ecclesiis maxime quæ viduatæ pastore irrecuperabile dispendium verisimiliter incurrere possent pio compatientes affectu, earum mederi vulneribus maxime notoriis & patentibus, ac de salubri remedio providere sicut tenemur, & desideramus: unde cum nobis per viros eminenti scientia & probitate pollentes expositum fuit ex parte venerabilis ecclesiæ Rotomagensis, necnon famosæ universitatis Parisiensis ac nationis Normanniæ in eadem universitate, quod ecclesia metropolitana Rotomagensis quæ in spiritualibus & temporalibus inter cæteras ecclesias regni & Delphinatus prædictorum nobilium, ecclesiasticorum & popularium claret multiplicitate & reddituum temporalium amplitudine refulget, propter diuturnam ac modernam vacationem infinitis supponitur incommodis, & quod præteritis temporibus in manu potentium ac virtuosorum virorum laudabiliter profecit, nunc propter defectum pastoris lamentabiliter vertitur in desolationem, & quamvis decanus & capitulum ecclesiæ præfatæ Rotomagensis attendentes tanti sarcinam oneris non posse considerata temporum modernorum qualitate ac universalis ecclesiæ dispositione commode regi, nisi per manum validam & virum talem qui sub clipeo nobilitatis & virtutis volentium dicti archiepiscopatus usurpare jura illicitos refrænet conatus, in nobilem & potentem dominum nostrum Ludovicum de Hericuria presbyterum, de regali Francorum prosapia procreatum, dominum nostrum regem in secundo gradu consanguinitatis attingentem, moribus & virtutibus multipliciter insignitum duxerint vota sua, ac eum quem obstante defectu ætatis eligere non poterant, in archiepiscopum suum, & dictæ ecclesiæ suæ Rotomagensis concorditer postularunt prout in decreto super hoc confecto plenius contineri dicebatur. Nihilominus diversis ac multiplicibus intervenientibus impedimentis administrationi seu regimini dictæ ecclesiæ & archiepiscopatus, quæ jam per decem & octo menses vacaverat, non fuerat adhuc provisum in permaximam animarum, jurisdictionis ecclesiæ & temporalium reddituum ipsius ecclesiæ diminutionem & scandalum valde grave ac patenter & notorie gravissimum futurum & proximi dispendium nisi celeri & festina provisione succurratur, supplicantes nobis humiliter quatenus oculum nostræ considerationis habentes ad irrecuperabilia damna quæ propter diuturnam & morosam vacationem contingere possent, nisi de remedio provideretur opportuno, attenta etiam temporis hujus dispositione in quo non potest ad superiorem haberi recursus, ipsius ecclesiæ Rotomagensis urgente & eminente necessitate ac evidenti utilitate, & insuper ipsius

A domini Ludovici potentia, ac generis sublimitate laudabilique morum honestate, ipsiusque postulatione ac perseverantia in eadem regis ac regalium, suffraganeorum provinciæ, cleri ac populi petitione & assensu, dictam postulationem admittere providendo de persona dicti domini Ludovici dictæ ecclesiæ Rotomagensi, ac omnia & singula circa hæc necessaria & opportuna facere dignaremur, regimini & administrationi ipsius ecclesiæ, tam in spiritualibus quam in temporalibus consulendo. Nos igitur præmissis auditis diligenter attentis, & cum matura deliberatione digestis, considerantes quod oves quæ mercenario regimine gubernantur, adveniente lupo laceratæ sæpius inveniuntur, quodque domus quæ patrefamilia caret faciliter labitur in ruinam, & quod
B in tali tempore talentum quod multiplicari jubetur, non conservatum imo potius consumptum, prout experientia docet, sæpius reperitur, ne tam notabile nobileque membrum ob defectum provisionis pereat, & de somnolentia in tanto discrimine a summo pastore redargui valeamus, sed potius de vigilantia commendari, desolationi ac incommoditati compatientes disposuimus providere: & quia notorium cognoscit & indubitanter cognoscimus ex defectu administratoris ecclesiæ Rotomagensis bona miserabiliter dissipari, ac luce clarius perpendimus, quod ipsius ecclesiæ temporalitas permaxima & irrecuperabilia patietur incommoda, nisi de administratore celeriter provideatur; & quod præmissis attentis nobis non occurrat persona per quam dictæ ecclesiæ jura melius valeant conservari, tueri & defendi, ac usurpata &
C deperdita ad jus & proprietatem ipsius ecclesiæ revocari, quam per dictum dominum Ludovicum, eidem domino Ludovico administrationem generalem & liberam dictæ ecclesiæ & archiepiscopatus Rotomagensis in spiritualibus & temporalibus committendum & concedendum duximus, ac concedimus & committimus per præsentes eidem domino Ludovico administrationem generalem & liberam dicti archiepiscopatus, ac omnium & singulorum jurium & pertinentiarum in possessionem intrandi, nanciscendi & retinendi per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, officiarios destituendi & instituendi, ac omnia & singula faciendi quæ electus in archiepiscopum confirmatus de jure facere potest & debet; mandantes dominis decano & capitulo ecclesiæ præ-
D fatæ Rotomagensis, & omnibus aliis quos præsens tangit negotium aut tangere poterit, quatenus infra sex dies proxime venturos, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio, & . . . . termino assignamus omnes & singuli, prout ad quemlibet spectat, dictum dominum Ludovicum vel ejus procuratorem pro eo ut administrationem dictæ ecclesiæ & archiepiscopatus Rotomagensis, juriumque & pertinentiarum suarum universarum recipiant & admittant, & de dictis juribus & pertinentiis universis, quantum in eis & quolibet ipsorum erit, respondeant, cum effectu alioquin in omnes & singulos qui in præmissis seu eorum aliquo culpabiles fuerint reperti, ex tunc prout ex nunc, videlicet in capitula, conventus & universitates inter-
E dicti, & in personas singulares excommunicationis sententias dicta canonica monitione præmissa ferimus in hiis scriptis. In quorum omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium præsentibus nostris literis reverendissimorum in Christo patrum & dominorum dominorum patriarchæ Bituricensis, Turonensis, Tolosani & Senonensis archiepiscoporum, sigilla duximus apponenda, ac signis & subscriptionibus notariorum infra scriptorum roborari. Acta fuerunt hæc Parisius in aula superius nominata, anno Domini millesimo CCCC octavo, indictione prima, & die Martis vicesima quinta mensis Septembris, ab electione domini Petri de Luna ultimo in papam electi anno decimo quarto, præsentibus nobilibus,

venerabilibus & circumspectis viris magistro Gaufrido de Perusia magistro requestarum hospitii regis, Johanne Brevis-coxæ, Johanne Machiæ, Geraldo Rondelli, Petro *Plou*, Johanne *Laguet* & Gaufrido *Latacher* sacræ theologiæ professoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XLVII.

Archiepiscopus Lugdunensis intercedit instrumento præcedenti, & intercessione desistit.

IN nomine Domini, amen. Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter, quod anno a nativitate ejusdem Domini millesimo quadragentesimo octavo, indictione prima, mensis Septemb. vicesima quinta, & ab electione domini Petri de Luna in papam electi anno decimo quarto, congregatis Parisius in aula palatii supra Secanam reverendissimis in Christo patribus dominis patriarcha Alexandrino administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonensis, necnon Bituricensi, Turonensi, Tolosano ac Senonensi archiepiscopis; Lexoviensi, Parisiensi, Ambianensi, Tornacensi, Malleacensi, Autissiodorensi, Abrincensi, Namnetensi, Trecensi, Cenomanensi, Nivernensi, Tarbiensi, Sagiensi, Silvanectensi, Belvacensi, Uticensi, Rivensi, Lodovensi, Æduensi, Appamiarum, Mirapicensi, Aniciensi, Lemovicensi, Pictaviensi, Lucionensi & Carnotensi episcopis, ac nonnullis abbatibus in magna quantitate ibidem existentibus, ac universitatum Parisiensis, Aurelianensis ac Andegavensis, necnon episcoporum & abbatum absentium, & capitulorum metropolitanorum, & cathedralium ecclesiarum deputatis, & quamplurimis sacræ paginæ doctoribus, & legum ac medicinæ professoribus, ad concilium ecclesiæ Gallicanæ per dominum nostrum regem super prosecutionem unionis universalis ecclesiæ ac regimen ecclesiarum Gallicanæ & Delphinatus Viennensis, pendente neutralitate nunc currente Parisf. convocatis ipsas ecclesias Gallicanam & Delphinatus repræsentantibus, ut ab ipsis dicebatur & tenebatur, in nostrûm notariorum & testium infra scriptorum præsentia, cum dictus dominus patriarcha posuisset in deliberatione quandam supplicationem factam ex parte nobilis ac generosi viri domini Ludovici de Haricuria in archiepiscopum ecclesiæ Rotomagensis postulati, supplicantis quatinus cum dicta postulatio sua ad ecclesiam Rotomagensem per dictum concilium fuisset admissa, & super defectu ætatis secum quoad hoc autoritate dicti concilii dispensatum, datique commissarii qui de confirmatione facienda cognoscerent, & confirmare ac cætera necessaria & opportuna facere valerent, pendente hujusmodi processu pro utilitate dictæ ecclesiæ Rotomagensis eidem Ludovico administrationem committere ac concedere vellent, dictusque dominus patriarcha scrutatis assistentium votis concludere vellet, dominus Laurentius *Churoy* decanus ut dicebat de Sinemuro Briennensis & procurator ut asserebat domini archiepiscopi Lugdunensis ne hoc fieret nomine dicti domini Lugdunensis archiepiscopi, ad quem cognitionem præmissorum tanquam ad primatem Galliarum spectare dicebat, se opposuit; & prout in quadam schedula papirea quam nobis notariis tradidit continebatur, provocavit & appellavit, & Apostolos petiit instanter, instantius & instantissime, cujus quidem schedulæ appellationis tenor sequitur & est talis.

» Vestris reverendissimis paternitatibus reverendissimorum in Christo patrum dominorum archiepiscoporum Bituricensis, Turonensis, Tolosani & Senonensis, & aliorum reverendorum patrum dominorum episcoporum collegarum virorum autoritate hujus concilii ecclesiæ Gallicanæ commissariorum, super dispensatione & confirmatione postulationis per capitulum Rotomagense in præsentia domini Ludovici *de Herecourt* factæ deputatorum, ego Laurentius *Churoy* decanus de Sinemuro Briennensis procurator & procuratorio nomine reverendissimi in Christo patris, & domini domini Philippi de Thureyo archiepiscopi & comitis Lugdunensis, atque super quatuor Galliarum provincias, videlicet Lugdunensem, Rotomagensem, Turonensem & Senonensem primatis expono, intimo & notifico pro conservatione juris primatiæ prædictæ Lugdunensis protestando primitus & ante omnia, quod non intendo impedire dictas dispensationem neque confirmationem prædicti domini Ludovici, prout præsens concilium ecclesiæ Gallicanæ ducet ordinandum super hiis in quibus primas non posset ordinare seu disponere secundum formam juris, sed quia forte multi ignorant jus primatiæ ecclesiæ Lugdunensis, super qua in contradictorio judicio ecclesia Lugdunensis sententiam obtinuit, & etiam confirmationes plurium Romanorum pontificum, de quibus paratus sum facere promptam fidem, poteritis informari; & ut reddantur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & quod unusquisque habeat jus suum, & ut dictæ vestræ reverendæ paternitates sint de veritate informatæ, & ne conscientiæ hominum defraudentur, & ne ulterius ad confirmationem hujusmodi postulationis & aliorum contra juris formam in præjudicium dictæ Lugdunensis ecclesiæ & ejus primatiæ procedatis, ne possitis causam ignorantiæ prætendere, dico & propono quæ sequuntur, & primo quod ecclesia militans extitit ordinata conformiter, quantum fuit possibile, secundum ordinem ecclesiæ triumphantis, prout dicit Apostolus Apocal. XXI, &c. & beatus Dionysius satis deducit quasi per totum librum de ecclesiastica Hierarchia, & legitime notatur XXIII q. loquitur & notatur jo. mo. in c. Fundamenta de elect. lib. VI, itemque juxta illum numerum ordines ecclesiasticæ Hierarchiæ fuerunt in ecclesia varii ordines constituti, prout ponit B. Isidorus lib. 6 Etymologiarum cap. 12, & habetur 21 de c. Cleros; & inter alios fuerunt principaliter constitutæ post summum pontificem tres species ordinariorum & judicum, videlicet episcoporum, archiepiscoporum & primatum seu patriarcharum; item, prout narrat beatus Anacletus, p. 8. d. 3. c. Providentiæ, dum inter episcopos, archiepiscopos & primates seu patriarchas fuerunt diœceses constitutæ & divisæ, prout in eodem capite. In hiis autem locis constituti sunt primates & patriarchæ qui licet sint diversorum nominum, sunt tamen ejusdem officii part. VIII. d. In principio. Item prout ponit Isidorus in libro conciliorum tempore Anacleti, fuerunt in Galliis inter cæteros tres ecclesiæ metropolitanæ sub ecclesia Lugdunensi tanquam primate, quarum sedes Rotomagensis dicitur secunda Lugdunensis, Turonensis vero tertia Lugdunensis, & Senonensis quarta Lugdunensis. Item ne amplius dubitaremus de hujusmodi primatia ecclesiæ Lugdunensis super Rotomagensem, Turonensem & Senonensem, istud fuit specialiter declaratum, decisum & definitum per multos Romanos pontifices, specialiter per Urbanum secundum, Paschalem II, Callixtum II, Adrianum IV. Item specialiter fuit sententia lata per Urbanum II in concilio Turonensi & in concilio Claromontensi contra archiepiscopum Senonensem, pro primatia dictæ ecclesiæ Lugdunensis, quam suffraganei Senonensis agnoverunt, etiam Rotomagensis & Turonensis cum eorum suffraganeis, professi fuerunt in eodem concilio. Item de omnibus hiis constat per tenorem literarum apostolicarum. Itemque ista ordinatio sedium, videlicet episcoporum, archiepiscoporum, primatum cedit ad magnum honorem & commodum regis & subditorum, & ad utilitatem reipublicæ. Item circa hoc est attendendum quoniam capitulum Rotomagense agnoscens suum superiorem primatem Lugdunensem eorum primatem super dictam confirmationem postulationis dicti domini Ludovici

» Ludovici *de Heretourt* factæ, obtinenda ad dictum dominum Lugdunensem pro causa hac suos nuntios & procuratores destinavit cum plenaria potestate obtinendi quæcumque necessaria ad confirmationem hujusmodi postulationis; quique procuratores & nuncii ab ipso domino Lugdunensi, tanquam primate, citationem & commissionem super hujusmodi negotio necessarias obtinuerunt domino episcopo Cabilonensi directas; & ideo non videtur necesse quod ad confirmationem hujusmodi procedatis, cum habeat primatem suum superiorem habentem potestatem ad hoc, quæ jura sibi permittuntur, & ex privilegio apostolico: & ne, reverendissimi patres, valeat idem dominus Lugdunensis taliter gravari & cædi in suis libertatibus & privilegiis, si ad confirmationem hujusinodi procedatis & ad alia quæ ad primatem pertinent, & in præjudicium dictæ Lugdunensis ecclesiæ ac declarationis regiæ, quod ecclesiæ sui regni remaneant in suis libertatibus; protestor de contrario, & non consentio, nomine quo supra; imo contradico, & cum a futuris gravaminibus sit appellandum, & cum de præsenti nescitur ad quem habere recursum nisi ad dominum nostrum regem & ejus venerabilem curiam Parlamenti ad tuitionem & deffensionem libertatum ecclesiarum regni, de vestris reverendissimis paternitatibus, nomine quo supra, sentiens magistrum meum multipliciter, si ad præmissa procedatis, quod facere nitimini, fore gravatum, & jura ecclesiæ Lugdunensis irreparabiliter periclitari, & in suis libertatibus lædi in detrimentum ecclesiæ Lugdunensis, & regnicolarum ac reipublicæ, ac periculum animarum, timens forsan in futurum prægravari & opprimi, provoco & appello, nomine quo supra, ad dictum dominum nostrum regem & ejus venerabilem Parlamenti curiam, seu ad illum vel ad illos, ad quem vel ad quos hujusmodi appellatio devolvi debet de jure vel consuetudine, & Apostolos peto ut submittens & supponens dictum dominum primatem Lugdunensem & ejus ecclesiam tuitioni & protectioni dicti domini nostri regis & ejus venerabilis curiæ Parlamenti, inhibens vestris reverendissimis paternitatibus auctoritate hujus meæ appellationis, ne in præjudicium ipsius & in contemptum ecclesiæ ac periculum animarum aliquid innovare præsumatis, protestans de nullitate, & commissionis vobis factæ & aliorum in facto hujusmodi in præjudicium cujus supra, per factos factorum & fiendorum, ac processus & de provisione sibi necessaria suo loco obtinenda & fienda secundum juris formam, significans vestris reverendissimis paternitatibus ac aliis quibuscumque quorum interest, intererit aut interesse poterit, decretum apostolicum domini Paschalis papæ & aliorum Romanorum pontificum, cum clausula: *Si qua igitur in futurum ecclesia sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui potestate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem ecclesiæ Lugdunensi justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.* Cum protestatione etiam addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, &c. petens a te notario publico mihi dari publicum instrumentum ad futuram rei memoriam, testes etiam hic existentes invocandi. »

Qui dictus Laurentius per dictum dominum patriarcham requisitus an haberet procuratorem, & si haberet quod exhiberet, & deliberaretur de sibi respondendo super Apostolis; respondit quod erat procurator dicti domini Lugdunensis, sed in promptu non habebat, sed de illo diceret loco & tempore opportunis. Et tunc dictus dominus patriarcha nihilominus conclusit supplicationem dicti domini Ludovici exaudiendam & admittendam, ac dictam administrationem sibi committendam. Quibus sic factis, reverendus in Christo pater dominus Æduensis episcopus surrexit dicens, quod ipse, tanquam decanus episcoporum provinciæ Lugdunensis nomine dicti domini Lugdunensis & prædictæ provinciæ, prædictæ appellationi adhærebat; cui pro tunc illico dominus patriarcha respondit, quod per ista non intendebat alias præjudicare dicto domino archiepiscopo Lugdunensi in jure primatiæ suæ, si quod habebat: de quibus omnibus & singulis dictis dominus patriarcha, ac dictus dominus episcopus Æduensis, & dictus dominus Laurentius petierunt sibi fieri instrumentum & instrumenta: quibus omnibus, ut præmittitur, peractis, eadem die Parisius in domo potentis principis domini ducis Bituricensis in nostrûm Amisii Gomberti, Johannis Bourrillieti, alias Francisci, & Johannis *Beausamis* notariorum præsentia, existentibus præfatis dominis Bituricensi duce, Æduensi episcopo, & Laurentio procuratore præfato, dictus dominus dux benigne & generose dictum dominum Æduensem episcopum & dictum Laurentium requisivit quatenus, ut negotium sine contradictione fieret, dictæ appellationi renuntiare vellent. Qui quidem dominus Æduensis respondit, quod ob hoc contemplatione dicti domini ducis, sine tamen præjudicio juris primatiæ, dictæ appellationi renuntiabat, & admissioni supplicationis prædictæ consentiebat, dictoque domino Laurentio respondente per præsens, quod de mandato dicti domini ducis dictæ appellationi renuntiabat, per nos notarios fuit sibi expositum quod plane, & clare, & secure suam intentionem declararet, quia dominus dux ibidem præsens, volebat quod libere ac sine coactione loqueretur. Qui quidem tunc respondit quod sine præjudicio juris dictæ primatiæ ecclesiæ Lugdunensis dictæ appellationi renuntiabat. Qui tunc dictus dominus dux Bituriæ respondit, quod cum ipse esset canonicus ecclesiæ Lugdunensis, & jura & redditus ipsius ecclesiæ augmentasset, & plura bona contulisset, ejusdem non erat intentionis juribus dictæ ecclesiæ quoquo modo præjudicare; de quibus renuntiationibus magister Johannes *de la Boulaye* ibidem præsens, nomine dicti Ludovici, & dicti dominus Æduensis episcopus, & Laurentius prædictus de protestationibus per ipsos factis petierunt fieri sibi publicum instrumentum, sive instrumenta. Acta fuerunt hæc anno, mense, die & locis supra dictis, præsentibus ad ea quæ in concilio fuerunt acta venerabilibus & circumspectis viris, magistro Johanne *Adense*, canonico Rothomagensi, & Andrea *Marguerie* in Legibus licentiato, & quoad dictam renuntiationem reverendo in Christo patre domino Girardo Pictaviensi episcopo, & magistro Michaele *le Bœuf*, in Legibus licentiato, secretario domini ducis Bituricensis ac pluribus aliis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

XLVIII.

Capitulum Rotomagense designat procuratores adversus Johannem IV, recens ad cardinales evectum, qui auctoritate pontificis & regis utramque simul dignitatem, archiepiscopalem & cardinalitiam, sibi retinere tentabat. *Ex Tabulis cameræ computorum Parisiensis.*

UNIVERSIS præsentes litteras inspecturis capitulum ecclesiæ Rothomagensis, decano ejusdem absente, salutem in Domino sempiternam. Cum sacrorum canonum sanctionibus, sanctorumque patrum decretis deffendere, tueri, procurare ac prosequi jura, libertates & franchisias ipsius ecclesiæ Rothomagensis matris nostræ, nos ipsos inexcusabiliter obligatos omnino sentiamus; necnon ecclesiæ prædictæ damna prohibere, oppressiones, injurias, gravamina, & quæque 1427.

incommoda secundum nostrorum status & professionis qualitatem ac decentiam propellere, ipsis quoque imminentibus & ingruentibus damnis, gravaminibus & incommodis, ne oriantur, & prædictæ inferantur ecclesiæ, aut contingant, totis conatibus, ac principiis non segniter obstare; illatorumque gravaminum & incommodorum, si quæ forent, condignam propensius ac debitam procurare reparationem simus indissolubili nexu, atque vinculo solemnius juramenti præstiti expresse astricti & obligati, promissaque peragendi & prosequendi nostra intersit, nostrumque sit onus, officium & sarcina; nec ab eisdem subeundis dorsa nostra divertere, aut substrahere salubriter valeamus: nostræ vocationis, nostrique præstiti juramenti memores, præsertim cum, & quotiens in præmissis suis juribus, libertatibus & franchisiis gravari notabiliter, lædi, violari aut molestari perpendimus, seu incommoda prævidemus, offensas & gravamina in ipsam ecclesiam, jura ipsius, libertates ac franchisias præpa........ imminere.

Cum a certo tempore citra, reverendissimum in Christo patrem ac dominum Johannem, divina miseratione prædictæ Rothomagensis ecclesiæ archiepiscopum, sponsum & pastorem ad administrandum eidem ecclesiæ, curam ipsius atque animarum subditi sibi populi gerendam, exercendumque pastorale regimen, & officium quondam vocatum ab alto, officium quidem totum hominem, ipsiusque personalem assistentiam, operam ac sollicitudinem requirens intellexerimus in presbyterum S. R. E. cardinalem assumptum fuisse, per sanctissimum dominum nostrum Martinum summa Dei providentia papam quintum, atque ad impertiendum cum ejusdem domini nostri sanctitate..... universalis ecclesiæ vocatum, quod prægrandissimum onus indubitanter esse dignoscitur: ipsum præfatum archiepiscopum qui dignitatem cardinalatus ferunt nondum acceptasse prævideamus evidentibus signis prædictam Rothomagensem ecclesiam *(sic legimus in apographo)* quæ totius ducatus Normanniæ atque provinciæ mater est & metropolitana, cum suis juribus, redditibus & emolumentis post acceptationem dicti status cardinalatus, occupare ac retinere nitatur & contendat, in ipsius ecclesiæ spirituale & temporale prægrandissimum damnum & jacturam, non sine, nedum pusillorum & simplicium, verum etiam magnorum ac circumspectorum virorum gravi scandalo: necnon quasdam litteras regias conservationis & manutenentiæ ipsius in possessione fructuum, reddituum & emolumentorum ejusdem ecclesiæ obtinuerit, & eas in nostro capitulo nobis capitulariter congregatis jam dudum perlegi atque publicari fecerit & intimari.

Notum facimus nos die datæ præsentium capitulariter congregatos & capitulantes, matura digestaque deliberatione inter nos habita, hanc in nostris cordibus invisam, inauditamque novitatem, non sine ingenti dolore revolventes, præmissis inconvenientibus incommodis, omnibus viis, modis, & mediis justis & rationabilibus providere cupientes, ac posse tenus obviare, motos duntaxat prædictæ matris ecclesiæ zelo, cujus vices in hac parte gerere ejusque interesse, servare & prosequi, ac pro eodem certare nobis ex debito officii & juramenti incumbit & pertinet, qui salvo eodem juramento ipsi præstito ecclesiæ sub silentio aut dissimulatione rem tam grandem tantique ponderis nostris conscientiis plurimum onerosam præterire non valemus, fecisse, constituisse & ordinasse, tenoreque præsentium facimus, constituimus & ordinamus dilectos nobis & fideles venerabiles & circumspectos viros Guillelmum Intrantis decanum, Radulfum Roussselli thesaurarium, Andream *Marquerie* archidiaconum parvi Caleti, Nicolaum de Savigniaco, Henricum *Gorren*, Johannem *Huere*, Nicolaum Aucupis, Johannem *le Galloys*, fratres & concanonicos nostros, Hebertum *Camus*, Guillelmum *le Riche*, petrum *de Chastellon*, Dionysium Maugerii, Petrum *du Puys*, & Michaelem *le Poulletier*, nostros veros, legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores prædictæ nostræ Rotomagensis ecclesiæ, nostrorumque negotiorum gestores & nuntios speciales, & eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat, mediare & finire cum effectu, dantes & concedentes dictis nostris procuratoribus & eorum cuilibet in solidum plenam & liberam potestatem, & mandatum speciale, quascumque litteras gratiam aut justitiam continentes, a domino nostro rege, & a quibuscumque dominis & judicibus tam ecclesiasticis quam secularibus, nostro & dictæ nostræ ecclesiæ nomine impetrandi & obtinendi, & quascumque litteras vel impetrationes pro parte supradicti domini Rotomagensis archiepiscopi impetratas vel impetrandas, obtentas vel obtinendas, nomine quo supra impugnandi, & eis & earum verificationi, expeditioni & executioni opponendi & contradicendi, necnon quibuscumque aliis executionibus, monitionibus, præceptis, citationibus, advocamentis & explectis contra nos, aut aliquem nostrûm, seu ecclesiam nostram prædictam, ad instantiam aut prosecutionem ipsius domini archiepiscopi vel alterius factis, &c. Datum in capitulo nostro prædicto, anno Domini M. CDXXVI, more Gallico, die 1ᵃ mensis Februarii. Signatum R. *Guirould.*

XLIX.

Compositio inter Johannem IV archiepiscopum & capitulum Rotomagense.

Ex Tabulis cameræ computorum Parisiensis. 1427.

PER præsens publicum instrumentum cunctis fiat manifestum, quod anno Domini M. CDXXVI, more Gallicano, Indict. V mensis Februarii XXV, pontificatus SS. in Christo patris, & nostri D. Martini divina providentia papæ V anno X, in nostrorum notariorum publicorum & testium subscriptorum præsentia, personaliter constitutus reverendissimus in Christo pater & dominus D. Johannes miseratione divina archiepisc. Rotomagensis, dudum per dictum dominum nostrum papam ad cardinalatum assumptus, de & super eo quod acceptando cardinalatum per receptionem capelli rubei, vel alias quovis modo & post suum præstitum expressum consensum, cum dignitate & titulo cardinalatus, vigore litterarum apostolicarum & regiarum super hoc sibi concessarum, & juxta ipsarum tenorem archiepiscopatum & ecclesiam suam Rotomagensem retinere, regere poterat, sicut prius, ut dicebat, capitulo, seu canonicis ejusdem ecclesiæ Rotomagensis contrarium asserentibus & dicentibus, occasione quorum controversia & turbatio intervenire dubitabatur inter dominum archiepiscopum ex una & dictum capitulum ecclesiæ Rotomagensis partibus ex altera; pro quorum pacificatione, & ad obviandum malis & scandalis quæ inde provenire & causari possent, reverendus in Christo pater dominus P. episcopus Belvacensis, venerabilesque & egregii viri magistri Philippus de Riulliaco, sacræ capellæ palatii regis Parisiensis thesaurarius, & Quintinus *Massue*, & in utroque jure licentiati, consiliarii regis, & suæ domus, sive hospitii requestarum magistri certam composuerunt, feceruntque & ordinaverunt cedulam tractatus ex diversis cedulis, scripturis, & memorialibus hinc inde traditis recollectam, & inde partibus communicatam, cujus tenor sequitur:

Decanus & capitulum, aut capitulum, decano absente, ecclesiæ Rotomagensis se opponere poterunt, si voluerint, executioni, manutenentiæ, & tenori litterarum regiarum, & aliarum quarumcunique pro parte domini archiepiscopi Rotomagensis, ut ipse uti, & gaudere valeat dicto archiepiscopatu cum cardinalatu, ipsa dignitate cardinalatus acceptata, vel non acceptata obtentarum, vel obtinendarum.

Dictus vero dominus archiepiscopus protestationes

ut ad dictam oppositionem admitti non debeant, & alias quascumque in contrarium; & similiter dictum capitulum, aut decanus & capitulum protestationes in contrarium facere poterunt. Die vero partibus occasione dictæ oppositionis assignata, vel assignanda, aut alia die inde dependente dictæ partes, aut earum procuratores judicialiter comparebunt. Dictique de capitulo, aut eorum procurator, in scriptis eorum oppositionem & causas ipsius, & dictus dominus archiepiscopus in contrarium suas rationes & protestationes in contrarium infra quindenam, post dictam oppositionem, & diei assignationis tradent, quibus sic traditis, dictæ partes, seu earum procuratores, dictam causam, vel processum usque ad triennium a tempore acceptationis dicti cardinalatus computandum, sub spe concordiæ & pacis, & sedationis discordiæ & processus continuabunt in statu, absque eo quod eodem triennio pendente, aliquid aliud impetretur, vel obtineatur, sive innovetur in præjudicium alterius partis & processus prædicti; quin immo, si quid in contrarium factum fuerit, non sortiatur effectum, sed sit cassum & irritum. Et si præfatus dominus archiepiscopus, in vim litterarum regiarum jam obtentarum, per quas rex mandat, quod dictus archiepiscopus, dicto archiepiscopatu, cum suis juribus & emolumentis utatur, oppositione non obstante, aut alias prædicta continuatione, seu prædicto triennio pendente fructibus, emolumentis & juribus dicti archiepiscopatus cum cardinalatu gaudeat & utatur; hoc tamen erit absque præjudicio dicti processus, & jurium partium prædictarum: & dicto tempore triennii finito, si partes prædictæ interim ad concordiam non venerint, utraque pars prædictos processus poterit prosequi eodem modo, quo facere potuisset tempore dictæ continuationis; & perinde ac si continuatio prædicta facta non extitisset, & absque eo quod aliqua prædictarum partium juvare se possit gaudentia prædicta, discontinuatione aut interruptione processus.

Et si occasione, seu ratione acceptationis dicti cardinalatus per præfatum dominum archiepiscopum contingat regaliam aperiri, & eadem regalia per ejus officiarios realiter & de facto recipiendo fructus & emolumenta temporalitatis dicti archiepiscopatus uti: eo casu, si dictus dominus archiepiscopus litteras regias impetraret, quarum virtute fieret præceptum dictis de capitulo ne ipsum impedirent in exercitio & administratione spiritualitatis dicti archiepiscopatus, dicti de capitulo se opponerent, si vellent; & dominus archiepiscopus in contrarium protestaretur, si sibi placeret, dieque assignata super dicta oppositione fieret continuatio processus usque ad triennium, sicut dictum est supra; & aliud impedimentum quam oppositionis prædictæ, durante dicto triennio, non præstabunt, nihil innovando, sicut prius est expressum.

Ad tollendum vero discordiam inter partes prædictas & materiam processus prædicti prælibatus dominus archiepiscopus, præfato termino triennii durante, totis viribus, cum omni diligentia possibili, laborabit obtinere provisiam per medium translationis, vel permutationis, de jure quod prætendit, aut prætendet, dicto cardinalatu acceptato, habere in dicto archiepiscopatu, cum alia prælatura, non tamen cum cardinali, vel recompensationem aliorum beneficiorum loco dicti archiepiscopatus, erga dominum nostrum summum pontificem, & hoc idem facere poterunt dicti de capitulo, & ad hoc coadjuvare. Et si, pendente dicta continuatione processus, provisionem, seu recompensationem non obtineret, præfato termino triennii finito, quarta pars fructuum & emolumentorum oneribus non deductis dicti archiepiscopatus, durante dicto processu, aut quousque per judicem, coram quo dictus processus pendet vel pendebit, partibus auditis aliud fuerit ordinatum, convertetur per officiarios ipsius domini archiepiscopi, de consensu partium & per consilium dicti capituli, in reparationem sedis archiepiscopalis. Qui quidem officiarii de prædictis quarta parte & reparationibus reddent rationem seu compotum coram deputatis seu deputandis per dictum dominum archiepiscopum, & deputatis seu deputandis per dictum capitulum; dictusque dominus archiepiscopus impetrabit & impetrare tenebitur apud dominum nostrum papam modernum, & si a seculo migraret, apud papam futurum, bullam & eam tradere aut tradi facere, infra festum Omnium sanctorum proximo venturum, prædicto capitulo Rothomagensi suis sumptibus, per quam papa declarabit & concedet, quod per dictam promotionem præfati domini archiepiscopi ad statum cardinalatus, si ipse dicto triennio, aut prædicto processu durante, in curia aut extra curiam, decederet, nullum præjudicium generetur juri electionis spectantis dictis decano & capitulo, & quod eis spectasset, si ante dictam promotionem ad cardinalatum, & acceptionem ejusdem, præfatum dominum archiepiscopum in sua diœcesi, ab humanis decessisse contigisset; sed in eodem jure integri dicti de capitulo remanebunt, ac si dictus dominus archiepiscopus cardinalis non fuisset, & in suo archiepiscopatu decessisset.

Prædictus vero D. archiepiscopus sumpturus pileum aut capellum cardinalatus, & post sumptionem dicti pilei usque ad annum a die sumptionis pilei prædicti computandum, non ibit Rothomagum, neque procurabit ire, salvo quod si post sumptionem dicti pilei mandaretur illuc ire per dominum regentem ibidem existentem, hoc notificari faciet illis de capitulo, qui procurare poterunt erga dictum dominum regentem quod dictus dominus archiepiscopus illuc accedat, & casu quo, cessante omni excusatione, teneretur Rothomagum ire, non intrabit ecclesiam cathedralem, nisi de consensu capituli procederet, convocatis tamen ad dictum capitulum omnibus canonicis in dicta villa Rothomagensi tunc existentibus. Et agitur & convenitur quod omnia & singula præmissa, cum eorumdem dependentiis & pertinentiis hinc inde bona fide serventur & servabuntur absque calumnia; & si difficultates, ambiguitates, obscuritates vel dubia super præmissis aut eorum dependentiis, seu aliqua parte præmissorum, emergant vel oriantur inter partes prædictas, declarabuntur, exponentur & interpretabuntur per reverendos in Christo patres spectabiles & circumspectos viros dominos & magistros Ludovicum *de Luxembourg* Morinensem, cancellarium Franciæ, Petrum Belvacensem episcopos; Philippum *de Morviller* primum præsidentem curiæ Parlamenti; Philippum *de Ruilly* Sacræ capellæ regii palatii thesaurarium, & Quintinum *Massue* domini nostri regis consiliarios, aut tres ipsorum aliis duobus absentibus, quorum quinque aut trium prænominatorum, ut fertur, declarationi, expositioni & interpretationi, aut declarationibus, expositionibus & interpretationibus, dictæ partes stare & acquiescere habebunt, & ea inviolabiliter observare tenebuntur, & absque contradictione quacunque.

Quam quidem cedulam tractatus eidem domino archiepiscopo exhibitam, & contenta in ea, juxta ipsius formam & tenorem, admisit, passavit, consensit, approbavitque & convenit, promittens bona fide idem dominus archiepiscopus de non veniendo contra contenta in dicta cedula directe vel indirecte sub hypotheca & obligatione omnium bonorum suorum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum. De quibus omnibus & singulis, & ad majorem confirmationem præmissorum, dictus D. archiepiscopus fecit & jussit hoc instrumentum publicum appensione sigilli sui, necnon signis & subscriptionibus nostrorum notariorum publicorum subscriptorum roborari, &c. &c.

L.

Ex Sammarthanis.

Fragmentum Orationis funebris Hugonis IV, archiepiscopi Rotomagensis.

1436. HIC nobili genere & claris parentibus exortus, nobilitatem morum ac scientiarum, claritudini generis anteponens, studiis literarum se contulit, & in facultate juris canonici gradum Lutetiæ adeptus est. Cum vero immisisset Dominus in cor ejus, ut ecclesiasticam professionem subiret, in archidiaconum ecclesiæ Catalaunensis promotus est, ubi quanto zelo ferveret animarum, intra ipsos suæ juventutis annos ostenderunt opera ejus: dum enim ecclesias visitaret, sicuti mos est archidiaconorum, non in hoc præcipue ejus versabatur intentio, ut vasa exteriora debite servarentur, non de exteriori structura templi, non de mundando, quod de foris est, calices & paropsides tantum sollicitus erat, sed veluti dudum me in alia regione audivisse memini, multa inquirebat diligentia, si ministri in confectione sacramentorum, in ipso sacro baptismate, in pœnitentia & ceteris, verba sacramentalia debite presbyteri formarent; illic enim majus imminere periculum conspiciebat, quam in custodia vasorum & ornamentorum, sicque in primordiis ecclesiasticorum exercitiorum, talem animarum gerebat sollicitudinem. Deinde crebrescente fama virtutum suarum, per canonicos Cabilonenses in episcopum electus, non quidem se ingerens tantæ dignitati, sed vocatus a Domino tanquam Aaron, ubi tantam clementiam, mansuetudinem & pietatem, longo tempore exercuit, & quasi visus sit in omnibus conversari sine querela (non dixerim) sine peccato, quia fragilitas hujus vitæ non patitur; nam si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est; sed magnum est, sic esse sine querela conversatum, ut clerus & populus, & vivum dilexerint atque honoraverint, & mortuum plurima benedictione prosequantur. Suam quoque constantiam in defensione ecclesiasticæ libertatis & jurisdictionis exercuit, non pertimescens faciem potentis, quominus omnia jura ecclesiæ suæ integra tueretur; & non tantum ecclesiæ suæ, sed omnium ecclesiarum, quæ in ducatu Burgundiæ episcopo dicatæ sunt, quasi patronus & auxiliator erat. Demum in archiepiscopum Rotomagensem electus, non quidem sua instantia vel petitione assumptus est, ubi inter circumjacentes guerrarum tumultus, inter bellicos furores, qui plurimum jura divina & humana pervertunt, jurisdictionem ecclesiasticam, uti antea solitus erat, tueri curavit. Tandem in hoc sacrum generale concilium accessit, ubi manum mittens ad fortia, reformationem universalis ecclesiæ, & multo concupivit desiderio & assiduo labore, quandiu illi sospitas aderat, prosequi conatus est: cum de illa desideratissima unione Græcorum mentio audita est, non solum verbo & eloquiis tantarum rerum prosecutionem curavit auxiliari, sed ex propriis facultatibus summam quadringentorum florenorum Rhenensium commodavit. Quam vero benignam, quam modestam, quam pacificam egerit inter vos conversationem, quotidiana experimenta docuerunt. Urgente autem jam senio, varia subiit ægritudinum incommoda, quas benigno & patienti pertulit animo; & demum appropinquante hora mortis, eadem hebdomada qua obiit, ad lavacrum sacrum pœnitentiæ trina vice recurrit; die quoque Dominico penultimate lapso, missam audiens, jam sibi deficiente eloquio, signa magnæ devotionis & contritionis protulit, & missa finita obdormivit in Domino.

A

L I.

Ex autographo.

Testamentum Ludovici Luxemburgensis archiepiscopi Rotomagensis.

In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, amen.

JE Loys de Luxembourg, par la grace de Dieu, archevesque de Rouen & chancelier de France, administrateur perpetuel de l'eglise d'Hely en Angleterre, estant en bon sens & bonne memoire, considerant qu'il n'est chose plus certaine que la mort, & plus incertaine que l'heure d'icelle, veux & ordonne mon testament ou derraine volonté des biens que j'auray au jour de mon trepas, estre accomply, mes debtes payées, & tors faits premierement amandez, en la maniere qui s'ensuit; & 1438.
B *revocquant tous autres testaments & codicilles par moy faits, cetui cy demourant en sa force & vertu tant seulement.*

Primo. *Je recommande mon ame a nostre benoist Createur & a la benoiste vierge Marie sa doulce mere, a monsieur saint Michel l'Archange, monsieur saint Jean-Baptiste & l'Evangeliste, & tous les benoists saints & sainctes de paradis; & veux & ordonne, quand il plaira a Dieu de moy oster de ce mortel monde, que mon corps soit enterré en l'eglise de Rouen, s'il advenoit que j'allasse de vie a trepas au royaume de France; & si j'allois de vie a trepas au royaume d'Angleterre, j'ordonne mon corps estre enterré en l'eglise d'Hely.*

Item. *Je veux & ordonne mon service en l'eglise de Rouen estre fait selon l'ordonnance de mes executeurs.*

Item. *Je laisse a l'eglise de Therouenne la terre d'Hermenville près d'Aras, que j'ay pieça achatée de Colart* C *Lestot & sa femme, en valeur de deux cens livres de rente, monnoye d'Artois, pour fonder six chappelains en ladite eglise de Therouenne.*

Item. *Pour ce faire & pour les amortir, je prie a mon frere messire Jean de Luxembourg comte de Linay, & a mon nepveu le comte de Saint-Paul, que de mes terres si j'ay en Picardie, ou cas, si par accord ou traité elles pourroint revenir en ma main ou es leurs, qu'ils veuillent bailler l'argant; & aussi sur tous mes biens meubles estant par dela, pour amortir icelles deux cens livres de rente, au doyen & chapitre de Therouenne en tout, selon la forme des memoires qui autrefois en ont estes faits: & ce doit avoir par devers luy le doyen de ladite eglise de Therouenne.*

Item. *Je veux & ordonne une messe perpetuelle chacun jour estre dite ou celebrée, avec un obit solennel en* D *l'eglise de Rouen, à l'ordonnance de mes executeurs, & a tel autel que bon leur semblera; & pour ladite messe soint baillez estorements & appartenans.*

Item. *Donne a mes chappelains qui demourent avecques moy au jour de mon trepas, deux cens livres a distribuer entre eux par esgale portion.*

Item. *Je laisse a l'eglise de Rouen un breviaire en deux grands volumes, que j'achetay de feu maistres Pierres Morisse, moyennant ce que mes successeurs archevesques, toutes & quantes fois qu'ils seront a Rouen, les auront & s'en aideront pour dire leur service, & ne les pourront emporter dehors; mais quand ils s'en voudront aller d'icelle ville, seront tenus de les renvoyer au doyen & chapitre d'icelle église, qui les auront en garde durant l'absence d'iceux archevesques.*

E Item. *Je ordonne mes executeurs monsieur l'evesque de Meaux, monsieur l'abbé de Fescamp, maistre Guillaume Erard, & le seelleur de ma court qui est a present, es mains desquels je rapporte tous mes biens, & veux que du residu, ils en disposent à leur volenté & ordonnance, pour le salut de mon ame, pour que les dessus nommez evesque & (abbé de) Fescamp, ou l'un d'eux, soint presents & toujours l'un avec les autres, & que iceux quatres executeurs, ou les trois d'eux puissent besoignér en tout ce que dit est. En tesmoing des choses dessus dites, j'ay signé cest present testament ou ordonnance de mon saing manuel, en la ville de Rouen, le XV jour de Septembre, l'an de grace 1438.* (Signatum) L. DE LUXEMBOURG, *archevesque.*

LII.

Ex tabulario [illegible] monasterii.

Confirmatio initæ concordiæ abbates inter sancti Audoëni Rotomag. & S. Victoris in Caleto.

1439. LUDOVICUS de Lucemburgo, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus & Franciæ cancellarius, universis salutem in Domino. Cum dudum orta controversia & lite mota in curia Romana inter relig. viros abbatem & conventum monasterii sancti Audoëni Rothomagensis, ordinis sancti Benedicti, ex una parte, & abbatem & conventum monasterii sancti Victoris in Caleto, ejusdem ordinis, nostre Rothomagensis diocesis, ex altera, super eo quod dicti religiosi, abbas & conventus S. Audoëni asserebant quod dictum monasterium sancti Victoris tempore sue institutionis erat prioratus eidem monasterio sancti Audoëni subjectus, & per ejus monachos solitus gubernari, & quod postmodum ad preces ducis Normannie fuerat in abbatiam erectus, conditione apposita quod præficeretur monasterio sancti Victoris per abbatem dicti monasterii sancti Audoëni aliquis ipsius monasterii sancti Audoëni monachus in abbatem, & dicti religiosi sancti Victoris contrarium dicebant, felicis recordationis dominus Johannes papa XXII, per dominum Petrum Auquerii decanum ecclesie Rothomagensis, causam concordia duxit terminandam, videlicet, &c. Postremo, vacante dicto monasterio sancti Victoris per obitum bone memorie domini Guillermi *Roussel* ipsius monasterii ultimi pacifici possessoris, notum facimus quod anno Domini 1439, mensis Maii die 8, processerunt ad electionem abbatis, eligendo in suum abbatem fratrem Johannem *de Rouvilliers* presbyterum, religiosum professum monasterii sancti Georgii de Bauquiervilla, ejusdem ordinis sancti Benedicti, nostre diocesis Rothomagensis. Notum facimus quod venerabilis pater frater Johannes abbas sancti Audoëni, & frater Petrus *Copin* baillivus dicti monasterii S. Audoëni, procurator, &c. ex una parte, & frater Johannes *de Rouvilliers* electus in abbatem sancti Victoris, & frater Antranus *de Canteleu* prior claustralis, & alii dicti conventus sancti Victoris in Caleto, ex altera, sponte recognoverunt se tractasse, pacificasse & concordasse, tractarunt, pacificaverunt & concordaverunt, quod vacatione per obitum dicti Guillermi *Roussel*, sive auctoritate apostolica sive nostra provideatur, si non jam sit provisum dicto fratri *de Rouvilliers* electo, dictorum religiosorum in loco, vice & turno dictorum religiosorum S. Victoris, & postmodum vacante dicto monasterio S. Victoris, pro prima vice religiosi sancti Victoris tenebuntur unum de conventu dicti monasterii S. Audoëni in suum & monasterii sancti Victoris abbatem eligere; & deinde vacante dicto monasterio sancti Victoris, ipsi prior & conventus sancti Victoris unum de suo conventu eligere, & sic consequenter alternis vicibus juxta formam concordie per Johannem XXII confirmate, quibus mediantibus cessaverunt processus. In quorum omnium testimonium presentes sigilli camere nostre fecimus appensione communiri, sub anno, mense, die & pontificatu prædictis.

LIII.

Ex authentico.

Breve Callixti III de prioratu sancti Martini a Campis, pro Guillelmo d'Estouteville *archiepiscopo Rotomagensi.*

CALLISTUS episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo Francorum regi illustri, salutem & gratiam ben. Superioribus diebus cum prioratum sancti Martini de Campis Parisiensis, Cluniac. ordinis, tunc vacantem dilecto filio nostro Guillelmo sancti Martini in Montibus presbytero cardinali de Estoutevilla & archiepiscopo Rotomagensi consanguineo tuo certo modo contulissemus; 1457. sperabamus nulla sibi impedimenta debere præstari, quominus pacifica illius possessione frueretur. Neque enim nos latebat monasterium Cluniac. a quo prioratus ipse dependet, cum omnibus ejus membris nostræ & apostolicæ sedis dispositioni immediate subjacere, & neminem de eodem prioratu præter Romanum pontificem se intromittere potuisse, eo præsertim tempore, quo præfato monasterio non erat de abbate provisum. Nam quod dicitur dilectum filium nostrum Alanum sanctæ Praxedis presbyterum cardinalem Avenionens. in partibus illis apostolicæ sedis legatum, illum cuidam Johanni *de Montlambert* contulisse, id nullatenus fieri potuit, cum nullam talem a nobis facultatem haberet, prout in literis collationis nostræ concessis eidem cardinali Rotomagensi aperte declaravimus; & satis sit absurdum, quod quidam asserunt, venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Aniciensem & abbatem Cluniacensem, ante suam ad dictum monasterium promotionem de eodem prioratu etiam disposuisse: quoniam id nullo jure sibi concedebatur; & multum miramur quod aut tales collationes, quæ nullæ sunt, contra mentem nostram factæ fuerint, aut idem Johannes illis uti voluerit: nam scire debuit nos pro honore nostro & auctoritate sedis apostolicæ hoc non esse passuros. Cum autem prioratus ipse eidem cardinali Rotomagensi pleno jure pertineat, & id nos supra modum optemus, serenitatem tuam hortamur plurimum in Domino ac ex corde rogamus, ut eidem Johanni adversus ipsum cardinalem nullos favores velis præstare, sed pro nostra & apostolicæ sedis reverentia, ac ex debito justitiæ cardinali præfato modis omnibus tua sublimitas taliter assistat & faveat, quod sublato cujusvis moræ dispendio, & omnibus impedimentis hujusmodi, ipse prioratus sui pacificam possessionem, prout æquum est, assequatur. Indignum enim esset, si dictus cardinalis, qui ad perferendum universalis ecclesiæ onera nobis continue assistit, & cui de eodem prioratu in aliqualem recompensam providimus; cum sibi dictum monasterium conferre proposuissemus & contulissemus, nisi literæ & intercessiones tuæ serenitatis in favorem dicti episcopi intervenissent, quibus idem cardinalis omnino parere decrevit, volens pro ejus consuetudine in omnibus tuæ morem gerere voluntati, tam indebite dicti prioratus possessione frustraretur. Nosque etiam id æquo animo nunquam pati possemus, nam id honori nostro ac tuæ erga nos & sedem eamdem devotioni minime conveniret. Quare velit tua sublimitas operam dare, quod idem Johannes ab hujusmodi impedimentis omnino desistat, & possessionem ipsius prioratus eidem cardinali dimittat vacuam & expeditam; quod si fecerit, poterit per ipsum abbatem sibi de aliquo alio bono beneficio provideri, in quo ei præstabimus favorem opportunum: aliter enim cogemur providere, quod ipse, prout æquum est, præsenti frustrabitur & futuro. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, duodecimo cal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ BAJOCENSIS.

I.

Fundatio SS. Trinitatis Cadomensis.

DIVINA patris æterni disponente clementia, ego Normannorum dux Guillelmus veris beatissimæ matris ecclesiæ quocumque diffusis cultoribus fideliter in Christo credentibus cunctis notum esse perupimus, cœlesti eos non privari mansuræ beatitudinis hereditate, sed dignos Dei coheredes existere, qui in hujus instabilis vitæ discursu positi, ea quæ tanquam hereditario jure possidere videntur, Deo consecratis locis in necessaria continuis ibidem vacantium precibus suum caritatis adimplentes officium, mancipatione hereditaria communicare disponunt. Ad quod indubitanter credendum Apostoli auctoritate, necnon promissione Dominica fidelium confirmata dirigitur fides: dicit enim Apostolus: *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Dominus namque in Evangelio cum in bonorum actuum exhibitione operatoribus futuræ retributionis munus prædiceret, eosdem digno exercitu persistentes proposito gaudiorum coheredes esse cœlestium designavit dicens: *& vitam æternam possidebunt.* Non igitur illos cœlestis regni hereditate perpetua privatum iri putemus, qui patrem suum Christum in terrenis laboribus heredem præscripserunt. Ea ergo tantæ repromissionis spe honestissima conjux mea Mathildis subnixa nobilissimi ducis Flandrensium Balduini filia, cum res nostras atque potentiam sua pro magnitudine florere conspiceret, in honorem sanctæ Trinitatis concessa a me dignæ petitionis licentia, in loco qui Cadomum prisco ab incolis nuncupatur nomine, sanctimonialibus construxit basilicam, quam paulo post omni commoditate exornatam ecclesiastica, spiritualis constituto desponsationis tempore, convenientes imperii nostri excellentissimi pontifices, ex abbatiis sanctissimi patres, omnis clerus, summa cum devotione religiosus populus omnibus rite dispositis una nobiscum, quatuordecimo kalendarum Julii, regnante in Francia rege feliciter Philippo, Romanis partibus imperiali jure dominante Henrico, apostolicæ sedis cathedram religiosissimo possidente papa Alexandro, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo sexto, quarta indictione, omnipotenti consecraverunt Domino. Nuptiis ergo solenniter celebratis spiritualibus, advocatis cum patribus prædictis terræ nostræ primatibus, firmissima prolis nostræ, tam filiorum quam amicorum omnium concessione, hæc de nostris in supplementum sanctæ ecclesiæ pro redemptione animarum in perpetuum possidenda promisimus, ea videlicet conditione, ut si quis temerario ausu venerandæ matri ecclesiæ concessa a nobis beneficia surripere tentaverit, persistendo orthodoxorum communitate careat, iram omnipotentis Domini anathema factus perpetuam incurrat. Ego Guillelmus comes, & uxor mea Mathildis, tradimus huic sanctæ ecclesiæ villam Bargæ, cum ecclesia & molendino, & ceteris omnibus appendiciis. Addimus villam quæ vocatur *Calfur*, cum ecclesia & molendino, & ceteris appendiciis. De villa quæ vocatur Ranvilla, quartam partem. In territorio ipsius ecclesiæ, in villa quæ Cadomum dicitur, ducentos & quadraginta accros terræ, & octo accros de pratis; & in insula de *Gersoi*, terram unius carrucæ & unum molendinum, & medietatem decimarum sex parochiarum ejusdem insulæ, & decimam Divæ de theloneo, de balenis & de sale. Addimus etiam decimam *de Batuent*, & de Diveta de theloneo, & præfectura & de sale; itemque decimam *de Waci* & *de Scocei*, & de theloneo & præfectura, & molendinis

A & piscibus. Tradimus etiam terram unius carrucæ in valle *de Bures*. Concedente autem comite emit comitissa de Milone & Lethelina uxore sua, quicquid habebant in villa quæ dicitur Valcellis, & in ecclesia ejusdem villæ & in molendino, quatuor viginti libris. Hujus rei testes sunt Hubertus de Ria, Radulfus camerarius, Walerannus, Godefredus Coquus, & dedit sanctæ Trinitati. Emit etiam comitissa, annuente comite, de Rotberto & de Willelmo filiis Wimundi *Cufel*, villam quæ vocatur Eschenelvilla, triginta duo libris & duobus modiis frumenti, & dedit prædicto loco; & abbatissa ceteræque sanctimoniales concesserunt illis ipsius loci orationes. Hujus conventionis testes sunt, Hunfridus camerarius, Bernardus filius *Clot*, Stephanus serviens comitissæ, Herbertus *Folenfant*, Radulfus B frater ejus. Et abbatissa postea emit de prædicto Rotberto filio Wimundi, illam terram quam possidebat in Herufivilla, centum solidos, testibus supradictis, Hunfrido & ceteris. Balduinus filius Gisleberti comitis & uxor ejus Emma, pro animarum redemptione, dederunt supradictæ ecclesiæ decimam *de la forest Daurenchedin*, cum omnibus ecclesiis, & ducentos accros terræ per deprecationem comitissæ, deditque illis comitissa in amicitia multisque retributionibus, triginta libras. Emit etiam comitissa medietatem ecclesiæ de Burnolfivilla cum decima, & dedit sanctæ Trinitati. Item in villa sancti Aniani emit comitissa, annuente comite, triginta & unum accros terræ, & dedit prædictæ ecclesiæ. In Cadomo emit comitissa de Waleranno filio Rannulfi monetarii, terram unius carrucæ, & in Amblida unum molendinum & illam C terram quam frater suus Conanus in eadem villa tenuit in alodio, viginti libris & uno marco auri, annuente comite, & dedit sanctæ Trinitati. Hujus rei testes sunt, Geraldus dapifer, & Hugo *de Rosel*, & Rannulfus filius Otveri. In villa quæ dicitur *Billei*, dedit comes sanctæ Trinitati, illam terram quam Ernostus clericus tenuit de illo. Item in eadem villa dedit comes illam terram quam ibi tenuit Radulfus cognomento *Billei*, pro filia Willelmi filii Radulfi, ibi facta monacha in ecclesia sanctæ Trinitatis. Adelaidis autem ipsius ecclesiæ monacha, filia Turstini *Haldup*, deprecata est misericordiam comitis Willelmi quod illas terras quas pater suus sibi dederat in conjugio, & quas ipsa illo tempore ab ipso tenebat comite, sanctæ Trinitati daret, & illa concessit sibi medietatem eleemosynæ, ea D conditione quod sub eo tutore suisque heredibus firma res permaneret; videlicet medietatem villæ quæ dicitur *Carpicket*, & medietatem ecclesiæ, & duas partes villæ quæ vocatur Puteus; & inter Filkerolas & Estarvillam, novem viginti accros terræ, & illam terram quam Osmelinus filius Theoderici & Herbertus *Folenfant* tenent in Goisbertivilla, & in Demoltvilla, & in Culvertvilla; & in Cosneriis dimidium molendinum, & terram unius carrucæ; & in Ruscavilla terram unius carrucæ; & in Ingulfivilla illam terram quam ibi tenuit Anschetillus; & in Calvavilla sexaginta accros terræ. Stigandus de mansu Odonis dedit, annuente comite, sanctæ Trinitati, pro filia sua mo- E nacha ibi facta, ecclesias Phalesiæ, cum decimis & sepulturis, & unum molendinum; & in villa quæ dicitur *Wibrai*, unam ecclesiam, cum decima ejusdem villæ & sepultura. Et Willelmus filius Osberni dedit pro anima sua prænominatæ ecclesiæ, quadraginta accros terræ in Cambis, concedente Odone cujus fuit alodium. Rogerius *de Molbray* dedit sanctæ Trinitati illam terram quam habebat in Grainvilla, pro filia sua ibi facta monacha. Testes sunt hujus rei Drogo de sancto Vigore, & Rainaldus de Glanvilla. Rogerius filius Hugonis de Monasteriis, dedit pro matre

sua ibi Domino consecrata, sanctæ Trinitati, villam quæ dicitur Salam, cum ecclesia & molendino, & dimidiam silvam de Monte *Albolt*, & monasterium de Vallis, cum decima ipsius villæ & terram unius aratri. Hujus rei testes sunt Hugo de Monteforti, Richardus de Belso & Hunfredus frater ejus. Fulco *de Alnoy* & Fulcolinus ejus filius, dederunt sanctæ Trinitati pro redemptione animarum suarum, terram *de Folebec*, cum ecclesia & molendinis, ceterisque appendiciis, tam in planis quam in silvis, medietatem pro animabus suis, ut prædictum est, alteram medietatem pro Haduisa uxore sua. Hujus rei testes sunt Pourchardus de Insula, Willelmus filius Osberni. Ex communi autem consensu, tam comitis Willelmi quam archiepiscopi Maurilii, atque Odonis episcopi huic loco prælati, & episcoporum, Hugonis Luxoviensis, Johannis Abrincensis, ceterorumque nobilium, Willelmi Osbernidæ, Rogerii de Monte-Gomerio, Hugonis de Monteforti, Radulfi camerarii, hujus rei testium promissum est hanc ecclesiam fore liberam, tam in clero quam in abbatissa & in sanctimonialibus, & ejusdem ecclesiæ cibo sustentatis famulis, ab omni pecuniæ debito, hoc excepto quod divinæ subjacet correptioni. Concessit etiam episcopus Odo, ut quicumque Cadomensium in vita sua sepulturam sibi in hoc loco elegerit, non exigat ab eo presbyter suus sepulturam. Præterea præfatus comes gloriosissimus, & uxor ejus cum filiis suis Domino eodem die obtulerunt filiam suam Ceciliam nomine, favente archiepiscopo Rothomagense cum ceteris præsulibus, quatinus in eodem loco deifice videlicet Trinitatis ipsi in habitu religionis perenniter serviret; cujus munere, tam prolem quam cetera bona, intelligunt se possidere. Signum Guillelmi comitis. ✠ ✠ Signum Mathildis comitissæ. ✠ Signum Rotberti filii comitis. ✠ Signum Ricardi filii comitis. ✠ Signum Guillelmi filii comitis. ✠ Sign. Hugonis de Monteforti. ✠ Signum Rannulfi vicecomitis. ✠ Sig. Ricardi vicecomitis. ✠ Signum Rotberti *Bertran*. ✠ Signum Radulfi camerarii. ✠ Sig. Gauffridi *de Calmunt*. ✠ Sig. Radulfi Taxonis. Signum Maurilii Rothomagensis archipræsulis. ✠ ✠ Signum Hugonis Luxoviensis præsulis. ✠ Signum Odonis Bajocensis præsulis. ✠ Signum Johannis Abrincensis præsulis. ✠ Sign. Balduini Ebroicensis præsulis. ✠ Sig. Guillelmi Osberni filii. ✠ Signum Rogerii de Monte-Gomerio. ✠ Signum Fulconis *de Alnou*. ✠ Signum Fulconis ejus filii. ✠ Signum Nicolai abbatis sancti Audoëni. ✠ Sign. Johannis abbatis Fiscannensis. ✠ Sign. Rannulfi S. Michaëlis abbatis. ✠ Sign. Gerberti S. Wandresili abbatis. ✠ Sign. Warini abbatis S. Vigoris. ✠ Sign. Guillelmi Ebronensis abbatis. ✠ Sign. Hugonis de Lunleio abbatis. ✠ Signum Herluini Becci abbatis. Charta hæc confirmata est anno ab Incarnat. Domini 1080, penultimo anno Cycli solaris, Willelmo rege in Anglia feliciter regnante, 14 anno ejus imperii, in Francia vero regnante Philippo, Romanis partibus imperiali jure Henrico, apostolicæ sedis cathedram possidente papa Gregorio. Renovantes quæ in priori charta prius fuerant scripta, eisque ad augmentum sacratæ ecclesiæ quædam accrescentes, auctoritate episcoporum & primatuum nostrorum iterum confirmavimus, &c.

II.

Fundatio Fontaneti.

Ex chartulario.

Circa 1070.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti. Notum sit omnibus catholicis viris Deum diligentibus, & etiam sanctæ matris ecclesiæ adversariis & injuriam facientibus, quod Radulfus Taxo filius Radulfi Andegavensis, & Alpaidis, ad laudem Dei omnipotentis & S. Stephani proto martyris, fundavit cœnobium pro indulgentia

A peccatorum suorum & salute animæ suæ, atque pro remedio animarum omnium parentum suorum, in hoc loco, qui Fontanetum dicitur vulgari nomine, in quo congregati sumus ad serviendum Deo omnipotenti, sub monachili habitu & religione. Ipse enim per gratiam sancti Spiritus animatus, consilio & auctoritate Romani pontificis, & nutu Willelmi Normannorum principis, filii videlicet Roberti comitis, qui Willelmus regnum Angliæ armis subjugavit & strenue gubernavit, per consensum quoque Hugonis Bajocensis episcopi, atque per consilium Alberedæ uxoris suæ, & omnium baronum amicorumque suorum, de propriis rebus & facultatibus suis opus incœpit, & ad effectum perduxit quantum potuit. Dedit autem in usus monachorum in hoc eodem B loco pro se & omni parentela sua Deo servientium, de propriis possessionibus suis ea quæ hîc ascripta sunt, absque retractatione & absque retinentia cujuslibet consuetudinis, sive servitii, seu alicujus secularis exactionis, ne oblatio quam offerebat Deo qui regit omnia, minus acceptabilis fuisset oculis divinæ majestatis, si foret cujuslibet laïcalis personæ servitio subdita, sed esset omnino libera & quieta, & sicut jam dictum est, ab omnibus consuetudinibus & servitiis suis heredumque suorum absoluta. Concedentibus itaque & laudantibus Albereda uxore sua, cunctisque baronibus suis, dedit huic Fontanetensi cœnobio omnem terram quam habebat in hac Fontanetensi valle, a via quæ descendit de Maiaco & ducit ad Stavellos, usque ad fluvium qui dicitur Olna, & quadraginta acras terræ quas appretiaverat C in hoc Fontanetensi territorio ab Osmundo cognomento Larvita. In villa vero quæ dicitur Icius, dedit duos vavasores, Rainaldum scilicet & Ingulfum, cum omnibus terris suis ab eodem Osmundo Larvita appretiatis. Donavit quoque dimidias ecclesias Fontanetensis villæ, S. Andreæ scilicet apostoli, sanctique Martini, & omnes decimas ad ipsas medietates pertinentes, dimidiamque vineam Fontaneti, & terram Herfasti presbyteri sancti Andreæ, ac de molendinis Fontanetensibus unum, atque totam partem suam Olnæ fluminis ad piscandum. Dedit etiam omnem decimam totius terræ quam habebat in Alamannia, totamque terram Durandi Nigri & terram Radulfi, quam tenebant in eadem villa (iste Radulfus fuit frater Odonis de Stavellis) in ipsis Stavellis. Dedit omnem D terram eidem Odonis fratris prædicti Radulfi, quia hi fratres hereditatem paternam in duo diviserant. Adhuc etiam dedit omnem terram *Grosset* de præfatis Stavellis, quam idem *Grosset* de illo in quocumque loco tenebat, & omnem decimam. In villa vero cui nomen est Icius, dedit omnem terram Radulfi, qui cognominatus est Pura-aqua, totamque terram Guimundi, qui appellatus est *Gulart*, cum omnibus decimis eorum, & cum omnibus decimis totius terræ, quæ de feudo suo erat in eadem villa; & in *Brachis* atque in Fubertisolia apud Cormelas dedit unum vavasorem, cum omni terra sua & decima. In pago vero Bajocensi in proximis fluminis Olnæ, contra occidentalem partem abbatiæ, dedit duodecim acras terræ, quas excambiaverat a Willelmo Marmione. Donavit etiam ecclesiam *de* E *Bolnum*, cum omnibus decimis suis & cum omni terra quæ data fuerat eidem ecclesiæ in eleemosyna. Concessit quoque & constituit, ut ex tunc in antea cæderentur ligna in parte sua Cingalensis silvæ, ad omnia ædificia hujus Fontanetensis abbatiæ necessaria, & ad reliquos usus monachorum in ea Deo servientium, absque ulla contradictione, & quod monachi duos asinos habuissent in eadem silva consuetudinarie, & ex quo asini non sufficerent, ad supplementum lignorum cum carris illuc a monachis mitteretur, nemine prohibente, & sic expelleretur indigentia eorum. Deinde concessit totam decimam omnium redditionum suarum ipsius silvæ, & si aliquo tempore vaccarias aut ovilia, seu porcarias ibidem aggregare

faceret, donavit decimas omnium profectuum illarum, & non solum ibidem, sed etiam per omnia dominia totius terræ suæ. Donavit quoque omnem decimam totius thelonei sui de Torreio, feriæ videlicet & mercati, unumque burgensem & omnes consuetudines ejus, & etiam cunctas consuetudines hominum illorum qui in domo ipsius emerent aliquid aut venderent, atque decimas molendinorum & piscationum suarum. Donavit etiam omnem terram capellani sui Radulfi *de Essaiz*, & omnes ecclesias ejus. Deinde concessit dimidiam ecclesiam de Cleceio, cum omnibus decimis suis eidem pertinentibus, & quatuordecim acras terræ quas ibidem habebat in dominio, donavit liberas & quietas ab omnibus consuetudinibus atque servitiis, & etiam decimas molendinorum & piscationum, cum omni decima thelonei ejusdem villæ. Ipse quoque præbuit dimidiam ecclesiam sancti Lamberti, & dimidiam ecclesiam sancti Salvatoris de Villula, cum omnibus decimis earum, atque presbyteros ipsarum, cum omnibus terris suis liberis & quietis ab omnibus consuetudinibus atque servitiis suis. Adhuc dedit dimidiam ecclesiam sancti Medardi cum omni decima sua, & presbyterum ejus, cum tota terra sua ab omnibus consuetudinibus libera & quieta. De terra vero quam idem Radulfus Taxo habebat in parochia illius ecclesiæ in dominio, dedit huic Fontanetensi abbatiæ duas partes decimæ habere in dominio. Donavit etiam ecclesiam *de Canhadun*, cum omnibus decimis suis & presbyterum ejus, cum tota terra sua ab omnibus consuetudinibus & servitiis libera & quieta, & decimam molendini & piscationis, atque omnium denariorum & aliorum profectuum ipsius villæ. Præbuit quoque dimidiam ecclesiam sancti Martini de Maisnilio-Huberti, cum decimis & redditibus ad ipsam medietatem pertinentibus. In castello vero *de Rorou* dedit totam ecclesiam sancti Johannis, cum omnibus decimis suis & presbyterum ipsius, taliter cum tota possessione sua, sicut & alios supra, atque decimam molendini & piscationis, denariorumque censuum, & thelonei & mercati. Dedit etiam ecclesiam sancti Vedasti cum omnibus decimis suis, atque cum tota terra quam eadem ecclesia habebat in eleemosyna, & decimas molendinorum atque piscationum. Hic etiam per concessum & auctoritatem Willelmi principis Normanniæ, donavit huic Fontanetensi abbatiæ, cui & ea omnia quæ supra, omnes episcopales consuetudines quas de Hugone Bajocensi pontifice tenebat in feudo, concedente donationem istam eodem episcopo, & quas etiam consuetudines ipse Radulfus Taxo habebat liberas, quietas & solutas in ecclesiis suis, in Fontaneto scilicet & *Bolim*, & Toereio, & *Essun*, & *Canhadun*, & in Maisnilio Huberti, & in *Rourou* atque Furnivilla, *Barbononque* & *Cingal*, atque in Calvavilla & sancto Remigio. Concessit quoque similiter omnes redditiones & offerendas quæ ad capellam suam pertinebant, ubicumque ipse fuisset, & omnes decimas rerum ipsarum, quas tunc temporis habebat per omnia dominia sua, & quas etiam ipse vel heredes sui conquisituri erant & habituri, ex tunc in antea, in terris scilicet & aquis, atque molendinis & piscationibus, forestisque & theloneis. Defendit etiam, & prohibuit atque constituit, ne quisquam baronum sive aliorum hominum suorum, daret aliquid de rebus suis nec venderet, nec in vadimonium transponeret cuilibet alteri ecclesiæ: & concessit ut quicquid eis placuerit, dent aut vendant, vel in vadimonium ponant; & quicquid illud fuerit, ab omnibus consuetudinibus suis atque servitiis liberum, & quietum atque absolutum sit, quamdiu hæc sua Fontanetensis abbatia illud possederit. Hæc omnia quæ supra scripta sunt, dedit ad laudem Dei & sancti Stephani proto martyris, huic Fontanetensi cœnobio Radulfus Taxo filius Radulfi Andegavensis & Alpaidis, consilio & nutu Willelmi Normannorum principis, qui fuit filius Rotberti comitis. Eodem Radulfo Taxone defuncto, secundus Radulfus Taxo filius ejus & filius Alberedæ filiæ Winmundi *de Molins*, cum obtinuisset hereditatem, hæc omnia supra dicta sicut fuerant a patre suo huic ecclesiæ data concessit, & incremento donorum largitatis suæ testificatus est & corroboravit. Auxit etenim possessionem hujus Fontanetensis abbatiæ de omnibus terris & decimis, atque rebus quas Herluinus de illo tenebat, eodem Herluino secum donationem rerum ipsarum super altare sancti Stephani ponente, atque Willelmo Capra vidente & testificante. Donatio vero ista fuit omnium rerum quas idem Herluinus habuerat in Furnivilla & Vercis, atque Maiseto & Valenceio, ac Mustreceio & Icio. De his autem quæ habuerat in Crasso-Maisnilio fuit facta donatio, concedente Willelmo de Curcella & Hugone de Crasso-Maisnilio, atque Hadvisa uxore sua sorore Willelmi de Curcella, ad cujus hereditatem pertinebat terra illa. Similiter data sunt ea quæ præfatus Herluinus habuerat in Barbareio, & *Cingal*, atque Fresneio trans Cingalensem silvam. Dedit autem Radulfus Taxo huic abbatiæ cui & ea omnia quæ supra Achelundam & ecclesiam, cum omnibus decimis suis liberam & quietam ab omni episcopali consuetudine, & dimidium molendinum cum sua piscatione, & quartam partem ecclesiæ de Barbareio, & quartam partem ecclesiæ *de Cingal*, cum decimis suis ab omnibus episcopalibus consuetudinibus liberis & quietis. Deditque adhuc illas decimas quas idem Herluinus de illo tenuerat in Crasso-Maisnilio, & in Fraisneto trans Cingalensem silvam, atque in Mustreccio, & Maiseto ac Valenceio. Adhuc etiam donavit & concessit huic ipsi ecclesiæ duo molendina quæ sunt in Fontaneto, & molturam omnium hominum ecclesiæ qui habitant in Fontanetensi valle, a via quæ descendit de Moiaco usque ad ecclesiam S. Andreæ, quæ ecclesia sita est ad sinistram partem ipsius viæ. In hac eadem villa dedit dimidiam masuram terræ quam tenebat Osmundus *Petener;* & in *Bourgueson* dedit unum vavasorem cum duodecim acris terræ libere & quiete ab omni consuetudine, & decimam ipsius terræ. Dedit quoque omnes eleemosynarios de Condello qui habitant juxta silvam, & omnem terram quæ est habilis ad arandum & habitandum juxta eamdem silvam ad dexteram partem viæ quæ ducit Toereium. Apud Crocium vero in pago Bajocasino dedit unum hospitem & dimidiam ecclesiam cum omnibus decimis suis, & omnem decimam dominii sui. Apud Perceium quoque in Constanciensi pago, dedit unum villanum cum plenis debitis & redditionibus liberum & quietum ab omnibus servitiis suis & consuetudinibus suis, atque omnem decimam totius dominii sui, tam ejus quod tunc temporis habebat ibidem, quam illius quod ipse aut heredes sui & ibi & alias habituri erant, in terris & aquis, atque molendinis & piscationibus, in feriis quoque & mercatis, ac theloneis & silvis, & planis locis. Diebus istius Radulfi Taxonis filii Alberedæ filiæ Winmundi *de Molins* constituit Willelmus rex Anglorum & princeps Normanniæ filius Rotberti comitis abbatem in hac Fontanetensi ecclesia, Gaufredum nomine quemdam monachum sanctæ Mariæ de Lyra, prædicto Radulfo deprecante, & Odone Bajocensi episcopo ad ipsum laudante & concedente. Quæcumque autem ipse abbas appretiavit de hominibus ejusdem Radulfi, sine dono recepit, seu cujuslibet rei gratia conquisivit, idem Radulfus concessit & in charta firmavit. Hujus abbatis tempore dedit adhuc ipse huic cœnobio dimidiam ecclesiam sanctæ Mariæ *de Rourou*, & decimam ad eam pertinentem, atque unam acram terræ liberam & quietam ab omni servitio & consuetudine, & unam acram vineæ in Calvo-monte, atque totam decimam molendini de Veocis, & unum arpentum prati trans Olnam fluvium in prataria Cadomensi. Post obitum vero ejus cum

cum venisset possessio illius in manus Mathildis uxoris A suæ, filiæ Gauterii avunculi Willelmi regis Anglorum & principis Normannorum, & in manus Radulfi Taxonis filii ejusdem Mathildis, qui tunc erat parvulus, cumque cœpissent aliquanti ex baronibus honoris abbati prædicto injurias facere, & ea quæ iste Radulfus Taxo & pater ejus huic ecclesiæ dederant velle retrahere, & hoc ad notitiam Willelmi regis prædicti pervenisset, nolens imminui quæ consilio ejus & nutu antea facta fuerant, præcepit Ricardo vicecomiti Abrincarum quatinus de parte ejusdem regis ante se & Willelmum abbatem Cadomensem prædictaque Mathilde jubente barones honoris in Cadomo convenire jussisset, & omnia quæ prædicti duo Radulfi Taxones huic Fontanetensi ecclesiæ dederant, sacramento super sanctum Evangelium facto, B veraciter recordari fecisset; quod & factum est. Itum fuit Cadomum juxta præceptum regis & electi sunt quatuor legitimi viri communi assensu, qui omnia hæc quæ prædicta sunt recordati sunt, & se illa verissime recordatos fuisse super sanctum Evangelium juraverunt. Nomina vero eorum qui juraverunt, hæc sunt: Rogerius filius Giraldi, Turstinus de Fontibus, Turginus de Mustreceo, Ingulfus de Fontaneto præpositus Radulfi Taxonis primi & secundi. Deinde prædicto rege Willelmo jubente, scripta sunt hæc omnia in carta, & eidem regi coram baronibus suis recitata, signoque manus suæ & testimonio eorumdem baronum confirmata & corroborata. Concessit quoque idem rex huic Fontanetensi ecclesiæ, per gratiam regiæ pietatis suæ, libertatem de omnibus C propriis rebus suis, & potestatem vendendi & appretiandi libere & absolute, atque immunitatem & quitanciam de omnibus theloneis & consuetudinibus per omnia dominia sua totius Normanniæ, ut ex tunc in antea pacifice & quiete possideret omnia sua ista Fontanetensis abbatia. Signum Willelmi regis Anglorum, signum Mathildis reginæ, signum Mathildis filiæ Gauterii, sign. Odonis Bajocensis episcopi, signum Rotberti comitis Moritonii, sig. Rogerii de Monte-Gomerico, signum Rogerii de Bello-monte, signum Ricardi vicecomitis Abrincarum, signum Willelmi abbatis Cadomi, signum Radulfi de Vallibus, signum Radulfi filii Gaufredi, sign. Radulfi nepotis, signum Radulfi de Pura aqua, signum Ingulfi *de Essun*, signum Ogerii de Toireio, signum Ingelranni de Toireio, signum Radulfi de Montabo, sign. Rogerii D fratris ejus, signum Ricardi de Valle-Dario.

III.

Ex chartul. Bajocens.

Willelmus rex Anglorum dat bona Grimoldi perjuri ecclesiæ Bajocensi.

1074. EGO Willelmus rex Anglorum & Normannorum dominus, pro absolutione peccatorum meorum, & pro regina conjuge mea Mathilde, & pro filiis meis, necnon & pro amore Bajocensis episcopi fratris mei Odonis, sanctæ ecclesiæ Bajocensi in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ constitutæ, dono terram quæ dicitur Placitis quietam ab omnium consuetudinum exactione, & omnia appenditia ejus. . . . . E & terram in qua mansit Grimoldus in civitate Bajocensi, quæ omnia olim tenuit supradictus Grimoldus, & de quibus eidem sanctæ ecclesiæ quam supra diximus servivit, nunc vero quam ipse perfidus, pro reatu infidelitatis suæ & crimine insidiarum suarum quibus adversum me perjuraverat, jure justitiæ sibi & heredibus suis perdidit, do illa sanctæ supradictæ ecclesiæ in dominium quietum, ejusque episcopo fratri meo Odoni omnibusque ejus successoribus episcopis in futura tempora; omnia ea prorsus intentione ut Deus pater omnium creator, ejusque unigenitus filius Dominus & redemptor noster Jesus-Christus, amborumque amor & unitas Spiritus Sanctus in resurrectione sanctorum cum sanctis perenniter regnaturus partem michi in gloria futura tribuat ipse trinus & unus Deus omnipotens & pius, vivens & regnans per omnia sæcula sæculorum, amen. Hoc scriptum confirmo ego Willelmus rex manu mea, & conjux mea Mathildis regina, & filii mei Robertus & Willelmus, & principes regni mei, ut sit firmum & ratum in omni futuro tempore adversus omnes calumnias usque in finem sæculi, amen. Sig. Willelmi regis Anglorum, signum Mathildis reginæ, sig. Roberti comitis Cenomannensium, sig. Willelmi filii regis, signum Johannis archiepiscopi, signum Hugonis Luxoviensis episcopi, signum Gisleberti Ebroicensis episcopi, signum Rogerii de Bello-monte, signum Roberti comitis Moritonii, signum Rogeri comitis Salopesberiensis, sign. Ricardi vicecomitis, signum Nicolai abbatis sancti Audoëni, signum Gerberti abbatis sancti Wandregisili, signum Durandi abbatis de Troarno, signum Vitalis abbatis sanctæ Mariæ de Bernaio, signum Roberti de Bello-monte, signum Osmundi capellani regis Willelmi, signum Olberni Gifardi, signum Ricardi de Corceio, sign. Reginaldi *de Nonant*, signum Radulphi de Monte-Pinconis, signum Roberti filii Hamonis, signum Balduini filii comitis Gisleberti, sign. Willelmi Paganelli, signum Gervasii *de Damfront*, signum Eudonis dapiferi.

IV.

Charta Guillelmi Anglorum regis, pro sancto Stephano Cadomensi.

Ex Sammarthanis.

QUisquis Deo, seu pro Deo aliquid præstat, non ipsum a se alienat, sed potius in futurum *Circiter* cum spe vitæ æternæ multiplicandum conservat, &c. 1077. Qua spe ductus ego Willelmus Anglorum rex, Normannorum & Cenomannorum princeps, cœnobium in honorem Dei ac beatissimi protomartyris Stephani intra burgum, quem vulgari nomine vocant Cadomum, pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum ac parentum meorum dispolui construendum. Cui loco, ne divinæ religionis cultura aliquando propter inopiam desit, hoc modo ipsi imposterum mea sollicitudo prospexit. Trado igitur præfato cœnobio villas juris mei Censium, *Roz*, Alamanniam, Pontem Divæ, Cathburgum cum colonis & conditionariis, seu liberis hominibus, cum molendinis, aquis, pratis, pascuis, silvis, seu omnibus redditibus & consuetudinibus ad eas pertinentibus, sicut in meo dominio hactenus habui, & antecessores mei: & homines quidem duarum præmissarum villarum, videlicet Censu & *Roz*, qui francam terram non tenent, ad servitium ecclesiæ & monachorum, ita liberos & omnino quietos concedo, ut nunquam pro aliqua summonitione expeditionis vel alterius cujuslibet rei, ipsum servitium intermittant, nisi ego ipse per me vel per brevem meum abbatem summoneam, quatenus eos nominatim michi mittat; & hoc intra fines Normanniæ tantum, & nominatim tantummodo pro necessitate belli ab extranea gente imminentis. Partem quoque burgi trado, in qua præfatum monasterium constructum est, a muro in directum occidentem versus, sicut via protenditur, qua a veteri B. Stephani monasterio ad urbem Bajocensem itur, & ea quoque via qua itur ad Britivillam sancti Michaëlis, cum terris & omnibus consuetudinibus de eodem burgo ad me pertinentibus; excepto quod extranei mercatores de omnibus quæ secunda feria ibi ement & venundabunt, tamdiu quamdiu thelonearius ad stationem suam sedebit, & mercatores in communi mercato erunt, theloneum ministris, qui majori burgo præerunt, apportabunt, de singulis plaustris & asinis quæ venalia ligna ferent, lignum unum. Villarium cum omni territorio suo, & de eodem hominum servitia ut servientes mei qui ibi manent mihi serviant, &

propter servitium monachorum servitium meum non remaneat. In magno quoque burgo domum Turstini Legrini, & domum molendini *de Darnestal*, cum ipso molendino; & molendinum quod fuit Rainardi: hæc omnia quieta ab omni consuetudine. De pratis juris mei tria jugera ad hulmum pratum *Brendac*, præter ea quæ ad supra dictas villas pertinebant, alveum veteris Ulduni, a villa Venuncio usque in Olnam fluvium, cum tribus molendinis in eodem factis. Terram Willelmi *Pavoth*, quam de me tenet Cadomi & Clivillæ. In territorio Britivillæ alodium, quem Rogerius Calvus ibi tenet. In territorio Bracii terram Willelmi de Landa; alodium quoque quod Lupus tenet in Bilieto & Walmereto, cum parte ecclesiæ ad eum pertinente. In territorio Curleii terram Willelmi camerarii. In territorio Badventi vineam, cum domo vinitoris, quam Hubertus dapifer de me habuit. In *Barbesloth* duas mansuras terræ. In territorio *de Bosceval* alodium Rodulphi filii Anseredi. In Vileriis & in Mara terram quam ibi tenet Willelmus Crassus; terram quoque quam habuit Hugo *de Rozel*. In Graiuvilla silvam de Malo-pertuso, & de Tortavalle, & de Folonia, & de Casneto, cum aquis & terris, seu omnibus ad eas pertinentibus, hac conditione servata, ut monachi ipsius cœnobii ipsas silvas nullo tempore destruant, vel destrui jubeant, propter ipsam terram colendam, sive inhabitandam, retentis in meo dominio cervis, capreolis & apris silvestribus. Decimam de Fredernaco; servitium de terra quam Boselinus de Diva tenet in Vileriis & Guariuvilla. Concedo quoque fieri ad opus præfati monasterii mercatum in villa cui Balte nomen est. In territorio Cadomi feriam trium dierum, ita ut quoties quilibet horum trium dierum in secunda feria evenerit, totum mercatum magni burgi sit sancti Stephani. Civitate Rothomagi concedo fieri cellarium unum super Sequanam, quietum ab omni consuetudine, & habitantes in eo quietos, tam in terra quam in aqua, per totam terram meam. Concedo quoque domum cum viridario, quam dedit eidem cœnobio in eadem civitate Bernardus filius Ospaci, & sex jugera prati, quæ idem dedit ad Batpalmas; & domum quam dedit Willelmus canonicus, filius Sueni. In territorio Lireti hospitem unum cum terra sua, & quatuor arpentos & dimidium de vinea, & unam acram terræ intra idem territorium. In Audura fluvio concedo fieri molendina duo, ita ut tantum spatium de aqua remaneat liberum, quatenus quoquomodo aqua se habeat, convenienter possint per illud spatium ascendere & descendere tam naves quam pisces. Concedo etiam totum alodium quod tenent Osmundus, Aculeus, Ricardus & Rogerus, in territorio Calvi-montis super Divam; & etiam totum illud quod tenent quicumque alodiarii infra leugam Pontis-Divæ. In terra Anglorum in comitatu *de Devenesire*, manerium do, quod vocatur Northam. In comitatu de Dorseta duo maneria, unum quod vocatur Francona, & aliud quod vocatur *Biencome*. In comitatu de Surmorseta in territorio Crueræ, decem hidas terræ & ecclesiam, cum omni decima ejusdem territorii. In comitatu de Wiltesira ecclesiam *de Coskam*, cum omni terra & decima ad eam pertinente. Concedo quoque in comitatu *de Nortfolc* manerium quod vocatur *Welles*, quod dedit prædicto cœnobio Willelmus de Scociis, cum ecclesia de Morthona, & terra cum decima eidem ecclesiæ pertinente in Essessa. Item concedo in comitatu de Essessa maneriolum quod vocatur Panfella; & in Lundonia quamdam terram quæ fuit *Leureth*, sitam prope ecclesiam sancti Petri, quietam *de Gelth* & *de Scot*, & de omni alia consuetudine, quam dedit Wallerannus filius Rannulfi, cum decima totius terræ suæ quam habet in Anglia, tam pro anima sua quam pro mea. Signum Willelmi regis, signum Mathildis reginæ, signum Johannis archiepiscopi, sign. Roberti comitis filii regis, sig. Willelmi comitis filii regis, sig. Lanfranci archiepiscopi, signum Odonis Bajocensis episcopi, sign. Hugonis Luxoviensis episcopi, sign. Gilleberti Ebroicensis episcopi, sig. Roberti Sagiensis episcopi, sign. Michaëlis Abrincensis episcopi, sign. Gauffridi Constantiensis episcopi, signum Roberti comitis de Moretonio, sig. Rogeri comitis de Monte-Gomerico, sign. Rogeri de Bello-monte, sign. Roberti comitis *de Mellent*, sign. Henrici de Belmonte, sig. Hugonis de Gorniaco, sign. Walteri Gifardi, signum Ricardi Abrincensis vicecomitis, signum Hugonis comitis, signum Willelmi comitis Ebroicensis, sign. Willelmi de Bretolio, sign. Roberti Aucensis comitis, signum Roberti *de Bellesme*, sign. Hugonis de Monte-forti, signum Hugonis *de Grentemesnil*, signum Nigelli de Constantino, sign. Willelmi Dunelmensis episcopi, sign. Ricardi de Corceio, sign. Willelmi Crispini, sign. Ingilranni filii Huberti, signum Alani comitis, sig. Willelmi de Warenna, sign. Henrici de Ferreriis.

V.

Diploma Willelmi regis & Mathildis reginæ Anglorum, pro abbatia SS. Trinitatis Cadomensis. *Ex Sammarthanis.*

DIVINA gratia ac Domini nostri Jesu Christi disponente clementia, ego Willelmus Anglorum rex, Northmannorum & Cenomannensium princeps, sed & Mathildis regina uxor mea, Balduini gloriosi Flandriensium ducis filia, ad gloriam beatitudinis, ad præmium beatæ retributionis pio sapientique desiderio anhelantes, in territorio quod ab antiquis Cadomum appellatur, ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis pro salute animarum nostrarum coædificavimus, ibique sanctas ac religiosas feminas secundum institutionem sancti Benedicti, sub abbatissa Domino servituras, in perpetuum constituimus; quibus ut imposterum usus necessariarum rerum usquequaque sufficiat, regia munificentia, opportuna provisione prospeximus. Tradidimus itaque sanctæ Dei ecclesiæ prænominatæ villam quæ vocatur *Caluz*, cum omnibus pertinentibus sibi, excepta decima quæ est ecclesiæ sanctæ Mariæ Bajocensis. Dedimus etiam *Oistrehan* cum cunctis appenditiis suis, hoc excepto, quod Robertus ibidem tenet de comite Moritonensi Willelmo qui dicitur Caritas, & Richardo nepote ejus; sed & Gilleberto Crispino annuentibus, pro pecunia quam nos eis dedimus. Præterea villam quæ dicitur *Calsur*, cum suis appenditiis, quam regis concessu, ego Mathildis regina emi a Richardo filio Ragnulfi, annuente Aitardo *de Nonant*, de cujus feodo erat. Præbuimus etiam assensum donationi, qua Radulfus Taxo villam Bargæ donavit cum cunctis appenditiis suis, cumque centum & decem acris terræ in villa Amblida, & uno molendino in eadem Amblida, pro sorore sua monacha facta in ecclesia supradicta. Ego K. Mathildis regina redemi villam Bargæ de calumpnia a filia Connani, & terram & molendinum in Amblida redemi de calumpnia a Walleranno filio Ragnulfi, de quorum hereditate fuerat. Ab eodem etiam Walleranno, ex concessu regis, emi ego Mathildis regina quinquaginta acras terræ in territorio Cadomi, & appositum est hoc ad ecclesiam supradictam, Radulfo camerario concedente, de cujus feodo erat. Super hæc donavimus & Eschenelvillam prædictæ ecclesiæ, quam ego regina Mathildis regis concessu, emi a filiis Wimundi *Cufel*, Willelmo & Roberto; a quo eodem Roberto ego regina emi terram illam quam habebat in Hetrufivilla, & domini mei regis concessu apposita est ecclesiæ. Item, annuente domino meo rege, emi a Richardo filio Herleuvini, illas terras quas tenebat in Taxilli & in Monte-Boani, eo tenore quod ipse Richardus de ecclesia eas teneret in vita sua, & post obitum ejus in sua possessione propria possideret ecclesia. 1082.

Item terram quam tenuit Radulfus filius Alani in *Willon*, comparavi ab eodem Radulfo; & a Richardo filio Rainfredi rusticum unum in villa quæ dicitur *Charon*, & duas garbas decimæ quam habebat in eadem villa; similiter & a Ragnulfo de Barberiis duas garbas decimæ quam habebat in *Charon*, & hæc ex concessu regis ecclesiæ apposita sunt. Præter hæc a Milone Mariscalco & Alethselina ejus uxore, emi ego Mathildis regina terram quam habebant in Valcellis, & quod in ecclesia & in molendino uno ejusdem villæ habebant, excepto quod Beatrici filiæ suæ ad conjugium suum largiti sunt, quod domino meo rege concedente ecclesiæ subscriptum est. Super ea quæ dicta sunt, ego Willelmus rex & uxor mea Mathildis regina, ecclesiæ prænominatæ donavimus burgum de Hulmo cum redditibus suis, Adelisa amita mea benigniter annuente, cujus hereditas erat, sed & comitissa A. de Albamarla concedente, eo videlicet pacto, ut ipsa teneret in vita sua, post obitum vero suum ad victum sanctimonialium sancta possideret ecclesia. In territorio autem Cadomi dedimus terras illas quas de me rege Willelmo tenebant Godefridus juvenis, Rogerius conestabularius, Willelmus *Patrich;* & intra burgum Cadomi unius molendini mei decimam, & decimam furnorum ad me pertinentium, decimam quoque de Diva, de piscibus & denariis; similiter decimam de Divula, & *de Batuent*, de sale & denariis; eodem modo decimam de Wachei & de Scocei, de denariis, piscibus & molendinis. Item in insula *de Gersoi* unum molendinum & terram duorum francorum hominum, atque medietatem decimæ de quinque parochiis, & sextam garbam de una parochia & dimidia; sed & terram & decimas quas Rainoldus capellanus noster in eadem insula de me tenebat, ipsius Rainoldi precatu, postquam monachus effectus est, ecclesiæ prædictæ concessimus. In villa quæ dicitur *Maintrud*, LX acras terræ; & in villa *Billei* terram quam Hernostus clericus ibidem tenuit, terramque Radulfi *Billei*, pro qua recepta fuit filia Willelmi in ecclesia, Radulfi camerarii & Willelmi filii Theodorici, ejusque uxoris concessu, de quorum hereditate erat. Ad hæc addidimus prætitulatæ ecclesiæ XX acripennos vineæ, de quibus tres sunt apud Liriacum, cum sex acris terræ; apud Albam-viam septem, quos ego regina emi a Willelmo de Aillio, concessu Rogerii filii ejus, & Richardi comitis Ebroicensis, & Anschitilli de Altvillio concessu, de quorum hereditate erat; apud Argentias septem, apud Vernum tres: de istis tribus agripennis *Godelef* dedit duos & dimidium, cum una domo, pro eo quod monacha facta est in ecclesia prælibata, & soror ejus alterum dimidium. Donavimus etiam medietatem villæ quæ nominatur *Carpikech*, quam ego regina domini mei regis concessu comparavi ab Eudone filio Thurstini *Haldup*, & a Ragnulfo vicecomite. Adelaidis K. filia Thurstini *Haldup*, ad eamdem sanctæ Trinitatis ecclesiam, in qua monacha facta est, nostro concessu, & Ragnulfo vicecomite, & Eudone ejusdem Adelaidis fratre annuentibus, alteram medietatem villæ *Carpikech*, cum medietate ecclesiæ & decimæ ejusdem villæ donavit; sed & duas partes villæ quæ Puteus nuncupatur, & inter Filcherolas & Herstervillam novies viginti acras terræ, necnon & illam terram quam Oismelinus Theodorici filius, & Herbertus *Folenfant* tenebant de ea in Goisbertivilla, & in Dumoldivilla, & in Culvertivilla. In Coisneriis dimidium molendinum, & terram unius carrucæ in eodem loco. In Ruscavilla terram unius carrucæ. In Ingulfivilla terram illam quam de ipsa tenuit Anschitillus. In Calvavilla terram unius carrucæ. Dedit etiam hæc eadem Adelaidis Fraxinivillam & Maisnillem-urcelli, quas ego Mathildis regina excambivi ecclesiæ S. Mariæ Bajocensis, per Odonem ecclesiæ ejusdem antistitem, concessu domini mei regis, pro ecclesiis, cum decimis sancti Stephani &

A sancti Martini Cadomi, sicut Anschitillus filius *Urf* eas tenuerat, & pro ecclesia sancti Georgii de castro Cadomi. Stigandus quoque dedit ecclesias Falesiæ cum decimis, & ecclesiam Wibreei cum decima, & unum molendinum in eodem loco supranominatæ ecclesiæ, pro filia sua ibidem monacha facta, Willelmo de Braiosa, de cujus jure erat, annuente; cui, ut concederet, ego Mathildis regina, ex concessu regis, dedi de pecunia mea. Sed & Alveredus *de Moton* concessit eidem ecclesiæ terram illam quam soror ejus Ala habuerat in conjugio apud Ranvillam, pro filia sua quæ monacha facta fuerat in eadem ecclesia, excepto quod ibidem sanctus Leodegarius de Pratellis tenet, cujus terræ servitium ego regina ad opus ecclesiæ redemi de Huberto de Ria, cujus feodum erat. Fredesendis autem Ragnulfi vicecomitis

B amita, dedit eidem ecclesiæ Osbernivillam, annuente eodem Ragnulfo, de cujus feodo erat; cui Ragnulfo pro concessu suo dedi ego regina Mathildis de pecunia mea. Dedit idem Ragnulfus ecclesiæ supradictæ molendinum unum intra burgum Cadomi situm; & in Goisbertivilla terram duorum francorum hominum, pro filia sua facta monacha in ecclesia. Balduinus filius comitis Gislerberti & uxor ejus Emma, dederunt eidem ecclesiæ pro salute animarum suarum, ecclesias *de la Forest* cum decimis, & ducentas acras terræ in eodem loco; quibus pro concessione ipsorum, ego regina Mathildis dedi de censu meo. *Murier de Guitot* pro salute animæ suæ, dedit prædictæ ecclesiæ Osbernivillam supra mare sitam; ita tamen ut in vita sua eam teneret, & post mortem suam mater ecclesia in sua proprietate possideret, Willelmo *de*

C *Bretheil* concedente; cui ego regina Mathildis dedi de pecunia mea pro concessione ipsius, quia de ejus feodo erat. Alberada soror Fulconis eidem ecclesiæ tribuit terram quam pater suus dederat ei in villa quæ dicitur *Guillon*, annuente eodem Fulcone, quæ cum esset illius loci soror, sepulta ibidem jacet in atrio. Billetheldis filia Rogerii quod pater suus donaverat ei in *Vernun* pro conjugio, & ipsa dedit prædictæ ecclesiæ, nepote ejus annuente Willelmo, de cujus honore erat, cui pro concessu suo, ego regina Mathildis dedi de censu meo. Rogerius *de Molbray* dedit prædictæ ecclesiæ terram quam ipse habebat in Granivilla, pro filia sua ibidem monacha facta. Rogerius quoque de Monasteriis pro matre sua ibidem Domino sacrata, dedit Salam cum cunctis appenditiis suis, &

D dimidiam silvam de Monte-Albodi, atque monasterium *de Vals* cum decima, & terram unius carrucæ in eadem villa, & in uno molendino hoc quod habebat in proprio dominio, & terram quam Ricardus tenet in villa quæ dicitur *Lu*. Fulco autem de Alno dedit eidem ecclesiæ villam *Fulebeck*, cum molendinis cunctisque appenditiis, tam in planis quam in silvis, pro uxore sua Hadvissa in eodem cœnobio monacha facta, annuente filio eorum Fulcolino. *Athselinoc* filia Alvredi Gigantis, dedit ecclesiæ prædictæ terram quam habebat in Grandi-campo & in *Goi*, concessu Willelmi filii Alvredi, propter quem concessum neptis sua filia Willelmi *de Millei* ibidem facta est monacha. Willelmus Bacco duas partes decimæ *de Bleer* & unum rusticum in eadem villa dedit pro sorore sua in eodem loco monacha facta. Goisfridus

E *Lunez* duas partes decimæ de decem & octo villanis, & sex acras terræ in Colevilla dedit pro filia sua in ecclesia facta monacha. Bremarus quadraginta acras terræ in Anglicavilla, & viginti in *Charon*, & de dimidia decima *de Charon* duas garbas, & in *Willon* decimam quam emit ipse a *Murier* sorore Richardi principis, dedit pro filia sua in eodem cœnobio monacha facta. Petrus quod habebat in Monasteriis dedit pro filia sua quæ ibi facta est monacha. Odo clericus quadraginta acras terræ in Cambis dedit pro anima sua, Willelmi Osberni filii concessu, de cujus feodo erat. Ecclesiam Burnolfivillæ cum decima,

excepto quod Rogerius filius Hunfredi ibidem tenet, dederunt homines de eadem villa pro salute animarum suarum, episcopo Bajocensi Odone præbente consensum. Alberada uxor Radulfi Taxonis concessit servitium de terra quam Fulcherius Malaherba de ipsa tenebat in Bledvilla. Gilla filia Thurstini terram quam habebat in *Gray* & in Dumvilla, dedit eidem ecclesiæ pro anima sua, concessu Thurstini nepotis sui, cujus feodum erat. Ego autem Willelmus rex concessi servitium illud quod Goisfredus filius Salomonis & Heltho dapifer reddebant mihi *de Gray*, supradictæ ecclesiæ. Radulphus filius Al. pro salute animæ suæ dedit terram quam habebat in Adevilla. Alberada Hugonis & Rogerii mater, dedit, annuentibus ipsis, hoc quod habebat in ecclesia & in decima de Hainolvilla, & unam acram terræ in eadem villa pro anima sua. Hugo Pincerna supradictæ ecclesiæ dedit terram de Fago, ita ut ipse teneret in vita sua, & post obitum ejus dicta possideret ecclesia, Radulfo de Thodenio annuente, de honore cujus erat; cui ego Mathildis regina pro concessu illo dedi de pecunia mea. *Gumnor* Willelmi de Braiosa mater, sanctæ Trinitatis monacha, dedit eidem cœnobio terram quam habebat in *Batuent*, annuentibus Hugone Pincerna & Rogerio *de Cuilli*, de quorum honore erat, cui Rogerio ego regina Mathildis pecuniam dedi pro assensu suo. Donavit etiam eadem *Gumnor* terras quas habebat in *Roures*, & in Cirreni & in Crescentevilla, & in villa quæ dicitur Quatuor-putei, Mauricio & Alberada uxore ejus consensum præbentibus, de quorum hereditate fuerat. Rodbertus filius Ansfridi dapiferi, terram quam habebat in *Condet*, & dimidia prata quæ habebat in Wiholmi, dedit pro Avicia uxore sua in eadem ecclesia monacha facta, filiis suis concedentibus. Radulfus de Aneriis triginta sex acras terræ quas tenebat in eadem villa Aneriis, dedit eidem ecclesiæ pro anima sua, quas a Willelmo *de Simillei* emerat, annuente huic donationi Willelmo de Colombariis, de cujus feodo erat. Ursellus dedit pro anima sua terram quam habebat in villa sancti Aniani. Rodbertus camerarius dedit terram quam Hadebrandus tenebat in Lovenio, pro anima sua & pro amore sororis suæ, quæ erat monacha in ecclesia. Willelmus camerarius dedit unum molendinum juxta *Cheraoil*, & terram quam ibidem de regina Mathilde tenebat. Ad hæc episcopus Bajocensis Odo, interveniente gratia & dilectione nostra, prædictam sanctæ Trinitatis ecclesiam cum atrio, abbatissam cum sanctimonialibus, omnem clerum in eodem loco servientem, universam familiam ejusdem ecclesiæ cibo sustentatam, ab omni exactione pecuniæ episcopalium redditium liberam esse concedit: sed & ecclesiam B. Ægidii cum atrio ipsius, quo modo supradictam, liberam & quietam, & clericos ibidem servientes, eo modo quo supra liberos esse permittit. Præterea in ea parte burgi, extra murum videlicet Cadomi, siti versus ecclesiam S. Trinitatis, quam ego Willelmus rex prædictæ ecclesiæ dedi, illius partis burgi parochiam ad ecclesiam sancti Ægidii venire oblationem, decimam de pecoribus, cum sepultura, clericos ibi servientes quiete permittit habere: sed & gablum & consuetudinem culcitrarum, quod in eadem parte burgi habebat, ecclesiæ sanctæ Trinitatis adscribit. Super ea quicunque in his duabus ecclesiis & in atriis earum forisfacturam fecerit, emendationem pecuniæ, quæ ab episcopali consuetudine pro forisfactura exigi solet, ejusdem loci abbatissæ, episcopo eodem annuente, donabit. Quicunque autem hominum Cadomensium in vita sua, sepulturam sibi in atrio sanctæ Trinitatis elegerit, licenter habere sine requisitione sepulturæ idem episcopus a suo sacerdote concedit. Et quia Bajocensis episcopus quietem libertatis, quæ dicta est, prædictis concessit ecclesiis, dignæ recompensationis donum præbuimus antistiti eidem, & ecclesiæ Bajocensi. Si quis vero horum omnium quæ prædictæ S. Trinitatis ecclesiæ data ostensa sunt, temeraria præsumptione aliquando (quod absit) violator effectus in sua impudenti obstinatione perstiterit, noverit ille se anathema factum a Domino, sancta ac beata fidelium omnium communione privatum, divino judicio perpetualiter esse plectendum. Ut igitur universa hæc secundum quod a nobis instituta esse noscuntur, inconcussa in perpetuum firmitate perdurent, adversum Dei ecclesiæ inimicos ego Willelmus rex privilegium regiæ majestatis opponens, episcoporum ac magnatum meorum, quorum nomina subscripta habentur, irrefragabili attestatione probavi, meæque imaginis munimento præsenti legitima sanctione firmavi, anno ab Incarnatione Domini M. XXCII, indictione V, apostolicæ sedis cathedram possidente papa Gregorio VII, regni mei XVI anno, in Francia regnante Philippo, Romanis in partibus imperiali jure dominante Henrico. Signum Willelmi Anglorum regis, signum Mathildis reginæ, signum Lanfranci archiepiscopi, signum Willelmi Rotomagensis archiepiscopi, sign. Odonis Bajocensis episcopi, signum Michaëlis Abrincensis episcopi, signum Gileberti Luxoviensis episcopi, signum Gisleberti Ebroicensis episcopi, signum comitis Rotberti regis filii, signum comitis Guillelmi filii regis, signum Henrici regis Willelmi filii, signum comitis Roberti Moritoniensis, signum Balduini filii comitis Gileberti, sign. Alani comitis, sign. comitis Rogerii de Monte-Gomerico, sign. Willelmi de Warenna, sign. Gisleberti Crispini, signum Rotberti Bertranni, sig. Henrici *de Ferrieres*, sign. Rogerii de Bello-monte, sig. Hugonis comitis de Cestra, sign. Ricardi filii Herluini, sign. Rogerii Pincernæ de Ibriaco, signum comitis Rotberti de Bello-monte, signum Willelmi comitis Ebroicensis, signum Hugonis Pincernæ, sign. Fulgonis *de Alneu*, signum Rannulfi vicecomitis, signum Willelmi qui dicitur Caritas, signum de Gornaio, signum Radulfi de Todenio, sign. Willelmi *de Briteil*, sign. Girardi de Gornaio, signum Willelmi camerarii filii Radulfi, signum Eudonis vicecomitis, &c.

VI.

Donationes factæ sancto Stephano Cadomensi. *Ex autentico* *Circiter 1082.*

EGO Rogerius de Monte-Gomerico, fidelis domini mei Guillelmi Anglorum regis, Normannorum & Cenomannorum principis, ob amorem Dei & ejusdem domini mei, & pro salute animæ meæ, trado cœnobio quod ab eo in burgo Cadomo in honorem B. Stephani constructum est, burgum *de Trun* cum silva *de Alge* . . . . & omnibus ad ipsum burgum pertinentibus, exceptis molendinis & decimis quæ jam aliis ecclesiis concessi, ea conditione servata, ut quandiu ego vixero, vel idem dominus meus aut uxor mea, liceat mihi, si voluero, ipsum burgum in meo habere dominio; post mortem vero meam, vel domini mei aut uxoris meæ, deveniat in jus & possessionem præfati cœnobii, &c. Hoc donum dominus meus sua auctoritate firmavit, & in memoriam ipsius donationis, viam quæ extra burgum ducebat per burgum ire concessit. Testes Henricus filius Rogerii de Bello-monte, Haimo, Gisslebertus *Arctel*, & alii plures. Hoc donum idem Rogerius in dedicatione ecclesiæ B. Stephani postea super altare tradidit, concedente Willelmo Anglorum rege, Normannorum & Cenomannorum principe, & filio suo Roberto, & Willelmo, & Roberto de Belesmo. Testes Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus, Odo Bajocensis episcopus, Rogerus de Bello-monte, & alii plures, qui & dedicationi interfuere. Hoc donum etiam postea firmavit Robertus de Belesmo, & cum eo duo de suis hominibus. Testes qui huic confirmationi interfuere Robertus comes de Moritonio, Bernardus de Novo-mercato, Hubertus *de Portu*, Rodulfus

Suhardus, & alii plures. Ego Robertus comes de Moretonio pro amore Dei & domini mei Willelmi, &c. trado cœnobio D. Stephani villam juris mei quam Huliivillam vocant, cum colonis, &c. ea conditione servata, ut quandiu ego vixero, &c. *Testes iidem qui supra.* Ego Ricardus filius Turstini vicecomes Abrincensis, trado cœnobio sancti Stephani, ... terram juris mei quam habeo in Ruschivilla de feodio Turstini filii Ricardi, concedente simul & mecum donante ipso Turstino in præsentia præfati regis Willelmi. Testes Willelmus filius Osberni, Rogerius de Bello-monte, &c. Ego Rannulfus vicecomes Bajocensis, trado monasterio sancti Stephani de Cadomo . . . . . ecclesiam de Boiavilla, cum alodio & omni decima ad eam pertinente, & totam terram quam in Britivilla orgulosa habeo, cum parte ecclesiæ ad eam pertinente.... ea conditione ut quandiu ego vixero, &c. Quod si ego monachus fiam, vel quemlibet de filiis meis monachum effecero, statim in ecclesiæ dominium deveniant, &c. Testes Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus, Odo Bajocensis episcopus, Rogerius de Monte-Gomerico, Willelmus de *Semillei*, & alii plures. Ego Robertus Bertrannus trado cœnobio B. Stephani de Cadomo, imminente morte, concedentibus uxore mea & liberis, quidquid terræ in Britivilla orgulosa habeo cum parte meæ ecclesiæ, &c. Testes Durandus de Diva, Willelmus filius Tetbaldi, &c. Ego Eudo non immemor beneficii a B. Stephano in ægritudine mea mihi collati, trado cœnobio, &c. totam partem quæ ad me pertinet de villa cui Baltha nomen est. Testes Turgisius, Rogerius *de Broei*, &c. Ego Robertus *de Molbrai* comes *de Nortumberlant*, trado cœnobio S. Stephani id quod habeo in territorio de Vileriis quæ sunt in Alge juxta *Boteval*, in perpetuum tenendum sine aliquo servitio, &c. Testes Radulfus siniscalcus ejus, Ricardus filius Theodaldi, Serlo de Britivilla, Rodulfus de Bracio, & alii plures. Ego Ingelrannus cum Agnete uxore mea, trado Cadomensi cœnobio sancti Stephani ecclesiam quam vocant Alnetum, ab omni episcopali consuetudine liberam, sicut ego & antecessores mei hactenus habuimus . . . . ea conditione, ut mittant monachi in eadem ecclesia convenientem clericum: si vero non miserint, commonebo eos convenienter sicut fratres meos; & si id facere noluerint, totum in manu mea retinebo, donec clerum ibi mittant qui ecclesiæ competenter serviat. Dabit autem chrisma ecclesia Alneti ecclesiæ *de Balchei*, sicut dare consuevit, &c. Ego Rodulfus filius Anseredi, do sancto Stephano 73 acras alodii mei in territorio *de Besval*, &c. Ego Rodulfus filius Hersfredi, do medietatem terræ quam juxta Baduentum habeo, &c. Ego Rainardus regis Willelmi camerarius, do cœnobio sancti Stephani de Cadomo super altare, una cum filio meo Corbello, molendinum de Waimara quod de rege teneo, ea conditione ut quandocumque voluero fieri monachus, pro eo in jam dicto cœnobio suscipiar, &c. Ego Bernardus filius Ospaci, trado cœnobio beati Stephani domum Rotomagi quam habeo juxta murum civitatis, & cum ea penes ipsam situm viridarium, omnia quoque prata quæ habeo ad Balpalmas, & unum equitem cum terra sua qui eadem prata custodit, ea conditione ut quandiu in seculari habitu vixero, ea in dominio meo retineam, hospitium abbati atque priori præstem, eorum equis singulis annis tria plaustra fœni de prædictis pratis tribuam: quod si monachus fieri voluero, vel in seculari habitu obiero, in dominium S. Stephani deveniant, & nepos meus Gualterus quandiu vixerit, in eadem domo hospes remaneat. Testes, &c. Ego Willelmus filius Sueni, trado ecclesiæ sancti Stephani domum meam in civitate Rotomagi, cum viridariis atque tota ipsius perprehensione, concedente sorore mea Albereda & ejus filio

A Ricardo . . . . Concedo etiam jam dicto cœnobio totam portionem substantiæ meæ post obitum meum. Testes Willelmus archiepiscopus, Willelmus abbas Fiscannensis, Fulco abbas Divensis, Gosllenus archidiaconus, Willelmus coquus, Godefridus pratarius, Luelinus minutor. Ego Serlo de Lingevrio homo peccator & misericordia Dei indigens, consilio & auxilio sanctorum virorum providi tradere & tradidi de jure meo cœnobio sancti Stephani, ecclesiam de Buxedello cum tribus acris terræ, &c. concedente hoc uxore mea & filiis meis, concedente quoque domino meo Willelmo Anglorum rege, & Willelmo camerario, & Ro . . . . *de Molbray*, de quorum feodio prædictæ villæ terram & ecclesiam teneo . . . . . Et ut hæc donatio mea firma & stabilis in perpetuum maneat, recepi a Gisleberto tunc temporis abbate B jam dicti monasterii ex caritate, XLV libras denariorum & duas marcas argenti, & Rannulfus filius meus habuit unum bonum palefridum. De hoc vero dedi eidem abbati fidejussores, Rannulfum videlicet filium meum, Arnaldum de Dilleio, Robertum de Maisnilio . . . . Testes ex parte mea qui & fidejussores, & Willelmus Pictaviensis, & Willelmus *de Hotot*: ex parte sancti Stephani Willelmus *de Taisel*, Anschitillus *de Maltot* & Rogerus filius ejus, &c. Ego Willelmus *Goiz* trado cœnobio S. Stephani, terram quam tenebat de me Robertus medicus, &c. Ego Hugo *de Rosel* trado cœnobio S. Stephani, terram quam in Grainvilla teneo de beneficio regis, eodem rege concedente, cum uxore mea & filio meo Hugone, ea conditione ut in præsenti me recipiant abbas & monachi ad ordinem. Testes Hugo filius C meus, Rodulfus de Grainvilla, Robertus *de Roz*, & alii plures. Has donationes quas barones & fideles mei pro amore meo & salute sua abbatiæ meæ fecerunt, cum gratiarum actione suscipio, concedo, & cum eis hæc eadem confirmantibus mea manu & auctoritate corroboro & confirmo: quas qui auxerint, augeat illis Deus bona præsentia & futura; qui autem detraxerint vel imminuerint, metuant a Deo pro factis digna recipienda. Signum Willelmi ✠ regis Anglorum, principis Normannorum & Cenomannorum. Sign. Mathildis ✠ reginæ. Signum Roberti ✠ filii regis. Signum Willelmi ✠ filii regis. Signum Henrici ✠ filii regis. Signum Lanfranci ✠ Cantuariensis archiepiscopi. Sign. Willelmi ✠ Rotomagensis archiepiscopi. Sign. Odonis ✠ Bajocensis D episcopi. Signum Gilleberti ✠ Luxoviensis episcopi. Sign. Gausfridi ✠ Constantiensis episcopi. Signum Michaëlis ✠ Abrincensis episcopi. Sig. Gisleberti ✠ Ebroicensis episcopi. Signum Roberti ✠ Sagiensis episcopi. Signum Rogeri ✠ comitis de Monte-Gomerico. Sign. Roberti ✠ comitis de Moretonio. Signum Willelmi ✠ comitis Ebronensis. Signum Rogeri ✠ de Bello-monte. Sign. Roberti ✠ comitis *de Mellent*. Signum Roberti ✠ *de Belesme*. Signum Henrici ✠ de Bellomonte. Signum Hugonis ✠ de Monteforti. Signum Roberti ✠ Bertranni. Signum Willelmi ✠ Bertranni. Signum Richardi ✠ filii Turstini. Signum Rannulfi ✠ vicecomitis. Signum Hugonis ✠ comitis. Sign. Eudonis ✠ vicecomitis. E Sign. Roberti ✠ comitis *de Molbray*. Sign. Ingilranni ✠ filii Iberti. Signum Rodulfi ✠ filii Anseredi. Sign. Willelmi ✠ *Goiz*. Sign. Rainardi ✠. Signum Hugonis ✠ filii Hugonis *de Rosel*. Sig. Serlonis ✠ de Lingevrio. Sig. Willelmi ✠ canonici, filii Sueni. Signum Corbelli ✠ camerarii filii Rainaldi. Signum Bernardi ✠ filii Ospaci. Signum Rodulfi ✠ filii Herfredi.

VII.

Willelmus Anglorum rex conciliat moniales sanctissimæ Trinitatis cum monachis S. Stephani Cadom.

Quisquis Deo seu pro Deo aliquid tribuit, ab ipso omnium bonorum largitore mercedem accipiet. Qua spe ductus ego Willelmus Anglorum rex, Normannorum & Cenomannorum princeps, trado ecclesiæ sanctæ Trinitatis de Cadomo pro salute animæ meæ, uxoris, filiorum & parentum meorum, & pro adquisitione calumniæ, quam sanctimoniales prædictæ ecclesiæ S. Trinitatis faciebant in ecclesia & habitatione monachorum sancti Stephani, & in parochia burgi eorumdem monachorum, partem de burgo meo omnino quiete, sicut in dominio meo habebam in confinio territorii Calneii & Cadomi extra murum. Do etiam licentiam augendi ipsum burgum intra divisas quas jam dictis sanctimonialibus demonstrando determinavi. A via scilicet ante domum Godefridi juvenis statuta divisione assumpta per maceriam horti Fucoldi insursum XLIIII perticas ad usque lapidem qui ibi in divisione positus est, & ex illo lapide in transverso versus ecclesiam, sicut recta divisio per desuper horreum transfertur; sed & .... a domo præfati Godefridi divisione accepta per domum Saxonis deorsum versus aquam, domos & hortos ad eas pertinentes, ecclesiæ prænominatæ do modo quo supra dictum est. Retineo autem tres ultimas domos super aquam sitas in dominio meo, rivagium quoque totum, & totam aquam juxta ipsum burgum, & ut in ipso burgo nullus meus recipiatur burgensis absque mea licentia. Hac quippe mea donatione talem concordiam facio inter monachos & sanctimoniales de prædicta calumnia, communi amborum consensu & consilio suorum capitulorum, ut monachis remaneat ecclesia S. Nicholai cum cimiterio suo omnino quieta, & omnes parochiani qui in prædicto burgo monachorum novas domos, non de veteribus renovatas, sed nunquam ante factas fecerunt, & quicumque in futurum facient domos in illis terræ mansuris quæ nunquam ante fuerunt hospitatæ, & in vico illo per quem itur Bajocas & ad Montem sancti Michaëlis, & quinque de antiquis parochianis, Willelmus videlicet filius Tedboldi, & Rainoldus filius Goldæ, & Goiffridus pratarius, & Matildis, & Burniugus, necnon & sepelitiones omnium parochianorum sanctimonialium in burgo monachorum manentium cum pecunia sua, si dare voluerint; ita tamen si in vita sua in cimiterio monachorum sepeliri postulaverint. Remansit etiam eisdem quietum illud de cimiterio sancti Stephani Veteris, quod est intra burgum suum ultra fossatum meum: sanctimonialibus quoque remanserunt omnino quietæ duæ ecclesiæ suæ sancti Stephani cognomento Veteris, & sancti Martini cum cimiteriis & decimis sui juris, & parochianis sexaginta septem videlicet qui in jam dicto burgo monachorum manentes, ad ipsas ecclesias antiquitus venire solebant, & quicumque in futurum eorumdem parochianorum mansuras possidebunt. Testes Gillebertus episcopus Ebroicensis, Gillebertus episcopus Luxoviensis, Michaël episcopus Abrincensis, Balduinus abbas sancti Eadmundi, Odo capellanus & Goiffridus, Robertus comes de Moritolio, Robertus *de Belesme*, Osbernus Gifardus, Hubertus de Portu, Godefridus filius Alberedæ. Ut hæc igitur in perpetuum inconcussa permaneant, ego Willelmus rex regium munimen imponens mea auctoritate meorumque primatum confirmavi anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo tertio, mense Julio, die festivitatis S. Arnulfi episcopi & martyris. Signum Willelmi regis. Signum Mathildis reginæ. Signum Roberti comitis. Signum Willelmi filii regis. Sig. Roberti comitis de Moritolio. A Sign. Gisleberti episcopi Ebroicensis. Sig. Gisleberti Luxovii. Signum Balduini abbatis sancti Eadmundi. Signum domni Sansonis. Sign. Roberti *de Belesme*. Signum Alani comitis. Signum Ricardi de Corceio. Sign. Huberti de Portu. Sign. Willelmi de Tornebu.

VIII.

Odo Bajocensis episcopus dat monasterium sancti Vigoris Gerentoni abbati S. Benigni Divionensis. *Ex Chartulario sancti Vigoris.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Odo Bajocensis episcopus, cogitans peccatorum meorum immanitatem, perpendens etiam districti judicis de actibus meis discussionem, pro remedio animæ meæ & parentum meorum, & pro requie episcoporum hujus sanctæ sedis Bajocensis & canonicorum qui dormierunt, qui sunt & qui futuri sunt, constituo B & do Deo & sancto Benigno, & Gerentoni abbati Divionensi & successoribus ejus, & fratribus hujus cœnobii futuris & præsentibus, monasterium sancti Vigoris de Monte-chrismatis, cum appendiciis suis, videlicet plenam decimam totius villæ in qua monasterium situm est, & omnium ad eandem villam pertinentium, & quicquid ad ecclesiam quæ ibi erat prius pertinebat, cum presbyterio & universis consuetudinibus suis, & præterea medietatem ejusdem totius villæ, tam in hominibus & territorio, quam in ceteris redditibus, cum medietate annalis mercati quod fit ibidem in festo Omnium sanctorum, & quatuor burgenses, duos in Campo-florido, & duos ad pontem Olberti, cum terra & consuetudinibus eorum: & apud quamdam villam quæ vocatur Portus-piscatoris, cum C terra in qua manent, & navi sua & consuetudinibus ejus, & plenam decimam de tota Chricavilla, cum terra & omnibus quæ ad ecclesiam pertinent, & ecclesiam *de Tor*, & de Crusseio, & de Olferes, & de Colquino, cum plenis decimis & terris quæ ad ipsas ecclesias pertinent, & terram presbyterorum. Hæc itaque omnia sicut ea etiam jam pridem & tempore Willelmi fratris mei, regis Anglorum & Normanniæ comitis, præfata ecclesia sancti Vigoris possidere visa est, & quicquid ipsi monachi deinceps ibidem juste acquisierint, dono, trado, laudo & concedo ecclesiæ Divionensi, assensu & laude canonicorum & fidelium nostrorum, salva reverentia & debita obedientia sanctæ Bajocensis matris ecclesiæ. Constituo etiam ibidem fieri sepulturam corporis mei, & successorum meorum D & canonicorum, ritu sempiterno laude eorumdem canonicorum. Quod si adeo creverit locus ille ut abbas ibidem juste possit constitui, videlicet ut tanti sint redditus qui hoc possint pati, abbas quoque Divionensis & episcopus Bajocensis communiter id tractaverint & simul judicaverint expedire, abbas Divionensis de suis in capitulo Divionensi creationem faciet, & personam electam assignabit episcopo Bajocensi, qui ordinatus sub eodem abbate erit, & eamdem potestatem quam prius in præfato monasterio, tam super ipsum quam super ceteros, abbas Divionensis habebit. Istud sane donum laude & assensu domini mei comitis Normanniæ Roberti confirmatum est, qui & dedit eidem monasterio sancti Vigoris E plenariam libertatem, videlicet omnis consuetudinis per totam terram suam, quæ ad illum pertinebat de dominicis suis rebus, tam in passagio & theloneo, quam in ceteris redditibus suis, & de suo proprio in quotidiano usu fratrum ibidem Deo servientium onera duo asinorum de ligno viridi in nemore suo Verneio, & quisquis de terra aliquid de suo præfato monasterio tradiderit, id sibi ratum fore concessit, ne occasione juris sui posset ullo modo revocari, & ut monasterium idem ecclesiæ Divionensis possideret jure sempiterno. Quisquis ergo chartam hanc donationis infringere temptaverit, ira Dei veniat super

1096.

eum, deleatur de libro viventium, & cum justis non scribatur, & sit anathema Maranatha usque in diem Domini, nisi resipuerit. Qui autem ista laudaverit & fidelis cooperator accesserit, pax super illum & benedictio usquedum videat Deum Deorum in Sion. Et ut hæc charta firma & inconcussa permaneat, sigilli nostri impressione eam firmavi, & testibus corroborandam tradidi. ✠ Ego Odo Bajocensis episcopus hanc chartam lectam & perlectam confirmo & subscribo. Sig. Roberti nobilissimi comitis Normanniæ. Signum Willelmi decani. Sign. Rodulfi archidiaconi. Signum Helgoti archidiaconi. Signum Roberti de Tribus-montibus. Sign. Willelmi de Archis monachi. Signum Engelranni filii Hildeberti. Signum Willelmi de . . . . Signum Willelmi de Similiaco. Signum Willelmi de Columberiis. Anno ab Incarnatione Domini M. XCVI, indictione IV, concurrente vero XIX anno principatus domini Roberti Willelmi regis Anglorum filii, ducis Normanniæ, hæc charta confirmata est & sigillo suo signata. Actum publice Bajocas mense Maio, die 24 ejusdem mensis . . . . bissextili anno.

IX.

Fundatio Ardenæ.

Ex charta

1138. RICHARDUS, Dei gratia Bajocensis episcopus, Roberti comitis Glocestriæ filii regis Angliæ filius, tam præsentibus quam futuris salutem. Notum vobis sit quatenus in territorio quod ab antiquis Ardena appellatur, ecclesiam in honorem S. Mariæ dedicavimus, quam Aiulphus de Foro concedentibus filiis suis Willelmo *de Baron*, Œlardo de Hermanvilla, Guarino, Waltero monacho, construxit, ibique & eorum concessu regulares canonicos Domino consecratos pro redemptione animarum in Dei servitio perseverantes perpetuo constituimus anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo octavo. Eodem tempore conventio facta est inter canonicos de Ardena & sacerdotem de sancto Germano de Albaherba hujusmodi. Concessit autem presbyter canonicis de Ardena, curiam suam habere solam & quietam de decimis & redditibus, & omnibus consuetudinibus prædictæ ecclesiæ S. Germani pertinentibus, decimas etiam & omnes consuetudines totius campi qui extenditur usque ad viam quæ est juxta terram Willelmi Crassi & suorum antecessorum; & ex altera parte usque ad capita terrarum Cadomi, excepta una acra quæ est juxta murum curiæ. Concessit etiam prædictus presbyter canonicis decimas & consuetudines illius acræ ubi fovea est juxta domum Willelmi Coronati, & decimas & consuetudines unius acræ quæ est inter viam Bajocensem & viam Francæ-villæ. Hoc autem futurum esse ratum & firmum adfidiaverunt canonici & Matthæus presbyter sancti Germani. Ut autem hæc conventio rata & firma teneretur, concessa est presbytero sancti Germani tota decima heredum Aiulphi de Foro in Franca-villa & in Ardena. ✠ Teste Willelmo Crasso ante quem hæc conventio firmata est, ✠ & Stephano presbytero *de Maton*, & Anschetilo de Aniseio presbytero, & Helia presbytero de Hamars, & Roberto Martra, & Rogero de Hamars, & Stephano canonico, & Hugone de Montibus, & Willelmo filio Polinæ, & magistro Morello, & Ranulfo presbytero de Colombellis, & Hamone filio comitis Glocestriæ, & Silvestro filio Paganelli *de Buron*, & filiis Aiulphi Willelmo *de Baron*, Œlardo de Hermanvilla, Guarino & Waltero monacho, qui prædicti Aiulphi filii concesserunt hæc omnia prædicta canonicis & presbytero de sancto Germano. Præter hæc omnia dederunt ecclesiæ sanctæ Mariæ de Ardena, unum campum juxta viam Bajocensem, & alium campum ex altera parte viæ. Dedit autem & Robertus regis filii Glocestriæ consul, pro anima patris sui in eleemosynam perpetuo, unam de præbendis præfecturæ Cadomi. Mihi quidem reddidit Œlardus de Hermanvilla totam suam decimam de suo proprio dominio in Hermanvilla, & ego pro Dei amore dedi ecclesiæ & canonicis sanctæ Mariæ de Ardena. ✠ Teste Matthæo archidiacono, & magistro Vufrido & Richerio canonico, testibusque prædictis Aiulphi filiis qui cum sua matre concesserunt, ea videlicet conditione, ut si quis temerario ausu venerandæ matri ecclesiæ concessa beneficia subripere tentaverit, persistendo orthodoxorum communitate careat, iram omnipotentis Dei anathema factus perpetuam incurrat. Dedit autem Willelmus *de Baron* ecclesiæ & canonicis tria sextaria frumenti & totidem hordei per singulos annos. ✠ Teste Joanne cognato prioris Gilleberti, & Rogero fratre ejus. Concessit quoque Willelmus Crassus pro anima sui patris ecclesiæ prædictæ & canonicis, unam acram terræ quæ est juxta puteum Ardenæ. ✠ Teste Gaufrido *Cornefol*, & Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogero fratre suo, & Waltero Anglico, & Willelmo Coronato. Dedit & Odardus *de Bitot* ecclesiæ & canonicis, dimidium campum qui est inter *Bitot* & Ardenam, pro fratre suo qui canonicus fuit in eadem ecclesia. ✠ Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogero fratre suo, & Rogero *de Bitot*, & Willelmo Coronato, & Henrico filio Gilleberti. Dederuntque filii Hamelini ecclesiæ & canonicis unam acram terræ quæ est juxta campum Odardi. ✠ Teste Roberto de Aguellis & uxore, & Henrico filio eorum, qui pro Dei amore concesserunt hos duos campos canonicis bene & in pace. ✠ Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogero fratre ejus, & Rogero *de Bitot*, & Willelmo Coronato, & Odardo *de Bitot*. Dedit autem ecclesiæ & canonicis Willelmus *de Buron* pro anima patris sui, & matris & fratris, & pro sui ipsius anima, unam acram in Varenda lunga. ✠ Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogero fratre suo, & Targesio filio Willelmi, & Willelmo Coronato, & Willelmo filio Huelinæ. Paganus *de Buron* dedit ecclesiæ S. Mariæ de Ardena, tres virgatas terræ in Varendam lungam, qui & sepultus est in eadem ecclesia. ✠ Teste Silvestro filio suo qui hoc concessit, & Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogero fratre suo, & Willelmo Coronato, & Willelmo filio Huelinæ. Dedit autem & Silvester filius prædicti Pagani ecclesiæ sanctæ Mariæ, unum campum qui est inter terras *de Bitot* de feodio Aiulphi de Foro. ✠ Teste Godefrido *de Buron*, & Willelmo filio Huelinæ, & Torgisio filio ejus, & Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogerio fratre ejus. Deditque Robertus Dosnellus ecclesiæ & canonicis, tres virgatas terræ super ecclesiam S. Germani. ✠ Teste Joanne cognato Gilleberti prioris, & Rogerio fratre ejus, & Willelmo *de Baron*, & Roberto *Bagot*. Dedit etiam Gaufridus de Opido ecclesiæ & canonicis duas acras inter Cadomum & Ardenam. ✠ Teste Joanne & Rogero cognato prioris. Dedit & Henricus filius Herberti duos campos super sanctum Germanum. ✠ Teste Rogerio nepote ejus, & Waltero filio Aiulphi, & Adam de Franca-villa. Dederunt etiam filii Aiulphi unam domum in foro Cadomi juxta furnum Richardi de Croleio. ✠ Teste Joanne cognato prioris, & Rogero fratre ejus. Hugo, Dei gratia Rotomagensis archiepiscopus, tam prælatis sanctæ ecclesiæ quam subditis, salutem, gratiam & benedictionem. Notum sit vobis quod hanc cartulam nobis præsentatam & sigillo episcopi Bajocensis confirmatam, & nos apostolica auctoritate confirmamus juxta præscriptam sententiam episcopi Bajocensis. Hanc chartam in capitulo Bajocensi coram personis & minoribus recitatam confirmat etiam totus conventus Bajocensis, verbo & sui impressione sigilli.

X.

Bulla Lucii II pro Ardena.

Lucius episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Gilleberto priori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Ardena ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Ad hoc universalis ecclesiæ cura nobis a provisore omnium bonorum Domino commissa est, ut religiosas diligamus personas, & bene placentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare: nec enim Deo gratus aliquando famulatus impenditur nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Domino propitio, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus; ecclesiam sancti Germani de Albaherba; totam decimam de proprio dominio Œlardi in Hermanvilla; unam acram terræ *de Bitot;* duas acras terræ & tres virgultas in Varenda lunga; unum campum terræ ad Burum, de feodo Aiulphi; duas acras terræ inter Cadomum & Ardenam, de feodo Gaufridi de Castello; duos campos terræ super sanctum Germanum, de feodo Henrici filii Herberti, novem acras terræ in Ardena; quinque virgultas terræ inter sanctum Germanum & domum Infirmorum, & quinque virgultas ex altera parte viæ; totam decimam de dominio Adam de Franca-villa; unam præbendam Bajocis, & decem denarios de eleemosyna regis; aliam Cadomo de septem denariis; unam domum Cadomo liberam & quietam de omnibus consuetudinibus in foro; aliam domum in burgo abbatis Cadomi in novo rure; tres acras terræ a la parella; & quidquid habebat Hasculphus in Lucerna de proprio dominio, excepta parte nemoris de curva fossa; & duos arpennos vinearum apud Suligneum; & totam decimam *de Gripon,* tam in molendinis quam in aquis, & in omnibus redditibus villæ; unam piscariam apud Boleium; totam terram Gilleberti filii Adam, de proprio dominio in Lucerna; unam acram terræ in Cavum, de feodo Radulphi filii Ranulfi; duos modios segetis, quorum unum dedit Willelmus filius Rogerii, alium Richardus Calus. Sancimus etiam ut ordo canonicus secundum beati Augustini regulam & institutionem Præmonstratensium fratrum perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed eis omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus commodis profutura, salva diocesani episc. canonica justitia, & apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere ex perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructus bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Lucius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Conradus Sabinensis episcopus. Ego Albericus Hostiensis episcopus. Ego Hitmarus Tusculanus episcopus. Ego Gregorius presbyter cardinalis tituli Calisti. Ego Thomas presbyter cardinalis tituli Vestinæ. Ego Gilbertus presbyter cardinalis tituli sancti Marci. Ego Guido presbyter cardinalis tituli sanctorum Laurentii & Damasi. Ego Gregorius cardinalis diaconus SS. Sergii & Bacchi. Ego Guido diaconus cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani. Ego Gerardus diaconus sanctæ Mariæ in Dominica. Ego Gregorius diaconus cardinalis sancti Angeli. Datum Laterani per manum Baronis capellani & scriptoris, tertio idus Maii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, pontificatus vero domini Lucii secundi papæ, anno primo.

XI.

Abbates Cadomensis & Fontanetensis eximuntur a quoquam solvendo pro benedictione. Ex chart. S. Stephani

Imerus, Dei gratia Tusculanus episcopus & apostolicæ sedis legatus, R. decano & toti capitulo Bajocensi salutem. Significatum est nobis quod ab A. Cadomensi abbate ob benedictionem suam in abbatem pecuniam & ipsa ecclesiastica vestimenta, in quibus benedictus est, exigitis, quod & bonis moribus, & tam antiquis quam modernis patrum institutis contrarium esse constat. Quamobrem vobis mandamus ne ulterius pro memorati abbatis vel Fontanetensis benedictione prædictam exactionem facere attemptetis. 1144.

XII.

A. episcopus Constantiensis confirmat donum factum monachis de Solopera.

A. Dei gratia Constantiensis episcopus, universis sanctæ matris ecclesiæ filiis salutem & orationum fidelia. Noverit fraternitas vestra quod Willelmus Silvanus dedit Deo & B. Mariæ de Solopera, & fratribus ibidem Deo servientibus, libere & absolute perpetuo possidendum, quidquid habebat in campo *Buhul* a torrente minoris *Atiel* usque ad majorem, & sursum versus ecclesiam usque ad terram Roberti de Castaneis. Hoc donum fecit pro salute animæ suæ in manu Nivardi fratris domni Bernardi Claræ-vallis abbatis. Hujus donationis fuerunt testes Nicolaus sacerdos, Gilbertus de Clinchampo, Henricus filius Alelmi, Paganus Carpentarius, Willelmus Roarius, & alii multi. In prædicta terra calumniabantur Martinus filius Morandi & Willelmus filius Osmundi fratris ejus, quandam partem quæ vocatur Vallis-viridis, quam postea concesserunt dato pretio pro pace ipsorum, Martino XXV solidis Cenomannensium, & nepoti ejus X. Hanc donationem & pacem auctoritate episcopali & munimento sigilli confirmo & corroboro ego Alg. Constantiensis episcopus, sub eadem confirmatione concedens præfatis monachis eleemosynam & locum sanctæ Crucis de Vedasto, cum omnibus rebus & ædificiis ad eumdem locum pertinentibus. Quicunque igitur hanc donationem seu concessionem contra rationem adnullare vel imminuere attentaverit, omnipotentis Dei & B Mariæ iram & indignationem sustineat. Hujus donationis & pacis, Nicolaus sacerdos, Radulfus *de Clinchamps,* Richardus sacerdos de sancto Paerio, Robertus *de Chasteinners,* fuerunt testes. Circiter 1146.

XIII.

XIII.

Donatio facta monachis de Solopera.

Circiter 1146. QUISQUIS Deo seu pro Domino aliquid præstat, non ipsum a se alienat, sed potius in futurum cum spe vitæ æternæ multiplicandum conservat. Qua spe ductus ego Robertus filius Hernesi, pro anima mea & parentum meorum, Bernardo abbati Claræ-vallensi & ecclesiæ beatæ Mariæ de Soleuvria, & monachis ibi Domino servientibus, concessi & dedi in foresta mea habitationem Fago pendenti vicinam juxta puteum vetus, retro autem, &c. Hanc donationem feci liberam & absolutam, & eis propriam & quietam ab omni servitio & exactione, &c. Testibus uxore mea & fratribus meis Radulfo, & Philippo, & Hasculfo, & Rogerio de Merlaio, & Willelmo de Crossevilla, & aliis multis, &c.

XIV.

Translatio monasterii de Solopera in Vallem Richerii.

1150. UNIVERSIS sanctæ ecclesiæ Dei filiis, Philippus Bajocensis ecclesiæ presbyter, salutem & orationum instantiam. Consuetudinis est literarum custodiæ committere ea quæ inconcussa volumus stabilitate permanere, ne valeant aliquando aut oblivione subtrahi, aut improborum hominum vexatione turbari. Eapropter conventionem quæ inter nos & abbatem Thomam de Valle-Richerii facta est de loco qui Solopera vocatur, in quo prius ejus abbatia erat, scripto placuit memoriæque mandare & sigilli nostri suppositione munire. Erat itaque locus ille ad commoditates abbatiæ necessarias perangustus & minime conveniens. Abbas igitur loci prædicti communicato nobiscum consilio ad Vallem-Richerii transiit, qui & in parochia nostra situs est, quem locum ei & successoribus in ordine Cisterciensi de monasterio Claravallensi ibi substitutis, concessimus cum omnibus pertinentiis suis, sicut abbas de Mortuo-mari per manum nostram acceperat & possederat, qui ea lege & conditione prædictum locum a nobis & a dominis loci accepit, ut si aliqua interveniente causa hunc locum sibi retinere nollet, cuipiam abbatum de ordine Cisterciensi ad construendum cœnobium attribueret. Prædictus vero abbas Thomas locum Soloperæ cum pertinentiis suis nobis resignavit, cui pro laboribus & impensis, quos prædicto loco posuerat, decem modios annonæ & sexaginta libras Andegavensis monetæ tribuimus, &c. Eapropter abbas de Mortuo-mari dedit XXX libras Andegavensis monetæ, qui abbas Richerii-vallis locum cum omnibus appendititiis dedit præfato Thomæ abbati . . . . . de dono Simonis de Bosvilla tota terra . . . . . Testes sunt clerici episcopi Bajocensis, Runaldus & Willelmus de Brolio archidiac. Herbertus cantor, Humfridus Bos archicapellanus, Robertus subdecanus, Richardus succentor, Willelmus de Leone, magister Herbertus, Hugo de sancto Georgio, Serlo canonicus regularis capellanus episcopi, Robertus *Teillart*, & alii quam plures . . . . .

XV.

Hugo archiepiscopus Rotomagensis confirmat dictam translationem.

1150. HUGO, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, carissimis filiis suis episcopis & universis ecclesiasticis personis per Normanniam constitutis, salutem & gratiam in Domino. Provide consuevit auctoritas SS. Patrum literis assignare quod ad notitiam posterorum desiderat stabilitate inconcussum conservari, ne quandoque valeat quod rationabiliter

A actum est aliqua diffidentium machinatione permutari. Conventionem itaque illam quæ in nostra præsentia Bajocis facta est inter filium nostrum Philippum Bajocensem episcopum & monachos Claræ-vallis, Thomam videlicet abbatem & fratres ejus, de loco qui Solobria nuncupatur, in quo tunc erat abbatia eorum, scripto decrevimus congrue annotare nostrique sigilli impressione roborare. Quoniam igitur locus ille erat perexiguus, nec satis prout oporteret, abbatiæ construendæ opportunus, terra vero adjacens infructuosa, nec laboribus eorum sufficienter respondebat, communicato cum eodem Philippo Bajocensi episcopo consilio, ejus donatione & concessione transtulerunt abbatiam suam ad locum qui vocatur Vallis-Richerii, qui est de feodo ecclesiæ Bajocensis B & parochia erat: præfatum vero Solobriæ locum cum ædificiis & terris in manu nostra resignaverunt, ut in dominium Bajocensis episcopi sicut antea fuerat rediret, venerabili patre nostro Bernardo Claravallensi abbate, cui præfatus episcopus sæpe dictum locum concesserat, id concedente & charta sigilli sui munimine roborata confirmante. Philippus vero Bajocensis episcopus supradicto Thomæ abbati & fratribus suis pro ædificiis & laboribus eorum dedit XL libras Andegavensis monetæ, & decem modios annonæ, scilicet quadraginta sextarios frumenti, & quadraginta sextarios hordei, & quadraginta sextarios pisorum: cartas vero quæ de concessione & confirmatione prædicti loci Solobriæ habuerant, præfato episcopo reddiderunt. Facta sunt ista Bajocis anno ab Incar- C natione Domini millesimo centesimo quinquagesimo, mense Decembri.

XVI.

Philippus Bajocensis episcopus canonicis Lucernensibus dat locum Ardenæ. Ex authentico.

Post 1154. A regina Anglorum & duc. Aquitan. & Norm. & com. Andeg. archiepiscopo Rothom. & omnibus episcopis & abbatibus totius Normanniæ. Sciatis Philippum Bajocensem episcopum dedisse & in præsentia nostra concessisse ecclesiæ sanctæ Trinitatis de Lucerna, abbati & canonicis ibidem Deo servientibus, in perpetuam eleemosynam locum Ardenæ cum omnibus pertinentiis suis, & ecclesiam sancti Germani de Alba-herba cum omnibus ad eamdem D pertinentibus. His testibus, Matthæo cancellario meo, Petro capellano, Adam *de Hely*, Johanne de Vaurcyo dapif. meo, Luc. pincernar. apud Cadomum.

XVII.

Charta Henrici II regis Anglorum, pro Fontaneto.

Circa 1160. H. Dei gratia dux Normanniæ, comes Andegav. & archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, atque omnibus fidelibus suis, salutem. Notum sit vobis atque omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego ad petitionem Jordani Taxonis confirmavi abbati & monachis sancti Stephani de Fontaneto omnes donationes & eleemosynas quas antecessores dicti Jordani Ta- E xonis, qui fundaverunt abbatiam de Fontaneto, fecerunt & dederunt in perpetuam eleemosynam nutu & consilio Willelmi tunc ducis Norman. prædictis abbati & monachis, pro salute animarum suarum, videlicet in ecclesiis, decimis, terris, hominibus, in præfecturis, aquis, molendinis, in silvis, nemoribus, in libertatibus, usagiis, consuetudinibus, quas iidem monachi habent in foresta *de Cingalais*, & in cunctis aliis nemoribus suis, de quibus habent omnes decimas, & in omnibus, sicut continetur in chartis fundatoris & aliorum antecessorum prædicti Jordani Taxonis, quæ incipit: *Quisquis Deo*, &c. & in charta confirmationis, quam prædicti abbas & monachi habuerunt a Willelmo tunc duce Normanniæ, super prædictis

donationibus, quæ incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.* Quæ chartæ crucibus sunt signatæ secundum antiquam consuetudinem, quas recognovit Jordanus Taxo coram me & baronibus meis apud Rothomagum. Et ego prædictas chartas, & omnes donationes & eleemosynationes de verbo ad verbum, sicut continetur in eisdem chartis, & omnia alia quæ postea donata sunt, tam a Jordano Taxone quam ab antecessoribus suis, in omnibus confirmavi in pura & libera eleemosyna, cum omni ea libertate & quietantia quam eleemosyna potest & debet habere. Quod ut ratum sit & stabile in perpetuum, præsenti scripto & sigilli mei munimine confirmavi, testibus his, Arnulfo Lexoviensi episcopo, Ric. cancellario, Willelmo de Rolmara com. Lincoll. Willelmo de Vernone, Ric. de Hacia, Goffrerio *de Bruere,* apud Rotomag.

XVIII.

Fundatio beatæ Mariæ de Longis.

UNIVERSIS sanctæ ecclesiæ filiis, Hugo *Wac,* salutem in Domino. Notum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, me dedisse & in perpetuam eleemosynam confirmasse ecclesiæ beatæ Mariæ de Longis, quam ego ipse in abbatiam fundavi, pro salute animarum patris & matris meæ, & prædecessorum meorum, & pro remissione peccatorum meorum, & pro animabus Bauduini filii Gilleberti, & Emmæ filiæ ejus uxoris meæ, & pro salute liberorum meorum Bauduini & Gaufridi, & aliorum, & omnium amicorum meorum vivorum & mortuorum, locum ipsum in quo abbatia fundata est, & duas garbas decimæ totius parochiæ de Longis, quas prædecessores mei & ego habueramus in dominio. Præterea virgultum & mansuram quam ego emi de Hugone Rufo ante portam abbatiæ, & culturam meam de Transversana, & culturam meam de Louva integre, & culturam de Faberillis, & landam de Longis, & molinum quem pater meus fecit, & vivarium cum molta totius villæ de Longis. Concedo etiam quod si pauperes Christi monachi in prædicta ecclesia Deo servientes voluerint facere molinum ad magnum vivarium, habeant illum integre & quiete, salva tamen mihi captura piscium. Ad hæc concedo eisdem decimam molini mei de S. Gabriele, & decimam denariorum de censis, & decimam molini *de Rebercil,* & partem prati ante molinum, & meam partem molini de Ronceta integre ad luminare ecclesiæ, & acram terræ . . . . . ad emendum incensum, & apud Petitvillam triginta solidos de duabus garbis feodi mei, & terram quam pater meus habuit in insula *de Ghernesei,* & decem libras ad vestimenta monachorum singulis annis de camera mea, donec ego aut heres meus, in redditibus terrarum aut decimarum illas decem libras prædictis fratribus stabiliero. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini M.CLXVIII, consilio & consensu venerabilis patris nostri Henrici Bajocensis episcopi, in cujus manu omnia supradicta deposuimus & resignavimus, nihil in omnibus istis retinendo terreni juris, illius Domini solam expectans remunerationem, qui solus est remunerator omnium bonorum, teste ipso Henrico episcopo, Hunfrido Bove, Thoma archidiacono, Gautero fratre episcopi, Rogerio de Arreio, Henrico succentore, Rogerio *Wac,* Raynulpho de Longis, Rogerio Brittone, Hamone pincerna, Simone capellano, & aliis multis.

XIX.

Confirmatio prædictæ fundationis.

HENRICUS, Dei gratia rex Anglorum, & dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, & omnibus baillivis & fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse & præ-

A senti charta confirmasse ecclesiæ B. Mariæ de Longis, & monachis ibidem Deo servientibus, omnes subscriptas rationabiles donationes sibi factas, & chartis donatorum confirmatas. Ex dono meo medietatem ecclesiæ sancti Hilarii de Parvavilla habendam in liberam eleemosynam, cum omnibus pertinentiis suis, & terram de Pupevilla quam Radulfus *Druel* tenuit. Ex dono Hugonis *Wac* & Balduini filii sui, locum ipsum in quo abbatia de Longis fundata est, cum virgultis & vivariis adjacentibus, & molendina cum aliis rebus ad eundem locum pertinentibus, & ecclesias de feodo prædicti Hugonis, in Normannia scilicet ecclesiam de Longis, & ecclesiam *de Rebercil,* & medietatem ecclesiæ sancti Hilarii de Parvavilla, & ecclesiam de Esnegervilla, & culturam de Transver-
B sana, & culturam de Lovia, & culturam de Faberilis, & landam de Longis, & decimam molendini de sancto Gabriele, & denariorum suorum censuariorum ejusdem villæ, & furnum de Longis, & decimam denariorum de censis, & decimam molendini *de Rebercil,* & partem prati ante molendinum, & partem suam molendini de Runcheta, & unam acram terræ ad campum & terram *de Ghernesei* quam habuit Gaufridus *Wac,* & mansuram Girardi cum communi pastura villæ. Ex dono Guillelmi Pajenelli & Alienoris uxoris suæ, medietatem ecclesiæ de Ria. Ex dono Guillelmi de Aremancia, & Guillelmi & Henrici de Gracio, ecclesiam de Aremancia. Ex dono Alvedi de Solmeio, & Reg. de Marenneio, ecclesiam de Marenneio. Ex dono Guillelmi *de Argenne* & Adæ
C uxoris suæ, medietatem ecclesiæ de Casteillum. Ex dono Hamonis pincernæ, ecclesiam *de Maupertuis,* & unam acram terræ alodii apud Bajocas, & duas garbas decimæ de feodo suo *de Manvex,* & decimam molendini ejusdem villæ, & decimam de Cuseio de feodo Gilleberti *de Montfichet.* Ex dono Guillelmi de Humetis & Richardi filii sui octo sextaria hordei in molendinis de Vasta riparia, & unum sextarium frumenti in redditu suo de Maisio. Ex dono Philippi de Columberiis, unum modium frumenti de decimis suis, & piscariam de Furco aquæ. Ex dono Guillelmi de Mad. comitis *Essex,* dimidium modium frumenti & dimidium hordei in molendino suo *de Reiver.* Ex dono Philippi de Croleio, unam mansuram in Croleio ante portam castelli sui, & tres acras terræ, & tres virgatas, & tenementum Martini clerici de Viana
D apud manerium. Ex dono Guillelmi de Romara, tres sextarios frumenti & tres hordei in suo molendino Bernardi apud *Ver.* Ex dono Rogerii Germ. pratum suum de ponte Aulvii, & terram suam quæ ibi est usque ad viam quæ vadit ad Perrum, & duas partes decimæ molendini sui, & pasturam ad centum oves in terra sua de Videvilla, & ad viginti animalia, & ad quatuor equos. Quare volo & firmiter præcipio, quod prædicta abbatia de Longis, & monachi in ea Deo servientes, omnia suprascripta habeant & teneant in libera & perpetua eleemosyna bene & in pace, libere & quiete, integre & plenarie, & honorifice, in ecclesiis & decimis, in terris & redditibus, in bosco & plano, in pratis & pasturis, in aquis & molendinis, in vivariis & stagnis, in virgultis, in viis, semitis,
E & in omnibus aliis locis, & aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, sicut chartæ donatorum testantur. Testibus W. Rotomagensi archiepiscopo, Henrico Bajocensi, Guillelmo Constantiensi, J. Ebroïcensi episcopis, M. & P. abbatibus de Cadomo & de Cerasiaco, Guillelmo de Humeto constabulario, Guillelmo filio Radulphi senescallo Normanniæ, & aliis multis.

X X.

Charta fundationis Barberii.

Ex chartular.

1181. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Robertus *Marmion* omnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis, tam præſentibus quam futuris, in Domino ſalutem. Noverit univerſa generatio præſens & futura Robertum *Marmion* patrem meum divini inſpiratione conſilii abbatiam Barberii fundare propoſuiſſe: unde omnes terras quas habebat in Barberio, excepto militum ſuorum feodo, abbatiæ faciens, quaſi primum per hæc omnia jecit fundamentum, poſſeſſiones commodas his adjecturus, ſi eum diutius miſeratio divina vivere permiſiſſet. Quia vero propoſitum ſuum implere non potuit, ego filius ejus & heres ab eo inchoatum opus ad conſummationis decus perducere decrevi. Ego itaque pro ſalute animæ meæ, & ſalute patris & matris meæ, & uxoris meæ, ac liberorum meorum & omnium anteceſſorum ac ſucceſſorum meorum, do in eleemoſynam perpetuam, liberam & quietam, & ab omni ſervitio abſolutam, Deo & beatæ Mariæ, & abbati & conventui monachorum abbatiæ Barberii, terras omnes quas pater meus Deo dederat in Barberio. Dono etiam ad ædificandam abbatiam terram quæ continetur inter parvum boſcum, & Barberium & haiam, quæ terra eſt in parochia Brethevillæ, ſcilicet terram Johannis de Fontaneto, pro qua ſororem ejus ſanctimonialem conſtitui apud *Poleſorde*, cujus terræ partem tenebat Radulphus *Hericé*, & terram Roberti de Aneriis, pro qua dedi ei unum bordagium in Brethevilla, quod tenebat Radulphus *Savieres*, & terram Guillelmi *Toſar*, pro qua dedi ei quinquaginta ſolidos Andegavenſium. Confirmo etiam donationem quam fecit Robertus *Lotrel* & Hugo filius ejus eidem abbatiæ, & donationem campi qui eſt proximus abbatiæ, quem dedit Nicolaus de Vevis & Sibilla uxor ejus, concedentibus filiis eorumdem Roberto & Jordano, quem tenebant Gervaſius *Botchorle* & fratres eorum. Confirmo etiam ſcambionem quam fecerunt monachi Ranulpho filio Aidulphi & fratribus ejus. Dono præterea eccleſiam Barberii ex integro, excepto feodo abbatiæ de Fontaneto & abbatiæ ſanctimonialium de Cadomo. Dono etiam eccleſiam de Brethevilla cum omnibus pertinentiis ſuis, & eccleſiam de Quilleio cum omnibus pertinentiis ſuis, & eccleſiam de Saintellis cum omnibus pertinentiis ſuis, & eccleſiam de Ketevilla cum omnibus pertinentiis ſuis, & tres partes eccleſiæ ſancti Germani de Chimino & ſancti Hermetis de Fontaneto, quarum unam tenebat Radulphus de Govis ex me in eleemoſynam, aliam tenebat Unfridus *Poltier*, quam ipſe ut feodum tenebat, & ipſe & filii ejus Radulphus & Hugo, & ceteri heredes ejus, conceſſerunt eam Deo & beatæ Mariæ, & monachis Barberii, & ipſe Unfridus eam per librum poſuit ſuper altare ejuſdem monaſterii; aliam tenebat Matthæus de S. Germano, pro qua dedi ei viginti acras terræ de dominio meo, & pro jure quod habebat prædictus Matthæus in eccleſiis de Quilleio & de Brethevilla. Dono etiam præſentationem prædictarum eccleſiarum quæ ad jus meum pertinet. Dono præterea ſtagnum cum molendino, quod eſt inter Barberium & Brethevillam. Dono etiam in *Tuepot* terram cum nemore quam emi de Guillelmo *de Villers* quindecim libris Andegavenſium. Donationem etiam Guillelmi *de Villers* in *Tuepot* in terris, & in nemore & in pratis, ratam habeo & confirmo. Confirmo etiam donationem quam fecit Guillelmus *de Cingal* in veteri Meyleria & in nova Meyleria, & in campo de Luceto, concedente filio ſuo Guillelmo & Johanne de Liveto domino ſuo. Dono etiam de dominio meo apud *Meſons*, quadraginta & octo acras terræ dimidia virgata minus. Dono etiam feodum Durandi *Chevestre* ex integro, & tenementum Radulphi filii *Avicgne*,

A & in feodo Roberti *Prime* unam minam frumenti pro duobus modiis frumenti quos donabam monachis ſingulis annis in molendino meo apud *Meſons* & in excambione de Jorchis, quas donaveram prius monachis. Concedo etiam donationem quam fecit Robertus *de Moë* in Barberio, ſcilicet terram quæ eſt inter ſtagnum monachorum & manſuram Æleziæ reginæ, quantum ad jus meum pertinet. Confirmo etiam donationem quam fecit Dionyſius *de Tur* apud *Meſons*, ſcilicet manſuræ quam tenet Hugo frater ejus de abbate & conventu Barberii. Confirmo etiam donationem quam fecit Gervaſius de Barberio, concedente domino ſuo Guillelmo *Marmion* de Urvilla. Si quis autem de terris quibuſcumque ad feodum meum pertinentibus præfatæ abbatiæ terras ſive re- B ditus aliquos dedit aut dabit, ratam habeo illam donationem & permanere concedo, ita tamen ut qui dabit tantum det & tantum ſibi retineat, ut & ſervitium quod debeo perſolvere poſſit, & beneficium religioſis collatum liberum & ab omni ſervitio permaneat abſolutum. Concedo etiam libertatem & quietantiam in omnibus omnino rebus monachis & converſis ejuſdem abbatiæ in tota terra mea Normanniæ & Angliæ. Hæc autem omnia libera & quieta, & ab omni ſervitio & exactione penitus abſoluta, dono, concedo & confirmo præfatæ abbatiæ Barberii in eleemoſynam perpetuam, nihil in omnibus ſervitii & obſequii vel debiti cujuſcumque reſervans vel retinens. Hanc recompenſationem ſolam & unicam retributionem mihi & heredibus depoſcens, ut prædictæ C abbatiæ fratres, tam ego quam ipſi, patronos apud Dominum habeamus & interceſſores. Prætaxatas donationes omnes conceſſerunt Robertus filius meus, & uxor mea, & filiæ meæ, & milites, & homines mei, nulla omnino interveniente reclamatione. Præterea conſtituo, propono & confirmo quod in præfatæ abbatiæ cimiterio ego & uxor mea, & heredes mei ſepulturas habebimus. Ut autem prædicta omnia rata maneant in perpetuum & inconcuſſa, pagina præſenti ipſa voluimus annotari, & ſigillo noſtro muniri. Actum hoc anno ab Incarnatione Domini M.CLXXXI, menſe Octobri, teſtibus his, domino Henrico Bajocenſi epiſcopo, Radulpho *de Goviz*, Roberto clerico Waleranni archidiacono, Willelmo preſbytero de Fontaneto & Hugone nepote ejus, Joſleno monacho, Alexandro monacho, Henrico clerico, Unfrido *de* D *Bohum*, Richardo *Bigot*, Roberto *de Moë*, Unfrido *Poltier*, Willelmo *Marmion*, Johanne de Liveto, Godefrido *Aguillon*, Simone clerico, Thoma priore, Guillelmo de Bripto, Guillelmo de Dovro, Guillelmo *Locare*, Renaldo *de Cunay*, Gilleberto de Liveto, & multis aliis.

X X I.

Confirmatio regis Angliæ.

HENRICUS, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegavenſis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, juſtitiariis, vicecomitibus, miniſtris & omnibus fidelibus ſuis, ſalutem. Sciatis me conceſſiſſe E & præſenti charta mea confirmaſſe Deo & abbatiæ ſanctæ Mariæ de Barbereyo, & monachis ibidem Deo ſervientibus, omnes ſubſcriptas donationes rationabiliter ſibi factas, & chartis donatorum confirmatas. Ex dono Roberti *Marmion*, conceſſione Roberti filii ſui, & uxoris ſuæ, & filiarum ſuarum, & militum & hominum ſuorum, abſque ulla reclamatione, pro ſalute animæ ſuæ, & patris & matris ſuæ, & uxoris ipſius, & liberorum eorum, & omnium anteceſſorum & ſucceſſorum ſuorum, omnes terras quas pater ſuus dederat Deo & ipſi abbatiæ in Barbereyo, ſicut charta ejus teſtatur. Ex dono etiam ejuſdem terram quæ eſt intra parvum boſcum, & Barbereyum, & haiam, & terram Roberti de Aneriis, & terram Willelmi *Toſar*,

sicut in charta ipsius Roberti continetur. Ex confirmatione ejusdem Roberti donationem eidem abbatiæ A & ipsis monachis factam a Roberto *Lotrel* & Hugone filio suo, & donationem campi qui est proximus abbatiæ, quem dedit Nicolaus de Vevis & Sibilla uxor ejus, concedentibus filiis eorum Roberto & Jordane, quem tenebant Gervasius *Botchorle* & Willelmus *Botchorle* fratres eorum; ex confirmatione etiam ipsius Roberti, excambium quod fecerunt monachi cum Ranulpho filio Audulphi & fratribus ejus. Præterea ex dono ejusdem Roberti ecclesiam de Barbereyo ex integro, excepto feodo abbatiæ de Fontaneto & abbatiæ sanctimonialium de Cadomo, & ecclesiam de Brethevilla, & ecclesiam de Quilleio, & ecclesiam de Saintellis, & ecclesiam de Ketevilla cum omnibus pertinentiis earumdem ecclesiarum, & tres partes ecclesiæ B sancti Germani de Chemino & sancti Hermetis de Fontaneto, secundum quod determinatum est in charta Roberti. Item ex dono ejusdem Roberti præsentationem prædictarum ecclesiarum, quod ad jus suum pertinet, & stagnum cum molendino quod est inter Barbereyum & Brethevillam; & in *Tuepot* terram cum nemore quam emit de Willelmo *de Villers*. Ex confirmatione ejusdem donationem quam fecit Willelmus *de Cingal* in veteri Meyleria & in nova Meyleria, & in campo de Liveto, concedente filio ipsius Willelmo & Johanne de Liveto domino suo. Ex donatione sæpe dicti Roberti de dominio suo apud *Mesons*, quadraginta & octo acras terræ dimidia virgata minus, & feodum Durandi *Chevestre* integre, & tenementum Radulphi filii *Aviegne*; & in feodo Roberti *Prime*, unam minam frumenti pro duobus C modiis frumenti quos donabat monachis singulis annis in molendino suo apud *Mesons* & in excambio de Jorchis, quas donaverat prius monachis. Ex confirmatione ipsius donationem quam fecit Dionysius *de Tur* apud *Mesons*, de mansura quam tenet Hugo frater ejus de abbate & conventu de Barbereyo, & donationem Gervasii de Barbereyo, concedente domino suo Willelmo de Urvilla. Ex dono Theobaldi *de Moline* totum nemus de Molinis & totam planitiem adjacentem ipsi nemori usque ad fines terræ *de Cingal*, & duas acras terræ quæ sunt inter prædictum nemus & chiminum *de Moline*, secundum quod determinatum est in charta sua. Ex dono Johannis filii Roberti filii Godefridi de Fontaneto, concedentibus fratribus suis Rogerio, Roberto, Manasse & Gode- D frido, totum campum de Corneyvilla & tres virgatas terræ apud Fontanetum Marmionis, sicut in charta ejus continetur. Ex dono Willelmi *Pikenor* totam decimam de feodo suo in territorio Brethevillæ & Quilleii, totum campum in Alberiis apud Quilleium, & terram quæ est intra parvum boscum & prædictam abbatiam, sicut continetur in charta ipsius. Ex dono Roberti filii *Hericé* nepotis Willelmi de Curseio, partem nemoris sui de Cingeleis, sicut dividit fossatum terræ Richardi Placitatoris usque in alteram partem, sicut dividit petra quæ dividit terram Gervasii de Bunditia & Cingeleis. Ex concessione Willelmi de Kahamneis donationem quam fecit Radulphus *le Suyant* prædictis monachis de Barbereyo de campo Berthæ, quem tenebat Audulphus pro tribus minis E avenæ, & unam virgatam terræ quam tenebat de eo Robertus *Botchorle*, & terram illam quam tenebat Jossellinus *Ponchard*, secundum quod charta ejus testatur. Ex dono Roberti *de Moë* totam terram quam habebat inter stagnum monachorum & mansuram Ælesiæ reginæ, & duas galbas decimæ de dominio Roberti *de Acie*, quas ipse Robertus *de Moë* tenebat de Radulpho de Pomeria in feodo, & ecclesiam de Veteri-fraisneio cum omnibus pertinentiis suis, sicut determinatum est in chartis ipsius. Ex dono Willelmi *de Villers* quamdam partem terræ suæ *de Tuepot*, quæ vocatur *les Hullettes*, & vallem Theodrici, sicut in charta ejus continetur. Quare volo & firmiter præcipio quod prædicta abbatia de Barbereyo & monachi in ea Deo servientes, omnes prædictas donationes & omnes alias quæ ipsis rationabiliter factæ sunt vel fient, habeant & teneant in libera & perpetua eleemosyna, bene & in pace, libere & quiete, integre & plenarie, & honorifice, in ecclesiis & terris, in bosco & plano, in pratis & pascuis, in aquis & molendinis, in vivariis & stagnis, & piscariis & virgultis, in viis & semitis, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad eas pertinentibus in terra mea, quas aliæ abbatiæ de terra mea habent, testibus S. Cicestriensi & R. Lexoviensi episcopis, Richardo Bripto clerico, Willelmo clerico de camera comitum, Willelmo *de Marmion*, Roberto comite Melletensi, Ranulpho *de Glanu*, Willelmo filio Radulphi seneschalco Normanniæ, Hugone *de Cressy*, Wilterio de Ferrerio, Hugone *de Cunay*, Rogerio de Mortuo-mari, Willelmo de Mara, Richardo Silvem, apud Rotomagum.

XXII.

Comes Mellenti confirmat donationem Barberii.

NOVERINT universi, tam præsentes quam futuri, quod ego Robertus comes Mellenti, 1181.
concedo & præsenti charta mea confirmo omnes donationes quas fecit Robertus *Marmion*, tam in ecclesiis quam in terris, sive quibuscumque redditibus ad feodum meum pertinentibus, Domino & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Barberio, sicut in charta prædicti Roberti *Marmion* continetur. Si quis etiam de terris quibuscumque ad feodum meum pertinentibus, tam prædicti religiosi quam alii, terras sive redditus eidem abbatiæ dedit aut dabit, ratam habeo illam donationem & permanere concedo, salvo servitio quod Robertus *Marmion* mihi debet de feodo quod de me tenet. Hæc autem libera & quieta, & ab omni servitio & exactione penitus absoluta, prædictæ abbatiæ de Barberio in perpetuam eleemosynam habere concedo, & chartæ præsentis testimonio & sigilli mei munimine confirmo, testibus Roberto abbate Vallis-Richerii, Willelmo de Lex. monacho, Richardo *de Varadin*, Roberto *Feuckecles*, Joanne de Jocio, Rogerio *de Beaumont*, Roberto de Martignii, & multis aliis. Apud Rotomagum anno Domini M. C. octogesimo primo.

XXIII.

Donatio facta Barberio.

UNIVERSIS, &c. . . . . Noverit universitas Circa
vestra, quod ego, pro salute animæ meæ & 1181.
Philippæ uxoris meæ, & omnium antecessorum & successorum meorum, & pro absolutione itineris mei Jerosolymitani, donavi Deo & beatæ Mariæ de Barbereio, & monachis ibidem Deo servientibus, ad ædificandam & construendam ecclesiam suam, quingentas libras Andegavenses. Et præterea pro eadem absolutione dedi eis in puram & perpetuam eleemosynam, &c. in manerio meo *de Berwic*. . . . Et hoc factum est concessione & assensu Willelmi *Marmion* clerici, filii mei.

XXIV.

Fundatio Alneti. Ex chartulario.

RICARDUS *du Humet* conestabularius regis Angliæ, omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, salutem. Quoniam generatio præterit & generatio advenit, & in brevi gestorum memoria aboletur, nisi scripturæ beneficio conservetur; quæ abbatiæ Alneti antecessorum nostrorum largitione & nostra donatione collata sunt literis mandare, testibus firmare, sigillo munire commodum existimavimus, ne cujusquam temeraria audacia famulorum Dei possessiones calumniis concutiat, ipsorum quietem conturbet. Habeant itaque

monachi de Alneto ex dono Jordani de Salo & Luciæ uxoris ejus, locum in quo primum constructa est abbatia, sicut descendit terra de Monte in Oudonem & partem forestæ, sicut via descendit versus domum Osberti carpentarii. Ex dono eorumdem terram *de Repentir* concessu Radulfi *de Buron* & heredum suorum, quam Lucia uxor Jordani emerat. Item, ex dono eorumdem quoddam nemus juxta nemus Anschetilli, concedente Radulfo *de Buron* & heredibus suis. Ex dono eorumdem decimam totius dominii & decimam molendini de Deserto. Item, ex dono eorumdem ecclesias de Cenilleio cum omnibus decimis, & terram eleemosynariam ad easdem ecclesias pertinentem. Item, dimidiam terram quam habebant in Aneeriis, & decimam molendinorum, & telonei & virgultorum, & pecorum de Alneto & Romilleio, & decimam anguillarum, & duas acras terræ in quibus constructa est grangia monachorum, & duas guerbas decimæ de Bocheio. Item, ecclesiam de Herovilla, & quicquid habent in ecclesia de Ranvilla & in decima, & decimam molendini sui in eadem villa. Item, in Cormolaim decimam totius dominii sui, & totam terram de Vennis. Item, ecclesiam Balereii cum tota decima, & decimam molendini. Ex donatione eorumdem in Anglia ecclesiam de Curantona, cum terra eleemosynæ & omnibus pertinentiis suis, & in Benestria decimam dominii sui, & capellam de Gywa cum decimis dominii sui. Ex dono autem Luciæ pratum unum in Baucheio. Ex mea vero propria donatione & Agnetis uxoris meæ, & filiorum meorum Willelmi, Enguerrani & Jordani, sedem & positionem abbatiæ novæ super Oudonem, & viginti acras terræ feodi filiorum Alveredi, pro quibus donavimus eis excambium juxta novum vivarium quod feci construi super Oudonem. Item, ecclesiam de Marigneio cum burgo sancti Petri & cum omnibus appenditiis suis, cum molendino ejusdem villæ quatuor quartaria frumenti. Item in eodem molendino, ex proprio dono Willelmi filii mei & Agnetis uxoris meæ, quinque quartaria frumenti. Item, in eadem villa 20 solidos Cenomanenses in teloneo. Item, ecclesiam de Rumilleio in integrum, cum omnibus appenditiis suis, ex donatione nostra. Item, ecclesiam de Essebi cum omnibus appenditiis suis. Item, ecclesiam de Limbergia cum omnibus appenditiis. Item, totam terram de Masura-arsa, quam tenebat Radulfus de Noeris de Ranulfo *de Roschamp*. Hanc autem donationem concessit Ranulfus *de Roschamp*, & mecum super altare posuit; & propterea ipsi Ranulfo quamdam terram reddidi, ejusdemque servitium adquietavi. Item, totam terram & omne tenementum ex integro, quod tenebat Ranulfus *Cachart* de me apud Vianam. Item, totam terram quam tenebat de me Andreas de Alneto apud Ranvillam. Habent etiam ex dono Ricardi *de Ros*, duas acras terræ in Hermanvilla, concessu Terrici de Herovilla. Item, ex dono Roberti mali-nepotis duas acras terræ apud *Airel*. Item, totam terram Willelmi de Collevilla de Ferraria de valle, cum nemore ad eamdem terram pertinente. Item, ex dono Eudonis *de Brecé*, duas acras terræ apud Vianam. Item, ex dono Anchetilli de Viana, unam acram terræ apud eamdem villam Vianam, concedente & donante Willelmo filio ejusdem Anchetilli. Donationes autem supra scriptas ego Ricardus de Humeto & uxor mea Agnes, & filii mei Willelmus, Enguerrannus & Jordanus, Domino & beatæ Mariæ, & fratribus in supradicta abbatia Deo famulantibus, liberas & quietas, & ab omni servitio & ab omni exactione absolutas, concedimus & confirmamus; nullum dominium vel servitium in rebus monachorum, vel hominum in terra eorum manentium, nobis vel posteris nostris reservantes: hac solummodo contenti remuneratione, ut orationum, missarum & hujusmodi obsequiorum spiritualium fratres & consortes, & participes esse mereamur. Ut

A autem omnia præscripta rata & inconcussa permaneant, testes subscribi & mei sigilli impressione adnecti præcepi. Testibus hiis, Johanne capellano, Radulfo *de Maisnil*, Jordano *de Maisnil*, Eudone *de Brecé*, Henrico *de Brecé*, Bigat. *de Grocé*, Gauterio de Cardunvilla, Nicolao de Virevilla, Ricardo de Hommilla, Henrico *de Carchigne*, Willelmo *de Rupallai*, Roberto de Haia, Roberto *de Maisnil*, Roberto *de Marigny*.

XXV.

Dedicatio ecclesiæ beatæ Mariæ de Alneto.

Ex authentico.

UNIVERSIS Christi fidelibus ad quos præsens charta pervenerit, Willelmus, Dei gratia Constantiensis episcopus, æternam in Domino salutem. 1190.
B Ad universorum volumus pervenire notitiam, quod cum a dilectis filiis nostris Johanne abbate & monachis de Alneto, & a Willelmo domino *du Humet* conestabulario domini regis, ipsius loci domino & advocato invitati, ecclesiam beatæ Mariæ de Alneto anno ab Incarnatione Domini 1190 solenniter dedicaremus, dictus Willelmus obtulit Deo & beatæ Mariæ in puram & perpetuam eleemosynam omnino liberam totam terram suam de Lengronia cum pertinentiis suis in dotem ipsius ecclesiæ quæ dedicabatur, & factam donationem charta sigillo suo roborata juxta sacrorum canonum constitutionem confirmavit. Nos vero ejus devotioni congaudentes, & religiosorum virorum quieti & paci paterna sollicitudine providentes, dictam donationem quæ in præsentia nostra tam solenniter facta est, præsenti paginæ inserere &
C sigilli nostri munimine dignum duximus confirmare, ut secundum tenorem & firmitatem chartæ dicti Willelmi quam etiam habent monachi perpetuo perseveret; & ne quis illam perturbare aut violenter diripere audeat, sub anathematis censura prohibemus. Huic autem dedicationi & donationi interfuerunt D. Henricus Bajocensis episcopus, Petrus Cadomensis, Robertus Cerasiensis, Durandus Troarnensis, Willelmus Savigniensis, Robertus S. Andreæ Gossernensis, Robertus de Richerii-valle, Martinus de Longis, Willelmus S. Laudi Constantiensis abbates, Stephanus decanus, Henricus præcentor, Jordanus, Robertus, Radulfus archidiaconi Bajocenses.

XXVI.

D

Terra de Lengronia datur Alneto.

* *Ex authentico.*

UNIVERSIS Christi fidelibus præsentibus & futuris ad quos præsens charta pervenerit, Willelmus 1190.
de Humeto domini regis conestabularius, salutem. Noveritis universitas vestra me assensu & voluntate filiorum meorum, scilicet Richardi de Humeto, & Willelmi, & Henrici, & Jordani, & Thomæ, & Enguerranni, dedisse & concessisse, & præsenti charta confirmasse, sigilli mei appositione munita, Deo & beatæ Mariæ de Alneto, & monachis ibidem Deo servientibus, pro salute animæ meæ, patris & matris meæ, & Luciæ uxoris meæ, & omnium antecessorum & successorum meorum, totam terram meam de Lengronia integre & plenarie in terris, in aquis, in ho-
E minibus & in dominiis, in redditibus & in reguardis, in auxiliis & in servitiis, in costumis & in pasturis, in placitis & in donis, in eschartis & in roleniis, in exitibus & in aventuris, & in omnibus aliis rebus & pertinentiis quæ ad manum Domini possunt, & solent & debent devenire, excepto tenemento quod tenet de me Gervasia de Saeio sicut de primogenito, & excepto tenemento quod tenet de me Jordanus de Maisnillo, & excepto tenemento quod tenet de me Willelmus *Cotele* in eadem villa. Hanc autem donationem feci prædictæ abbatiæ anno Domini 1190, die qua ecclesia ejusdem abbatiæ dedicata fuit, in dotem ipsius ecclesiæ, in puram & perpetuam eleemosynam, liberam omnino & quietam, & ab omni

sæculari exactione penitus absolutam, nihil in ea penitus mihi & heredibus meis retinens in futurum, nisi bonorum spiritualium & orationum participationem quæ in præfata abbatia fieri dinoscuntur. Si quis igitur aliquo tempore, aliqua occasione aliquid in prædicta terra vel pro ipsa vel de ipsa exegerit vel reclamaverit, ego & heredes mei per omnia & in omnibus de nostro proprio adquietabimus, & eleemosynam nostram liberam perpetuo manere faciemus, aut æquivalenter in loco competenti escambiabimus. Hujus donationis testes sunt D. Henricus Bajocensis, D. Willelmus Constantiensis episcopi, qui ipsum officium dedicationis solenniter celebrarunt, Petrus Cadomensis, Robertus Cerasiensis, Durandus Troarnensis, Willelmus S. Laudi Constantiensis abbates; Stephanus decanus, Henricus præcentor, Jordanus, Robertus, Radulfus archidiaconi Bajocenses, Philippus de Croileio, Jordanus de Humeto, Radulfus *Taisson*, Hugo de Coluncis, Robertus de Haia, Johannes de Saligneio, Willelmus de Simílleio.

XXVII.

Chartæ pro Ardena.

HENRICUS, Dei gratia Bajocensis episcopus, omnibus ad quos præsens charta pervenerit, salutem. Quæ religiosis locis a fidelibus pie conferuntur, episcopali debent authoritate communiri. Inde est quod religionem canonicorum de Ardena attendentes, bona sua & possessiones a fidelibus sibi collatas sub protectione Dei & sanctæ ecclesiæ recipimus, & authoritate qua præminemus eis confirmamus. Hæc autem duximus propriis nominibus exprimenda. Ex dono Philippi Bajocensis episcopi, ecclesiam sancti Germani de Blancha-herba; ex dono Richardi Bajocensis episcopi, totam decimam de dominio Œlardi in Hermanvilla, quam ipse Œlardus posuit in manu præfati episcopi; ex dono Henrici filii Herberti, & authoritate Henrici Bajocensis episcopi, duas garbas decimæ de tota terra sua in *Venoix* & in parochia sancti Germani; ex dono Bartholomæi *de Valbadon*, duas garbas decimæ de tota terra sua de sancta Cruce; ex dono Aiulfi & filiorum ejus Guarini & Walteri, locum Ardenæ, & totam terram suam de feodo camerarii in parochia sancti Germani, & unum campum super montem inter Cadomum & Ardenam de eodem feodo, & unam domum in foro Cadom. & aliam domum ad portam *Baudri*. Hanc autem donationem concessit Œlardus de Hermanvilla quando apud Ardenam sumpsit habitum religionis, & Willelmus filius ejus idem donum concessit die illo quo duellum fecit contra canonicos Bajocenses, testibus his Roberto, Stephano, Rogero, Radulpho, præfatæ domus canonicis & laïcis quamplurimis. Ex dono Walteri filii Aiulphi, terram suam in Varenda; & apud Burum quinque acras, & furnum quemdam in Cadom. & terram suam de Luvineio, & terram suam de Monteneio & Bussinis; ex dono Gaufridi de Castello duas acras; ex dono Willelmi Crassi unam acram; ex dono Ranulphi unam acram; ex dono Willelmi *de Buron* unam acram; ex dono Pagani *de Buron* tres virgatas; ex dono Silvestri filii Pagani, unum campum; ex dono Radulfi *de Caïron* quinque virgatas; ex dono Richardi de Perella tres acras; ex dono Simonis de Bosvilla tres acras & dimidiam; ex dono Gaufridi marescalli unam acram & unam virgatam; ex dono Willelmi *de Baron*, & authoritate Philippi Bajocensis episcopi, duas garbas decimæ de tota terra sua de Garneriis; ex dono Gilberti clerici & Andreæ fratris ejus, duas acras; ex dono Baldrici & filiorum ejus, in Franca-villa unam acram & dimidiam; ex dono Gaufridi *de Belval* unum campum; ex dono Ranulphi *de Valbadun* unam virgatam; ex dono Ranulphi *Lusuard* quinque virgatas; ex dono Roberti Anglici, & assensu Bartholomæi *de Valbadun*, unam acram; præterea ex dono Walteri filii Aiulphi, vineam de Inguvilla. Et ut hæc futuris temporibus firma & illibata dictis fratribus conserventur, præsenti charta eis confirmavimus, & sigilli nostri attestatione ea sibi communivimus. His præsentibus & testibus, Thoma & Stephano archidiaconis, magistro Ranulpho, magistro Jordano, Roberto capellano, Jocelino clerico, Rogero *Bouet*, magistro Ricardo *de Langrun*, Sansone presbytero de S. Contesto, Hugone *Acharin*, Rogero de Curis, Simone de Curis, & aliis pluribus.

XXVIII.

NOTUM sit omnibus, tam præsentibus quam 1191.
futuris, quod ego Paulus *de Baron* & uxor mea, & Willelmus filius meus, & omnes alii filii mei, concessimus & dedimus Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Ardena, canonicisque ibidem Deo servientibus, pro salute animarum nostrarum, in perpetuam eleemosynam & pro finali concordia inter nos & omnibus querelis, in perpetuum tenenda, quidquid juris & reclamationis & calumniæ habuimus in toto feodo & tenemento quod fuit Aiulphi de Foro, Walteri filii sui, & omnium aliorum filiorum suorum, in tota Normannia, in omnibus pertinentiis suis, in furno, in domibus, in terris, in pratis, & in omnibus tenentiis suis, tam liberis & quietis quam debitis vadimoniis obligatis. Juravimus & hoc a nobis & omnibus heredibus nostris (dimissis omnibus querelis nostris erga præfatam abbatiam prius habitis) pro posse nostro firmiter & fideliter esse tenendum. Abbas vero & præscripti canonici de Ardena, pro amore Dei & hoc jure nostro, & omnibus reclamationibus nostris & querelis erga eos in perpetuum dimittendis de eodem præfato tenemento, quod totum, tam Aiulphus de Foro quam filii sui, jam dictæ abbatiæ in perpetuam eleemosynam dederant, nobis apud Cadomum XL solid. Andegav. in redditu annuo & unum vavassorem apud Cambas diligenter donaverunt: & nos omnes donationes quas fecerunt antecessores nostri & facient successores abbatiæ jam dictæ, in perpetuam eleemosynam concessimus. Actum est hoc apud Rothomagum anno ab Incarnatione Domini 1191, coram Henrico Bajocensi episcopo, & Willelmo filio Radulphi senescallo Normanniæ, & his tam clericis quam laïcis præsentibus, Roberto filio senescalli, ultimo abbate de Mortuo-mari Willelmo Tholemeo, Gaufrido de Alieia, Galtero clerico, Henrico de Cadomo, Rogerio de Veilis sacerd. Rich. *de Caron*, Ric. Servano, Ric. de Argenceis, Radul. de Magnevilla, Gilb. cano. Ard. & pluribus aliis.

XXIX.

UNIVERSIS sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos 1191.
literæ istæ pervenerint, Henricus, Dei gratia & dignatione Bajocensis ecclesiæ minister humilis, in Domino salutem. Notum vobis sit quod sæpe fuimus ad Walterum filium Aiulphi in extremis laborantem apud religiosam domum canonicorum regularium de Ardena, unde extremam ejus voluntatem quæ bona quidem fuit & sancta duximus vobis exprimendam. Concessit eisdem fratribus omnes donationes quas fecerat eis pater suus qui eumdem locum ante tempora nostra cœpit ædificare, & quas ipsemet concesserat eis & fratres sui. Præterea de novo in præsentia nostra dedit eis furnum quem habebat apud Cadomum, & terram *de Louvignie*, & terram *de Montignie*, & terram *de Rochemont*, salvo hominibus vadio suo quem habebant in furno pro terris illis, & si concederet sancta ecclesia & misericordia domini nostri Henrici regis Angliæ, quod posset ipse facere heredem Deum & ecclesiam illam de Ardena, dedit eis totum residuum terræ suæ & omnium bonorum suorum in Anglia & in Normannia, tali usus

ratione, ut aiebat. Pater suus divisit terram suam inter filios suos, Walterus vero pro parte quæ eum contingebat, tantum dedit fratribus de suo quam ipsi affidaverunt ei & reliquerunt partem suam quietam, ut posset inde facere voluntatem suam. Testibus his, magistro Ranulpho cancellario, Stephano cantore Bajocensi, Roberto capellano, Henrico *de Sonyng*, Hugone *Acharin*, Samsone *de Bilot* & Simone de Escuris, & pluribus aliis.

XXX.

1191. HENRICUS, Dei gratia Bajocensis episcopus, universis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, in Christo salutem. Noverit universitas vestra controversiam quæ fuerat inter abbatem & canonicos de Ardena, & Paulum *de Baron* & filios ejus, super tenemento quod fuit Aiulphi de Foro & omnium filiorum ejus, coram nobis hunc modum pacis esse sortitam. Paulus *de Baron* & omnes filii sui, abbati & canonicis præfatis totum tenementum quod fuerat Aiulphi de Foro & Walteri filii sui, & aliorum filiorum suorum, sive liberum, sive debitis aut vadimoniis obligatum, sive a quibuscumque possessum, liberum & quietum ab omni proclamatione sua, & jure & calumnia, & omnium filiorum suorum & heredum omnium penitus dimiserunt, & portionem ejus quæ eos de prædicto tenemento contingebat, pro amore Dei, & quandam portionem quam prædictus abbas de præfato tenemento eis dedit, in perpetuam eleemosynam concesserunt. Abbas vero jam prædictus quadraginta solidos Andegavenses apud Cadomum in annuo redditu de prædicto feodo, & unum vavassorem apud Cambas præscriptis Paulo & filiis suis pro reclamatione & jure suo, & omnibus querelis suis erga abbatiam præfatam dimittendis, & hac concordia facienda diligenter donavit. Paulus & filii sui hanc concordiam perpetuam pro parte sua & posse firmiter ab eis esse tenendam juraverunt; & abbas & canonici sæpe dicti fideliter hoc idem promiserunt. Nos autem concordiam istam grato assensu attendentes, ad instantiam & præsentationem prædictorum Pauli & filiorum suorum totum tenementum prædictum cum omnibus pertinentiis suis de Normannia abbatiæ prædictæ in perpetuam eleemosynam pro amore Dei donavimus, & præsenti charta nostra confirmavimus. Terra, quam Walterus prænominatus in Anglia suam esse debere asserebat, ab utraque parte, scilicet abbatiæ & Pauli prædictorum acquiretur & communiter dividetur. Actum est hoc apud Rothomagum anno ab Incarnatione Domini 1191, his testibus, Bernardo abbate de Valle, magistro Henrico cantore, Rogero *Bouet*, Gilberto priore de Ardena, Roberto de Binga, Vasfido Halerello, & pluribus aliis.

XXXI.

Ex charta [illegible]. *De parthenone sancti Laurentii* de Cordeillon.

Circa 1200. UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens charta pervenerit, Willelmus *de Soliers* salutem in eo qui est omnium salus æterna. Noverit universitas vestra me divini amoris intuitu pro salute mea & antecessorum meorum concessisse, & hac mea præsenti charta confirmasse ecclesiam sancti Laurentii *de Cordeillon*, & locum ad ipsam pertinentem cum platea inter boscum meum & dictum habitaculum adjacenti, videlicet ante portam dicti habitaculi, cum essarto etiam quod prope adjacet, Deo & sacris monialibus ibidem Deo deservientibus; videlicet possidendum & habendum eis in perpetuam & puram eleemosynam, & quietam ab omni redditu, & omni servitio & omni seculari exactione. Concessi etiam & donavi dictis monialibus pasturam suam, & clausuram suam, & causagium suum, & etiam herbergagium suum, capienda & habenda eis in perpetuum de bosco nostro, cum omni quittantia & omni libertate. Quam ob rem volo & præcipio quod dictæ moniales possideant & habeant dictam ecclesiam & locum prædictum cum omnibus pertinentiis suis honorifice & pacifice, & libere & quiete in perpetuam & puram eleemosynam, sine omni reclamatione mea & omnium heredum meorum. Ut autem prædicta mea concessio & donatio perpetua firmitate gratulentur eis, meæ chartæ præsentis attestatione & sigilli mei munimine confirmavi. Testibus hiis, magistro Ranulfo *Peurine*, Rogerio de Arrcio, Rad. capellano *de Lingievre*, Alano de S. Petro, Torgiso de Brueria, Rogerio *de Lingievre*, & pluribus aliis.

XXXII.

Valli-Richerii datur insula de Escrehou.

UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, Petrus *de Pratel* in Domino salutem. 1203. Noverit universitas vestra me divinæ pietatis intuitu concessisse & dedisse, & præsenti charta mea confirmasse Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Valle-Richerii, & monachis ibidem Deo servientibus, pro salute animæ Johannis illustris regis Angliæ, qui insulas mihi dedit, & pro salute animæ meæ, & patris & matris meæ, & omnium antecessorum meorum, insulam *de Escrehou* integre, ad ædificandam ibidem basilicam in honore Dei & beatæ Mariæ, ita ut divina ibidem celebrentur mysteria singulis diebus, habendam & possidendam libere & quiete, plenarie & honorifice, in liberam & puram & perpetuam eleemosynam, & quidquid in eadem insula poterunt augmentare & ædificare. Item concessi prædictis monachis quidquid ab hominibus meis *de Gersy*, & *de Gernesé*, & *de Aurene*, eis caritatis intuitu rationabiliter datum fuerit, salvo jure meo. Ut autem hæc mea donatio ratam futuris temporibus obtineat firmitatem, eam præsenti scripto & sigilli mei munimine confirmavi, his testibus, Engeranno *de Pratel* fratre meo, Roberto *de Freschen*, Hugone *Croc*, Gilleberto *de Ovill*, militibus, Villelmo capellano, Richardo clerico, Nicolao de Mara, Will. *Cornuele*, Villelmo clerico de camera, & pluribus aliis, anno Verbi Incarnati 1203.

XXXIII.

Charta Roberti episcopi pro parthenone sancti Laurentii de Cordeillon. Ex authentico.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus, Dei gratia Bajocensis episcopus, salutem in Domino perpetuam. 1210. Ex approbata descendit consuetudine ea quæ juste & pie ecclesiis seu ecclesiasticis personis conferuntur, ne oblivione invidentium seu etiam ambitiosorum malignitate depereant, literarum apicibus annotare, & auctoritate pontificali communire. Eapropter ad communem omnium notitiam volumus pervenire, quod nos paupertatem monialium sancti Laurentii *de Cordeillun* diligentius attendentes, ecclesias & eleemosynas eis pie collatas quæ in diœcesi nostra constitutæ sunt, eis præsenti scripto duximus inserendas. In primis de dono Willelmi de Solariis locum illum in quo ecclesia sancti Laurentii *de Cordeillun* sita est, & plateam quæ est inter boscum dicti Willelmi & ipsum habitaculum ejusdem monasterii, &c. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1210.

XXXIV.

Chartæ pro Bella-stella.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus, Dei gratia Bajocensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum heremitæ de Monte Ceresei essent in parochia sancti Johannis de Cereseio, cujus patronatus pertinet ad abbatem & conventum beatæ Mariæ de Lonleio, & dicti heremitæ essent in subjectione dictorum abbatis & conventus; ut locus heremitarum ad meliorem statum pervenire posset, ad preces nostras & aliorum bonorum virorum dicti abbas & conventus prædictum locum ab omni subjectione & jure quod in eo habuerant liberaverunt in perpetuum de consensu & voluntate nostra . . . . . . Concessum est in præsentia nostra quod in eodem loco non suscipietur ordo Cisterciensis . . . . Actum anno Verbi Incarnati 1213, mense Julii.

XXXV.

NOtum sit omnibus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Henricus de Bella-fago miles, dedi doque abbatiæ sanctæ Mariæ de Bella-stella in parochia S. Johannis de Cereseio sita, & canonicis regularibus Præmonstratensis ordinis ibidem Deo servientibus, in puram, liberam, quietam & perpetuam eleemosynam, assensu & petitione Ediciæ uxoris meæ, filiæ Ricardi *de Roumilly*, pro salute animarum nostrarum, & antecessorum & successorum nostrorum, locum in quo eadem abbatia fundata est, & nemus eidem abbatiæ adjacens, sicut divisæ inde factæ demonstrant a parte versus landam *Patrye* & sedem vivarii supra domum existentis, in loco ubi tres rivuli congregantur, & collem ab altera parte juxta abbatiam, & totum meum dominicum circa prædictam abbatiam, & campum terræ juxta haiam, & pusillum terræ juxta crucem Ivonis, & totum dominicum meum in Monte Ceresei quod non erat feodatum, & capellam sancti Jacobi de Monte Ceresei, & quicquid ad me pertinet in prædicta parochia, & jus advocationis & præsentationis ecclesiarum, scilicet sancti Petri de Menivillo, & S. Martini de Capella *Bajude*, & sancti Audoëni *de Brocotte*, & quicquid ad me pertinebat in illis perpetuo possidendum post decessum Ricardi fratris mei & filiorum meorum clericorum. Hæc omnia supra scripta dedi & concessi præfatis canonicis cum omni libertate & quittantia perpetuis temporibus possidenda. Quod ut firmum & stabile permaneat, præsentis chartæ & sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1216.

XXXVI.

UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus, Dei gratia Bajocensis episcopus, salutem in auctore salutis. Noverit universitas vestra Henricum de Bella-fago nobilem virum fundasse quamdam abbatiam Præmonstratensis ordinis de proprio suo, in loco qui dicitur Bella-stella, in parochia sancti Johannis de Cereseio; cui abbatiæ & canonicis regularibus Præmonstratensis ordinis ibidem Domino servientibus dedit per manum nostram in puram, liberam, quietam & perpetuam eleemosynam, pro salute animæ suæ & Ediciæ uxoris suæ, heredum suorum, & antecessorum & successorum suorum, locum in quo eadem abbatia sita est, & nemus eidem abbatiæ adjacens, sicut inde factæ literæ demonstrant, &c. Nos vero pium factum & saluberrimum prædicti nobilis viri Henrici approbantes, ad petitionem & instantiam ipsius, intuitu caritatis & sanctæ religionis, præfatam A abbatiam & ipsum locum in quo fundata est, cum omnibus pertinentiis suis, & cetera omnia quæ infra chartam istam annotantur, episcopali auctoritate, præsentis & chartæ & sigilli nostri munimine sæpe dictis canonicis cum quittantia & libertate perpetuis temporibus possidenda confirmavimus. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1216, videlicet IV kalendas Maii.

XXXVII.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, salutem in Domino. Ex officio nostro tenemur virorum religiosorum nostræ 1217.
B provinciæ indemnitatibus pia sollicitudine providere, & ut securius omnipotenti Deo valeant famulari, ea quæ ipsis pie & juste collata sunt, auctoritate nostra benignius confirmare. Eapropter dilectorum filiorum abbatis & conventus sanctæ Mariæ de Bella-stella Præmonstratensis ordinis justis precibus annuentes, locum in quo fundata est abbatia eorum, & capellam sancti Jacobi in Monte Cereseii sitam, cum omnibus ipsius pertinentiis, & omnia alia quæ Henricus de Bella-fago miles, ejusdem abbatiæ fundator, eis contulit intuitu caritatis; & insuper omnia alia quæ ab aliis Christi fidelibus, tam in ecclesiis quam in rebus aliis, antedictis canonicis misericorditer sunt concessa, sicut pie & juste eis collata sunt, & in chartis donatorum plenius continentur, & alia quæ in posterum ex collatione fidelium, seu aliis justis modis, auctore C Domino poterunt adipisci, sub nostra & ecclesiæ nostræ protectione suscipimus, & auctoritate nostra confirmamus, & præsentis scripti & sigilli nostri patrocinio communimus: statuentes & districtius inhibentes, ne quis super his quæ canonice fuerint assecuti, eos indebite vexare aut molestare præsumat; quod si facere præsumpserit, ecclesiastica censura se cognoverit percellendum districtius. Datum apud abbatiam de Lucerna, anno gratiæ 1217, pridie idus Augusti.

XXXVIII.

Chartæ pro Fontaneto.

NOtum sit omnibus Christi fidelibus ad quos 1213.
D præsens charta pervenerit, quod ego Radulphus Taxo filius Jordani Taxonis, ad petitionem Alexandri abbatis & monachorum de Fontaneto, concessi eis & confirmavi donationes quas fecit eis de feodis suis Radulphus Taxo primus filius Radulphi Andegavensis fundator ejusdem monasterii, sicut charta ipsius testatur, quæ incipit: *Quisquis Deo*, & est in fine crucibus signata secundum antiquam consuetudinem. Confirmationem etiam regis Willelmi quam fecit supra donationibus prædicti Rad. Taxonis primi, & supra donationibus Rad. Taxonis secundi, ratam habeo modis omnibus & acceptam, sicut in charta ipsius regis plenius continetur, quæ incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis*, & est in fine signo manus suæ, & testimonio baronum suorum roborata. Concessi E etiam eis & confirmavi quidquid postea de novo adquisierunt in tempore Radulphi Taxonis tertii, qui fuit avus meus, & in tempore Jordani Taxonis patris mei, & in meo, videlicet, &c. Et ut hæc concessio mea rata & stabilis perseveret in posterum, ego eam sigilli mei munimine roboravi, anno gratiæ 1213.

XXXIX.

UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus filius Erneisii, nepos 1217.
Radulphi Taxonis filii Jordani Taxonis, perpetuam in Domino salutem & pacem. Noveritis quod cum mota esset controversia & diu fuisset ventilata coram venerabili

venerabili patre nostro Roberto de Ablegiis Bajoc. episcopo, tanquam judice ordinario inter me ex parte una, & abbatem Alexandrum & monachos de Fontaneto ex parte altera, super decimis quorumdam nemorum quæ non sunt in chartis antecessorum meorum nominatim expressa, & super rebus aliis, tandem mediante Dei gratia quæ mentes hominum mutat quando vult & quomodo vult, tota contrarietas illa hunc finem sortita est: videlicet quod ego Robertus concedo prædictis monachis bona fide & confirmo quidquid continetur in charta quam habent de antecessore meo bonæ memoriæ Roberto filio Erneisi secundo, quæ crucibus est signata secundum antiquam consuetudinem, & habet hunc tenorem: Omnibus sanctæ matris ecclesiæ catholicis filiis de salute animæ suæ sollicitis. Expedit ad ablutionem peccatorum suorum & emendationem vitæ loca sancta venerari & eleemosynis operam dare, ut per temporalia bona quæ sibi subtrahunt, promereantur gaudia æterna quæ nunquam deficiunt: felici enim commercio ditatur, cui pro terrenis cœlestia, pro perituris sine fine mansura restituuntur. Hujus rei veritate cognita, ego Robertus filius Erneisi, filii Radulphi Andegavensis & Alpaidis, & filius Hacintæ sororis antiqui Fulconis *de Alnon*, & nepos Radulphi Taxonis, qui fuit frater patris mei Erneisi, & filius Radulphi Andegavensis & Alpaidis, concedo huic ecclesiæ Fontanetensi unum molendinum juxta ædificia ecclesiastica, quod Robertus pater meus ad victum unius monachi dedit huic ipsi ecclesiæ & monachis tunc temporis ibidem præsentibus & futuris, in die qua societatem illorum recepit. In ea quoque die statuit & confirmavit quod ubicumque moreretur, ad illam ecclesiam afferretur, & sepeliretur: perfecit autem eleemosynam pro salute animæ suæ & uxoris suæ Hacinsæ. Eodem vero patre meo in Anglia occiso, & sicut pepegerat jussu Willelmi regis & executione Radulphi filii Erneisi inde allato, atque in cimeterio istius ecclesiæ sepulto, & etiam prædicto Erneisio qui antea mortuus fuerat a cimeterio sancti Martini sublato, & in loco isto juxta patrem meum honorifice posito; consilio & nutu prædicti regis Willelmi & Mathildis reginæ, & etiam optimatum atque prudentum hominum patris mei, præscripta Hacinsa mater mea, & jam dictus Radulfus filius Erneisi dederunt huic ecclesiæ sancti Stephani protomartyris . . . . &c. . . . . Ego Robertus qui possessiones paternas hereditario jure possideo & Gersendis uxor mea filia Roberti Marmionis, omnia ista quæ prædicta sunt firmiter concedimus, irrevocabiliter confirmamus, adjicimus quoque benefacere huic ecclesiæ, atque damus . . . &c. . . Hoc eodem modo tribuimus ecclesiam sanctæ Mariæ *de Culay* & omnes decimas atque consuetudines illius & omnem terram Roberti sacerdotis filii Hugonis presbyteri, terramque ipsam facimus liberam & quietam ab omnibus servitiis, &c. Hoc vero facimus, deprecante & consulente Radulpho filio Erneisi patruo meo qui aviam meam matrem suam Hacinsam sororem Fulconis *de Alnon*, a cimeterio ecclesiæ *de Culay* in quo sepulta fuerat, sublatam ad abbatiam istam afferri, & juxta Erneisium avum meum fecit sepeliri. Adhuc etiam donamus huic ecclesiæ, &c. . . . Hanc chartam ego Robertus filius Erneisi, sextus a Roberto filio Erneisi primo, nepos Radulphi Taxonis filii Jordani Taxonis, ratam habeo modis omnibus & acceptam. Præterea concedo eis & confirmo capellam sancti Georgii *de Culay*, quam habent de donatione memorati Roberti filii Erneisi secundi. Concedo etiam eis capellam sancti Jacobi de Verreriis quam habent de donatione Roberti filii Erneisi tertii, qui occisus fuit apud Audreium. Concedo etiam & confirmo quatuordecim acras terræ, quas dedit eis avus meus Robertus filius Erneisi quartus, quæ sitæ sunt apud Fontanetum, &c. . . . . Concedo etiam eis & confirmo de donatione patris mei laudabilis memoriæ Roberti filii Erneisi quinti, in territorio de Barnevilla acram sancti Richerii, & in territorio de Fontaneto tres acras terræ datas pro anima matris suæ Rohasiæ de Corceio . . . . Item in Anglia de donatione ejusdem ecclesias de Wellis & *de Warham* cum terris & decimis; & decimam totius dominii mei de Hamnygebi . . . . . Ista omnia sicut bene & rationabiliter donata sunt, & omnes eleemosynas & possessiones monachorum de Fontaneto, quas habent de feodis meis ubicumque sint, in ecclesiis & decimis, in hominibus & terris, in aquis & molendinis, in bosco & in plano, & rebus aliis, ego Robertus filius Erneisi sextus, nepos Radulphi Taxonis filii Jordani Taxonis, concedo sæpe dictis monachis de Fontaneto bona fide & sine ulla cavillatione, & volo ut possideant & teneant bene & pacifice, honorifice & quiete. Et ut hæc concessio mea rata & stabilis perseveret in posterum, ego eam præsentis scripti testimonio & sigilli mei novi valitura in perpetuum appensione confirmo. Actum anno gratiæ 1217.

X L.

Ordinatio de præbendis S. Sepulcri Cadomensis.

OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Willelmus *Acarin* decanus sancti 1219.
Sepulcri de Cadomo, salutem in Domino. Noveritis venerabilem patrem nostrum Robertum Bajocensem episcopum chartam suam concessisse ecclesiæ sancti Sepulcri de Cadomo & ejusdem ecclesiæ canonicis, in hæc verba: Robertus, Dei gratia Bajocensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino. Universitati vestræ notum fieri volumus, quod cum quidam clerici ad honorem Dei & ecclesiastici cultus ampliationem possessiones & bona pio & gratuito affectu obtulerunt ecclesiæ sancti Sepulcri de Cadomo; nos eorum attendentes devotionem liberaliter concedimus ut easdem possessiones & bona sibi, quandiu vixerint, tenere liceat nomine præbendarum ecclesiæ supradictæ. Sustinemus ergo, ut facilitatem habeant, cum eos cedere vel decedere contigerit, personis aliis quibus voluerint easdem conferre præbendas. Ergo personæ eadem gaudeant libertate, ut post cessionem vel decessum eorum sibi substituere valeant alios in præbendis, hac indulgentia tertiam non excedente personam, ita quod prima persona quæ præbendam obtinuerit, in tertium numerum concludatur. Si vero eorum aliquem interim contigerit decedere nulla facta ab eo donatione de præbenda, ad legitimum & propinquiorem heredem illius qui præbendam instituerit, potestas redeat conferendi. Similiter si aliquis laïcus ibidem de bonis suis simpliciter & ex devotione præbendam instituerit, præscripta gaudeat libertate conferendi. Postmodum vero collatio omnium præbendarum & personatuum quæ ibidem fuerint institutæ, ad nos episcopum & ad decanum ejusdem ecclesiæ nulla obstante præscriptione temporis devolvetur, ita quod nos episcopus & successores nostri unam & ipse decanus aliam vicissim, cum eas vacare contigerit, conferemus; eodem modo in personatibus penitus observato & in futurum observando, si in eadem ecclesia personatus aliquis creari contigerit, qui superius in præbendis est expressus quantum ad numerum & electionem successorum. Solius ergo decanatus donatione per trinam donationem præscriptam penes nos remanente, volumus & concedimus ut dicta ecclesia sancti Sepulcri, quæ ad nostram pertinebat donationem, & quam Willelmo *Acarin* clerico contulimus & quem decanum constituimus, post decessum ejusdem Willelmi in communes usus decani & canonicorum in perpetuum convertatur. Postquam vero ad nos & ad decanum ejusdem loci donatio devenerit præbendarum & personatuum, quicunque præbendam habuerit, ad residentiam teneatur, alioquin fructus præbendæ absentis

in communes usus decani & canonicorum deducantur, salvo jure episcopi & decani. Sed sciendum quod decani ad nos episcopum solummodo & successores nostros, canonicorum vero loci ad suum decanum, si per eundem decanum emendari potuerint, excessuum correptio pertinebit; quod si gravibus excessibus deliquerint, ad solum episcopum correptio pertinebit. Neque sæpe dicti decanus & canonici sancti Sepulcri aliquod privilegium seu indulgentiam erga ecclesiam Bajocensem in posterum poterunt impetrare; & si impetraverint, nullam obtinebit firmitatem. Hoc autem concedimus salvo omni jure & libertate ecclesiarum nostrarum, & capituli & prebendarum Bajocensium, contra quod si fieri contigerit, ad nos solum episcopum correptio pertinebit. Nos ergo ea quæ in charta prædicta continentur rata & grata habentes, fideliter promittimus nos eadem in perpetuum servaturos, nec aliquo tempore aliquid contra prædicta facturos. Ad cujus rei testimonium & securitatem pleniorem præsenti scripto sigilli nostri munimen duximus apponendum. Actum anno gratiæ 1219.

XLI.

Robertus episcopus benefacit abbatiæ de Longis.

ROBERTUS, Dei gratia Bajocensis episcopus, &c. . . . Nos attendentes paupertatem abbatiæ beatæ Mariæ de Longis & monachorum ibidem servientium Domino, eisdem de assensu & voluntate capituli nostri, concessimus & dedimus divinæ pietatis intuitu, duas garbas totius decimæ bladi ecclesiæ beati Petri de Fontinellis in qua jus obtinent patronatus, in proprios usus de cetero convertendas, tertia garba altalagio deputata . . . anno gratiæ 1222, mense Decembri.

XLII.

Monachis Troarnensibus adjudicatur in ecclesia Constantiensi præbenda.

RADULPHUS episcopus Albanensis, apostolicæ sedis legatus, discretis viris capitulo Constantiensi salutem & sempiternam in Domino caritatem. Cum religiosi viri prior & conventus prioratus de Brenthonia, Bathoniensis diœcesis, ordinis sancti Augustini, omnia quæ habebant in civitate ac diœcesi Constantiensi, cum quibusdam possessionibus quas religiosi viri abbas & conventus monasterii Troarnensis, ordinis sancti Benedicti, Bajocensis diœcesis, in præbenda Bathoniensis diœcesis habebant, in perpetuum commutassent, ad hoc venerabilis in Christo patris J. Dei gratia episcopi accedente consensu, & vos eis super canonica & præbenda quas dicti prior & conventus in vestra optinebant ecclesia opponentes, ipsos non permitteretis eas pacifice possidere; tandem nobis super hoc interponentibus pro concordia partes nostras, tam vos quam dicti abbas & conventus de ipsius episcopi beneplacito, super hoc ordinationi nostræ vos concorditer submisistis. Nos igitur, tam Constantiensis ecclesiæ quam ipsius monasterii utilitate pensata, ordinavimus & statuimus quod abbas & conventus prædicti easdem canonicam & præbendam cum juribus omnibus quæ prior & conventus habuerunt hactenus, & quidam alii religiosi habent ad præsens in Constantiensi ecclesia supradicta, ibidem perpetuis temporibus habeant sicut prædicti prior & conventus habuisse noscuntur; easdem etiam contulimus & concessimus ab eis perpetuis temporibus possidendas. Nolumus tamen quod dicti abbas & successores ejus electionibus episcoporum Constantiensium intersint, sicut nec prior interfuisse dicitur supradictus, &c. Actum & datum Constant. in palatio episcopi supradicti, VIII idus Augusti, apostolica sede vacante.

XLIII.

Venditio facta monialibus de Cordeillon. *Ex authentico.*

1273. PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex. Notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos religiosis mulieribus abbatissæ & conventui *de Cordeillon* ordinis sancti Benedicti, & earum monasterio ad firmam perpetuam tradidimus & concessimus pro quatuordecim libris, quinque solidis, septem denariis & obolo Turon. redditus nobis annuatim persolvendis, medietate videlicet ad festum sancti Michaëlis, & alia medietate ad Pascha, 48 acras, tres virgatas & dimidiam terræ vacuæ, in qua fuit olim boscus, sitæ apud Linguebram, & 8 acras, & unam virgatam bosci qui vocatur *le Caisnel*, siti juxta boscum dictarum religiosarum, salvo tamen jure in omnibus alieno, &c. Actum Parisiis anno Domini 1273, mense Julio.

XLIV.

Fundatio beatæ Mariæ de Torigneio. *Ex Sammarthanis, & Neustria pia.*

1307. UNiversis præsentes literas inspecturis, frater Henricus abbas Cisterciensis salutem. Noveritis nos vidisse literas venerabilis & discreti viri magistri Roberti Fabri archidiaconi Abrincensis regisque Francorum clerici, sigillo ejusdem archidiaconi sigillatas sub hac forma: Universis præsentes literas inspecturis, Robertus Faber archidiaconus Abrincensis regisque Francorum clericus, salutem. Notum facio quod ego dictus Robertus cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare, & bona aliqua procurare, quæ forent Deo propitio in domo Dei uberes fructus allatura, ad honorem Dei & B. Mariæ matris ejus, cultus divini augmentum, in manerio meo de Thorigneio, sito infra metas parochialis ecclesiæ beatæ Mariæ de Thorigneio, quod Fabris nuncupatur, affectans quamdam abbatiam construi & fundari cum ecclesia, & nocturnis officiis, ubi unus abbas & decens conventus ordinis Cisterciensis perpetuis temporibus Domino famulentur, pro excellentissimorum principum dominorum meorum Philippi Francorum, Ludovici primogeniti sui, Navarræ Dei gratia regum illustrium, claræ memoriæ Joannæ quondam consortis domini Philippi mei, & progenitorum meorum animarum salute, do & concedo abbati & conventui beatæ Mariæ de Alneto ejusdem ordinis, Bajocensis diœcesis, manerium prædictum, una cum acclauso ejusdem, & bonis aliis quæ sequuntur; videlicet cum jure patronatus parochialis ecclesiæ B. Mariæ de Thorigneio prædicto, & quinquaginta libras Turon. reddituales quas percipiebam singulis annis super decimam duarum gerbarum parochialis ecclesiæ de Escremavilla: quod quidem jus patronatus & quinquaginta libras reddituales prædictas ex donatione prædicti regis Francorum procuraveram prædicto manerio applicari ad opera caritatis. Do insuper & concedo prædictis religiosis de Alneto, quamdam portionem decimæ gerbarum quam acquisivi in parochia sancti Martini de Linguebra, & totum feodum quod emi a Johanne de Essartis, necnon & quidquid habebam in parochiis sanctæ Mariæ de Torigneio prædictæ & sancti Amandi de Torigneio, tam in redditibus & pratis quam rebus universis: præmissa omnia dedi & dimisi dictis religiosis cum omnibus juribus & redditibus, beneficiis mihi competentibus & competituris in eisdem quacumque causa & actione, nihil juris retinens penitus in eisdem, ita quod nec ego, nec heredes mei in præmissis, vel aliquo præmissorum nihil de cetero poterimus reclamare pro fundatione, constructione & sustentatione dictæ abbatiæ & conventus ibi collocandorum per dictos abbatem & conventum beatæ Mariæ de Alneto, in qua abbatia pauperes & debiles transeuntes

recipientur misericorditer suscepturi secundum dictæ abbatiæ facultates. In quorum omnium & singulorum testimonium præsenti chartæ sigillum meum apponere dignum duxi. Actum & datum anno Domini 1307, die Decembris 15. Nos igitur devotionem dicti archidiaconi in Domino commendantes, prædictam donationem quoad nos & nostrum ordinem spectat, volumus & tenore præsentium confirmamus, dum tamen fuerit de diœcesani assensu episcopi & etiam voluntate. Actum & datum sub sigillo nostro anno & die quibus supra.

XLV.

Ex regestis capituli.

Ingressus Renati de Prie *episcopi in ecclesiam Bajocensem.*

1499. IN nomine Domini, amen. Cum alias, videlicet ultima mensis Octobris anni Domini millesimi quadringentesimi nonagesimi octavi, reverendus in Christo pater & dominus dominus Renatus *de Prye*, Dei gratia episcopus Bajocensis, visis prius & perlectis in capitulo insignis ecclesiæ cathedralis Bajocensis quibusdam literis a venerabili & scientifico viro magistro Joanne *Massfelin* utriusque juris doctore, decano & canonico Rothomagensi, reverendissimi in Christo patris & domini domini Georgii de Ambasia, miseratione divina tituli S. Sixti sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis, Rothomag. archiepiscopi in spiritualibus & temporalibus vicario generali emanatis, quibus cavebatur eumdem dominum vicarium vice & auctoritate metropolitana prædicti reverendissimi domini laudasse, approbasse & confirmasse electionem per circumspectos egregiosque viros decanum & capitulum præfatæ Bajocensis ecclesiæ, aut ejusdem capituli majorem & saniorem partem, de persona ipsius reverendi patris domini Renati *de Prye* præfati per viam scrutinii, ad ecclesiam & episcopatum Bajocensem, tum & nuper vacantem per decessum bonæ memoriæ reverendissimi quondam in Christo patris domini Caroli de Novo-castro, dum viveret, archiepiscopi Bisuntini dictæque ecclesiæ Bajocensis episcopi, seu administratoris perpetui novissimi, celebratam, possessionem ecclesiæ & episcopatus hujusmodi in persona sui procuratoris, reverendi scilicet in Christo patris & domini domini Caroli de Martigniaco eadem gratia episcopi Castrensis, nactus sive adeptus fuisset, prout hæc & alia latius in literis sive actis desuper confectis contineri dicuntur; volens nihilominus & affectans idem dominus episcopus Bajocensis modernus, suorum prædecessorum episcoporum inhærendo vestigiis ad eandem suam ecclesiam Bajocensem in propria se transferre, missamque in pontificalibus ibidem celebrare, attenta maxime facultate sibi per sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum D. Alexandrum, divina providentia papam sextum, modernum concessa, ut valeret auctoritate apostolica omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui prædictæ missæ celebrationi seu benedictioni quam post hujusmodi missæ solemnia in præfata ecclesia, vel juxta eam eisdem Christi fidelibus impenderet, interessent, omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti & ore confessi forent plenariam remissionem & indulgentiam impertiri, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac suspensionibus & revocationibus similium facultatum in favorem anni jubilæi instantis per ipsum dominum nostrum papam iteratis vicibus factis, & aliis in prædictis literis apostolicis mentionatis contrariis quibuscumque, quæ ipse dominus papa per suas literas hujusmodi pro illa vice duntaxat, voluit non obstare, destinasset diem Mercurii festivam Annuntiationis B. Mariæ, vicesimam quintam hujus mensis Martii, anni inferius proxime annotati, ad præmissa peragenda præfigendo; postmodumque ad monasterium sive prioratum conventualem sancti Vigoris Magni prope Bajocas, ex die Martis præcedente se contulisset, ibidemque receptus, ut moris est, pernoctasset. Per hoc igitur publicum instrumentum cunctis pateat evidenter & fiat manifestum, quod adveniente ipsa die Mercurii vigesima quinta prædicti mensis Martii, sub anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, more Gallicano computando, indictione tertia, pontificatus ejusdem sanctissimi in Christo patris & domini nostri D. Alexandri papæ sexti præfati anno octavo, de mane illius diei hora fere septima missa de jejunio in præfata ecclesia Bajocensi prius celebrata, chorus sæpe dictæ Bajocensis ecclesiæ, cum clero & populo civitatis in numero competenti, cruce & aqua benedicta præcedentibus, ecclesiam dicti cœnobii seu monasterii nullo cantu facto, processionaliter adiit, ante cujus quidem cœnobii majus altare fuit idem dominus episcopus Bajocensis modernus capa serica super ejus pallium, per venerabilem circumspectumque virum magistrum Guillelmum *de Silly* prætactæ ecclesiæ Bajocensis cantorem, qui præsidens & major in dignitate pro tunc dicti capituli habebatur, indutus, & suis mitra, alba simplici, cirothecis in ambabus, & annulo in dextra manibus cum cambuca sive baculo pastorali insignitus, propositione seu collatione coram eo, ut moris est facta, & exinde ad cathedram lapideam decenter præparatam non longe a prædicto altari consistentem, astantibus circumquaque dicti capituli primoribus, aliisque viris ecclesiasticis, cum procerum nobiliumque virorum ac populi turba non modica adductus, ubi aliquantulum resedit. Quibus itaque peractis, chorus & clerus hujusmodi civitatem jam dictam ordine processionis repetens, memorato domino episcopo sic adornato, quem reverendissimi etiam in Christo patres & domini domini Stephanus Lexoviensis & Guillelmus Porphiriensis pontifices, suis insigniis redimiti concomitabantur, locum majorem processionis hujusmodi obtinente, & pedestre, sparsis per viam straminibus, ut moris est, incedente, cum campanarum totius civitatis solemni pulsatione, civitatem ipsam per portam sancti prælibatum dominum episcopum ante ecclesiam S. Salvatoris, dudum sancti Stephani constituerunt, quam more suorum prædecessorum corpore ingressus, choro ejusdem Bajocensis ecclesiæ ad eamdem remeante, in orationem se convertit, qua completa, ejusque sicut ei placuit manibus ac pedibus ablutis, cum ipse denuo cappa serica, stola super humeros cum alba præpositis vestitus, mitraque, annulo & baculo pastorali preciosis quidem & magnificis, etiam aliis insigniis episcopalibus redimitus, de hujusmodi ecclesia progrediens, præfatis dominis Lexoviensi & Porphiriensi pontificibus etiam adornatis, nonnullis etiam prælatis in simplicibus suis habitibus, cum magnatibus, baronibus & militibus, ut puta Joanne *Blosset*, Ægidio *de Carbonnel*, Ludovico *Lebrun*, Joanne *de Tervici*, Jacobo *Dansernet*, Arturo *de Vieville*, Roberto *de Manneville*, Guillelmo *Mannourry*, & aliis pluribus nobilibus viris illum concomitantibus, ad valvas anteriores sæpe dictæ Bajocensis ecclesiæ versus partem occiduam, processione jam in navi ejusdem ecclesiæ præparata, & luminaribus, ut solitum est, accensis, pervenisset, consuetum & debitum ecclesiæ juramentum præstiturus, ingens plebis aditum ecclesiæ quærentis turba repente invaluit, ut nullum præter ejusdem ecclesiæ chorum intrandi locum præstaret libertas, ubi & ipse dominus cantor assumptis secum duobus aut tribus ex primoribus dicti capituli, aliis de choro astantibus, juramentum ab eodem domino episcopo Bajocensi, libro sanctorum evangeliorum ante eum proposito & ostenso exegit, quod quidem juramentum solemniter ac liberaliter fecit ac præstitit idem D. episcopus, ut sequitur; videlicet quod jura &

libertates prædictæ Bajocensis ecclesiæ pro posse suo A servabit & defendet, cum consilio & auxilio sui capituli. Quo juramento sic præstito, eodemque domino episcopo per alios dominos antistites prænominatos in pontificalibus agentes incensato, illum ante sacrum venerandumque ejusdem ecclesiæ altare præcipuum, capsis, reliquiis, aliisque rebus pretiosis ornatissime præparatum, choro responsorium *Stirps Jesse*, per præfatum dominum cantorem incœptum concinente duxerunt, qui cum orationi aliquandiu genibus flexis juxta oratorium sive scabellum decenter ordinatum intendisset, surgens dictum altare debita cum reverentia osculatus est, aureo uno videlicet scuto ad signum solis statim per eum super illud oblato. Et exinde accedentes ad magnam cathedram episcopalem etiam præparatam & ornatam eundem dominum epi- B scopum sic insignitum installarunt & inthronizarunt, qui aliquandiu inibi residens possessionem episcopatus hujusmodi, non tamen discedendo a possessione perantea in persona sui procuratoris prænominati sibi assignata, immo illam continuando & fortificando, in nostrûm notariorum publicorum subscriptorum ac testium infrascriptorum præsentia apprehendit. Et post pusillum habita prius consideratione super modo procedendi in tam celebri actu sive negotio, juxta quorumdam articulorum in scriptis redactorum formam, illorum finem insequendo & tenorem, ad obviandum damnis, periculis & incommodis, quæ ecclesiæ hujusmodi tantam populi multitudinem suscipere non valenti, eidemque populo ex pressura gentium evenire non immerito formidabantur, ductus C in novam ejusdem ecclesiæ turrim spatiosam, dimissis prius ornamentis pontificalibus ut facilius ascendere posset, cum ad locum decenter ornatum & honorifice ad missam celebrandam præparatum pervenisset, idem dominus episcopus reassumptis insigniis episcopalibus hujusmodi, præparatis etiam diaconis, subdiaconis, presbyteris, & aliis officiariis sive ministris altaris, dicto domino cantore suis insigniis & baculo etiam redimito, choro ejusdem ecclesiæ aut illius maxima parte ibidem præsente, missam inibi de solemnitate diei hujusmodi, facta prius processione, dictisque dominis Lexoviensi & Porphiriensi episcopis suis insigniis adornatis, aliis etiam compluribus spectabilibus viris assistentibus, solemniter celebravit; subsequenter vero post hujusmodi missæ celebrationem, deposita casula, pulsationeque solemni facta, D indutus cappa serica, mitra, baculo & aliis insigniis episcopalibus ornatus, unam, primam videlicet versus orientem, alteram vero erga occidentem, paratas prædictæ turris cathedras favente divina clementia ascendens, benedictionem deque super populo, tam ab intra quam extra civitatem hujusmodi interessenti, cujus numerum ducentena hominum millia superasse communis opinio & publica vox constanter asseverat, benigniter impendit, quam populus ille, immensas Deo laudes & gratias super tanti muneris specialis largitione exsolvens, cum lætitia mentis & exaltatione cordis humiliter ac devote recepit. His itaque gestis & pulsatione pro vesperis facta, idem dominus episcopus cum clero ante dictæ ecclesiæ ad chorum ejusdem ecclesiæ reversus, officium vespertinum, E ibidem pulsantibus organis, solemniter peregit, & tandem processione chori ad navim ejusdem ecclesiæ perventa, illam cum benedictionis episcopalis solitæ infusione tanquam ecclesiæ jam dictæ præsul & pastor non minus potenter quam reverenter explevit. Postremo autem depositis insigniis episcopalibus, in majori vestibulo dictæ ecclesiæ domum sive manerium episcopalem Bajocensem adiit, cujus possessionem adeptus, aulamque S. Regnoberti communiter nuncupatam ingressus, convivium prælatis & nonnullis ex magnatibus ante dictis, necnon singulis de choro ejusdem ecclesiæ qui interesse voluerunt ibidem, & quibusdam aliis diversorum statuum personis, juxta laudabilem consuetudinem convocatis, in hujusmodi manerio tenuit & celebravit memoratus dominus episcopus, nemine in præmissis aut circa ea se opponente vel contradicente. De & super quibus præmissis omnibus & singulis supradictis, reverendus prædictus & dominus episcopus Bajocensis modernus, petiit a nobis notariis publicis subscriptis instrumentum sive instrumenta publicum aut publica, unum vel plura, sibi fieri atque tradi. Acta quidem fuerunt hæc sub anno, indictione, mense, die, pontificatu & locis prædesignatis, respective præsentibus venerabilibus & discretis viris dominis ac magistris Joanne *Champion* de Tessello, & Samsone *Pain* de Longis parochialium ecclesiarum rectoribus sive curatis, respective Joanne Divitis, Joanne *Legier*, Juliano *Collet* presbyteris, necnon nobilibus etiam viris Hugone *Burcem* & Joanne *Regnauld* scutigeris Bajocensis diœcesis, cum pluribus aliis testibus respective ad præmissa vocatis & rogatis. Et ego Joannes *du Rosel* presbyter Bajocensis diœcesis, in decretis baccalaureus, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus venustique capituli insignis ecclesiæ Bajocensis constitutus notarius, quia hujusmodi receptioni, juramenti præstationi, inthronizationi, necnon missæ & benedictionis celebrationi, ceterisque præmissis, dum ut superius scripta sunt, dicerentur, agerentur & fierent, una cum magistro Joanne *Hué* notario publico subscripto, ac testibus prænominatis præsens interfui, & de his omnibus notam sumpsi, ideo huic publico instrumento manu propria scripto signum meum publicum apposui consuetum in fidem & verum testimonium præmissorum requisitus & rogatus, approbans quinque verba in decima pagina, ipsa item, anno VIII. Sic signatum, J. *du Rosel*. Et ego Johannes *Hué* presbyter Bajocensis diœcesis, in legibus baccalaureus, publicus auctoritate apostolica curiæque episcopalis Bajocensis juratus notarius, cum prædictæ receptioni, juramenti præstationi, inthronizationi, præterea missæ celebrationi & benedictionis dationi, ceterisque præmissis, dum quæ ante dicta superscribuntur, agerentur, die Mercurii videlicet præscripta dicerentur & fierent, una cum venerabili notario & testibus præscriptis interfui, eaque sic fieri vidi, scivi, novi & audivi, idcirco huic publico instrumento manu præscripti notarii fideliter scripto signum meum solitum & consuetum apposui, & hujusmodi instrumento subscripsi, & publicam in fidem, robur & testimonium præmissorum & firmitatem eorumdem requisitus atque rogatus. Sic signatum, Jo. *Hué*. Et collationi instrumenti registro capituli insertæ, signatum *du Rosel*.

Collatum registro originali in thesauro chartarum dicti capituli asservato & reposito, per me subscriptum presbyterum dicti capituli secretarium, hac die 26 Novembris 1747. Signé Boursier Secrétaire, & scellé du sceau du chapitre.

XLVI.

Regi indulget summus pontifex, ut decedenti Augustino cardinali episcopo alium subroget. *Ex Sammarthanis.*

CLEMENS papa VII, carissimo in Christo filio 1531. nostro Francisco Francorum regi christianissimo, salutem & apostolicam benedictionem. Cum nuper ecclesia Bajocensi per obitum bonæ memoriæ Petri episcopi Bajocensis extra Romanam curiam defuncti, pastoris solatio destituta, tu vigore concordatorum inter majestatem tuam & sedem apostolicam initorum, dilectum filium nostrum Augustinum sancti Hadriani diaconum cardinalem ad ecclesiam ipsam, ut præfertur, vacantem, per tuas literas nominaveris, nosque ad nominationem hujusmodi eumdem Augustinum cardinalem, quoad viveret, administratorem dictæ ecclesiæ, ut præfertur, vacantis, in spiritualibus & temporalibus de venerabilium fratrum nostrorum

consilio, apostolica auctoritate per alias nostras literas constituerimus & deputaverimus, curam & administrationem ipsius ecclesiæ, sibi in eisdem spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in eisdem literis plenius continetur: nos ne si forsan ipsum Augustinum cardinalem extra regnum Franciæ & loca tuo temporali dominio subjecta, & apud sedem eandem decedere contingat, quominus ad ipsam ecclesiam aliam personam tibi gratam libere nominare possis, impediri valeas, opportune providere volentes, motu proprio & ex certa scientia, majestati tuæ ut ad ecclesiam ipsam, cum administratione ipsa per decessum ipsius Augustini cardinalis extra regnum, & loca tua prædicta, & apud sedem hujusmodi cessante vacare contigerit, aliam personam idoneam nobis, aut Romano pontifici pro tempore existenti, & dictæ sedi alium juxta concordata prædicta nominare libere & licite valeas, perinde ac si idem Augustinus in regno aut dominiis prædictis decessisset, auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, plenamque & liberam facultatem concedimus, provisiones & quasvis dispositiones de dicta ecclesia, ut præfertur, vacante, absque nominatione tua quomodolibet factas, nullas & invalidas existere, nulliusque roboris vel momenti esse decernentes, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon concordatis prædictis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 13 Octobr. 1531, pontificatus nostri anno VIII.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ ABRINCENSIS.

I.

Ex chartulario.

Præceptum Lotharii regis pro monachis Montis sancti Michaëlis.

965. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Lotharius, gratia Dei, rex. Si ea quæ prædecessores nostri divina dignatione illuminati & piis ammonitionibus servorum Dei instigati, pro utilitatibus ecclesiarum & servorum Dei necessitatibus supplendis statuere decreverunt, nostris confirmamus edictis, regiam exercemus consuetudinem; & hoc nobis ad præsentem vitam felicius peragendam, & ad futuram exposcendam profuturum procul dubio confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet atque futuris, quemdam esse locum sancti Michaëlis dictum, situm in maris pelago, quem modernis diebus amore ductus Regis æterni Richardus Nortmannorum marchisus, cum auctoritate domni Johannis sanctæ Romanæ sedis papæ, restauravit in melius, inibi aggregantes monachorum cœtum divinarum legum sanctionibus jugiter inhærentium, pro cujus perpetuo roboramine atque stabilitate, domni præfati papæ, necnon & memorati marchisi, atque Hugonis sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archiepiscopi, ad cujus diœcesim pertinet jam dictus locus, nostras devenit ad aures petitio, idipsum nostro perpetuo manendum roborare fulcimine; quorum rato nostra excellentia hilaris reddita, ac eorum voluntati aurem accommodantes, veluti postulaverunt fieri adjudicavimus. Unde regali auctoritate & indulgentia per hoc præceptum nostræ confirmationis, stabili jure eumdem in eodem quo nunc pollet ordine, videlicet monachili permanere concedimus omni tempore ævi; præcipientes regia potestate, ut nemo successorum nostrorum regum, neque quislibet ejusdem regni marchisus, neque qui in sancta Rotomagensi ecclesia præsul per subvenientia tempora successerit, quod nostro roboratum inviolabili decreto infringere audeat; quatinus inibi Domino servientes ac divini servitii cultores libere Deo serviant, & pro nobis ac totius regni nobis a Deo collati conservatione exorare queant. Et hoc præceptum, quod ob amorem omnipotentis Dei & remedium animæ nostræ roboravimus, ut firmiorem obtineat vigorem, manus nostræ conscriptione subterfirmavimus, & de annulo nostro sigillari jussimus. Signum domni gloriosissimi Lotharii regis. Gezo cancellarius ad vicem domni Odalrici recognovit & scripsit. Datum VII idus Februarii, regnante domno Lothario anno XII, indictione VIIII. Actum Lauduni feliciter.

II.

Johannes XIII papa probat institutos monachos apud sanctum Michaëlem de Monte-Tumba. Ex Neustria pia, pag. 383.

NOverit cunctorum notitia fidelium, quod ego Johannes, Conditoris clementia, sanctæ sedis Romanæ indignus papa, gloriosi Francorum regis Lotharii, necnon & sanctæ Rotomagensis ecclesiæ archipræsulis Hugonis, Richardique Normannorum marchisi submisso pulsatus rogatu pro Monte sancti Michaëlis, videlicet in maris pelago sito, quem ipsi acti amore superni regis in melius reformaverant, monachorum ibi aggregantes normam, præceptoque regali firmaverant, quod & ipse facere non differrem, humiliter rogaverunt. Quorum assentiens benigne petitioni, adstruo & corroboro: quo fine tenus, in eo quo nunc posset permaneat monachali ordine, ipsique monachi de suis sibi eligant pastorem. Si quis autem fuerit molitus contraire, &c.

III.

Monasterium S. Victurii in suburbio Cenomannicæ urbis, datur monachis S. Michaëlis de Monte.

IN nomine Domini, ego Reginaldus miles, cum matre mea nomine Hersinde, notum esse volumus Circa 1039.
omnibus sanctæ Dei matris ecclesiæ fidelibus, quoniam pater meus Drogo, cum viveret, monasterio S. Michaëlis Archangeli destinavit dare S. Victurii monasterium, quod est situm in suburbio Cenomannicæ urbis, ad supplementum victus servorum Dei ibi degentium; quod quia præveniente morte complere non potuit, ego Reginaldus meaque mater prænominata, pro remedio animæ ejus & nostrarum animarum salute, sicut ipse pater meus disposuit, præsente venerabili abbate ipsius loci Suppone, sancto Michaëli Archangelo prædictum sancti Victurii monasterium & res hic subtus notatas concedimus, videlicet burgum, quem in dominio nostro ab omni consuetudine liberum & quietum tenemus, omni quidem hebdomada, & quidquid habemus cis Sartam flumen, sive in terris, censivis, sive in illis quæ in feodo tenentur, nichil nobis retinentes, cum vicaria & cum aliis omnibus consuetudinibus præfatis terris pertinentibus, & furnum nostrum proprium, quem tali jure possidemus, ut nemo super illum in parochia illius loci alterum possit facere præter unum, qui ex eodem fedo est; huic autem furno nostro pertinet tota coctio istius totius fedi nostri, & decimas panis & vini, & omnium rerum quæ pertinent ad

ipsum locum, & octo arpennos vinearum in Monte Balgeio, & censum quem de jure sancti Gervasii in beneficio tenemus, & ad mansum novum terram ad duas carrucas, & pratos qui sunt ad rivum Aldoniæ, & in Sarta fluvio exclusam de Marciaco, & totam terram de villa quæ dicitur Frauxinus, sicut Sarta eam claudit usque ad rivulum, qui Ruillius ab incolis appellatur, & abhinc usque ad viam quæ Lugdunum vocatur. Concedimus quoque terram & vineas quas Durandus clericus noster in Monte-Rotundo tenet de nobis, ex ejus consensu. Hæc omnia præfata ecclesiæ sancti Archangeli Michaëlis de periculo maris sic in eleemosynam damus, ut habeant & absque calumnia in perpetuo possideant, & ut in prædicto monasterio sancti Victurii monachi habitent & maneant, qui mente devota Deo omnium creatori pervigiles deserviant. Ut autem hæc donationis nostræ charta in perpetuum firma & stabilis permaneat, manibus nostris eam subterfirmavimus, & fidelibus nostris firmandam tradidimus. Signum Reginaldi qui hanc donationem fecit ✠. Signum Hersendis matris ejus ✠. Signum Grodulfi, qui est testis ✠. Signum Gosberti ✠. Signum Goscelini ✠. Signum Goffredi ✠. Signum Arnaldi ✠. Signum Durandi clerici ✠. Actum monasterio S. Mich. Archangeli publice, regnante Henrico rege Francorum anno XIII, Avisgaudo pontifice ecclesiæ B. Juliani Cenoman. præsidente, qui hoc eleemosynæ donum salutiferæ crucis munimine subsignavit. Signum Avesgaudi episcopi ✠. Signum Huberti clerici ✠. Signum Raginaldi capellani ✠. Signum Hugonis Grecci ✠.

I V.

De ecclesia de Vezins *data monachis S. Petri de Cultura.*

COmmendare volumus memoriæ posterorum, quod Wauterius & Radulphus Dastinus deprecatione domni abbatis Joheli fratris eorum, Deo & sancto Petro Culturæ dederunt ecclesiam *de Vezins* & omnia ad eam pertinentia, scilicet decimam, sepulturam, & sex acras terræ & offerendas altaris, & quod presbyter de eis, hoc est de abbate & monachis teneat suam partem ecclesiæ sicut a supradictis duobus fratribus Wauterio & Radulpho Dastino. Dederunt etiam decimam totius suæ pecuniæ quæ decimatur, ovium, vaccarum, equarum, tam illarum equarum quas apud *Vezins* habent, quam ceterarum ubicumque habent in Normannia, vel in alia terra. Facta est autem hæc donatio apud Traceium sub idoneis testibus, Willelmo de Traceio, Gilleberto nepote ejus, Burchardo præposito, Rainaldo infante filio Rannulphi Avenelli, Hugone filio Herberti de Bosceio, Hugone *de Tanur*, Herberto de Mileio, Hagano de Villerecio, Erenesio: de famulis abbatis Willelmo Triscanno, Willelmo de Belismo: affuit etiam Ansfridus armiger Dastini, Ranulphus armiger Gauterii. Post tertium vero diem quo hæc facta sunt, annuit Willelmus *de Biarz* in capella castri, oscam unam terram quæ est juxta viridarium ad faciendam vineam sub his testibus, Normanno filio Garnerii, Josbelino, Hugone capellano. Annuit etiam idem Willelmus eodem die, & eodem in loco donum *de Vezins*, astantibus tribus præfatis testibus, & aliis multis. Hanc etiam donationem a supradictis militibus factam Michaël episcopus Abrincensis, de assensu Gilleberti archidiaconi sui Abrincis in ecclesia beati Andreæ anno ab Incarnatione Domini 1082 approbavit, & auctoritate sua confirmavit. Cum autem longo tempore postea heredes supradictorum militum adversus continuam & diuturnam monachorum de Cultura possessionem super ecclesia *de Vezins* reclamassent, scilicet Willelmus *d'Astin*, & Jacobus & Gervasius fratres ejus, & Willelmus de Flascheio, qui nomine uxoris suæ *Haoys* jus in ecclesia præscripta clamabat, & multas monachis & Roberto capellano eorum molestias & injurias irrogassent; tandem in præsentia Richardi episcopi Abrincensis amicabilis inter eos compositio intercessit in hunc modum. Willelmus *d'Astin* & fratres ejus prædicti, jus quod in ecclesia & in ejus pertinentiis clamabant, ex integro dimiserunt, & in manu episcopi Abrincensis & monachorum de Cultura pro se & heredibus suis in perpetuum refutaverunt, fide corporaliter præstita, quod nihil penitus in ecclesia, vel ejus pertinentiis de cetero clamarent; hoc etiam fecerunt Willelmus de Flascheio & uxor ejus *Haoys*, & acceptis pro hujusmodi pace ab abbate & monachis sexaginta solidis Cenomannensis monetæ, in manu episcopi, fide corporaliter interveniente, se pacem hanc perpetuo servaturos firmaverunt. Ceterum Jacobo *d'Astin* fratri, & Willelmo *d'Astin*, abbas & monachi de Cultura concesserunt prædicti monachi in eleemosynam quinque solidos Cenomannensis monetæ, reddendos eis annuatim per manum prioris *de Biarz*, quousque in aliquo beneficio ecclesiastico ei providerent. Actum anno Dominicæ Incarnationis 1174 publice, Abrincensi episcopo præsente, & compositionem supradictam auctoritate sua confirmante. Testibus Gisberto archidiacono & Rogero cantore, Willelmo thesaurario, & magistro Erneiso, & Willelmo Testardo, & magistro Ricardo, & Hugone Troisno, & Willelmo de Olivo: ex parte vero abbatis, Willelmo de Campo-forti priore *de Byarz*, & Guiardo secretario, & Gervasio de Roseyo, & Roberto sacerdote ejusdem ecclesiæ, & Willelmo sacerdote, & Roberto *de Byarz*, & Gautero de Chalandreio, & Radulpho de Fonteneio: & ex parte militum, Garino, Gastino & Godefrido, Palmerio, & Roberto Macrachro, & Willelmo de Verdamo Crasso, & Willelmo Normando: & de parochianis ejusdem villæ, Auberto Telario, & Ranulpho Avena, & Gautero Longo, & Gaudefrido de Jardino.

V.

Charta Fulconis comitis Andegavensis, po monasterio sancti Michaëlis de Periculo maris. *Ex archiv. abbatiæ.*

NOtum sit cunctis presentibus atque futuris, quod domnus abbas Rogerius de Monte S. Michaëlis 1090. Mathiasque prior in urbe Andegavi, coram comite Fulcone ipsiusque loci pontifice Raginaldo, & Gaufrido de Meduana, & Marbodio, multisque proceribus illius provincie presentibus, anno ab Incarnatione Domini M. XC, prima die Adventus Dominici differuerunt, ut terre & vinee quecumque monachi Montis sancti Michaëlis in pago Andegavensi seu Turonensi possident, in anno non capiantur pro forisfacto, quod in Normannica tellure vel etiam altera terra factum sit. Ut autem hec charta firma permaneat, ipse comes vivifice crucis signum manu propria subter impressit, & de abbate, ut res firmior esset triginta libr. denar. habuit, filiusque tuus concessit & signum fecit, cum quibusdam aliis & episcopo ipsius civitatis, qui sub anathemate gravi interdixit ne hoc scriptum aliquis preterire audeat. ✠ Signum Fulconis comitis. ✠ Sig. filii ejus Gaufridi. ✠ Sign. Raginaldi episcopi. ✠ Signum Marbodii magistri scholarum. ✠ Signum Gaufridi de Meduana.

V I.

Fundatio sanctissimæ Trinitatis in Novo-burgo. *Ex Spicileg. tom. XIII pag. 298.*

ANno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto, ego Guillelmus comes Moretonii 1105. filius Roberti, qui fuit frater Guillelmi regis Anglorum, construxi abbatiam sanctimonialium in honore

S. Trinitatis in Novo-burgo Moreton. adjuvante fratre Vitali, tunc temporis abbate Savigniaci existente; cui abbati de possessionibus meis dedi ministratum; videlicet pro anima mea & animabus dominorum meorum regum Anglorum & principum Normannorum, & omnium amicorum meorum, tam vivorum quam defunctorum, & omnium fidelium christianorum, in puram & perpetuam eleemosynam omnino liberam & quietam, & ab omni exactione seculari penitus absolutam; in primis totum dominicum & dominium meum, & quidquid habebam inter Canciam * & Canciolam, & in telonio, in molendinis & in firmis & in feria, & ecclesiam sancti Hilarii cum omnibus ecclesiasticis eidem ecclesiæ pertinentibus, quam habebat S. Ebrulfus. Et pro excambio sancti Hilarii, ego comes dedi S. Ebrulfo ecclesiam de Mrauda, *al.* Jurauda *vel* Inrauda, cum feodo presbyteri, sicut de me tenebat, & totam feriam *de Juvigney*. Et pro quatuor masuris, quas habebat sanctus Ebrulfus in Novo-burgo, ego comes excambiavi Roberto matriculario; & pro tribus masuris, quas Robertus filius Giraldi habebat in Novo-burgo, in excambio habet Rainaldum Fulvum. Harnulfus vicecomes dedit duas masuras pro anima sua. Milo camerarius duas, unam dedit & alteram excambiavit. Guido de Laudeni dedit tres. Robertus Pincerna tres, & unam sanctus Ebrulfus in communi, quam dederunt canonici. Rogerus filius Theoderici unam, & terram Engenulfi, quam tenuit in Novo-burgo. Et Robertus filius Giraldi vineam quam ibi habebat, & quidquid per partes : : : : : quæ quicumque ibi habebat, quidquam totum datum est ecclesiæ sanctæ Trinitatis.

* Cancie & ation.

In Anglia vero dedi ego comes Guillelmus decem libratas terræ in *Chevenih*, & in Constantino in parochia de Appevilla, in Baltesio dominicum meum quod habebam aqud *Mudelunde*, cum medietate marescorum, & unam piscinariam anguillarum, & : : : : terram trium carrucarum, & terram *Tirpet*, & apud Temchebraïnum unam medietariam, & in foresta boscum ad ignem & ad ædificia ecclesiæ & omnium domorum suarum, & pasnagium in foresta, & herbam, & fulgeriam, & juncos ad falcandum, & omnia necessaria sua, sicut ego comes habeo, ecclesiæ hominibus mortuum boscum ad necessaria, & quitanciam in omni terra mea. Hugo de Pontivis dedit in Surdavalle feodum de Suspensis, totum concedente me comite Richardo de Estra, totam terram quam habuit mater sua in Surda-valle. Adam de Malaherba dedit septem masuras super pontem de Egrania. Robertus filius Oberni in Rufa-vetula sexaginta acras terræ, & in monte Fauciello decem acras. Lodefridus de Sageio suam medietatem de Bello-monte.

Et ita ego Guillermus comes antedictus, fundator abbatiæ memoratæ dedi & concessi donationes baronum meorum & aliorum hominum meorum, factas abbatiæ & monialibus ibidem Deo servientibus, quidquid habebam in dominio & in dominico in Burgonovo, & omnibus aliis locis in charta contentis, quod nihil mihi & heredibus meis omnino retinui, præter denarium in die feriæ meæ, & panagium forestæ meæ de hominibus ecclesiæ, & retributionem divinam, cum omnibus pertinentiis suis, in terris, in ecclesiis, in decimis, in bosco & plano, in pratis & pascuis, in viis & semitis, in aquis, in molendinis, in vivariis & piscariis, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad illas pertinentibus, tam ex donatione mea quam aliorum donatorum, in puram & perpetuam eleemosynam penitus liberam & quietam bene & in pace, libere & quiete, plenarie, & integre & honorifice, cum omnibus libertatibus, & liberis & consuetudinibus suis. Et volo & concedo monialibus antedictis, quod possent ædificare, construere domos, furnos, stagna, molendina ad aquam & ad ventum, & omnia alia ædificia ad habitandum & ad utilitatem A abbatiæ necessaria, in omnibus locis a me comite & ab aliis hominibus meis datis & concessis in episcopatu Ebroicensi, Constantiensi, Bajocensi, bona ecclesiæ augmentando: & prohibeo ne eis, vel hominibus suis, vel rebus suis injuria vel contumelia fiat, vel fieri permittatur, quæ ipsæ & omnia sunt in manu & custodia & protectione mea.

VII.

Fundatio Savignei.

Ex chartis domesticis. 1112.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Ego Radulfus Filgeriensis providens & in Deo consulens animæ meæ, & uxoris meæ Aviciæ, & filiorum meorum & filiarum, scilicet Willelmi defuncti, & Radulfi, & Mainonis Frangali, & Henrici, & B Roberti, & patris & matris meæ, & etiam omnium baronum meorum, &c. anno ab Incarnatione Domini M. CXII, indictione V, epacta XX, ævi metas quotidie videns ad occasum ruere, pompas omnes labentis hujus seculi, & flores roseasque vernantium regum, imperatorum, ducum & omnium locupletum coronas ac palmas marcessere, &c. reddo, dono & concedo, ego & filii mei prædicti, & uxor mea Avicia, Deo omnipotenti, ex jure meæ propriæ hereditatis, totam forestam meam de Savigneio . . . . ita solutam & ab omni calumnia omnium mortalium, tam episcoporum quam clericorum, necnon & laïcorum omnium quietam & liberam, sicut oblationem Deo in odorem suavitatis.... Hoc itaque notificamus universis ecclesiæ C catholicæ cultoribus, tam ex equestri genere nobilibus quam ex agresti origine Dei fidem cultoribus, ad abbatiam inibi, Deo adjuvante, exstruendam, & fratre Vitali Dei adjuvamine adminiculante, tam pro sua quam pro nostra omniumque salute. Concedimus itaque quod rex noster Henricus & Normannorum dux, & regina ejus uxor Mathildis, & pater & mater ejus, & filius ejus, & noster episcopus Turgisus, & omnis christianus circumquaque nos populus, & ubique omnis ordo christianæ plebis toto orbe terrarum diffusus ejusdem gloriæ ac meriti participes efficiantur, quam gloriam & quod meritum inde a Deo speramus, optamus & mereamur, & quicumque hanc ecclesiam sanctam abbatialem ædificaverint, & exstruxerint & emendaverint, quam in honore sanctæ & individuæ Trinitatis intitulamus, ante tribunal D Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria & imperium cum Patre & Spiritu sancto, laus sine fine per omnia secula seculorum, amen.

Alia exstat fundationis charta Anecdotorum Martenii, tom. 1, col. 332.

VIII.

Confirmatio Turgisii Abrincensis episcopi.

EGO vero Turgisius episcoporum Abrincensium minimus & ultimus, salutes & episcopales benedictiones omnibus hujus sanctæ ecclesiæ individuæ Trinitatis tutoribus. Quicumque hanc abbatiam infringere, minuere, & ejus beneficia rapere & destruere E attentaverint, excommunicatione perpetua feriantur, donec ad emendationis & redditionis veritatem redierint. Hanc etenim donationem confirmandam, testificandam, auctorisandam adsunt veridici Hamelinus Meduanensis, Robertus de Cateria, &c. & plures alii Filgerienses. De Valle Moritonii Robertus filius Geroldi, Robertus de Appenticio, Ranulphus de Vireio, Mangisius de Savigneio, &c. Ex parte fratris Vitalis sunt testes dicti heremitæ, Hubertus presbyter . . . . . . Osbertus frater Vitalis, frater Radulphus, frater Lambertus, & alter frater Lambertus de Poceio, frater Mainardus, frater Vivianus, & plures alii, &c.

IX.

Praeceptum Henrici I regis Angliae, de re eadem.

EGO Henricus, Dei gratia rex Anglorum & dux Normannorum. Universorum consummationem & finem attendens, & in futurum saluti meae providens simul & consulens, quod propriis meritis non possum, a pauperibus spiritu regnum coelorum, quod ipsorum est, emendum esse putavi: eos enim in illa coelesti patria semper advocatos habere desiderans, utpote cujus sunt & concives simul & praesules, ad eosdem tanquam ad sanctae munitionis asylum confugio, ut eorum saltem merear opitulatione salvari, qui de meis meritis nisi mortem & damnationem invenio. Donationem igitur quam Radulfus Filgeriensis, cum uxore sua Avicia & filiis suis Mainone Fransgalone, Henrico & Roberto, domno Vitali heremitae in possessionem & coenobiale domicilium monachorum dedit, ego quoque munificentia regali concedo, forestam videlicet .... Quam nimirum donationem ob incolumitatem regni mei & salutem animae meae, necnon & pro uxore mea Mathilde simul & prole, pro animabus etiam patris mei Willelmi magni regis Anglorum, & matris meae Mathildis reginae, &c. ita ab omni, tam clericorum quam laïcorum infestatione absolvo, ut contra hoc meae concessionis decretum nemo sit .... Porro donationis hujus ex parte mea testes sunt Baldricus Dolensis archiepiscopus, Turgisius Abrincensis episcopus, Ranulfus cancellarius, Guillelmus comes de Warenna, Ricardus comes de Cestria, Johannes Bajocensis, Grimaldus medicus, Guillelmus de Albigneio, Thomas de S. Johanne, Rogerius filius Ricardi, Unfridus *de Bohun*, Ingelrannus de Aberrone, Goiffridus de Magnavilla, Hamo dapifer, Robertus de Curceio, Guillelmus *de Pirou*, Jordanus de Saio, Halcolfus de S. Jacobo, Gosridus de Diva. Ex parte Radulfi Filgeriensis, *Maino-Fransvals* filius ejus, Henricus & Robertus similiter filii ejus, Hamelinus Meduanensis, &c. De Valle Moritonii Robertus filius Giroldi ..... Richardus de Tuscheto, Robertus de Apentitio, &c. Data & confirmata Abrincis anno ab Incarnatione Domini 1112, indict. v, epacta xx, vi nonas Martii, anno regni mei xiii, anno vero pontificatus Paschalis II, xiii, pontificatus Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi anno iii, Turgisi quoque Abrincensis episcopi anno praesulatus xviii. Ego Henricus rex Anglorum in hujus confirmationem praecepti mei mea manu subscribo, & praesentem paginam imagine mea consigno. Signum Henrici regis Anglorum. Signum Radulfi cancellarii. Signum Willelmi comitis de Warenna, &c.

X.

Moritoniensis eleemosyna Vitali abbati Saviniensi restituitur.

EGO Henricus, Dei gratia rex Anglorum & dux Normannorum, cum archiepiscopis Radulfo Cantuariensi & Gaufrido Rotomagensi, & episcopis Ricardo Bajocensi, Turgiso Abrincatensi, Rogerio Constantiensi, Will. Exoniensi, Ildeberto Cenomannensi, cum abbatibus etiam & aliis religiosis viris compluribus, qui nobiscum huic definitioni praesentes interfuerunt consulentes, & praesentium memoriae & futurorum scientiae, omnibus catholicae pacis & unitatis cultoribus nostrarum beneficio literarum manifestare decrevimus, qualiter .... inter Eudonem Cadumensium fratrum abbatem, & Vitalem Saviniensis monasterii fundatorem, super Moritoniensi eleemosyna, quam eidem fratri Vitali ad honorem sanctae Trinitatis pro amore Dei Willelmus comes contulerat, pacta sit & celebrata concordia.

A Oportet ergo primum sciri quoniam idem frater Vitalis antequam Saviniensem domum inciperet, eleemosynam praetaxatam concedentibus nobis sine concessione episcopi Abrincatensis, atque suorum & ejusdem loci fratrum, abbati Cadumensi possidendam & aedificandam donavit. Postmodum autem annis fluentibus, in praedicto loco qui Savigneium appellatur, monasterium inchoavit, & ibidem fratres sub beati Benedicti regula congregavit, quorum profecto cum minus sufficeret necessitatibus obviare, habito saepe cum eisdem consilio, nostram mansuetudinem expetivit, ut in usum ipsius fratrum praenominatam eleemosynam nostra liceret auctoritate repetere: cujus sane petitionis cum in aures ecclesiae perferretur consilium, placuit omnibus, & factum est ut B Cadumensium monachorum concessione, & Eudonis abbatis donatione, & nostra advocatione, praefatam eleemosynam quam per caritatem eis concesserat, per eandem ubique caritatem liberam & quietam & in perpetuum Savigniensi monasterio possidendam reciperet, decedente papa Paschali II, succedente vero in eundem pontificatum II Gelasio, quam nimirum determinationem ne quis in posterum audeat permutare, praesenti pagina prohibemus. Quam procul dubio, ut de cetero rata permaneat & auctoritatis nostrae praeferat munimentum, nostro nobis placuit confirmare simul & roborare sigillo. Testes etiam ex utraque parte subscribi praecipimus, Stephanum Moritoniensem comitem, Ricardum comitem, Robertum filium regis, Hamelinum Meduanensem. Haec C definitio fuit diffinita & haec charta sigillata ante me apud Argenteium, teste episcopo Luxoviensi Johanne & Eudone Cadumensium monachorum abbate ..... & comite de Pertico-Rotroco.

XI.

Turgisus episcopus Majori-monasterio confirmat quidquid habebant in ejus dioecesi. Ex chartari Majoris-monasterii.

CUM tota monasticae sanctionis devotio, & omnis religiosae professionis conversatio pontificalibus semper sit studiis adjuvanda, cura sollicitudinis est adhibenda, ut ea quae, Deo inspirante, a fidelibus viris pro salute animae religiosis monasteriis pro sustentatione servorum Dei collata sunt, nulla deinD ceps illicitae usurpationis molestia turbentur, nulla improbitate violentur. Ego igitur Turgisus, Dei gratia Abrincensium pontifex licet immeritus, hujus rei gratia incitatus, & catholicae religionis amore succensus, Deo & ecclesiae B. Martini Majoris-monasterii & fratribus ibidem Deo servientibus, cuncta quae in nostro episcopatu obtinent concedo, & literis nostris auctoritate sigilli nostri roboratis perpetuo jure possidenda confirmo; ecclesiam videlicet S. Mariae de Moritonio, ecclesiam S. Mariae de Rumaniaco, ecclesiam S. Petri *de Bions*, ecclesiam S. Brictii de Landellis, & universa quae praedicti monachi possident praenominatis ecclesiis pertinentia. Hujus concessionis & auctoramenti existunt testes Robertus archidiaconus, Fulgerius archidiaconus, Rogerius de Linguenria capellanus episcopi; E item Herveus thesaurarius sancti Andreae, Alexander magister scholarum. Acta sunt haec anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo, epacta nulla, Indictione xiiii, domino nostro papa Kalixto sacrosanctae Romanae ecclesiae praesidente, Ludovico regni Francorum gubernacula tenente, Henrico rege Anglorum & duce Normannorum regnante. 1120.

XII.

Fundatio abbatiae de Lucerna.

EGO Hasculfus de Suligneio cunctis ecclesiae fidelibus, tam praesentibus quam futuris, notum fieri & ratum haberi volo, quod omnipotentis Dei inspiratione 1143.

inspiratione & Hugonis Rotomagensis archiepiscopi, & Ricardi fratris mei Abrincensis episcopi consilio & assensu, in loco qui ab antiquis Curba-fossa appellabatur, constitui regulares canonicos in Dei servitio perseverantes, pro salute animæ meæ & uxoris meæ Denisiæ, & patris mei Othoëri, matrisque meæ Lecelinæ, & fratris mei Radulfi, anno ab Incarnat. Domini M. CXLIII. Dedi itaque eisdem canonicis in perpetuam eleemosynam quidquid in villa quæ Lucerna dicitur possidebam, excepto nemore. Molendinum scilicet cum molta, & totam terram cum exitibus, & duas garbas decimæ, & partem nemoris in dominio; & in reliquo decimam sive in pasturis sive in venditione lignorum. In Gripone decimam de omnibus

* al. duos burgenses. redditibus ad dominium castri pertinentibus, & unum * burgensem. In Suligneio vineam *de Toi*, & dominium meum circa vineam & masuram Ragnulfi de Montibus. In Marceio masuram Osberni dapiferi, & unam acram terræ ad vineam. Ut autem hæc omnia prædicti canonici habeant & teneant libere & quiete quantum ad me pertinet concessi, & sigilli mei impressione signavi, subscriptis præsentibus Hugone decano, Willelmo archidiacono, Godefrido archidiacono, Roberto presbytero de Rochella, Pagano presbytero de Lucerna, Philippo de Sancto Petro, Philippo de Musca, Roberto *Hoiron*; Ricardo *de Leissans*, & multis aliis.

XIII.

Lucerna confirmatur ab Henrico II Angliæ rege.

HENRICUS rex Anglorum, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegavensis, archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, justiciariis, baronibus, vicecomitibus, ministris & omnibus fidelibus totius Normanniæ salutem. Sciatis me concessisse & confirmasse in perpetuam eleemosynam Deo & ecclesiæ sanctæ Trinitatis de Lucerna, & regularibus canonicis ibidem Deo servientibus, quidquid eis rationabiliter datum est, scilicet ex dono Hasculfi de Sulligneio qui præfatam ecclesiam fundavit, quidquid in villa de Lucerna dictus possidebat, molendinum scilicet cum molta, & totam terram cum hominibus, & duas garbas decimæ, & partem nemoris in dominio, & in reliquo decimam, sive in pascuis, sive in venditione lignorum; & in Gripone decimam de omnibus reditibus ad dominum castri pertinentibus,

* forte, unum burgensem. * & duos burgenses; in Merceio vel Marceio, masuram Osberni dapiferi, &c. Quare volo & firmiter præcipio quod prædictos canonicos nullus perturbare audeat, nec de iis omnibus in placitum mittere, nisi ego præcepero; sed hæc omnia prædicta habeant & teneant cum omnibus pertinentiis, & libertatibus, & liberis consuetudinibus, & quietanciis suis in bosco & plano, in pratis & pascuis, in viis & semitis, in aquis & molendinis, in burgo & extra, & in omnibus rebus, & in omnibus locis, ita bene, & in pace, & libere, & quiete, & honorifice, sicut chartæ eorum eis rationabiliter testantur. Teste Philippo Bajocensi, A. Lexoviensi, R. Ebroicensi; Thoma cantore, Richardo de Humeto constabulario, & pluribus aliis.

XIV.

Donationes factæ Savigneio.

1150. HENRICUS, Dei gratia dominus Fulgeriarum, omnibus suis baronibus & omnibus fidelibus totius terræ suæ salutem. Notum sit omnibus vobis fidelibus christianis, quod ego, pro amore Dei & salute animæ meæ, & animæ uxoris meæ, & liberorum nostrorum, concessi ecclesiæ & monachis S. Trinitatis de Savigneio in perpetuam eleemosynam molendinum apud Fulgerias, quod fuit Gauffridi filii Raginaldi de Foresta, quod donaverunt eidem ecclesiæ Peregrina

A filia ejus Gaufridi filii Raginaldi, & Robertus Viarius cognatus ejus. Concessi etiam eidem ecclesiæ ecclesiam villæ de Loratorio, quam ecclesiam donaverunt eidem ecclesiæ Radulfus filius Pagani & fratres ejus Hugo, & Gauffridus, & Robertus, & Lovelius patruus eorum, & Johannes filius Mischinæ cognatus ipsorum, concedente domna Avitia matre mea, concedentibus etiam Redonensibus episcopis Roaldo & Hamelino, Joanne etiam de Egerclo concedente totam decimam totius terræ suæ & Rogerio Viario. Concessi etiam terram quam donaverunt eidem ecclesiæ Hamelinus de Robel'., Robertus frater ejus, cognati eorum, concedente domna Avitia. Concessi etiam terram quam donavit Rogerius filius Fulcheiri, concedente Rogerio Viario domino ipsius Concessi

B etiam terram quam Guillelmus *Canoart* de Belceio dedit eidem ecclesiæ. Concessi etiam eidem ecclesiæ terram quam dederunt Hamelinus de Luvigneio, & filii ejus Robertus, & Guillelmus, & Guerrinus, & Gauffridus, & Radulfus, & Johannes, & Gelduinus, & homines ipsius Hamelini, Radulfus scilicet de Boolosa & Paganus filius ejus, & nepotes eorum Radulfus & Johannes filii Pippini, & Garnerius de Boolosa, & Juhellus, & Gaufr. & Ruellonus filii Arduini de Boolosa, & *Grasart*, & Luardis uxor ejus, & Tescelinus, & Tescelinus filii eorum. Concessi etiam forestam de Marchiis cum omnibus pertinentiis suis & consuetudinibus, excepta area accipitrum quam forestam donaverunt eidem ecclesiæ Herveus de Linetiis, & Henricus, & Robertus filii ejus, Radulfus

C de Marchiis, & *Grasart* filius ejus, & Igerus de Marchiis, & Guillelmus, & Herveus, & Radulfus, & Hamelinus filii ejus. Hæc omnia quæ hic enumeravimus concessi ecclesiæ de Savigneio ego & Radulfus filius meus in eleemosynam. Hæc autem nostra constitutio atque confirmatio facta est apud Fulgerias & apud Savigneium, anno ab Incarnat. M. CL tempore æstivo, quando adjutorio gratiæ Dei factus sum monachus ejusdem loci, teste magistro Guidone capellano, & Juhello *Cordum*, & Rogerio Viario, & Theobaldo de Campellis, & Juhello de Ardenna, & Herveo filio Theobaldi, & multis aliis. ✠ Signum Henrici domini Fulgeriarum. ✠ Signum Radulfi filii ejus.

XV.

D *Ecclesiæ de Ponte Ursonis S. Michaëli de Monte confirmantur.*

H. rex Anglorum & dux Normannorum & Aquitanorum, & comes Andegav. Hugoni archiepiscopo Rotomagensi salutem. Sciatis quod ego concessi abbati & monachis S. Michaëlis de Monte ecclesias meas de Ponte-Ursonis, sicut H. rex avus meus eas illis concessit. Quare mando vobis, quod si episcopus Abrincensis eis aquam benedictam ad opus illarum ecclesiarum dare noluerit, vos ipse eis illam dare: ne ecclesiæ castelli mei, quod noviter firmavi, sine officio divino remaneant. T. Robertus de Novo-burgo, apud sanctum Jacobum per Gerv. clericum cancell. *Circiter* 1160.

E Hugo, Dei gratia Rotomagensis episcopus, dilecto filio Hereberto Abrincensi episcopo salutem, gratiam & benedictionem. Sciat dilectio tua, nos prece domini nostri regis Henrici & ex jure auctoritatis nostræ metropolitanæ, dedisse aquam benedictam dilecto filio nostro Roberto abbati sancti Michaëlis de periculo maris ad capellam de Ponte-Ursonis, & licentiam divina celebrandi in eadem capella, quoniam tu semel, & secundo & tertio requisitus, aquam benedictam ei dare noluisti. Valete.

X V I.

De fundatione SS. Trinitatis de Lucerna.

UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam prælatis quam subditis, Richardus, Dei gratia Abrincensis ecclesiæ minister humilis, salutem & dilectionem. Notum sit omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod canonici de Lucerna terram quæ est inter rimum vivarium ipsorum, & nemus, & *Thar* & *Tarnet*, quam prius eis dederat Hasculsus de Suligneio t perpetuam eleemosynam, eidem Hasculso reddilerunt in præsentia Achardi prædecessoris nostri bonæ nemoriæ episcopi, & nostra, dum essem Constaniensis archidiaconus. Præfatus autem Hasculsus totam upradictam terram, quæ prius eleemosynata fuerat, ledit Deo & prædicto episcopo liberam & solutam n perpetuam eleemosynam; episcopus vero eam dedit Willelmo de S. Johanne liberam & quietam ad fundandam in ea abbatiam in honore sanctæ Trinitatis. Concesserunt itaque episcopus & Hasculsus, ut sicut prius fuerat advocatus prædictæ eleemosynæ, ita & Willelmus deinceps advocatus ejusdem esset eleemosynæ & abbatiæ, quæ in ea erat fundanda. Pro hac autem concessione dedit idem Willelmus memorato Hasculso unum scyphum argenteum in præsentia præfati episcopi & nostra. Actum est hoc anno Verbi Incarnati 1161 * præsentibus istis, Rollando decano, Willelmo archidiacono, Roberto capellano, Roberto de Rochella & filiis ejus Hugone & Andrea, Roberto de S. Johanne, Gilberto de Campellis, Rogerio paupere de Rochella, Ranulfo de S. Petro, Radulfo de S. Maria, Willelmo de Fulgeriis, Richardo de Aurea-valle, magistro Richardo de Sancto Petro, & Ramaldo (*forte* Rainaldo) capellano de S. Johanne, Richardo capellano, Rogerio de S. Johanne, & aliis quampluribus.

X V I I.

Conventio inter canonicos Abrincenses & Lucernenses.

OMnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, Willelmus, Dei gratia episcopus, & capitulum Abrincense, salutem in auctore salutis. Ad vestram volumus pervenire notitiam, quod bonæ memoriæ Achardus episcopus de communi assensu capituli Abrincensis, abbati & conventui de Lucerna, divinæ pietatis intuitu fructus præbendarum in ecclesia nostra vacantium anno integro in puram & perpetuam eleemosynam assignavit, sicut in charta eorum quam vidimus plenius continetur sigillo ipsius Achardi & capituli roborata. Quos cum ex concessione multo tempore percepissent, ecclesiæ nostræ Abrincensis indigentiam attendentes, cujus fabrica ruinam multiplicem minabatur, ad reparationem & conservationem ejusdem fabricæ nobis medietatem prædictorum fructuum donatione gratuita contulerunt, per manum eorumdem fideliter recipiendam. Nos autem eis præstito corporaliter sacramento, promisimus, quod bona præbendarum canonicorum nostrorum ad communem utilitatem eorum & nostram integre curabimus conservare, indemnitati eorum sicut & nostræ propriæ bona fide consulentes. Statuimus etiam ut nostri pro tempore successores, tam episcopi quam canonici, in ingressu suo, sacramento consimili, ipsis & eorum successoribus obligentur. Præterea concessimus eis in memoriam præscriptæ largitionis eorum, ut quia ipsi pro beneficio ab ecclesia nostra prius eis collato canonicis nostris decedentibus exhibent servitium in extremis, nos audito cujuslibet eorum & successorum suorum obitu, servitium pro eo sicut pro canonico nostro eodem die solemniter perpetuo celebremus. Si vero huic constitutioni nostræ quilibet successores nostri modoquolibet contrairent in præjudicium ecclesiæ de Lucerna aliquid attemptantes, sæpe dicti abbas & canonici de Lucerna ad integram perceptionem fructuum præbendarum absque contradictione aliqua secundum tenorem chartarum & privilegiorum suorum libere revertantur. Ut autem hæc omnia perpetua firmitate consistant, præsentem paginam sigillorum nostrorum munimine duximus roborandam. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1207, apud Abrincas, præsentibus Johanne Dolensi episcopo, & magistro Hugone Constantiensi archidiacono, qui ad petitionem nostram hanc eandem chartam sigillorum suorum testimonio munierunt.

X V I I I.

De camerario abbatis sancti Michaëlis. Ex archivis.

CUM inter me Willelmum *de Leiseaus* militem, & abbatem & conventum sancti Michaëlis super servitio camerarii in curia domini regis contentio verteretur, &c. Tandem recognovi me esse abbatis camerarium feodatum, & heredes meos post me; ita quod quandiu apud Montem servitium nostrum ego vel heredes mei fecerimus, singulis diebus percipiemus per nos vel per procuratorem nostrum duos panes monachales, & tres metretas talis potus qualem conventus bibet, & duos denarios Turonenses, & sex pecias candele minute de cera, & prebendam rationabilem ad duos caballos sine ferro. Si vero nos propter negotia nostra cum licentia abbatis vel illius qui gerit vices abbatis, a Monte recesserimus, quandiu tunc nos absentaverimus, percipiemus tantummodo panem & potum secundum formam pretaxatam usque ad terminum qui nobis assignabitur redeundi; ultra autem nobis moram facientibus, nichil percipiemus de supradictis, donec ad nostrum servitium redeamus. Si vero absque licentia abbatis, vel illius qui supplet vices ejus, a Monte recesserimus, tunc omnino, tam pane quam potu, quam aliis liberationibus prædictis, donec ad servitium nostrum redierimus, carebimus. Præterea si abbas nos ad sua negotia duxerit, ad expensas ipsius cum eo equitabimus; & procurator noster iterum apud Montem in abbatia percipiet tantummodo liberationes panis & potus prædictorum. Quod ut firmum, &c. Actum est hoc in Assisia domini regis apud Abrincas, anno gratiæ 1218. 1218.

X I X.

Compositio inter Guillelmum episcopum & Radulfum abbatem S. Michaëlis super jurisdictione. Ex apographo.

UNiversis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Willelmus, Dei gratia episcopus & capitulum Abrincense, & Radulfus abbas, & conventus S. Michaëlis de periculo maris, salutem in Domino. 1236. Noverit universitas vestra, quod quum contentio esset inter nos episcopum & capitulum Abrincense ex una parte, & nos abbatem & conventum Montis sancti Michaëlis de periculo maris ex altera, super jurisdictione Montis & rebus aliis; tandem pacificatum est inter nos in hunc modum: quod abbas prædicti Montis habeat institutionem & destitutionem ecclesiarum de Monte & presbyterorum, qui curam animarum percipient ab abbate, ita tamen, quod si contigerit sacerdotes aliqua gravia & enormia, depositione digna perpetrare; causæ examinatio & degradatio ad episcopum pertinebit: item quod abbas habeat omnimodam jurisdictionem presbyterorum, clericorum & laïcorum de Monte, retento episcopo, quod causæ ad ipsum deferantur per appellationem, vel abbatis negligentiam: item quod abbas habeat cognitionem causarum matrimonialium usque ad

definitivam sententiam; & tunc mittere debet causam sufficienter instructam domino episcopo, vel ejus officiali: item quod episcopus habeat cognitionem de injectione manuum in clericos, exceptis monachis: item episcopus habeat cognitionem de omni sacrilegio, dum tamen illud sacrilegium infra septa abbatiæ non committatur; de quo sacrilegio infra septa commisso sic intelligendum est, quod si a clericis vel laïcis ejusdem Montis infra clausuram abbatiæ committatur, sive a peregrinis diœcesium aliarum, pertinebit causæ cognitio ad abbatem; si vero a quibuscumque clericis vel laïcis Abrincensis diœc. clericis & laïcis Montis duntaxat exceptis, sacrilegium, & infra septa abbatiæ committi contingat, episcopus de eo cognoscet: item episcopus cognoscet de crimine hæreseos: item singuli homines in villa Montis domos tenentes, die Martis post octavam Pentecostes, quo die processio dicti Montis venit apud Abrincas, dum tamen processio Abrincensis prius ad Montem venerit, nisi ob aliquam causam legitimam venire omiserit, qua cessante, venire debet, singulos denarios super majus altare ecclesiæ Abrincensis, prout consueverunt, reddere tenebuntur, & sacerdotes Montis illud inspicient diligenter; & si in solutione denariorum pro numero domorum aliquis reperiatur defectus, sacerdotes Montis illud quod deerit infra octo dies apud Abrincas reddere teneantur: & si super dicta solutione inter presbyteros Montis & allocatum episcopi forsitan emerserit altercatio, credatur super hoc unius sacerdotis Montis simplici sacramento. Item sacerdotes Montis curam animarum habentes venient ad synodum episcopi, alioquin, nisi venerint, vel fuerint legitime excusati, episcopus animadvertere poterit in eosdem. Item abbas, prout consuevit, ad synodum veniet, vel se legitime excusabit: item episcopus monachos & clericos Montis ad præsentationem abbatis ordinabit, sed examinatio eorum pertinebit ad abbatem. Item chrisma, oleum & alia sacramenta ecclesiastica, quæ a diœcesano percipi debent, percipientur ab omnibus de Monte ab episcopo Abrincatensi: item dispositio catallorum illorum, qui subjunguntur in gravia, ad abbatis dispositionem pertinebit. Omnis vero jurisdictio, quam abbas habet, prout superius est expressum, eo mortuo, vel amoto, vacante monasterio, ad conventum pertinebit. Item episcopus Abrincensis in abbatem & conventum jurisdictionem ordinariam exercebit, qualem alii episcopi Normanniæ in abbatiis sibi subjectis, ejusdem ordinis, possunt & debent exercere; tamen propter hoc non est concessum episcopo Abrincensi, quod electioni abbatis Montis possit vel debeat interesse. Item episcopus habebit visitationem & procurationem in monasterio Montis, prout ad diœcesanum pertinet.

In istam pacem convenimus, nos episcopus & capitulum Abrincense, abbas & conventus Montis, salvis certis privilegiis a sede apostolica, sive aliis, tam Abrincensi ecclesiæ quam monasterio Montis, hinc inde concessis, quæ non præjudicant dictæ compositioni, sicut est pertractatum, hinc inde omnibus peractis in judicio sive arbitrio habitis inter Willelmum de Ostilleio, quondam Abrincensem episcopum, & R. abbatem & conventum Montis sancti Michaëlis de periculo maris. Et ne super præmissis de cetero contentio oriatur, præsentes literas sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Actum anno Domini M.° CC.° tricesimo sexto, die Purificationis beatæ Mariæ virginis.

X X.

Privilegia Normanniæ confirmata.

Ex Sammarthanis.

1339. ANno M. CCCXXXIX, cum rex Francorum Philippus pro subsidio guerræ suæ tallias & impositiones varias & diversas universaliter per totum regnum fieri mandasset, prælati & barones ducatus Normanniæ, considerantes quod istud si permitteretur fieri, esset contra libertates & privilegia Normanniæ, & maxime contra privilegia & declarationes Ludovici quondam regis Francorum & Navarræ, ex hoc in futurum ad consequentiam trahi posset, pluries propter hoc congregati, deliberationibusque multis habitis, super confirmatione privilegiorum dicti Ludov. regis & revocatione attemptatorum apud regem viriliter institerunt, fuitque magna & virtuosissima prælatorum constantia, qua quamvis rex & consilium suum vellent & offerrent semper a principio dicta privilegia quantum ad homines & subditos ecclesiarum & nobilium confirmare, ipsi tamen nobiles & prælati attendentes, quod totus populus dicti ducatus ut unicus & conformis eisdem legibus & consuetudinibus regitur, & privilegia ac libertates toti populo sunt communia & communes, noluerunt aliquatenus consentire, nisi habitatores villarum & locorum ad regem & ducem Normanniæ Joannem filium suum medio pertinentes, sicut & cæteri habitatores dicti ducatus, dictis privilegiis plene & perfecte gauderent. Negotium igitur hujusmodi sic prudenter fuit apud regem prosecutum, maxime per archiepiscopum Rotomagensem Petrum Rogeri postmodum cardinalem, Guillelmum Bertrandi Bajocensem, & Joannem *Austfrien* Abrincensem episcopos, necnon Radulphum comitem Augi, constabularium Franciæ, Joannem comitem de Haricuria, & Robertum Bertrandi marescallum Franciæ, qui negotium pro tota patria fuerant viriliter prosecuti: quæ ad ultimum hoc anno circa festum Paschæ, fuerunt dictæ libertates & privilegia per regem, & Joannem ducem ejus filium subsigillatæ in cera viridi ex certa scientia confirmatæ ad utilitatem totius patriæ Normannorum; & insuper privilegium dicti Ludovici regis, nulla parte in qua fit mentio quod rex non poterit imponere nisi urgens necessitas & evidens utilitas id exposcat, fuit valde utiliter declaratum, quod videlicet in casu retrobandi, & non aliis vendicabit sibi locum: literæ autem super iis in plerisque aliis locis dicti ducatus ad perpetuam rei memoriam conservantur. Discant ergo posteri uniformiter, exemplo istorum, pro libertatibus patriæ vigilare. Præfatus magister Petrus Rogerii de archiepiscopo cardinalis effectus, fuit valde gratus prælatis & baronibus, & populo Normanniæ, in tantum quod cum recessit ab eis, obtulerunt & assignaverunt sex mille libr. annui redditus ad vitam suam, quas emerunt de pecunia pro omnibus patriæ utilitatibus, congregataque fuit dicto cardinali ad honorem ipsius; prælatis vero & baronibus ad summam magnificentiam reputatum.

X X I.

Robertus abbas de Ardena Philippum abbatem de Lucerna recognoscit patrem immediatum Ardenæ.

IN nomine Dei, amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat evidenter, & eis sit notum, quod anno ejusdem Domini 1425, more Gallicano computando, indictione IV, die vero mensis Martii VI, pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri D. Martini, divina providentia papæ quinti anno nono, coram venerabili in Christo patre domino Philippo, Dei gratia humili abbate monasterii sanctæ Trinitatis de Lucerna, ordinis Præmonstratensis, Abrincensis diœcesis, patreque immediato monasterii beatæ Mariæ de Ardena, ejusdem ordinis, Bajocensis diœcesis, in meique notarii publici, ac testium infra scriptorum ad hoc vocatorum pariter & rogatorum præsentia personaliter constituto . . . Frater Robertus *le Caretier* presbyter electus confirmatus in abbatem monasterii B. Mariæ de Ardena, eidem domino abbati de Lucerna & coram ipso juramenta infra scripta præstitit sponte; ipseque prædictus 1425.

dominus abbas de Lucerna ab ipso electo confirmato recepit: immo verò ipse electus confirmatus ad sancta Dei evangelia & per eorum fidem & votum sic religionem promisit, atque juramentum corporale præstitit, quod monasterium dicti loci de Ardena concanonicosque ipsius . . . . . reget & gubernabit . . . malos & improbos, si qui reperti fuerint . . . . . & viriliter corriget secundum Deum & prædicti ordinis statuta: item quod jura & libertates dicti monasterii de Ardena . . . . . . ordinis Præmonstrat. pro posse suo se servare & custodire promisit & juravit. Item quod & eidem abbati de Lucerna & successoribus suis canonice intrantibus reverentiam, obedientiam & honorem, quantum decet exhibere, patri abbati, ac mandatis suis obediet & exhibebit. Item quod sigilla pro usu abbatis dicti loci de Ardena . . . . . & fideliter custodiet ac ipsis utetur, nec de ipsis aliquid sigillabit, aut sigillari faciet seu permittet, quod sit vel esse possit in præjudicium, damnum aut dispendium dicti monasterii de Ardena, seu ordinis Præmonstrat. quoquo modo . . . . . . Quibus sic actis præfatus dominus abbas de Lucerna eidem electo confirmato hujusmodi sigilla tradidit realiter & de facto, ipseque electus confirmatus ab ipso recepit. De & super quibus præmissis omnibus & singulis præfatus dominus abbas de Lucerna petiit a me notario publico infra scripto sibi fieri publicum instrumentum, unum aut plura. Acta fuerunt hæc Cadomi in domo domini Dionysii de Queneio presbyteri sita in parochia sancti Petri de Cadomo prope castrum dicti loci de Cadomo, sub anno, indictione, mense, die . . . . . supradictis, præsentibus ad hæc venerabilibus viris dominis Dionysio de Queneio prædicto, Guillelmo de Porta, Guillelmo *de la Salle*, ... presbyteris Bajocensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et ego Johannes *Franquet* presbyter Bajocensis diœcesis . . . . publicus apostolica & imperiali auctoritate, atque curiæ Bajocensis notarius juramentorum, promissorumque præstitorum & receptorum, sigillorumque prædictorum traditorum & receptorum, & de præmissis omnibus & singulis, dum, sic ut supra scriptum est, audirentur, dicerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsens fui, atque sic fieri & dici & vidi, scivi & audivi. Ideo huic præsenti publico instrumento manu propria scripto . . . . . sigillum meum solitum apposui in testimonium veritatis præmissorum requisitus & rogatus. *FRANQUES.*

XXII.

Bulla Eugenii III pro Guillelmo cardinali d'Estouteville.

EUGENIUS episcopus, &c. Ad ea per quæ personæ ecclesiasticæ nobis præsertim & sedi apostolicæ fideles atque devote in suis . . . . præserventur, eorumdemque jura pro tempore molestantes atque impedientes animadversione debita compescantur, ex adjuncto desuper apostolicæ servitutis officio libenter intendimus, illaque eo ardentiori favore prosequimur, quæ quempiam ex venerabilibus fratribus nostris S. R. ecclesiæ cardinalibus qui nobis & sedi apostolicæ continue assistendo utiliter ad felix regimen universi desudant percipimus, exinde in suis juribus exquisitis coloribus indebite molestari seu quomodolibet turbari. Dudum si quidem vacante monasterio Montis sancti Michaëlis in periculo maris, ordinis sancti Benedicti, Abrincensis diœcesis, per obitum quondam Roberti ejusdem monasterii abbatis qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, ad specialem & expressam supplicationem charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum regis illustris prædicto monasterio, sicut præmittitur, vacanti ex rationabilibus causis de fratrum nostrorum S. Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu commendavimus dilecto filio nostro Guillelmo titulo S. Martini in Montibus presbytero cardinali, dicti regis consanguineo, pro eo quia, tam per literas dicti regis quam alias, fuimus certificati dictum monasterium esse in loco eminenti & forti, & quod bona & diligenti custodia egeret, cum esset situm in confinibus dicti regni, essetque propterea pernecessarium inibi fore personam fidelem & potentem quæ per se & suos dictum monasterium totumque locum cum suis munitionibus custodiret, neque id melius posse fieri videretur, quam crederetur in commendam præfato cardinali, cujus frater & consanguineus prædictum monasterium, montem, locum & munitiones eorumdem de mandato dicti regis annis pluribus viriliter & strenue a cunctis hostilitatum incursionibus præservarunt. Cum autem, sicut accepimus medio tempore, post vacationem præfati monasterii sub colore cujusdam electionis per majorem partem monachorum, ut prætenditur, in eodem monasterio tunc præsentium factæ dilectus filius Johannes *Gonaut* presbyter monachus expresse professus dicti monasterii prior, prioratus sancti Victurii prope Cenomanis se gerens pro electo in abbatem dicti monasterii per procuratores suos & eorum qui prætendunt se illum elegisse, pro obtinenda confirmatione in venerabilem fratrem nostrum Abrincensem episcopum eorum immediatum ordinarium recursum habuerit, & confirmationem suam requisierit; idque episcopus legitimis & rationabilibus causis obstantibus prædictam electionem prætensam confirmare recusaverit, & hoc idem successive venerabiles fratres nostri Rothomagensis archiepiscopus, ut metropolitanus, & archiepiscopus Lugdunensis ut Galliarum primas, requisiti facere rationabiliter renuerunt, dictusque Lugdunensis archiepiscopus & ejus in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis in ejus absentia de ejusdem archiepiscopi expresso mandato per suas patentes literas, ex eo quia certificati erant de commenda eidem cardinali facta, quodque præfatus cardinalis dicti monasterii possessionem fuerat assecutus, causam hujusmodi confirmationis dictæ prætensæ electionis cum toto negotio ipsam electionem concernente, nobis & apostolicæ sedi penitus remiserunt. Nos remissionem prædictam per prænominatum archiepiscopum primatem & ejus vicarium ad nos & sedem apostolicam rationabiliter factam, exspectatis dicto electo prætenso & suis electoribus per sex menses continuos, factaque nobis fide per legitima documenta & alias sufficienter de omnibus præmissis electionem prædictam de dicto Johanne *Gonault* monacho, & quæcumque inde secuta tenore præsentium ex certa scientia cassamus, irritamus, annullamus, decernimusque nullius esse roboris vel momenti, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1445, idibus Augusti, pontificatus nostri anno 15.

XXIII.

Majoris consilii decretum super jurisdictione Montis in periculo maris inter Rogerium *d'Aumont* Abrincens. episcopum, & Jacobum *de Souvré* abbatem S. Michaëlis de Monte.

LOUIS, par la grace de Dieu, roy de France & de Navarre. 1648.
A tous ceux qui les presentes lettres verront, salut: Savoir faisons, comme par arrest cejourd'hui donné en nôtre Grand-conseil entre notre bien amé messire Jacques de Souvré bailli & grand-croix de l'ordre de Saint Jean de Jerusalem, abbé de l'abbaye du Mont Saint Michel au peril de la mer, ordre de Saint Benoît, & les religieux, prieur & couvent de ladite abbaye, de la congregation de Saint Maur, dudit ordre de Saint Benoît, tant en leurs noms, que comme prenans fait & cause pour M.e François Petit prestre curé de l'eglise

paroissiale Saint Pierre dudit Mont Saint Michel, appellans comme d'abus du statut synodal fait par notre bien amé & feal conseiller en nos conseils messire Roger d'Aumont evêque d'Avranches, du deuxieme mai 1647, a ce que par icelui il est porté que lesdits religieux n'ont aucun pouvoir ni permission de confesser, encore moins d'absoudre des cas a lui reservés, & que toutes les confessions par eux faites sont absolument nulles; que des deux mandemens des 15 desdits mois & an, contenans l'indication de sa visite, qu'il entendoit faire, tant a l'exterieur que interieur, correction & reformation des personnes & eglise dudit couvent; sentence dudit sieur evêque du 20 desdits mois & an, par laquelle il auroit declaré lesdits sieurs religieux excommuniés & interdits en leurs personnes; & de l'ordonnance portant que ladite sentence seroit publiée & affichée, tant à la porte principale de ladite abbaye que de l'eglise paroissiale dudit lieu, du 23 desdits mois & an; & d'autre ordonnance dudit sieur evêque, par laquelle il auroit declaré ledit Petit curé suspend & admis, & commis pour l'administration des sacremens en ladite eglise saint Pierre Me Gilles Cormeille prestre, desdits jour & an: ensemble de toute la procedure faite par ledit sieur evêque lors de sa visite; & faisant droit sur ledit appel, casser, revoquer & annuler lesdites sentences & ordonnances, & tout ce qui s'en est ensuivi, & a eté fait par ledit sieur evêque, comme nul & abusif, & fait contre & au préjudice des droits & exemptions de ladite abbaye & juridiction dudit abbé sur ladite cure de saint Pierre, demandeurs d'une part, & ledit messire Roger d'Aumont notre conseiller en nos conseils, evêque d'Avranches, intimé & defendeur d'autre. Et entre Dom Gregoire Tarisse superieur general de la congregation de saint Maur, reçu partie intervenante audit procès, & requerant à ce que faisant droit sur son intervention, ladite abbaye du Mont saint Michel & les religieux de ladite congregation etablis en icelle soient declarez exemts de la juridiction & visite dudit sieur evêque d'Avranches, ou en tout cas & attendu que ladite abbaye & religieux d'icelle sont du corps de ladite congregation de saint Maur, que conformément aux saints conciles, bulles de nos saints peres les papes octroiez a ladite congregation, & ordonnances royaux, ledit sieur evêque ne pourra visiter les lieux reguliers, personnes & mœurs desdits religieux, & generalement ce qui concerne l'observance & regularité, laquelle demeurera aux superieurs de ladite congregation etablis par les chapitres generaux d'icelle d'une part, & ledit messire Roger d'Aumont evêque d'Avranches, defendeur à ladite intervention d'autre; & entre ledit sieur abbé & lesdits religieux, prieur & couvent de ladite abbaye du Mont saint Michel, demandeurs en faux contre certain acte ou extrait datté de l'an 1661, tiré d'un livre antique appellé Livre blanc dudit evêché d'Avranches, signé en l'extrait le Conte promoteur & R. Perronnale notaire apostolique dudit evêché, comme aussi contre un acte ecrit en parchemin contenant ferment de fidelité & obeissance de Guillaume abbé du Mont saint Michel a messire Louis de Bourbon evêque d'Avranches, etant sans datte, signé Guillaume avec une croix, d'une part, & ledit messire Roger d'Aumont evêque d'Avranches defendeur, d'autre. Après que Gauthier avocat pour lesdits religieux & couvent de ladite abbaye, Laudier avocat pour ledit sieur abbé prenant fait & cause dudit curé de saint Pierre dudit Mont saint Michel; Girard avocat pour ledit superieur general de ladite congregation de saint Maur, assisté de Nicolas procureur desdits sieurs abbé, superieur & religieux; de Monthelon avocat pour ledit sieur evêque d'Avranches, assisté d'Huguen & son procureur & bailli pour notre procureur general ont eté oüis:

Icelui notredit Grand-conseil par sondit arrest faisant droit sur lesdites instances, ayant aucunement egard a l'intervention dudit Tarisse superieur general de ladite congregation de saint Maur, sans s'arrester aux ordonnances, sentences rendues par ledit sieur evêque d'Avranches, a ordonné & ordonne que l'excommunication levée a cautelle demeurera purement & simplement levée: ordonne que ledit Petit curé de l'eglise paroissiale de saint Pierre dudit Mont saint Michel, se retirera pardevant ledit evêque pour lui être la suspension & interdiction portée par sadite sentence levée; laquelle suspension & interdiction ledit evêque sera tenu lever a la premiere requisition dudit Petit. Comme aussi sera ledit Petit curé tenu d'assister aux synodes toutes & quantesfois qu'ils seront convoquez par ledit evêque d'Avranches. A maintenu & garde ledit evêque d'Avranches en tout droit de visite en ladite eglise paroissiale de saint Pierre & monastere dudit Mont saint Michel, fors & excepté sur les lieux reguliers, discipline reguliere & personnes desdits religieux, tant & si longuement qu'ils demeureront en congregation, & ne pourront lesdits religieux confesser aucuns seculiers, ni commettre a cet effet, qu'ils ne soient auparavant approuvez par ledit evêque, sans depens. Si donnons en mandement & commettons par ces presentes au premier huissier ou sergent sur ce requis, qu'a la requête desdits abbé, religieux & couvent de ladite abbaye du Mont saint Michel, le present arrest il signifie à tous ceux qu'il appartiendra; & au surplus faire tous exploits & actes de justice, ce que est necessaire de faire te donnons pouvoir, sans pour ce demander plus, Visa ne pareatis, *nonobstant clameur de haro, charte normande. En temoin de quoy nous avons fait mettre notre scel a ces presentes. Donné & prononcé en l'audience de notredit Grand-conseil, a Paris, ce troisieme jour de fevrier, l'an de grace 1648, & de notre regne le cinquieme. Et a coté est ecrit, par le Roy, a la relation de son Grand-conseil.* Signé ROGER, *avec paraphe.*

XXIV.

Compromissum de jurisdictione inter Rogerium *d'Aumont* Abrincensem episcopum, & Jacobum *de Souvré* abbatem sancti Michaëlis in periculo maris.

VU par nous Pierre Pitthou conseiller du Roy en sa cour de Parlement a Paris, Jacques de Sainte-Beuve docteur & professeur en theologie, de Monthelon, Martinet & Gilles Laudier avocats audit Parlement, arbitres entre les parties, le compromis passé pardevant Plastrier & Dehenant notaires au Chastelet de Paris, le 24 mai 1650, entre messire Roger d'Aumont evesque d'Avranches d'une part, & messire Jacques de Souvré bailli & grand-croix de l'ordre de saint Jean de Jerusalem, abbé commendataire de l'abbaye du Mont saint Michel au peril de la mer, ordre de saint Benoit, diocese d'Avranches, & Dom Aubert Giroult religieux de ladite abbaye, ayant charge & pouvoir desdits religieux, prieur & couvent de ladite abbaye du Mont saint Michel, par procuration passée pardevant Videlou & L..as tabellions en la vicomté d'Avranches, le dix-huitieme du present mois, & Dom Jean Harel superieur general de la congregation de saint Maur, d'autre part; par lequel pour terminer les procès & differends pendant & indecis au Grand-conseil, entre les official & promoteur d'Avranches, pour lesquels ledit sieur evesque d'Avranches avoit pris fait & cause, & les archidiacre & promoteur dudit Mont saint Michel, pour lesquels ledit sieur abbé & lesdits religieux, même ledit pere general, en tant que besoin etoit, avoient pareillement pris fait & cause, & encore ledit abbé qui avoit pris fait & cause pour Pierre Couppé curé de l'eglise paroissiale de saint Pierre du Mont saint Michel, nous aurions eté nommés & commis arbitres pour terminer lesdits proces & differends dans les premiers huit jours du mois de Juin ensuivant, avec pouvoir de prolonger d'autre huitaine, & encore d'autre huitaine si besoin etoit, a peine de la somme de mil livres payable par le contrevenant, devant que d'estre reçu a proposer aucune chose contre notre jugement, par appel ou autrement, la sentence donnée par nous le troisieme dudit mois de Juin 1650, par laquelle nous aurions prolongé le tems dudit compromis jusqu'au vingtieme jour dudit mois 1650.

nclusivement; l'arrest du Grand-conseil du troisieme fe- A vrier 1648, la transaction du 2 fevrier 1236, & tout ce qui a eté ecrit & produit par devers nous. Tout consideré, nous ordonnons que l'arrest du Grand-conseil du troisieme fevrier 1648, & la transaction du deuxieme fevrier 1236, seront executez. En ce faisant avons maintenu & gardé ledit sieur abbé du Mont saint Michel, en la possession & jouissance de conferer de plein droit la cure de l'eglise paroissiale de saint Pierre dudit Mont saint Michel, a la charge que celui qui sera pourvu sera sujet a la juridiction & correction dudit sieur evesque d'Avranches pour ce qui concerne l'administration, fonctions curiales, & pour le surplus en premiere instance, sera sujet a la juridiction de l'archidiacre du Mont saint Michel, fors les cas specifiés par la transaction. Et pourra ledit archidiacre faire sa visite dans ladite eglise B paroissiale, & faire dans le cours de ladite visite, telles ordonnances qu'il appartiendra, non contraires aux saints decrets & aux statuts synodaux dudit sieur evesque, lesquels il sera tenu faire executer, & de ladite visite dresser proces verbal, & icelui envoyer dans le mois audit sieur evesque, duquel ledit sieur archidiacre sera justiciable en tout ce qui concerne l'exercice de ladite charge, & assistera au synode dudit sieur evesque, entre les mains duquel il prestera le serment au premier synode immediatement, suivant son entrée en ladite charge; & aura ledit archidiacre, conformement à la transaction, l'instruction des causes matrimoniales; & après l'instruction faite, ordonnera que le proces instruit sera porté dans huitaine par son greffier au greffe de l'official d'Avranches, vers lequel les parties se pourvoitont; & sur le surplus des demandes, fins & conclusions desdites parties, les avons mis hors de cour & de proces, sans depens. Fait & prononcé aux parties le dix-huitieme Juin 1650; & ont eté les pieces rendues. Ainsi signé PITHOU, DE SAINTE-BEUVE, DE MONTHELON, MARTINET & LAUDIER.

La sentence arbitrale cy-dessus a eté mise és mains de Dehenant l'un des notaires au Chastelet de Paris, soussignée par mesdits seigneur evesque d'Avranches & sieurs religieux, pour en garder minutte & delivrer expedition, ce vingt-deuxieme jour de Juin 1650. Et ont lesdites parties signé la minutte du present acte, etant au bas de l'original de ladite sentence arbitrale cy-dessus ecrite, demeurée audit Dehenant, avec chacun un paraphe.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ EBROICENSIS.

I.

De fundatione beatæ Mariæ de Lira.

CUM dux Normannorum Willermus consilium petiisset, & omnes barones Normanniæ ad Angliam conquirendam audisset unanimes, gavisus est valde: quibus ad consiliandum se iterum euntibus, Willermus Osberni dapifer ducis interfuit, qui gravissimum iter ad Angliam capessendam, gentemque fortissimam Anglorum perhibens, contra paucissimos in Angliam ire volentes acerrime litigat. Quod proceres audientes valde gavisi, fidem dederunt ei ut quod ipse diceret omnes concederent. Ingressus autem ante eos coram duce dixit, paratus sum in hac expeditione cum meis omnibus proficisci. Oportuit ergo omnes Normannorum principes verbum ejus prosequi sicut promiserant ei. Fuit ergo iste Willermus magnæ nobilitatis & strenuæ virtutis, cognatus ducis, D filius Osberni procuratoris principalis domus filii Herfasti junioris comitissæ fratris, & ducem Willermum præ ceteris virtute strenua & consilio prudenti juvit, de quo refertur quod in expeditione Danfronti cum adversus Gaufridum Martellum bellum a duce pararetur, & exercitus sibi invicem die crastina essent conflicturi, missus sit speculatum cum Rogero de Montegomerici qui mentem quoque hostis arrogantissimam perdiscerent ex colloquio ipsius & hosti equum domini sui, vestitum & arma præsignarent. Incitatus est dominum suum ducem in quamplurimis strenuitatibus, & præcipue in hoc quod sicut dux duo cœnobia construxit in honorem sanctæ Mariæ apud Cadomum, ita & ipse in proprio fundo duo condidit cœnobia in honorem sanctæ Mariæ, unum E apud Liram, ubi Adelicia uxor ejus, Rogerii de Toënio filia, tumulata quiescit; alterum apud Cormelias, ubi ipse humatus est. Primus abbas Liræ fuit venerandæ simplicitatis vir Robertus de Caleto, cui, divina visione; locus idem præmonstratus est in pago Uticensi apud boscum Regnoldi: cuidam sacerdoti leproso ter apparuit visio, qua in tribus Sabbatis ammonitus est, ut Roberto de Caleto intimaret, quatenus in loco qui Vetus Lira vocabatur, & in quo capella sancti Christophori fuerat, construeret in honorem sanctæ Mariæ. Quod audiens venerandus vir lacrymas ex intimo cordis fudit affectu, & Deo gratias agens, continuo comite ipso leproso pervenit C ad Willermum Osberni filium, quem venationi insistentem invenerunt in foresta quæ modo Britolii cognominatur: cui cum visionem supradictam retulissent, respondit Willermus non esse credendum somnlis, quia multos errare fecerunt somnia; cui presbyter leprosus intulit se in aurem talia dicturum ex ammonitione visionis, quibus discredere non posset. Seorsum itaque posito dicit presbyter: mandat ille qui mihi in visione apparuit, ut hoc, Deo auxiliante, facias & cohibeas te a pessimo illo crimine quo detineris, quod nisi feceris, damnationi perpetuæ subjacebis. Crimen presbyter nominatim intimavit, & his intersignis Willermus credulus visioni precibus venerabilis Roberti assensum præbuit, & confestim illi tradens per cornua cervi quem ceperat, decimam totius forestæ concessit, & datis dominiis & decimis prædictum fundavit cœnobium.

I I.

Authenticum fundatoris Liræ.

WILLELMUS Osberni filius, comes Herfordiæ, omnibus hominibus suis Francis, & Anglis, & Walensibus, & omnibus sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, salutem. Sciatis me donasse & concessisse, & in perpetuam eleemosynam confirmasse Deo & beatæ Mariæ Liræ, & monachis ibidem Deo servientibus, pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, totam villam quæ dicitur Vetus Lira, in qua a me abbatia constructa est, quam tenebam in dominio, & duo molendina in eadem villa, quartam partem Novæ Liræ, & molendina ejusdem villæ, & molendinum *Taneret*, & totam aquam ab Nova Lira usque ad *Calet*, & totam decimam partem forestæ Britolii, & decimas septimanas Britolii, Liræ, Pacei & Glotis, & Pontis sancti Petri, ecclesias Britolii cum feudo Walonis, ecclesias Glotis, ecclesias de utraque Lira, ecclesiam S. Andreæ de Barra, ecclesiam *de Cornuil*, ecclesiam *de Candaminel*, ecclesiam *de Boterellis*, ecclesiam de Noerio, ecclesiam de Aluernaio; præterea dotem comitissæ Adeliciæ, scilicet Triraieum cum molendino, & marnerias, & Ribramont. In episcopatu Rothomagensi scanna comitis, ecclesias Pontis sancti Petri, scilicet S. Nicolai, S. Georgii & S. Crispini, cum appendititis suis, & redecimam de valle Pistris. In Anglia in episcopatu Wintoniensi, in ipsa civitate duos burgenses, ecclesiam *de Claffort* cum appenditiis

suis; in *Hantton* novem libras & quinque solidos, & unum burgensem, ecclesiam S. Johannis, ecclesiam *de Caresbroc* cum appenditiis suis, & totam decimam de dominio *de Booliub*, ecclesiam *Arreton*, & totam decimam de dominio ejusdem villæ, & de Hascleia, & de Louecumba, & de Candeiba, ecclesiam de Fresquewarre, & totam decimam de dominio, ecclesiam de Godeshulle cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam *de Wipingushan*, ecclesiam *de Neucherchè*; ecclesiam *de Neuton* cum appenditiis suis. In episcopatu Herfordiensi, in ipsa villa duodecim libras & unum burgensem, ecclesiam de *Tedeham* cum appenditiis suis, ecclesiam de Ledencia, ecclesiam de de *Linton*, ecclesiam de *Wilton*, ecclesiam de Merchelai cum appenditiis suis, ecclesiam de *Weustaurde*, totam decimam de dominio de Dura; ecclesiam de Werles-luna, ecclesiam de *Tametel* cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Hopa cum appenditiis suis, totam decimam de dominio de *Pulton*, & & totam decimam de toto dominio de *Kingescapel*, & decimam de toto dominio de *Credehell*, & decimam de dominio de *Kinlet*, & unum hominem cum terra sua, & totam decimam de dominio de *Stanford*, & unum hominem cum una virgata terræ, totam decimam de dominio de *Torneb*, & unum hominem cum una virgata terræ, & totam decimam de dominio de *Logordin*, & unum hominem cum una virgata terræ. In episcopatu Landavensi manerium de *Lonkywan*, & totam decimam totius forestæ de Grosso-monte, & medietatem totius decimæ telonei de Strigolio, & medietatem totius decimæ quæ est inter Waiam & Oleham, scilicet vaccarum, porcorum, nummorum, piscium, segetum & mellis. In episcopatu Wigorniensi ecclesiam de Hanleia cum appenditiis suis, & decimam forestæ Malumniæ præter venationem, & decimam totius dominii de *Culmell*, & unum hominem cum una virgata terræ, & decimam totius dominii de Hisseleia, & decimam totius dominii de *Fortelinton*, & unum hominem cum una virgata terræ, & decimam totius dominii *Edrefeld*, & unum hominem cum una virgata terræ, ecclesiam de *Fichcham* cum appenditiis suis, & unam carrucatam terræ, ecclesiam de *Chedeworde* cum appenditiis suis. In villa de *Avurton* decimam totius dominii, & unum hominem cum terra sua, & decimam totius dominii de *Flamested*. In villa Glocestriæ duos burgenses & unum pratum. In episcopatu Sarisburiæ ecclesiam de *Bastenden* cum appenditiis suis, ecclesiam de *Mamested*, ecclesiam de *Senigefeld*, & ecclesiam de *Sorefeld*. Præterea ecclesiam de Gutterlis, ecclesiam de Morenvilla, & ecclesiam de Paceio cum appenditiis suis. Hæc omnia supra dicta dedi & concessi prædictæ abbatiæ & monachis in ea Deo servientibus, in perpetuam & liberam eleemosynam, pro salute animæ meæ. His testibus, Lanfranco venerabili archiepisc. Willelmo Ebroicensi episcopo, Rogerio *de Montgomeri*, Walterio *de Lacé*, Tustino filio *Rou*, Hugone Asino, & multis aliis.

III.

Fundatio sancti Salvatoris.

Ex autographo. *Circiter* 1060.

IN nomine sanctæ, &c. Ego Richardus archipræsulis Roberti filius, gratia Dei & electione Ricardi Senioris avi mei Normannorum principis, Ebroicæ civitatis comes electus & constitutus, hanc vitam miserabilem .... pro nihilo ducens; timore etiam gehennalis pene perterritus.... pro redemptione peccatorum meorum, ac parentum, sive precedentium sive subsequentium, infra mœnia præscriptæ civitatis, in honorem sancti Salvatoris, totius mundi conditoris ac gubernatoris, ecclesiam ædificari feci, in qua *Godeltilde* filia mea facta sanctimoniali, *Hersende* existente prima abbatissa, sanctimoniales sub regula sanctissimi Benedicti monastice viventes, ad honorem Dei omnipotentis & totius mundi redemptoris, in eadem ecclesia stabilivi; & hoc assensu & consilio procerum meorum, laudanda etiam admonitione uxoris meæ Godehildis, & maxime hortatu & providentia domini Guillelmi tunc temporis ejusdem civitatis existentis episcopi, authoritatis cujus testimonio & deliberatione, sed & uxoris meæ & procerum meorum arbitrio . . . supradictis sanctimonialibus . . . . præbui in eleemosynam de meis propriis redditibus illa quæ subscribuntur; providens ne Deo servientibus deessent saltem necessaria victui. Itaque ego peccator Ricardus comes indignus, credens me cum supradictis sanctimonialibus partem habiturum in supernis mansionibus, fide firmando & jurejurando, ita libere & quiete ut melius habui ...: has villas decimasque subscriptas salvatori Deo, sibique servientibus sanctimonialibus perpetualiter habere permisi. Apud Ebroicas duos molendinos, unum annonarium & alterum taneterium, cum terra quæ ad eosdem molendinos pertinet, & decimam meorum molendinorum Ebroicarum, & decimam omnium reddituum & exituum civitatis Ebroicarum, excepta decima telonei, & omnem decimam omnium redditium & exituum totius forestæ de Ebroys, etiam decimam mellis ipsius forestæ, & venationis quicumquè cœperit illam; & decimam bladi & denariorum [a] *des Essars* quæ fient in ipsa foresta, & ecclesias prædictæ forestæ. Apud Asinerias dedi totum quod in dominio habebam, excepto feodo militum, & nemore & aqua. Tamen in eis dedi eis piscationem quæ vulgo dicitur *Croignim*. Apud Olavillam terram ad dimidiam carrucam, & Ondovillam & quidquid ad eam pertinet, sicut umquam melius habui. Apud Gravigneium decimam de omni dominio meo, excepta decima bladi. Apud *Quittebeuf* decimam dominii mei, & lane & caseorum, excepta decima bladi. Apud Albam-viam decimam telonei & census, & omnium reddituum in denariis, & octo hospites, & terram ad dimidiam carrucam, & decimam caseorum & lane. Item apud Albam-viam concessi eis vineam & molendinum, quæ Anschitillus de Altolio eis dedit meo concessu, pro filia sua ibidem facta sanctimoniali. Ultra Sequanam totam decimam omnium reddituum & exituum, quicumque fuerint, forestarum de Tractu *, & de *Gravenchon* & *Caudebec*, & decimam molendinorum *du Maisnil*. Apud *Douvrenc* decimam molendinorum meorum, & decimam telonei, & decimam census burgensium, & totam decimam *estoblagii porcorum & herbagii ovium, quas burgenses habuit; & duas guerbas hortorum burgensium, sive lini, sive ca... lne, sive cujuslibet bladi & terræ, quæ vocatur *Fros-comitis*, & duas guerbas terræ rusticorum, & duas guerbas *des Essars*. Prædictæ ecclesiæ feci habere quietationem ab omni episcopali (excepta cura animarum) consuetudine & seculari, annuente Guillelmo tunc episcopo Ebroicensi, & confirmante Guillelmo tunc duce Normanniæ. Ad quam ecclesiam quicumque confugerit, cujuscumque culpæ reus sit, illæsus & absolutus abeat. [b] Servientibus sanctimonialium concessi eamdem quietationem de omnibus quam haberent servientes de propria mensa mea vel successores mei. In testimonio & confirmatione quietationis episcopalis consuetudinis nundinas in Annuntiatione Dominica atrio sanctæ Mariæ antiquitus constitutas, in præsentia prædicti ducis prænominato episcopo donavi suæ ecclesiæ habendas in perpetuo. Et si aliquis procerum meorum eidem ecclesiæ aliquid in eleemosynam donaverit, ita libere & quiete possideat, sicut ea quæ de proprio meo concessi. Huic donationi interfuerunt testes & confirmantes proceres

* le Trait, *prope Gemeticum.*

a In charta Simonis comitis hæc confirmantis, legitur: *Decimam denariorum de venditionibus quæ fient in nemore & exartis.*

b His lucem afferre potest quod legitur in bullâ Eugenii papæ III: *Quoniam supradictus comes Ricardus immunitatem quam habebant servientes de mensa sua, servientibus vestris . . . . concessit*, &c.

mei Guillelmus de Sachenvilla, Anschitillus de Altolio, Rogerius *Harent*, Salomon de Avrenchis, Rodulfus de Crovilla. Kartam inde factam confirmavit Guillelmus dux Normannorum, signo propria manu facto, & uxor ejus Mathildis similiter: & ego Ricardus signo meo, & uxor mea Godehildis similiter, & Maurelius archiepiscopus Rotomagensis signo suo, & Guillelmus Ebroicarum episcopus signo suo, & proceres Normanniæ signis suis; Rogerius *de Muntgommery*, Rogerius de Bello-monte, & Robertus comes *de Eu*, & plures alii. Signum Guillelmi ducis Normannorum. Signum Mahildis comitissæ Normannorum. Signum Ricardi comitis Ebroicarum. Signum Godehildis comitissæ Ebroicarum. Signum Maurilii archiepisc. Rotomag. Signum Guillelmi Ebroicensis episcopi. Signum Rogerii *de Montgummery*. Signum Rogerii de Bellomonte. Sign. Roberti comitis *d'Eu*, &c.

IV.

Ex chartis Fiscanni.

Monasterium sancti Taurini fit cella Fiscanna.

1106. CUM multæ sint iniquorum & fraudulentorum insidiæ & injustæ ecclesiarum Dei oppressiones frequentesque vexationes, necesse est, & hoc ratio exigit, ut nostram nostrorumque successorum memoriam adversus eas muniamus, atque exemplis & auctoritatibus omnique conatu resistamus. Oportet ergo nostra & facta & dicta utilia atque necessaria, seu etiam quæ dono sive emptione acquiruntur ecclesiis, testium confirmatione legalium comprehendi, & tam futurorum quam præsentium memoriæ literarum attestatione commendari. Notum sit igitur, tam futuris quam præsentibus, quod anno ab Incarnatione Domini 1106, indictione 15, VII idus Novembris, lis quædam seu calumpnia ante Henricum regem Anglorum jamque ducem Normannorum, Rotomagi in camera archiepiscopi Willelmi ipso præsente fuit finita, & quia monachi sancti Taurini eam injuste adversus ecclesiam S. Trinitatis Fiscanni faciebant, coram episcopis atque abbatibus, cæterisque Normanniæ baronibus seu comitibus, firmiter est terminata. Prædicti namque monachi, & se & abbatiam sancti Taurini, de subjectione & donatione Fiscannensis ecclesiæ cupientes auferre, quia nihil abbati Fiscanni suisque monachis deberent multis & magnis vocibus proclamabant, nec electionem nec ordinationem sui monasterii habere a Fiscanno volebant, mortuus enim erat Radulfus eorum abbas, qui monachus professus Fiscannensis cœnobii fuerat; atque ex prædicto litigio abbatia S. Taurini duobus annis & fere dimidio sine abbate extiterat. Venit igitur Willelmus Fiscanni abbas tertius, cum suis monachis & hominibus, ante Henricum regem & Willelmum archiepiscopum, cæterosque Normanniæ barones. Prædicto termino in supra nominatum locum venerunt ex alia parte, Gislebertus episcopus Ebroicensis & monachi sancti Taurini, dictisque & auditis ex utraque parte quæ dicenda erant atque audienda, necnon donatione audita & charta lecta, in qua scriptum erat quomodo ecclesia Fiscanni suprascriptam abbatiam habuerat a comite Rotberto patre Willelmi regis qui Angliam conquisivit, in scambio Villaris monasterii, quod a Ricardo II comite in fundo perhenni acceptum abbas Johannes & monachi precibus supradicti comitis Roberti evicti ipsi pro commutatione abbatiæ sancti Taurini, & ut ipsa abbatia sancti Taurini perpetuo maneat cella Fiscannensis monasterii, ipsi comiti gratuito concesserunt. Prædictus rex Henricus cunctis audientibus, consilio & judicio suorum episcoporum, abbatum atque baronum, suprataxato abbati Willelmo Fiscanni firmiter præcepit ut abbatiam sancti Taurini tanquam suam propriam cellam acciperet & ad votum suum traderet, abbatem ibi eligendo ac ponendo de suis, & monachos auferendo seu mittendo ubi & sicut placeret.

A Huic vero causæ seu placito interfuerunt ex parte regis, Willelmus archiepisc. Rotomagensis, Turoldus episcopus Bajocensis, Gislebertus episc. Ebroicensis, Willelmus Gisardus episcopus Wintonens. Ragnulfus episcopus Dunelmensis, Hilgotus abbas S. Audoëni, Arnulfus abbas Troarni, Ursus abbas Gemetici, Walterius abbas sanctæ Trinitatis de Monte, Benedictus, Fulbertus & Ricardus archidiaconi Rotomagensis ecclesiæ, Rotbertus archidiaconus Ebroicensis. De baronibus Rotbertus comes *de Mellent*, Ricardus *de Redivers*, Willelmus de Albiniaco, Walterus filius Ricardi *de Vernun*, & Waldricus qui tunc temporis erat cancellarius regis. Ex parte abbatis Fiscanni, Willelmus prior Fiscanni, qui electus fuit in abbatem sancti Taurini, Antonius monachus, Johannes monachus B Sagii, Willelmus monachus Theodorici filius, Rogerius *de Seilletot*, Nicolaus prior S. Gabriëlis, &c.

V.

Charta Henrici primi regis Anglorum, pro monasterio de Conchis.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Henricus, Dei gratia rex Anglorum & dux Normannorum, pro salute animæ meæ, & patris & matris meæ, atque antecessorum meorum, necnon conjugis meæ, & universæ prolis a Deo mihi concessæ, concedo monachis in ecclesia sancti Petri Castellionis Deo servientibus, liberam & quietam electionem abbatis, secundum regulam sancti Benedicti, & quod omnes homines eorum in Anglia manentes, sint liberi & quieti de omnibus consuetudinibus & querelis ad me pertinentibus, scilicet *de Sire*, & *de Hundret*, & *de Geih*, & *de Hildiet*, & *de Hundresu*, excepto muldre, si repertum fuerit in terra eorum: & si furtum repertum fuerit in terra eorum, forefactum sit monachis & justitia mea. Et in Normannia, apud portum qui vocatur Dieppa, sint monachi & omnes res eorum, & proprii famuli liberi & quieti de omni passagio, de omni consuetudine in villa, & de omnibus hominibus eorum ibi manentibus, habeant monachi *Lesveel*. Et si homines eorum habuerint naves in mari piscantes, quidquid de navibus illis ad me pertinet, amore Dei concedo prædictis monachis, & cum his supradictis concedo & confirmo ecclesiæ sancti Petri Castellionis, omnia dona & beneficia quæ ei dederunt in regno & ducatu meo Rogerius Senior de Toënio, & filius ejus Radulphus Senex, & Radulphus Juvenis filius prædicti Radulphi Senis, & Rogerius filius Radulphi Juvenis, & eorum homines, & alii barones mei, sicuti scripta leguntur in hac charta. Ego Rogerius filius Radulphi Toteniensis, pro salute animæ meæ, & patris ac matris meæ, & conjugis meæ Godehildis, & universæ prolis a Deo mihi concessæ, & pro anima senioris mei Roberti comitis, ac filii ejus Guillelmi, concedo in usus servorum Dei servientium in monasterio dicato in honore sancti Petri apostoli, in loco qui *Castellion* appellatur, de rebus meis quas in pace teneo, villam ipsam quæ dicitur *Castellion*, ex integro ab omnibus calumniis & querelis absolutam & liberam, cum molendino de Fontana, cum territorio omni ad eamdem villam pertinente, cum teloneo ex integro ipsius villæ & territorii, cum forefactis, cum banleuga libera, & cum omnibus penitus redditibus, cum decima totius parochiæ, & ecclesiam sancti Audoëni de Conchis, cum decimis & offerendis ex integro, & terram *de Vernay* ad quinque carrucas; decimam quoque de Chorlandis de una carruca, cum hospite uno; decimas, &c. de silva quæ appellatur campania Ranuldi in portis, in denariis, in atheriis, in annona, in carne, & de omnibus aliis silvis meis. Et de Louverciaco, de carruca una cum hospite uno; ecclesiam de Achineio, cum offerendis & decimis de annona, & de vino ex integro, & de piscibus aquæ quæ

Circiter 1130.

quæ dicitur Auctura, & de molendinis in eis; decimas de duabus carrucis in villa quæ dicitur Fontanis, & de vino & de silva, de pratis; decimas sancti Ursini de Villari-villa, de vino & de omnibus quæ ibi pertinent; ecclesiam de Totteneio, cum offerendis & decimis de annona & de vino ex integro, & de pratis & de piscibus. In Helgavilla, ecclesiam & decimam, & unum hospitem. In Villari villa, ecclesiam & decimam, & unum hospitem. Ad Mortuum-mare, decimam de duabus carrucis, & de duobus molendinis, & de præpositura ejusdem villæ, & unum hospitem. In Waringivilla, ecclesiam & decimam, cum feodo Formani presbyteri, & decimam de uno molendino, & tertiam partem de terra & de hospitibus quos habeo in villa quæ vocatur Dieppa. In Walitherivilla, decimam de una carruca, cum hospite uno. In Rothomago unum hospitem, & tertiam partem de pratis meis. Juxta Rothomagum, in Villari-villa, juxta pontem Erchenfridi, ecclesiam & decimam cum pertinentiis suis, & unum hospitem, & fœsum osuli de Monasterio. Hæc vero quæ subscripta leguntur, & quæ in futuro pro Christi nomine ascribentur, ego Hugo Ebroicensis episcopus affirmo & contestor, & hoc affirmat Hugo Bajocensis episc. & Robertus de S. Laudo episcopus, & Johannes abbas sanctæ Trinitatis, Isembertus abbas, Gradulphus abbas, Robertus abbas, Frodmundus abbas, Albericus abbas. Si quis ergo ex his aliquid subtraxerit violenter, nos illum omnino excommunicamus & anathematizamus; fiat, fiat. Ego Radulphus de Totteneio, cum Godehilde matre mea, pro sepultura patris mei Rogerii, concedo S. Petro de Castellione apud Achineium, gordum unum quinque millium anguillarum de sancta Cecilia, fœsum quoque Claverii, & fœsum Obardi, & mansuras plures, & terras in eadem villa. Apud Fontanas molendinum unum, & fœsum Lancelini presbyteri, & fœsum Odelini nutricii cum plantato in dominio, & decimam redditus denariorum & molendinorum, & totius dominii mei, tam plani quam nemoris, S. Vigoris. Apud Totteneium, gordum unum, cum hospite uno ad custodiendum gordum, & fœsum Richerii filii Radulphi, & hospites plures ac vineas in eadem villa. In Warengivilla, hospites qui pertinent ad eleemosynam sancti Walerici, & terram de Briveria apud Landam, quæ dicitur *Sebecort*, terram ad duas carrucas; & concedo omnem decimam omnium molendinorum meorum per totam meam terram, & decimam omnium denariorum meorum de omnibus redditibus meis, in omnibus dominiis meis, vel etiam forefactis, in Conchis, in Ferraria, in Achineio, in Totteneio, in Helgavilla, in Mortuo-mari, cum ecclesiis ejusdem villæ, & in omnibus villis meis aliis; & concedo eandem libertatem & consuetudinem in omnibus hominibus ecclesiæ, in omni terra sua, per totam meam terram quam habent in Castellione; concedo etiam fœsum Willelmi *de Waleile* in dominio, & fœsum Gerelini de Fraxino. Do etiam in Anglica terra in dominio, manerium unum qui vocatur Liena, & ecclesiam ejusdem villæ, & totam decimam, & decimas de meis dominiis, tam de planis quam de bochis, in omnibus aliis meis maneriis, scilicet de Cabenona decimam de dominio cum uno hospite, de *Flammestede* decimam de dominio cum uno hospite, de Eschadesleis decimam de dominio cum uno hospite, de *Wervesſees* decimam de dominio cum uno hospite, de Alnieleia decimam de dominio & duodecim denarios, de Roberto de la Barduna, de uno escario, & partem decimæ de Salinis, de Bigga decimam de dominio, de terra Osbini filii Rualdi, decimam de dominio & unum hospitem, de Eseleia decimam de dominio, de Albodeleia & de Linda, decimam de dominio & tres hospites, de *Stoches* & de Hydra decimam de dominio cum uno hospite, de Bramesberga decimam de dominio do, & decimam firme denariorum de terra quæ

A vocatur *Elevent*, de Renisleia decimas de dominio, de Eslandona decimam de dominio, de Pithea decimam de dominio, de Siurtona sexaginta acras terræ; in villa *de Herefort* unum hospitem, de *Bur* decimam de dominio, de *Coloen* decimam de dominio. Ego Radulphus junior, filius Radulphi Senioris de Totteneio, do sancto Petro de Castellione ecclesias *de Welcomeston*, & totam decimam, decimam quoque de dominio de Guerthelingis. Ego Rogerus de Totteneio filius Radulphi junioris, do monachis S. Petri Castellionis pro salute animæ meæ, patris & matris meæ, & antecessorum meorum, unum manerium, scilicet Wertheam, totum liberum & quietum in dominio eorum, & ecclesiam & decimam ejusdem villæ, & quidquid pertinet ad illam villam, scilicet unum
B molendinum, & maras ibi adjacentes ad piscandum, & warennam; concedo etiam eidem ecclesiæ decimam omnium cendrarum & caronum meorum in omnibus silvis meis. Ego Godehildis comitissa Ebroicæ civitatis, quondam uxor Rogerii de Totteneio, pro salute animarum nostrarum, do sancto Petro de Castellione decimam de villa quæ vulgo dicitur *Cravençon*, & decimam duorum molendinorum de Hondovilla & de Albania, eam partem decimæ atque ecclesiæ, quam emi de Radulpho Barbato, annuente domino ac Seniore meo comite Richardo. Manifestum sit omnibus quod Robertus de Romeliaco, quando effectus monachus est, dedit ipse & uxor ejus, & filii ejus Willelmus, & Robertus, & Richardus, sancto Petro; decimam quam habebat Corlandis, & eam
C quam habebat Louverciaco. In Corlandis medietatem decimæ; in Louverciaco duas garbas, annuente Radulpho de Totteneio cujus fœsi erat, Gerelino a Romeliaco, magistro a servulo. Filii quoque ejus pro remedio ipsius animæ, dederunt sancto Petro de Castellione duas garbas decimæ de villa quæ dicitur Cantalupum, annuente Radulpho de Totteneio & Willelmo de Romeliaco, quorum fœdum erat, assistentibus testibus Walterio de S. Elerio, Willelmo de Fraxino; & sciendum est quod prædictus Willermus de Romeliaco, quando effectus est monachus, dedit sancto Petro ecclesiam & decimam de Greignolavilla, & decimam de duobus molendinis in eadem villa, annuente Richardo filio ejus & Radulpho de Totteneio; & sciendum est quod Radulphus de Busvilla filius Radulphi avunculi Willelmi de Romeliaco,
D ambulans in hortum dedit S. Petro de Castellione, duas garbas decimæ de terra quæ vulgo vocatur *Enneiff*, pro remedio animæ suæ antecessorumque suorum, annuente hoc Aufrida uxore sua, & filio eorum Huberto; dederunt & decimam omnis generis lini ipsius terræ, astantibus Willelmo de Romeliaco & Richardo filio ejus, quorum fœsum erat. Ego Richardus juvenis de Romeliaco filius Richardi, do monachis sancti Petri Castellionis, pro salute animæ meæ, & antecessorum meorum, & pro sepultura patris mei, ecclesiam de Louverciaco, & fœsum Rogerii filii Berthæ fratris Godefridi sacerdotis, liberum & quietum, & quidquid de illo fœso patri meo & antecessoribus meis factum fuit, amodo fiat monachis. Ego Ilbertus vicecomes, do monachis S. Petri Castel-
E lionis, pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, quartam partem de durra totius illius manerii, vel L solidos, si magis placuerit, monachis, annuente Radulpho de Toënio domino meo. Sciant præsentes & futuri, quod Richardus Mansellus & Garinus filius ejus, concesserunt sancto Petro de Castellione medietatem terræ quæ vulgo dicitur *Baillol*, insuper monasterium cum cimeterio liberum; quot etiam homines in hoc cimeterio habere voluerunt ad manendum, liberi erunt sancto Petro, & ipsum etiam altare; decimam & campart per medium æque dividetur, excepta decima Huberti, qui liberam tenens, ipse Hubertus tradidit sancto Petro, annuente ipso Garino, post hoc terram unius carrucæ liberam, ultra

medietatem supradictam; omnis autem redditio ipsius terræ communis per medium partietur, exceptis quæ supra diximus; omne quoque dominium & omnem libertatem sancto Petro tradiderunt; adjutorium seu forisfacturam de aliquo homine ipsius terræ nullus capiet, alio ignorante, capta quoque per medium dividetur: ultra cimeterium etiam si homines ad habitandum nobis venerint, terram invenient liberam qua manere poterunt, libertate tali quali in cimeterio. Hæc conventio firmata est per decem libras & unum equum de caritate Sanctii, coram Radulpho de Totteneio & uxore ejus Elisabetha, quarta feria Paschæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo, regnante rege Guillelmo in Anglia, Philippo in Francia. Et hæc firmata sunt per Radulph. Tottenensem cujus fœsum erat, assistentibus ex parte Richardi Roberto *de Garenceres* & Heberto de Baillolio; ex parte Sanctii Ilberto vicecomite, Willelmo de Romeleio. Hanc conventionem se servaturos in perpetuum sub juramento Richardus & Garinus filius ejus præsentibus his testibus firmaverunt. Sed etiam sciendum est quod succedentibus annis tres filii prædicti Garini, Guillelmus, Garinus & Richardus medietatem suam prædictæ decimæ *de Baillol* in tres partes æqualiter diviserunt. Guillelmus vero & Richardus suas partes sancto Petro dederunt, annuente Rad. Juniore, assistentibus Willelmo Villano, Gerelino de Fraxino, & Gerelino Buxone. Ego Robertus *de Stafort* filius Rogerii de Totteneio, pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, do & concedo monachis sancti Petri Castellionis ecclesiam de Octona liberam & absolutam, cum decimis & oblationibus meis in eadem villa, & cum omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, sine aliquo participe, excepto capellano eorum voluntate præsentato. Do etiam eisdem monachis unam hydram terræ adjacentem ecclesiæ, & aliam hydram quæ vocatur *Douresel*, & unum manerium quod vocatur Christona nomine: etiam quam libertatem ego habeo in eadem villa, & homines mei, eamdem habeant monachi & homines sui, in plano & in bosco, in pratis & in agnis; hæc omnia dono & concedo libera & absoluta ab omnibus consuetudinibus quæ michi pertinent, annuente filio meo Nicholao & Wolstano Vigornensi episc. hoc donum confirmante & excommunicante omnes illos qui hæc prædicta beneficia minuere vel substrahere tentaverunt. Memoriæ fidelium traditum sit quod ego Ebrardus Britholiensium dominus, annuente & consulente Ineta matre mea, concedo & restituo ecclesiæ Castell. pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, ecclesiam videlicet *de Haracaville*, cum terra ejusdem ecclesiæ & omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, videlicet cum omni decima totius territorii ejusdem villæ, quam quidem homines nostri in parte ab eadem abbatia injuste abstulerant, & in multis distraxerant: necnon etiam nonaginta garbas quas clientes nostri de eadem decima injusta coactione & mala consuetudine capiebant, libere & absolute eidem abbatiæ concedo & restituo. Hæc autem juste fieri judicavimus, ut omnis decima totius villæ cum omni fructu terræ, ecclesiæ in una domo congregetur, quatenus sacerdos qui electione abbatis eidem ecclesiæ servierit, tam annonæ quam stramenti libere tertiam partem accipiat, & abbatia duas. Hæc autem restituta sunt & confirmata ecclesiæ Castellionensi per manum domni Hugonis venerabilis archiepiscopi Rothomagensis, assistentibus videlicet Roberto archidiacono & Guidone clerico Andeliacensi, Radulpho *Gastinel*, Gerelmo de Buxone apud Rothomag. in præsentia archiepiscopi juxta culpam confitente & veniam requirente. Ego Gerelmus de Fraxino pro anima senioris mei Rogeri de Totteneio & filii ejus Radulphi, & pro redemptione animæ meæ, do S. Petro post mortem meam, Fraxinum & hæreditatem meam in perpetuum tenendum; ad præsens autem duos Francos homines in dominio. Hoc annuit Godehildis comitissa & Radulphus senior meus, salva custodia Totteniensi. dominii. Ibi affuit Hugo Bajocensis episcopus & Willelmus Ebroicensis episcopus, qui hoc donum confirmaverunt, ex quorum maledictione & ex authoritate sancti Petri apostoli & Omnium sanctorum Dei sint anathematizati, qui hoc beneficium ab ecclesia Dei substraxerunt. Sciant præsentes & futuri, quod Gerelinus de Vernaco pro anima sua dedit sancto Petro decimas totius terræ suæ apud *Buxon* & apud *Nagel*, annuente Radulpho de Totteneio, cujus fœsi erat. Iterum sciendum est quod Radulphus *de Noisement*, pro salute animæ suæ dedit sancto Petro omnem decimam terræ suæ *de Noisement*, & terram cum hospite, & decimam culturarum sui Senioris in villa quæ vocatur *Nogent*, annuente Gilleberto domino suo, & Radulpho de Totteneio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus Paganus & Erchembaldus de Moncellis fratres, & Hugo de Rolvilla eorum socer, dederunt sancto Petro omnem decimam terræ suæ *de Moncelx*, amore Dei & domni Sulpitii abbatis, cujus parentes erant, tempore Henrici inclyti regis Anglorum, annuente Gilleberto de Mineriis, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Rogerius de Clara pro anima senioris sui Rogerii de Totteneio, dedit sancto Petro ecclesiam & decimam de Haracavilla & duas garbas decimæ *de Buré*, annuente Godehilde comitissa, & Radulpho filio ejus de Totteneio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Giroldus Gastinellus dedit sancto Petro duos homines & mansuras duas, & decimam terræ suæ in villa quæ dicitur Valvilla, annuente Radulpho de Totten. cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Willelmus *de Valeil*, liberis carens, dedit sancto Petro ipsum *Valeil* in dominio tenendum, annuente Radulpho de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Gillebertus de Clara dedit sancto Petro ecclesiam, & decimam & terram Rogerii capellani, in villa quæ Puteneia dicitur, annuente Radulpho de Totteneio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus de Guidvilla dedit sancto Petro medietatem decimæ de Guidvilla, annuente Radulpho de Totten. cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Gerelinus de Bosco-Hugonis, quando effectus est monachus, dedit sancto Petro decimam omnium hominum suorum de Bosco-Hugonis, annuente Radulpho de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Robertus de Aureis-vallibus, pro salute animæ suæ, dedit S. Petro decimam ejusdem villæ, annuente Radul. de Toënio, cujus fœsi erat. Item sciendum est quod Stephanus, & Guidmundus, & Willelmus, & Radulphus filii ejus, dederunt sancto Petro decimam terræ suæ de Bosco-Raillato, annuente Radulpho de Vernaco & Radulpho de Toënio, quorum fœsum erat. Item sciendum est quod Radulphus *de Iglisoles* decanus, dedit sancto Petro duos hospites cum ortis, in villa quæ vulgo dicitur *Merderel*, pro monachatu suo, annuentibus parentibus, & Gaufrido domino suo *de Villaledt*, coram Radulpho de Totteneio. Item sciendum est quod Simon de Ulmeto, tempore inclyti regis Anglorum Henrici, dedit sancto Petro decimam *de Oissel*, per manum Audoëni Ebroicensis episcopi, annuente uxore sua, filia Rogerii de Ferrariis, & filio suo primogenito, quam videlicet decimam Rad. & Garinus fratres prædicti Rogerii ejusdem, ecclesiæ concesserant, & donum super altare posuerant, tempore domni Sulpitii abbatis, annuente Willelmo Darsello, cujus fœsi erat, apud Achineium, coram Radulpho de Totteneio, tempore ipso illo existente prætore in Achineio. Ego Radulphus de Totteneio filius Rogerii fundatoris ecclesiæ sancti Petri Castellionis, do & concedo, & eidem ecclesiæ subjecta facio, omnia hermitagia in foresta mea de Conchis, & quicunque infra forestam illam & in aliis silvis meis terram coluerit, ex toto prædictæ ecclesiæ, decimas dono & concedo. Ego

Robertus filius Ilberti vicecomitis, do & concedo quartam partem de Durra monachis sancti Petri Castellion. pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, & pro illa quarta parte quam dedit pater meus Ilbertus, & pro ista quam ego dono, habent monachi quinquaginta solidos in villa de Durra. Sic signatum. Hoc est signum inclyti Henrici regis Anglorum & ducis Normannorum. ✠ Sign. Adelizæ Anglorum reginæ. ✠ Signum Hugonis archiepisc. Rothomagensis. ✠ Signum Audoëni episcopi Ebroicarum. ✠ Signum Willelmi comitis de Garenna. ✠ Sig. Amaurrici comitis Ebroicarum. ✠ Signum Hugonis cognominati *Hugoh* dapiferi regis Anglorum. ✠ Signum Rogerii de Toteneio. ✠ Signum prioris sancti Ouvaldi. ✠ Signum Roberti de Novoburgo. ✠ Signum Gaufridi filii Pagani.

VI.

Fundatio Noæ.

Ex chartular.

1144. MALTILDIS imperatrix H. regis filia, archiepisc. Rotomagensi, episcopis, abbatibus, baronibus, justiciariis & omnibus suis fidelibus de terra Normanniæ, salutem. Sciatis quod ego terram quamdam pro XL libris emi, quam Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ de Noa & monachis ibidem Deo servientibus ad construendum ejusdem loci cœnobium, pro salute animæ meæ, & animarum patris & matris meæ, & Gaufridi comitis Andegavensis, & filiorum meorum Gaufridi & Willelmi, in perpetuam donavi eleemosynam. Terram autem illam, totum videlicet quod est inter viam molendini *de Chattmel* & ipsam terram prædictorum monachorum, & inter superiorem viam Ebroic. & aquam Ithum emi a Mauricio *de Bonaville* & Rob. *Saddote*, & fratribus ejus Rocelino & Rogero, & a Thoma milite, & a Giroldo *de Hopelande*, & Rob. nepote suo, & Willelmo fratre Thomæ, & ab Evrardo *de Chattmel* & filiis e us, Roberto comite Mellenti, & Richerio de Aquila dominis ejusdem terræ concedentibus, &c. Testibus Ro. archiepiscopo Rotomagensi, B. episcopo Lundon. Ric. de Hum. conest. &c. Apud Rothomagum.

VII.

Donationes factæ monasterio Conchensi.

Ex chartular.

Circa 1150. NOtum sit, tam præsentibus quam futuris, quod ego Rogerius de Toënio filius Margaritæ, pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, concessi & confirmavi Deo & ecclesiæ sancti Petri de Castillione & monachis ibidem Deo servientibus in puram & perpetuam eleemosynam, locum ipsum in quo monasterium eorum situm est, cum pertinentiis suis. Concessi etiam eis & confirmavi villam illam quæ dicitur *Castellion*, ab omnibus querelis & calumniis ad me pertinentibus quietam & liberam, & absolutam, cum ecclesia & decima ejusdem villæ, cum omni territorio ad eamdem pertinente, cum telonio ex integro ipsius villæ & totius territorii, cum forefactis, cum benleuca libera, cum omnibus redditibus & proventibus ipsius villæ. Concessi etiam ipsis ut habeant ligna ad se hospitandum & calefaciendum in omnibus forestis meis, sicut & ego, & omnes porci monachorum in pasnagiis meis sint liberi & quieti, & omnes aliæ bestiæ eorum eant & redeant cum porcis & bestiis meis per omnia loca nemorum meorum in pasturam, & eandem libertatem, & dominationem & consuetudinem habeat abbas super nostros omnes homines & advenas in terra sua habitantes, quas & ego habeo super omnes nostros homines & advenas in terra mea manentes; & quidquid accesserit in omnibus decimis septimanis totum accipiant monachi quidquid in ista septimana eveniet, sicut & ego totum accipio in meis novem: & de auxiliis mihi vel domino Normanniæ pertinentibus omnes homines

A abbatiæ insimul per manum abbatis respondeant, sicuti faciunt homines de Romeliaco vel illi de Portis per manum dominorum suorum, & si quis hominum abbatis in terra sua vel in aliqua villarum mearum vel oppidorum, seu alibi aliquem hominum meorum percusserit, vel sanguinem fecerit, vel occiderit, quod absit, si famulus abbatis, vel ejus præpositus, priusquam meus vadimonia ab illis quæsierit, inde fiat placitum & concordia vel duellum, si acciderit in curia abbatis. Concedo & ipsis & confirmo in Anglia manerium quod vocatur Sena, Willamque & Wertheam liberam & quietam, cum ecclesia ejusdem villæ, & unum molendinum & maras ibi adjacentes ad piscandum, & warennam. Hæc omnia teneant & possideant in puram & perpetuam eleemosynam, libere, quiete, pacifice, cum omnibus ecclesiis, decimis,

B redditibus, possessionibus, & cum omnibus consuetudinibus & libertatibus quas eis dederunt & concesserunt antecessores mei & homines ipsorum, tam in Normannia quam in Anglia, absque contradictione & calumnia mei vel heredum meorum. Pro hac autem concessione & confirmatione prædicti monachi LX & XII libras quas eis debebam de nemoribus meis in intuitu caritatis quietaverunt. Testibus his Gullielmo de Fraxino, Ricardo de Fornellis, Helia de Bosco, Matthæo de Bervilla, & abbatibus de Noa & de Strata, & pluribus aliis.

VIII.

Bulla Eugenii III pro sancto Salvatore.

C EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Hilariæ abbatissæ sancti Salvatoris Ebroicarum ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, &c. . . . . Prudentibus virginibus quæ sub habitu religionis accensis lampadibus juxta evangelicum verbum paratas se exhibent cum sponso suo Jesu Christo intrare ad nuptias apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a pio proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam ecclesiam in qua divino estis mancipatæ famulatui, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio 1152.

D communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsenti juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, vel aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis & his quæ post vos successerint, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda: Ex dono comitis Ricardi duo molendina Ebroicis, unum annonarium, alterum tannetarium, cum terra quæ pertinet ad eadem molendina, & decima molendinorum, censuum & vivarii de *Troz-comitissæ*, & decima omnium reddituum & exituum totius forestæ Ebroicensis, decimam mellis ipsius forestæ, venationis & denariorum de essartis quæ fient in ipsa foresta, & quid-

E quid demum comes habebat Asneriis in dominio suo, exceptis feodis militum, & bosco & aqua. In aqua tamen dedit piscationem quæ a vulgo dicitur *Croignum - Clavillæ*, terram ad dimidiam carrucam, Hundovillam, & quidquid ad eam pertinet, & moltam de Daubolo, & Escauvilla Gravigneii, decimam molendinorum & totius dominii comitis, præter decimam bladi apud *Guitebuet*, decimam dominii ejusdem comitis, lanæ scilicet, caseorum & ceriarum quæ ibi fiunt: apud Albam-viam decimam lanæ, caseorum, telonei, census & omnium reddituum in denariis, octo hospites & terram ad dimidiam carrucam: apud *Bavent*. centum solidos, ultra Sequanam decimam omnium reddituum & exituum quicumque

fuerint forestarum de Tractu, *Cravenchon* & *Caudebec*, & decimam molendinorum *de Maisnil* & *de Cravenchon*: apud *Dourenc* decimam molendinorum telonei, census burgensium & estoblagii porcorum, & herbagii ovium quas habent burgenses, & duas garbas hortorum burgensium, lini, cannabis & cujuslibet alterius rei, decimam quoque de terra quæ vocatur *Troz-comitis*, & duas garbas de terra rusticorum, & duas garbas de Essartis. Ex dono comitis Guillelmi, sex marcas argenti in Anglia, quas prior & monachi de Nogento super Andelam debent vobis annuatim exsolvere. Ex dono comitis Amaurici ferias sancti Leodegarii Ebroicis, & decimam de porcariis suis *de Guaz* forestarum, & totam decimam terrarum veterum & novellarum quæ pertinent ad *Guaz* forestarum de Tractu, & *Cravenchon*, & *Caudebec*; decimam quoque de haia *de Lentot* de omnibus illis quæ decimantur. Ex dono *Anscketilly* de Autolio, molendinum de Alba via, & vineam unam, & duos hospites in Fovilla; ex Helinaci de Autolio aquam de Gravigneio, ex dono Richardi filii Herluini decimam molendinorum de Garenis, decimam sancti Andreæ ex dono Oliennæ, concessu Radulphi filii Othonis, duos burgenses in vico sancti Taurini, quietos ab omni consuetudine; in episcopatu Ebroicensi omnes ecclesias & decimam bladi forestæ Ebroicarum; ecclesiam S. Jacobi de Essartis, cum decima de bosco & plano; ecclesiam de Caugeio, cum decima & triginta acras terræ in eadem villa; ecclesiam de Guichenvilla cum decima; decimam de Buissondrœlini & *de Folmuchon*; ecclesiam de Nova-villa cum decima, & triginta acras terræ in eadem villa; ecclesiam de Ferreriis cum decima; ecclesiam de Lacella cum decima, & terram ibi ad dimidiam carrucam & hospites quos ibidem habetis; ecclesiam *de Boore* cum eo jure quod competit vobis de decima ipsius ecclesiæ in episcopatu Luxoviensi; ecclesiam de Boissieio, cum decima ipsius villæ & sexaginta acras terræ in eadem villa; decimam de Lambervilla ex dono uxoris Wauchelini de suo patrimonio, medietatem villæ quæ dicitur *Capelle*, jus quod habetis in ecclesia ejusdem villæ. In episcopatu Carnotensi, ex dono Amaurici de Domo-rotunda, dimidiam villam *de Orviller*. Præterea quoniam supradictus comes Ricardus immunitatem quam habebant servientes de mensa sua servientibus vestris pro suæ animæ salute concessit, & ecclesiam vestram ab omni sua & successorum suorum consuetudine ac gravamine liberam reddidit & quietam, datisque feriis quæ fiunt in Annuntiatione Dominica in atrio ecclesiæ beatæ Mariæ bonæ memoriæ Guillelmo tunc Ebroicensi episcopo, animarum cura tantum ei & ejus successoribus reservata, omni pravæ consuetudini eam & exactioni episcopali exemit, nos etiam id auctoritate apostolica confirmamus, & futuris temporibus inconcussum permanere decernimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen. Ego Eugenius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego W. presbyter cardinalis ecclesiæ Lateranensis. Ego Hubaldus presbyter cardinalis tituli S. Praxedis. Ego Manfredus presbyter cardinalis tituli S. Sabinæ. Ego Aribertus presbyter cardinalis tituli sanctæ Anastasiæ. Ego Rolandus presbyter cardinalis tituli sancti Marci. Ego Conardus Sabinensis episcopus. Ego Ilmarus Tusculanus episcopus. Ego Hugo Ostiensis episcopus. Ego Odo diaconus cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum. Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Angeli. Ego Guido diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu. Ego Jacinthus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin. Ego Johannes diaconus cardinalis sanctorum Georgii & Bacchi. Ego Gerardus diaconus cardinalis sanctæ Mariæ in Via-lata. Datum Laterani per manum Bosonis S. Romanæ ecclesiæ scriptoris, x Februarii, indictione xv, Incarnationis Dominicæ anno M. CLII, pontificatus vero domini Eugenii papæ III, anno octavo.

IX.

Bulla Alexandri papæ III, pro Strata.

Ex Chartulario. 1164.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, Gervasio abbati monasterii S. Mariæ de Strata ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, religiosam vitam professis, in perpetuum. Cum omnibus ecclesiasticis personis debitores ex injuncto nobis officio existamus, illis tamen propensioris caritatis studio nos convenit imminere, quos in veræ religionis habitu omnipotenti Domino militare cognoscimus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris petitionibus clementer annuimus, & præfatam sanctæ Mariæ ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Terram de Stratis, terram de Bello-villari, terram de tramite *Ver*, Grande-pratum, alias terras & prata quæ ex utraque parte fluminis Arvæ habetis, unum piscatorem in eodem flumine per dominum castri *de Musi*, grangiam *de Faiel* cum omnibus appenditiis suis, grangiam de Mera-villa cum omnibus appenditiis suis, grangiam *de Champeillum* cum pertinentiis suis, & terra *de Boscochin*, & quæcumque possidetis in nemore Crotensi, grangiam *de Chalet*. Prohibemus autem ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem aliqua levitate sine prioris vel abbatis sui licentia, fas sit de claustro discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangias vestras, nullus violentiam, vel rapinam sive furtum committere, vel combustionem facere, seu hominem capere vel interficere audeat. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, minuere vel retinere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere

venire tentaverit, si secundo tertiove commonita, reatum suum congrua satisfactione non correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego Alexander catholicæ ecclesiæ episcopus. ✠ Ego Hubaldus presbyter cardinalis titulo sanctæ Crucis in Jerusalem. ✠ Ego Johannes presbyter cardinalis titulo sanctæ Anastasiæ. ✠ Ego Albertus presbyter cardinalis tit. sancti Laurentii in Luc. ✠ Ego Guil. titulo sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis. ✠ Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episcopus. ✠ Ego Gualterius Albanensis episcopus. ✠ Ego Jacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin. ✠ Ego Oddo diaconus cardinalis sancti Nicolai in Carcere. Datum Senonis per manum sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiac. & notarii, XV kalend. Maii, indictione XII, Incarnat. Dominicæ anno M. CLXIIII, pontificatus vero D. Alexandri papæ III, anno quinto.

X.

Fundatio Boni-portus.

Ex chartis majoris.

1190. RICHARDUS, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, senescalibus, præpositis, baillivis, & omnibus ministris & fidelibus suis totius terræ suæ, salutem. Sciatis nos dedisse & concessisse, & præsenti charta nostra confirmasse pro salute animæ nostræ & antecessorum nostrorum, in puram & perpetuam eleemosynam, Deo & ecclesiæ beatæ Mariæ de Bono-portu, quæ in foresta nostra *de Bord* sita est & fundata, in loco scilicet qui prius dicebatur *Maresdaus*, & monachis ibidem Deo servientibus, de ordine Cisterciensi, locum ipsum *de Maresdaus*, in quo prædictam ecclesiam ad honorem Dei & beatæ virginis Mariæ fundavimus, & totam haiam *de Maresdaus* sicut chiminus dividit eamdem haiam a foresta, & in eadem foresta *de Bord*, scilicet in loco qui dicitur balnea *Morin*, & circa locum illum viginti carrucatas terræ, scilicet unicuique carrucatæ sexaginta acras terræ, ad particam nostram, videlicet viginti quinque pedum. Dedimus etiam in prædicta foresta, omnia necessaria ad propria hebergagia facienda, & ad ignem suum, & ad omnes usus suos, & pasturam ad omnes bestias suas per totam forestam illam, & quietantiam pasnagii de porcis suis & hominum suorum, & examina apum in usum ecclesiæ. Dedimus etiam eis omnes vineas quas habebamus apud Guavereium, cum pertinentiis suis, & totum closum *de Lere* cum suis pertinentiis, & omnes vineas & vina quæ habebamus in valle Rodolii, & omnia prata nostra, scilicet de Guavereio & de Huma, & *de Loviers* & de Wiscarvilla, *de Leire* cum pasticiis ejus, & omne fœnum nostrum de valle Rodolii, quod venire solebat ad grangias nostras, excepto illo quod vadit ad carrucas & ad feoda servientium, & omnem aquam ad faciendum quidquid voluerint, & omnes piscarias, & molendinum *de Poses* cum pertinentiis suis, & omnes redditus quos habebamus a ponte Archæ in Secana sursum usque quantum durat vallum de Rodolio, & quietantiam per mare, per terram & per aquam, de omnibus rebus suis & hominum suorum, de modiatione etiam vini ad omnes usus suos, & de omni alia consuetudine, in omni potestate nostra. Dedimus etiam prædictis monachis decem carrucatas terræ in foresta nostra *de Auviz*, unicuique carrucatæ sexaginta acras terræ, ad supradictam particam nostram, ad faciendum ibi grangiam, & ad bestias suas, & ad bladum suum, & ad ea quæ voluerint, & in eadem foresta ligna ad ædificia sua facienda & ad ardendum, quantum opus habebunt, ad omnes usus suos, & in eadem foresta herbagium bestiis suis, quotcumque in nemore illo voluerint habere, & quietantiam pasnagii porcis suis. Dedimus quoque jam dictis monachis centum marcas de redditu nostro in villa de Dieppa in perpetuum, singulis annis, ad duos terminos persolvendas, scilicet medietatem ad Pascha, & medietatem ad festum sancti Michaëlis. Dedimus etiam eis habendam & tenendam in perpetuum in proprios usus suos, ecclesiam *de Crikboe* integre, cum omnibus pertinentiis suis. Volumus autem vos scire quod advocatio ejusdem ecclesiæ nobis adjudicata fuit per recognitionem in curia nostra; quare volumus & firmiter præcipimus quod prædicta abbatia nostra & monachi, & fratres in eadem domo Deo servientes, habeant & teneant in perpetuum omnia supradicta bene & in pace, libere & quiete, integre, plenarie & honorifice, in bosco & plano, in terris & vineis, in decimis, in hospitibus & redditibus, in pratis & pasticiis, in aquis & molendinis, in viis & semitis, in vinariis & stagnis, in mariscis & piscariis, & in omnibus aliis locis, & aliis rebus ad prædicta pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis. Propterea maxime præcipimus & omnino prohibemus, ne quis prædictos monachos in aliquo supradictorum disturbet vel differat supra decem librarum forisfacturam, testibus Willelmo filio Radulphi, tunc senechal. Normanniæ, Roberto *de Harcurt*, magistro *Mauger* archidiacono Ebroicensi, Joanne *de Alene* archidiacono Luxoviensi, Willelmo *Tobomer*, Petro de Pratellis, & pluribus aliis. Datum per manum magistri Guarini prioris *Lochion*, tunc agentis vicem cancellarii, apud Bellum-castrum de Rupe, XXVIII die Februarii, anno primo regni nostri.

X I.

Diploma Ricardi Angliæ regis pro S. Taurino.

Ex chartulario.

RICARDUS, Dei gratia rex Anglorum, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, senescallis, præpositis & omnibus ministris & fidelibus suis, salutem. 1195.
Sciatis nos concessisse & præsenti charta nostra confirmasse Deo & ecclesiæ beati Taurini primi Normannorum episcopi, pro salute animæ nostræ, & antecessorum & successorum nostrorum, donationes quas antecessores nostri suo tempore & barones eorum eidem ecclesiæ fecerunt. Quæ donationes & qui eas donaverunt, in præsenti charta subscribuntur. Ricardus filius Willelmi dux Normannorum, qui abbatiam in honore sancti Taurini Ebroicensis instituit, hæc quæ subscribuntur de dominio suo ipsi Sancto donavit, scilicet decimam telonei Ebroicensis civitatis & vicecomitatus, & hospites in eadem villa cum libertate, & burgum ejusdem ecclesiæ propinquum soli ecclesiæ serviens, & terram cum aqua, & in silva sua ligna ad omnes usus monachorum necessaria, & pastionem ad suos proprios porcos & ibi prope villam quæ dicitur Patervillam, & dimidiam terram Istielmaisnillam, cum dimidia parte ecclesiæ sancti Aquilini; & in Ebroicensi pago ecclesias *de Wellebon*, & *de Caldebec*, & *de Lonviers*, & de Pintervilla, cum omnibus decimis quæ ad illas pertinent, & hospitibus multis eidem ecclesiæ servientibus, & in Secana unum tractum, & in Actura duos, & piscationes molendinorum *de Loviers*, & quadraginta solidos in molendinis suis, & in nemore suo ad omnes usus monachi ibidem commorantis necessaria, & pastionem ad suos proprios porcos; hominibus quoque dedit tantam libertatem in curia sancti Taurini, quantam suis homi-

nibus in sua curia: in pago quoque Constantini, Periers, & Millieres, & Wandiimatnillam & quæ ad illa pertinent, sicut in dominio habebat, libere dedit: in Liovino terram apud Martinivillam, & apud Ulmeia, & apud Molas, unde plurimorum vavassorum servitium redditur monachis, & liberas consuetudines per totam terram suam, & in festivitate sancti Taurini nundinas totius civitatis & omnes illius diei consuetudines. Willelmus de Paccio Mathildis filius, pro sua & parentum suorum, & dominorum absolutione, terram *de Chesigne* quæ deserta & absque habitatore manebat, sicut quiete tenebat, sine alicujus contradictione prædicto loco tribuit, annuente domino suo Willelmo de Breiolio; & Hugo filius Hubaldi de Paccio terram quam in Pictarivilla tenebat, excepto quod liberi sui homines in eadem villa tenebant, Domino sanctoque Taurino dedit, & defunctus in claustro monasterii sepultus est; quam donationem Osbernus de Longavilla firmavit, tribuens etiam terram quam Hugo *Borse* tenuit & Thebaldus presbyter. Post hæc Robertus *Malet*, & uxor ejus Emmelina, & Gillebertus *de Nuille*, annuentibus fratribus suis Haimardo & Focardo, voluntate Willelmi de Bretolio & Ricardi filii Herluini, ecclesiæ S. Taurini dederunt ecclesiam Pictarivillæ cum omnibus ad eam pertinentibus, & terram ex utraque parte ecclesiæ triginta duas perticas continentem. Hiis adjunxerunt terram quantum possunt arare quatuor boves in anno pro duobus monachis, Hugone videlicet Roberti filio, & Nicolao Gilleberti filio. Post mortem vero Roberti & Gilleberti, heredes illorum dederunt prædicto Sancto silvam illius villæ, & Rogerius *Genivel* quidquid habebat in ecclesia & decima quiete concessit, & in jam dicta silva terram quam ibi habebat cum arboribus, eidem Sancto dedit. Odo filius Geraldi terram quam juxta ecclesiam habebat, prædicto Sancto dedit. Hæc omnia supradicti domini quiete sancto Taurino concesserunt, & donationem super altare posuerunt testimonio multorum. De hiis quæ ad fiscum comitis Ebroicarum pertinent, Robertus Lovellus terram quæ Ciconia dicitur, sicut quietam & liberam tenebat de eodem comite, consensu Willelmi comitis facta solenni donatione concessit cum ecclesia & quæ pertinent ad eam, qui comes Willelmus pastionem monacho ibidem commoranti ad proprios porcos dedit. Dedit etiam ipse Robertus eas decimas quæ de suo feodo erant, scilicet *de Aurille*, & *de Guerrel*, & *de Plassiers*, & *de Gorchan*, & *de Beschoire*. Præterea Gostho presbyter ecclesiam de Lissei cum decima sicut quietam tenebat, concedente domino suo Simone, dedit ibi factus monachus, & Simon dominus ejus dedit quinque acras terræ cum duobus hospitibus, & decimam molendini apud Ebroas, quod dicitur *Mareschal*. Denique Albereda decimam Grandis-silvæ quam proprie tenebat, dedit & liberi homines sui suam consensu illius. Inde monachi ecclesiam fecerunt. Adjunxit quoque terram Albereda, in eadem villa sex acras terræ & terram ad hospitandum. Agnes quoque uxor Rogorii de Paciaco dedit Deo & sancto Taurino de hereditate sua ecclesiam cum decima *de Berou*, & ecclesiam sanctæ Trinitatis cum terra ad duos boves. Goscelinus de Sachenvilla & ejus filius Willelmus, dederunt eidem Sancto ecclesiam S. Martini cum decima, & decimam Desmainsvillæ. Præterea Radulfus & Fulco filii Hugonis de Petroca dederunt sancto Taurino decimam ejusdem villæ, concessu Roberti filii Hugonis domini sui. Hugo *de Sache* & ejus filius Robertus cum suorum amicorum consensu, decimam *de Sache* & *de Morcenc* dederunt: unde monachus factus est idem Hugo. Richardus quoque comes Ebroicensis, annuente Willelmo ejus filio, pro salute animæ suæ, dedit decimam *de Bueville*. Hunfridus, cognomento Morinus, filius Henrici dedit sancto Taurino decimam terræ suæ de veteribus Ebroicis. Similiter Astho de sancto Albino dedit decimam terræ suæ, annuente domino suo. Richardus quoque *Harenc* S. Taurino dedit decimam cujusdam terræ suæ, quæ vocatur *Cultins*. Gencelinus dedit Deo & sancto Taurino ecclesiam de nemore Genceliini cum decima, & quatuordecim terræ acras, annuente domino suo Rogerio de Bello-monte, de cujus fisco erat. Addidit etiam Gencelinus pascua pecorum monachorum intra & extra silvam, pro quo in eodem loco monachus effectus est. Rogerus de Bello-monte, amore Dei & animæ suæ salute, dedit ecclesiæ sancti Taurini in perpetuum fundum per annum, unum modium frumenti, & alterum modium Braisi, & decimam molendinorum Normannivillæ, & sequens filius ejus Robertus hoc idem concessit. Radulfus vero filius Othonis dedit decimam molendini *de Belmontel*, & ejus quod est subter civitatem Ebroicas, & decimam villæ *de Teillole*. Morinus *Delpin* dedit decimam molendini sub muro civitatis, & ejus quod est apud S. Germanum. Rogerius *Harenc* dedit decimam molendinorum *de Glisoles*. Herbertus *de Croise* dedit decimam de villa quæ dicitur *de Ploisseis-Herbert*: inde postea monachus effectus est. *Mahiel* filius Gaufridi, concessu domini sui Willelmi de Bretolio & parentum suorum in territorio *Glos*. in villa quæ dicitur *Bois-Mahiart* dedit terram ad unum aratrum ad usus monachorum. Willelmus filius Amaurici factus monachus dedit sancto Taurino 17 acras terræ apud Isnelmaisnillam, concedente fratre suo Gilleberto & domino suo Valtero. Radulfus Bellacaro particulam silvæ quam habebat in territorio S. Germani dedit sancto Taurino, concessu domini sui Walteri filii Radulfi. Similiter quatuor milites qui tenebant liberam terram apud villam quæ dicitur Campania, scilicet Hugo *Batpuche*, & Rogerius filius Oelerii, & Urso, & Ramerius, concedentibus dominis suis Simone filio Landerici & Rogerio Bello dederunt sancto Taurino ecclesiam sancti Laurentii cum omnibus quæ ad eam pertinent, & in circuitu ecclesiæ ex omni parte viginti perticas terræ ad hospitandos homines in proprio dominio Sancti dederunt, & terram ad laborandum unusquisque ad duos boves. Dederunt etiam de sua silva ad usus monachorum, quantum necesse fuerit. Simon vero & Rogerius Bellus dederunt monachis pasnagium porcorum, & propriorum & suorum hominum, & silvam ad usus eorum, & prati quinque jugera, & culturam quæ dicitur Cultura Hersendis. Dedit etiam Rogerius Bellus terram ad unum bovem, annuente Gilleberto præsule apud Ebroicas, de cujus fisco erat. Gohellus de Ivrcio dedit capellam quæ sita est intra castellum *Illeis* liberam & quietam; furnos quoque totius villæ & castelli, & decimam omnium quæ ad se pertinent, & panis proprii, & molendinorum, & piscium stagni, & terram convenientem ad habitandum & laborandum; & si contigerit quod teloneum & transitus ibi capiatur, similiter decimam. Godefridus clericus, concessu Roberti Canuti domini sui & aliorum dominorum suorum de quorum possessione ipse tenebat, dedit beato Taurino decimam *de Croise*, sicut quiete tenebat, cum omnibus quæ ad eam pertinent, cujus ecclesiam Herbertus *de Croise* dederat eidem Sancto. Apud Paceium vero dedit Godefridus ecclesiam S. Antonini cum pertinentiis. Rogerius Pincerna de Normannivilla dedit monachis sancti Taurini decimam terræ suæ, ibi factus monachus. Similiter Willelmus *Harenc* factus monachus dedit decimæ medietatem de Waudrivilla. Willelmus de S. Germano dedit decimam terræ suæ quam habebat apud *Maernel*. Radulfus *de Maernel* dedit sancto Taurino terram *des Jariers*, quam filius ejus Rogerius concessit, & centum acris terræ donum patris crevit, & totam decimam villæ concessit, concessu domini sui Willelmi. Radulfus de Toneio dedit ecclesiæ beati Taurini, in Anglia villam quæ dicitur Escleia libere & quiete, cum hiis quæ ad eam pertinent, concedente Willelmo Anglo-

rum rege. Henricus comes *de Voarwic* dedit in terra Walensium apud Gouherium ecclesiam S. Keneti, & terram ad duo aratra in vicinio ipsius ecclesiæ, & decimam ejusdem villæ *Lenguenc*, & locum apium ad molendinum, & de silva sua ad omnia necessaria, & decimas omnium redditum suorum, & de venatione, & de piscatione, insuper de omni dominio suo, & ecclesiam *de Tanoin* libere & absque calumpnia. Apud Longam-villam Osbernus filius Hugonis *de Cormeil* dedit monachis sancti Taurini consuetudines totius terræ vinearum Gaufridi præpositi & Ermengardis, quas monachi tenebant in dominio, quæ erant ex fisco ejusdem Osberni, & terram Ansgerii totam quietam, annuente domino suo Rogerio pincerna regis. Robertus dapifer dedit Deo & sancto Taurino duas acras terræ in Warenna, & decimam culturæ Petri domini sui. Emma de Valle & filii ejus dederunt sancto Taurino decimam quam possidebant in Busco, & in valle Grimoldi, & in Cantapica, & apud sanctum Remigium, pro fratre suo Thoma ibidem facto monacho. Heldebertus factus monachus in ecclesia sancti Taurini, partem hereditatis suæ donavit ecclesiæ, reliquam partem invadiavit ipse, & frater suus devadiavit. Hosmundus qui in ecclesia factus monachus totum vadimonium & hereditatem reliquit quietam, concessu Godardi & Warengerii, quam postea tradiderunt monachi ad medietariam Godardo secundum consuetudinem villæ. Simon quoque comes Ebroicensis dedit Deo & sancto Taurino biduales nundinas quæ sunt in secunda Dominica post Pentecosten & die lunæ sequenti. Similiter Radulfus Ebroicarum, concessu, tam comitis Ebroicensis quam comitis de Mellento, dedit sancto Taurino totam decimam quinque molendinorum suorum in parochia sancti Germani, & decimam molendini *de Lisle de Chattivel*, & aquam sancti Germani, & omnem piscationem, & nausas ejusdem aquæ, & decimam de Ansgervilla. Dedit etiam medietatem villæ quæ dicitur *le Buisson* Amaurici, & duos homines cum domibus suis, & decem solidos annuatim pro anniversario patris & matris suæ, & omnium parentum suorum, & concessit omnia pertinentia ad feodum suum quæ antecessores sui vel homines alii dederunt Deo & sancto Taurino, scilicet decimam *del Toillol* Radulphi filii Othonis, & decimam molendini *de Belmontel*, & decimam de Maisnillo Othonis, & decimam *de Maietel*, & decimam de bosco Gencelini, & decimam molendini *de Grocet*, & medietatem aquæ & villæ illius quæ dicitur Berengerivilla; & apud sanctum Germanum tres acras terræ, quas Johannes filius Lamberti dedit beato Taurino. Ricardus de Millerils, concessu Willelmi fratris sui & parentum suorum, dedit Deo & sancto Taurino quidquid habebat vel habere debebat in ecclesia *de Milleres*, unde victui necessaria de abbatia sancti Taurini habuit omnibus diebus vitæ suæ. Has prædictas donationes, sicut rationabiliter factæ sunt præfatæ abbatiæ S. Taurini & monachis ibidem Deo servientibus, confirmamus, testibus Guarino Ebroicensi, N. Lexoviensi episcopis, Willelmo filio Radulfi tunc senescallo Normanniæ, Roberto *de Harcourt*, Wangel. de Ferrariis, Henrico *de Groy*, & pluribus aliis. Data apud Vallem Radolii, quinta decima die Januarii, per manum Willelmi El. episcopi cancellarii nostri, anno sexto regni nostri.

XII.

Ex chartulario. *Circa* 1195.

Translatio parthenonis sancti Salvatoris.

UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis, ad quos præsens scriptum pervenerit, G. divina miseratione Ebroicensis ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino, &c. Cum abbatiâ sancti Salvatoris Ebroicensis funditus eversâ, terra de feodo nostro quæ est inter *Witeilme* & fossam domini *Rickent*, ad novæ abbatiæ constructionem omnibus idonea videatur, nos ad preces & instantiam A. tunc abbatissæ & conventus Ebroicensis, eamdem terram cum vineis, & censibus, & omnibus ad feudum nostrum in terra illa spectantibus, eisdem A. & conventui in eleemosynam perpetuam amore Dei & caritatis intuitu, ad abbatiæ novæ constructionem libere, & pacifice, & quiete ab omni exactione immunem in perpetuum sub annuo redditu quadraginta solidorum in synodo hiemali nobis & successoribus nostris a domo prædicta numerandorum possidendam nostri assensu capituli concessimus. Quod ne oblivione fugiat, vel malignitate quassetur, sigilli nostri munimine roboravimus.

XIII.

Ebroicarum cessio facta Philippo Franciæ regi.

Ex Sammarthanis. 1200.

EGO Almaricus comes Glocestriæ, domino Philippo illustri regi Franciæ & heredibus ejus, de propria voluntate mea, & de mandato domini mei Joannis illustris regis Angliæ, in præsentia ipsorum regum & baronum suorum, quitavi civitatem Ebroicensem & Ebroicinum, videlicet quidquid in eis habebam feodi & dominii, sicut metæ determinant, quæ in charta domini mei Joannis illustris regis Angliæ, quam dominus rex Franciæ habet, denotantur, & dominus meus rex Angliæ in sufficiens escambium inde donavit. Ego etiam bona fide & sine malo ingenio, in manu domini regis Franciæ fiduciavi hoc tenere, sicut continetur in charta domini mei regis Angliæ, quam dominus rex Franciæ habet. Quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigilli mei munimine confirmavi, testibus H. Cantuariensi, E. Burdegalensi, & J. Dubliniensi archiepiscopis; A. Meldensi, P. Bellovacensi, H. Lincolnensi, G. Eliensi, & H. Saresberiensi episcopis: B. comes Flandriæ, & T. comes Campaniæ, L. comes Blesensis, P. comes Drocensis, Vu. Mariscallus comes *de Pembroc*, Vu. de Garlanda, B. de Roya. Actum Geleton. anno Incarnati Verbi M. CC, mense Maio.

XIV.

Regiæ eleemosynæ pro Lira.

Ex chartulario. 1200.

PHILIPPUS, Dei gratia Francorum rex, Nicolao *Bocel*, salutem. Mandamus tibi quatinus monachis de Lira facias tenere eleemosynas suas, sicut eas temporibus Henrici & Ricardi regum Angliæ tenuerunt. Actum apud Conchas, anno Domini M. CC, sexto mense Januario.

XV.

Donationes factæ Brolio.

Ex chartulario. 1213.

UNiversis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, ego Fulco dominus de Marcilleio, notum facio me donationes & concessiones bonæ memoriæ Fulconis videlicet avi mei & Fulconis patris mei, quondam dominorum de Marcilleio, chartis suis expressas verbum ad verbum sicut inferius sunt notatæ, diligenter inspexisse. Universis fidelibus præsentibus & futuris notum sit, quod Fulco de Marcilleio, & Joannes filius Philippi, & Philippus filius Pagani, concesserunt abbatiæ beatæ Mariæ sanctique Joannis Baptistæ de Brolio, & monachis ibidem Deo servientibus, in eleemosynam perpetuam, quæcumque antecessores ipsorum eidem abbatiæ ante donaverant, videlicet sedem ipsius abbatiæ, virgulta, vineas, hortos, & fossata, & totam terram, & pratum de Ulmo, & ductum aquæ molendini sursum & deorsum, & a virgulto sursum usque ad alveum fluminis Auduræ piscationem ita liberam, quod nemo nisi per monachos ibi piscari præsumet. Addiderunt etiam ad donationes istas Brolium totum juxta abbatiam, & terram in qua est ipsum Brolium, & de terra plana

circa ipsum octo pedes ad faciendum fossatum ad clausuram ipsius : & sciendum quod fontem in ipso Brolio Fulco de Marcilleis in dominio suo retinuit, & viam congruam ad ipsum juxta rivum ipsius. Pro hac antiqua decessorum suorum eleemosyna confirmanda & nova Brolii donatione præfati milites habuerunt de caritate abbatis centum libras Drocenses. Donavit quoque præfatus Fulcoius jam dictæ abbatiæ duos modios vini apud Meden, & dimidiam decimam vini vineæ suæ de Marcillkio : hæc omnia ita libere & quiete præfatæ abbatiæ sunt donata & concessa, ut sicut cimeterium vel altare libere & secure ea possideat. Auctum est hoc concessione Burgæ matris jam dicti Fulconis & sororis suæ Gersendis, necnon & uxoris suæ Emmelinæ, Roberti quoque fratris Joannis, &c. Hæc autem omnia supradicta Simon de Aneto ad cujus feodum pertinent, concessit, & Joannes filius ejus, &c. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo tertio, decimo mense Aprilis.

X V I.

Dedicatio ecclesiæ Broliensis.

Ex chartulario.

1224. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis, Ricardus Ebroicensis & Gualterius Carnotensis, divina permissione episcopi, salutem in vero salutari. Universitati vestræ notum fieri volumus, quod cum nos ambo simul ecclesiam beatæ Mariæ de Brolio, Cistercienses ordinis, anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto, in die octava Ascensionis Dominicæ dedicavimus, de Dei omnipotentis misericordia confisi, omnibus ad ecclesiam dictam ob honorem dedicationis venientibus & prædicto loco pias eleemosynas conferentibus unusquisque quinquaginta dies de injuncta sibi pœnitentia relaxavimus, & hanc indulgentiam usque ad festum Omnium sanctorum dictam dedicationem proxime sequens decrevimus prorogandam. Singulis vero annis sequentibus in perpetuum per quindecim dies a die octava Ascensionis computandos extendi volumus indulgentiam supra dictam, omnesque illos qui dictis temporibus ad præfatam ecclesiam devote accesserint, & sua ibidem beneficia pie erogaverint, ejusdem indulgentiæ participes fieri ita plene statuimus & concessimus, sicut illi qui die dedicationis ejusdem participes extiterunt ad ipsam ecclesiam venientes. Datum anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense Julio.

X V I I.

Dedicatio ecclesiæ de Haya-comitis.

Ex Sammarthanis.

1226. UNiversis Christi fidelibus, Richardus, Dei gratia Ebroicensis episcopus, salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quod cum nos ecclesiam de Haya-comitis *de lez Louviers*, sitam ante domum domini Amaurici de Mellento, dedicavimus, fideles qui dictæ dedicationi interfuerunt, subscriptas eleemosynas divinæ pietatis intuitu præfatæ ecclesiæ contulerunt. Nos vero in exemplum aliorum inprimis contulimus dictæ ecclesiæ denaria ad emendum quinque solidos annui reditus. Actum anno gratiæ 1226.

X V I I I.

Donationes factæ & confirmatæ Brolio.

Ex chartulario.

1228. RICARDUS, divina permissione ecclesiæ Ebroicensis minister humilis, universis præsentes literas inspecturis, salutem. Universitati vestræ notum facimus nos donationes & concessiones dilectorum filiorum Fulconis videlicet de Marcilleio, Goherii de Alneto, Joannis de Marcilleio, & Roberti de Ybreio militum in nostra diœcesi constitutorum, & chartis suis expressas verbum ad verbum sicut inferius sunt notatæ, diligenter inspexisse. Notum sit universis, quod ego Fulco dominus de Marcillkio, &c. quod ego Goherius de Alneto, &c. quod ego Johannes de Marcillkio, &c. quod ego Robertus dominus Iberii, dedi pro salute animæ meæ abbatiæ beatæ Mariæ de Brolio, Cistercienses ordinis, & monachis ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam eleemosynam, quidquid ego & antecessores mei in patronatu ecclesiæ beati Petri de Marcilleio habueramus hereditate, jure aliquo, seu consuetudine; totum dictæ abbatiæ de Brolio concessi & tradidi ad habendum, tenendum & possidendum, & omnimodam voluntatem suam inde faciendam, absque ulla mei vel meorum retentione: volo etiam ut si præfata ecclesia de Marcilleio abbatiæ supra dictæ appropriata fuerit, omnes proventus qui exinde haberi poterunt, in vestiendis monachis expendantur, &c. Quia igitur dicta ecclesia de Marcilleio in nostra diœcesi est sita, eleemosynam dictorum virorum commendabilem pariter & laudabilem & gratam habentes, dictæ domui de Brolio ob favorem religionis jus patronatus ecclesiæ memoratæ, & ipsam ecclesiam persona decedente in usus proprios suos retinere concedimus, laudamus, & auctoritate pontificali in perpetuum confirmamus, ita tamen quod dictæ ecclesiæ per vicarium idoneum faciant deserviri. Datum apud abbatiam de Strata, anno Domini M° CC° vigesimo septimo, nono calendas Martii.

X I X.

Bulla Gregorii IX pro Conchis.

Ex chartulario.

GREGORIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Willelmo abbati monasterii sancti Petri de Castell. ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quoties a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Petri de Castellione in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam, in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur: præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; villam quæ dicitur *Castellion*, ab omnibus calumniis & querelis absolutam & liberam, cum molendinis de Stagno, & cum omni territorio ad eamdem villam pertinente, & teloneo ipsius villæ & totius territorii cum banleuga libera, & cum omnibus redditibus & decimis totius parochiæ, & ecclesiam sancti Audoeni de Conchis, & capellas sanctæ Fidis, & sancti Stephani, & beatæ Mariæ de Valle, cum decimis & offerendis; subjectionem quoque omnium hermitagiorum quæ sunt in foresta de Conchis, cum decimis eorumdem, & decimas omnium terrarum totius prædictæ forestæ, cum patronatu ecclesiarum ejusdem, & omnium aliarum silvarum domini de Toenio, & decimas omnium cendrariorum & caronum, & pasnagiorum in omnibus silvis de feudo domini de Thoenio; terram ad duas carrucas apud Landam, quæ dicitur Sebecuria; decimas omnium molendinorum domini de Thoënio per totam terram suam; decimas omnium denariorum suorum,

suorum, & de omnibus redditibus suis in Conchis, in Ferraria, in Achyneio, in Thoënio, in Heuguevilla, & in omnibus aliis villis suis, eamdem libertatem, etiam & dominationem, & consuetudinem in omnibus hominibus ecclesiæ vestræ, in omni terra vestra, per totam terram suam, quam libertatem, quam dominationem & consuetudinem habetis in Castellione, fœdum quod dicitur domini Willelmi *de Valeil* in dominio; fœdum quoddam Gerelini de Fraxino; ecclesiam & decimam ejusdem villæ, & duos francos homines in dominio; terram *de Vernay* ad quinque carrucas; ecclesiam *de Houssemaigne* cum decimis; decimam totius terræ domini de Vernano apud Bussum & apud *Nagel:* in bosco Baillato decimam terræ domini; totum *Valeil* in dominio; decimam omnium hominum Gerelini de bosco Hugonis; in Aureis-vallibus dimidiam decimam villæ; decimam culturarum domini in villa quæ dicitur *Nogent;* omnem decimam terræ Radulphi *de Nuisement,* & hospitem unum cum terra sua; medietatem villæ quæ dicitur *Baillol,* & ecclesiam cum cimeterio libero; decimam ejusdem villæ, tam vini quam bladi, & terram aliquantulam ad colendum, & omnem decimam & omnem libertatem ejusdem villæ; decimam de feudo Archenohodi de Moncellis; decimam quamdam in villa quæ dicitur Caengium: apud Bonam-villam duos hospites cum ortis suis; ecclesiam de Gregnosevilla cum decima; decimam duorum molendinorum in eadem villa; duas garbas decimæ *de Buré,* cum hospite uno; ecclesiam de Louverciaco, & decimam ejusdem villæ; feudum quoddam Rogerii filii Berte, liberum & quietum; decimam de una carruca cum hospite uno, & medietatem ejusdem villæ; duas garbas decimæ in villa quæ dicitur *Canteleu;* duas garbas decimæ *de Verz,* & decimam omnis generis ligni ipsius terræ: in Putenaia ecclesiam, decimam & terram quamdam Rogeri; capellam in Wavilla, duos homines, & duas mansuras, & decimas fœdi Geroldi *Vastinel:* in Bervilla unum hospitem; in Coarvilla decimam quamdam; in *Oissel* quamdam decimam; in Wivilla medietatem decimæ, & feudum Wimundi; decimam omnium molendinorum de Hundevilla; ecclesiam de Aquineyo, cum offerendis & decimis de annua, & de vino, & de piscibus aquæ quæ dicitur Auctura, & gordum unum de sancta Cecilia; feudum quondam Claverii & Foardi, & mansuras plures in eadem villa, & decimam cujusdam virgulti; decimas de duabus carrucis in villa quæ dicitur Fontanis, & de vino, de silva, de pratis, & duas garbas decimæ, ibidem de feudo Alexandri *Auteil;* in eadem villa molendinum unum, & feudum quondam Lancelini presbyteri, & Andelini nutricii cum plantato, & decimam redditus denariorum & molendinorum totius dominii Rogerii de Thoënio, tam plani quam nemoris sancti Vigoris, & omnem decimam de Roncia; ecclesiam de Theonio cum offerendis & decimis de annona, cum piscibus & pratis, & unum gordum cum hospite uno; feudum quondam Richerii & hospites, & vineas plures in eadem villa; ecclesiam & decimas sancti Ursini, de vino & de omnibus ad eam pertinentibus: in Albania quamdam partem decimæ segetum, & quartam partem oblationum in altari, & decimam molendini *de Teuray,* quod situm est secus forestam de Conchis. Concessas vobis insuper a regibus omnem libertatem & quietanciam rerum vestrarum, propriorum famulorum de omni passagio & de omni consuetudine apud portum qui vocatur Dieppa; *Lesevee* etiam omnium hominum vestrorum ibidem morantium, & si iidem homines vestri naves habuerint in mari piscatorias, quidquid ad regem de illis navibus pertinet; in Warengervilla ecclesiam & decimam, cum feudo quondam Fermani presbyteri, & decimam de uno molendino, & tertiam partem de terra & de hospitibus quos habebat fundator monasterii vestri in villa quæ vocatur Dieppa, & homines qui pertinent ad eleemosynam ecclesiæ vestræ sancti Walerici, & terram de Briveria & Walichervilla, decimam de una carruca, cum hospite uno: apud Breitevillam unum hospitem, & decimam de villa quæ vulgo dicitur *Cravençon,* duas garbas decimæ *de Houlebet,* de lino, de lana, & de omnibus de quibus datur decima, & unam acram terræ ad grangiam faciendam; in Rothomago unum hospitem & tertiam partem de pratis domini de Thoënio; in Mortuo-mari decimam de duabus carrucis, & de duobus molendinis, & de præpositura ejusdem villæ, & unum hospitem; in Heuguevilla ecclesiam & decimam, & unum hospitem; in Villarvilla ecclesiam & decimam, & unum hospitem: apud Harachavillam ecclesiam cum terra ejusdem ecclesiæ, & omnibus ad eam pertinentibus, cum omni decima & territorio ejusdem villæ, libere & absolute; capellam sancti Stephani, cum territorio, & hospitibus, & terris, & ceteris pertinentiis suis; in villa quæ dicitur *Astalmbo,* duos homines, cum terris & decimis, & ceteris pertinentiis suis: in episcopatu Lexoviensi, in Villarvilla, juxta pontem Archenfredi, ecclesiam & decimam, cum ceteris pertinentiis suis; terram quamdam de feudo Ricardi *de Witot,* & feudum quondam Olvi de Monasterio, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Hunciis. In Anglia, in episcopatu Herefordensi, unum manerium quod vocatur Lena, ecclesiam ejusdem villæ in dominio, & totam decimam ejusdem villæ, & decimas totius dominii domini de Thoënio, tam de planis quam de boschis, in omnibus maneriis suis, scilicet decimam de Chahenone, cum hospite uno; decimam dominii *de Estockes* & de Hida, cum hospite uno; in Bromo-esberga decimam de dominio; decimam etiam firme denariorum & omnium proventuum de terra quæ vocatur *Bur;* decimam de dominio *de Colmient,* & quartam partem de durra, aut quinquaginta solidos, si magis vobis placuerit. In episcopatu Wigorniensi, in villa quæ dicitur *Wiron,* ecclesiam ejusdem villæ a bonæ memoriæ Radulpho episcopo Wigorn. concedente capitulo suo, liberam & absolutam monasterio vestro concessam, cum decimis, oblationibus, & omnibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus, molendinum unum, & unam hidam terræ ecclesiæ adjacentem, & aliam hidam quæ vocatur *Drouresel,* cum duobus maneriis, *Morchelac* & *Edrickeston,* eamdem etiam libertatem vobis & hominibus vestris, in plano & bosco, in pratis, agnis, & aliis omnibus quæ dominus villæ de Wictonena & homines sui habent; quæ omnia vobis ab omnibus consuetudinibus quæ ad dominum pertinent absoluta & libera sunt concessa; in Almeleia decimam de dominio, & duodecim denarios de Roberto *de la Herwiche,* de uno assario, & partem decimæ de salinis; decimam de dominio de Berga; decimam de terra Roberti filii Roaldi de dominio, & unum hospitem; decimam dominii *de Seldesteies,* cum hospite uno; decimam dominii *de Werneiles,* cum hospite uno; decimam dominii de Efeleia; decimas dominiorum de Habudeleia & de Lyda, & tres hospites; decimam dominii de Rumeleia; decimam dominii de Stantona; decimam dominii *de Flammestre,* cum hospite uno; ecclesiam *de Welcimestort,* & totam decimam; decimam dominii *de Currungh.* In episcopatu Norwicensi unum manerium, scilicet Wertheam, totum liberum & quietum; in dominio vestro ecclesiam & decimam ejusdem villæ, & quidquid ad villam pertinet, scilicet unum molendinum & maras ibi adjacentes ad piscandum, & warennam: in Sturtona sexaginta acras terræ, & decimam dominii *de Picheam;* libertatem etiam & quietanciam concessas vobis a regibus, de omnibus consuetudinibus & querelis ad regem pertinentibus, scilicet *de Sire,* & *de Hicundret, de Gel,* & *Darenegel,* & *de Hildegeld,* & *de Hunderedessen;*

culturam quæ est sita juxta villam Castellionis, cum vinea juxta vivarium de Fontanis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, pasnagiis & pascuis, in bosco & plano, in agnis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat; liceat quoque vobis clericos vel laïcos liberos & absolutos e seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis janius, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, dummodo causam non dederitis interdicto, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episc. si quidem catholicus fuerit, & gratiam & communionem sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu diœcesani episcopi & vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis pontificum Romanorum. Ad hæc novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis secularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, & eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum illarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars sanioris consilii, secundum Deum & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Præterea omnes libertates & immunitates a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus & principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ authoritate, ac diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Si qua igitur in futurum secularis ecclesiasticave persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove admonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem in eodem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen, amen. Ego Gregorius catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Johannes Sabinensis episcopus. Ego Jacobus Tusculan. episcopus. Ego Thomas titulo sanctæ Sabinæ presbyter cardinalis. Ego Johannes titulo S. Praxedis presbyter cardinalis. Ego Sigebaldus titulo sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis. Ego Stephanus sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti presbyter cardinalis. Ego Jacobus Prænestinus electus. Ego Rainerius sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconus cardinalis. Ego Romanus sancti Angeli diaconus cardinalis. Ego Ægidius sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis. Ego Ramuldus sancti Eustachii diaconus cardinalis. Ego Otho S. Nicolai in Carcere Tull. diaconus cardinalis. Datum Perusii per manum magistri Bartholomæi sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, VII idus Novembris, indict. VIII, Incarnat. Dominicæ anno M° CC° XXXIIII°, pontificatus vero domini Gregorii papæ VIIII, anno octavo.

X X.

Confirmatio donationum Brolio factarum. Ex chartulario.

NOtabiliter notandum est quod ego Johannes de Marcilleio, quascumque possessiones, quæcumque bona monachi de Brolio, dono, concessione, emptione, eleemosyna, vel aliis quibuslibet modis, in omni feodo meo, & dominio de Marcilleio & *de Molens*, & de Logiis, acquisierunt in nemore & in plano, scilicet in terris arabilibus, in decimis, in hortis, vineis & virgultis, vel aliis quibuslibet rebus, laudo, concedo, approbo & volo ut in perpetuum possideant absolute, libere & quiete, ita quod in prædictis nihil juris, consuetudinis, proprietatis, vel alterius cujuslibet rei, mihi vel meis retineo, sed renuncio bona fide generaliter in hoc facto omni juris auxilio, tam canonici quam civilis, & omni exceptioni & rei quæ possent objici contra præsens & publicum instrumentum. Ob cujus rei gratiam prænominati monachi mihi caritative duodecim libras Turonenses donaverunt. Quod ut ratum & firmum maneat in perpetuum, præsens scriptum sigilli mei munimine roboravi anno Domini M. CCXXXV. 1235.

X X I.

Dedicatio ecclesiæ Conchensis. Ex chartulario.

RADULFUS, Dei gratia Ebroicensis episcopus, universis Christi fidelibus in Ebroicensi diœcesi constitutis, salutem in Domino. Cum de generali consuetudine ac moribus utentium approbatis, sit obtentum ut episcopi indulgentias faciant in dedicationibus basilicarum, & nos ex officii nostri debito die Dominica post Epiphaniam, anno Domini post Epiphaniam M. CCXXX octavo, ecclesiam sancti Petri de Castellione duximus consecrandam, nos de Dei omnipotentis misericordia, & beatæ Mariæ semper virginis, & beatorum Petri & Pauli meritis, & monachorum ibidem Deo servientium suffragiis & orationibus plenius confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, ad dictam ecclesiam causa peregrinationis confluentibus, triginta dies a die dedicationis, usque ad octavam Paschæ, dictam dedicationem subsequentes, & in anniversario prædictæ dedicationis cum octavis X dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum anno Domini M. CCXXX octavo. 1239.

XXII.

Charta pro Brolio.

Ex chartar.

1245. EGO Guido de Alneto miles, notum facio universis præsentes literas inspecturis, quod ego pro salute animæ meæ & omnium antecessorum meorum, volo & concedo ut monachi de Brolio teneant & in perpetuum possideant libere, pacifice & quiete, totam peciam terræ quam dedit eis bonæ memoriæ Goherius quondam pater meus, conjunctam terris dictorum monachorum a parte Marcilleii : dictam vero terram dictis monachis teneor contra omnes firmiter & fideliter guarandire. Præterea quittavi & omnino dereliqui prædictis monachis omnem usum venationis, si quem habebam vel habere poteram, jure aliquo seu consuetudine, in omnibus vineis quas dicti monachi habent circa dictam abbatiam, intra scilicet & extra & in toto nemore dictorum monachorum, quod est prope abbatiam, quod scilicet nemus vocatur Brolium, & in sepibus & in clausuris supra dictarum rerum, necnon & fossatis, quibus dictum nemus de novo clausum est, & in terra quam prædicti monachi habent a Fulcone de Marcilleio milite in escambium, sita inter alveum ipsorum monachorum, qui dicitur *Coinum*, & dictum nemus Brolii, sicut clausa est novo fossato, & promisi quod in his omnibus supra dictis nunquam de cetero venabor per me sive per alium, nisi aliquando contigerit quod cervus vel aliqua de feris magnis fugiens loca intraverit supra dicta, & tunc per portas seu per ostium aliquod ad persequendum me & canes meos introducent monachi supra dicti. Promisi etiam quod nunquam in perpetuum in his vel pro his omnibus supra dictos monachos gravabo, nec occasione terrarum seu pratorum meorum quæ adjacent terris dictorum monachorum eosdem monachos nunquam de cetero per me vel per alium molestabo. In cujus rei testimonium & munimen præsentes literas dedi sigilli mei munimine roboratas. Actum anno Domini M. CCXL quinto, mense Maio.

XXIII.

Donationes & confirmationes Brolio factæ.

Ex chartar.

1263. OMnibus præsentes literas inspecturis, ego Fulco dominus de Marcilleio, salutem in Domino. Noverint universi quod ego de assensu & voluntate Johannæ uxoris meæ, dedi & concessi libere in propriam & perpetuam eleemosynam, monachis beatæ Mariæ de Brolio, ordinis Cisterciensis, fontem meum ex integro, situm juxta nemus Brolii, qui quidem fons a capite dicti fontis & citra continue usque ad fluvium Auduræ, & omnem viam, quam ego & pater meus habebamus eundi ad dictum fontem, & supra caput dicti fontis, si quid habebamus vel habere poteramus quacumque ratione, nihil juris penitus in dictis via, terra, fonte penes me seu heredes meos retinens. Insuper confirmavi dictis religiosis de Brolio, quæcumque acquisierunt quocumque titulo in toto feodo meo, tempore meo & prædecessorum meorum, & confirmationes prædecessorum meorum dictis religiosis concessas ratificavi & confirmavi. Volui etiam & concessi quod dicti monachi teneant in manu mortua & possideant in perpetuum libere, & quiete & pacifice, omnia in feodo meo acquisita, absque contradictione mei & meorum. Pro hac autem confirmatione & concessione a me pure facta, dicti religiosi dederunt mihi quadraginta libras Turonenses in pecunia numerata, de quibus me tenui pro pagato. Datum anno Domini M. CCLX tertio, mense Novembri.

XXIV.

Confirmatio bonorum monasterii Conchensis.

ROBERTUS Atrebatensis comes, dominus Concharum & Danni-frontis, & Amicia de Curtiniaco uxor nostra, omnibus præsentes literas inspecturis, salutem. 1270. Noveritis nos literas nobilium virorum Roberti & Petri de Curtiniaco non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte vitiatas vidisse in hæc verba : Omnibus præsentem chartam inspecturis, Robertus de Curtiniaco miles, Franciæ buticularius, dominus Concharum, salutem in Domino. Sciant præsentes pariter & futuri, quod nos assensu & voluntate Mathildis uxoris meæ & Petri filii mei de Curtiniaco primogeniti, dedimus & concessimus, & præsenti charta confirmavimus abbatiæ S. Petri de Castell. & monachis ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam eleemosynam, omnem libertatem & omnes consuetudines, omnes decimas & omnes reditus, & proventus quos eis dederunt & concesserunt fundatores & donatores sui in omni terra & in dominatione Concharum, sicut melius usi sunt in tempore nostro, & sicut in chartis prædictorum fundatorum & donatorum suorum plenius continetur. Specialiter autem dedimus eis & concessimus, assensu & voluntate prædictorum Mathildis uxoris meæ, & Petri de Curtiniaco filii mei primogeniti, decimas omnium proventuum totius forestæ de Conchis ex integro, & insuper decimas omnium terrarum quæ in eadem foresta de novo cultæ sunt, & earum quæ in posterum redigentur. Si vero in dicta foresta ecclesiæ fuerint ædificatæ, volumus & concedimus ut abbas S. Petri de Castell. in dictis ecclesiis jus habeat patronatus. Parochianos autem qui sunt & qui erunt in dicta foresta, quibus voluerint ecclesiis assignare, assignent. Hæc omnia teneant & possideant in pura & perpetua eleemosyna integre, sine aliqua diminutione, libere, quiete & pacifice, & sine contradictione nostri vel heredum nostrorum, & nos eis prædicta garantizabimus. In cujus rei testimonium præsenti chartæ sigillum nostrum apposuimus. Actum anno gratiæ millesimo CC trigesimo quarto. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Omnibus præsentes literas inspecturis, Petrus de Curtiniaco miles, dominus Concharum, salutem in Domino. Noverit universitas vestra me pro salute animæ meæ & antecessorum meorum concessisse & præsenti charta confirmasse abbatiæ S. Petri de Castell. & monachis ibidem Deo servientibus, in liberam, & puram, & perpetuam eleemosynam, libertates omnes & consuetudines universas, cum decimis, redditibus & proventibus, & omnibus rebus aliis quas eis dederunt & concesserunt fundatores & patroni ejusdem ecclesiæ per totam terram, & forestam, & dominationem Concharum, sicut . . . . . melius, plenius liberiusque usi sunt in tempore carissimi patris mei bonæ memoriæ Roberti de Curtiniaco, & quod possint & debeant uti, sicut in chartis dictorum fundatorum & patronorum continetur. Specialiter eisdem concedo & confirmo omnes decimas omnium proventuum totius forestæ de Conchis ex integro, cum decimis omnium terrarum quæ in eadem foresta in præsenti cultæ sunt, & earum quæ in posterum redigentur, cum jure patronatus ecclesiarum quæ in dicta foresta sunt & erunt ædificatæ, & liceat eis parochianos in eadem foresta degentes quibus ecclesiis de eadem foresta voluerint assignare, & culturam totam & integram quæ sita est inter abbatiam & villam Castellionis ex una parte, & parcum de Conchis ex altera, & totam vineam quæ sita est inter vivarium de stagno & clausum dictorum abbatis & conventus juxta vivarium de Fontana, cum totis nois sitis inter calceiam molendinorum de Fontenna & vineam monachorum supradictam, sicut se comportant in longitudine &

latitudine, a calceia molendini de Fontana usque ad calceiam molendini de stagno, quæ per diligentem inquisitionem virorum fide dignorum invenit pater meus ad eosdem tanquam eorum propria eleemosyna pertinere, & quod possint in dicta cultura villam facere & ædificare cum eisdem libertatibus & consuetudinibus in omnibus per quas tenent villam Castellionis, cum viginti acris terræ sitis in foresta de Conchis juxta hermitagium quod vocatur Altare, quas abbatiæ de Strata in liberam eleemosynam dederat pater meus, sicut in chartis ejus inde confectis plenius continetur. Et hanc confirmationem & concessionem eis feci cum super aliquibus de prædictis quæ in manu mea sequestraveram, inter nos esset contentio, credens me in prædictis habere jus, quousque de jure eorum esset mihi facta fides plenior. Et omnia supra dicta post fidem talem mihi factam, sicut eorum jus & propriam eleemosynam eis reddidi & restitui. Et hæc omnia prædicta eis ego & heredes mei debemus garantizare contra omnes homines & feminas. In cujus rei testimonium præsenti chartæ sigillum meum duxi apponendum. Actum anno Domini M. CCXL, mense Septembris. Nos vero prædicti Robertus & Amicia uxor nostra, prædictas chartas approbantes, omnes consuetudines, libertates & donationes, & ea de quibus mentio habetur in eisdem, necnon & omnia quæ ante tempora nostra A tenuerunt & possederunt, præfatis abbati & conventui damus, concedimus, & in puram, liberam & propriam eleemosynam confirmamus. In cujus rei perpetuam memoriam præsentibus literis sigilla nostra duximus apponenda. Actum & datum Parisius, die Veneris post Brandones, anno Domini M. CCLXIX.

X X V.

De humandis episcopis Ebroicensibus.

Ex regi. Parl. Rota. 1664.

La Cour faisant droit sur le mandement obtenu par les religieux de saint Taurin, a ordonné & ordonne qu'au jour de l'inhumation des evesques d'Evreux, ceux du chapitre de la ditte eglise cathedrale Notre-Dame d'Evreux seront obliges de delivrer en mains desdits B *religieux le corps du deffunt evesque, à l'entree de l'eglise de saint Taurin, conformement à leurs anciens titres, sans que les dits du chapitre puissent continuer leur convoy jusques dans l'eglise de saint Taurin; & que le lendemain dudit convoy les dits du chapitre se tiendront dedans le plan du chœur de la ditte eglise de saint Taurin pour lever le dit corps, si mieux n'aiment les dits du chapitre se contenter aux chaires du coté droit dudit chœur, que les dits religieux en ce cas seront obligés de laisser libres lors de ladite ceremonie. Fait à Rouen en Parlement, ce quatorzieme jour de mars mil six cens soixante & trois.*

INSTRUMENTA ECCLESIÆ SAGIENSIS.

I.

Restauratio sancti Martini Sagiensis.

Ex chartulario.

1060. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Novimus ex antiquitatis auctoritate institutum, ut si quis fecerit ecclesiam, per sacrorum seriem apicum futuræ posteritati ratum faciat & notum. Hujus igitur auctoritatem sequentes Ivo Sagiensis episcopus, vicecomes Rogerius Mabiliaque uxor ejus, cupientes boni compensatione sua mala delere, locum sancti Martini qui est juxta burgum Sagii super ripam Olnæ fluvii, qui temporibus priscis sub monasticæ regula religionis viguit, ad priorem statum apud semetipsos partim revocare disposuerunt anno ab Incarnatione Domini M. LX, epacta XXIII, indictione XIV, concurrente 2, regnante Henrico rege Francorum, cum Willelmo principe Normannorum, qui postea Dei gratia effectus rex Anglorum, tale beneficium concessit, atque Ivone episcopo favente. Dederunt ergo supradictæ ecclesiæ, pro redemptione animarum suarum & prædecessoris sui Willelmi, & aliorum parentum, terram quam Willelmus eorum prædecessor tenuit in suo dominio circa villam & in villa sancti Martini, & decimam totius parochiæ, & terram de Manillo-Waldi, & Martellum-Vedosium, & ecclesiam *de Aulnou* cum terra presbyteri, & molendinum *de Macey*, terram quoque Gisleberti Bordi, & quatuor modia frumenti in molendinis de Alercio, sanctumque Paulum qui est super Sartam, cum terra & molendino. Dederunt quoque decimam telonei Sagii & de Scopis, & de Bursa, & decimam panagii: & subscribitur confirmatio Rogerii comitis, & signum ejus ✠.

I I.

Donationes factæ ab iisdem auctoribus.

Ex chartulario.

1060. OMnipotens Deus sua ineffabili & incomprehensibili sapientia cum in exordio creationis mundi diversi generis animantia condidisset, ut numerum perditorum reintegraret angelorum, ad similitudinem sui creavit, cui Adam indidit, ad cujus adjutorium C similis formæ non dissimilis suæ naturæ personam de latere ejusdem viri creavit, quibus omnem creaturam subdidit, excepta una arbore, per quam post malignus eos diabolus defraudavit. Conditor suam creaturam cernens male deceptam diabolicis insidiis, volens ei priorem libertatem restaurare, humanam formam sumsit, plurima præcepta afferens nobis, in quibus erat præcipue hoc scriptum: oportet nos omnium substanciarum decimas dare. Quod audiens comes Rogerius & Mabilia uxor ejus, Deo & sancto Nicolao de Rocha annuerunt decimam molendinorum oppidi Rupis, & decimam census ejusdem castri, & decimam molendini prati Calvonis & molendini Leiardi, & in unoquoque anno pro redemptione animarum suarum sex modios frumenti, & sex mo- D dios avenæ in molendinis oppidi Rupis, sed ecclesiam sancti Petri, sed villam Tellarii, & molendinum & lucum qui dicitur *Fait* Berengarii, sed Blancardium, sed terram custodiæ quæ vocatur *Boolt*, sed Ferrariam, & ecclesiam, & duos molendinos, & quidquid habebat in domo ejusdem villæ, sed singulis annis viginti quatuor porcos, eo pacto quod non sit ullus homo ausus aliquid fraudare istius beneficii, alio modo si fit, excommunicetur a Deo patre omnipotenti, & filio, & Spiritu sancto. Signum Rogerii comitis. Signum Philippi ejus filii. Signum Roberti. Signum Willelmi filii ejus. Sign. abbatissæ de Almenetchis. Anno ab Incarnat. Domini millesimo LX.

E

I I I.

Donationes factæ sancto Martino.

Ex chartulario.

1060. NOtum sit omnibus, quia dominus abbas Robertus faventibus omnibus fratribus cœnobii sancti Martini Sagii, in capitulo ejusdem cœnobii dedit Roberto de Sayo qui cognominabatur *Ficot*, & Adeloyæ uxori suæ, cum summa devotione petentibus, societatem & beneficium totius congregationis sicut uni monachorum ipsius cœnobii, & similiter Roberto atque Henrico filiis suis: ita quidem ut si aliquis illorum monachus unquam voluerit effici, efficietur in monasterio sancti Martini Sagiensis. Qui vero ex illis omnibus in seculari habitu morietur,

In cimeterio sancti Martini, ut monachus per omnia susceptus sepelietur. Ipsi vero in eodem capitulo pro hac largissima concessione & pro animarum, tam suarum quam parentum suorum, perpetua salvatione dederunt & perpetuo concesserunt prædicto Sancto & fratribus suis ejusdem cœnobii monachis, ædificium mansis *Picot* cum virgulto quod habebat juxta ecclesiam sanctæ Mariæ *de Vrou*, & decem acras terræ in parochia ejusdem ecclesiæ, & terram ad hortum unum sufficientem, quæ terra erat in pratis, & decimam duorum molendinorum, quorum unum est super Olnam, & alterum super Uram; dederunt etiam prata totius insulæ de Athcis, & unam piscatoriam quæ dicitur *de Louis*, & unam acram prati in pratis de Juvigneio, & duas acras terræ in ipsa villula, cum medietate ecclesiæ ipsius villulæ quæ erat de dote Adeloyæ uxoris suæ, & cum his datis de propriis rebus concesserunt quod Osinelinus de Sayo dedit sancto Martino in eodem capitulo & eodem die, tertiam partem totius ecclesiæ de Sayo in omnibus reditibus altaris, & decima cum duabus acris terræ; & ipse Osinelinus & uxor ejus Avitia, & omnes antecessores sui recepti sunt in prædicti monasterii fraterna societate. Hoc totum viderunt & audierunt Guaschelinus *de Vrou*, & Robertus filius Garini *Pillepot*, & Radulphus presbyter *de Vrou*; cum his quoque concesserunt ecclesias *de Vrou* cum decimis, & quatuor acris terræ & dimidia cum terra sacerdotis, quod totum dederat Osinelinus qui cognominabatur Avenellus, sancto Martino, pro salute animæ suæ & antecessorum suorum: concesserunt etiam quod Gaufredus filius Oderelli dederat sancto Martino quicquid decimæ habebat in parochia *de Vrou*, pro qua tamen datione habuit ipse Gaufredus cum beneficio concesso monasterii triginta solidos Cenomannenses; adhuc quoque concesserunt quod Guaschelinus *de Vrou* dederat S. Martino quicquid decimæ habebat in parochia *de Vrou* & de Sayo, nihil sibi reservans, cum duabus acris terræ; & pro hac donatione cum concesso monasterii beneficio habuit quatuordecim solid. Cenomannenses & unum pullum equorum pro decem & octo solidis Cenomannensibus, teste ipso, & Radulpho presbytero, & fratre ejusdem Roberti, & Christiano de Furcis etiam concedentibus: dedit Hugo de Juvigneyo sancto Martino medietatem ipsius ecclesiæ, cujus alteram medietatem nos habemus de dono *Picot* & uxoris ejus Adeloyæ, & unam acram prati pro concesso sibi beneficio monasterii, cum viginti solidis census. Signum Rogerii comitis, signum *Picot*, signum Roberti filii ejus, signum Henrici filii *Picot*, signum Adeloyæ uxoris *Picot*, signum Ricardi capellani.

IV.

Ex charta-rio *Primordia abbatiæ sancti Petri supra Divam.*

1108. HIC locus in initio quo monasticæ religionis in eo sumpsit ordo principium, quos habuerit fundatores, aut quos quibusve temporibus in sacri regiminis officio successores ad memoriam posterorum non incongruum duximus literis breviter adnotandum. Hunc igitur locum Lescelina comitissa nobilis sponsa Guillermi Augensis egregii consulis, tempore quo Francorum rex Henricus agebat in sceptris, fundavit, possessionibusque ac prædiis quæ ei ex jure dotali competebant ditavit. Verum ut rei hujus series manifestius elucescat paulo est altius repetendum, & quisnam hic Guillermus de quo agimus, quænam etiam quam præfati sumus conjux ejus fuerit intimandum. Hic igitur Guillermus ille est Richardi secundi Normannorum ducis clarissimi frater, qui adhuc minor, in Oximensi castro quod ab eo cum finitimis locis custodiendum acceperat, cum perversorum quorumdam consiliis adversus fratrem suum eumdem rebellare niteretur, captus ab eo Rothoma-

A guinque perductus Turchitillo cuidam viro illustrissimo servandus traditur. Erat autem eidem Turchitillo filia pulchritudine corporis, & sapientia animi, sed & morum honestate præcellens Lescelina nomine, cujus industria idem Guillermus, postea quam de vinculis quibus tenebatur, evasit, cum in fratris sui gratiam revocatus ab eo etiam consulari esset honore donatus, eam sibi matrimonio sociavit, genuitque ex ea viros sui temporis clarissimos, Robertum scilicet qui sibi postmodum in consulatu Augensi successit, Guillermum etiam qui & ipse apud Suessionem civitatem comes domi militiæque gloria claruit, Hugonem quoque qui in pontificatu Lexoviensi vita pariter & doctrina venerandus effulsit. Ædificavit autem sibi idem comes domum hoc in prædio quod B ab antiquis ad sanctum Petrum supra Divam nominatum est. Cui operi dum insisteretur, venit die quadam mulier de villa quæ Vallis vocatur, quæ orationis gratia Curceium properabat, quia sub eodem illuc tempore populorum finitimorum turba frequens ad sanctum Ferreolum confluebat. Subsistens igitur mulier, opusque diligentius intuens sese mox humi prostravit, orationem fudit, & quam manu ferebat oblationem super lapidem posuit, ac eo humiliter exosculato exsurrexit, ac se jam recessura signavit. Admirati itaque hii qui operi insistebant: O inquiunt, mulier, quidnam est quod agere voluisti; non est ecclesia quam facimus, sed domus est comitis Guillermi: at illa scio, ait, scio quid fecerim; vos autem scitote quid agitis: ego enim in nomine Domini, & in honore beatæ Dei genitricis & perpetuæ C virginis Mariæ oblationem, quam ad S. Ferreolum deferebam hoc in loco sacravi; nec ulterius jam quæro progredi: hiis dictis valefaciens ad propria repedavit. Tum vero vehementiori multo admiratione permoti, nos, inquiunt, domum comiti facere æstimabamus, sed fortasse ecclesia erit ista quam facimus. Erat etiam in loco hoc sacerdos quidam vitæ venerabilis Gislemarus nomine, qui ecclesiæ beati Petri a quo locus nomen acceperat, a multis annis in presbyteratus officio ministrabat. Hic die quadam cum circumstantibus incolis juxta consuetudinem loqueretur; videtis, ait, quam sit locus iste despicabilis, quam nullius fere nominis & honoris. Tempus est futurum aliquando, ut videatis in eo conventum primo sanctimonialium, ac deinde religiosorum Deo D servientium monachorum: dixit, veraque dixisse eum, rei postmodum exitus approbavit. Nam post viri sui Guillermi videlicet comitis mortem uxor ejus quam prædiximus Lescelina de illius ac sua suorumque salute sollicita, in hoc ipso prædio quod dotali jure cum appenditiis suis ad eam pertinebat domum illam, de qua supra egimus, ecclesiam constituit; ubi primo quidem sanctimoniales secundum quod vir venerandus prædixerat, aggregavit. Verum quia cum finitimorum superbia pacem habere non potuerunt, Lexovium eas transtulit; ibique etiam monasterium patrocinante filio suo Hugone superius memorato jam episcopo ædificavit. At vero quid de loco hoc ageret apud se deliberans, tradidit eum primo quidem abbati monasterii quod Fontinella nominatum est E instaurandum, sed inchoatum ipse dimisit citius, cum cognovisset eum nequaquam suæ ditionis esse futurum. Tunc comitissa accedens ad venerabilem virum domnum scilicet Hembertum, qui cœnobio sanctæ Trinitatis quod apud Rothomagum in monte situm est præsidebat, multis ab eo precibus impetravit ut sibi concederet quemdam de suis magnæ authoritatis virum & nominis, divinis & humanis apprime studiis eruditum, cui Ainardus vocabulum erat, qui quidem genere Teutonius, sed omni sapientiæ disciplina erat morumque pariter honestate præclarus. Huic igitur cum possessionibus quas habebat locum hunc tradens adunatis monasticæ vitæ cultoribus eum pastorem præfecit, ac deinde verens ne si in manu filiorum

suorum monasterium quod construxerat relinqueretur, A earum rerum quas obtulerat aliquando, sicut est mortalium cupiditas, minorationem pateretur, sapienti usa consilio ipsum ab eis pecunia data redemit, eamdemque pactionem, ne quid videlicet ipsi vel eorum heredes in rebus hujus cœnobii suum jure hereditario calumniari in perpetuum possent, in præsentia Guillermi Normannorum principis, postea regis Anglorum, ipsis quoque præsentibus firmavit, atque ibidem hunc locum ejusdem principis, ac successorum suorum dominationi per virgam pastoralem quam in manu ejus posuit, subjugavit. Ordinatus igitur domnus Ainardus anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo sexto, triginta & duobus fere annis huic cœnobio præfuit, vitaque pariter & scientia admirabili suo tempore insignis enituit, cujus ordi- B nationis anno secundo bellum apud Vallum-dunas factum est, cui etiam Henricus Galliæ rex, rogatu Guillermi postea regis Anglorum, interfuit; ac devictis fugatisque hostibus ab eodem Guillermo in proximum pagum Vilcassinum accepit. At comitissa posteaquam sua omnia monasteriis quæ instruxerat contulit, posteaquam se cunctis facultatibus mundi Dei pro amore nudavit, cum jam eam Dominus vocare dignaretur, tacta incommodo sacrum a filio suo domno Hugone Lexoviensi episcopo velamen accepit, atque anno ab Incarnatione Domini millesimo quinquagesimo septimo, calendis Februariis, a laboribus suis beato fine quievit, corpusque ejus in hac ecclesia quam fundavit honore condigno conditum est. Cujus dormitionis quidem post anno C vigesimo, a subjugata autem Normannis Anglia duodecimo, domnus abbas Ainardus, decimo nono calendas Februarii migravit e seculo; cui domnus Fulcho, qui apud sanctum Ebrulfum prioris ministerio fungebatur, in regiminis hujus ecclesiæ successit officio, quod quidem & ipse novem & viginti circiter annis administravit, excepto eo tempore quo persecutioni quæ adversus eum oborta est, cedens domnum interim Benedictum Rothomagensem, & postea domnum Galterium Gemeticensem habuit successorem. Verum huic dehinc ecclesiæ restitutus post quintum reversionis suæ annum, regnante jam Henrico pro Guillermo fratre suo qui patri in regnum successerat, obiit tertio nonas Aprilis apud Quaintoniam Angliæ civitatem. At non multo post cum D jam bellorum procella inter fratres, Henricum videlicet regem Anglorum & Robertum principem Normannorum fuisset exorta, idem dux Robertum quemdam de sancto Dionysio, accepto a suis contra fas pretio, deturbatis religiosis viris qui pravitati ejus conabantur resistere, non abbatem sed furem ac latronem hanc in ecclesiam introduxit; verum Henricus rex eum cum suis captum, incenso prius monasterio cum ædificiis suis & universo oppido, plurimis quoque vi flammarum adustis, post tertium fere mensem quo advenerat deturbavit, qui & ipse postmodum culpis exigentibus interemptus dignum factis exitum invenit. Igitur post excidium cum jam rex Henricus superato fratre suo Normannia potiretur, reversis qui dispersi erant fratribus, domnum Radulphum qui cellerarii in hoc monasterio functus erat ministerio, E virum simplicitate animi & innocentia præditum, abbatem constituit, qui & ipse quatuor solum annis totidemque mensibus administrato officio post se domnum Richardum successorem reliquit, de Aquila cognominatum. Videns itaque præfatus vir inclitus Henricus rex Angliæ & dux Normanniæ damnum quod ipse intulerat huic monasterio per combustionem supra dictam, pro restauratione & satisfactione ipsius damni fecit nobis chartam suam apud Argentonium, in qua concessit & confirmavit specialiter & generaliter omnes possessiones & res nostras, præcipiens & volens eas esse liberrimas & immunes ab omni subjectione tanquam proprium dominium suum, nihil sibi vel successoribus suis in terra nostra retinens præter aurum, si subtus terram repertum fuerit, & exceptis placitis de expeditione sua & duello de placito monetæ, si bellum seu duellum exinde oriatur, addens in fine dictæ chartæ quod ea quæ ibi scripta sunt concedit pro restauratione & satisfactione damni & destructionis prædictæ per ipsum factæ, anno Domini millesimo centesimo octavo.

V.

Charta Henrici primi regis Anglorum, pro S. Petro supra Divam.

Ex chartulario. *Circiter* 1108.

HENRICUS, gratia Dei rex Anglorum, & dux Normannorum, omnibus suis fidelibus salutem. Sciatis quod abbatia beatæ Mariæ de sancto Petro supra Divam cum omnibus pertinentiis suis in manu mea & protectione mea est liberrima ab omnium subjectione sicut proprium dominium meum, & ideo concedo eidem abbatiæ, & in perpetuum libere & pacifice possidendum confirmo, quidquid Lescelina comitissa, uxor Willelmi comitis, fratris secundi Richardi Normannorum ducis & antecessoris mei, ad ædificandam eamdem abbatiam disposuerunt & donaverunt: videlicet burgum & villam quæ dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, cum omnibus appenditiis & redditibus suis, totumque centenarium quod eidem villæ adjacet, & quidquid infra ipsum centenarium continetur, scilicet a Diva fluvio usque ad alium fluvium, qui Vicia dicitur, in ecclesiis, in decimis, in bosco & plano, in molendinis & pratis, in hominibus, redditibus & servitiis eorum, & in aliis quibuslibet rebus extra centenarium. Confirmo eidem abbatiæ quidquid prædicta Lescelina comitissa habuit apud sanctum Albinum super *Alegot*, scilicet ecclesiam & decimas ipsius villæ, molendinum, dominium, homines, servitia & auxilia eorum, & quidquid habuit apud Tenvillam, & ecclesias S. Mariæ & sancti Martini de Donvilla, cum omnibus decimis ejusdem villæ, & terras, & dominium, & homines quas habuit eadem comitissa in illa villa, cum omnibus servitiis & auxiliis eorum, & ecclesias de Novio & de Fresneio, cum omnibus decimis earumdem parochiarum, & dominium & homines comitissæ, & sexaginta acras terræ in territorio Bazelchiarum, cum decimis molendinorum ipsius villæ, & una masura in Ulteriori-portu, & terram *de Linceon*, & terram & homines quos habuit apud Curulmum, cum duobus tractibus in Sequana. Adhuc confirmo omnia alodia quæ Nigellus de Veteri-ponte tenuit de eadem comitissa a Diva fluvio usque ad Viciam, quæ alodia tenuerunt Rogerius de Bretevilla, & Ansfredus cognomento *Fresfiel*, & Fulco de Castellione. Confirmo etiam terram quam eadem comitissa apud Urvillam & in *Menil* Geruceum, & terram quam Richardus de Curceio tenuit de ipsa comitissa in *Macel*, in *Jort*, in pontibus, & in Benevilla, & in Caldecotta, & in Amovilla, & in Novilluna, & in Reuilla, & in *Cufort*, & Fresneio. Confirmo ecclesiam *de Felt*, cum terris & decimis ad eam pertinentibus, liberam & absolutam ab omni episcopali consuetudine; & homines ibidem manentes in tenemento abbatiæ non dabunt teloneum neque aliquam costumam ubicumque emerint vel quidquid vendiderint in Oximiis & per totam leugam Oximarum, & domum unam liberam ab omnibus in Oximiis, & terram unius villani apud Corlandum, liberam & quietam ab omnibus servitiis & auxiliis, & capellam S. Nicolai de Sillcio, quam dedit pater meus cum terra quæ sibi adjacet ad colendum. Omnes istæ terræ & possessiones de proprio dominio meo & antecessorum meorum fuerunt & liberæ sunt & immunes de gravaria, bernagio, & ab omnibus exactionibus & consuetudinibus secularibus, exceptis expeditionibus

meis. Concedo etiam ut omnes possessiones & tenentæ sive ecclesiasticæ, sive seculares, quas etiam habet eadem abbatia vel futuris temporibus habitura est, in protectione & in manu mea sint liberrime, & ab omnium subjectione immunes: quare volo & firmiter præcipio omnibus baronibus, ballivis & vicecomitibus, & omnibus fidelibus meis, ut faciant abbatiam prædictam tenere bene, pacifice & honorifice, omnes tenuras & homines suos, & non permittant abbatem & monachos de omnibus supra dictis, neque de libertatibus & dignitatibus suis ab aliquo perturbari. Nemo autem justitiariorum cogat abbatem ad placitandum extra curiam suam coram aliquo, nisi coram me vel coram proprio justitiario qui super omnes alios vice mea justitiam tenet. Nullus etiam præsumat abbatiam vel homines abbatiæ namnis inquietare, nisi clamore prius facto ad abbatem, & si justitiam & rectitudinem in curia sua facere noluerit, tunc proprius justitiarius meus inde requiratur. Omnia autem placita de omnibus querelis hominum suorum, de incendio scilicet, de muldro, & de rapto, & de omnibus rebus vel forisfacturis quæ accidunt & quæ accidere possunt, in abbatis curia teneantur & plenarie terminentur, exceptis solummodo placitis de expeditione mea, & bello, si ortum fuerit, de placito monetæ, quod quidem in abbatis curia judicabitur, sed apud arcam monetæ terminabitur. Si latro intra terram abbatiæ captus fuerit, reddetur abbati; & ubicumque homo abbatiæ captus fuerit, reddetur abbati, & abbas inde justitiam & rectitudinem faciet: & si bellum ortum fuerit de qualicumque causa vel querela, in abbatis curia teneatur & integre terminetur. Ubicumque fuerit quercus vel fajus per totum tenementum abbatiæ, propria erit abbatis & monachorum; quidquid autem sive supra terram, sive subtus terram repertum fuerit, quidquid illud sit abbas habebit, excepto auro si subtus terram repertum fuerit, quod quidem meum erit. Abbas quoque & monachi teneant & habeant warennam per totum centenarium & per omnia confinia centenarii. Concedo etiam ipsi abbatiæ & propriis servientibus abbatiæ, habere libertatem & immunitatem per totam terram meam, in feriis, in nundinis & in portibus maris de teloneo, passagio, pontagio, & de omnibus consuetudinibus & pastionibus propriis porcis abbatiæ, in forestis meis, sine pasnagio. Si quis super hoc abbatiam vel homines abbatiæ disturbare & vexare præsumpserit, in misericordia mea erit de decem libris .... monetæ: omnes ementes ad mercatum & ad nundinas abbatiæ, habeant meam firmam pacem in eundo & redeundo; & si aliquis aliquid foris fecerit, abbas justitiam & rectitudinem faciet, & emendatio sua erit: monachi autem ejusdem abbatiæ absque ulla contradictione habeant suam liberam electionem. Hoc autem feci pro salute Willelmi regis patris mei, & Mathildis reginæ matris meæ, & pro salute animæ meæ, & antecessorum & heredum meorum, & pro salute animæ prædicti Willelmi comitis, & Lescelinæ comitissæ uxoris ejus, omniumque parentum suorum, & pro restauratione & satisfactione dampni, quod monachis intulerit combustio ejusdem abbatiæ & totius villæ suæ per me facta. Teste me ipso apud Argentomum. Signum ✠ Henrici regis Anglorum. Signum ✠ Willelmi Rothomagensis archiepiscopi. Signum ✠ Serlonis Sagiensis episcopi. Signum ✠ Roberti de Curseio. Sign. ✠ Fulconis de Alneio.

V I.

Alia ejusdem charta.

Circiter 1124.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego Henricus, Dei gratia rex Anglorum & dux Normannorum, concedo abbatiæ sanctæ Mariæ quæ sita est in loco qui dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, omnes terras & possessiones quas Lescelina comitissa uxor Willelmi comitis post obitum ejus, concedentibus filiis suis Hugone Lexoviensi episcopo, Roberto & Willelmo comitibus, ad ædificandam eamdem abbatiam disposuit & donavit, & ad corroborandam libertatem ejusdem abbatiæ per virgam pastoralem ipsius ecclesiæ in dominium patris mei posuit, atque ab omni filiorum suorum subjectione, & servitio, & exactione liberrimas, & ab eisdem per ducentas auri uncias redemptas ad munimentum & tuitionem ipsius abbatiæ, videntibus illis & concedentibus, patri meo donavit. Hoc autem facio pro salute animæ ejusdem Willelmi regis patris mei, & Mathildis reginæ matris meæ, & pro salute animæ meæ uxorumque mearum, Mathildis videlicet reginæ defunctæ, & Adelizis quæ nunc est, & omnium filiorum meorum, & antecessorum atque successorum, parentum videlicet meorum qui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, atque pro salute animæ prædicti comitis *Willelmi* & Lescelinæ comitissæ, omniumque parentum suorum. Imprimis concedo eidem abbatiæ burgum & villam quæ dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, cum omnibus appenditiis & redditibus suis, totumque centenarium quod eidem villæ adjacet, & quidquid intra ipsum centenarium continetur, ea libertate & dignitate qua tenuerunt illud Willelmus comes & Lescelina uxor ejus, scilicet liberum & absolutum, atque quietum ab omnibus exactionibus & consuetudinibus secularibus, de omni quoque gravaria & bernagio, atque servitiis, exceptis expeditionibus, & auxiliis meis, & placitis de moneta, & de expeditione mea; quæ tamen placita si acciderint in abbatis curia, teneantur sicut fuerunt in curia Willelmi comitis: non solum autem ipsa, sed & omnia alia placita de omnibus querelis hominum suorum in abbatis curia teneantur, excepto bello si ortum fuerit, de placito monetæ, quod quidem in abbatis curia judicetur, sed apud arcam monetæ terminetur. Nemo autem justitiariorum meorum præsumat violenter cogere abbatem ad placitandum extra curiam suam, nisi tale placitum fuerit, quod in præsentia mea debeat terminari; nullus etiam præsumat abbatiam namnis inquietare, nisi clamore facto apud abbatem, & illo justitiam & rectitudinem facere nolente, meus proprius justitiarius inde requiretur, qui super omnes alios vice mea justitiam tenet: de incendio vero, & rapto & murdro, si aliquis convictus fuerit, omnem pecuniam ejus abbas habebit, sed corpus illius justitiæ meæ reddet; quidquid autem super terram repertum fuerit, quidquid illud sit abbas habebit: si vero aurum vel argentum, sive cuprum, sive plumbum, seu aliud aliquid ad monetam pertinens subtus terram repertum fuerit, meum erit: porro forestæ quæ sunt intra centenarium, propriæ sunt abbatiæ, & ubicumque est vel fuerit quercus vel fagus intra centenarium, propria erit abbatis & monachorum, remota consuetudine alterius hominis, quemadmodum fuerunt Willelmi comitis & Lescelinæ comitissæ uxoris ejus: quod si latro intra centenarium captus fuerit, reddetur abbati; & si bellum ortum fuerit, de qualicumque causa vel querela, in abbatis curia tenebitur, & emendatio forisfacturæ sua erit, sicut fuit Willelmi comitis. Extra centenarium vero concedo eidem abbatiæ quidquid prædicta Lescelina comitissa habuit apud Donvillam & Tenvillam, & apud S. Albinum supra *Alegot*, & quod acquisitum vel appretiatum fuit ibidem tempore patris mei, in terris, in ecclesiis, in decimis, & molendinum de S. Albino, & ecclesias & cimeteria de Novio & de Frasneyo, cum decimis ad se pertinentibus, & terram Rogerii *de Belmeis* quam dedit eidem abbatiæ, quando factus est in ea monachus, & terram quam eadem comitissa habuit apud Currulinum *, cum duobus tractibus in Sequana, & terram quam Osmundus Gulafra & Nigellus de Veteriponte tenuerunt in Buxeio de eadem comitissa, &

* Quervilly, *proche Rouen.*

terram Nigelli de Hermovilla concedo . . . . . . in dominium eidem abbatiæ sicut pater meus fecit; & hæc omnes terræ liberæ sunt & immunes atque quietæ de gravaria & bernagio. Concedo etiam terram quam Richardus de Curleio tenuit de eadem comitissa in *Macel*, & in *Jort*, & in *Pont*, & in Bodevilla, & Caldetota, & in Almovilla, & in Novilluna, & in *Revillum*, & Frasneyo, & in *Busort*, & si quid superest de feudo Alomovillæ. Concedo adhuc omnia alodia quæ tenuit Nigellus de Veteri-ponte de eadem comitissa, a fluvio qui Diva dicitur usque ad alium fluvium qui Vicia vocatur, quæ alodia tenuerat Rogerius de Bretevilla, & Anseredus cognomento *Feltvel*, & Fulco de Castellione. Concedo etiam sexaginta acras terræ in territorio de Bretevilla, quas Aitardus *de Nonant* vendidit comitissæ, & abbas Ainardus concedit præfato Aitardo tenere in feudum de abbatia. Adhuc concedo terram & decimam quam Willelmus filius Guarini dedit abbatiæ, cum illa parte quam habebat in ecclesia de Bretevilla, & terram Radulfi filii Odelinæ, & terram Osinundi Februarii quas habuerat in Huivilla, & terram Atonis quam habuit in Buxeio, quas idem Aitardus dedit abbatiæ, & terram Rogerii nigri quam habuit in Bretevilla & apud Victum & Castellionem, terram quoque quam ipsa comitissa habuit in Ovilla & in *Menil* gerufeum, & terram quam Gonduinus habuit in Culleio & in Bretevilla, quæ dedit abbatiæ quando factus est in ea monachus, concedente Gaufrido *de Tornebu*, de quo illam tenebat; terram quoque Hemerici quam tenuit de Rainaldo de Veteri-ponte, & quam idem Rainaldus dedit abbatiæ nutu patris mei cum fieret monachus: hæ terræ liberæ sunt & quietæ de gravaria & bernagio. Concedo etiam ecclesiam *de Felt* cum terra & decimis ad illam pertinentibus, liberam & quietam ab omni episcopali consuetudine, sicut tenuit eam Stephanus capellanus patris mei, & telonium hominum abbatiæ ibidem manentium, ubicumque emerint vel vendiderint per totam leugam Oximarum, & terram unius villani apud Corlandum, id est triginta acras terræ, liberam & absolutam ab omnibus servitiis. Concedo quoque ipsi ecclesiæ per totam terram meam, libertatem & immunitatem de telonio & passagio, & omnibus consuetudinibus, & pastionem propriis porcis abbatiæ in forestis meis sine pasnagio. Concedo etiam quidquid Fulco de Pinu donavit & vendidit abbatiæ tempore patris mei, tam in ecclesia quam in terra, & decem acras terræ quas dedit uxor Richardi *de Catesanvill* de maritagio suo, nutu Richardi de sancto Leonardo fratris sui. Concedo quoque ecclesias *de Alnout* quas dederunt Fulco senex *de Alnout* & Guillelmus de Bona-valle, & ecclesiam de veteri *Eurou* cum una acra terræ, & ecclesiam sancti Nicolai . . . . . . cum terris & decimis ad istas ecclesias pertinentibus, & duas partes decimæ de parochia sancti Lotharii & *de Nonantel*, & de Cordajo, & tres acras terræ apud sanctum Lotharium, & unam in *Nonantel*, unam quoque domum quietam in Escuseio, quam dedit Hugo senex de Gornaco & successores sui concesserunt, & aliam in Oximiis. Concedo etiam ecclesiam de Frasneio cum cœmeterio suo, & terram & decimam quæ ad eam pertinet, & quam Richardus de Curseio dedit abbatiæ tempore patris mei, & decimam *de Corlibeuf*. Concedo quoque ecclesiam sancti Georgii & sexaginta acras terræ, quas Gillebertus *Guernet* tenuit de feudo *de Escoz*, & terram Rogerii presbyteri, & ecclesias de Novilla cum terra & decimis suis, & ecclesiam de Gisaico cum decimis suis, & quidquid ad eam pertinet, & decimam telonei de Archenvilla & de burgo Tuvoldi, & alodium quod tenebat Goalterius *Tirel* in eodem burgo, liberum & quietum de telonio & omnibus servitiis & consuetudinibus. Concedo quoque terram unius villani apud Lovigneium, & tres acras terræ juxta Cadomum, quas dederunt Hugo *de Grentemenil* & uxor ejus, & Gosselinus filius Richardi, concedentibus filiis & filiabus suis. Adhuc concedo sexaginta acras terræ quas Guillelmus comes Algensis dedit abbatiæ in territorio Baselchiarum, cum decima molendinorum ipsius villæ, & una masura in Ulteriore-portu, & terram *de Linceou* quam Robertus filius Alveredi de Falesia dedit ecclesiæ, & terram quam Richardus filius Hugolini dedit nutu Roberti & Willelmi Algensium comitum, cum fieret monachus; eleemosynas quoque terræ quas dederunt Guillelmus de Perteio & alii, in territorio Cocunvillæ & Ulvillæ, & decimam *de Hurtevant* quam dedit Nigellus de Olleio, & decimam de nundinis sancti Georgii, & decimam molendinorum Ernaldi de Perseio, quæ sunt apud Mortuam-aquam. Concedo etiam ut abbatia habeat & teneat guarennam per totum centenarium & per omnia confinia centenarii quæ sunt de feudo ecclesiæ, a Diva fluvio usque ad Viciam fluvium, sicut eam habuerat Guillelmus comes & Lescelina comitissa. Concedo quoque ipsi ecclesiæ tenere in pace omnia vadimonia sua ubicumque sunt vel facta fuerint, quousque pecunia vadimoniorum reddatur terminis constitutis. Concedo adhuc terram quam Rogerius *de Guitot* dedit eidem abbatiæ in Lovigneio juxta Curseium, & decimam totius terræ quam habebat in territorio ejusdem villæ, & pratum & terram quam dederat Radulfus *de Astein*, & Gillebertus filius ejus, & Willelmus *de Cantalou*, ultra Viciam fluvium, & successores eorum concesserunt. Confirmo etiam donationem quam Robertus de Veteri-ponte fecit abbatiæ nutu & consilio patris mei, de ecclesia de Veteri-ponte & de . . . . acris terræ, quando factus est in ea monachus: & concedo ecclesiam sancti Leonardi de Silleio, quam pater meus dedit abbatiæ cum terra quæ sibi adjacet ad colendum, tempore Ainardi abbatis. Signum ✠ Henrici regis Anglorum. Signum ✠ Adelizis reginæ. Signum ✠ Goesfredi Rothomagensis archiepiscopi. Signum ✠ Joannis episcopi Lexovii. Signum ✠ Bernardi episcopi sancti Davit. Signum ✠ Hunfredi *de Bohon*. Signum ✠ Rotberti comitis Legestriæ. Signum ✠ Nigelli de . . . . . Signum ✠ Juelli de Meduana. Signum ✠ Roberti de Haia. Signum ✠ Rogerii vicecomitis. Signum ✠ Goesfredi filii Pagani.

VII.

Johannes episcopus canonicos regulares secularium loco in ecclesia Sagiensi instituit. *Ex Sammarthanis.*

1131. JOANNES, Dei gratia Sagiensis ecclesiæ episcopus, Garino priori, & fratribus in eadem Sagiensi ecclesia sub regula B. Augustini canonicis professis, eorumque successoribus sub eadem professione regulariter viventibus in perpetuum. Quandiu authoritate episcopali fungimur, & curam sollicitudinemque sanctæ ecclesiæ, licet minus digne tractamus, justis actionibus insistere, maximeque sanctæ religioni ædificandæ nostrum studium atque diligentiam adhibere debemus; & quorum mens atque anima una in Domino legitur, & quorum vita atque sinceritas in cœlestibus conversatur, eorum paci & quieti oportet intendere, ut unitatem sancti Spiritus in vinculo pacis possint servare. Quapropter Sagiensem ecclesiam jamdudum & per multa tempora divino atque debito officio valde destitutam, annuente Dei gratia totis nisibus in meliorem statum reducere, atque in regulare propositum ordinemque transformare laboravimus. Primum siquidem per apostolicas literas, hoc est, authoritate & consilio reverendæ memoriæ Honorii papæ, necnon & consilio atque concessione bonæ memoriæ Gaufridi Rotomagensis archiepiscopi; insuper & favore & consilio Henrici venerabilis regis Anglorum ac ducis Normannorum, fratres in eadem Sagiensi ecclesia sub paupertate Christi

Christi aggregavimus, eosque ibi dudum aluimus; deinde post multas difficultates, per Dei misericordiam inventa atque in capitulo confirmata opportunitate sanctæ pacis & concordiæ, cum clericis ejusdem ecclesiæ Sagiensis (convenimus) ut fratres qui causa religionis convenerant, eorumque successores in ecclesia illa libere & absolute omnipotenti Deo deservirent, & præbendæ quæ vacuæ erant, & aliæ, sicuti unusquisque clericorum deficeret, statim in communes usus prædictorum fratrum cessissent. Quod diu ardenti desiderio nostra sollicitudo quæsierat, omni diligentia peragere festinavit; idus ergo Martii, id est ea Quadragesimæ die, quæ *Dominica vacat* intitulatur, præsentibus ejusdem Sagiensis ecclesiæ clericis atque annuentibus, ego Joannes Sagiensis ecclesiæ episcopus, habitu sanctæ religionis jam suscepto, designatis fratribus qui causa communis vitæ convenerant, eidem ecclesiæ beatorum martyrum Gervasii & Prothasii seipsos devoventibus, atque sub regula B. Augustini in eadem ecclesia se vivere profitentibus, habitum sanctæ religionis solemniter & cum benedictione tradidimus. Idcirco, dilectissime fili in Christo Garine prior ecclesiæ Sagiensis, tibi ceterisque fratribus in ecclesia eadem omnipotenti Deo regulariter famulantibus, vestrisque in perpetuum sub eadem regula atque professione sancti Augustini successoribus, auctoritate Dei & nostra, damus vobis atque concedimus potestatem in ecclesia Sagiensi divinum officium cum reverentia Christi & devotione peragere, atque observantiam sanctæ religionis secundum sanctas scripturas ibi tenere: præbendas quoque vacuas, & alias omnes sicuti unusquisque clericorum Sagiensis ecclesiæ, qui eas possident, decesserit, ita ut sine omni dilatione atque calumnia, in regulares usus vestros atque communes statim proveniant, vobis eas concedimus atque damus. Decernimus quoque atque constituimus, ut archidiaconi Sagiensis ecclesiæ, de vestris fratribus, vel vestro capitulo, vestroque consilio ab episcopo eligantur, & beneficia, & redditus, & quidquid eis de archidiaconatibus provenerit, in vestros regulares usus atque communes redigantur. Postquam autem Archidiaconus ad Sagiensem villam accesserit, ad nullum locum, nisi ad communem domum fratrum suorum divertendi habeat licentiam; secundo post quam venerit, modum & ordinem aliorum exsequatur, & nisi licentia sui superioris postea non egrediatur: de excessibus vero suis, quemadmodum & alii fratres, in capitulo satisfaciat: quod si culpa talis fuerit, adhibito episcopi consilio, judicio sui prioris & fratrum suorum in capitulo deponatur. Insuper concedimus vobis atque confirmamus terram quam Henricus rex Anglorum dedit in Anglia ecclesiæ beatorum martyrum Gervasii & Prothasii in dedicatione ipsius ecclesiæ, & quæcumque deinceps futuris temporibus donatione regum, liberalitate principum, Dei annuente gratia, vel quolibet modo aliquid juste acquirere poteritis, vobis & successoribus vestris firma & inconcussa permaneant. Concedimus atque firmamus possessiones vestras, & omnia ad communes usus vestros pertinentia, ab omnibus angariis, vexationibus, perturbationibus, atque ab omnibus exactionibus omnino esse libera atque quieta, auctoritate Dei & nostra constituimus, decernimus atque firmamus. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam sciens obviare tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi resipuerit, atque canonice satisfecerit, auctoritate Dei & nostra a liminibus sanctæ ecclesiæ arceatur & à sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Facta est autem atque firmata suprascripta confœderatio nostræ institutionis anno Incarnationis Dominicæ 1131, Henrico in Anglia regnante, Innocentio papa secundo Ausoniæ cathedræ præsidente; quæ ut certior & firmior habeatur, eam postea scripto inseri & sigillo nostro muniri fecimus.

VIII.

Epistola Arnulfi Lexoviensis episcopi, ad Cælestinum II papam, pro ecclesia Sagiensi.

PRO Sagiensi ecclesia tota mente pedibus vestræ pietatis advolvor, confidens de vobis in Domino, 1143.
quia bonum, quod in illa per antecessores vestros, Deo auctore, fundatum est, vestro tempore non solvetur. Solvi autem necesse est, si inexperto regulam regula conservanda mandetur, si imperito agricolæ credatur nova plantatio, si denique cuiquam alicujus rei magisterium credatur, cujus ille non attigit disciplinam: perniciose siquidem vinea propaganda committitur ei, cujus est studium potius exstirpare. Unde etiamsi eum de quo agitur Girardum aliqua electionis forma defenderet, quia pro ecclesiis libertas electionum introducta est, liquet quia quod earum favore comparatum est, hoc ad earum læsionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis favor usque in detrimentum principalis causæ processerit, si non quis, vel ad quid, sed qualiter electus sit attendatur; nec finis, aut utilitas operis, sed sola negotii series exquiratur. At vero quod hic electio nulla præcesserit, & verum est, & omnis ecclesia contestatur, præter paucos, quos ad optandam secularem personam amor & desiderium secularitatis adduxit. Quorum primus adolescens & frater est, secundus ex familiari neophytus, tertius nescio qua sanguinis cognatione conjunctus, quartus claustrali disciplinæ mancipatus a puero, imberbis adhuc & nihil sciens penitus nisi mundum. Quos ille per furtivas literas studio fratris, persuasionibus & promissis illectos ad hoc schisma protraxit, ratus secure quidlibet adversus paupertatem ecclesiæ præsumendum. Sperabat enim adversus reliquos omnia posse trium aut quatuor hujusmodi testium depositione probari; quoniam negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, actori autem onus probationis incumbit. Sic opus illud primo quidem de ambitione conceptum est, exinde vero temeraria levitate promotum, ut ad extremum posset perjuriis consummari. Accessit etiam postmodum propter injuriam quam passus est, ex incommoditate fiducia, ad quam tamen si eum inconsulta protraxit ambitio, nec innocentibus imputandum est, nec in detrimentum ecclesiæ convertendum. Porro in actores sceleris severitatis apostolicæ vindicta procedat, personæ vero quæ læsa est, salva tamen indemnitate ecclesiæ, consulatur, ut reis pœna, læsis remedium, sua religioni justitia conservetur. Ceterum de eo quod factum est innocentiam suam multis comes excusat, adeo ut auctores ipsos, licet ipsius se putaverint gratiam promereri, ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos. Neve adversus libertatem ecclesiæ laborare credatur, universam ecclesiæ dispositionem archiepiscopi nostroque scilicet episcoporum consilio relaxavit. Ecce, Domine, in voluntate tua universa sunt posita, nec est qui possit tuæ resistere voluntati; esto officii tui sedulus executor, ne personarum vel causæ merita confundantur, ut reos scilicet castigatio digna coerceat, læsos pia miseratio consoletur, regularis autem conventus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum, & ubi ex privilegio prædecessorum archidiaconos seculares esse non licet, sententia tua creet episcopum secularem. Valeat in Christo sanctitas vestra.

IX.

Diploma Willelmi comitis Pontivorum, pro sancto Andrea. *Ex chartulario.*

WILLELMUS comes Pontivorum, Radulpho abbati sanctæ Mariæ, sanctique Andreæ de 1143.
Vinatio, & monachis ibidem Domino servientibus,

tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Caritas & religio qua Deo placere studuistis, necnon observantia sanctæ conversationis quam efficacius elegistis, tenere nos vobis gratiores efficiunt, ut paci vestræ sollicitius intendamus, & solitudini vestræ attentius provideamus, ut quæcumque largitione nostra & eorum . . . . nostro jure existunt vobis collata, vel in futurum sunt conferenda, rata vobis & illibata sine ulla molestia permaneant, & in quantum facultas suppetit, exercere nos convenit ut res vestræ ab inquietudine pravorum hominum in omnes existant, attentius exoptantes vos in pace & quiete preces & hostias, pro nobis supplicando, Deo auctori nostro jugiter offerre. Vestræ igitur necessitati & religioni providentes, concedimus vobis & ecclesiæ vestræ in eleemosynam perpetuam, pro remedio animæ meæ, patris mei, matrisque meæ, & omnium parentum meorum, partem forestæ *de Goffer*, videlicet a vaccaria sicut rivulus currit usque ad essartum Galterii, & ab essarto Galterii sicut Noa dividit usque ad Forgias, &c. Porro quæcumque possessiones aut bona juris nostri ad ecclesiam vestram vel ad vos juste & canonice pertinere noscuntur, vel in futurum liberalitate, largitione & oblatione omnium nostrum fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata permaneant. Nulli ergo hominum nostrorum fas sit ecclesiam vestram aut vos in aliquo temere perturbare, aut possessiones vestras auferre vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur vestris & eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, profutura usibus. Si quis ergo contra hanc nostræ constitutionis paginam temere venire temptaverit, exoramus ecclesiasticos rectores qui in cathedra B. Petri apostolorum principis resident, ad quorum officium ecclesiasticus vigor pertinet, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, quatinus potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemtoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem loco vestro vobisque pacem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ visionis inveniant, amen. Testibus Johanne episc. Sagiensi, Arnulfo episcopo Luxoviensi, Algaro episc. Constantiensi, Hamone abbate S. Petri de supra Divam, Serlone abbate Savigneiensi, * Olmone abbate *de Belbech*, Garino priore de Sagio, Guillermo archidiacono de Harenis, Sarlone capellano, Pagano *de Mesdavid*, Hugone Merlaii, Roberto de Corceio, Alexandro *de Bohon*. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1143, in dedicatione S. Mariæ sanctique Andreæ XIII calend. Octobris, Johanne episcopo regente ecclesiam Sagiensem, regnante in Galliis rege Ludovico, principante in Normannia duce Gaufrido.

X.

Charta Willelmi comitis Pontivi pro S. Martino.

1149. NOTUM sit omnibus præsentibus & futuris, quod ego Willelmus comes Ponthivii, pro salute animæ meæ, & pro anima Philippi filii mei, & Roberti patris mei, & Rogerii avi mei, & Mabiliæ comitissæ uxoris ejus, & aliorum prædecessorum meorum & pro salute etiam dominorum meorum, concedo & confirmo Deo & S. Martino de Sagio, & monachis ibidem Deo servientibus & servituris, omnia sua tenementa & libertates quæ ipsi monachi habent in tota terra mea, de donatione & concessione Rogerii comitis, & Mabiliæ comitissæ uxoris ejus, & aliorum antecessorum meorum, scilicet in ecclesiis,

A in decimis, in hominibus, in terris, in pratis, in nemoribus, in molendinis, in aquis, in consuetudinibus, & in omnibus rebus aliis, & etiam omnes eleemosynas quas mei barones & milites, & homines de tota terra mea prædicto sancto Martino dederant & concesserant, & omnes emptiones quas prædicti monachi fecerant. Inprimis itaque concedo eis & confirmo ipsam ecclesiam sancti Martini & burgum ipsius, & vicum Mansesium cum omnibus quæ eis pertinent, tam in consuetudinibus quam in aliis rebus, & ecclesiam B. Mariæ de Platea cum decima totius parochiæ, & ecclesiam sancti Petri de castello Sagii, & quadraginta solidos Cenomannensis monetæ in præfectura mea Sagiensi, & duas nundinas in duabus festivitatibus S. Martini. Concedo etiam ipsis monachis & confirmo, ecclesiam beatæ Eulaliæ *de Ambrou* juxta Sagium, & ecclesiam sancti Audoëni *de Villers*, & ipsum manerium *de Villers*, cum hominibus, terris, pratis, & omnibus pertinentiis suis, & ecclesiam S. Pardulphi de Bureria, cum decima
B & pertinentiis suis, & molendinum de Bureria, & unam carrucatam terræ juxta Montem-Gomericum, cum hominibus, pratis, & pertinentiis suis, & duas carrucatas terræ juxta Trumum, & unam carrucatam terræ in Hambona juxta Alerium, cum pratis pertinentibus. Insuper concedo & confirmo Deo & S. Martino, molendinum de Maceïo, & communem molturam, tam de meis quam de suis hominibus: ita tamen quod si meum molendinum de Rocha non habeat quid molat, custos molendini abbatis ibit ad molendinum meum de Rocha, & si ibi tres saccos
C invenerit, tertium accipiet; si vero molendinum abbatis non habeat aquam ad molendum proprium bladum abbatiæ, famulus abbatis exclusam molendini mei de Rocha licenter extrahet ad ipsum bladum molendum. Concedo etiam & confirmo Deo & S. Martino meteriam de Bordis, cum terris, pratis, & omnibus pertinentiis suis, & quidquid monachi habent in parochia de Maceïs in hominibus, terris, pratis & in omnibus aliis rebus. Præterea concedo prædictis monachis & confirmo capellam de S. Paulo cum hominibus, terris, pratis, aquis, & omnibus pertinentiis suis, nemus quod dicitur Noa sancti Martini, quod situm est inter Sartham & Paillerotam, & totam terram & prata quæ sunt inter utramque aquam, a Mara-alvosa usque ad illum locum
D in quo torrens Pallerotæ intrat in Sartham. Concedo etiam eis licentiam piscandi a molendino sancti Pauli usque ad illum locum ubi aqua Paillerotæ intrat in Sartham. Concedo etiam eis nemus *de Menisgaut* solutum, & liberum, & quietum, & absque ullo gravamine, & sine aliqua consuetudine, cum hominibus, terris, & pratis quæ sunt inter Vandam & viam Alerii, & molendinum quod est juxta idem nemus. Insuper concedo eis & confirmo Martellum Vollogium quod est in nemore Scoparum; & decimam pasnagii ejusdem nemoris, & sex solidos Cenomannenses de herbagio ejusdem nemoris, & quittantiam pasnagii & herbagii suorum porcorum, in eodem nemore Scoparum, & in omnibus aliis forestis meis, quittanciam pasnagii porcorum dominorum & famulorum suorum. Ad ipsam vero ecclesiam & ad
E omnes domos suas faciendas & reficiendas, & ad calfagium suum, dono & concedo præfatis monachis in nemore Scoparum & in nemore meo *de Gouffer*, & in Bursa, & in *Blavon* & in Persenia, omne nemus quod eis necessarium fuerit, in eo scilicet nemore quod utilius eis videbitur, nec pro his in aliquo debitores erunt famulis vel forestariis meis. Concedo etiam ipsis monachis duellum suum, & suum latronem, & catalla latronis si fugerit, vel deprehensus fuerit, ita libere & quiete, sicut ego & antecessores mei habuimus, salvo quidem regio jure. Dono etiam & concedo eis consuetudines de omnibus hominibus qui vendunt & emunt super terram suam, & quittantiam per totam terram meam omnium

consuetudinum suarum, tam ipsis quam dominicis suis famulis. Si vero mei homines vel famuli mei de hominibus S. Martini clamorem fecerint & jus habere voluerint, abbati vel baillivo suo clamorem facient, & in curia abbatis jus accipient, nec pro aliquo homines sancti Martini Sagiensis in curiam meam ducentur, nisi prius abbas defecerit à jure. Quas præfatas donationes, & consuetudinum libertates, Rogerius comes avus meus fundator ipsius ecclesiæ, & uxor ejus Mabilia comitissa, Ivone episcopo Sagiensi concedente, in puram & perpetuam eleemosynam donaverunt Deo & S. Martino Sagii, & monachis ibidem Deo servientibus & servituris. Et ego Willelmus comes Ponthivii, pro salute mea & parentum meorum, & anima Philippi filii mei quem ipsi monachi in suo capitulo sepelierunt, cum his omnibus supradictis, dono, concedo & confirmo præfatis monachis meis ecclesiam sancti Johannis de sancto Paulo, cujus molendini medietatem totius molturæ habent de donatione antecessorum meorum, & medietatem omnium piscium in *Avalefon* captorum, & alnetum quod est inter Sartham & torrentem Paillerotæ, & ecclesiam sancti Stephani de Novo-castello, cum hominibus & pertinentiis suis, ecclesiam quoque sanctæ Margaritæ de Bellovidere, & ecclesiam sancti Petri *de Moulor*, & duas partes decimæ ecclesiæ de Berimderia. Insuper dono & confirmo eis decimam molendini de Essaïo, & decimam molendini de Merula: concedo eis vivarium meum de Rocha ad piscandum in Natali Domini, in Pascha, in Pentecosten, in anniversario Roberti patris mei, & Rogerii comitis, & Mabiliæ comitissæ & Philippi filii mei, & Roberti abbatis, & utroque festo sancti Martini, & in anniversario meo omnia vivaria mea; itaque in singulis terminis habebunt illud vivarium per unum diem & noctem. Et ut prædicti monachi hæc omnia prædicta in puram & perpetuam eleemosynam ab omni servitio & exactione liberam & quietam in perpetuum teneant & possideant, ego Willelmus comes Ponthivii, præsenti charta & sigilli mei testimonio confirmo. Facta est hæc charta anno ab Incarnatione Domini 1149, testibus his, Rogerio archidiacono, Henrico archidiacono, Angeranno *Oysum*, Gervasio *de Mesdami*, Philippo *de Morlay*, Johanne *de Cleray*, Rogerio decano, magistro Christiano, Roberto de Crucifixo & aliis.

X I.

Ex Sammarth.

Epistola Arnulfi Lexoviensis episcopi, ad Alexandrum III summum pontificem.

Circiter 1160.

EST quiddam in quo majestatis apud vos reus inveniar, nisi vestram fidelibus indiciis præmuniero sanctitatem. Habuit ecclesia Sagiensis episcopum, cui me fraterni sanguinis necessitudo conjunxit, sed arctius gratia beneficentiæ liberalis astrinxit. Hic cum prædictam ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, majorem spiritualibus homo sanctus impendit. Ipsam igitur thesauris ornatam, instructam ædificiis, possessionibus reddidit ampliatam, adeo quod pro XIII canonicis, quos seculares appellant, ipsisque pauperibus, moriens ibidem XXXVI canonicos regulares cum omni ædificiorum sufficientia & reddituum copia dereliquit. Cumque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere vir magnificus, & omni sanctitate laudabilis, cui nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem. Quod bonum a prædecessoribus vestris viris apostolicis, Honorio primum, postmodum Innocentio, denique Eugenio & Adriano cœptum est & firmatum; præcedente siquidem gloriosissimi regis Anglorum Henrici devotione, qui ob eamdem causam ecclesiæ bona contulit,

A & præcepti regalis valituro in perpetuum munimine roboravit. Cumque res hæc a prædicto viro religiosissimo Honorio traxisset initium, ab irreparabili viro Innocentio meruit incrementum, cujus auctoritate prædictus episcopus electus ab ecclesia S. Victoris Parisiensis personas accepit, quarum sanctitas & prudentia suis meritis tantæ rei posset initia consecrare. Quorum studiis tantum inter varias tribulationes sanctum opus excrevit, ut inter omnes Gallicanas ecclesia illa cœperit de nobilioribus illius ordinis æstimari, si quis circa eos hospitalitatis gratiam; vel ordinis vellet attendere disciplinam. Porro ne qua posset oriri sæcularitatis in posterum revocandæ suspicio, & quia potior fructus poterat de regularium administratione sperari, statutum est & Romanæ ecclesiæ nihilominus auctoritate firmatum, quod in regulares personas sicut præbendæ, ita & archidiaconatus, & omnium rerum tam potestas quam ad-
B ministratio conferretur; ita nimirum, ut omnes obventiones deberent in commune referri, ne cupiditati daretur occasio, si eas liceret privatis usibus applicare. Quod adeo verum est, ut defuncto sæpe dicto episcopo, cum qui successit episcopari ecclesia Romana nulla ratione permiserit, donec eumdem ordinem in propria persona professus est, & quod ipsum in ecclesia fide bona servaret, juramento corporaliter interveniente firmavit. Tantus siquidem favor religionis extitit apud eam, ne statuæ aureæ, quod absit, caput æneum ipsius opificio diceretur affixum. Verum episcopus iste qui ad præsens, Domino permittente, successit, detestabilem concepisse prædicatur affectum, scilicet plantationem hanc penitus evellendi, destruendique bonum, quod fide-
C lium devotio, quod auctoritas principum, quod sanctorum religio, quod ecclesiæ Romanæ privilegia duraturo in perpetuum anathemate firmaverunt. Quod si totum à discretione vestra non poterit impetrare, archidiaconatus saltem ad sæculares studebit revocare personas, scilicet ut habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat & propinquis. Sed hunc ipsum pietatis specie palliabit affectum; dicturus ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur officiis, tanquam si sanctæ simplicitati prævalere debeat sæcularis astutia, aut de ecclesia sancti Victoris, aut sancti Rufi, vel aliis similibus personæ non possint auctoritate vestra ad hæc officia dispensanda transferri. Et ego quidem ecclesiæ illius archidiaconus extiti, ipsiusque beneficiis educatus
D sum, ipsius institutionibus eruditus, justumque est ipsius me semper detrimentis occurrere, & utilitatibus debita diligentia providere. Sed & bonum quod tanto domini & fratris mei labore contractum est, humeris meis sustinendum memoria fraternæ caritatis imponit, propter quod inter me & episcopum loci illius, cum domesticus noster extiterit, multisque a me beneficiis sit præventus, noviter est oborta discordia, quia fratrum illorum injurias sustinere non poteram, eique ad ordinis subversionem, opem & consilium non præstabam. Unde illum, & eos qui cum ipso sunt, tanquam adversarios nostros & manifestos hostes sapienter accipite, quoniam ultrices linguæ neque fidem, neque facilem promerentur auditum, &c.
E Absit igitur a vobis, ut prædecessorum vestrorum sancta plantatio vestris convellatur manibus, vestris viribus exstirpetur. Absit, ut per vos tot Romanorum pontificum anathemata ducantur in irritum. Absit ut per eos remota secularitas, auctoritatis vestræ sententia revocetur.

X I I.

Epistola ejusdem ad eumdem.

SI ad vestrum literæ pervenere conspectum quibus ego majestatem vestram studui præmunire super zelo quem ad removendam de ecclesia sua religio-

nem Sagiensis intendit episcopus, miror admodum multique mirati sunt quomodo factum hujusmodi scriptumque publicum super eo facto vestræ potuit subripi sanctitati. Quid enim! episcopalem ecclesiam miserabili paupertate damnatam religiosus episcopus redditibus, ædificiis, ornamentis & ea ad quam plurimum intendebat religione fundaverat, ipsamque de paupere divitem, prædicabilem de obscura, de ignobili, si dici fas est, fecerat gloriosam. Quod factum, tota sane partium nostrarum venerabatur ecclesia, omnisque ubique religio commendabat, si quis vel effusam in omnes caritatem, vel ordinis vellet attendere disciplinam. Nec ab ipso tantum hoc, sed multarum venerabilium personarum studiis, multarum fuerat auctoritate perfectum, quoniam ad studia laborum ejus prospera semper optati proventus auspicia concurrebant, adeo ut ad constitutionem ecclesiæ illius contendere virtus & fortuna viderentur. Exultabat apostolica sedes, quod prima tantæ religionis fundamenta jecisset, quod promotionem ejus continuo fovere non destitisset auxilio, quod consummationem ejus privilegiis & valituro in perpetuum anathemate communisset, &c. *Tum sub finem conqueritur de episcopo Sagiensi.* Quod ego vobis in hoc facto vereor accidisse, sicut sanctitati vestræ postmodum evidentibus liquebit indiciis, cum ad aures vestras veridica relatione pervenerit, quanta malignitate & audacia prædictus episcopus infirmitatem status vestri publice prædicaverit, & hostium ecclesiæ victoriam rediens dixerit imminere. Loquar tamen interim ad dominum meum, utinam complaceant ei eloquia mea! loquar, inquam, quia apud eum mihi sermo est, apud quem non eget vel intercessore religio, vel justitia defensore. Domine, quotquot ordinis illius observantiam profitentur aut diligunt per omnes Galliarum ecclesias & Anglorum, audito hoc verbo scandalizati sunt, quærentes quid antecessorum vestrorum, quid denique vestrum tam recens solverit anathema, cum nulla vis necessitatis appareat, nec tanto vulneri remedium aliquod aliqua recompensatione videatur afferri. Omnes redditus & omnes obventiones archidiaconatus illius, quæ ad communes usus regularium fratrum fuerant assignatæ, sine causæ cognitione sublatæ sunt, atque unius personæ ipsiusque sæcularis sumptibus attributæ. Quærunt igitur de jure quod suum est sine judicio spoliati, subductoque quod pauperibus solebat erogare religio, nichil se præter vacuas manus exhibere deplorant. Procedit interim inter cilicia pauperum fratrum & sordes, cartularii filius, sericis adornatus & variis, quem ipsi invisæ dissimilitudinis animal intuentes, quasi seminarium quoddam revocandæ secularitatis, tacitis, quod solum audent, animis execrantur, condemnant. Auget metum quod alius adhuc vacans archidiaconatus in eadem servatur, ecclesia, minori nepotulo conferendus, quam cito in legitimam ætatem videbitur excrevisse. Præterea priore claustri remoto, quia acrioris ingenii credebatur, & ad injurias ecclesiæ non silebat ex conscientia, episcopus priorem constituit idiotam, ut ipse scilicet locum suppleat idiotæ, & bona eorum in usus proprios sine contradictione convertat. Agite ergo & apostolicam vobis domesticæ severitatis revocate prudentiam, ut quod sanctitati vestræ subreptum est, ipsa sanctitas vestra reducat ad formam, quatenus sanctæ institutionis reformetur integritas, & ad vires pristinas, tam vestra quam prædecessorum vestrorum privilegia convalescant. Sic enim obstruetur os loquentium iniqua, & in laudem & gloriam nominis vestri fideles vestri libertate solita proclamabunt, & exempli terrore sublato, status ecclesiæ tranquillitate pristina conquiescet. Timeo ne audacius forte loquutus sim, quam vestræ debuerim sanctitati, sed me sanctæ opinionis vestræ zelus impulit ad loquendum, & ecclesiæ illius indigna contritio, cui multis ex causis ab antiquo sum plurima caritate devinctus. Scio quia acceptior erit in auribus vestris diligentis devota præsumptio quam fallax assentatio blandientis.

XIII.

Diploma Ricardi I Angliæ regis pro Silleio.

RICARDUS, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, comes Andegaviæ, archi- 1190.
episcopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciariis, vicecomitibus, & omnibus ministris & fidelibus suis totius terræ suæ salutem. Sciatis nos concessisse & præsenti charta nostra confirmasse Deo & sanctæ Mariæ *de Gousser*, & omnibus fratribus ibidem Deo servientibus, in puram & perpetuam eleemosynam illam vastam terram, quæ est inter magnam forestam & aquam Uræ, & inter mesos Willelmi & badum Arenarii, liberam & quietam ab omni consuetudine, & in prædicta foresta herbagium & pasnagium ad propria animalia, & mortuum boscum ad ardendum, & viride ad domos & ædificia sua facienda, & vendere & emere in omnibus villis & castellis nostris libere & quiete. Præter hoc concessimus eis totum redditum omnium bigrorum quos ibi habebat pater noster. Concedimus etiam eis & confirmamus hoc quod fuit in dominico patris nostri ex utraque parte aquæ, a meso Willelmi usque ad domum Roberti filii Udonis, & usque ad spineta de Viesino ex alia parte aquæ. Concedimus etiam eis & confirmamus apud Argentonium terram & domum Columbelli, & terram sancti Leonardi *de Gousser*. Concedimus etiam eis & confirmamus de redditu nostro de Argentonio singulis annis decem libras, & de foresta nostra *de Gousser* singulis annis decem libras, & duos modios frumenti, & unum modium ordei singulis annis de molendinis nostris de Argentonio, & ecclesiam sancti Leonardi quam Robertus de sancto Leonardo eis dedit in perpetuam eleemosynam, cum pertinentiis suis omnibus; & ecclesiam sancti Lamberti quam Robertus *de Clopel*, assensu filiorum suorum Fulconis & Gilleberti, eis dedit in perpetuam eleemosynam, cum omnibus pertinentiis suis, sicut charta patris nostri testatur; & ex dono Willelmi de Mandevilla comitis Escexiæ, domos *de Blanc-fossé*, & boscum quem idem Willelmus habebat de Roberto *Delfai*, & de Nicolao *de Bel-autel*, & de aliis dominis a quibus illud emit, salvis servitiis dominorum, & omnes terras de empto ejusdem comitis Willelmi ibidem; & ex dono Elæ de Saucvilla sororis Roberti de Dana, decem solidos quos Rogerius *Delclos* eidem Elæ reddebat de feodo suo reddendos annuatim ad nundinas Montis Martini, & ecclesiam sanctæ Mariæ *del-Repos*, & quatuordecim acras terræ ex dono Fulconis *de Annou* ibidem; & ex dono ejusdem decimam molendini sui apud *Annou*, & totam piscaturam ejusdem molendini; & ex dono Hugonis *de Annou* viginti unum solidos Andegavensium apud *Chaumont* annuatim reddendos in prima Dominica Quadragesimæ. Quare volumus & firmiter præcipimus quod domus sanctæ Mariæ *de Gousser*, & prædicti fratres ibidem Deo servientes habeant & teneant omnia prædicta prædicto modo, bene & in pace, libere & quiete, integre, plenarie & honorifice, in bosco & plano, in pratis & pasturis, in viis & semitis, in vivariis & stagnis, in aquis & molendinis, & piscariis, in herbagiis & pascuis, & omnibus aliis locis & aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus suis, & cum omni integritate sua. Testibus B. Turonensi archiepiscopo, A. regina Angliæ, Hugone Dunelmensi, Hugone Conventrensi, Hub. Saresberiensi, & Lis. Sagiensi episcopis, Willelmo Mariscallo, Willelmo filio Adelinæ, Willelmo de sanctæ Mariæ ecclesia decano Moretonii. Data per manum Joannis de Alençonio Luxoviensis archidiaconi, vicecancellarii nostri,

sexto die Aprilis, apud Argentonium, anno primo regni nostri.

X I V.

Bulla Innocentii III pro capitulo Sagiensi.

1199. QUOTIES a nobis petitur, &c. *Usque ad verbum* ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam, &c. *usque ad verbum* vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, omnes oblationes quæ ad manus sacerdotum in Sagiensi ecclesia offeruntur, & medietatem Pentecostes, & medietatem omnium legatorum & contratriæ, & medietatem omnium asportationum quæ ad ecclesiam ipsam proveniunt vel provenire debent, his exceptis, auro, serico, & candelis quæ in die Purificationis beatæ Mariæ, & in die Cinerum, & in die Cœnæ Domini offeruntur, quæ integre ad episcopum loci pertinere noscuntur, Bodevillam cum pertinentiis suis, ecclesiam *de Soroudon*, ecclesiam de manso Widonis, ecclesiam de Alneto, ecclesiam *de Challoci* cum jure episcopali, excepto divortio matrimonii, ecclesiam de Alodio cum omnibus decimis, ecclesiam *de Cortevesque*, ecclesiam *de Mesnilberat* cum eremitagio, ecclesiam de Bonafide, & illud quod habetis in ecclesia sancti Aniani super Sartham, & illud quod habetis in ecclesia S. Scholasticæ, videlicet de feudo de Essleo, & illud quod habetis in ecclesia de Taleriis, videlicet de feudo Guillielmi *de Plessei*, ecclesiam de Columberiis, ecclesiam *de Froc*, ecclesiam de Landa *de Goul*, ecclesiam de Franchevillis, eremitagium de Blancha-Landa, ecclesiam de Flureio, apud Cormelium XII acras terræ cum duabus garbis decimæ, in civitate Sagien. altare in Crucifixo, medietatem nundinarum sanctæ Crucis in Maio, in prætorio episcopi Sagiensis LX solidos Cenomannenses; in parochia sancti Petri de Castallo duas garbas de feudo episcopi, ab episcopo Sagien. XII procurationes singulis annis reddendas, in molendino *de Puchou*, in anniversario Frog. episcopi XX solidos Cenomannenses; in pago Oximen. ecclesiam de Pinu, ecclesiam *de Avesnes*, ecclesiam de Arenis, ecclesiam de Vercevillis, ecclesiam *de Neers*, ecclesiam de Estreis, ecclesiam de Condeio super *Leison*, ecclesiam de Tostis, ecclesiam *de Voire*, in ecclesia de Nealpha unum presbyteratum & duas garbas decimæ de feudo Vu. Bordon. apud Estias; in pago Hulmen. ecclesiam de Castelleis, ecclesiam S. Gervasii de Melseio, ecclesiam *de Crosmenil*, ecclesiam *de Mesnilian*, & eremitagium cum omnibus appendiciis suis, ecclesiam *de Batille*, ecclesiam *de Melsheudin*, ecclesiam sancti Martini Languiton. ecclesiam de Landa *de Loge*, ecclesiam de sancto Salvatore, eremitagium de monte *Thoard*, ecclesiam sanctæ Margaritæ cum capella sancti Jacobi *de Quarroq*, cum omnibus pertinentiis suis; in pago Belismen. ecclesiam S. Juliani de Merula, ecclesiam de Barvillis, ecclesiam sancti Johannis de Foresta, ecclesiam sancti Quintini parvi; in pago Corbonen. ecclesiam sancti Quintini de Bago, de Sagiensi, Hulmensi & Oxom. Archidiaconibus tertiam partem de circatis & synodis, de Corben. archidiacono tertiam partem de synodis, de Belismen. archidiacono tertiam partem de synodis; in episcopatu Cenomannen. ecclesiam de Banuo; in parochia *de Dampere*, & de campo *Segrei* duas partes totius decimæ de feudo Vu. *de Aunei*, capellam quæ est in grangia vestra de Bodevilla, & menstruas de archidiaconatu Belismen. in molendino Barvillæ decimam & partem Vu. Carrel. militis, cum piscatoria, & quicquid Gaufridus *Lemonel* in decimis parochiæ de Bavilla & S. Juliani habebat, & duas garbas totius decimæ S. Juliani, cum capella cœmiterii, redditus archidiaconatuum vacantium, sicuti habetis vel habere debetis archidiaconis viventibus, & totam decimam de Flureio,

A eremitagium de Martellaio, & mansuram quæ est de feudo Vu. de Chamapla, & duas garbas de feudo Vu. de Plesseio; in parochia sancti Germani veteris duas partes decimæ de feudo Guidonis de campo Milonis; in parochia *de Maisnillerros* duas garbas decimæ de feudo Teoboudorum; in parochia de Gaspreia duas garbas decimæ de feudo Hugonis de Franchavilla, & capellam quæ est in Messeio, in molendino *de Pervers*, illam partem quæ est de feudo Gaufridi de Fontibus, astreas quondam canonicorum sæcularium, cum omnibus pertinentiis, consuetudinibus, & libertatibus suis, & terram *Bogarel*; in Argentonio sex libras Cenomannenses, & X solidos & VI denarios; in Falesia LXV sol. Cenomannenses; in Oximis, CV sol. Cenomannenses, & quinque de
B teloneo regis; in Anglia decem libratas terræ in manerio regis, videlicet de Bentona, scilicet *Britalmeton*, quæ est membrum ipsius manerii, cum omnibus consuetudinibus, libertatibus & quietudinibus, in foresta *de Escoves*, pascuagium quitum, & XXII fagos absque aliqua traditione annuatim, quando volueritis, accipiendos. In parochialibus autem ecclesiis vestris liceat vobis proprios sacerdotes eligere, &c. Libertates præterea, &c. Decernimus ergo, &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur, &c. Datum Laterani per manum Rainaldi domini papæ notarii, cancellarii vicem agentis, VIII kal. Junii, indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno M. CXCIX, pont. vero domini Innocentii papæ III anno secundo.

C

X V.

Charta pro S. Andrea de Goffer.

Ex chartulario.

1234. NOtum sit omnibus præsentibus & futuris, quod ego Hamericus de castro Eraudi miles, volo & concedo, gratas & firmas habeo omnes donationes, concessiones, confirmationes, eleemosynas, libertates & quitancias de omnibus rebus, quæcumque sint aut esse possint, quas nobilis vir Willelmus comes Pontivi, Johannes comes filius ejus avus meus, & tres filii ejusdem Johannis, videlicet comes Junior, Robertus comes Alencei, & Willelmus frater eorum, & Ala domina de Almaneschis, soror eorumdem, pro salute animarum suarum & omnium antecessorum
D & successorum suorum, Deo & beatæ Mariæ, & monachis sancti Andreæ *de Goffer*, in perpetuam & omnino quietam eleemosynam donaverunt & concesserunt, nihil omnino in prædictis eleemosynis, mihi vel heredibus meis retinens, nec aliquid proinde expetens, præter solam divinam retributionem, ut scilicet ego & heredes mei omnium honorum spiritualium, quæ in domo sancti Andreæ *de Goffer*, facta sunt vel fient in perpetuum, participes fieri mereamur. Sed ut mea hæc concessio & confirmatio a me & heredibus meis Deo & conventui S. Andreæ de Gofferno in perpetuum inviolabiter observetur, præsentem chartam sigilli mei testimonio fecimus confirmari. Actum anno Domini 1234.

E

X V I.

Bulla Innocentii IV pro S. Martino.

1248. JOHANNES, Dei gratia, Sagiensis episcopus, omnibus hæc visuris, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos literas summi pontificis domini Innocentii papæ quarti cum veris bulla & filo de serico, non cancellatas, non abolitas, non rasas, nec in aliqua sua parte vitiatas, vidisse, tenuisse, palpasse, inspexisse sanas & integras prorsus omni vitio & suspectione carentes, easque de verbo ad verbum legisse, formam quæ sequitur continentes: Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis in Christo, abbati monasterii S. Martini Sagiensi. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris,

salutem & apostolicam benedictionem. Quotiens a nobis petitur quod religioni & honestati convenire dignoscitur, prompto animo nos decet concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Martini Sagiensis, in quo divino mancipati estis obsequio, adinstar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium inpræsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum vestrum in quo præfatum monasterium situm est, cum burgo ejus & aliis pertinentiis, ecclesiam S. Mariæ de Platea cum oblationibus & decimis, primitiis & obventionibus; ecclesiam sancti Petri de Castello, ecclesiam sancti Germani de Foro, tertiam partem ecclesiæ sancti Audoëni & totius decimæ, ecclesiam de Condeto, ecclesiam sancti Petri de Capella, ecclesiam sanctæ Mariæ de Bellonio cum pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Villenas cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Hilarii de Samaleyo, ecclesiam sancti Petri *de Congey*, ecclesiam sancti Germani de Ceriseio, ecclesiam sancti Sulpitii de Valle-Framberti cum pertinentibus eisdem ecclesiis, capellam sancti Eusicii cum terris & pertinentiis suis, decimas quas habetis in parochia de Davigneio, duas partes decimæ in ecclesia sancti Cyriaci de Longreio, ecclesiam sancti Nicolai de Nemore, ecclesiam S. Andreæ de Liveia, ecclesiam de Rupetroso cum pertinentibus eisdem ecclesiis, ecclesiam sancti Nicolai de Boca, ecclesiam S. Petri de Bota, cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam S. Dionysii cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Ferrercia, ecclesiam S. Mariæ de Mulceio, ecclesiam S. Martini de Condeio, ecclesiam sancti Petri de Monteforo, ecclesiam sancti Germani *de Berus*, ecclesiam sancti Paterni de Osceio cum omnibus pertinentibus eisdem ecclesiis, ecclesiam sanctorum Gervasii & Prothasii de Ligneriis, ecclesiam sancti Andreæ de Chevaio, ecclesiam sancti Joannis de sancto Paulo, ecclesiam sanctorum Petri & Pauli de sancto Paulo, ecclesiam S. Audoëni *de Villiers*, ecclesiam sanctæ Margaritæ de Bellovidere, ecclesiam sancti Stephani de Novo castello cum capella sancti Maurilii, ecclesiam sanctæ Mariæ de Valle, cum omnibus pertinentibus tam sibi quam præscriptis ecclesiis, ecclesiam sancti Martini de Ceriseio, ecclesiam sanctæ Crucis de Tutella cum ecclesiis & omnibus pertinentibus ad eam, ecclesiam S. Fructuosi de Terracona cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Georgii de Digniaco cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Germani de Digniaco, ecclesiam de Profunda valle, ecclesiam S. Medardi, ecclesiam S. Egidii de monte *Gaudry* cum pertinentiis earum, duas partes decimæ de Betronio, ecclesiam sancti Leodegarii cum oblationibus & omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam sanctæ Mariæ de Marcedonibus, capellam S. Mariæ *de Bouvêches*, ecclesiam sanctæ Eulaliæ de Alnoto, ecclesiam sancti Petri de Ferreria, capellam sancti Petri de Gasto cum terris & pratis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Joannis *de Mesnigault* cum nemore, terris & pratis; ecclesiam de Clairio cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Martini de Monmerrio, capellam sancti Euvrucii cum terris & hominibus & pertinentiis suis,

A ecclesiam de Bonaso, dimidiam ecclesiam de Juvigneio, decimam quamdam in parrochia de Cnico, ecclesiam S. Mariæ *de Vrou* & capellam de Cremnis, ecclesiam sanctæ Mariæ Broicarum cum tota villa & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Claudii de Merreio, ecclesiam de Poteria; ecclesiam sancti Mauricii de Logis cum terris & omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Montigniaco, ecclesiam sancti Sulpicii *de Serancz*, ecclesiam sancti Padulphi de Beureria, & capellam S. Germani de Beureria, cum terris & molendino, & omnibus pertinentiis suis; capellam & terram de Meldescolis, ecclesiam sancti Nicolai de Arundello cum capella S. Mariæ, & præbendis & omnibus pertinentiis suis; capellam sanctæ Crucis in parochia sancti Nicolai, ecclesiam sanctæ Mariæ de Hantona cum tota villa & omnibus
B pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Guta cum tota villa & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ *de Beredefort*, manerium de Arnitonia, manerium de Trutitonia, manerium de Fisebona cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Joannis de Visgata, ecclesiam *de Relingy* cum decima & pertinentiis suis, ecclesiam *de Garinges*, ecclesiam sancti Joannis de Hingalis cum terris, decimis & omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Berelesero, ecclesiam sancti Martini de Mesleio, ecclesiam *de Nivesnelle*, ecclesiam *de Baselle*, ecclesiam *de Galingonie* cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam sanctæ Mariæ de Lancastria cum decimis & ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Nicolai *de Pembroc* cum decimis, ecclesiis & omnibus per-
C tinentiis suis. Liceat quoque vobis clericos vel laicos a seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia ab eodem monasterio, nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis rectores eligere, & diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint episcopus animarum curam committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de
D temporalibus, debeant respondere. Interdicimus autem ne quis in vos & monasterium vestrum interdicti, aut suspensionis, seu excommunicationis sententiam, sine manifesta & rationabili causa promulgare præsumat. Præterea novas indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, seu decanis aliisve ecclesiasticis personis omnino fieri prohibemus. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu diœcesani episcopi & vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanæ ecclesiæ. Ad hæc libertates & immunitates a regibus & principibus, & maxime a Rogerio comite monasterii vestri fundatore, & ab aliis personis tam ecclesiasticis quam mundanis eidem monasterio indultæ, antiquæ & rationabiles consuetu-
E dines integræ & illibatæ maneant, præsenti decreto fundatoris. Obeunte te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi

canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Lugduni per manum magistri Mauricii sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, tertio idus Aprilis, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno M.° CC° XLVIII, pontificatus vero domni Innocentii papæ IV anno quinto. Datum & auct..... hujusmodi transcripti anno Domini millesimo CC. LXXXIII die Martis post Nativitatem beatæ Mariæ virginis. In fidem & testimonium præmissorum sigillum nostrum præsentibus literis est appensum.

X V I I.

Concilium apud Pintarvillam.

Ex schedul. Fisc. 1305. UNiversis præsentes literas inspecturis, Guillelmus miseratione divina Rotomagensis archiepiscopus, Gaufridus Abrincensis, Mathæus Ebroicensis, Philippus Sagiensis episcopi, Rotomagensis ecclesiæ suffraganei, salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod vir religiosus frater Thomas abbas monasterii Fiscannensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Rotomagensis diœcesis, requisitus a nobis in provinciali concilio apud Pintarvillam ob ardua negotia totius cleri Rotomagensis provinciæ celebrando congregatis, absentibus Petro Bajocensi, Guidone Lexoviensi, & Roberto Constantiensi episcopis, ac non coactus, privilegiis apostolicis super exemtione suæ personæ, suique monasterii prædicti in omnibus eis salvis, una nobiscum ad dictum concilium convenit & intravit, protestans expresse quod ob hoc ad alia concilia seu convocationes quascumque per nos & nostrum quemlibet in posterum faciendas, ipse suique successores tanquam ab omni ordinaria jurisdictione locorum notorie exemti, sedique apostolicæ immediate subjecti, nullo modo possint interesse compelli. Quam protestationem tanquam idoneam & rationi consonam admittentes, habere volumus roboris firmitatem. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus literis sunt appensa. Actum & datum apud Pintarvillam prædicta die Martis post festum beatæ Agathæ, anno Domini 1304.

X V I I I.

Fundatio capellaniæ in ecclesia de Silliaco.

1309. PHILIPPUS, Dei gratia, Franciæ rex, notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod dilectus Guillelmus *Rentier* hostiarius noster armorum nobis humiliter supplicavit, ut cum in monasterio de Silliaco, Præmonstratensis ordinis, diœcesis Sagiensis, in quo Martinus *Rentier* miles, quondam patruus ejusdem, sepultus existit, capellaniam in honore Dei, B. virginis Mariæ, & omnium sanctorum fundare proponat, decem libras & septem solidos Turonensium, in quibus abbas & conventus dicti monasterii nobis annuatim tenentur, cum decem libris & septem solidis Turonensium capiendis a nobis & successoribus nostris in perpetuum annuatim super terram suam de Sica-Brueria permutare, & eidem pro dicta capellania fundanda dimittere dignaremur. Nos igitur laudabile propositum & servitium nobis ab ipso longis temporibus impensum

A propensius attendentes, prædictas decem libras & septem solidos, &c. a prædictis religiosis nobis debitas, eidem Guillelmo pro prædictis decem libris & septem solidis Turonensium redditualibus, quas ratione permutationis prædictæ super dictam terram de Sica-Brueria in perpetuum debemus percipere & habere, dimisimus & quittavimus volentes & tenore præsentium concedentes quod de prædictis decem libris & septem solidis, &c. de quibus abbatem & conventum prædictum absolvimus & quittamus, prædictam possit fundare capellaniam, vel de eis alias prout expedire viderit, ordinare. Quod ut firmum & stabile perpetuo perseveret, prætentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro & in omnibus jure quolibet alieno. Datum
B Parisius anno Domini millesimo trecentesimo octavo, mense Februarii.

X I X.

Confirmatio fundationis parthenonis de Essayo. *Ex cod. MS. bibliothecæ Coislinianæ.* 1519.

FRANÇOIS, par la grace de Dieu, roy de France, savoir faisons a tous presens & avenir. Nous avons receu l'umble supplication de notre tres-cher & tres-amé beaufrere le duc d'Alençon, & de notre tres-chere & tres-amée seur unicque Marguerite de France son epouse, contenant que pour acquerir la grace du benoist Createur, le inciter a la conservation de nous, de notre tres-chere & tres-amée compaigne la Royne, de nos tres-chers & tres-amés enfans, de notre tres-chere & tres-amée
C *dame & mere, de tous les princes & seigneurs de notre sang & lignage, consequament de tout notre royaulme, & qu'il plaise au benoist Createur après le decès de nous & eux coloquer en la gloire eternelle; recongnoissans aussi tant & de si grans biens mondains qu'il plaist au benoist Createur leur donner & augmenter de jour en jour, ils ont, de l'auctorité de l'evesque de Sees diocesain, au grand desir & devotion de notre dicte seur, fait construire & edifier en la ville d'Essay, chatelenye & membre dudit duché d'Alençon, ung couvent & monastere de monialles penitentes de l'ordre S. Augustin, & oudit monastere introduict certain nombre de religieuses, pour y tenir & garder vœu & religion & cloture, soubs ledit ordre saint Augustin, selon la tradition du saint siege apostolique. Pour la construction duquel monastere, & aisement d'icelluy avecques l'eglise & lieu, qui estoit*
D *lieu sacré d'ancienneté, ils ont acquis quelques maisons & terres joingnans & circonvoisins qui peuvent contenir une acre de terre ou environ, le tout fait unir audit monastere, enclore & fermer de murailles. Par la substantation, manutention, fondation & dotation desquelles religieuses qui sont a present & seront pour l'advenir audit monastere, icelles religieuses & monastere auront tenir a perpetuité, ont nosdits beaufrere & seur, icelle auctorizée suffisamment de son dit mary, donné, ceddé, transporté & delaissé a tousjours-mais perpetuellement les chauses qui s'ensuivent: c'est assavoir ladite acre ou environ de terre a present composée en l'enclosture dudit monastere, par eulx acquise, les boys, lieu & estang de Croucrist avecques les retraits dudit estang, scis & assis en la baronie de Haulterive, contenant le tout*
E *cent journées ou environ, ainsi qu'il se poursuit, tant en boys, pastures, herbaiges, haies, buissons, eaux, que chaussée. Ledit bois joignant d'un bout a la veufve de deffunt Yves Bourdin, & de tous les autres endroits & coustés aux heritaiges qui furent deffunt Thomas le Conte, dit Verjust. Les retraits dudit estang joingnant d'un cousté aux heritiers de deffunt Michel le Feuvre, dit Bontemps, & d'autre cousté oudit bois & oudit estang. Ledit estang joingnant d'un cousté auxdits retraits, d'autre cousté a Jean l'Evesque, dit Lerain, & les heritiers de deffunt Favri.* Item, *vingt-cinq journées de terre par notredit beaufrere ou notredicte seur, ou par maitre Michel de S. Aignan comme leur procureur pour eulx acquis des tuteurs de l'enfant soubs aige dudit*

deffunct Verjust, par auctorité & decret de justice: c'est assavoir, une piece de terre contenant dix-neuf journées ou environ assise à la Maire au chat en la paroisse de Milly, en ce comprins ung journau de terre qui fut acquis de Marquet l'Evesque, joingnant d'un cousté au bois de Croucrist, d'un bout le chemin tendant de Mullé a Mesuillercoux, & d'autre bout audit estang de Croucrist. Item, *une autre piece de terre contenant six journées ou environ comprins les noes de Croucrist, joignant d'un cousté le bois de Croucrist, d'autre cousté le chemin tendant d'Alençon a Essay;* Item, *les terres, heritaiges & possessions qui s'ensuivent, assis en leur baronnie de Sonnois. Premierement, les près le Comte contenans soixante arpens ou environ;* Item, *les noelles & haulx essarts;* Item, *l'estang de Laverdie, l'estang de Sarton;* Item, *sur la terre de Molins appartenant a l'abbé de la Cousture, trente-six boessaulx froment de rente au terme de Noel;* Item, *sur ledit abbé audit terme, trente-six boessaulx orge;* Item, *sur l'abbé de Perseigne audit terme six sextiers d'aveine;* Item, *sur le prieur de Courgaing audit terme douze boessaulx de froment, plus sur ledit prieur trente-six boessaulx aveine;* Item, *sur le seigneur de Chevein en rente audit terme, quarante-sept boessaulx fourment;* Item, *ont nosdits beaufrere & seur pour plus amplement doter & fonder lesdictes religieuses & couvent, & subvenir a leurs alimens & necessités, donné & assigné sur le revenu de leur ditte baronnie de Sonnois la somme de huit vingt dix livres tournois de rente, paiable par chacun an par les mains du receveur de ladicte baronnye, a deux termes, c'est assavoir, Noel & saint Jean-Baptiste par moitié; laquelle somme de huit vingt dix livres tournois de rente ou autre semblable, a été par notre dicte seur duchesse d'Alençon & de Berry acquise & rachetée de ses deniers des heritiers des Aulnaux ou autres heritaiges en telle ou plus grant valeur que la dicte rente. Et ont nos dicts beaufrere & seur auctorisée que dessus, voulu & ordonné que pour les dits huit vingt dix livres tournois aux termes que dessus, en defaut de paiement soit procedé par execution sur les meilleurs & plus clers deniers de la dicte recepte, & en defaut de paiement par chacun terme, ont nos dicts beau frere & seur donné, octroié & voulu estre payé d'abondant la somme de dix livres tournois sur le dit revenu plus cler de la ditte baronnie, outre ce qui leur sera du par chacun terme, ainsi que l'on dit estre contenu ès lettres du don & fondation faicte d'iceluy monastere & couvent par iceluy notre dict beaufrere & par notre dicte seur, lesquels nous ont supplié & requis que ad ce que a tousjours-mais, leur dicte intention, fondation & dotation dudit couvent ait lieu sans être enfrains, & lesdictes poures religieuses contraintes a en vuider leurs mains, il nous plaise les chouses dessusdictes qui ne sont tenues en paraige, amortir & indempner, & sur ce leur impartir notre grace. Pourquoi nous, ces choses considerées, inclinans a la supplication & requeste desdits supplians, desirans leur subvenir & impartir notre grace, les choses dessus specifiées & declarées par eux données & aulmosnées aux dictes religieuses & couvent d'iceluy monastere, avons pour nous & nos successeurs, amorties, indempnées & dediées, amortissons, indampnons & dedions auxdictes religieuses & couvent & leurs successeresses, pour le service de Dieu, substantation & entretenement desdictes religieuses & couvent, voulons & nous plaist que les chouses dessus declarées lesdictes religieuses & couvent puissent tenir & posseder comme amorties, indampnées & dediées au service de Dieu, de ladicte eglise, couvent & monastere, a toujours-mais perpetuellement sans ce que lesdictes religieuses & couvent soient, ne puissent estre contraintes a en vuider leurs mains en quelque maniere que ce soit, ne que pour cette cause elles soient tenues paier a nous & a nos successeurs aucune finance ne indampnité, & laquelle finance ou indampnité, a quelque somme, valeur ou extimation qu'elle se puisse monter, nous leur avons donné, ceddé & quitté, donnons, & quittons par cesdites presentes, que nous avons pour ce signées de notre main, par lesquelles mandons a nos amés & feaulx gens de nos comptes & thresoriers a Paris, & a tous nos autres officiers & justiciers, ou a leurs lieutenans & chacun d'eulx, si comme a lui appartiendra, que de nos presentes grace & amortissement, indampnité & don de finance dessusdicts, ils facent, souffrent & laissent notredit beaufrere & notredite seur, lesdictes religieuses & couvent & leurs successeurs, jouir & user a tousjours-mais perpetuellement, pleinement & paisiblement, sans leur mettre ou donner, ne souffrir etre fait, mis ou donné aucun destourbier ne empechement au contraire, lequel si fait, mis, ou donné leur étoit, ils le mettent ou facent mettre incontinent & sans delay a pleine delivrance, car ainsi nous plaist-il estre fait; & afin que ce soit chouse ferme & estable a toujours, nous avons fait mettre notre seel a cesdictes presentes, sauf en autre chouses nostre droit & l'autruy en toutes. Donné a Poithiers ou mois de Janvier, l'an de grace mil cinq cens & dix-neuf, & de notre regne le sixiesme.* Signé FRANÇOIS, *& sur le reply est escript, par le Roy.* Signé DE NEUFVILLE.

XX.

Instrumenta secularisationis ecclesiæ Sagiensis.

PAULUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Clementia ejus qui 1547.
immobilis permanens, sua providentia mirabili suo ordine dat cuncta moveri, in apostolicæ sedis cathedra meritis licet imparibus constituti, & commissi nobis ab eadem clementia desuper pastoralis officii debito, circa ecclesiarum quarumlibet præsertim cathedralium insignium, & illarum personarum potissime religionis titulo insignitarum statum prospere dirigendum, & concedente Domino in melius commutandum, attentæ considerationis aciem libenter dirigimus, ac illarum profectibus consulere satagentes, statum ipsarum interdum immutamus & alteramus, ac desuper disponimus prout salus animarum exigit, piaque catholicorum regum vota exposcunt, & rationabiles causæ suadent, ac temporum & locorum qualitatibus & conditionibus diligenter consideratis, pro ecclesiarum & personarum earumdem felici successu & decore, ac venustate divinique cultus augmento conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex christianissimus, tam suo quam venerabilis fratris nostri Petri *Duval* episcopi Sagiensis, necnon dilectorum filiorum capituli & canonicorum ecclesiæ Sagiensis, ordinis sancti Augustini nominibus, nobis nuper exponi fecit, quod licet alias ecclesia ipsa, postquam illa quæ a primæva ejus erectione & institutione secularis erat, & cui episcopus secularis præfectus, ac in qua capitulum seculare & aliæ personæ ecclesiasticæ seculares adinstar aliarum cathedralium ecclesiarum secularium partium illarum apostolica auctoritate instituta fuerat, multo tempore una cum ejus episcopo, capitulo & personis præfatis, in hujusmodi secularitate laudabiliter permanserit, a trecentis annis vel circa ex certis tunc causis expressis ad regularitatem reducta, & in ea capitulum regulare ac octo regulares dignitates, videlicet unus prioratus post pontificalem major, una cantoria, unus Sagiensis, & alius Oximensis, & alius Hulmensis, necnon alius Bellismensis ac alius Corbonensis archidiaconatus, necnon una pœnitentiaria, non tamen post pontificalem dignitates majores, seu officia claustralia ac plura loca & canonicales portiones, & forsan alia beneficia ecclesiastica pro totidem personis regularibus, dicta auctoritate erecta & instituta fuerint, & a dicto tempore citra, in eadem regularitate permanserint, nihilominus cum dicta ecclesia cui episcopus secularis præesse consuevit, inter alias cathedrales ecclesias seculares totius ducatus Normanniæ sola regularis reperiatur, & dicti quinque archidiaconi, quibus

quibus cura visitandi provinciam per hujusmodi reductionem aut aliter commissa est, occasione hujusmodi visitationis sæpius ab ipsa ecclesia se absentare & cum laïcis conversari habeant, ac in præfatum capitulum alios presbyteros seculares loco eorum pro divinis inibi celebrandis ob eorum regularitatem secum intromittere non audeant; fit ut divinus cultus inibi, prout deceret, non celebretur, & ipsi canonici vota sua Altissimo juxta dicti ordinis regularis instituta non reddentes, animarum saluti minus consulant, & seculares ex canonicorum & personarum ipsius ecclesiæ mutua in eadem ecclesia aut aliis locis conversatione, nonnunquam eorum famæ & honori detrahant, & eorum solita devotio ad ecclesiam & ad ordinem hujusmodi minuatur. Si autem in ipsa ecclesia, cui dictus Petrus episcopus præesse dignoscitur, ac omnibus & singulis illius locis & canonicalibus portionibus necnon dignitatibus, dictus ordo sancti Augustini, & status ac dependentia regularis, necnon prioratus prædictus supprimerentur & extinguerentur, & illa ad statum canonicorum & presbyterorum, ac clericorum secularium adinstar suæ primævæ erectionis & aliarum cathedralium ecclesiarum prædictarum reduceretur, & loco dicti prioratus, una præpositura quæ post pontificalem inibi dignitas major existat, erigeretur & institueretur, ac ipsius ecclesiæ singulis canonicis & in ea dignitates obtinentibus & aliis ministris, singulæ portiones assignarentur, statuerentur & ordinarentur; ex hoc profecto feliciori statui & successui ipsius ecclesiæ ac conscientiarum paci & animarum saluti personarum ejusmodi salubriter consuleretur, & illa decentior & venustior redderetur, divinusque cultus in ea & ad illam Christi fidelium devotio cum illorum animarum spirituali consolatione peramplius vigeret & augeretur, & personæ nobilitate generis, & literarum scientia, & prudentia, & aliis virtutibus præditæ quæ canonicatus & præbendas, ac dignitates & alia beneficia dictæ ecclesiæ obtinere procurarent, inibi residerent, a quarum residentia, præsidio, doctrina, consilio & consanguineorum favore, illa plurimum decoraretur, facilius reperirentur. Quare idem Henricus rex, tam suo quam Petri episcopi, necnon capituli & canonicorum prædictorum nominibus supra dictis, nobis humiliter supplicari fecit, ut in ecclesia ac omnibus & singulis illius locis, & canonicalibus portionibus ac dignitatibus præfatis, ordinem eorum, statum & dependentiam regularem, necnon prioratum prædictum penitus & omnino supprimere & extinguere, & illam ad statum canonicorum, & presbyterorum ac clericorum secularium reducere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ecclesiarum quarumlibet, præsertim cathedralium insignium & illarum personarum, salubrem statum, decorem & venustatem, & in melius directionem, necnon in eis divini cultus conservationem & augmentum, ac animarum salutem, sinceris desideramus affectibus, Petrum episcopum, ac capitulum & canonicos præfatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodati existant, ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac dignitatum, necnon canonicatuum & præbendarum, prædictorum fructuum, redituum ac proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsorum Petri episcopi per seipsum, necnon capituli & canonicorum per dilectum filium magistrum Rigaldum *de Saint-Marsal* notarium & familiarem nostrum, procuratorem eorum ad hoc ab eis specialiter constitutum, ad hoc expresso accedente consensu, ad divini nominis laudem & gloriam, necnon militantis ecclesiæ exaltationem & ejusdem ecclesiæ Sagiensis feliciorem statum, in eadem ecclesia ac omnibus & singulis illius dignitatibus, locis & canonicalibus portionibus prædictis, ordinem prædictum, omnemque statum & dependentiam regularem, ita ut de cetero loca & canonicales portiones, canonicatus & præbendæ, necnon aliæ dignitates & beneficia regularia, dignitates & beneficia secularia existant & perpetuo remaneant, & illa quæ prius pro canonicis & personis dicti ordinis regularibus erant, etiam de cetero pro canonicis & personis secularibus ejusdem ecclesiæ sint & esse censeantur, ac per eos qui illa nunc obtinent absque alia nova de eis facienda provisione retineantur, ac præfatum prioratum etiamsi ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, ita ut de cetero prioratus denominari seu censeri non possit, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo, penitus & omnino supprimimus & extinguimus, ipsumque statum regularem in statum canonicorum, & presbyterorum ac clericorum secularium immutamus, & ad statum secularem hujusmodi reducimus, necnon capitulum seculare in ea instituimus, necnon omnes & singulos ipsius ecclesiæ canonicos, & alios, etiam illius dignitates, loca & canonicales portiones hujusmodi obtinentes, ordinem ipsum, tam in dicta ecclesia & illius capitulo, quam in de Cysonio & sancti Severini ejusdem ordinis, Turonensis & Senonensis diœcesium monasteriis, tacite vel expresse professos, ex nunc prout ex tunc, & e contra ab observatione constitutionum, definitionum & institutorum regularium, ac statutorum & consuetudinum ordinis, & ecclesiæ & monasteriorum prædictorum, necnon quorumcumque per eos in eorum professione hujusmodi emissorum votorum, castitatis voto duntaxat excepto, & a regula ejusdem sancti Augustini, ita ut canonici regulares de cetero canonici seculares dictæ ecclesiæ Sagiensis existant, & pro talibus habeantur & reputentur, ac de cetero habitum regularem dicti ordinis gestare, & ejusdem ordinis regularia instituta, ordinationes & definitiones, ritus & mores, etiam quoad divinorum celebrationem, jejunia, victum, & ciborum ac indumentorum usum & alia quæcumque quæ ratione ordinis & professionis hujusmodi observare tenebantur, de cetero observare minime teneantur, sed in habitu, ordine, ceremoniis, ritu, incessu, moribus & vita, quoad omnia secularibus canonicis aliarum ecclesiarum cathedralium secularium partium earumdem, se omnino & ubique absque alicujus apostasiæ, irregularitatis & infamiæ nota, aut censuræ ecclesiasticæ incursu conformare valeant, ita quod canonici seculares & alii ejusdem ecclesiæ ministri, horas canonicas, diurnas pariter & nocturnas, ac missas & alia divina officia secundum antiquum usum, ritum & mores ipsius ecclesiæ dicere & recitare, necnon qui nunc sunt & pro tempore erunt ejusdem ecclesiæ canonici, seu in ea quomodolibet beneficiati, de fructibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum per eos nunc & pro tempore obtentorum, ac bonis suis quibuscumque mobilibus & immobilibus per eos & eorum quemlibet, tam ex successione parentum quam intuitu ecclesiæ & aliis licite etiam ex eorum industria undecumque acquisitis & acquirendis, etiam in eorum ultimis voluntatibus & alias, tam in vita quam in morte disponere & testari libere & licite possint, perinde ac si regulares nunquam fuissent, & clerici seculares facultatem testandi habentes essent, & si intestati decesserint, eorum hereditas & bona ad proximiores parentes juxta formam seu dispositionem juris, sicuti de secularibus presbyteris & clericis in illis partibus consuetum existit, deferantur & deveniant, auctoritate & tenore prædictis absolvimus & totaliter liberamus, ac eis desuper facultatem concedimus. Necnon in eadem ecclesia loco dicti prioratus unam præposi-

turam, quæ dignitas post pontificalem major & collativa, non tamen electiva, pro uno præposito, qui caput aliorum inibi existat, ac sexdecim canonicatus & totidem præbendas pro sexdecim canonicis, episcopo, præposito, cantore, quinque archidiaconis & pœnitentiario exclusis, necnon quatuor perpetua simplicia beneficia ecclesiastica, semipræbendas nuncupanda, pro quatuor presbyteris inibi perpetuis beneficiatis, inter quos sunt dilecti filii Guillelmus *Gueurrel* & Nicolaus *Preudhomme* clerici ad præsens novitii ejusdem ecclesiæ, & quibus de beneficiis necnon & qui prioratum prædictum ad præsens obtinet, de præpositura & prædictis ab eorum primæva erectione hujusmodi vacantibus, per præsentes absque alia desuper facienda provisione seu literarum expeditione provisum sit & esse censeatur; ac quatuor cantores in arte musices peritos, quorum unus magister puerorum chori esse debeat: sicque præpositus pro fructibus, grossis nuncupatis, suæ dignitatis, valorem duarum præbendarum, ac duplices distributiones duplicemque panem, necnon præsentationem personarum idonearum ad duo beneficia, videlicet sancti Juliani supra Sartam, & sancti Quintini *de Blavou*, dictæ Sagiensis diœcesis parochiales ecclesias vel earum perpetuas vicarias, ac cantor, quinque archidiaconi & pœnitentiarius qui sunt ad præsens, qui antequam eis de eorum dignitatibus provisum fuisset, erant canonici ejusdem ecclesiæ, ultra eorum dignitates, præbendas similes aliis habeant: alii vero quibus dictæ dignitates postmodum collatæ fuerunt, non habeant dictas præbendas, nisi per episcopum Sagiensem pro tempore existentem, aut alium ad id potestatem habentem; de novo hujusmodi dignitates cum præbendis, separatim tamen & non conjunctim, aliquibus conferantur, sed distributiones tantum, tam in pecunia quam in pane, similes distributionibus canonicorum, eorumque quilibet canonicus præbendatus præsens & absens pro sua præbenda & fructibus, grossis nuncupatis, illius centum libras vel circa ad minus in decima, seu pensione vel censu, quos modo infra scripto capitulum ipsius ecclesiæ unicuique canonico bonos facere, seu de illis respondere & manutenere teneatur, necnon præsentationem unius beneficii, ac in distributionibus quotidianis similiter singulis annis, si præsens, aut infirmitate vel alia justa ratione per capitulum præfatum excusatus fuerit, alias centum libras Turonenses vel circa modo infra scripto persolvendas habere debeat, videlicet qui Matutinis dierum simplicium solidum unum, & Primæ liardos duos, Tertiæ vero, Sextæ, Nonæ & Completorio, pro singulo officio liardum unum, ac qui Missæ solidum unum, necnon qui Vesperis interfuerit alium solidum Turonensem pro quolibet die, quæ ut supra supputata, ascendent ad quatuor solidos cum dimidio pro quolibet die; in duplicibus duplicari, in solemnibus vero & annualibus triplicibus festis triplicari debeant; & si illas augeri contingat, talis augmentatio ac etiam panis distributio ad discretionem capituli fiat: episcopus vero dum in ipsa ecclesia divinis officiis interfuerit, duplices supra quemlibet ex canonicis distributiones, necnon cantor summam centum librarum vel circa modo infra scripto, & archidiaconi visitationes & deportus in suis archidiaconatibus respective contingentes, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis, suarum dignitatum, ultra eorum præbendas, necnon pœnitentiarius ejusdem ecclesiæ cum ejus præbenda quinquaginta libras Turonenses vel circa, ultra redditus quos quoad præsens percipit ratione pœnitentiariæ dictæ ecclesiæ, & pro dictis quinquaginta libris decimas ex & de *Longüe-noë* & *Mesières* dictæ Sagiensis diœcesis locis provenientes, necnon pensiones seu census annuos ratione *d'Avernes* & *Estrées* dictæ Sagiensis diœcesis locorum solvi solitas seu solitos, & ad mensam capitularem dictæ ecclesiæ

A legitime spectantes & pertinentes; necnon quatuor perpetui beneficiati, semipræbendati nuncupandi, qui in capitulo dictæ ecclesiæ non compareant, nec vocem in eo, sed tantum stallum in choro & ultimis superioribus cathedris dicti chori habeant, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis, uniuscujusque beneficii semiprædendæ nuncupati, triginta libras & dimidias distributiones, tam in pane quam in pecunia, necnon præsentationem personarum idonearum ad S. Martini *de Condé* supra *Lezon*, & S. Petri *de Varrey*, dictæ Sagiensis diœc. parochiales ecclesias seu earum perpetuas vicarias ad collationem seu præsentationem dicti capituli ad præsens existentes, illarum occurrente vacatione, sic quod dum ecclesiæ ipsæ vel vicariæ vacaverint, ipsi quatuor

B beneficiati vicissim, unus post alium cum in turno & septimana fuerint, in eademque ecclesia resederint & non alias, personas idoneas ad illas sic vacantes episcopo Sagiensi per eum ad præsentationem hujusmodi instituendas præsentare debeant; quatuor vero cantores præfati suas distributiones in pecunia videlicet, dimidias earum quas canonici percipient, respective habeant & percipiant, eorumque præsentationes beneficiorum quæ ad præpositum & canonicos dictæ ecclesiæ pro tempore existentes, ratione præposituræ, ac canonicatuum & præbendarum suarum, ut præfertur, spectabunt, ipsorum beneficiorum pro tempore occurrente vacatione, eidem episcopo Sagiensi pro tempore existenti absque convocatione dicti capituli per quemlibet eorum fieri debeant, nullusque ad dignitates necnon canonicatus & præbendas dictæ

C ecclesiæ admittatur aut in illius capitulo recipiatur, nisi de legitimo thoro procreatus fuerit: & cum de cetero unum canonicatum & unam præbendam dictæ ecclesiæ, sive per obitum aut resignationem, vel alias, quovis modo vacare contigerit, fructus, redditus & proventus, grossi nuncupati, primi anni dictæ præbendæ veniant & convertantur pro deportu in utilitatem mensæ capitularis dictæ ecclesiæ, necnon omnes & singuli quibus de dictis dignitatibus, ac canonicatibus & præbendis in posterum per resignationem seu obitum, aut alias certo modo vacantibus provisum fuerit, in eorum ingressu, & pro eorum jucundo adventu & pane capituli, summam quinquaginta librarum Turonensium eidem capitulo persolvere omnino teneantur, & quod dictus episcopus

D Sagiensis pro tempore existens in ipsa ecclesia & illius capitulo, quoties capitulum ipsum convocari aut illud congregari ubilibet contigerit, & in ejus absentia præpositus, eisdem vero absentibus cantor dictæ ecclesiæ pro tempore existens, & consequenter alii dignitates in ea pro tempore obtinentes, habita ratione antiquitatis uniuscujusque præsint. Jurisdictio autem quæ antea episcopo competebat, eidem eodemque modo competat; capellani vero dictæ ecclesiæ, qui capellanias illius ad collationem dicti episcopi pleno jure spectantes pro tempore obtinebunt, in illa divinis officiis interesse cogantur, illique hujusmodi divinis assistendo, tertiam partem distributionum unius ipsius ecclesiæ canonici habeant & percipiant, & si cum eis per præfatum capitulum super eorum

E residentia dispensatum fuerit, pro tempore absens loco sui unum presbyterum sufficientem deputare & illum eidem capitulo præsentare, qui ab eis approbatus & receptus, distributiones quas dictus capellanus si præsens esset haberet & perciperet, habeat, percipiat, & ultra hujusmodi distributiones idem capellanus sic absens, certam pecuniæ quantitatem arbitrio capituli moderandam eidem presbytero solvere omnino teneatur, & nihilominus dictarum capellaniarum ut prius, necnon præposituræ & singulorum aliorum, dignitatum, aut canonicatuum & præbendarum, necnon quatuor simplicium beneficiorum prædictorum collatio, provisio & omnimoda alia dispositio ad episcopum Sagiensem pro tempore existentem, pleno

jure ſpectent & pertineant. Et quia dictus Petrus episcopus præſentationes multorum beneficiorum ſeu jus præſentandi ad illa, necnon jura decimarum, quæ bonæ memoriæ Johannes episcopus Sagienſis aliique ſui anteceſſores epiſcopi Sagienſes ipſi capitulo in favorem & ſub conditione religionis per eos tunc ſuſceptæ conceſſerunt, ab eodem capitulo repetere poſſet, illiſque uti, potiri & gaudere deberet, dicto capitulo ad ſecularitatem redeunte, propterea præfati capituli pro bono pacis & litium anfractibus vitandis, quod ipſe Petrus epiſcopus ſuique ſucceſſores epiſcopi a conviviis in feſtis ſolemnibus & a ſumma pecuniæ quam ipſe epiſcopus pro pueris chori dare ſolet, necnon a luminario, eccleſiæ ornamentis, reparationibus vitrinarum, pavimento, chordis & funibus, ſalario organniſtæ & eorum qui campanas ſunt pulſaturi, omnino exoneratus, ac liber & immunis remaneat & remaneant, conſenſerunt ſeque præfatis rebus onerare teneantur, ac conſentiant & onerent. Et cum hoc idem capitulum in manus & commodum ipſius Petri epiſcopi decem beneficia ſeu parochiales eccleſias vel earum perpetuas vicarias ad ipſorum capituli præſentationem exiſtentes, videlicet *de Bauvou* Cenomanuenſis diœceſis, necnon *Barville, Chaſtelier, Eſchalou, Craſmenil, Vâton, Batilly, le Pin, Neuville* & *Bonneſoy*, ejuſdem Sagienſis diœceſis, ut de eiſdem beneficiis & eccleſiis, illarum occurrente pro tempore vacatione, per dictum Petrum epiſcopum ſuoſque ſucceſſores pro tempore exiſtentes, pleno jure & abſque præſentatione dicti capituli libere provideatur, & ad dictam eccleſiam *de Bauvou* extra dictam diœceſim Sagienſem præſentetur, reponere debeant & teneantur, ac reponunt : & his mediantibus, præfatus Petrus epiſcopus pro ſe ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus omni jure ſibi in reliquis præſentationibus ſeu jure præſentandi, ac juribus decimarum in favorem capituli renuntiare teneatur & debeat, necnon ſancti Martini *des Tourailles*, & beatæ Mariæ *de Surdon*, ac ſancti Leonardi *du Fron*, necnon ſancti Sulpitii *de Val Frambert*, & ſancti Quintini *le Petit*, & ejuſdem ſancti Martini *de Meheudin* dictæ diœceſis parochialibus eccleſiis ſeu earum perpetuis vicariis, quarum præſentatio ipſi capitulo in communi, ut de illis cum vacaverint, cantoribus ipſius eccleſiæ, necnon familiaribus dicti capituli, aliiſve perſonis idoneis & capacibus ſicut dictis capitulo viſum fuerit, provideant, perpetuo remaneat; dumtaxat exceptis ad alias eccleſias ſeu vicarias reſtantes ſpectantibus beneficiis, & his quæ canonicis dictæ eccleſiæ ac eorum cuilibet & ad eorum præſentationem ſunt aſſignata, præſentatio perſonarum idonearum ad ipſos capitulum competat, ita quod occurrente illarum vacatione ille qui dignitatem, aut canonicatum & præbendam obtinebit, & in turno ac ſeptimana erit, perſonam idoneam ad illas eidem capitulo nominare, ipſumque capitulum eamdem perſonam ſic nominatam epiſcopo Sagienſi pro tempore exiſtenti præſentare, & idem epiſcopus perſonam ipſam ſic nominatam & præſentatam ad nominationem & præſentationem hujuſmodi in ipſis eccleſiis ſeu vicariis reſtantibus inſtituere, & ei de illis etiam providere reſpective debeant, in eodemque genere nominandi hujuſmodi turnis & ſeptimana a die Sabbati & hora duodecima noctis uſque ad ſimilem ſequentem diem & horam computare reſpective debeant. Quod ut perpetuo ſtet & permaneat, auctoritate & tenore prædictorum ſimiliter perpetuo erigimus & conſtituimus, ut præpoſitus qui erit loco prioris & ad præſens exiſtens, & non alii, niſi modo ſupradicto, cantor, Sagienſis, Oximenſis, Hulmenſis, Belliſmenſis & Corbonenſis archidiaconi, ac pœnitentiarius & canonici dictæ eccleſiæ, videlicet præpoſitus pro fructibus, redditibus & proventibus, groſſis nuncupatis, ſuæ præpoſituræ & valore dictarum duarum præbendarum, quas, ut præfertur, habere

A debet, habebit terram & dominium d'*Aunou* ejuſdem Sagienſis diœceſis, ſic tamen quod ſuper illis, quia illorum fructus, fructibus dictarum duarum præbendarum pinguiores exiſtunt, ſummam ſexaginta libr. Turonenſ. eidem capitulo annuatim perſolvere teneatur, una cum præſentatione dictarum duarum eccleſiarum; necnon Quintinus *Meſange* cantor, pro ſuæ cantoriæ fructibus redditum annuum beneficii loci *de Chailloué*, ac decimam *de la Regale* cum redditibus eidem cantoriæ in ejus fundatione aſſignatis, &, quoad vixerit, juriſdictionem ejuſdem loci *de Chailloué*, & pro ſuæ præbendæ fructibus, redditibus, proventibus, groſſis nuncupatis, decimam, groſſam nuncupatam de Allodio[a], ac jus præſentandi perſonam idoneam ad parochialem eccleſiam S. Vedaſti

B de Lougeio[b] ejuſdem Sagienſis diœceſis, ſeu ejus perpetuam vicariam; necnon Guillelmus *Gautier* nuper archidiaconus Sagienſis, pro fructibus, redditibus, proventibus, groſſis nuncupatis ſuæ præbendæ, decimam de Nealpha[c], ſuper quam viginti lib. Turonenſ. dilecto filio Joanni *Fournier* ipſius eccleſiæ canonico, pro ſua præbenda & ejus ſucceſſoribus canonicis annuatim dare & perſolvere teneatur, ac etiam prata de Eſſeyo[d], decimam ex feodo *de Vains* provenientem, necnon domum, manerium & hortum, quæ idem Guillelmus de præſenti inhabitat ejus vita comite, necnon penſionem *de Toſſes* & centum ſolid. Turonenſ. ſuper terra & loco de Blancha-landa[e], ac jus præſentandi perſonam idoneam ad parochialem eccleſiam S. Salvatoris[f] de Carrougiis dictæ eccleſiæ

C Sagienſis diœc. ſeu ejus perpetuam vicariam; & Franciſcus *de Cherville* Oximenſis jus viſitandi & deportus ſui archidiaconatus Oximenſis, prout archidiaconi Oximenſes in ipſa eccleſia Sagienſi pro tempore exiſtentes, habere & percipere debent, necnon pro fructibus, redditibus, proventibus, groſſis nuncupatis ſuæ præbendæ, decimam ex dicto loco de Condeto ſupra *Laiſon*[g] provenientem, & penſionem ſeu cenſum occaſione loci de Verſainvilla[h] præfatæ Sagienſ. diœceſis ſolvi ſolitam, cum parco nuper clauſo in terra *du Buot* ipſius Franciſci vita durante quoad dictum parcum dumtaxat, ac jus præſentandi ad parochialem eccleſiam ſancti Petri ejuſdem loci de Verſainvilla ſeu ejus perpetuam vicariam; ac Joannes *de Vallée* Hulmenſis, pro fructibus, redditibus & proventibus archidiaconatus Hulmenſis jus viſitandi

D & deportus ſui archidiaconatus Hulmenſis, & pro fructibus, redditibus & proventibus, groſſis nuncupatis ſuæ præbendæ, decimam ex Vallis-Framberti[i] & Chanceriis[k] dictæ Sagienſis diœceſis locis provenientem, necnon penſionem ſeu cenſum ratione loci ſanctæ Margaritæ de Carrogiis[l] ſolvi ſolitam ſeu ſolitum, & jus præſentandi ad parochialem eccleſiam de Menillo-Guidonis[m] dictæ Sagienſis diœceſis ſeu ejus perpetuam vicariam; & Nicolaus *le Vaſſeur* Belliſmenſis jus viſitandi & deportus ſui archidiaconatus Belliſmenſis, & pro fructibus, redditibus & proventibus, groſſis nuncupatis ſuæ præbendæ, medietatem decimæ ex parochia loci ſancti Juliani provenientem, necnon penſionem ſeu cenſum ratione loci ſancti Joannis *de la Forêt* dictæ Sagienſis diœceſis ſolvi

E ſolitam ſeu ſolitum, ac jus præſentandi ad parochialem eccleſiam dicti loci S. Joannis *de la Forêt* ſeu ejus perpetuam vicariam; ac Guillelmus *Belhomme* Corbonenſis in dicta eccleſia archidiaconus, jus viſitandi & deportus ſui archidiaconatus Corbonenſis, pro fructibus, redditibus & proventibus, groſſis nuncupatis ſuæ præbendæ, medietatem decimæ ex dicta parochia ſancti Juliani provenientis, ac penſionem ſeu cenſum ratione ejuſdem loci ſancti Juliani ſolvi ſolitam ſeu ſolitum, necnon jus præſentandi ad parochialem eccleſiam *de Tellieres* præfatæ Sagienſis diœceſis ſeu ejus perpetuam vicariam; necnon Guillelmus *le Bis* pœnitentiarius, pro fructibus pœnitentiariæ dictæ eccleſiæ & ultra redditus quos idem

[a] l'Alleu.
[b] Lougé.
[c] Néauphe.
[d] Eſſei.
[e] Blanche-lande.
[f] Saint Sauveur.
[g] Condé ſur Laiſon.
[h] Verſainville.
[i] Valframbert.
[k] Chanceries.
[l] S.te Marguerite de Carrouges.
[m] Menil-Guion.

pœnitentiarius ratione dictæ pœnitentiariæ de præsenti habet & percipit, quinquaginta libras Turonens. modo præmisso percipiendas & levandas, ac ejus vita durante domum in qua moratur cum horto illius, & pro fructibus, redditibus, proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimas *de Tremont* & *Coulandon*, necnon jus præsentandi ad parochialem ecclesiam d'*Avernes* dictæ Sagiensis diœcesis, seu ejus perpetuam vicariam; & Guillelmus *le Servoisier* pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimam, grossam nuncupatam ex loco sanctæ Scholasticæ & pratis ejusdem loci provenientem, necnon pensionem seu censum ratione locorum Menilli-Joannis [a] & *Varré* solvi solitam seu solitum, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam ejusdem loci Menilli-Joannis, dictæ Sagiensis diœcesis, seu ejus perpetuam vicariam, necnon præfatus Joannes *Fournier*, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, grossam & parvam nuncupatam decimam ex loco *de Boyville* nuncupato provenientem, necnon viginti libr. ratione decimæ ex loco de Nealpha provenientes, sicuti eas idem Guillelmus *Gautier* ipsi Joanni *Fournier* pro sua præbenda, ut præfertur, solvere tenebatur, ac ex loco *du Four des Douetz* provenientes decimas, necnon prata *de Coulonges* nuncupata; sic etiam quod idem Joannes *Fournier* ratione dicti archidiaconatus Sagiensis, quem præfatus Guillelmus *Gautier* in sui favorem resignavit, jura visitandi & deportum occasione archidiaconatus Sagiensis habebit, consequendo concordiam desuper inter eos initam, ac ratione dictæ suæ præbendæ jus præsentandi ad parochialem ecclesiam de Menillo-Berardi [b] dictæ Sagiensis diœcesis, seu ejus perpetuam vicariam; & Jacobus *Bacquerot* ratione suæ præbendæ, necnon pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis, illam decimam grossam nuncupatam d'*Aulnay*, necnon pensionem seu censum *de Longey* & *Bonnefoy*, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam sancti Martini *de Lesguillon* præfatæ Sagiensis diœcesis, seu ejus perpetuam vicariam; & Moyses *Chevallier* pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, ex *de Bancy* & S. Leodegarii supra Sartam, ac parvam nuncupatam, decimas ex *de Bailleul* & *du Merle* præfatæ Sagiens. diœc. locis provenientes ac pensiones seu census ratione *de Francheville*, *la Lande de Lougey*, *de Cramesnil* & *du Pin* ejusdem Sagiensis diœcesis locorum solvi solitas & solitos, necnon jus præsentandi ad parochialem ecclesiam ejusdem loci *de Francheville*, seu ejus perpetuam vicariam; ac Renatus *Duval*, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimam ex parochia parochialis ecclesiæ de Floreyo [c], seu ejus perpetuæ vicariæ provenientem, necnon jus præsentandi ad illam; & Guillelmus *du Moulinet*, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nucupatis suæ præbendæ, decimam de locis d'*Ailly, du Grez-Ernetot* provenientem, ac pensiones seu census d'*Echalou*, *Vâton*, *Ereines*, *Tellieres* & l'*Alleu*, dictæ Sagiensis diœcesis locorum solvi solitos & solitas, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam dicti loci d'*Ereines*, seu ejus perpetuam vicariam; necnon Radulphus *Marescot*, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimam ex loco *de Bursard* provenientem, & pensiones seu census ratione de Columbariis [d] & Mehudino [e] dictæ Sagiensis diœc. locorum solvi solitas seu solitos, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam dicti loci de Columbariis, seu ejus perpetuam vicariam; & Stephanus *Palu*, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimas sancti Aniani & *de Verrieres, Igy*, præfatæ Sagiensis diœcesis locis provenientes, ac pensiones seu census ratione *du Menil-Berard* prædicti, *de Barville*, S. Quintini *de Blavou*,

[a] Menil-Jean.
[b] Menil-Berard.
[c] Fleuré.
[d] Coulombiers.
[e] Meheudin.

A & de Curia-Episcopi [a] ac feudi d'*Allier* ejusdem Sagiensis diœcesis locorum solvi solitas seu solitos, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam ejusdem loci de Curia-Episcopi, seu ejus perpetuam vicariam; & Franciscus *de Pluviers* dilectus filius, pro fructibus, redditibus & proventibus, grossis nuncupatis suæ præbendæ, decimas ex *de Saint* [b] *Desiré*, *du Val d'Escouves*, *d'Amigni*, sancti Hilarii, *la Gerard* præfatæ Sagiensis diœcesis locis provenientes, necnon pensiones seu census annuos ratione *de Messey*, sancti Salvatoris *de Carrouges*, *Marchemaisons*, *les Tourailles* & *Surdon*, ejusdem Sagiensis diœc. locorum solvi solitas seu solitos, ac jus præsentandi ad parochialem ecclesiam ejusdem loci *de Messey*, seu ejus perpetuam vicariam, aut loco Renati *Duval*, Guillelmi *du Moulinet*, Radulphi *Marescot*, Stephani *Palu*, B & Francisci *de Pluviers* supra nominatorum, alii quinque per dictum Petrum episcopum si ei videbitur, non tamen post executionem præsentium nominandi & instituendi; qui quidem quinque nominati aut sic nominandi, etiam collationem seu provisionem desuper ab eodem Petro episcopo obtinere teneantur, & absque eadem collatione in canonicos ejusdem ecclesiæ aut in ea recipi non possint respective, possidere, tenere, percipere & habere, illisque frui, uti, potiri & gaudere possint & debeant, ac quoad reliqua omnia mensæ capitularis bona cujuscumque generis sint, eidem mensæ vel bursæ communi perpetuo remaneant, atque dicta pœnitentiaria dum illam per ejusdem Guillelmi obitum aut alias de cetero C vacare contigerit, nulli conferri nec per aliquem obtineri possit, nisi per magistrum in theologia: præbenda vero quam ad præsens obtinet, & quos post hujusmodi reductionem obtinebit canonicatus & præbenda, cum per illius obitum illos vacare contigerit, etiam magistro in theologia conferri debeant, & aliter per sedem apostolicam factæ collationes vel aliæ dispositiones, etiam cum expressa earumdem præsentium derogatione, nullæ sint ejusdem auctoritatis tenore, etiam perpetuo statuimus & ordinamus, ac decernimus & declaramus. Necnon præfatis capitulo, de consilio tamen dicti Petri moderni episcopi Sagiensis, ut quæcumque statuta & ordinationes rationabilia & honesta, ac sacris canonibus non contraria, tam circa divinum cultum & divinorum officiorum celebrationem ac cæremonias D in choro, necnon mores & modum vivendi, ac domorum, & cameraum, & hortorum distributionem ac quantitatem distributionum & emolumentorum in ipsa ecclesia elargiendorum, necnon absentias & præsentias computandas, quæ circa temporalia negotia ipsorum capituli & quæcumque alia necessaria, vocatis etiam ad hoc si eis videbitur aliquibus notabilibus viris ecclesiarum cathedralium circumvicinarum canonicis, condendi & condita quoties opus fuerit immutandi, limitandi, corrigendi & interpretandi secundum rerum & temporum qualitates, necnon loco illorum de simili consilio alium vel alia statuta & ordinationes quoties eis placuerit & visum fuerit expedire, de novo faciendi ac edendi, ad quorum observationem postquam per dictum Petrum moder- E num episcopum Sagiensem approbata fuerint, etiam ejusdem Petri moderni episcopi Sagiens. successores necnon singuli de gremio ecclesiæ hujusmodi pro tempore existentes astricti sint, & ad id cum censurarum & pœnarum adjectione compelli possint, quæ etiam postquam condita, immutata, limitata, correcta, interpretata, de novo edita & approbata fuerint, ut præfertur, eo ipso dicta auctoritate apostolica confirmata sint & esse censeantur; necnon tam pro regimine bonorum dictæ mensæ capitularis quam pro cultu divino ministros conductitios & temporales deputandi, plenam & liberam facultatem & auctoritatem auctoritate & tenore prædictorum concedimus; præterea præpositum, cantorem, archidiaconos,

[a] Court-Evêque.
[b] ou Saint-Didier.

pœnitentiarium, canonicos & alios præfatos, ac eorum singulos qui propter transgressionem institutorum & regularum prædictorum aliquam apostasiæ notam seu irregularitatem & inhabilitatem contraxerint seu incurrerint, ab hujusmodi excessibus necnon ab apostasiæ, & quibusvis excommunicationis & aliis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis quas præmissorum occasione quomodolibet forsan incurrerint, necnon etiam a quibuscumque juramentis in eorum professione hujusmodi quomodolibet præstitis similiter absolvimus, ipsaque juramenta, non tamen quoad castitatis votum prædictum relaxamus, ac cum eis super irregularitate, si quam censuris hujusmodi ligati missas & alia divina officia celebrando, aut alias illis se immiscendo contraxerint, atque etiam quæcumque, quotcumque & qualiacumque cum cura & sine cura secularia alias se invicem compatientia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus & præbendæ, aut dignitates etiam majores & principales, personatus, administrationes vel officia etiam curata & electiva in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis aut aliis ecclesiis fuerint, si eis alias canonice conferantur aut eligantur, præsententur, vel alias assumantur ad illa, instituantur in eis post suppressionem & creationem hujusmodi, ac si regulares nunquam fuissent, absque alia dispensatione recipere, & illa, necnon prædicta, & alia, quæcumque, quotcumque & qualiacumque, cum cura vel sine cura secularia & prædicta, ac quorumvis aliorum ordinum regularia beneficia ecclesiastica etiamsi secularia, parochiales ecclesiæ vel earum perpetuæ vicariæ, & illa alias, ut præfertur, qualificata; regularia vero beneficia hujusmodi, prioratus, præpositurae, præpositatus, dignitates etiam conventuales, personatus, administrationes vel officia etiam claustralia, ac curata & electiva existant, quæ singuli eorum etiam ex quibusvis dispensationibus & concessionibus apostolicis, etiam natalium & ætatis, & aliis quibuscumque defectibus non obstantibus, in titulum & commendam, ac alias obtinent & expectant, necnon in quibus & ad quæ jus eis quomodolibet competit absque nova provisione seu commenda eis & possessionis adeptione per eos desuper faciendis, ut prius, quoad vixerint, retinere, illaque omnia & singula simpliciter vel ex causa permutationis quoties eis placuerit dimittere, & eidem commendæ cedere, ac loco dimissi vel dimissorum, aliud vel alia, simile vel dissimile, aut similia vel dissimilia, beneficium seu beneficia, ecclesiasticum vel ecclesiastica, quæcumque, quotcumque & qualiacumque se invicem compatientia similiter recipere, &, ut præfertur, retinere; necnon quoscumque fructus, redditus & proventus ecclesiasticos eis in toto vel parte, loco pensionum annuarum, ac quascumque pensiones annuas super similibus fructibus, redditibus & proventibus eis forsan reservatas & assignatas, etiam ut prius, quoad vixerint, percipere, exigere & levare, necnon ad quoscumque gradus, honores, dignitates & officia ecclesiastica, ac viris ecclesiasticis convenientia secularia quæcumque promoveri, illaque gerere & exercere; necnon dignitatibus, honoribus & ordinibus quibuscumque, ad quos hactenus etiam in statu regulari degentes promoti fuerint, a quibuscumque dispensationibus, etiam super pluribus beneficiis insimul obtinendis ac retinendis, necnon super ætatis & natalium ceterisque defectibus prædictis ac gratiis ad obtinenda beneficia ecclesiastica, quæcumque, quotcumque, qualiacumque sint, & indultis eis & eorum cuilibet præfata apostolica vel alia auctoritate alias quomodolibet concessis, necnon ecclesiæ Sagiensi ac illius capitulo, ceterisque dignitates, ac canonicatus & præbendas, necnon beneficia ejusdem ecclesiæ pro tempore obtinentibus, ac illius ministris & aliis personis pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, prærogativis, concessionibus, quibus aliæ cathedrales ecclesiæ seculares & illarum canonici ac personæ de jure & consuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, necnon etiam de cetero perpetuis futuris temporibus omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemtionibus, libertatibus, statutis, consuetudinibus, decimis, censibus, redditibus, legatis, donationibus & juribus quibus antea uti & gaudere consueverant, etiamsi eis & eorum prædecessoribus per sedem prædictam, ac reges & principes, & alios quoscumque favore ac contemplatione religionis, & quamdiu in religione seu in regulari statu perseverarent indulta, donata & concessa fuerint, uti, potiri & gaudere, ipsique canonici dignitates obtinentes beneficia sub iisdem dispensationibus comprehensa recipere, & juxta illarum tenores retinere libere & licite valeant, necnon capitulum præfati ac nunc & pro tempore dignitates obtinentes, necnon canonici & personæ ejusdem ecclesiæ, nunc & pro tempore existentes, in quibuscumque impetrationibus, dispensationibus, gratiis, facultatibus, indultis, concessionibus & brevibus apostolicis gratiam vel justitiam concernentibus, per eos seu eorum nomine a sede prædicta vel illius legatis, aut aliis qualitercumque impetrandis seu eis etiam motu proprio concedendis, nulla de eorum regularitate & hujusmodi suppressione & reductione, aliisque omnibus in præsentibus literis contentis mentionem facere teneantur, neque propterea impetrationes, dispensationes, gratiæ, facultates, indulta, concessiones & brevia hujusmodi, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ defectu notari seu impugnari possint, eisdem auctoritate & tenore de specialis dono gratiæ dispensamus, eisque pariter atque ipsi canonici pro tempore existentes, necnon dignitates pro tempore obtinentes, de quibuscumque causis eis propterea commissis cognoscere, illasque finire, decidere, & fine debito terminare in omnibus & per omnia, perinde ac si nunquam regulares fuissent, etiam libere & licite, illaque eis per quoscumque etiam ex delegatione apostolica vel alias committi possint, indulgemus, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, sive notam per eos præmissorum occasione forsan contractam ab eis penitus abolemus, necnon cantoriam, archidiaconatus, pœnitentiariam, & alia beneficia obtenta ejusmodi, propter reductionem non vacare & commendas non cessare, ac pensiones extinctas non esse, necnon dispensationes, gratias & indulta, & reservationes fructuum, redditum & proventuum hujusmodi non expirare, sed plenam roboris firmitatem obtinere, necnon cum permutandi & aliis clausulis & derogationibus in eis contentis, eisdem præposito, cantori, archidiaconis, pœnitentiario, capitulo, canonicis & personis, etiam post reductionem hujusmodi suffragari in omnibus & per omnia, perinde, ac si reductio prædicta minime facta, seu illa ecclesiæ Sagiensis præposito, cantori, archidiaconis, pœnitentiario, capitulo, canonicis & personis prædictis, ut ecclesiæ seculari & personis secularibus a principio concessa fuissent, necnon suppressionem, & extinctionem ac reductionem, & alia præmissa, sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus & derogationibus, etiam per nos & sedem eamdem quomodolibet ac sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam motu proprio & ex quavis etiam regia consideratione quomodolibet pro tempore factis, nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse & censeri, & etiam ad hoc ut sub illis non comprehenderentur exnunc vere & non ficte fortitas, ac per illas exnunc capitulo præfatis jus in re omnino acquisitum esse & censeri, necnon præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, quovis prætextu, seu quavis occasione vel causa, etiam necessario exprimenda, de nullitatis, seu subreptionis vel obreptionis vitio

seu intentionis nostræ defectu notari, seu per superiores ejusdem ordinis, seu quoscumque alios cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, impugnari, aut illorum effectum quoquomodo impediri non posse, sed suum plenarium effectum libere sortiri, ac pro illorum omnium validitate, efficacia & observatione per quoscumque judices, quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis Bajocensi, Lexoviensi ac Constantiensi officialibus per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Petri episcopi, necnon capituli prædictorum seu alicujus eorum fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficaciis, defensionibus, præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra suppressionem, extinctionem, immutationem, reductionem, liberationem, statutum, ordinationem, decretum, declarationem, concessionem, indultum, & alia præmissa firmiter observari, ipsosque episcopum & capitulum, illos ac capitulum, & personas hujusmodi possessione seu quasi absolutionis, dispensationis, voluntatis & decreti prædictorum pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoslibet rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus præmissis ac felicis recordationis Bonifacii papæ VIII prædecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede prædicta deputati extra civitatem vel diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in provincialibus & synodalibus conciliis, edictis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, necnon fundatione dictæ ecclesiæ Sagiens. & illius ac monasteriorum & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, necnon reformationibus ac quibusvis privilegiis & indultis apostolicis illis ac quibusvis universitatibus studiorum generalium partium prædictarum, illarumque personis etiam super nominationibus faciendis, & alias quomodolibet ac sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu proprio, & ex quibusvis causis ac quavis etiam regia consideratione etiam iteratis vicibus, etiam per modum statuti perpetui vel contractus, aut alias etiam iteratis vicibus concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent præsentibus pro sufficienter expressis habentibus illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de locis & canonicalibus portionibus ac dignitatibus ipsius ecclesiæ Sagiens. speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis vel legatorum ejus literarum impetratione, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas & processus habitos per eosdem ac inde secuta quæcumque, ad loca & canonicales portiones necnon dignitates hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem locorum & canonicalium portionum ac dignitatum, necnon beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & de quibusvis aliis privilegiis, indultis, indulgentiis & literis apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Volumus autem quod canonici & dignitates obtinentes, ac alii præfati, aliqua irregularitatis & inhabilitatis nota seu censuris forsan innodati, pœnitentiam salutarem per confessores idoneos quos singuli ipsorum duxerint eligendos eis pro præmissis injungendam adimplere omnino teneantur, alioquin præsentes literæ quoad hujusmodi absolutionem nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppressionis, extinctionis, immutationis, reductionis, liberationis, statuti, ordinationis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, dispensationis, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, decimo calend. Decembris, pontificatus nostri anno quarto decimo.

HENRY, par la grace de Dieu, roi de France: A nos amez & feaux conseillers & maitres des requetes de notre hostel, conseillers de notre Grand-conseil, bailly de Caen ou son lieutenant a Falaize, & au premier d'iceux sur ce requis, salut & dilection. Notre amé & feal conseiller & aumonier, maitre Pierre Duval, & les chanoines & chapitre de l'eglise cathedrale de Seez, nous ont fait dire & remontrer que ladite eglise de Seez anciennement & dès sa premiere fondation, estoit seculiere, & depuis trois cents ans ou environ fut changée de secularité en regularité en laquelle elle est demeurée depuis ledit temps, & jusques a ce que puis un an en ça notre saint pere le pape pour certaines justes causes a ce nous mouvans & de notre vouloir & consentement auroit par notre supplication & desdits supplians, & par ses bulles & provisions apostoliques qui sont ci attachées sous le contresel de notre chancellerie, mis & reduit ladite eglize & chanoines reguliers d'icelle en leur premier estat de secularité, offices & benefices, & autres choses selon que plus a plein est contenu par lesdites bulles & provisions cy attachées. Lesquelles lesdits supplians feroient volontiers mettre a execution, mais ils doutent qu'ils y fussent empeschez par nos officiers & autres sans avoir sur ce nos lettres a ce necessaires, humblement requerans icelles. Pour ce est-il que nous les choses dessus dites considérées, & après avoir fait voir en notre conseil lesdites bulles & provisions apostoliques, & icelles trouvées n'estre aucunement contraires aux saincts decrets, concordats, indultes & privilèges a nous donnés par le saint siege apostolique, pour ces causes & autres considerations a ce nous mouvans, avons auxdits suppliants permis & octroyé, permettons

& octroyons, voulons & nous plait de notre grace specialle par ces presentes qu'ils puissent & leur plaise faire executer lesdittes bulles & provisions cy-attachées, lesquelles voulons & entendons avoir lieu & sortir effet. Si vous mandons, commettons & enjoignons par ces presentes, que de notre presente permission & contenu en icelle vous faites, souffrés & laissez lesdits supplians jouir & user plainement & paisiblement & assister avec l'executeur d'icelle, luy donnant conseil, confort & aide & secours sy mestier est, & y procedant par toutes voies & mannieres deues & raisonnables, nonobstant oppositions ou appellations quelconques & sans y prejudicier, pour lesquelles ne voulons etre differé. Car tel est notre plaisir. Donné a saint-Germain-en-Laye ce vingtieme jour de Janvier, l'an de grace mil cinq cens quarante huit, & de notre regne le deuxième. Signé, *par le Roy, en son conseil,* DE LAUBESPINE *& scellé en simple queue du grand sceau en cire jaulne, & en tete scellez de cire jaune lassée avec la bulle.*

Aujourd'hui premier de Fevrier l'an mil cinq cents quarante huit, nous Guillaume le Verrier ecuyer, licentié en Loix, lieutenant en la viconté de Falaize du bailly de Caen, suymes, presence d'honneste homme maitre Jacques le Roy procureur du roy en ladite viconté, & de maitre Jean Torterel greffier dudit bailly, suivant les lettres patentes du roy a nous adressantes, données a Saint-Germain-en-Laye le vingtieme jour de Janvier dernier passé, transportés au lieu & cité de Seez, auquel lieu estions arrivez aujourd'huy du soir & logez en l'hotelerie où pend pour enseigne la croce, & cedit jour du matin de sept a huit heures, presence de dessusdits transportez en l'eglize de saint Gervais de Seez, auquel lieu avons trouvé reverend pere en Dieu maitre Pierre Duval evêque dudit lieu de Seez, lequel pour lui & les chanoines d'icelle eglize & chapitre avoit obtenu laditte commission, par laquelle nous etoit mandé pour le bien & utilité dudit chapitre dudit lieu de Seez, duquel de present par bulles & expeditions de notre saint pere le pape, estoient les religieux mis de regularité en secularité; auxquelles bulles lesdites lettres étoient attachées sous le contresel dudit sieur, & nous etoit mandé selon icelles bulles apliquées, faire, souffrir & laisser jouir lesdits sieur evêque, chanoines, & chapitre es choses contenues esdites lettres, user plainement & paisiblement d'icelle secularité, selon icelles bulles appliquées, données a la supplication & requete dudit sieur evêque, & desdits religieux, & lesquelles avoient eté executées au jour de mercredi dernier par venerable & circonspecte personne maitre Marguerin de la Bigne abbé d'Ardaine & official de Bayeux, executeur desdites bulles apostoliques, auquel jour nous avoient fait requerir comparoitre, ce que nous n'avons peu comparoir obstant l'indisposition de notre personne, & nous etant en ladite eglize, par le commandement dudit sieur evêque a eté fait sonner la cloche accoûtumée pour faire assembler en chapitre iceux religieux ou chanoines, & ce fait nous sommes, presence dudit sieur evêque & de discrettes personnes, Quintin Mesange chantre de Seez, François de Cherville d'Exmois, Jean de Vallée du Houlme, Nicolas le Vasseur de Bellemois, Guillaume Belhomme de Corbonnois & Jean le Fournier a present par la resignation de maître Guillaume Gautier, ledit Gautier par cidevant archidiacre de Seez, respectivement archidiacres, Guillaume le Bis penitantier, Moyse le Chevallier, Raoult Marescot & Francois du Ruviers, tous prestres, & de present suivant ladite translation, chanoines seculiers en ladite eglize, transportez au lieu auquel on a accoûtumé tenir le chapitre d'icelle eglize près le cloistre; auquel lieu presence desdits chanoines & en adherans a ce quy fait avoit été par ledit abbé d'Ardaines, fait faire lire lesdites lettres du roy, & pour ce que dès lors que ledit abbé d'Ardaines avoit executé icelles bulles, ny estoit present ledit Nicolas le Vasseur archidiacre de Bellemois, quy lors étoit absent, & de present s'est A *presenté avec les autres vestus & portant robes noires & habits seculiers, selon & jouxte lesdites bulles apostoliques, & en la presence dudit procureur pour le roy, leur avons demandé si selon ladite requete presentée au pape, & icelles bulles obtenues, ils acceptoient desormais demeurer, vivre, & etre seculiers, lesquels uniformément sans ce qu'il y ait eu aucuns contredisans, nous ont dit que selon le vouloir du pape & le plaisir du roy, & le vouloir dudit sieur evêque, en obtemperant a leur requête & supplication faite auxdits seigneurs ils acceptoient volontairement vivre & etre seculiers, & de fait ledit archidiacre de Bellemois avoit mis & changé sa robbe blanche qu'il avoit du matin & pris autre robbe noire comme les autres dudit chapitre, & par lui dit qu'il acceptoit, & nous a été temoigné par eux qu'ils étoient tous presents, sauf & reserve Guillaume le Servoisier* B *qui etoit absent, desquelles choses avons accordé lettres audit sieur eveque & chanoines, & les avons maintenus & entretenus a leurs etas, joute qu'il est mandé par lesdites lettres dont ils obtinrent ce present; lesquelles lettres du roy commission a nous adressant, attachées auxdites bulles, sont demeurées vers ledit sieur evêque, & desquelles ledit procureur du roy a demandé copie & protesté demeurer entier pour l'interest du roy en toutes ses raisons, protestations & requete, dont il a requis lettres en etre baillées avec la coppie, que luy avons accordée, a laquelle fin a été donné en mandement & commission a chacuns des sergens ou sous-sergens royaux premier sur ce requis, tenir & maintenir, joute & selon le contenu auxdites lettres du roy notre sire, iceux evesques & chanoines d'icelle secularité, tout ainsi* C *qu'il est contenu & mandé par lesdites lettres; & a ce faire & contraindre par toutes voyes dues & raisonnables toutes personnes quy voudroient ce empecher, nonobstant quelconques appellations, oppositions ou contredis, pour lesquels est mandé ne differer, & en outre faire & executer ce quy sera requis de la part d'iceux evesques & chanoines. Fait comme dessus.* Signez *LE VERRIER, LE ROY & TORTEREL.*

IN nomine Domini amen. Hujus præsentis publici instrumenti tenore, cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, indictione VII, mensis vero Januarii, die Martis vigesima nona, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli divina providentia papæ tertii D & moderni, anno decimo quinto, in notariorum publicorum subsignatorum & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, circa horam quartam post meridiem, in loco capitulari capituli ecclesiæ cathedralis Sagiens. in capella sancti Spiritus eidem capitulo annexa seu contigua, comparuit reverendus in Christo pater & dominus dominus Petrus *Duval*, doctor theologus, miseratione divina Sagiensis episcopus, necnon officialis Bajocensis, judex & executor bullarum apostolicarum per eumdem reverendum dominum episcopum Sagiensem, & canonicos dictæ ecclesiæ obtentarum super transmutatione canonicorum regularium, ordinis sancti Augustini prædictæ ecclesiæ cathedralis & capituli ejusdem ecclesiæ, de regularitate in secularitatem, præsentibus ibidem religiosis E viris fratribus Quintino *Mesange* cantore, Guillelmo *Gaultier* nuper archidiac. Sagiensi, Joanne *de Vallée* Hulmensi, Guillelmo *Belhomme* Corbon. Joanne *Fournier* Sagiensi, respective archidiaconis, necnon Guillelmo *le Bis* pœnitentiario & Moyse *Chevalier* canonicis regularibus ejusdem ecclesiæ & capituli, qui quidem executor, præsentatis per eundem reverend. patrem D. episcopum Sagiensem bullis apostolicis ac per ipsum executorem, ut decebat, visis & mature inspectis, dixit & declaravit quod volebat mandatis apostolicis, ut tenebatur, obedire & procedere ad executionem earumdem apostolicarum

litterarum, juxta illarum formam & tenorem, & ea de causa eisdem canonicis regularibus præsentibus, diem crastinam, hora octava de mane, ad comparendum coram ipso executore & eodem capitulo & loco capitulari prædicto assignando, prout assignavit, & quod canonicis præsentes id significare, insinuare & intimare haberent aliis dicti capituli religiosis absentibus, quatenus ad executionem earumdem litterarum apostolicarum procedere valeret, præsentibus venerabilibus ac discretis viris magistris Petro *Ribier*, presbytero, canonico præbendato in ecclesia cathedrali Bajocensi in præbenda *de Pezerolles*, Joanne *Hugot* & Joanne *du Merle* presbyteris, in jure licentiatis, cum pluribus aliis testibus de præmissis. Die autem Mercurii immediate sequenti, penultima prædicti mensis Januarii, anni prædicti, hora octava de mane vel circiter, juxta diei & horæ assignationem hora capitulari ad pulsum campanæ, ut moris est, in capitulo ejusdem ecclesiæ cathedralis Sagiens. coram eodem domino executore, in præsentia eorumdem notariorum & testium infra scriptorum, comparuerunt præfatus reverendus dominus Sagiensis episcopus, necnon præfati *Mesange*, *Gaultier*, *de Vallée*, Franciscus *de Cherville* canonicus regularis ac archidiaconus Oximensis in prædicta ecclesia, præfati *Belhomme*, *Fournier*, *le Bis*, & *Chevalier*, respective archidiaconi & pœnitentiarius prout prætactum est, fratribus vero Nicolao *le Vasseur* archidiacono Bellismensi, & Guillelmo *le Servoisier* canonicis regularibus dictæ ecclesiæ & capituli absentibus, debite vocatis, & non comparentibus, quorum contumacia attenta & illa non obstante, idem reverendus in Christo pater coram eodem executore, certum concordatum super transmutatione regularitatis dictorum canonicorum regularium ad secularitatem, in duobus foliis papyri scriptum, signis dictorum *le Vasseur*, & *Servoisier* absentium signatum exhibuit, & eisdem canonicis præsentibus tradidit & porrexit, ad fines agnoscendi signa & contentum in eodem concordato. Qui quidem canonici præsentes omnes & singuli, agnoverunt & confessi fuerunt signasse hujusmodi concordatum, & contentum in eodem veritatem continere, & ad fines in ipso contentos & etiam prædict. *le Vasseur* & *le Servoisier* procuratorium pagasse; & postquam quilibet illorum præsentium præmissa agnovit, idem dominus episcopus petiit in præsentia dicti domini executoris signa eorumdem *le Vasseur* & *Servoisier* absentium, in eodem concordato apposita recognosci; qui quidem canonici præsentes visis signis eorumdem *le Vasseur* & *Servoisier* in eodem concordato appositis, confessi sunt, recognoverunt, & declararunt signa sub nominibus eorumdem *le Vasseur* & *Servoisier* in eodem concordato appositis inscripta fuisse, & esse propria signa & factum proprium eorumdem *le Vasseur* & *Servoisier*; quod quidem concordatum dicti dominus reverendus episcopus & canonici prænominati præsentes & omnia contenta in bullis hujusmodi approbarunt, rata & grata habuerunt & observare se promiserunt; qua recognitione & ratificatione sic facta, idem dominus executor ordinavit litteram recognitionis hujusmodi per eosdem notarios fieri, & præsenti processui executoriali jungi. Hisque sic actis, præfatus dominus reverendus episcopus nominavit in futuros canonicos præbendatos dictæ ecclesiæ cathedralis & capituli ejusdem magistros, Renatum *Duval*, Petrum *de Silly*, Radulphum *Marescot*, Stephanum *Palu* & Franciscum *de Pluviers*, necnon loco defuncti fratris Jacobi *Bacquerot* dum viveret, religiosi & canonici dicti capituli, magistrum Mauricium *Pitart*. Idem dominus executor & judex, jussit prædictarum litterarum apostolicarum lecturam palam & publice in eodem capitulo in præsentia ejusdem domini reverendi episcopi ac canonicorum prædictorum præsentium ac notariorum & testium, pluriumque aliorum notabilium personarum fieri, & quarum litterarum apostolicarum statim & incontinenter lecturam fecit, annuendo jussui & mandato dicti domini executoris, venerabilis & discretus vir magister Ludovicus *le Jardinier*, pariterque litterarum regiarum super hoc emanatarum ac etiam aliarum missivarum . . . . in papyro descriptarum, canonicis ejusdem capituli transmissarum, & his peractis idem sic seculares in seculari habitu de prospere actis ad chorum ecclesiæ cathedralis prædictæ gratias Deo agentes, canticum *Te Deum laudamus* cantantes, campanis organisque pulsantibus transtulerunt. Acta fuerunt hæc in prædicto capitulo anno, indictione, mense, die, & pontificatu prædictis, præsentibus nobili & potentissimo viro domino Renato *de Silly* milite, baillivo Alenconiensi, dominoque temporali *de Vaux* cum aliis testibus supra nominatis ad hæc specialiter vocatis & rogatis. Sequitur subscriptio. Nos Ursinus *Hugot* presbyter, & Joannes *Daupeley* clericus, auctoritate apostolica curiæque episcopalis Sagiensis notarii jurati, quia præmissis omnibus & singulis, dum sic ut præmittitur agerentur, dicerentur & fierent, una cum prænominatis testibus præsentes fuimus, eaque sic fieri vidimus & audivimus, scivimus, ideo huic præsenti publico instrumento manu alterius fideliter scripto signa nostra publica apposuimus in fidem, robur & testimonium veritatis præmissorum requisiti & rogati. Signati supra Ursinus *Hugot* publicus auctoritate apostolica notarius, & J. *Daupeley*.

HENRY, par la grace de Dieu, roy de France & de Navarre: A nos amez & feaux les gens tenans notre court de Parlement de Rouen, salut & dilection. Notre amé & feal conseiller & aumônier ordinaire, maitre Pierre Duval evesque de Seez, nous a fait remontrer que ci-devant, pour rendre conforme l'églize cathedrale de Seez, de sa première fondation seculiere & depuis reduitte reguliere, aux autres cathedrales de notre royaume, nous, a l'instance & requête des chanoines & chapitres d'icelle, avons ecrit a notre saint pere le pape pour la reduction de ladite eglize en secularisation, lequel leur avoit accordé ladite secularisation de certains articles que lesdits chanoines avoient entre eux accordé pour le fait d'icelle, & sur ce fait expedier les bulles apostoliques qui avoient été vues en notre premier conseil, & ne se seroit trouvé chose contraire, ne derogeant aux saints decrets & concordats, au moyen de quoi nous leur avons permis faire mettre lesdittes bulles a execution, & pour ce faire commis un des maitres des requetes ordinaire de notre hostel & bailly de Caen ou son lieutenant a Falaize; de laquelle execution desdites bulles & articles, un nommé le Servoysier, & depuis quelques autres de ladite eglise qui auparavant avoient consenti & accordé lesdits articles & secularisation, s'etoient joints avec ledit le Servoysier, avoient appellé, & combien qu'ils dussent relever pardevant nous en notre dit premier conseil, attendu que ledit bailly avoit été commis par nos lettres patentes, & que telles & semblables appellations ayent accoûtumé etre relevées pardevant nous en notredit premier conseil, ce nonobstant ledit le Servoysier & consorts, avoient relevé ledit appel pardevant nous ou ils se forcent pour suivre ledit exposant, lequel nous a supplié & requis luy pourvoir sur ce de remède convenable, nous a ces causes desirant subvenir a notre dit conseiller en cet endroit, avons lesdites appellations, leurs circonstances & dependances pardevant vous en requête, & de notre certaine science, pleine puissance & authorité royalle, évoquons a nous & a notre privé conseil, au dix-huitieme jour d'octobre prochain venant, pour y étre jugées, decidées & determinées ainsy qu'il apartiendra par raison; si vous signifions notre presente evocation, & desdites instances

instances, leurs circonstances & dependances, vous avons interdit & deffendu, interdisons & deffendons toutes cours, jurisdictions & connoissances, par ces présentes que a ces fins voulons vous être presentées par le premier notre huissier ou sergent sur ce requis, que a ce faire commettons, lui mandons que icelles il signifie audit le Servoysier & autres qu'il appartiendra, leur faisant expresses inhibitions & defences de par nous sur certaines & grandes peines a nous expliqués, que desdites matières & instance d'appel ils n'ayent a faire aucunes poursuites pardevant vous ne ailleurs qu'en notre dit conseil privé, & leur inthime, qu'ils soient & comparent audit jour en notredit conseil, pour procéder esdites matieres ainsi qu'il appartiendra. Car tel est notre plaisir nonobstant quelconques ordonnances, lettres, mandemens, & defenses au contraire. Mandons & commandons a tous nos justiciers, officiers & sujets, qu'a notredit huissier ou sergent en ce faisant soit obey, sans pour ce par luy demander aucun placet, Visa ne pareatis, pour l'insinuation de cesdites presentes. Donné a Fontainebleau, le treizieme jour de Septembre mil cinq cents cinquante-un, & de notre regne le cinquieme. Signé, LURGENSAC *avec un paraphe & scellé en simple queue de cire jaune. Collationé sur l'original par moy sergent soussigné, & a la suite est ecrit ce qui suit.*

A mes très-honorés seigneurs messieurs les gens tenans le conseil privé du roy notre sire, honneur & reverence avec toute humble obeissance par moi a vous due. Plaise vous sçavoir que je Louis le Sergent, sergent royal & ordinaire a Seez, viconté de Falaize, certiffie que de la part de venerable & scientifique personne, maitre Pierre Duval eveque de Seez, conseiller & aumonier ordinaire du roy notre sire, & en vertu de certaines lettres royaulx dont la coppie est cy devant ecrite, me requerant l'exploit d'icelles lettres; pourquoi a la requête dudit sieur evêque, me suis transporté en chapitre des chanoines dudit lieu de Seez, auquel lieu je trouvé maitre Quentin Mesange, chantre desdits chanoines, auquel chantre pour l'absence de maitre E'tienne Palu, prevost dudit chapitre, j'ai fait commandement de par le roy notre sire, de faire assembler les chanoines dudit chapitre aux fins de faire les exploits mentionnés esdites lettres, lequel chantre a obey; a icelle cloche dudit chapitre fait sonner pour iceux faire agreger & assembler, & lesquels chanoines sont comparus au son de ladite cloche, lesdits Mesange chantre, François de Cherville archidiacre d'Oxmois, Nicolas le Vasseur archidiacre de Bellemois, Guillaume le Bis penitentier, Moyse Chevallier, Maurice Pitard, Emery le Court, Raoult Marescot, tous chanoines dudit chapitre, & auxquels dessusdits j'ai signifié lesdites lettres en parlant a leurs personnes, par après me suis transporté au domicille de maitre Guillaume le Servoysier, l'un des chanoines dudit chapitre, & auquel le Servoysier j'ay intimé & signifié lesdites lettres en parlant audit Mesange, & faisant assignation a comparoir au dix-huitieme jour de ce present mois d'octobre au privé conseil du roy notre sire au lieu sera tenu ledit privé conseil du roy, & même au dessus desdits chanoines a y comparoir s'ils voyent que bien soit pour y être jugées, décidées & terminées, ainsi qu'il apartiendra par raison, les appellations par les dessusdits interjettées en la cour de Parlement a Rouen a l'encontre dudit sieur eveque, leur faisant inhibitions & defences de par le roy notre sire sur les peines de cinq cents livres d'amende a appliquer audit seigneur, que des circonstances & dependances dudit appel, ils n'ayent a faire aucune poursuite ailleurs que audit privé conseil du roy notredit sire, le tout joute la forme & teneur desdites lettres, par lesquels Marescot & le Court m'a eté dit & declaré qu'il n'y a rien de leur fait desdittes appellations. Fait ce sixieme jour d'octobre, l'an mil cinq cents cinquante-un, presence de Richard Hays & Gilles Malet. Signé LE SERGENT *avec paraphe, & a la suite est ecrit ce qui suit.*

A *HENRY, par la grace de Dieu, roy de France: A tous ceux qui ces présentes lettres verront, salut: Sçavoir faisons que vu le procès pendant par-devant nous en notre conseil privé, entre notre amé & feal conseiller & aumonier ordinaire maitre Pierre Duval eveque de Seez, evoquant, & maitres Guillaume le Servoysier, E'tienne Palu prevost, Quentin Mesange chantre, Guillaume le Bis penitentier, Jehan de Vallée archidiacre du Housme, Nicolas le Vasseur archidiacre de Bellemois, Raoult Marescot, François de Pluviers, Moyse Chevallier, Morice Pitard, Emery le Court, & René Gautier, chanoines prébendés en l'eglize cathédrale dudit Seez, evoqués & au principal ledit le Servoysier appellant comme d'abus dudit eveque, & les chanoines & chapitre de ladite églize, du dixième jour* B *de Juin, mil cinq cents cinquante, joints avec ledit le Servoysier & appellans de la fulmination & execution des bulles de la transaction de régularité & sécularité de ladite églize contre ledit Duval eveque intimé, & autrement demandeur & requerant l'enterinement de certaine requête a fin de provision, qu'il nous a présentée le 26 de Janvier dernier passé, ensemble le profit & adjudication de certain defaut contre tous les dessus nommés defendeurs, & tendant a fin de non recevoir les avertissements & productions desdites parties; certain apointement du 21 jour de Fevrier aussi dernier passé, par lequel icelles parties sur l'enterinement de ladite requête a fin de non recevoir, ont été apointées à écrire & produire la copie des bulles de ladite translation obtenues; autre requête dudit eveque & des chanoines &* C *chapitre de ladite eglize, données, approuvées, l'an mil cinq cents cinquante,* VII calendas decembris, *avec le consentement desdits eveque, chanoines & chapitre, passé sur le contenu esdites bulles & expedition d'icelle en la chancellerie, appliquée le 18e jour dudit mois de Décembre audit an; copie de nos lettres par lesquelles après avoir fait voir en notredit conseil lesdites bulles & provisions appliquées, & en icelles qu'il ne s'est trouvé aucunes choses contraires & derogeant aux saints decrets, concordats, indults & privileges a nous octroyés par le saint siége apostolique, en avions consenti, permis & ordonné l'exécution, qu'elles eussent lieu & sortissent effet, dattées du dixième jour de Janvier audit an mil cinq cents quarante-huit; procès fulminés & exécution desdites bulles faite par l'official de Bayeux, juge delégué en ceste partie par notredit saint pere, des* D *19 & pénultième jour dudit mois de Janvier 1548; contenant par ce spécial, la confession faite par lesdits chanoines, qu'ils ont signé ledit concordat entr'eux fait sur ladite translation, consenti & accordé le contenu en iceluy, qu'il contient verité, & ont passé procuration pour préter ledit consentement, & ont aprouvé, ratifié & eu pour agreable, & par exprès ont promis observer, garder & entretenir de point en point toutes les choses contenues esdites bulles; acte fait pardevant ledit official en presence du lieutenant du bailli de Caen, & notre procureur a Falaize, du dernier jour desdits mois & an, de l'exécution desdites bulles, quant a tous lesdits chanoines qui y avoient consenti, & par ce spécial pour le regard de maitre Nicolas le Vasseur archidiacre de Bellemois & chanoine de ladite églize au* E *précedent absent & lors consentant; autre acte du 23e jour de Juin 1549, par lequel appert l'original desdites bulles, nos lettres & exécution d'icelles faite par ledit bailly ou son lieutenant, avoir été mis en mains desdits chanoines & chapitre; autre placet du 14e jour d'Avril 1547, par lequel nous avons accordé & eu pour agréable que lesdits chanoines & chapitre de l'églize dudit Seez, soient sécularisés & mis en même état qu'ils étoient anciennement, & comme les autres églizes cathedrales de notre royaume; articles dudit concordat fait entre ledit eveque & lesdits Mesange & consorts, qu'ils ont signé; lettres d'évocation obtenues par ledit evêque le 13e jour de Septembre 1551; exploit de la signification d'icelles; defaut par luy*

obtenu le 18e jour d'Octobre dernier passé contre lesdits defendeurs; commission octroyée sur icelluy, & exploit de l'assignation donnée auxdits defendeurs sur le profit dudit defaut, du 28 desdits mois & an, ladite requete a ladite fin de provision presentée par ledit evêque; autre requete par luy presentée le sept de Mars aussi dernier passé, afin que tant le principal que l'incident sur l'entherinement de sadite requete fussent joints ensembles, pour le tout etre jugé par un seul & même moyen & jugement, avec l'exploit d'assignation d'icelle faite auxdits deffendeurs; acte d'appel comme d'abus interjetté dudit evêque comme dit est par ledit Servoysier chanoine de ladite église, du 13e jour de Novembre audit an 1548; lettres de relief dudit appel en notre cour de Parlement de Rouen du 10e jour de Decembre audit an; exploit de l'execution d'icelles du 22 desdits mois & an; arrest en ordonnance de notredite cour de Parlement du 7 Mars 1549; procedures faites en icelles cour; autre ordonnance de notredite cour du 9e jour de Decembre audit an 1549, autres nos lettres obtenues par lesdits defendeurs le 10e jour de Juin 1550, pour etre joints & receus a poursuivre leurdit appel; nos lettres d'evocation de certain proceds y mentionnées, obtenues par feu maître Jean de Luxembourg abbé, le 3e jour de May 1547, portant renvoy desdits proceds en notredite court de Parlement; arrest donné en icelle le 28 jour de Juin, & tout ce que par lesdites parties a été mis pardevers le commissaire sur ce par nous commis & deputé, ouy son rapport & tout consideré, pour certaines causes a ce nous mouvans, & ausdites appellations & principal desdites parties, nous les avons renvoyées par-devant les gens tenans notre Grand-conseil au quinzieme jour de Novembre prochain venant pour en connoitre & juger: & en ayant egard a ladite fin de provision, avons ordonné & ordonnons que lesdites bulles & execution d'icelles faite par notre authorité & permission, tant par l'official de Bayeux que ledit lieutenant dudit bailly de Caen a Falaize, & ce qui s'en est ensuivi, tiendront & sortiront son plein & entier effet, seront entretenues, observées & gardées de point en point selon leur forme & teneur par ladite maniere de provision pendant le procès sur ledit principal, & jusques a ce qu'autrement en soit ordonné par notredit Grand-conseil, tous depens, dommages & interest reservés en definitive. Si donnons en mandement au premier de nos amez & feaux conseillers les maitres des requetes ordinaires de notre hotel, conseillers de notredit Grand-conseil, baillifs de Chartres & Caen ou leurs lieutenans en chacuns de leurs sieges sur ce requis, que appellés ceux qui pour ce seront a appeller, & lesquels a cette fin nous y voulons etre adjournés a certain & competent jour, pardevant celui de ceux quy a ce vaquera, ces presentes il mette a due & entiere execution en ce que execution y est ou sera requise; de cé faire leur donnons plein pouvoir, puissance, authorité, commission & mandement special, & mandons & commandons a tous nos justiciers, officiers & sujets que a eux en ce faisant soit obey; en temoin de ce nous avons fait mettre notre sel a ces presentes. Donné a saint-Germain-en-Laye, le deuxieme jour de Juillet, l'an de grace mil cinq cents cinquante trois, & de notre regne le sept. & sur le reply étoit ecrit, par le Roy en son conseil. Signé Burgensis, *un paraphe, & scellé en double queue de cire jaulne, & a la suite:*

Collation faite sur l'original le 23e jour d'Octobre, l'an mil cinq cents cinquante trois, & delivré auxdits chanoines de Seez suivant l'expédition de cejourd'huy, signé Labbé avec long paraphe, & cejourd'huy 20e jour de Decembre, l'an mil cinq cents cinquante trois, j'ai fait collation sur ladite minute signé Labbé, a la requete de maitre Guillaume le Servoysier, pretre, chanoine, archidiacre de Seez, par vertu d'un mandement de compulsoire obtenu par ledit le Servoysier en la chancellerie du roy notre sire, a l'encontre de maitre René Duval prétendant audit archidiaconé, pour luy servir A *ce que de raison, presence de Jacques Amouret, Jean Briourt & autres, signées* LE SERGENT, *avec paraphe.*

Les huit copies cy dessus faites & collationnées, sçavoir les cinq premieres sur les copies écrites d'une même main, d'ancienne lettre & écriture gotique sur dix-sept feuillets de papier dans un registre qui en contient vingt-deux, les cinq autres feuillets étant blancs, ledit registre étant couvert d'une feuille de relieur, remarquant neanmoins que la copie de la copie de l'acte en l'année 1548, du sept Janvier, auroit deu preceder dans le present cahier, la copie de la copie du procès verbal du sieur Verrier du premier Fevrier 1548, attendu que cettedite copie de procès verbal est la derniere écrite dans ledit registre, non signée ni collationnée; & a l'égard des trois autres copies faisant B *les huit comprises au present cahier, elles ont été pareillement collationnées sur les copies collationnées, écrites sur deux feuilles de papier de la même main que ledit registre, & neanmoins separées d'icelui; remarquant aussi dans le present cahier qu'il y a deux mots laissez en blanc dans les quatres & cinquieme page, pour ne les avoir pu lire; que la sixieme page est toute blanche, excepté trois lignes & demie ecrite au haut d'icelle, que dans la vingt cinquieme page il y a du blanc sur lequel ont été tirés quatres traits de plume, & qu'ensuite desdites bares ou traits de plume, il y a neuf lignes d'écriture rayées; que sur la vingt huitieme page il y a aussi trois lignes & demie d'écriture aussi rayée, & que sur la trente & unieme page a été aussi tiré cinq traits de plume pour remplir un blanc qui s'y ren-* C *contre, & ce a la requisition & presence de maitre Louis Fremont prestre, aumônier de monseigneur l'illustrissime & reverendissime messire Maturin Savary par la grace de Dieu & du saint siege apostolique, evêque de Seez, pour lequel il a représenté le tout qu'il lui a été rendu pour etre mis au chartrier dudit evéché de Seez, & y avoir recours, dont acte par nous Germain le Frere, & Pierre le Frou, nottaires gardenottes royaux hereditaires de la ville de Seez, & nottaires apostoliques royaux au diocese dudit lieu, soussignés, le mardi vingt quatrieme de Septembre mil six cents quatre vingt dix sept aprouvé en glose de saint Vast de la vicairerie,* creata pro domino . . . . *quarante huit, faites, signifiées insinuations & en rayeure vingt deux mots, en outre les observations susdites, & ledit sieur Fremont a signé, signé Fremont avec paraphe; le Frere & le* D *Frou nottaires avec paraphe. En marge est écrit ce qui suit: controllé & enregistré au controlle des actes des nottaires de Seez par moi controlleur soussigné, ce 8e jour d'Octobre 1697, signé du Friche avec paraphe, reçu cinq sols. Et plus bas est écrit: le present cahier contenant dix neuf feuilletz, celui cy compris, avec paraphe, au bas de la page est écrit, scellé a Seez, ce 12 Octobre 1697 avec paraphe, reçu cinq sols.*

Copie ou *vidimus* des articles & concordat faits par l'evêque de Seez messire Pierre Duval, sur le fait de la secularité des chanoines & chapitre de l'eglise cathedrale dudit lieu de Seez, avec la bulle apostolique, execution E d'icelle, lettres patentes du roy, & autres sur ce ensuivis.

CHacune prebende aura gros de cent livres ou environ, qui sera assigné a chacun chanoine, particulierement sur dixme ou pension; & outre cela aura presentation d'un benefice, & jouira, tant present qu'absent, desdits gros & presentation.

Outre ledit gros chacun chanoine aura distribution en argent & pain de chapitre; les distributions en argent monteront par an a cent livres ou environ pour chacun chanoine, qu'il aura seulement quand il sera present, ou s'il n'est excusé par le chapitre a cause de maladie ou autre grande raison de droit.

Au lieu de prieur il y en aura un qui se nommera prevost, qui aura la premiere dignité de chapitre, qui sera collative & non elective; laquelle dignité nommée prevosté, aura double gros, doubles distributions, double pain & deux benefices a sa presentation.

Le chantre, les cinq archidiacres & penitencier qui sont de present, outre leurs dignités auront prebendes semblables aux autres, parce qu'ils etoient chanoines avant que d'avoir lesdites dignités; les autres qui seront après pourveus desdites dignités, n'auront pas lesdites prebendes, mais bien lesdites distributions.

Les archidiacres, outre leurs prebendes, à cause de leurs dignités, auront les visitations & deports chacun respectivement en leurs archidiaconnés.

Le chantre, outre sa prebende, aura pour sa dignité de chantre cent livres Tournois de gros.

Le penitencier, outre sa prebende, aura cinquante livres Tournois de gros, outre les rentes qu'il a de present a raison de la penitencerie.

Les distributions quotidiennes seront mises & assignées en la maniere qui ensuit.

Les jours simples a matines, un sol Tournois, a prime deux liards, a tierce, sexte, none & complies, un liard; a la grande messe un sol, a vespres un sol, qui sont quatre sols & demi par jour; aux festes doubles elles doubleront, aux festes annuelles & solemnelles elles tripleront: le surplus sera mis a la discretion du chapitre pour le temps a venir, le pain sera mis a la discretion du chapitre.

Il y aura quatre demies prebendes, dont les deux novices qui sont de present en auront chacun une; lesdites demies prebendes auront gros de vingt francs chacun, & demies distributions, tant en pain qu'en argent.

Il y aura quatre chantres de musique, dont l'un sera maitre des enfans, lesquels auront demies distributions en argent.

La presentation des bénéfices affectés auxdits prevost & prebendes, se fera a l'evêque par lesdits prevost & chanoines respectivement sans y appeller le chapitre.

Quand par cy-après vacquera une prebende, tant par mort que par resignation, le gros de la premiere année viendra en deport au profit du chapitre.

Item, *celui qui par cy-après sera pourveu de prebende ou dignité, soit par mort ou resignation, a son entrée il payera audit chapitre cinquante livres Tournois pour le pain de chapitre & joieux avenement.*

L'evesque presidera & conclura tant en l'église, chapitre que dehors, & en son absence le prevost, en l'absence de l'evêque & prevost le chantre, & conséquemment ainsi des autres dignités, selon leur ancienneté, pourvu qu'ils soient chanoines; & quant a la premiere instance seront exempts de la jurisdiction ordinaire. Ne sera aucun reçeu chanoine s'il n'est né en légitime mariage.

Les chapelains tenans les chapelles qui sont en la collation de l'evêque, seront mis au corps du chapitre & contrains d'assister au service; & quand ils y assisteront, ils auront distribution en argent le tiers d'un chanoine, & si pour cause raisonnable le chapitre les veut dispenser d'assister, ils seront tenus mettre en leurs places un prêtre qui aura lesdites distributions, & outre lui sera payé par le chapelain certaine somme qui sera avisée & ordonnée par ledit chapitre, auquel ledit prêtre sera presenté & accepté par ledit chapitre.

Et en faveur desdites chapelles ainsi remises & assujetties au service de l'église, & aussi pour ce que ledit sieur evêque voudroit ou pourroit demander plusieurs patronages des bénéfices & droits de dixmes que deffunt Jean evêque de Seez & autres ses prédécesseurs auroient aumosnées & données audit chapitre en faveur & sous condition de religion que lors ils preindrent, & qui devroient retourner audit evêque, retournant ladite église a la secularité, que pour nourrir paix & eviter procès & pour plus émouvoir ledit evêque a donner son consentement de ladite secularisation, lesdits de chapitre ont voulu & consenti, veulent & consentent que ledit A *sieur evêque soit déchargé des diners aux fêtes solemnelles, de l'entretenement des enfans de cœur, du luminaire de l'église, ornemens, reparations des vitres, pave, cordages, gages de sacristain, organiste, & sonneurs dont lesdits de chapitre se sont chargés, & outre ont remis entre les mains dudit evêque, dix bénéfices qui étoient a leur presentation, c'est a sçavoir, Bauvoir, Barville, Chastellier, Echalou, Crasmenil, Vaston, Batilly, le Pin, Neuville & saint Pierre de Bonnefoy, pour dorenavant y estre pourvu par ledit evêque* pleno jure, *& sans présentation dudit chapitre quand iceux bénéfices vacqueront, & par ce moyen ledit sieur evêque a renoncé & renonce pour lui & ses successeurs a tout le droit qu'il pourroit prétendre de retourner aux presentations de tous autres bénéfices dudit chapitre, & aussi retourner* B *aux dixmes ainsi aumonées comme dit est.*

Les quatre demies prebendes auront deux bénéfices a leur presentation, c'est a sçavoir, saint Martin de Condé sur Lezon, & saint Pierre de Varrey, auxquels ils presenteront par semaine l'un après l'autre, seulement quand ils seront residens & non autrement.

Le surplus des autres benefices & vicaireries perpetuelles, demeureront a la presentation de chapitre, & advenant leur vacation, celui desdites dignités ou chanoine qui sera semainier, nommera audit chapitre personne idoine a la nomination duquel ils presenteront audit evêque pour conferer, & sera la semaine a compter du samedi douze heures de nuit, jusqu'au samedi ensuivant heure semblable, excepté que les six vicaireries perpetuels ou benéfices, c'est a sçavoir, saint Martin C *des Tourailles, Notre-dame de Surdon, saint Leonard du Froust, saint Sulpice de Val-Frambert, saint Quentin le Petit & saint Martin de Mcheudin, demeureront en la presentation du chapitre en commun pour pourvoir les chantres de ladite église, serviteurs dudit chapitre, ou ainsi qu'ils verront bien etre, a autres personnes idoines & capables.*

Lesdites prevosté, dignités, prebendes & demies prebendes, demeureront & seront a la collation & pleniere disposition dudit evêque.

Les status & ordonnances du chapitre pour le service divin & administration du bien temporel commun dudit chapitre, & autres choses requises, se feront par l'avis dudit evêque & chapitre, appellés si metier est aucuns notables chanoines des églises cathedralles circonvoisines.

Les demi-prebendés ne comparoitront point en cha- D *pitre & n'y auront point de voix, & se soyeront aux hautes chaises les derniers.*

L'evêque assistant au service aura double distribution, & le chapitre garentira les gros & pensions des prebendes.

Le prevost aura pour son gros la terre & seigneurie d'Aunou, & parce qu'elle monte plus de deux gros de prebende, fera audit chapitre soixante livres de pension, assignée sur ladite terre & seigneurie, & en sa presentation deux vicaireries perpetuels ou bénéfices, c'est a sçavoir, saint Jullien sur Sarthe, & saint Quentin de Blavou.

Frere Quentin de Mesange chantre, aura pour sa dignité de chantre le revenu du bénéfice de Chaillouë avec la jurisdiction & la dixme de la regalle, & les E *rentes & revenus de la fondation de la chantrerie, & pour sa prebende aura pour gros la grosse dixme de l'aleu, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de saint Vast de Longé.*

Frere Guillaume Gautier n'agueres archidiacre de Seez, pour sa prebende aura pour gros la dixme de Neauphe, sur laquelle il fera vingt livres tournois de pension a la prebende de frere Jean Fournier, & outre aura les prez d'Essay & la dixme du fief Vatuez, & la maison, logis & jardin accoutumés sa vie durant, & outre la pension de Tostes, & cent sols sur Blanchelande, & la presentation de la vicairerie ou benéfice de saint Sauveur de Carouge.

Frere François de Cherville archidiacre d'Exmois,

aura pour sa dignité les visitations & deports en son archidiaconné, & pour sa prebende aura pour le gros la dixme de Conde sur Lezon, la pension de Versainville & le parc du Buot nouvellement clos, sa vie durant seulement, quant audit parc, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de Versainville.

Frere Jean de Vallée archidiacre du Houlme, aura pour sa dignité les visitations & deports en son archidiaconné, pour sa prebende le gros des dixmes du Val-Frambert & Chanserie, & la pension de sainte Marguerite de Carrouge, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice du Menilguion.

Frere Nicolas le Vasseur archidiacre de Bellemois, aura pour sa dignité les visitations & deports en son archidiaconné, & pour sa prebende aura pour gros la moitié de la dixme de saint Julien sur Sarthe, & la pension de saint Jean de la Forest, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de saint Jean de la Forest.

Frere Guillaume Belhomme archidiacre de Corbonnois, aura pour sa dignité les visitations & deports en son archidiaconné, & pour prebende aura pour gros la moitié de la dixme de saint Julien sur Sarthe, & la pension dudit bénéfice ou vicairerie saint Julien & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de Theillieres.

Frere Guillaume le Bys penitencier, aura pour sa dignité cinquante livres outre les rentes qu'il a de present a cause de sa penitencerie, & aussi aura son logis & jardin où il demeure, sa vie durant; l'assignation desdites cinquante livres sera sur les dixmes de Louguenoë & Mezieres, & pension d'Averne & Estrées pour sa prebende, aura pour le gros la dixme de Tremont & Colandon, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice d'Averne.

Frere Jacques Bacquerot aura pour le gros de sa prebende, la grosse dixme d'Aunay & les pensions de Lougey & Bonnefoi, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de saint Martin l'Eguillon.

Frere Jean Fournier aura pour le gros de sa prebende, la grosse & petite dixme de Boyville, vingt livres sur la dixme de Neauphe, la dixme du four des Douits, les prez de Coulonges, & pour l'archidiaconné de Seez que lui a resigné frere Guillaume Gautier, les deports & visitations dudit archidiaconné de Seez en accomplissant le concordat fait entr'eux, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de Menilberard.

Frere Guillaume le Servoysier aura pour le gros de sa prebende la grosse dixme de sainte Scollasse & les prez dudit lieu, & les pensions de Meniljean & Varey,

A *& la presentation de la vicairerie ou bénéfice dudit lieu de Meniljean.*

Frere Moyse Chevallier aura pour le gros de sa prebende, les dixmes de saint Leger sur Sarthe, & petite dixme de Bailleul, petite dixme du Merle sur Sarthe, & les pensions de Francheville, la Lande de Lougey, de Cresmenil & du Pin, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de Francheville.

Maitre René Duval aura pour le gros de sa prebende, la dixme de Fleurey, & la presentation de la vicairerie ou bénéfice de Fleurey.

Maitre Pierre de Sylly aura pour gros les dixmes d'Ailly, du Grées, d'Ernetot, & les pensions d'Echalou, Vaston, Eraines, Teillieres & Leu, & la presentation du bénéfice d'Eraines.

B *Maitre Raoult Marescot aura pour son gros, la dixme de Bursard, & la pension de Colombier & Meheudin, & la presentation de Colombiers.*

Maitre E'tienne Palu pour son gros, aura la dixme de saint Agnen, Verrieres, Igey, & les pensions de Menilberard, Barville, saint Quentin de Blavou, Courtevéque & fief de Myen, & la presentation du bénéfice ou vicairerie de Courtevéque.

Maitre François de Pluviers aura pour le gros de sa prebende, les dixmes de saint Desirey, du val d'Ecouves, d'Amigny, saint Hilaire la Gerard & les pensions de Messey, saint Sauveur de Carrouges, Marchemaisons, les Tourailles, & la presentation du bénéfice de Messey.

Nous soussignés chanoines de l'église cathédralle de Seez, chanoines & religieux de l'ordre de S. Augustin, C *supplions tres-humblement notre saint pere le pape & chambre apostolique, notre sire le roy, & reverend pere en Dieu monsieur de Seez notre evéque, qu'il leur plaise accorder & consentir que soyons remis en l'état seculier, suivant la premiere fondation de ladite église, & comme sont les autres églises cathédralles de ce royaume, & nous en donner dispenses requises en tel eas, & accorder la division des biens dudit chapitre, & en faire expédier bulles & lettres a ce necessaires selon les articles cy dessus contenus, lesquels avons accordé & accordons & promettons a entretenir suivant les memoires, supplications & procurations par nous faites & passées a cette fin a Seez ce vingt sixieme jour d'Aoust, l'an mil cinq cens quarante sept. Ainsi signés Mesange, Gautier, Belhomme, Fournier, de Vallée, le Vasseur, de Cherville, le Bys, Bacquerot, Chevallier, le Servoysier.* Signé *P.* DUVAL *evéque de Seez.*

Pour copie, DE LARGENTERIE.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ LEXOVIENSIS.

I.

Restauratio abbatiæ sancti Petri Pratellensis.

Circa 1034. IN nomine Domini. Incipit de bonis quæ Hunfridus de Vetulis dedit ecclesiæ Pratellensi. Si mortalium vitam consideremus, pro utilitate omnes pene videbimus insudare, atque honestatem prorsus repudiare, nec solum repudiare, sed quod sancti patres nimio labore ædificavere, dissipare ac funditus dirimere. Isti etenim tales non solum talentum sibi creditum reponunt, verum quod pejus est, alienum lucrum pro posse surripiunt. Sed si prædicti patres pro talibus factis in optandi amœnitate gloriabuntur nectaris; isti, ut certum est, punientur in execrandi voragine herebi. Quod ego Hunfridus expavescens, ac ne in malum quod mihi creditum est talentum verteretur obnixe metuens; annuente piissimo Roberto Normanniæ marcione, & filio ejus Willelmo, consentientibus etiam filiis meis & conjuge, apud quamdam mansionem meam nomine Pratellum, abbatiam antique destructam in

D honore sancti Petri apostolorum principis restruo; servitorumque in usum secundum posse, de meis possessionibus concedo. Do itaque sancti Petri abbatiæ prædictæ, & in usum servitorum ejus quidquid in prædicta mansione habeo. Do iterum quidquid mihi est in Torivilla, videlicet in campis & in aquis, excepto mercato nomine Audimari pontis, cum terra unius aratri, quæ in eodem loco habetur. E Do iterum villam Merlinimontis nomine, cum omnibus suis contiguis. Do iterum villam quæ vulgo Sellas vocatur, cum omnibus appenditiis suis. Do iterum quidquid habeo in villa quæ Campaniacus vocatur. Do iterum ad præsens investitura, decimam villæ quæ vulgo boscus Osberni vocatur, post meum vero discessum totam villam ex integro. Illo anno quo perrexit Robertus comes Jerusalem, dedit sancto Petro ad Pratellum ex suo dominio, unam villam quæ vulgo Turstinivilla vocatur, pro qua structor ejusdem ecclesiæ Hunfridus, XII libras auri & duo pallia, & duos maximi pretii caballos dedit. Hæc Fiscamni delata sunt & inibi recepta; sed quia Willelmus adhuc puerulus, ejusdem Roberti comitis

filius, post illum erat regnaturus, cum pater Pratellum misit, ut suo jussu etiam puer, propria manu donationem Turstinivillæ super altare poneret. Huic rei interfuerunt vetulus Nigellus Turaldus, qui unum de supradictis caballis a comite Roberto dono suscepit, Radulfus camberarius filius Geraldi, Goscelinus Rufus de Formovilla, Hunfridus constructor ejusdem loci cum filiis suis Rogerio, Roberto, Willelmo, qui etiam a patre ob causam memoriæ colaphum suscepit. Suscepit etiam aliud colaphum Ricardus de Lillabona qui hosam vini comitis Roberti ferebat; qui cum requireret cur sibi Hunfridus permaximum colaphum dedisset, respondit, quia tu junior me es, & forte multo vives tempore, erisque testis hujus rationis cum res poposcerit. Suscepit etiam tertium colaphum Hugo filius Waleranni comitis. Præter hæc, concedo vadimonium terræ Radipontis, quod pro centum libris; usque ad duodecim annos suscepi, ea ratione ut; finito constituto termino, redditoque eodem pretio, redeat vadimonium ad domum suam. Huic addo aliud vadimonium pro triginta libris susceptum, nomine Ramivillam, ea ratione qua & supradictum: Quidam miles Saffridus nomine, dedit S. Petro in Pratellum sex agros terræ, pro quibus dederunt ei fratres ejusdem loci societatem. Eodem tempore duo fratres prædicti viri consanguinei, scilicet Gillebertus & Turstinus dederunt sancto Petro Pratellensi pro salute animarum suarum quatuordecim agros terræ. Regnante Willelmo Roberti marcionis filio, venit Bajocensis episcopus nomine Hugo, ad Pratellum, & fecit ibi donationem de terra quam calumniabatur, videlicet de Osberniboſco, de Merlinimonte, de Sellis, & insuper de quadam terra Novus boscus nomine, quam structor loci domnus Hunfridus ab illo emerat. Eodem Willelmo regnante, dederunt Rogerius & Robertus prædicti Hunfridi filii, sancto Petro Pratellensi, decimam Aldimeri pontis, videlicet de teloneo, de censu, de molendinis, & ecclesias ad eundem locum pertinentes. Huic dono addidit Robertus prædictus post totam decimam Hispaniæ & decimam molendini ejusdem villæ, & ecclesiam cum terra ad illam pertinente, & unum hospitem in eadem villa nomine Osbernum, & terram Magnæ-maris. Eodem anno dedit Rogerius frater ejus eidem loco, partem honoris cujusdam avunculi sui nomine Turchitilli, quæ sibi hereditario jure provenerat, sitam circa prædictum pontem, pro qua retinuit quinque argentea vascula, ex nigello & auro mire composita, quæ eidem loco jam dictus Robertus contulerat. Illo anno quo mortuus fuit Britannus comes Alainus nomine apud Fiscannum, dedit Willelmus comes sancto Petro de dominio suo, duas ecclesias & terram ad eas pertinentem, scilicet de Bollivilla & de Viana. Hoc autem factum est suggestione & intercessione cujusdam archidiaconi nomine Widonis; qui eas in beneficio tenebat. Iccirco dedit ei abbas ejusdem loci Anfridus nomine, societatem tali tenore ut si monachus fieri vellet, non ei denegaretur, quod & factum est. Eodem Willelmo regnante, guirpivit Richardus *de Chrolici* calumniam quam habebat in Turstinivilla & in ecclesia illius villæ, quæ vocatur Viana, sancto Petro Pratellensi. Quapropter dedit ei abbas illius loci societatem, & unum mulum & duo candelabra argentea, & duo bizantia auri. Regnante Willelmo eodem & concedente Roberto Hunfridi filio, quidam miles Gislebertus nomine, carens herede, dedit sancto Petro donationem totius suæ hereditatis, videlicet quidquid habebat in villa quæ vulgo Condedus dicitur, in agris, silvis, aquis, & partem etiam ecclesiæ ejusdem villæ, quatinus apud Pratellum fieret monachus. Contulit etiam quidquid possidebat hereditatis aliis in locis. Hoc notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod illo anno quo prius inceptum est concilium de pace apud Cadimum, cum corporibus sanctorum, invasit Bajocensis episcopus, nomine Hugo, terras sancti Petri Pratellensis pro quadam conventione quam structor loci Hunfridus nomine, cum eo habuerat. Unde valde commoti domnus abbas Gradulphus Fontinellæ monasterii, qui partim fundator illius loci extiterat, & abbas ejusdem monasterii Anfridus nomine, cum nimio labore impetraverunt ut prædictam conventionem perdonaret, & terras redderet; nec hoc sine magno pretio potuit fieri. Dederunt enim illi jam dicti abbates centum libras denariorum & tria argentea candelabra, videlicet duo ex puro argento, & tertium ex auro & argento vel nigello pulchre compositum; & unum calicem deauratum, qua pecunia recepta, sicut præsens subscriptio demonstrat, cartam episcopali auctoritate firmavit. ✠ Ego Hugo Bajocensis episcopus, hanc donationem terrarum scilicet quas dedi sancto Petro Pratellensi precatu Hunfridi, nunc manu & ore confirmo & episcopali auctoritate earum invasores anathematizo, amen. Huic conventioni interfuerunt testes, videlicet Rainaldus Drudus, Hugo cognomento Compositus, Rodulphus Suhardus, Radulfus Asciatus, Ricardus Scoria vetulam, Turstinus filius Rannulfi. Ex parte vero abbatum interfuerunt Gauxfridus clericus, Xristianus clericus, Alboldus clericus, Hunfridus laïcus, Willelmus laïcus, Garnerius laïcus, Rogerius cognomento Peratius. Jam sæpe dicto principe regnante atque consentiente, Johannes de sancto Philiberto Radulfi comitis filius dedit sancto Petro Pratellensi quamdam terram quæ sanctus Benedictus vocatur, in foresta quæ Gueura dicitur, nichil consuetudinis sibi reservans, præter aprum & accipitrem si adessent. Pro qua re abbas ejusdem loci Anfridus nomine, dignam sibi rependit pecuniam, scilicet quindecim libras denariorum, & maxime societatem loci. Regnante Willelmo Roberti marcionis filio, Rogerius de Bellomonte filius Hunfridi, dedit sancto Petro Pratellensi quidquid habebat in Manichivilla, videlicet in campis & in aquis, eodem principe annuente, & signo suo confirmante. ✠ Defuncto abbate Anfrido & loco ipsius Willelmo abbate locato, advenit Rogerius Bellemontis precatu monachorum in capitulo eorum, volens scire quomodo se res monasterii haberent; tunc præsente eo lecta est carta quam firmaverat pater suus & ipse de constructione loci, & ejus jussu exposita. Monachi vero conquesti sunt, ex his quæ in carta scripta erant, multa se amisisse, & maxime ecclesias Audimari pontis, quas abbas Anfridus dederat Hugoni clerico Turulfi filio, sine eorum consensu vel licentia. Rogerius vero ut eorum clamores audivit, jussit ut omnia, sicut in carta erant scripta, ita redirent ad dominium monachorum quæ sine licentia vel consilio conventus eorum fuerant dispersa. Hugo vero clericus ut hæc audivit, erexit se adversus monachos, dicens ex integro supra dictas ecclesias a domno Hunfrido cœnobii constructore, ejusdemque Rogerii patre antequam ab abbate Anfrido; se habuisse. Monachis vero contradicentibus denominatum est placitum, ut ex utraque parte convenirent homines qui hujus rei essent testes, quod & factum est; ex parte igitur monachorum affuit testis Goncelinus, & ex parte Hugonis, ejus frater Gaufridus. Quid plura? assignatis testibus & datis vadimoniis, denominatus est dies ut a supra nominatis testibus bellum fieret; sed ut ventum est ad prælium, gratia Dei, Gaufridus testis & frater Hugonis, qui adversum Goncelinum pro hac re debebat dimicare, invalidum membris & maxime brachiis se esse confessus est; nec ad hoc opus se valere. Quod ut audivit Rogerius, nolens ut ex toto amitteret Hugo (erat enim suus consanguineus) precatus est abbatem Willelmum quem ad Bellum montem cum quibusdam

monachis causa hujus negotii transmiserant fratres loci, ut decem libras denariorum ex Hugone susciperet, ea tamen conventione, ut quoad viveret Hugo, ab abbate Willelmo ecclesias supra scriptas teneret, & moriens non ejus filius vel aliquis suus cognatus, seu sibi proximus heres ultra esset, nec partem in ipsis ecclesiis haberet, sed in monachorum dominio redirent: quod vix impetrare potuit, sed tamen factum est ut petiit. Hujus rei testis est ipse Rogerus & Robertus ejus filius, & Herluinus, & Rad. Otonis filius, & Turstinus Esllancus, & Gulbertus, & Ric. & Goncelinus, & Hunfridus, presbyter. Hæc vero ratio hic inscripta est jussu ejusdem Rogerii qui ecclesias unde sermo agitur, nobis dedit.

II.

Confirmatio fundationis parthenonis S. Desiderii.

Circa 1060. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Willelmus superna disponente clementia, Normannorum princeps gloriosus. Si erga domos Dei & divinos cultus, opera pietatis aut per nos ipsos, aut per fideles nostros, eorum videlicet annuendo petitionibus in his quæ ad Deum sunt, bonorum incitati studiis ostendimus, non solum id ad præsentem principatus nostri statum confirmandum, verum etiam ad æternitatis gloriam feliciter obtinendam, nobis multum prodesse credimus. Quapropter universis ecclesiæ fidelibus præsentibus scilicet pateat ac futuris, qualiter ad piæ petitionis affectum quorumdam fidelium nostrorum, Hugonis videlicet, Lexoviensis episcopi, & matris ejus Liccelinæ, locum qui dicitur ad sanctum Desiderium, in suburbio Lexovii positum, ad cœnobium in honore sanctæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, & sancti Desiderii, construendum in perpetuum concedimus: sed & cuncta quæ præfati fideles in usum sanctimonialium inibi Deo famulantium, ad eundem locum stipendiaria deputaverant, id est in pago Rothomagensi trans Sequanam, S. Albinum cum omnibus appenditiis suis, scilicet, ecclesiis, agris, campis, terris cultis & incultis, novalibus vel silvis ad novalia extirpandis, pratis, silvis, forestis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, molendinorumque locis quæsitis & inquirendis, & omnibus consuetudinibus & foris factis; terram *de Fontaines* quæ sita est juxta sanctum Albinum & ecclesiam, aquam cum molendino, & servitium militum; Novamvillam, membrum de Halvilla quod dedit Gislebertus pro sua filia, medietatem etiam de Bretavilla, quæ sita est juxta *Ceus*, & ecclesiam cum molendino; dominium cum militibus quod dedit Olilia, filiis annuentibus, pro filia sua; terram quoque *de Saltehevrolt*, burgum & forum, ecclesiam cum decimis, molendinum quoque cum silva: concedimus etiam parochiam ejusdem ecclesiæ a divisione fluminis usque ad fines Leugæ; præter decimas frugum, terram quoque duorum aratrorum in dominio, burgum etiam totum a divisione pontis & omnes redditiones ex eo exeuntes: septum vineæ & unam silvulam, decimas etiam & omnium molendinorum totius Leugæ, vineam quoque veterem cum superadjacente sibi silva. In Acumonte silvam, quam Liccelina comitissa accepit in concambium pro terra juxta Augiam castellum posita, terram Roberti Coci, terram similiter Herberti Barbati; terram etiam Rogerii forestarii in centum acris, quam emit Liccelina comitissa trans Toliam fluvium, in ipso suburbio pomarium unum & domos duas, & in pratis duos agros quæ similiter emit Liccelina comitissa, ecclesiam *de Jort* cum sex agris, quam dedit Robertus, filius Nielli pro sorore sua, annuentibus fratribus suis. Item duos hospites in Varetvilla, in ripartorium S. Marculphi quos tenet Robertus; duosque agros a patre Radulpho *Postlar* emptos ad mansionem Azelini: terram quam coluit Galbertus fraterque Hugonis, altarum riparum, quam modo possidet Azelina, annuente Roberto ejus filio, & alia quæ nostri temporis decursu a fidelibus conferentur, manu valida & edictis principalibus sancimus, ne quis deinceps temerario ausu horum aliquid contingere & in proprios usus devorare, aut aliorum extra præfatæ domum ecclesiæ retorquere præsumat; in subjectione autem præfatæ civitatis episcopi, & ordinationem & donationem monasterii constituimus. Sed ut hæc firmiorem in Dei nomine obtineant stabilitatem, nostræ auctoritatis privilegio firmamus, & signo sanctæ crucis roboramus. Signum Willelmi comitis ✠. Sig. Hugonis ✠ episcopi. Sig. Rogerii de Monte-gomerico ✠. Sig. Willelmi filii Osberni ✠. Sig. Roberti fratris comitis ✠. Sig. Radulphi Taxonis ✠. Sig. Erneïsi ✠. Sig. Ricardi vicecomitis ✠. Sig. Turoldi ✠. Sig, Hugonis ✠. Sig. Radulphi ✠. Signum Viviani ✠.

III.

Diploma Henrici regis Angliæ pro S. Ebrulfo. *Ex authentico.*

1128. H. Dei gratia rex Anglorum & dux Normanniæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, justitiariis & omnibus ballivis suis, salutem. Noverit universitas vestra me ad petitionem dilectorum & fidelium meorum Roberti *de Grentemaisnil* & Roberti de sancto Serenico dicti Geroiani concessisse, & hac præsenti charta mea confirmasse Garino abbati & monachis sancti Ebrulfi, omnes libertates, ecclesias, decimas, redditus, homines & terras quas, tam ipsi & fideles sui clerici & laïci, quam etiam progenitores eorum Hugo & Robertus *de Grentemaisnil*, & Willelmus Geroianus de sancto Serenico, concedentibus & condonantibus filiis suis & fratribus, prædicto monasterio donaverunt temporibus Willelmi patris mei illustris regis Angliæ & ducis Normanniæ, & meis; ipso etiam concedente & confirmante. In quibus hæc propriis exprimenda duxi vocabulis: Electionem videlicet abbatis ejusdem monasterii cum consilio fratrum tantummodo in perpetuum fieri concedo, salva tamen regularis disciplinæ ratione, id est, ut non amicitiæ, aut consanguinitatis, aut certæ pecuniæ amor eligentium vota corrumpat. Concedo præterea & confirmo eisdem abbati & omnibus monachis sancti Ebrulfi, quittantiam passagii, & telonei, & totius consuetudinis de omni victu suo & vestitu, & de omnibus rebus quæ poterunt affidari esse proprias eorum, vel famulorum suorum, qui de proprio pane eorum vivunt, in omnibus dominiis meis per totam Angliam & Normanniam, & maxime in portubus maris, & in forestis meis, videlicet *de Goffer*, & *de Molins*, & *de Maheru*, *de Leons*, & *de Auvi*, quittantiam pasnagii, herbagii omnibus porcis suis per totas prædictas forestas, & calfagium in eisdem forestis sine liberatione, & herbergagium per forestariorum liberationem eisdem monachis apud *Molins*, & apud Nor. & apud Nog. super Andell. & apud *Alsay* manentibus. Concedo etiam eis & confirmo totam villam de Cueleio, cum ecclesia & omnibus pertinentiis ejus, de donis sæpe dictorum Roberti & Hugonis *de Grentemaisnil*, quæ est feodum unius loricæ, & aliud feodum loricæ de dono Willelmi Geroiani, quod est inter Tolchetam & villam quæ Villaris dicitur, & appellatur Bauchenchaium, de feodo *de Mosterol*, de quibus prædictus Willelmus pater meus, cum assensu & voluntate Theoderici abbatis ejusdem loci primi post tempora sancti Ebrulfi, & prædictorum Roberti & Hugonis *de Grentemaisnil*, & dicti Willelmi Geroiani avunculi eorum prædictæ abbatiæ fundatorum, baroniam unam constituit ad servitium suum &

heredum suorum faciendum in exercitibus & aliis negotiis suis per totam Normanniam, ita tamen quod Ric. de Cueleio & Baldricus filius Nicholai milites, quibus memoratus abbas Theodericus illa duo feoda loricarum in hereditatem de se tenenda donavit, cum assensu dicti W. patris mei, servitium illud facere tenebuntur quisque pro feodo suo, cum equis & armis, & cum expensis suis, & heredes eorum, quando abbas S. Ebrulfi a me submonitus fuerit, & ipsi ab abbate, & habebunt rationabiles tallias pro exercitibus & aliis negotiis meis in Normannia concessas. Si vero de servitio illo defecerint, & abbas submonitionem suam adversus eos probare poterit, in eorum corpora & catalla a me & successoribus meis capietur emenda, & abbas relevamenta & placita habebit, & alia jura quæ habent barones Normanniæ in feodis loricarum suarum. Concedo etiam & confirmo de donis patris mei & meis unum vavassorem apud Puppevillam reddentem viginti solidos usualis monetæ, & in Anglia ecclesiam *de Nettehan* cum omnibus pertinentiis suis, & totam villam quæ vocatur *Raualle*, cum omnibus pertinentiis suis, & omnes libertates & quittantias quas habent in terris suis ceteri barones mei in Anglia & Normannia, per totas eleemosynas suas quas habent modo vel habituri sunt. Concedo etiam & firmiter præcipio ne de aliquibus tenementis suis quæ modo habent vel habituri sunt coram aliquo seculari judice ponantur in placitum, nisi tantummodo in curia mea. Possessiones vero quas Robertus & Hugo *de Grentemaisnil*, & Willelmus de sancto Serenico, & fratres ejus ac filii, & ceteri fideles christiani temporibus patris mei & meis de rebus hereditariis suis prædicto monasterio donaverunt vel donaturi sunt, has ego auctoritatis meæ privilegio firmas & inconcussas esse præcipio, ut si quis ex adverso veniens ad dampnum præfati monasterii grande aut parvum aliquid machinari temptaverit, & mei hujus privilegii chartulam violare præsumpserit, noscat se meæ reum esse majestatis, & omne patrimonium suum rebus meis dominicis ascribi debere. Ecclesias itaque, decimas, redditus, homines & terras quas concedo & confirmo prædicto monasterio ad petitionem prædictorum baronum meorum, & fidelium suorum clericorum & laïcorum, ad majorem certitudinem veritatis hac præsenti charta mea nominibus propriis inserendas mandavi: ecclesiam videlicet de Nuceto cum omnibus decimis suis, & manerium prope eam cum hominibus & terris, aliisque pertinentiis suis, habendum & tenendum per monachos sive per firmarios, prout sibi melius viderint expedire. Pasturam quoque animalibus de carrucis monachorum seu firmariorum prædicti manerii in omnibus herbagiis domini *de Grentemaisnil*, & totam decimam de omni victu & potu ipsius qui ad eamdem villam, vel ad *Grentemaisnil*, vel ad castrum ejusdem venerit, vel quotiescumque ibi morabitur, & medietatem totius feriæ de Nuceto & dominicatum ipsius in festivitate sancti Egidii, & capellam sanctæ Trinitatis de castro *de Grentemaisnil*, in qua presbyter de Nuceto ministrabit & deserviet, & ejus oblationes habebit & obventiones, & quittantiam herbagii & pasnagii monachis & omnibus hominibus famulis vel firmariis in prædicto manerio residentibus, & plenam decimam de bosco *de Grentemaisnil*, de venditione videlicet, & herbagio, & haratio, & venatione, & de omnibus fructibus & obventionibus, quæ ex eo poterunt provenire; & totam decimam bidentium, arietum, & castratorum, & denariorum qui habentur de herbagio per totum feodum *de Grentemaisnil*, & de omnibus redditibus de Nuceto, & *de Grentemaisnil*, & de castro, de censibus, præposituris, servitiis & omnibus obventionibus, & exitibus qui modo in eisdem villis sunt & pertinentiis earum, vel qui in futuris temporibus poterunt provenire, & totam decimam fori domini *de Grentemaisnil*. Apud Chevillam duas acras

A prati, ecclesiam *de Grentemaisnil* cum tota decima ejusdem villæ, & aliis pertinentiis suis; & totam terram presbyteri, & quoddam aliud tenementum, & sex masuras tangentes cimeterium ejusdem villæ. Anglicam villam cum ecclesia, & decimis, & terris, & aliis pertinentiis suis. Villam quæ Solengiacus dicitur, cum ecclesia & decimis, & manerio & hominibus, & terris, & aliis pertinentiis suis. In Olleio Tesronis ecclesiam cum decimis suis, & omni beneficio quod tenuit Tescellnus clericus, & decimam molendinorum ejusdem villæ, quæ habebunt moltam de Solengeio, donec abbas sancti Ebrulfi possit habere molendinum apud Solenglacum. Ecclesiam de Lovigneio cum omnibus decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & duos vavassores, & quatuor acras terræ, & duas

B acras prati in magnis pratis, & totam decimam molendinorum & furnorum, qui modo in eadem villa & pertinentiis suis sunt, vel de novo fient, & plenariam decimam de omnibus censibus, & firmis, & præposituris, & servitiis, & de reguardis, & herbagiis, & piscationibus, & de omnibus exitibus & obventionibus, & de omnibus crementis & emendationibus, quæ in eadem villa & in pertinentiis suis poterunt provenire. Apud Saceium duas partes totius decimæ feodi *de Grentemaisnil*, ecclesiam *de Montcalvet* cum omnibus decimis bladi & telonei ejusdem villæ, & totam decimam de censibus, & præpositura, & nundinis, & piscationibus, & de aliis redditibus quibuslibet, atque servitiis, quæ modo in eadem villa & pertinentiis suis sunt vel esse poterunt, &

C totam decimam molendini, & de parco, & de forestis ejusdem villæ, de venditione videlicet, & pasnagio, & herbagio, & haratio, & venatione, & de omnibus fructibus, & obventionibus, & crementis, quæ ex eis & in eis poterunt provenire, etiamsi ad agriculturam redactæ fuerint, & in eadem villa unam carrucatam terræ, quam dedit Robertus *de Grentemaisnil* in die dedicationis sancti Ebrulfi. Ecclesiam sancti Petri inter Montes, cum omnibus decimis, & feria, & terris, aliisque pertinentiis suis. Apud *Barou* duas partes decimæ totius feodi *de Grentemaisnil*. Apud Abbavillam duas partes totius decimæ vavassorum, Ernaldi *de Corlibof*, & domini de valle Loiarum, excepto feodo uno. In feodo Landonis & in feodo domini *de Barou*, quod ad *Grentemaisnil* pertinet, duas partes totius decimæ. Apud *Murchene* & in

D tota parochia *de Mosterol* duas partes totius decimæ feodi *de Grentemaisnil*. Apud *Olivet* totam decimam molendini. Apud Chesneium & in tota parochia *de Mesnil Renuart* duas partes totius decimæ feodi *de Grentemaisnil*. Apud Belmesium totam decimam magni molendini. Ecclesiam sancti Gervasii de Purveleio cum capella sancti Blasii, & decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Gervasii *de Chatesaveril* cum dimidia decima. Apud *Gaipre* & Buignam, & apud *Colunces* duas partes totius decimæ feodi *de Grentemaisnil*, & tota decima molendini de Buigna. Apud *Montabal* totam ecclesiam cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Apud *Vilers-le-Cales* quasdam terras & homines in ipsis manentes. Apud O. ecclesiam cum decimis,

E & terris, aliisque pertinentiis suis, & homines plures, & decimam molendini ejusdem villæ. Apud *Foge* ecclesiam cum pertinentiis suis, & decimam haiæ ejusdem villæ, de venditione, & pasnagio, & venatione, & de omnibus fructibus, & obventionibus quæ ex ea & in ea poterunt provenire, etiam si ad agriculturam redacta fuerint. Ecclesiam *de Noer Mainart* cum omnibus decimis suis; ipsam quoque villam cum omnibus pertinentiis suis. Villam quæ vetus *Maisnil* dicitur, cum omnibus pertinentiis suis. Apud boscum Roberti ecclesiam cum omnibus decimis suis & pertinentiis suis & ibidem quasdam terras. Ecclesiam *de Linbof* cum tota decima feodi *de Grentemaisnil*. Villas quæ *Maisnil-Bernart* & Tanesia

dicuntur, cum terris & hominibus, aliisque pertinentiis suis, & decimis earum, & in parochia sancti Martini *le Hugon*, quandam vavassoriam, quæ *Mesnil-Dode* dicitur. De donis vero Willelmi Geroiani & successorum ejus, atque fidelium hominum suorum clericorum & laïcorum, petente Roberto Geroiano, concedo & confirmo prædicto monasterio in puram, liberam & quietam eleemosynam ecclesiam sancti Andreæ de Escalfo cum quatuor capellis suis, de sancta Maria, de sancto Laurentio, de sancto Martino, & de sancto Germano cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & decimam totius præpositurae, & omnium exituum, & reddituum, qui modo sunt, vel qui provenire ex eadem villa poterunt, & pertinentiis suis, decimam quoque totius forestæ ejusdem villæ, de omnibus pasnagiis, de tota venditione, venatione, haratio & herbagio, & de omnibus fructibus, & eventibus qui sunt, vel ex ea provenire poterunt, etiam si ad cultum venerit, & herbagium, & pasnagium ad porcos, & ad alia animalia monachorum in eadem foresta. Ipsam quoque forestam ad usum suum, & domorum & ecclesiarum eorum ædificationem, & manerii de Veteri Mesnilio, ad necessaria omnia, de vivo scilicet bosco, absque omni liberatione forestariorum & contradictione alicujus. Apud sanctum Andream vavassoriam unam cum pertinentiis suis, cum feodo de Rocheio & de Nigra aqua. Apud Sufferiam vavassoriam unam cum pertinentiis suis, & vavassoriam de Doito Moessu cum omnibus pertinentiis suis, & decimam molendini de Alneto & molendini de Logis. Apud *Velmesnil* & alibi in parochia sancti Andreæ plures hospites. Apud *Belsai* duas partes quarumdam decimarum & hospitem unum. Ecclesiam S. Petri de Nidis cum decimis, terris aliisque pertinentiis suis. Apud sanctum Serenicum ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis habendam in proprios usus, & decimam annonæ, & vinearum, lini, canabi, & leguminum, & omnium molendinorum, quæ modo sunt vel esse poterunt in eadem villa, & omnium reddituum, qui sunt vel qui provenire ex eadem villa poterunt, de furnis, de foro & teloneo habendam unaquaque hebdomada in die Dominico monachis ibidem commorantibus vel famulis suis, & piscationem in aqua, quantum durat terra monachorum ex utraque parte aquæ, ad placitum suum & manerium suum juxta ecclesiam, cum vineis, & terris, & pratis aliisque pertinentiis suis. Apud Raddum, de concessione & assensu comitis Willelmi, ecclesiam cum decimis, & aliis pertinentiis suis, & terras, & homines plures in eadem villa. Ecclesiam de Alta-ripa cum decimis, & manerio, & terris, & pratis, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam *de Bauquech* cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & decimis molendini, & dominicatum totius ejusdem villæ. Apud sanctum Nicolaum ecclesiam cum omnibus pertinentiis suis, & dominicatum ejusdem villæ, & feriam unam in festo sancti Nicolai. Apud S. Martinum *le Hugon* ecclesiam cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & decimam molendini ejusdem villæ, maneriumque de Tileia, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Sappo Andreæ cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, decimam quoque molendini ejusdem villæ. In parochia S. Germani de Alneio duas partes decimæ totius feodi Croc & Roberti *de Mesnil-Rainart*. Ecclesiam *de Ternant* cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & medietatem molendini ejusdem villæ. Ecclesiam de Mornaio cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam *de Essart* cum decimis, & terris, & aliis pertinentiis suis, & ibidem vavassoriam unam. Ecclesias sancti Pauli & sanctæ Mariæ de Vernutiis, cum manerio, & decimis, & terris, & aliis pertinentiis suis, & eorum molendinis ejusdem villæ, cum omnibus pertinentiis suis. Capellam quoque de bosco

A Huberti cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam de Angerum cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam *de Mosterol* cum decimis bladi, & præpositurae, furnosque ejusdem villæ, & terras, & homines plures in eadem villa, & decimam omnium reddituum, qui modo sunt, vel qui in omnibus exitibus & redditibus ejusdem villæ poterunt provenire. Ecclesiam sancti Laurentii *de Chesneduit* cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam de Gulafreria cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesiam S. Leodegarii de Revilla cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Apud villam *Pelée* duas partes decimæ ejusdem villæ. Ecclesias de Magno-Sapo cum decimis, & terris, & aliis pertinentiis suis, & decimam stallorum, B & totius præpositurae, & omnium exituum & reddituum, qui modo in eadem villa sunt vel esse poterunt, & in eadem villa terras, & homines plures, & decimam molendini de Novilla. Ad petitionem dilecti mei Ranulfi comitis Cestrensis, concedo & confirmo eisdem monachis ecclesiam *de Biseclt* cum omnibus pertinentiis suis, & unam carrucatam terræ. In parva Pilardeutona unam hidam terræ, & decimam de Brichella, & ibidem unum rusticum, & decimam de Sanleia in Bochingeham sita. Villam quæ Cherchebeia dicitur, cum duabus ecclesiis ad eamdem villam pertinentibus, de donis Roberti de Roëlento, & ecclesiam de Damblenvilla cum omnibus pertinentiis ejus, & decimam molendini ejusdem villæ. Apud Merstonam ecclesiam cum tota decima C & octo hospitibus, & ibidem duas carrucatas terræ. Apud Cestram ecclesiam sancti Petri de Mercato, & tres burgenses. Apud Stantonam totam decimam garbarum, agnorum & porcorum, decimam quoque *de Forefort* & Oxecundæ, & decimam Brisardi *de Lindissi*, cum decima terræ Rogerii de Millaio. Ecclesiam de Croissilla cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam quoque de Orgerlis cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Tolqueta cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Petri de Tarentana cum omnibus pertinentiis suis, de dono *Goit*. Concedo etiam & confirmo eisdem monachis, ad petitionem dilecti & fidelis mei Willelmi *Pautol*, prioratum sancti Petri de Nor. cum manerio, & nemore, & plesseiceto, & hominibus, & terris, & pratis, aliisque pertinentiis suis, & ecclesiam sancti Cyrici D cum decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & medietatem molendini ejusdem villæ, cum molta, & totum molendinum *de Helmet*. Apud *Aubery-le-Pautol* duas partes decimæ de feodo ejusdem Willelmi, & unam vavassoriam ad fossas. Ecclesiam de Flinevilla cum omnibus decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis, & in eadem villa unum hospitem. In Anglia manerium quod dicitur Braitona, & totum molendinum, & ecclesiam ejusdem villæ cum capellis suis, & omnibus decimis, & hominibus & terris, aliisque pertinentiis suis. Apud *Esloui*, de donis domini de Coluncis, ecclesias duas ejusdem villæ; scilicet ecclesiam sancti Martini & sancti Georgii, consentiente & petente Roberto de Corceio, & totam decimam molendini de Roureio, E quod ad dominum de Coluncis pertinet. Item de donis Ernaudi Geroiani totam terram, quæ est inter Tolcheram & Carentonam, quæ est de feodo Escalfoii, quam dedit Theodericus abbas Baldrico filio Nicholai tenendam de se per servitium unum vavassoris, quotiens habere voluerit, cum nemore Baldrici, & medietate molendinorum sancti Ebrulfi, excepta molta quæ est ultra Carentonam in feodo Britolii, & molta septem hominum, quos quidam milites tenent de abbate in villa sancti Ebrulfi. Et de donis Willelmi *de Molins* & Alberedæ uxoris ejus & fidelium suorum ecclesiam sancti Laurentii cum manerio, & hominibus, & terris, & pratis, aliisque pertinentiis suis, & in forestis *de Molins*, & *de*

& *de Maheru*, & *de Bomnolins*, & in Brolio calfagium monachis apud S. Laurentium morantibus, de mortuo bosco, & de branchiis, & de falcatis arboribus, sine forestariorum liberatione, & herbergagium de vivo bosco per forestariorum liberationem sine omni contradictione, & quictantiam pasnagii & unam fagum ad Nat..... Domini.... Habent milites de feodo *de Molins* & ecclesiam B. Mariæ *de Bomnolins* cum omnibus pertinentiis suis, & decimam molendinorum & furnorum ejusdem villæ; ecclesiam *de Maheru* cum omnibus pertinentiis suis, & virgulto, & terra presbyteri, & cultura una quatuor acrarum prope crucem bussatam & decimam omnium molendinorum ejusdem villæ, & decimam panis domini de Falandriis, & domini de S. Aniano monachis *de Molins*, & unam carreiam de feno in pratis domini de sancto Aniano, & totam decimam totius nemoris de Falandriis, de pasnagio, & venatione, & de agricultura, si qua fuerit in eo facta, & in parochia *de Maheru* terras & homines plures ad monachos *de Molins* pertinentes. Apud sanctum Aquilinum duas partes totius decimæ feodi *Hairon* domini de Grimoneria, & in parochia de Ferreria duas partes totius decimæ de feodo ejusdem *Hairon*, & totius feodi Hugonis de Ferreria, & Willelmi de sancta Columba, & domini *de Val-Ferman*, quod est juxta dumum Harcheng. & totius feodi forestariorum, quod habent apud Augesiam. Et in parochia sancti Hilarii quasdam decimas & homines plures. Ecclesias de sancta Columba & *de Gaubruge* cum omnibus pertinentiis suis, & terras, & homines plures, & de donis dominorum de Aspris & Hugonis de Ferreria totum molendinum Heroldi, cum tota villa quæ Herolderia dicitur, & pertinentiis suis, & tota molta domini de Grimoneria, & Hugonis de Ferreria, & Willelmi & Gisleberti de Aspris, tam de dominiis quam de omnibus hominibus suis. Item apud *Bomnolins* duos hospites juxta ecclesiam, & medietatem decimæ molendini de Sarta. Concedo præterea & confirmo ut omnes homines, quos abbas & monachi sancti Ebrulfi habent, vel habituri sunt, in villis *de Molins*, & *de Bomnolins*, & in tota ballia *de Molins*, liberi sint & quieti ab omnibus consuetudinibus, & teloneis, talliis & auxiliis, carragiis, muragiis, fossis, avenagiis & guardis, & omnibus aliis terrenis districtionibus ad me & ad dominos *de Molins* & *de Bomnolins* & homines suos pertinentibus. Volo etiam & firmiter præcipio ut dicti abbas & monachi in eisdem hominibus & in omnibus terris suis in eadem ballia habeant quidquid in eis ego & domini *de Molins* habebamus in omnibus rebus & exitibus & obventionibus, exceptis placitis de Spata. In parochia *de Planteit* quasdam decimas & terras, & unum pratum. In parochia *de Villers* prope Balchench. quasdam decimas. In foresta de Conch. quitanciam ad centum porcos conventus sancti Ebrulfi, & ad omnes porcos manerii sui de Garnenvilla de omni pasnagio, quam ipsis donavit in præsentia mea Rad. de Toënecio; & in forestis de Scopis, de Blavio, de Persegnia, & de Bursa, & de Almanesch. & *de Cofer*, & *de Mont-Gomeri* quittantiam totius pasnagii ad omnes porcos sancti Ebrulfi, & manerii sui de Alta-ripa, & calfagium, & herbagium monachis & aliis hominibus in prædicto manerio residentibus, & quitantias in prædictis forestis, & consuetudines omnibus hominibus suis de sancto Martino, & parochia ejus, tales quales in eis habent burgenses de Alta-ripa, & sexaginta solidos ad luminaria sancti Ebrulfi in feria *de Alenchon* in Quadragesima percipiendos, & quittantiam passagii, & telonei, & totius consuetudinis de omni victu & vestitu monachorum sancti Ebrulfi, & de omnibus rebus quas affidari poterunt esse proprias eorum, vel famulorum suorum, qui proprio eorum pane vivunt, per totam terram Willelmi comitis

A Pontivii, quas eis in præsentia mea donavit. Decimam quoque duorum molendinorum de Genevria de donis dominorum ejusdem villæ, & totam ecclesiam de Neaffa cum omnibus decimis, & terris, aliisque pertinentiis suis. Ecclesias quoque de sancta Eugenia & *de Mesdavi*, cum capella sanctæ Mariæ *de Tiron* cum omnibus pertinentiis earum de donis dominorum *de Mesdavi*. Hanc autem donationis & confirmationis meæ chartam, ego Henricus, Dei gratia rex Angliæ & dux Normanniæ, scribi feci, & sigillo meo muniri in generali colloquio meo, quod habui apud Rothomagum cum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus & baronibus, aliisque fidelibus meis Angliæ & Normanniæ, quod fuit anno Domini millesimo centesimo vigesimo octavo mense
B Novemb. & eam manibus Rothomagensis archiepisc. & episcoporum atque abbatum Normanniæ sub excommunicatione confirmandam tradidi, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium super hiis omnibus quæ hac præsenti charta mea, cum consensu donatorum & successorum suorum confirmavi, temere perturbare, aut ejus possessiones auferre; sed volo firmiterque præcipio ut supra scripta omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt & donata, usibus omnimodis profutura. Si quis vero in futurum hanc nostræ confirmationis paginam sciens eam infringere præsumserit, auctoritate Dei omnipotentis, & Rothomagensis archiepiscopi & suffraganeorum suorum se noverit excommunicatum. T. Goeffredo Rothomag.
C archiepiscopo & omnibus suffraganeis suis, Willelmo comite Pontivi, Nigello de Aubigneio, Roberto *de Grentemaisnil*, Roberto Geroiano de sancto Serenico, Patricio de Cahorcis, *Goel* de Jureio, Willelmo de Sacio, Willelmo *Bigot*, Galterio de Vernone, Roberto regis filio, & aliis multis.

IV.

Radulfus episcopus canonicis sancti Victoris Paris. restituit ecclesiam de Gaceio. Ex Sammarthanis.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Radulfus Dei gratia Lexoviensis episcopus, salutem in Domino. Justum est ut ea quæ inter ecclesiasticas personas canonice ge- Circiter 1190.
D runtur, nullius in posterum refragatione turbentur. Eapropter ad universitatis vestræ notitiam volumus pervenire, quod nos propter frequentem sedis apostolicæ admonitionem, tandem ad præceptum sanctissimi patris Cœlestini papæ, de assensu capituli nostri, canonicis S. Victoris Parisiensis ecclesiam de Gaceio cum omnibus pertinentiis suis restituimus integre de cætero & libere juxta tenorem authentici rescripti piæ recordationis decessoris nostri Arnulfi, salvo jure pontificali, possidendam. Volentes igitur quod a nobis solemniter gestum est, futuris temporibus permanere illibatum, hoc factum nostrum præsentium auctoritate, & sigilli nostri testimonio confirmavimus, teste Joanne Rotomagensi decano, Joanne decano & capitulo Lexoviensi, Ricardo
E Rotomagensi archidiacono, Jacobo nepote Cœlestini papæ, Guillelmo *de Verdun*, magistro Simone, & multis aliis.

V.

Donatio facta Domui-Dei Lexoviensi. Ex MSS. Lexov.

Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Jordanus Dei gratia Lexoviensis episcopus, salutem in Domino. Quoniam pium est & honestum, pauperum necessitatibus subvenire, de bonis nobis a Deo collatis, concessimus domui pauperum Lexoviensi, ut ipsi habeant in nemoribus Lexoviensis episcopi, unum asinum, qui 1218.

semper afferat ligna in usus pauperum convertenda, & asinarius eorum capiat boscum mortuum, & arbores quas siccas invenerit, & branchias arborum viventium, sed fagos & quercus adhuc virentes & stantes non erit ei licitum prostrare, nec modo aliquo laniare. Concessimus etiam ut ista domus & pauperes ibidem sub protectione Dei degentes, tredecim præbendulas quas tredecim pauperes præbendarii quibus assignabantur, habere solebant, de bonis Lexoviensis episcopi habeant & teneant ad suam sustentationem, in usus proprios convertendas: & ad majorem hujusce rei evidentiam, bona præbendularum prædictarum duximus exprimenda; videlicet unaquaque hebdomada tredecim boissellos grossi bladi de granario episcopi, & tredecim denarios in præpositura; & in Quadragesima tredecim bonos boissellos piscium, & tredecim summas lignorum, per asinos episcoporum eis adductos, & hoc bis in hieme. Debent etiam habere vinum, milliare bonorum halectorum, & tredecim paria sotularium in die Absolutionis, & unum arietem in die Ascensionis, & potum ad festum sancti Martini in hieme, & conredium vel quatuor denarios unicuique assignatos ad Natale Domini & ad Pascha, & in festo sanctorum apostolorum Petri & Pauli: debent etiam habere tredecim tunicas in feria Prati Lexoviensis, quamlibet tunicam trium ulnarum, & unius quarterii. Volentes igitur ut hoc totum dictæ domui & pauperibus, futuris temporibus firmiter asservetur, omnia supradicta, sicut in præsenti pagina sunt expressa, præsentis chartæ & sigilli nostri testimonio confirmamus, anno Domini 1218, mense Junio.

V I.

Johannes de Samesio è Redonensi ad sedem Lexoviensem transfertur.

1299. BONIFACIUS, &c. venerabili fratri Joanni episc. Lexov. Apostolatus officium nobis quamquam immeritis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi adjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimur ac vigiles, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant, non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, ac eis commissas ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant duce Domino gubernare. Sane dudum Lexoviensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ G. episcopi Lexoviensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiæ, pro futuri episcopi substitutione, die ad hoc præfixa, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt & oportuerunt commode interesse, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium Henricum de Tilleio, eorum concanonicum, in minoribus ordinibus constitutum, in Lexoviensem episcopum concorditer postularunt, ac nobis decretum postulationis hujusmodi præsentantes petierunt, ut illum admittere de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem deliberatione super his cum fratribus nostris habita diligenti, postulationem ipsam ex certis causis non duximus admittendam. Deinde vero de ipsius Lexoviensis ecclesiæ provisione salubri ac celeri, ne diu vacationis incommodis remaneret exposita, cogitantes ac volentes eidem talem pastorem præficere, cujus studio atque cura posset utiliter gubernari; ad te tunc Rhedonensem episcopum, cui literarum scientia, morum honestas, vitæ munditia & experientia pastoralis officii, quod laudabiliter gessisse dignosceris, suffragantur, convertimus aciem mentis, teque de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, a vinculo quo tenebaris prædictæ Rhedonensi ecclesiæ absolventes,

A ad præfatam ecclesiam Lexoviensem transferimus, præficientes te eidem Lexoviensi ecclesiæ in episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus committendo, liberam tibi dantes licentiam ad ipsius Lexoviensis ecclesiæ, &c. confisi quod per tuæ circumspectionis industriam & providentiam circumspectam gratia tibi suffragante divina, prospere dirigetur, & gratis auctore Deo proficiet incrementis. Jugum itaque Domini reverentia prompta suscipiens, & suavi ejus oneri sub humilitatis spiritu colla submittens, sic curam & administrationem ipsius Lexovienf. ecclesiæ, in spiritualibus & temporalibus, prudenter & utiliter exequaris, quod grex tuæ circumspectioni creditus, in te salutis ministrum reperisse gaudeat, B & optatis commodis valeat augmentari, tuque velut pastor sollicitudine pervigili ecclesiam ipsam gubernasse fructuoso regimine comproberis, ac exinde cœlestis regni gloriam & apostolicæ sedis gratiam uberius merearis. Datum Laterani, III nonas Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

V I I.

Tutelare diploma Philippi V regis, pro ecclesia Lexoviensi.

PHILIPPUS, Dei gratia Franciæ & Navarræ rex. 1319.
Notum facimus universis tam præsentibus quam futuris, quod cum prædecessores nostri reges Franciæ in concessionibus & donationibus seu assisiis C comitatuum seu terrarum quarumcumque fratribus ipsorum, seu quibusvis personis aliis factis ab eisdem, omnes ecclesias cathedrales, feoda, retrofeoda, homines, ipsarum libertates, franchisias, usagia & alia omnia jura ad ipsas ecclesias & prælatos earumdem ratione dictarum ecclesiarum quomodolibet spectantia, sibi & coronæ Franciæ integre retinuerint temporibus retroactis; nos dictorum prædecessorum nostrorum vestigia sequi volentes, in his potissime quæ ad Dei laudem & ecclesiarum libertatem cedere dignoscuntur, Lexoviensem ecclesiam, & prælatum ipsius qui nunc est & qui pro tempore fuerit, feoda, retrofeoda, franchisias, libertates & usagia, ubicunque extiterint, ac homines ipsorum ratione dictæ ecclesiæ, nobis & successoribus nostris Franciæ re- D gibus, ac coronæ ipsius regni specialiter & expresse, ac ex certa scientia retinemus, nolentes quoquomodo quod aliquæ concessiones aut donationes comitatuum, aut assisiæ terrarum quibuscumque personis factæ seu in posterum faciendæ, ad dictam ecclesiam, feoda, retrofeoda, libertates, usagia, ac hominum ipsius ecclesiæ aliquatenus se extendant; immo volumus ipsam ecclesiam, libertates & omnia jura ipsius, & homines, ut est dictum, nobis & successoribus nostris regibus Franciæ, & coronæ ipsius regni ac protectionis nostræ integre remanere: quod ut ratum & stabile perpetuo perseveret, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum in abbatia regali B. M. juxta Pontisaram, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, mense Maii.

E V I I I.

Donatio facta sancto Ebrulfo. *Ex chartulario.*

CAROLUS, Dei gratia Francorum rex. Notum 1364.
facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod cum dilecta & fidelis nostra Johanna *Bacon* domina de Villaribus in Boscagio, considerans quod religiosi abbas & conventus monasterii S. Ebrulfi in diœcesi Lexoviensi, ordinis sancti Benedicti, ac ecclesia & monasterium ipsorum, ad quos ipsa semper habuit & habet devotionem & affectionem, & in quo monasterio ipsa Johanna suam elegit sepulturam, sunt taliter oppressi & dampnificati ob

factum guerrarum & inimicorum nostrorum, qui longo tempore fuerunt & adhuc sunt in illis partibus, quod oportuit ipsos domum, ecclesiam ac monasterium suum prædictum omnino dimittere, & se ad refugium trahere in villa Cadomensi, eisdem religiosis, ut ipsi tres missas qualibet hebdomada in dicto monasterio perpetuis temporibus celebrare teneantur pro animæ suæ, parentumque & benefactorum suorum remedio & salute, ac in eleemosynam & subsidium refectionis monasterii prædicti & plurimorum maneriorum ad illud monasterium pertinentium, quæ occasione guerrarum prædictarum per dictos inimicos nostros fuerunt destructa & combusta, donaverit & concesserit certa hereditagia seu redditus, quos ipsa habebat apud sanctam crucem de Grantonna in dominio seu feodo de Villaribus, in bailliagio Cadomensi, quod feodum tenetur ab episcopo & capitulo Bajocensi, ipsique episcopus & capitulum donationi hujusmodi suum præbuerint assensum, prout per litteras suas plenius dicitur apparere, dum tamen nostram gratiam eisdem religiosis super hoc concedere dignaremur, nos attentis præmissis ac laudabili proposito dictæ Johannæ, & ut etiam nos, prædecessores & successores nostri orationum & divinorum serviciorum quæ exinde per dictos religiosos celebrabuntur, perpetuo participes existamus, eisdem religiosis ex nostra certa scientia auctoritateque regia & gratia speciali concessimus & concedimus per præsentes, ut prædicta hereditagia seu redditus quæ tempore bonæ pacis & ante tempus præsentium guerrarum valere solebant centum libras annui redditus, licet quartam partem hiis diebus ut dicitur non valeant ob factum prædictum, ipsi religiosi, prout in litteris doni hujus exprimitur, possint & valeant percipere, retinere, habere & perpetuo possidere tanquam res suas proprias ecclesiasticas & admortizatas, absque eo quod ad ponendum ipsa aut eorum aliqua extra manum suam, aut ad solvendum propter hoc nobis vel successoribus nostris nunc vel in futurum, aliqualem financiam quæcumque fuerit, seu ad quamcumque summam ascendat, a quoquam cogi valeant vel astringi, quam quidem financiam cujuscumque valoris existat, ex nostra ampliori gratia remittimus eisdem perpetuo & quittamus, donationi prædictæ in quantum tangit jus nostrum ratione ducatus Normanniæ nostrum præbendo assensum. Dantes tenore præsentium in mandatis dilectis & fidelibus gentibus compotorum nostrorum Parisiensium ac baillivo Cadomensi, ceterisque justitiariis & officiariis nostris, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, vel eorum loca tenent, & cuilibet eorumdem prout ad eum pertinuerit, quod præfatos religiosos nostra præsenti gratia uti & gaudere faciant & permittant pacifice & quiete, nec ipsos contra tenorem hujusmodi nostræ gratiæ inquietent quomodolibet aut molestent, non obstantibus quibuscumque ordinationibus, mandatis & defensionibus ad hoc contrariis. Quod ut firmum & stabile perpetuo perseveret, nostrum præsentibus litteris fecimus apponi sigillum, salvo in aliis jure nostro & in omnibus quolibet alieno. Datum apud Savigniacum templi, anno Domini millesimo CCC° sexagesimo quarto, mense Augusto.

IX.

Ex MSS. Lex. *Reliquiæ S. Petri concessæ ecclesiæ Lexoviensi.*

1391. JOHANNES, regis Francorum filius, dux Bituricensis & Alverniæ, comes Pictaviensis & Alverniæ, dilectis nostris decano & capitulo ecclesiæ Lexoviensis, salutem in eo qui est omnium vera salus. Propter magnam devotionem quam semper habuimus & habemus ad beatum Petrum apostolorum principem, appetivimus & appetimus ut quod os maxillæ seu mentonis ipsius apostoli, extractum A de sacro reliquiario domini nostri papæ, & per ipsum dominum nostrum papam, videlicet sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum metuendissimum dominum Clementem divina providentia papam VII nobis benigniter elargitum, daremus & concederemus alicui ecclesiæ nomine dicti beati Petri apostoli dedicatæ, & populus qui ibidem affluere consuevit, informatus de existentia dicti ossis in ipsa ecclesia libentius conveniret; ex his fidelium devotio forsan augeretur. Nos igitur attendentes quod dicta vestra ecclesia est in honorem dicti apostoli dedicata, & quia nihil, ut dicitur, in ipsa ecclesia habetis de reliquiis dicti sancti, necnon ad humilem supplicationem dilecti capellani nostri domini Nicolai de Duino canonici dictæ ecclesiæ B vestræ Lexoviensis ac archidiaconi Algiæ in eadem ecclesia, præfatum os repositum in quodam vase seu jocali aureo, certis lapidibus pretiosis munito & ornato ecclesiæ vestræ præfatæ damus & concedimus tenore præsentium litterarum, ipsumque vobis & vestræ ecclesiæ per dictum capellanum nostrum duximus præsentaliter una cum præsentibus literis admittendum, vos pio rogantes affectu quatenus dictum os seu jocale inter alias dictæ ecclesiæ reliquias ponere velitis, & facere devotissime conservari, pro nobisque in vestris orationibus apud Deum & dictum beatum apostolum effundere pias preces. In cujus rei testimonium & perpetuam rei memoriam, nostras præsentes literas nostri fecimus sigilli appositione muniri. Datum Turonis, anno Domini C millesimo trecentesimo nonagesimo primo, mense Januario.

X.

Confirmatio privilegiorum episcopi Lexoviensis.

CHARLES, par la grace de Dieu, roy de France: sçavoir faisons à tous presens & à venir, nous avoir reçu l'humble supplication de notre amé & feal conseiller E'tienne evêque & comte de Lisieux, contenant que par ci-devant par plusieurs de nos predécesseurs roys de France ont été donnez & octroyez à ses prédécesseurs evêques & comtes de Lisieux, tant par la composition faite à la reduction d'icelle ville de D Lisieux en l'obeissance de feu notre ayeul le roy Charles que Dieu absolve, que autrement, plusieurs beaux privileges, droits, prerogatives & preeminences, desquels lesdits predécesseurs d'icelui notredit conseiller ont toûjours joui successivement; toutesvoyes il doute que s'ils n'etoient par nous confermez, on lui voulsist sy après mettre ou donner aucun empêchement en la jouissance d'iceux, & a cette cause nous a humblement supplié & requis notre grace & liberalité lui être sur ce elargie. Pourquoi nous ce consideré, voulant entretenir & garder à notre povoir les privileges, droits & prerogatives des eglises dont nous sommes protecteurs & gardes, inclinant à la supplication & requête de notredit conseiller, pour ces causes & autres à ce nous mouvant, tous & un chacun lesdits privileges, droits, E & prérogatives, & prééminences ainsi donnés & octroyez par nosdits predécesseurs à ceux de notredit conseiller, avons agrée, confermez & approuvez, agréons, confermons, & approuvons de grace especial, pleine puissance & autorité royal par ces présentes, pour en jouir par icelui notre conseiller & ses successeurs evêques paisiblement, ainsi que lui & sesdits predécesseurs en ont par cy-devant duement de toute ancienneté joy & uzé. Si donnons en mandement, &c. Donné à Rouen au mois de Novembre, l'an de grace mil quatre cents quatre vingt & sept, & de notre regne le cinquieme, &c. 1487.

XI.

Fundatio obitus Thomæ Basin, *olim episcopi Lexov.*

1491. ANNO Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, die sabbati post *Jubilate*, venerabilis vir magister Jacobus *Cirurgien* presbyter, procurator & nomine procuratorio Nicolai *Basin* senioris, & Nicolai *Basin* junioris, heredum & executorum defuncti reverendissimi in Christo patris & domini domini Thomæ miseratione divina Cæsariensis archiepiscopi, & olim Lexoviensis episcopi, recognovit & confessus fuit quod super pecuniis episcopatus Lexoviensis venerabilis & discretus vir magister Oliverius *de Nocy* canonicus Lexoviensis, & sigillifer reverendi in Christo patris & domini domini Stephani *Blosset*, miseratione divina Lexoviensis episcopi, solvit & numeravit venerabilibus & circumspectis viris dominis dominis de capitulo ecclesiæ Lexoviensis summam sexcentarum librarum Turonensium per defunctum ipsum dominum Cæsariensem archiepiscopum, ut dicebat, legatam ad fundandum suum obitum in dicta ecclesia, juxta quod dicebat declarari in testamento prædicti defuncti, ex una: decem librarum pro celebratione obitus pro anima defuncti hodie facienda in dicta ecclesia, ex alia; & centum solidorum Jacobitis Lexoviens. traditorum partibus ex alia, in deductione summæ octo centum septuaginta sex librarum quam ipse procurator dicebat esse debitam pro termino Nativitatis Domini ultimo fluxi, ad causam pensionis auctoritate apostolica constitutæ, quam defunctus ipse percipiebat super fructibus dicti episcopatus Lexoviensis; & pro aliis ducentum sexaginta libris adhuc debitis, voluit & declaravit solutionem fieri Thomæ *Basin* præsenti, qui de illis ducentum sexaginta libris insolutis accepit per venerabiles viros magistros Robertum *Tiesse* officialem, dictum *de Nocy* sigilliferum, & Johannem *Poillevilain* promotorem domini Lexoviensis episcopi, & canonicos Lexovienses tunc præsentes qui prædictam summam super fructibus dicti episcopatus Lexoviensis, eidem *Basin* intra festum sancti Ursini proximum solvere promiserunt, & eo medio dictus *Cirurgien* procurator & nomine procuratorio, ipsum dominum episcopum, dictosque suos officiarios & omnes alios quittavit & quittos tenuit de prædictis sexcentum sexdecim libris ex una, & ducentis sexaginta libris partibus ex alia, promittens prout promisit idem procurator eos garantizare erga omnes de præmissis, seque submisit quod infra festum Purificationis B. Mariæ virginis, faciet apparere de testamento prædicti defuncti, vel copia debite autentiqua, & quod ipse defunctus decessit post festum Nativitatis ultimum, sic & adeo quod merito percepturus esset per se vel suos executores prædictos pensionem pro illo termino: alioquin ubi comperiretur ipsum defunctum ante illum terminum decessisse, & prædictam pensionem pro illo termino percipere non debuisse, promisit illas pecunias sic solutas restituere, & de præmissis adimplendis fidejussores dare, qui se debitores obligabunt prout die hesterna fuit promissum & accordatum inter ipsos obligatos, &c. præsentibus in ecclesia Lexoviensi domino & magistro Michaele *Basin* canonico Lexoviensi, Nicolao *Barbe* & Nicolao de Vico testibus, cum aliis signatis. J. *Barré.*

XII.

Bulla electionis Johannis le Hennuyer *episcopi.*

1560. PIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Johanni *le Hennuyer* electo Lexoviensi, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolatus officium meritis licet imparibus nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini divina

A dispositione præsidemus, utiliter exequi coadjuvante domino cupientes, solliciti corde reddimur & solertes, ut cum de ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui populum suæ curæ creditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, salubriter regere & feliciter gubernare. Sane ecclesia Lexoviensi, cui bonæ memoriæ Jacobus tituli S. Susannæ presbyter cardinalis *d'Annebault* nuncupatus ex dispensatione apostolica dum viveret præsidebat, per obitum ejusdem Jacobi cardinalis, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi B fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem ecclesiæ celerem & felicem, ne ecclesia ipsa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te presbyterum Laudunensis diœcesis, magistrum in Theologia, ad gradum magisterii in eadem Theologia juxta infra scripta concordata promotum, & alias juxta illa qualificatum, necnon charissimi in Christo filii nostri Francisci Francorum regis christianissimi ex indulto apostolico consiliarium & eleemosynarium primum nuncupatum, quem idem Franciscus rex vigore concordatorum dudum inter claræ memoriæ Franciscum eorumdem C Francorum regem & sedem apostolicam super nominatione personarum certis inibi expressis modis qualificatarum, ad ecclesias regni Franciæ & certorum aliorum tunc expressorum eidem regi subjectorum locorum privilegio eligendi non suffultas, pro tempore vacantes, promovendarum per regem Franciæ pro tempore existentem facienda initorum, & postmodum ad ecclesias privilegium eligendi habentes, quamdiu primo dictus Franciscus rex vitam duxerit in humanis, apostolica auctoritate extensorum, nobis ad hoc per suas literas nominavit, & cui apud nos de vitæ munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, eidem ecclesiæ D sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam cessionem dicti Jacobi cardinalis, vel cujusvis alterius de illius regimine & administratione in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico & testibus sponte factam, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta concilii, aut alias canonicas sanctiones ad sedem prædictam legitime devoluta existat, & illa ex quavis causa ad sedem eandem specialiter vel generaliter pertineat, ac super eisdem regimine & administratione inter aliquos lis, aut super illorum possessorio, vel quasi molestia cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, de persona tua nobis & eisdem fratribus ob tuorum exigentiam meritorum E accepta, de eorumdem fratrum consilio dicta auctoritate providemus, teque illi in episcopum præficimus & pastorem; curam & administrationem ipsius ecclesiæ, super cujus mensæ episcopalis fructibus, redditibus & proventibus pensio annua trium millium librarum Turonensium dudum dilecto filio nostro Hieronymo sanctorum Cosmæ & Damiani diacono cardinali Simoncello nuncupato, illam ex dispensatione apostolica annuatim percipiendi quam salvam & illæsam permanere volumus, dicta auctoritate reservata existit, tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papæ octavi, prædecessoris nostri, & aliis apostolicis constitutionibus ac dictæ ecclesiæ

juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, prædicta ecclesia sub tuo felici regimine regetur utiliter & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, curam & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicite, fideliter & prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium nostram & ejusdem sedis benedictionem & gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, quarto calendas Februarii, pontificatus nostri anno primo.

INSTRUMENTA ECCLESIÆ CONSTANTIENSIS.

I.

Ex libro nigro ejusd. eccl.

De statu hujus ecclesiæ ab anno 836 ad 1093.

PRIMA Normannorum gravissima persecutione, nequissimi scilicet & sacrilegi Halstini suorumque Dacorum sæviente amplius quam triginta annis, id est ab anno Dominicæ Incarnationis DCCCXXXVI, secunda quoque Rollonis illustrissimi Normannorum ducis ebulliente ejusdem sacrosanctæ Incarnationis anno DCCCLXXV, indictione VIII, Vualgria, Frisia, Flandria, Burgundia, Britannia & tota Neustria, quæ nunc dicitur Normannia, partimque Francia inenarrabiliter desolatis, plurimæ captæ & concrematæ sunt urbes, oppida diruta, destructæ ecclesiæ, prædia sanctorum & ecclesiastica jura & privilegia direpta, clerus & incola populus gladiis aufugit annullatus, Sanctorum reliquiæ & corpora latibulis abscondita, vel fuga per diversas provincias exportata. His itaque miseriis ingruentibus, sancta Constantiensis ecclesia, quæ præterito jam multo tempore floruerat, jamque sub 33 episcopis Deo fideliter militaverat, funditus evertitur, clero & populo, prædiis simul & privilegiis privatur, reliquiis & Sanctorum corporibus viduatur, continuisque 74 annis, ut legitur in chronicis, fœditate idololatriæ & paganis furibus conculcatur. Tanto vero desolationis hujus decurrente spatio, multi qui reliquias & corpora Sanctorum detulerant, in exilio tam longo defuncti sunt, & ob hoc per diversa terrarum spatia corpora Sanctorum multa defunctis custodibus remanserunt. Rollone autem potentissimo duce sacræ fidei & secundæ regenerationis fonte renato in anno DCCCCXI, indictione XIV, & post biennium cum Carolo rege pacificato, corpora sanctorum episcoporum Constantiensium, Laudi atque Rumpharii, quæ exportata fuerant, Rotomagum sunt delata, atque in ecclesia S. Salvatoris concessu Rollonis recepta. Igitur Rollo, qui & Robertus nomine sacri baptismatis, dedit eamdem ecclesiam, in qua sunt prædictorum Sanctorum corpora suscepta, beato Laudo, necnon & domino Theoderico, qui tunc temporis Constantiensis episcopus erat, & omnibus successoribus ejus jure perenni, terram quoque juxta prædictam ecclesiam, ubi maneret episcopus & clerici sui qui ecclesiæ servirent. Quia ergo Constantiensis pagus Christicolis vacuus erat & paganismo vacabat, prædictus Constantiensis episcopus beato Laudo & ipsius ecclesiæ Rotomagi serviebat, ibique sicut in sede propria sedebat. Ipsa quoque ecclesia quæ transacto longo tempore vocata fuerat S. Salvatoris, ob honorem & merita sancti & gloriosi hospitis nominatur & est sancti Laudi. Reviviscente vero gratia Dei religione christiana Constantiis & ejusdem circumquaque finibus, ex deliberatione & temporis & rei necessitate veniebat huc sæpe dictus præsul, dispositisque ecclesiasticis propriisque negotiis Rotomagum reversus, ibi velut in sede propria morabatur, scilicet episcopale officium agens libere in ecclesia sancti Laudi sicut in Constantiensi. Hæc igitur est vera & certa ratio qua nunc usque Constantiensis præsul nominatur episcopus de S. Laudo. Sederunt itaque ibi præcipue quam Constantiis quinque episcopi, prædictus videlicet Theodericus, Herbertus, Algerundus, Gilbertus & Hugo. Post hos quoque Herbertus uno tantum anno, & Robertus qui fuerat episcopus Lexovii, sederunt apud sanctum Laudum supra Viram fluvium. Evoluto autem toto tempore ducaminis invictissimi Rollonis, sed & filii ejus Willelmi marchionis, pariter & ducis, & ut legitur, Christi martyris, Richardus hujus Willelmi filius, marchio famosissimus, dux bellicosus, inexpugnabilis, imperterritus, fide tam pius quam catholicus sanctam Constantiensem ecclesiam largius quam ceteri sublimare decrevit; canonicos namque instituit, & terras & redditus unde viverent dedit & confirmavit. Verum mundi labentis casibus more solito nunc desursum & nunc deorsum gyrantibus, præscriptus episcopus Hugo septem canonicos de his qui Constant. ecclesiæ deputandi erant, ad sæpedictam ecclesiam S. Laudi ubi Rotomagi morabatur, transtulit. Defuncto autem Hugone episcopo, episcopatum Herbertus accepit. Hic quosdam canonicorum qui sibi minus urbani, minusque faceti videbantur, ab ecclesia Constantiensi radicitus tanquam illiteratos & inutiles extrudit, eorumque terras & possessiones non modicas, donec eruditiores & aptiores restitueret, in dominio suo retinuit. Sed anno sequenti Herbertus idem Lexovium translatus est. In diebus illis Blainvilla, & Cruciatum, & terra de Sola cum silva non modica fuerant præbendæ canonicorum, quod etiam chartula Richardi marchionis & Hugonis episcopi testatur usque hodie. Verum Robertus episcopus qui Herberto successit & episcopus fuerat Lexoviensis, non solum præbendas dictorum canonicorum servitio ecclesiæ non reddidit, verum etiam hæc & alia in feodum & hereditatem nepotibus, & consanguineis, & sororibus suis non large sed prodige distribuit. Hujus tamen temporibus incœpta & ex parte constructa est Constantiensis ecclesia, fundante & coadjuvante Gonorra comitissa, auxiliantibus etiam canonicis, reditibus medietatis altaris ad tempus operi concessis, cooperantibus quoque baronibus & parochianis fidelibus, quod usque hodie contestantur aliquot ipsorum nomina insculpta lapidibus in ecclesiæ arcubus. In his pro certo diebus eadem rudis erat, & inculta, & imbecillis ecclesia, quinque tantum canonicorum personis contenta, bibliothecis ceterisque authenticis & canonicalibus libris & ornamentis pene penitus destituta. Miserator autem & misericors Dominus, patiens & multum misericors, hujus sanctæ pauperis ecclesiæ tandem misertus, quia venerat tempus miserendi ejus, ut suscitaret a terra inopem, & de stercore erigeret pauperem, ut sederet cum principibus & solium gloriæ teneret, gratia suæ liberalitatis cœpit eam multimodarum virtutum illustrare signis & miraculis, & corroborare caritate principum & regimine Gausfridi præsulis.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis M. XLVIII, duodecim tantum diebus ipsius anni restantibus, id est IV idus Aprilis, indictione II, venerandus Gausfridus post Robertum Constantiensis episcopus Rotomagi consecratur, nobilium baronum prosapia

ortus, statura procerus, vultu decorus, prudentia consilioque providus, quanquam sæpissime curialibus negotiis regiisque obsecundationibus irretitus, tamen ad ædificationem & incrementum ecclesiæ suæ omni nisu & voluntate per noctem erat & per diem, qui ut eamdem ecclesiam celebrem gloriosamque restitueret, in Apuliam & Calabriam adire Robertum cognomine Guischardum parochianum suum, aliosque barones consanguineos suos, & alumnos, & notos peregre profectus, multum in auro, & argento, & gemmis, & palliis variisque diviriarum donariis acquisivit, tresque asportavit phialas plenas puro opobalsamo, aliaque pretiosissima quibus postea præfatam ecclesiam intus & extus locupletavit, majoremque crucifixum largis sumtibus & tempore longo construxit. Cum autem non haberet in civitate, sive in suburbio tantum possessionis ecclesiæ, ubi maneret episcopus, vel proprius equus ejus posset stabulari, sed neque propriam domum, nisi quoddam appendicium humile, quod pendebat de parietibus ecclesiæ, ipse prudentia sua & probitate valentiorem medietatem civitatis, suburbii, & telonei, & vectigalis, cum molendinis & multa Grimoldi viaca a Guillelmo invictissimo duce Normannorum, postea quoque glorioso rege Anglorum trecentis libris comparavit & acquietavit. Postea vero episcopalem aulam & reliquas officinas construxit, virgultum & vineam non modicam plantavit, capitium navis ecclesiæ cum area, & hinc inde duo majora capitia nobiliora & ampliora construxit. Duas turres posteriores a fundamentis, tertiamque supra chorum opere spectabili sublimavit, in quibus classicum consonans & pretiosum imposuit, & hæc omnia plumbo cooperuit. Fecit præterea Constantiis duo stagna cum molendinis; terram parci contra comitem Moritoniensem ex parte expugnavit, ipsumque parcum duplici fossato vallavit & palatio circumsepsit, intusque glandes seminavit, quercus & fagos, ceterumque nemus studiose coluit, cervisque Angligenis replevit. Aliud quoque nemus quod est in parochia S. Ebremundi industria summa censuque proprio redemit, ibique parcum opulentissimum cervis & apris, tauris & vaccis & equis constituit. Item Blainvillam de vadimonio acquietavit, molendinum quoque ejus quod est apud Holmetellum a Maugero fratre suo in dominio ecclesiæ comparavit: burgum vero sancti Laudi qui est supra Viram fluvium adeo viriliter incrementavit ut teloneum quod erat 15 librarum, fieret 220 librarum, ibique stagnum cum molendino & lapideum pontem supra Viram condidit. In pago Bajocensi terram quæ dicitur *Uncei* in dominio & hereditate ecclesiæ a sorore sua & a fratribus comparavit; similiter terram *de Crapolt* & ecclesiam sancti Ægidii a dominatione monachorum liberavit. Præterea ecclesiam Cæsaris-burgi, & Torlevillæ, & Esquedrevillæ, & Barbi fluvii, & quidquid habet ecclesia Constantiensis in insulis videlicet Gersei, Granasei, *Serf* & Atreno, dono præfati ducis Willelmi, servitio censuque suo acquisivit, apud Linigrivillam terram aucupum, & de forestis totius Constantini, & de Passeis qui sunt de dominio Normannorum ducis, omnem decimam totius venationis, & in Valloniis terram ubi domum optimam, & virgultum, & capellam construxit. Ceterum ornamenta ecclesiastica & utencilia, calices, cruces, capsas, phylacteria, candelabra, thuribula, bacinos, ficulam & ampullas aurea contulit & argentea, casulas quoque, dalmaticas, tunicas, planetas, albas, cappas mirifici operis, necnon dorsalia serica & lanea, cortinas & tapeta, sed & bibliothecas, passionales, omeliares, missales aureis litteris duos sufficientesque & competentes libros subrogavit: super hæc omnia pretiosum famosumque clerum, quo nihil pretiosius in ecclesia & utilius in officium & servitium divini cultus delegavit, septemque canonicos quos episcopus Hugo Rotomagi in ecclesia S. Laudi irregulariter constituerat, apostolica auctoritate ecclesiæ matri revocavit, itemque duos alios adjecit. Cantorem quoque, & succentorem, & rectorem scholarum, & custodes ecclesiæ, clericos quoque præbendarios, aurifabros, fabrumque ferrarium, carpentarios & magistrum cœmentarium in opus ecclesiæ constituit. O virum prudentem & domui suæ bene præsidentem, qui de vivis & electis lapidibus domum suam composuit, & mirabilibus columnis eam sustentavit!

His itaque omnibus universisque ecclesiasticis & episcopalibus rebus, Petrum camerarium prudentem virum, ecclesiasticum, magnanimum, benignum, rationabilem, prudentem, operosum, vicarium suum & ecclesiæ decanum in rectorem præposuit, & quidquid habuit ejus dominatui subjugavit. Hic igitur ubique psalter, aut in Normannia, aut in Apulia, vel in Anglia, educationi, & operibus, & procurationi rerum & legum invigilabat, omniaque quæ sibi videbantur congrua ecclesiæ & necessaria disponebat & emebat, cultumque ecclesiæ ac mores doctrina simul & præceptis magnifice informabat, clerumque subditum & eorum causas contra mundanos turbines non segniter procurabat. Venerabilis quidem & memorandus episcopus non, ut aliqui putant, de copiosa abundantia Anglicæ superfluitatis omnia hæc operabatur, quia cum pauper esset & episcopatus redditus essent imminuti, ut supra detegimus, ita ut in domo ejus secundo pane vescerentur famuli, illis tamen diebus insistebat ecclesiastico operi, terrasque præscriptas ex maxima parte ante bellum Anglicum acquisivit, celebremque dedicationem ecclesiæ magnis multisque sumtibus celebravit, præsente Guillelmo Normannorum duce, & archiepiscopo, & coepiscopis, & abbatibus, & principibus Normanniæ, & aliis quibusdam Britanniæ, anno Incarnationis Dominicæ M. LVI, indictione X. Cum autem post Anglicum bellum, quod actum est nono sequenti anno, id est ab Incarnatione Domini M. LXVI, in Anglia pluries moraretur, animus tamen & amor ad ædificationem ecclesiæ desudabat: illic ornamenta pretiosa, & brodaturas, & aurifrisas cum smaragdis & gemmis parabat. Redditus episcopi necessitatibus & operibus ecclesiæ, scilicet scriptoribus, vitrariis, cæmentariis, aurifabris & ceteris omnibus quibus opus erat, per manum præfati camerarii abundanter expendebat, & inde canonicis suis quandoque pretiosas vestes, & clericales pelliceas, & superpellicia delicata transmittebat, ceteris vero minoribus quibusdam aut similiter, aut de solidis suis dabat, pueros vero, juvenesque & adolescentes ecclesiæ ut pius pater interdum precibus & admonitionibus satagebat, & præmissis ad scholarum doctrinam & ecclesiæ frequentiam concitare minis & terroribus, ab omnibus segnitie & inhonestate revocare. Non tamen hæc omnibus faciebat aut quotidie, sed quibusdam & quandoque. Si cuilibet & eorum scriptum vel versus, vel thirotinum, vel aliquid utile videbat, congratulans ei sublimiter illud collaudabat. Ipse namque magistros scholarum, grammaticos & dialecticos, qui famæ celebrioris erant, ipse organistas largo sumtu Constantiis retinebat, largisque donationibus remunerabat. Si quis canonicorum moriebatur, non expectabat longo tempore, sed consilio reliquorum de ministris ecclesiæ servientibus restaurabat, cum irritum & iniquum judicaret eos qui a pueritia ecclesiæ servierant donativis ecclesiasticis privari & militiæ suæ fructum alienis immerito dari, multoque justius & utilius esse servitoribus meritum reddere, quam vernicis, vel gratiis, vel amore, vel prece, vel timore concedere, sed secundum decreta canonum unumquemque debere clericum habere in ecclesia cui servierit fructum militiæ suæ. Plures enim curialium multoties per se & potentes dominos suos eum rogaverunt ut eis in ecclesia Constantiensi præbendam

vel honorem præberet aliquem, quod ille statim prædicta objecta sententia se facturum negavit, adjungens etiam sententiam proverbii: *Qui in vinea Domini laborat, de fructu vineæ colligat, & manducet, & qui non laborat, non manducet.* Contestans etiam se magis appretiari paucos clericos suos vel milites suæ concordis in virtute quam plures alios diversæ doctrinæ; adeo quidem dominus iste piusque paterfamilias clerum suum diligebat, quod neminem ministrorum suorum alias ire inopiæ causa patiebatur, sed quibusdam victum & vestitum sufficienter dabat, alios quidem viventibus adhuc & postulantibus canonicis, ad titulum & servitium ecclesiæ applicabat, & clericalis .... canonici præbendam .... & regulam largiebatur. Deinde in fratrem & concanonicum ab omnibus canonicis & ab ipso episcopo in osculo sancto suscipiebatur, sicque ecclesiæ servitio & assiduitati mancipabatur. Eo si quidem die quo crucifixum quem magistrante Lamberto multo sumtu fecerat, festine levavit, dedit canonicis in commune quoddam manerium nomine Wiltrebornam 15 sterlingorum in Anglia, scilicet in *Dorster* situm, ea conditione firmata, ut qui ecclesia sine causa abesset, tunc si quid de eo veniret, non communicaret; quod etiam dereliquerat communicare ipso confirmante statutum est, si quis canonicorum sine licentia alias perrexerit vel præierit statutum minoratus fuerit. Glorioso autem rege Guillelmo in Christo fideliter Rotomagi defuncto, & in monasterio sancti Stephani quod ipse Cadomi construxerat, celebriter humato anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVIII, indictione XI, successit major filius ejus Robertus dux in Normannia, medius vero Guillelmus rex in Anglia, fuitque inter eos altercatio & guerra diebus plurimis in utraque terra. Ea igitur tempestate prædictus Robertus dedit minori fratri suo Henrico comiti omnem pagum Constantiensem simul & Abrincatensem, necnon & episcopatus nunc & usque. Cum ergo Abrincensis episcopus dominatum prædicti principis suscepisset, Gaufridus Constantiensis funditus abnuit, ecclesiamque Constantiensem, cujus erat minister in vita sua, neminem habere dominum, nisi quem Rotomagensis haberet ecclesia, verbo edixit & opere complevit, non quod aspernaretur, ut aiebat, dominum suum esse filium regis domini sui, sed ne in posterum dignitas ecclesiæ vilesceret hoc initio, seque temporalia quæque gratiosius amittere, quam dejectionem ecclesiæ in minimo subire. Quapropter ipsius domini, potentium quoque baronum & parochianorum longas inimicitias, bonorum suorum crebras deprædationes, domorum concremationes, parcorum suorum destructorias confractiones viriliter diuque sustinuit; sed magnimitate fidei, zeloque justitiæ subnixus, ecclesiam in recto statu & in dominio ducis Normanniæ ipsoque volente pendere reintegre conservavit. Nec mirum si prudens nauta fideliter pervenerit ad portum, qui neque ventis, neque fluctibus confractus, in illam præcelsam maris stellam quæ verum peperit solem totum suæ mentis infixerat oblectamentum. Quid de cetero ecclesiæ cultu referam! Quid de cera! solummodo in luminaribus & expensis ecclesiæ quidquid in diebus Pentecostes & toto anno altaribus offerebatur, & quidquid de S. Ægidio reddebatur, annuatim expendebatur. Præter hæc omnia prædictus camerarius solebat unoquoque anno in Purificatione S. Mariæ centum solidos & item ad Pascha centum solidos tribuere pro comparatione ceræ, præter illam & quam præsul expendebat in usus propriæ familiæ. Quid etiam de thure! singulis mensibus suscipiebat summus custos ecclesiæ, sex enim custodes erant clerici, plenam ..... thure; similiter in Nativitate Domini, Theophania, Pascha, Ascensione, Pentecoste & Assumtione S. Mariæ, totumque ut vidimus & fecimus, illud eligebatur in censum, & si quid corticis, vel resinæ, vel aliud quod bonum & candidum

A non esset, in censum .... totum tollebatur similiter.

Prædictus vero pater & pastor non solum procurationi & electioni cleri & ecclesiæ invigilabat, sed justitiæ & veritatis amator nec muneribus frangebatur, nec adulationibus alliciebatur. Carnem multis affligebat laboribus; tempore namque Quadragesimali, quocumque erat, sive ad curiam, sive in alia regni occupatione, quammultoties flebat (solebat) segniter irretiri, quotidieque in antedialibus matutinis & vigiliis defunctorum auditis, ipse missam totumque psalterium cum orationibus multis decantabat, pauperesque large reficiebat, exceptis præbendariis quos pascebat & vestiebat assidue per Normanniam & Angliam. Nam in sola Anglia 50 præbendarios alebat. His quoque diebus, tribus in hebdomada

B diebus abstinebat in pane & in aqua, tresque Quadragesimas in anno faciebat, quarta scilicet & sexta feria duarum & reliqui temporis feria sexta in pane & aqua, & crudis tantum herbis.

Appropinquante autem tempore glorificationis suæ, luctus & desolatio Constantiensis ecclesiæ evidentibus pronunciata fuit signis; anno namque Dominicæ Incarnationis M. XCI, indictione XV, IV nonas Novemb. cum esset idem præsul Constantiis in aula episcopali quam fecerat & plantaverat, terræ motus factus est & fulgura extiterunt nimia, ita ut gallum deauratum qui majoris ecclesiæ tunc ..... minutatim conscinderent ..... majorem nostram ab orientali ..... capitium ecclesiæ & .... minori conquassarent ..... singulatim quadratos lapides eradi-

C carent. Quidam vero canonicus senex & presbyter nomine Averedus sedebat tunc temporis in ecclesia in stallo qui suppellicio suo insulatus & cappa, ibique tunc percussus est, sed minime læsus: nam neque in vestimentis ejus aliquid exustionis vel læsuræ apparuit, Ipse vero sicut testatus est nobis, senserat quiddam quod frigidum post tergum suum in momento transisset, moxque in eodem dorsi loco quædam magna vesica scilicet nigra, lineisque quibusdam intermissa apparuit quam nos vidimus & alii multi. De arcubus vero fenestrarum turris majoris lapides magni vi tempestatis eruti, super aulam prædictam corruerunt, nimioque fragore terrorem & stuporem præsuli multisque qui aderant visa inæstimabili coruscatione & inoperabili audito simul toni-

D truo intulerunt. Recedente autem tempestatis nimietate, visisque confractionibus turris & materiarum, affuit qui diceret Petrum camerarium ex infirmitate gravi qua astringebatur moriturum: nam si hæc signa non essent, non hujusmodi fulgura in ecclesiam, sed nec infra civitatem, ut arbitrabantur, cecidissent, qui hoc amplius nunquam viderant, nec ab antecessoribus audierant: alii quidem altius conspicientes, ad invicem susurrabant, dicentes dejectionem supereminentis galli turrisque majoris conquassationem, depositionem ipsius præsulis prætendere & conquassationem cleri cui cognoscitur præesse. Ut ergo perventum est ad missam majorem quæ peracta intemperie statim subsecuta est, audito officio dicebant aliqui divino judicio factum esse quod acciderat. Officium in hunc modum canebatur: *Omnia quæ*

E *fecisti nobis, Domine, in tuo judicio fecisti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus; sed da gloriam nomini tuo & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ.* Et non multo post venerabilis idem præsul gravi febre correptus, sequenti quoque Augusto interno viscerum dolore constrictus est. In vigilia namque Assumtionis beatæ & gloriosæ Dei genitricis Mariæ in ejusdem ecclesia vesperas festine cantavit; quibus usque ad vesperas ipsius Purificationis tantum supervixit. Eadem namque nocte Assumtionis celeriter expeditus, ut Nigellum vicecomitem consanguineum suum defunctum sepeliret, summo mane ipsius festivitatis profectus est. Igitur die 15 qui est XVIII calendas Septemb. cum

quamdam ecclesiam ipso die dedicare deberet, cujus dedicationem ingruentibus causis bis inantea protelaverat, intestino lethiferoque morbo aggravatur, nec ulterius ipsam dedicationem differre voluit, nec ullo modo per se complere valuit, sed capellanum suum dedicationis missam decantare jussit, ipseque interim juxta aram resedit. Recessit itaque idem, & apud S. Laudum diebus aliquibus jacuit. Deinde Constantias ad ecclesiam dilectæ suæ dominæ deportari se fecit; ibi publicam confessionem peccaminum suorum faciens & satisfactionem pro posse suo, orationi, & pœnitentiæ, & eleemosynæ vacabat, & quotidie coram se quod per seipsum facere non poterat, per manum sui capellani tribus pauperibus pedes abluens, potumque sufficientissime præbens, unicuique sex nummos impendebat: rogabatque quotidie clericos & asseclas familiares suos ut diligenter scrutarentur & intelligerent, & ei confestim suggererent, si quem injuste offendisset, ut ab eo misericordiam flagitaret & satisfactione emendaret.

Cernens autem venerandæ memoriæ præsul mortem sibi imminere, & condolens casibus ecclesiæ, misit in Angliam, & vocavit ad se Brisinetum plumbarium, fecitque omnes discessiones ecclesiæ plumbari, turres & capitium reintegrari, & deauratum gallum quem prædictum fulgur destruxerat, studiose restaurari, majoremque superimponi. Ut ergo agnovit quia gallus fulgidus tutus esset & superimpositus loco suo, jussit se manibus ambabus ex brachiis in sellum suum erigi, sicque sedens in lecto Deoque gratias agens, oravit, & cum postmodum repausasset: Timebam, inquit, quod si meus obitus prævenisset, nunquam gallus ille vel illi consimilis illuc ulterius ascendisset. His itaque diebus prævidens vir præscius & prudens hodie malum & cras deterius sæpe contingere, mundumque jam in maligno positum esse, defensores & consolatores Constantiensis ecclesiæ benedixit, invasores vero & devastatores ejus anathemate perpetuæ maledictionis percussit, & sub chirographo contestans, hujusmodi scriptum sub sigillo confirmatum condidit:

Gaufridus, misericordia Dei, Constantiensis episcopus, omnibus sub christiana regeneratione degentibus, tam clericis quam laïcis, salutem, prosperitatem & pacem. Constantiensem ecclesiam quam hucusque licet indigne tenueram, tamen miserante Deo, populo meæ pravitatis augmentum & honorare studui, & extrema ..... eam amplius factis adjuvare nequeo verbis quantum tutari & defensare cupio. Quicumque igitur qui sub christiana professione vocatus, præfatam ecclesiam honorare, consolari & defensare voluerit, auctoritate Domini nostri Jesu Christi ejusque sanctissimæ genitricis, in apostolica nostraque confirmatione benedictus, ab eodem Domino nostro Jesu Christo omnium bonorum retributore mercedem recipiat in futuro, & anima ejus inter choros angelorum & archangelorum, apostolorum & martyrum, confessorum & virginum requiem possideat in paradiso. Quod si aliquis irreverens & contumeliosus, avaritiæ vel cupiditatis stimulis agitatus, eam de terris suis, sive legibus & consuetudinibus, sive ornamentis absque justa & necessaria eidem ecclesiæ ratione & clericorum assensione, minorari & decurtare præsumpserit, ab his omnibus suprascriptis ordinibus maledictus, & perpetuæ damnationis anathemate circumseptus, priusquam vita decedat, terribilissimi divini examinis judicio prosequente, omnibus in commune tanti sacrilegii violator appareat, & in perpetuum cum Juda traditore, & Herode, Pilato & Caipha, cunctisque sanctæ ecclesiæ adversariis ignem æternum possideat, semperque cum diabolo & angelis ejus crucietur, nec ullam in secula seculorum misericordiæ scintillam mereatur, nisi priusquam anima illa tenebrosa de corpore exuerit, resipuerit, & ad satisfactionem venerit. Fiat, amen.

Hoc itaque scriptum ipse legit & confirmavit, pluriesque coram se recitari fecit; necnon episcopi & abbates qui eum adhuc in corpore viventem visitaverunt, & qui postmodum ejus sepulturæ interfuerunt, id est, Odo Bajocensis episcopus, Michaël Abrincensis episcopus, Guillelmus Dunelmensis episcopus & Gilbertus abbas Cadomensis, Rogerus Exaquiensis & item Rogerus Montis-Burgensis, respondentibus omni clero & populo, amen. Sed quid de beato fine ipsius præsulis ostenderit Dominus, omnino silere non debemus.

Quinto siquidem die antequam venerabilis supradictus antistes de mundi hujus voragine solveretur, cuidam monacho monasterii sancti Vigoris Cerasiensis mystica, ut opinor, revelatione felix transitus ejus, & beatæ Mariæ angelorum reginæ occursus ita revelatus est. Cernebat namque prædictus monachus in visione sua quoddam miræ dignitatis & celsitudinis palatium, in quo regina quædam multo constipata agmine & famulitio præsidebat, & dum coram regina tanquam concilium celebrarent, adstitit nuncius, dicens: Domina, adest Gaufridus Constantiensis episcopus; namque primos palatii gradus appropinquat, & illa continuo surrexit & ei congratulabunda condescendens obviam venit. Quæ cum diligenter salutasset eum, fecit eum exui cappa magna, plumosa & lutuosa, similiter & ocreis quibus onerabatur, deinde manu propria arrepto mundissimo capitis sui peplo extersit quæ sub umbilicio gestabat vulnera, manuque præsulis dextera manu sua comprehensa per ascensus graduum duxit eum in palatium & secum considere fecit. Cum autem prædictus frater visionem hujusmodi confratribus retulisset, adfuit qui diceret, forsitan venerandus idem episcopus obiit, aut in proximo obiens, suscipietur ab angelorum regina cui devote servivit.

Gloriosus itaque pater præsul Gaufridus Constantiensem quam pauperem ac rudem susceperat ecclesiam locupletem & gloriosam feliciter rexit annis 45, sexaginta sex diebus minus, id est ab anno Dominicæ Incarnationis M. XLVIII, indict. II, usque ad annum M. XCIII, indictione I; IV nonas Februarii vespere feria quarta, luna prima in plena fide & confessione & pœnitentia, præsente & psallente clero & populo, vitam reliquit transitoriam, a Deo, sicut credimus percepturus æternam, qui sicut ipse fidelis servus & prudens beatæ Mariæ fuit, sic & ipse in ejus celebri Purificatione ab squalore carnis purificari vigiliis sacrisque ejus corpus conservari festivaque processione decorari promeruit. Ipsa namque die omnis clerus quem nutrierat, & alii multi qui ad obitus tanti patris famam convenerant, necnon & omnis populus qui eo die ad festivam processionem venerat, indutus sericis cappis ceterisque vestibus pretiosis quas vir Dei undequaque collegerat, cereosque non modicos ampliusque 140 deferentes in manibus, præter eos quos laicalis ordo virorum & mulierum ferebat, solennis diei peracta processione, circumsteterunt eximii patris dilectum corpus, sicque lugubres & mœsti pro ejus anima corporis & sanguinis Domini mysteria, precumque & oblationum vota Domino persolverunt. Sequente vero die qui est III nonas Februarii, episcopi & abbates præscripti una cum clero & populo, celebratis divinis mysteriis, omnibusque rite dispositis, sepelierunt eum honorifice in stillicidio ecclesiæ, sicut ipse præceperat vivens adhuc in corpore.

II.

Fundatio abbatiæ Exaquiensis.

QUoniam quæ videntur, temporalia sunt, quæ 1056.
autem non videntur æterna, ut de visibilibus ad invisibilia, de temporalibus ad æterna bona pervenirent, Ricardus qui vocatur Turstinus *Haldup* cum

cum Anna uxore sua, Eudoque filius eorum in honore summæ & individuæ Trinitatis & S. Mariæ virginis, ecclesiam fieri constituerunt Gaufridi consilio Constantiensis episcopi, Willelmique Normannorum principis permissione, in Constantiensi pago, in villa quæ dicitur sanctæ Opportunæ, in qua regulariter Deo servirent monachi qui alteri non subjicerentur abbatiæ, deditque illi ecclesiæ ad victum de rebus suis, filiusque ejus Eudo aliquantulum auxit post mortem patris. Quæ autem dederunt, hæc sunt: in villa quæ appellatur sanctæ Opportunæ in qua sita est eadem ecclesia, & in maisnillis quæ ad illam villam pertinebant, dederunt partem suam in ecclesiis, in silvis, in terris fructuosis & etiam infructuosis, in aquis, in molendinis, in piscationibus, in salinis; & in villa quæ vocatur Favilleris, dederunt partem quam ibi tenuit Adelais *de Balte*, silvam de Caiis, & terram laboriosam & inlaboriosam, & molendinum cum aquis & ea quæ ad supradictam silvam pertinebant, sicuti habebant; & illam partem quam habebant in Urinivilla, & in Angarivilla, & in aliis maisnillis quæ ad Urinivillam pertinebant, in silvis, in ecclesiis, in terris fructuosis & infructuosis, in pratis, in aquis, in piscationibus; & partem quam habebant in ecclesia sancti Georgii quæ sita est in Tummavilla cum rectis decimationibus, & cum aliis rebus quæ ad illam ecclesiam pertinebant, de lucris & de aliis exitibus de illo manere; & ad Longam famem terram ad unam carrucam & rectas decimationes de lucris & de omnibus suis exitibus; & ecclesiam de Cuneis *(Coigny)* cum rectis decimationibus, & aliis rebus quæ illi ecclesiæ pertinebant, & de omnibus exitibus de illo manere, & terram ad unam carrucam, & unum vavassorem, & hoc quod tenet in eadem villa, & in Boscivilla quæ est in plano; & in Appavilla, & in Osulfivilla & aliis maisnillis quæ ad Appavillam pertinebant, omnem partem quam ibi habebant in ecclesiis, in terris lucrosis & inlucrosis, & in silvis, & pratis, & aquis, & piscationibus, & duas dimidias piscarias in aqua vivia juxta Hulmum; & de ecclesia beati Georgii illam partem quam habebant cum omnibus consuetudinibus sibi pertinentibus; & ecclesiam de sancta Susanna cum consuetudinibus sibi pertinentibus; & de ecclesia beati Herblandi illam partem quam ibi habebant, & de foresta illorum de Balteis *(Bautois)* omnes alias ecclesias; & rectam decimationem intra parcum & extra illius forestæ, de pasnagiis, & de veieulo, & de venatione, & de omnibus lucris quæ ibi facta sunt aut facienda erunt, & de molendinis, & de piscariis, & de aliis omnibus exitibus, & intra parcum & extra, rectam decimationem de omnibus nutrimentis quæ ibi nutrientur, & de his quæ ab illis exierint. Et extra parcum omnibus monachorum bestiis & pastum porcorum omnium & pasturam bestiarum famulorum custodientium pecora monachorum; & si intra parcum mittentur porci ad pastum, habebunt monachi in eodem parco centum porcos a festivitate sancti Martini usque ad Quadragesimam quietos; & si ibi non mittentur porci de foris ad pasnagium, tamen habeant quinquaginta quietos usque ad suprascriptum terminum; & de omnibus ædificiis intra parcum & extra, quæ facta sunt aut facienda erunt, rectas decimationes, & extra parcum materiem ad omnia ædificia ecclesiæ, & ad domos monachorum, & ad omnia sua necessaria, & ligna focorum in eadem foresta de Balteis, atque custodibus pecorum monachorum extra parcum mortua ligna silvarum ad necessitatem ignium, & materiem ad omnes domos illorum instaurandas atque restaurandas; & de illa foresta dederunt ecclesiæ per illum locum per quem intrat carraria de Astella in boscum recte usque ad spinam de Montecastor *(les bois de Montcastre)* & de hac supradicta divisione, illam forestam quæ est deversus Gervillam per tales divisiones per quales

A tenebant contra suos participes in terris fructuosis & infructuosis, in silvis, in aquis, sicuti tenebant; & terram trium famulorum in Baltis scilicet Ravenoti, & Witmundi porcarii & Sarraceni quam tenuerunt ab eis; & rectas decimationes de sua parte de manere quod appellatur Plessicium, & de omnibus exitibus illius manere, & ecclesiam de Crienciis *(Creances)* cum rectis decimationibus & cum omnibus aliis rebus quæ ad illam pertinebant, & unum vavassorem cum sua terra; & in eadem villa terram ad duas carrucas & tres salinas, & unam piscariam in mari, & terram duarum bercariarum quam pastores tenent propter servitium ovium, & sex suburbanos cum alodiis illis quæ ibi tenebant; & hoc omne dederunt cum teloniis, & cum aliis omnibus consuetudinibus sicuti habebant; & decimam telonii ejusdem

B villæ, & feriæ, & de omnibus exitibus illius villæ; & decimam de Chuviliaco & de parco quod sedet in eadem foresta, de pasnagio, de veiculo, de venatione & de lucris quæ ibi sunt & facta erunt, & de omnibus aliis exitibus illius forestæ & parci rectam decimationem, & decimam de nutrimentis & de totis exitibus illorum nutrimentorum quæ in eadem silva & in parco erunt facta; & si in parco mittentur porci de foris causa pastionis, monachi habeant a festivitate sancti Martini usque ad Quadragesimam, centum porcos sine pasnagio; & si ibi non mittentur porci de foris causa pastionis, tamen habeant monachi ibi a festivitate eadem usque ad supradictum terminum L quietos, & habeant consuetudinem omnia pecora monachorum famulorumque suorum extra

C parcum; & decimam molendini de Folliata, *la Feuillie*, & de piscariis, & ecclesiam sancti Georgii de Roca cum rectis decimationibus & cum aliis rebus quæ illi ecclesiæ pertinebant, & terram ad unam carrucam ad Montem-Catonem, *Mont-Chaton*, & decimam molendini & piscariarum, & de omnibus aliis exitibus illius manere; & ecclesiam de Argenceio, *Archanchy*, cum rectis decimationibus, & cum aliis rebus quæ illi ecclesiæ pertinebant, & rectas decimationes de omnibus exitibus manere illius, & terram ad duas carrucas, & suam partem de ecclesia sancti Philippi de Valseio, *Vausieux*, cum tali rectitudine qualis pertinebat illi ecclesiæ, & alias res quas Hugo de Valseio tenuit ab illo in eadem villa; & de ecclesia sanctæ Mariæ quæ est in villa quæ ap-

D pellatur Mardignei, *Martragny*, suam partem cum tali rectitudine qualis pertinebat illi ecclesiæ, & hoc quod tenuit Hugo de Valseio in eadem villa ab eo; & suam partem quam habebat in ecclesia de Coisniis, *Conieres*, cum rectis decimationibus, & cum aliis rebus quæ pertinebant illi ecclesiæ; & in eadem villa terram ad unam carrucam, & rectas decimationes de omnibus suis exitibus de illo manere. Hoc etiam annuerunt præfatus Turstinus & Eudo filius ejus, ut si quis suorum se viventibus aut post mortem suam aliquid de terra sua loco suprascripto dare voluerit, nullo modo impediatur. Et autem Eudoni petenti concessit supradictus episcopus, ut si quid famuli loci in cimeterio ipsius ecclesiæ admiserint, monachorum sit quicquid emendationis fuerit. Annuit etiam idem episcopus quatenus ab officio

E divino locus non prohibeatur propter cujusquam delictum, nisi solius abbatis, si tamen talis fuerit, ut subdi aut satisfacere rectitudini noluerit. Addidit etiam hoc idem episcopus quatenus ab omni senatu absoluta & ab omni alia consuetudinaria re quieta in perpetuum haberetur. Necessaria quoque huic ecclesiæ quæ episcopali mori conveniunt, absque pretio adimplere promisit, sicuti sine pecunia recepit. Testes: ✠ signum W. regis. ✠ signum Reg. M. ✠ signum Rob. comitis filii regis. ✠ sign. W. filii regis. ✠ sign. Willelmi Rothom. archiep. ✠ signum Gaufridi episcopi Constant. ✠ signum Gilleberti episcopi Ebroccarum. ✠ signum Gilleberti episcopi

Luxoviensis. ✠ sign. Michaëlis episc. Abrincensis. ✠ signum Odonis Bajocensis episcopi. ✠ signum Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi. ✠ signum Thomæ archiepiscopi Eburac. ✠ signum Osmundi Seribiensis episcopi. Signum ✠ totius Constantiensis fratrum ecclesiæ conventus. ✠ signum Nicolai abb. sancti Audoëni Rothomagensi. ✠ signum Gontardi Gemmeticensis abbatis. ✠ signum Radulphi sancti Taurini abbatis. ✠ signum Maineri abbatis sancti Ebrulphi. ✠ signum Anselmi abbatis Beccensis. ✠ signum Eudonis. ✠ signum Reginaldi de Aureavalle. ✠ signum Roberti de Monasteriis. ✠ signum Rogerii de Bellomonte. ✠ sig. Hugonis *de Gornay*. ✠ signum Roberti de Molbraio. ✠ signum Rogerii comitis *de Montgomeri*, &c.

Quinto idus Julii apud Bonam-villam, anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo, anno autem imperii Willelmi Anglorum regis quatuordecimo, confirmavit ipse rex hanc chartam, cum uxore sua & filiis; archiepiscopus quoque Rothomag. Gaufridus Constantiensis præsul, atque alii plures episcopi & abbates, nonnulli etiam sui regni proceres, quorum supra præfixa sunt notamina, illud attestarunt. Apud Cadomi Robertus filius regis, quarto die post firmationem patris confirmavit, testibus Ricardo . . . . . . filio Balduini, Richardo filio Fedaldi, Rogerio *Bigot*, Ivone *Taillabosc*, Gisleberto de Portu, Rogerio de Broceio, Herveo capellano episcopi Luxoviensis, Willelmo . . . . sancti Petri *Lisois*, Turgillo capellano episcopi Constantiensis, Roberto capellano Eudonis ejusdem loci institutoris.

In die vigiliæ Assumptionis sanctæ Mariæ, fuit Robertus . . . . . . Mathildis uxor ejus & plures hominum suorum, ad cœnobium in honore sanctæ Trinitatis constructum, quod vocatur Exaquium, & confirmavit chartam . . . . . hoc quod Turstinus *Haldup* & Eudo filius ejus, de feodio suo eidem ecclesiæ dederat quod in supra dicta charta continebatur, pro se, suaque uxore ac sobole . . . . atque fidelibus, & recepit societatem loci; & hoc per talem rationem fecit, ut quandiu Eudo & heres ejus hoc feodium erit tenens quod tenebit ab eo . . . . . . de eo sicuti eleemosynam quam ipse & pater ejus dederunt, & ipse tenet ex comite. Et si Eudo aut alius aliquis inde tollere aliquid aut injuriam facere . . . . . comes vel heres ejus facient ita quietam tenere sicut eleemosynam quam ipsi dederunt: & si forsitan evenerit quod Eudo vel heres ejus de comite non tenebunt illum suum honorem, tamen habebit eadem ecclesia eleemosynam illam de comite vel de herede ejus sic quietam, sicut debet habere ecclesia de principe unde tenet, & comes & heres ejus . . . . sicut ad illum locum qui tenet de eo hanc eleemosynam; & sicut hoc concesserunt in capitulo in supra dicto die, ita fecerunt donationem super altare his divisionibus quas supra charta dixerit: & hoc testificantur Godefridus capellanus comitis, & Hebertus; Willelmus *de Hulmeth*, Gaufridus filius Vallonis, &c. Willelmus filius Nicolai *Herbolt* donavit ecclesiæ sanctæ Trinitatis omnem partem quam habebat in ecclesia sancti Martini de Sarnis, cum decimis & aliis rebus sibi ibidem pertinentibus; testes sunt Willelmus Sarmento, Robertus de Torpo, &c. Et hoc . . . . . dapifer regis de cujus feodio illam terram tenebat, & insuper aliam servitio liberam & absolutam recepit; testes Richardus de Crientiis, Richardus de Landa, &c.

Noscant præsentes & futuri quod Robertus *de Peretot* & Beatrix uxor ejus dederunt ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis de Exaquio in eleemosyna perpetua, ecclesiam suam sancti Petri *de Peretot*, cum decimis & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus, in die quo filius illorum nomine Gaufridus suscepit habitum monachalem in supra dicta ecclesia. Dedit etiam idem Robertus abbatiæ de Exaquio terram *Hodierne*, & terram Humfridi Thaleventi: & ut hæc donatio firma & inconcussa permaneret, super altare sanctissimæ Trinitatis posuit, testibus Rogerio de sancto Quirino, Heberto de Alna, Willelmo de Bricavilla, & multis aliis.

Quoniam illa tantum bona sibi reservant homines quæ pro suarum salute animarum Deo & ministris ejus largiuntur; necesse est ut illi qui terrena bona possident, eadem bona Deo largitori omnium & ministris ejus largiendo, æternam mansionem in cœlis sibi acquirant. Quam videlicet mansionem ex bonis sibi a Deo concessis, Gillebertus *de Broc* sibi acquirere volens, factus monachus Exaquiensis cœnobii, quidquid de ecclesia in villa Angoqvillæ in dominio possidebat, & servitium duorum vavassorum quod ei pertinebat, monachis in supradicto loco Deo servientibus pro salute animæ suæ contulit. Et hoc factum est in præsentia Eudonis & Murieldis uxoris ejus, & hanc donationem liberam & absolutam supradictæ ecclesiæ libentissimo animo concesserunt: testes Gaufridus de Fereville, Richardus de Cerenciis, Robertus de Lucellis, Robertus capellanus de Milleriis.

Anno ab Incarnatione Domini M. LXXXIIII, indictione VII, Rogerius de Albineio dedit ecclesiæ cœnobii S. Trinitatis quæ est in villa quæ appellatur sancta Opportuna, talem partem qualem Osmundus clericus de Filgeris tenuit ab illo Rogerio in ecclesia sancti Sansonis de Girollisossâ, & in maisnillo quod appellatur Cricevilla, & in Francavilla, scilicet totam illam terram quam prædictus Osmundus tenuit a supradicto Rogerio in his maisnillis supranominatis, in terris laboratis & non laboratis, & in aquis & in silvis, annuentibus filiis ejusdem Osmundi; unus quorum nomine Robertus in eadem ecclesia monachus effectus est. Idem Rogerius & *Rualoc* filius ejus dederunt eidem ecclesiæ pro animabus suis ac parentum suorum, decimam telonei de feria sancti Christophori & omnium exituum ejusdem feriæ, & decimam telonei de foro Albinei, & de omnibus exitibus qui ad idem forum pertinent, & in Marciseio unum ortulanum nomine Rogerium filium Grentonis cum illa terra quam tenet, & in terra quæ fuit de foresta *Liverville* LX acras terræ, & IIII ex istis sunt de bosco, excepta decima istarum LX acrarum, quam ante habebat sanctus Paulus de Cormereio. Harum rerum testes sunt, Eudo vicecomes, & Rog. de Brocio, & Ric. de Cerencis, & Ric. de Landa, & Rob capellanus Eudonis, & Rog. *Laboli*, & Rog. *Delpedrun*, & Rog. dapifer, & Ranulphus filius Esturi, & Gaufr. presbyter sancti Egidii, & Rad. *Malcovenant*, & Nigellus filius Osmundi de Filgeris. Raginaldus etiam de Aureavalle, dedit eidem ecclesiæ cœnobii S. Trinitatis pro anima sua ac parentum suorum partem de maresco quod est juxta gardinum monachorum illius loci per talem divisionem qualem habent porprisam eidem monachi ad suum fossatum. Hujus rei sunt testes Eudo vicecomes, & Rog. de Brocio, & Ric. de Cerencis, & Rob. capellanus Eudonis, & Gaufr. *de Rotot*, & Rannulfus de Balta. Richardus etiam *Bloet* & Willelmus *Bloet* dederunt eidem ecclesiæ cœnobii sanctæ Trinitatis, in villa quæ appellatur Criencis campum illum in quo sedent grangæ eorumdem monachorum, scilicet quicquid in illo campo habebant, pro animabus suis ac parentum suorum. Hujus rei testes sunt Eudo vicecomes, & Rog. de Broeio, & Rich. de Cerencis, & Rob. de Briccavilla. Richardus etiam *Bloet* dedit eidem ecclesiæ cœnobii sanctæ Trinitatis pro anima sua ac parentum suorum, unam acram terræ in sablone de villa Criencis. Hujus rei sunt testes Eudo vicecomes, & Willelmus de Braercurte, & Rich. de Cerencis, & Ric. de Landa, &c. Willelmus etiam de Baudrevilla ecclesiæ sanctæ Trinitatis dedit pro anima sua, partem

ecclesiæ cum decima quam habebat in *Wenrengenbek*, & unam acram terræ in eadem villa: testes Humfridus sutor, Anschitillus *Barbot*, Radulphus *Watel*. Hanc donationem Gaufridus filius ejus libenter concedens posuit super altare sanctissimæ Trinitatis, & unam acram terræ de suo insimul quam nobis in memorata villa pro sua suorumque anima dedit. Testes ex ejus parte, Azo presbyter, frater ejus & Will. filius fratris sui Rogerii, ex parte nostra Rog. *Colart*, Humfridus filius Willelmi galli. ✠ signum Willelmi regis. ✠ signum Odonis episcopi Bajocensis. ✠ sig. Henrici filii regis. ✠ signum Eudonis. ✠ signum Rogerii de Albineio. ✠ signum Roberti comitis. ✠ signum Nielli vicecomitis. ✠ signum Rannulfi abbatis dicti loci. ✠ signum Richardi *Bloet*. ✠ signum Rogerii de Corcella. ✠ signum Richardi *de Meri*. ✠ sig. Gaufridi de Saio, &c.

III.

Origo beatæ Mariæ de Voto.

Ex chartulario Constantiensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, ego peccator Willelmus, Dei gratia, dux Normannorum, ad servicium Dei & matricis ecclesiæ Mariæ ceterorumque . . . . . De hiis vero fuerunt testes, qui consule ab infirmitate resurgente interfuerunt, scilicet ipse Willelmus Normannorum comes, & in carta suum sigillum posuit, & Matildis uxor sua, & Robertus comes Cenomannis, & Ricardus suus frater, & Hugo de Monteforti, & Robertus Bertrannus, & Robertus *Guernon*, & Willelmus de Vauvilla, & Willelmus filius ejus, & Eudo. Factis vero tribus canonicis, scilicet, Roberto filio Teolfi, & Turulfo, & Walterio, quos consul Willelmus constituit in ipsa infirmitate sua, quam habuit Cæsaris-burgo, in qua vovit se facere canonicos in supradicta ecclesia S. Mariæ, si Deus & sancta Maria resuscitaret eum ab infirmitate, in qua fuit omnino de vita desperatus, & ad terram depositus, ut jam moriturus, datis reliquiis sanctorum ejusdem ecclesiæ carioribus, quas in sua capella gestabat. Qui resuscitatus, & propter recuperatam sanitatem lætificatus est, ut præfatæ S. Mariæ adimpleret votum, fecit dedicare ejusdem virginis ecclesiam, cui interfuit ipse, deditque in dotem unam quadrugatam terræ in Gersoia, & jussit fieri aliam ecclesiam extra castellum & incipi de suo proprio, ad cujus fundamentum incipiendum Matildis comitissa dedit centum solidos, & consul commutavit terram . . . . ut sua capella remaneret suis canonicis ex toto quieta & propria. Postea cum tribus supradictis constituit quinque alios canonicos, ut octo essent septimanarii, quibus dedit, &c. Comitissa vero . . . . . super altare posuit comitis vagium, ut Deus & sancta Maria redderet carissimum maritum. Comite sanato exhilarata, ex sua parte juvit consulem in ecclesiæ restaurationem . . . . Postquam vero consul Deo adjuvante de consule rex Anglorum est factus, de acquisitione sua dedit canonicis novum manerium omnibus in communi, in marchia *Dorescete* & *Devenesire* situm, *Harpesfort* vocatum. Henricus vero rex filius ejus pro anima uxoris suæ Matildis dedit de Esquedrevilla & Torlavilla lanam & linum.

IV.

Charta Willelmi regis Angliæ, pro Montis-burgo.

1080. WILLELMUS, rex Angliæ, & dux Normanniæ, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, & omnibus per Angliam & Normanniam constitutis, salutem in Domino. Sciatis quod ego mortalis vitæ conditionem considerans, & omnia quæ in ea sunt, præter idquod propter Deum fit transitoria & mutabilitati subjecta esse non ambigens, & de salute animæ meæ

A non cum corpore moriturae, sed in æternum victuræ sollicitus, quæ mihi post dissolutionem corporis futura sunt penitus ignorans, secundum sententiam qua dicitur : *Abscondite eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis ad Dominum*, dedi & concessi pro salute animæ meæ & omnium antecessorum & successorum meorum, pro statu & incolumitate regni & ducatus mei, do etiam & concedo, & præsenti charta mea confirmo abbatiæ S. Mariæ Montis-burgi & abbati & monachis in ea de cetero Deo servientibus, locum in quo sita est abbatia, & villam Montisburgi cum mercato, & nundinis, & molendinis, & omnibus pertinentiis. Volo autem & districte præcipio ne justitiæ meæ manum mittant pro justitia facienda in villa Montis-burgi diebus mercati sive nundinarum, B sed plenariam habeant justitiam abbas & monachi de omnibus quæ in villa Montis-burgi diebus illis evenerint, & de omnibus rebus de quibus affidare poterunt homines sui, quod sint propriæ res ipsorum, liberi & quieti sint prædicti abbas & monachi Montisburgi per omnem terram meam a teloneo & passagio, & pontagio, & omni consuetudine, ubicunque fuerint in terra & in mari, & in portubus ementes & vendentes, locantes & conducentes, commutantes, sive de loco ad locum transferentes. Do etiam & concedo prænuntiatæ abbatiæ & abbati, & monachis in foresta mea Montis-burgi ligna clausuræ, & foco, & ædificiis, & omnibus aisiamentis suis necessaria, & ut habeant in eadem foresta omni tempore pasturam porcis & cæteris animalibus suis, & libertatem, & quietantiam pasnagii sui & omnium consuetudinum C ad eandem forestam pertinentium: & in foresta mea *de Bruis* do & concedo præfatis abbati & monachis Montis burgi ad focum hospitum suorum tot arbores singulis annis, quot hebdomadæ sunt in anno, quas recipient per manum forestariorum, & de tot arboribus quieti sint forestarii de quot garantizaverint eos monachi per tallias suas, & in eadem foresta habeant sæpedicti abbas & monachi Montis-burgi marramenta ad ecclesiam & ad alia ædificia sua, & pastionem porcis & pastus ceteris animalibus suis, & libertatem & quietantiam pasnagii sui & omnium consuetudinum ad eandem forestam pertinentium & in omnibus aliis forestis meis de Constantino; & ut sæpedicti monachi Montis-burgi habeant potestatem & libertatem cum abbas obierit, eligendi alium quem D ad hoc noverint idoneum, absque alicujus contradictione vel reclamatione, vel pars etiam capituli quamvis minor, sanioris tamen consilii, secundum Dei amorem & ordinis sui consuetudinem : do insuper & concedo præfatæ abbatiæ Montis burgi & abbati & monachis maisnillum sancti Cyrici, utrque ad medium aquæ ibi currentis, cum ecclesia & decimis, & unam mansuram apud Barbefluctum, & terram Arnulphi *de Scamescon*, quæ est in *Coëres*, & tres mansuras terræ Sortoevillæ de feodo Turgisi grossi & decem acras de terra Rosex, & terram unius carrucæ in eadem villa, & triginta acras terræ in Joganvilla, & terram unius carrucæ in Amundevilla; & hæc omnia concedo & confirmo manu mea ✠. Signum Anselmi ✠ Cantuar. archiepiscopi. Signum E Rad. episcopi ✠ Cestriæ. Signum Roger. episcopi ✠ Salberiæ. Signum Ranulphi episcopi ✠ Dunelmensis. Signum Herberti episcopi ✠ Norvicensis. Signum Roberti episcopi ✠ Lincolniæ. Signum Willermi episcopi ✠ Oxon. Signum Willermi episcopi ✠ Winton. Signum Joannis episcopi ✠ Batoniæ. Signum Sansonis episcopi ✠ Wigor. Sig. Urbani episcopi ✠ Langdacien. Signum Hugonis abbatis ✠ sancti Augustini. Signum Herlewini abbatis ✠ Glaston. Sign. Ricardi abbatis ✠ de sancto Albano. Signum Roger. abbatis ✠ de Abendon. Signum Petri abbatis ✠ Glocestriæ. Signum Germundi abbatis ✠ Wincecumbæ. Signum Richardi *de Redvers* ✠. Signum Simonis ✠ comitis. Signum

Eustachii ✠ comitis. Signum Bald. filii Ricardi A *de Redvers.* Signum Willermi ✠ fratris ejusdem Bald. Signum Rob. capellani ✠. Signum Willermi Estur. Signum Hunfredi *de Bohun* ✠. Signum Alfredi de Lincolnia ✠.

V.

Ex chartulario. Circiter 1080.

Chartæ fundationis sancti Salvatoris.

EGO Nigellus vicecomes, divino afflatus spiritu, dignum duxi in ecclesia S. Salvatoris monasticæ religionis ritus ponere, & conventum sub abbate; ad quod faciendum elegi domum *de Jumieges*, quam audivi majoris auctoritatis in religione præ cæteris, & Deo auxiliante adduxi ex ea personas religiosas, inter quas religiosissimum virum nomine Benignum, B quem abbatem constitui. His itaque dispositis liberam feci & quietam abbatiam ab omnibus consuetudinibus michi pertinentibus, & ad usum monachorum dedi decimas omnium possessionum mearum, videlicet omnium molendinorum meorum decimas, & in molendino villæ sancti Salvatoris, ut molant monachi omnem annonam suam sine loco & sine moltura, & de omnibus picheriis meis dedi eis decimas. Dedi etiam eis decimam redditus forestæ meæ & haiæ *de Cellesouef*, & de Mareis, & de venditione in denariis, & in annona, & in omnibus rebus & decimam pasnagii & venationis & de magna foresta, & de haia *de Cellesouef*. Dedi etiam pasturam animalibus suis in plano & in nemoribus meis, & in haia, & in mareis. Dedi etiam porcis suis *la Paisson* C in foresta mea & in haia *de Cellesouef* sine pasnagio, & ut porci eorum eant ubicumque mei ierint, & similiter *&* *Bruil* de Hainevilla & in foresta de Columba decimam reddituum & pasnagiorum, & *la Paisson* sine pasnagio; & in villa de Colomba decimam reddituum meorum in denariis, & in omnibus aliis rebus similibus in castello Rochæ, quod est situm in parochia Colombæ. Dedi etiam eis tertiam partem ejusdem forestæ, & ad ignem suum stans nemus siccum & jacens viride & siccum. Dedi etiam eis in omnibus maneriis meis ubi terræ fuerint ad campartum, ut medietatem garbarum camparti & decimæ habeant pro decima, & ego aliam pro camparto. Hæc omnia supradicta & præfatam libertatem dedi ego monachis supradictæ abbatiæ cum tenementis illis & possessionibus quæ tenuit ecclesia sancti D Salvatoris in tempore canonicorum, ut hæc omnia possideant in perpetuum. Et ne aliquis in posterum possit refragari aut resistere huic donationi & institutioni meæ, prece mea confirmavit signo suo hanc institutionem & donationem meam rex Angliæ Willelmus qui regnum Angliæ bello acquisivit. Hæc sunt signa in testimonium; signum Guillelmi regis Angliæ; signum Nigelli vicecomitis; signum Willelmi archiepiscopi; signum Roberti comitis *de Mellent;* signum Mauricii cancellarii; signum Guillelmi filii Ansgoti; signum Henrici de Bellomonte.

VI.

Ex chartulario.

NOtum sit omnibus hanc chartam legentibus & E audientibus, quod ecclesia sancti Salvatoris est libera ab omnibus episcopalibus consuetudinibus a tempore veteli Ricardi comitis, & Rogerii vicecomitis qui ecclesiam inchoavit, & liberam eam construxit, qui pro hac libertate ecclesiam S. Nicholai de Hulmo, & vicum qui vocatur Giffaula in eadem villa, sanctæ Mariæ Constantiensi concessit. Deinde Nigellus vicecomes qui ibi monachos posuit & abbatiam inde fecit, ab omnibus consuetudinibus sibi pertinentibus ex toto eam liberam & quietam fecit. Nepotes autem ejus, Nigellus videlicet & Rogerius, hanc honorifice tenentes, suis propriis possessionibus augmentarunt & extulerunt; ipsi enim dederunt, &c.

VII.

Ex chartario.

NOtum sit tam præsentibus quam futuris, quod Jordanus *Taisson* & Lætitia uxor ejus concesserunt abbatiæ sancti Salvatoris omnes episcopales consuetudines totius terræ ejusdem abbatiæ per honorem sancti Salvatoris, ita ut monachi habeant curiam suam & emendationem de hominibus suis tam clericis quam laïcis, videlicet de trevia, & de adulteriis, & de omnibus aliis rebus, ut ita habeant monachi in terra sua, quemadmodum Dominus ejusdem villæ habet in sua, &c.

VIII.

Ex chartario.

Charta Richardi de Redvers *pro Montis-burgo, Henrico I Angliæ rege.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Ricardus *de Redvers* hujus mortalis vitæ conditionem considerans, & omnia quæ in ea sunt mutabilitati subjecta & transitoria esse non ambigens, atque de salute animæ meæ, non cum corpore morituræ, sed in æternum victuræ sollicitus, & quæ etiam post dissolutionem corporis futura sint penitus ignorans, secundum sententiam qua dicitur: *Absconditе eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro vobis ad Dominum;* pro salute animæ domini mei Henrici regis & Mathildis reginæ, atque omnium antecessorum & successorum suorum, necnon etiam pro salute animæ meæ & uxoris meæ, atque omnium antecessorum & successorum meorum, do & concedo abbatiæ Montis-burgi ad usus monachorum ibidem Deo servientium, unum manerium in Anglia, quod dicitur *Lodres* in Dorseta, sicut & aliud nomine Viceam in insula nomine *Wichd*, & aliud manerium Auxemidam, quod est in Devenestra, libera & quieta ab omnibus secularibus consuetudinibus atque serviiis, cum omnibus rebus eisdem maneriis pertinentibus, & cum *socca & sacca, & tol & them, & infangenethef*, & aliis consuetudinibus & quietudinibus. In Normannia vero do eidem abbatiæ apud *Redvers*, decimam molendinorum meorum, atque duas partes decimæ totius terræ meæ ipsius villæ, & terram Huberti presbyteri, ac decimam molendini *de Beurant*, & dimidiam Furcavillam, atque terram dimidiæ carrucæ in Escoghernevillæ, & mansuram unam villani in Sebevilla, atque decimam molendinorum & anguillarum de Nigellihumo, & terram quam Willelmus *de Redvers* habuit in Monte-burgo, & decimam molendini de Gonnovilla, atque decimam molendini & forestæ *de Fermambruil*, & decimam molendini de Tortavilla, & decimam vacariarum mearum *de Bruis*, & totam benedictam villam quam habuit Adelis soror mea & Ricardus de Ansgervilla. Hæc omnia, sicut prædicta sunt, concedo dictæ abbatiæ cum rebus illis de quibus saisita erat, die illa qua mihi eam dominus meus Henricus rex Anglorum concessit habendam; id est terram Montis-burgi, quam Willelmus rex qui Angliam conquisivit, dedit eidem ecclesiæ, cum mercato, & materia, & lignis in foresta de Montisburgo, foco & clausuræ necessariis, & pastione porcorum atque pastura ceterorum animalium; & in foresta *de Bruis* materiem ad ecclesiam, & alia ædificia, & pastionem porcorum, & in omnibus aliis forestis regis per totum Constantinum, & unam mansuram terræ apud Barbatum-fluctum & Maisnillum sancti Cyrici usque ad medium Fluvii-villæ, cum ecclesia, & terram Ranulphi *de Scamescon* quæ est in *Coëres*, & tres mansuras terræ in Sortoevilla de feodo Turgisi grossi, & decem acras de terra Roseæ, & terram unius carrucæ in eadem villa, & triginta acras terræ in Joganvilla, & terram unius carrucæ in Amundevilla. Hæc omnia dedit primus rex Willelmus, & decimam molendini de Aldulvilla quod dedit Willelmus de

Bellomonte prædictæ abbatiæ, & decimam de Vadevilla quam dedit Villermus camerarius, atque decimam de Gathevilla quam dedit Walterius *Broc*, & . . . . do prædictæ abbatiæ terram Alberti camerarii reginæ de Tinpo, & terram . . . . . . *de Bernavast*, & triginta acras terræ quas Richardus de Lestra habuit in *Coëres*, & omnia telonia & consuetudines de propriis rebus prædictæ abbatiæ per totam Angliam & Normanniam libera & quieta, & homines abbatiæ sint quieti ab omni expeditione, excepta ea quæ sub nomine belli submovetur. Et hæc omnia concedo & confirmo manu mea ✠. Signum Henrici regis ✠, Mathildis reginæ ✠, Baldevini filii Ricardi *de Redvers* ✠, Willelmi filii Ricardi *de Redvers* ✠, comitis Eustachii ✠, comitis Simonis ✠, comitis Willelmi ✠, Humfredi *de Bohum* ✠, Rogeri de Magnavilla ✠, Ricardi *de Lestre* ✠, Ricardi de . . . . . ✠, Alfredi de Lincolnia ✠, Rob. *Lincolie* ✠, Radulphi *Cicestre* ✠, Radulphi *du* . . . . . . ✠. Signum Anselmi archiepiscopi Cantuariensis ✠.

IX.

Ex chartulario.

Robertus de Haya confert ecclesias monasterio Exaquiensi.

1105. QUoniam ea quæ antiquitus gesta sunt, &c. Notum sit, tam præsentibus quam futuris hominibus, quod M. CV Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno, indictione XIII, regnante in Anglia nobilissimo rege Henrico, filio videlicet Guillelmi regis, cum venerabili conjuge sua Matilde regali ex progenie similiter orta, Radulpho venerabili pontifice præsidente sanctæ Dei ecclesiæ civitatis Cicestriæ, Roberto comite fratre supradicti regis in Normannia, Philippo rege in Gallia, Robertus de Haia filius Radulphi senescalli, scilicet Roberti comitis Moritonii, nepos Hudonis dapiferi Guillelmi supra dicti regis, homo secularis si totus catholicus, quia spiritualium fructum scilicet vetantibus curis perfecte ex se generare non potest, ad spiritales viros in Dei servitio sustentandos, more arboris infructuosæ vineam sustinentis, annuente conjuge ejus, dedit ecclesiæ sanctæ Trinitatis Exaquensis, quæ sita est in agro Constantino super fluvium *Ete*, pro anima sua, & pro animabus Henrici supra dicti regis, & reginæ conjugis ejus, de feodo quod dedit illi sæpefatus rex, ecclesias, terras & decimas quæ ad easdem pertinent ecclesias, videlicet ecclesiam beatæ Mariæ *de Boxgue*, quæ sita est in episcopio memorati pontificis Radulfi, & duas hidas terræ, & omnem decimam illius parochiæ ecclesiæ. Dedit etiam ecclesiam de Hamtoneta, & terram & decimam quæ ad eamdem ecclesiam pertinent, & ecclesiam sancti Leodegarii *de Homstan*, & ecclesiam *de Bridsam*, & ecclesiam sanctæ Mariæ *de Bernes*, & ecclesiam sanctæ Mariæ *de Waburgaton*, & ecclesiam sanctæ Catharinæ *de Hemtone*, quæ est sita super fluvium Tamisiæ, quæ tunc fuit Ode de Vincestra, & ecclesiam S. Georgii de Beltone, & terras & decimas quæ ad supra dictas ecclesias pertinent. Dedit etiam illam mensuram frumenti quæ *Torecht* vocatur de omnibus suis maneriis, cum ecclesiis & decimis. Dedit etiam monachis in supradicta villa quæ *Boxgue* vocatur commorantibus, ignem in foresta sua quæ ad eamdem villam pertinet, & materiem ad ædificia monachorum in supra dicta villa facienda, & *paisson* ad porcos suos, & pasturam ad cuncta animalia sua. Hujus donationis testes fuerunt ex parte supra dicti Roberti, Gaufridus de Sartilleio, Radulphus *de Carrou*; & ex nostra parte, Robertus Nepos & filius ejus Willelmus, Ranfredus de sancta Opportuna, Ausfridus: & hanc donationem confirmavit rex Henricus propria manu.

A

X.

Charta Henrici I regis Angliæ, pro Exaquio.

Ex chartulario.

HENRICUS, Dei gratia, rex Angliæ & dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, senescallis, vicecomitibus, & omnibus baillivis & fidelibus suis, salutem. 1126.
Sciatis me concessisse & præsenti charta mea confirmasse Deo & ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis de Exaquio, & monachis ibidem Deo servientibus, omnes rationabiles donationes subscriptas sibi factas & chartis donatorum confirmatas. Ex dono Turstini *Haldup* & Eudonis filii ejus, & concessione & confirmatione Roberti de Haia, & Muriel. uxoris suæ, & Richardi & Radulphi filiorum eorum, in villa S. Opportunæ in qua sita est præfata ecclesia, totam partem quam B præfatus Turstinus & Eudo filius ejus ibi habebant in ecclesiis, in terris, in silvis, in aquis & molendinis, in piscariis & salinis. Et in villa de Favilleriis, totam partem quæ fuit Adelais de Balte, & silvam quæ appellatur Cavilliacum cum omnibus terris & molendinis, cum aqua & cum molta de manerio de Criencils, exceptis tantum servientibus suis, & omnia quæ ad præfatam silvam pertinent, sicut ipsi eam habebant: & quicquid habebant in Orevilla & in Awarevilla & in omnibus mailnillis ad Orevillam pertinentibus, cum ecclesia & omnibus aliis pertinentiis; & ecclesiam sanctæ Mariæ *de Portbail* cum omnibus pertinentiis, & partem suam in ecclesia sancti Georgii de Tumevilla cum eleemosynis & decimis, & omnibus exitibus ejusdem manerii; & C totam partem suam in ecclesia sancti Johannis de Turgisvilla cum pertinentiis, & ad Longamtainem terram ad unam carrucam & rectam decimam omnium exituum; & ecclesiam de Conneis cum eleemosynis & rectis decimationibus omnium exituum ejusdem manerii, & terram ad unam carrucam & unum vavassorem cum hoc quod tenet in eadem villa; & in Bosevilla in plano, & in Appavilla, & in Osonvilla, & in mailnillis ad Appavillam pertinentibus quicquid ibi habebant in ecclesia, in terris, in silvis, & omnibus aliis pertinentiis, & duas dimidias piscarias in vivia quæ est juxta Hulmum; & partem suam ecclesiæ sancti Georgii cum pertinentiis suis, & ecclesiam sanctæ Susannæ cum eleemosynis, & ecclesiam sancti Hemelandi juxta Plessicium, & D omnes alias ecclesias suas de Bauteis; & rectam decimationem intra parcum & extra illius forestæ de Plesseio, de pannagiis, de veiculo, de venatione, & de omnibus lucris quæ ibi fiunt aut fient, de molendinis, piscariis, exitibus & nutrimentis; & extra parcum omnibus bestiis & porcis monachorum, & animalibus servientum eos custodientium passum & pasturam; & si infra parcum mittuntur porci ad pastum, habeant monachi in eodem parco C. porcos a festivitate sancti Martini usque ad Quadragesimam quietos; & si ibi non mittuntur porci de foris ad pannagium, tamen habeant monachi L. quietos usque ad prædictum terminum, cum eisdem consuetudinibus in nemore de Folilea; & extra parcum ligna ad E ecclesiam & domos suas, & omnia necessaria sua in eadem foresta, & homines animalia sua custodientes similiter; & in eadem foresta partem quandam per loca & divisiones quas inde habent determinatas in chartis cum omnibus terris & pertinentiis, sicut præfati donatores habuerunt; & terram trium famulorum in Balteis, scilicet Ravanoti & Wimundi porcarii & Sarraceni quam ipsi de eis tenuerunt, & rectam decimam partis suæ de manerio Plesseil de omnibus exitibus, & ecclesiam de Criencils cum omnibus pertinentiis suis, & unum vavassorem cum terra sua, & in eadem villa terram ad duas carrucas, & tres salinas & unam piscariam in mari, & terram duarum

bercariarum quam pastores tenent, & VI suburbanos cum alodiis suis, & de teloneo ejusdem villæ LX sol. & in maresco *de Cressoneres* VI acras terræ, & rectas decimas de omnibus exitibus manerii de Criencis; & in nemore de Fullela rectam decimam de omnibus exitibus cum omnibus consuetudinibus quas habent in nemore Plessei, & decimam molendini de Folleia, & de piscariis; & ecclesiam S. Georgii de Rota cum pertinentiis suis; & ad Montem-Catonis terram ad unam carrucam, & decimas molendinorum & piscariarum, & omnium exituum illius manerii; & ecclesiam de Argenceio cum pertinentiis & rectis decimis exituum ejusdem manerii, & terram ad duas carrucas; & partem suam de ecclesia sancti Philippi de Valseio, & ea quæ Hugo de Valseio ibidem tenuit de ipsis; & partem quam habebant in ecclesia sanctæ Mariæ apud *Martringne* cum pertinentiis suis, & id quod Hugo de Valseio ibidem de eis tenuit; & partem quam habebant in ecclesia de Coisneriis cum pertinentiis suis, & terram ad unam carrucam, & de his omnibus rectam decimam omnium exituum. Item, ex dono Rob. de Haia, ecclesiam sancti Martini de Eudonvilla, & terram Pippini liberam & quietam ab omni servitio & auxilio; & ecclesiam sanctæ Mariæ de Ansgovilla, cum decimis & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus, & ecclesiam sancti Martini de Brittevilla; & decimam molendinorum de Monte-acuto, & decimam molendinorum de Bertauvilla & de Eudonisvilla; & ecclesiam sancti Nicholai de Foliata, & ecclesiam sancti Quirini de Plesseio. Item, ex dono præfati Rob. de Haia in Anglia, eccles. de Boxgrava cum pertinentiis suis; & ecclesiam *de Brotebi*, & quicquid habebat in ecclesiis *de Risum*, & *de Bellinges*, & *de Subroc* & de Suavatone, cum omnibus pertinentiis suis, excepto eo quod monachi de Acja habent in ipsa ecclesia de Suavatone; & ecclesiam de Callatona, & totam decimam denariorum suorum de maneriis suis *de Brotebi*, & *de Felingeham*, & *de Risum*, & Suavatona & Suttona, & de Lutona, & de Scortona, & unam bovariam terræ apud *Brotebi.* Apud Boxgravam duas hydas terræ & dimidiam circa ecclesiam de Boxgrava, & omnem decimam ipsius parochiæ, & totam decimam gablorum suorum de natali de eadem parochia; & decimam sui nemoris in passone & venditione, & in eodem nemore dedit monachis in eadem ecclesia morantibus, ignem & materiam ad omnia ædificia sua & opera, & *paisson* porcis suis & pasturam ad omnia animalia sua. Dedit & ecclesiam sancti Petri *de Hauntonete*, & terram & decimam quæ ad eandem ecclesiam pertinent; & ecclesiam sancti Leodegarii *de Honestan;* & ecclesiam *de Bridehan;* & ecclesiam sanctæ Mariæ de Waborgotona; & ecclesiam sanctæ Mariæ *de Bernehan*, & ecclesiam sanctæ Caterinæ quæ est sita super fluvium Tamisiæ; & ecclesiam sancti Georgii de Bautona, & ecclesiam *de Cadeham*, & terras & decimas quæ ad easdem ecclesias pertinent. Dedit & illam mensuram frumenti quæ vocatur *Cherchet* de omnibus maneriis suis, cum ecclesiis & decimis. Ex dono Rich. de Haia, decimam frumenti sui & avenæ de Brittevilla. Ex dono Renaldi de Aureavalle, ecclesiam S. Helenæ cum decimis omnibus ejusdem villæ, & terras & eleemosynas eidem ecclesiæ pertinentes, videlicet clausum quod vocatur vinea,& totam partem landæ quam dedit Rob. *Baumer* juxta Turcutivillam, & totam decimam de omnibus redditibus totius silvæ suæ, & pannagium porcorum monachorum in eadem silva quietum, & ligna ad materiam, ad ædificia & necessaria monachorum, & pasturam de Aureavalle communem omnibus animalibus monachorum cum animalibus domini & sagrimentum; & in Gerevilla duas acras terræ, & in Litteraria unam acram; & decimam feriæ Aureævallis, & dimidium dominium ecclesiæ de Hugevilla, & alteram medie-

A tatem quam Rog. filius episcopi cum Roberto de Haia dedit; & terram Rogerii de Monasteriis, id est, tres acras terræ, & terram Pagani juxta clausum ad ipsum clausum; & terram Hersendis & Amioti, & clausum Leecelinæ cum domo sua. Ex dono Hugonis filii ejus dimidiam ecclesiam sancti Laudi de Horevilla cum eleemosynis & decimis illius ecclesiæ, & decimam trium molendinorum, duorum de Aureavalle, & unum in Baltesio, & terram *de Rekeverel* liberam & quietam ab omni servitio & auxilio. Ex dono Roberti Bavomis, unum vavassorem cum terra sua. Ex dono Roberti filii ejus in Asebervilla terram reddentem unum quarterium frumenti, & in Baltesio prædicti Renaldi, unam acram terræ juxta terram Bolierni; & omnia quæ B idem Renaldus dedit, & omnia quæ de calengiis suis relaxavit infra burgum Exaquii in vicinia tota & in aliis locis & villis eidem Rainaldo pertinentibus, libera & quieta sicut charta ejus dividit & testatur. Ex dono Willelmi de Aureavalle, molendinum sanctæ Opportunæ cum omnibus consuetudinibus, & molta, & omnibus rebus quæ ad illud molendinum pertinebant, & partem ecclesiæ sanctæ Opportunæ. Ex dono Willelmi de Abrincis quartam partem ecclesiæ sancti Salvatoris cum capellaria suæ domus, & XX & VI acras terræ, & dimidiam decimam sui molendini cum aliis minutis decimis & hominibus ejusdem eleemosynæ communem pasturam & focum sicut suis. Ex dono Jordani de campo Arnulfi & Willelmi *de Rollos*, & Willelmi de Ponte, & Clarembaldi *de* C *Girartot*, & Rich. *de Rollos* quicquid habebant in ecclesia sancti Samsonis de Givefossa, & in eadem villa ex dono Gaufridi *Ouremer* tres acras terræ liberas & quietas ab omni servitio & auxilio, & unum masnagium & terram eidem pertinentem. Ex dono Willelmi & Rich. *de Pirou*, & ex concessione & confirmatione heredum eorumdem Radulfi *de Pirou*, & fratrum ipsius Gaufridi, Rogerii & Stephani, ecclesiam *de Pirou*, & decimam totius villæ, in garbis & molendinis, & omnibus aliis quæ contigerit decimari, & XLIIII acras terræ, & brociam de juxta landam, & unam piscariam in mari, & decimam anguillarum, & terram in qua monachi ædificaverunt domos suas & hortos, & pratum *de Broc*, & pratum de Mela, & unam acram terræ juxta crucem, & acram quam Robertus filius Osmundi, & virgatam terræ quam Giroldus *de Pirou* D donaverant monachis; & præterea concessionem & confirmationem quam Radulfus filius & heres Ricardi *de Pirou* & fratres sui fecerunt, videlicet ut in voluntate sit abbatis de Exaquio & sui conventus prædictas decimas & cetera beneficia ad abbatiam deferre & expendere, & quemcunque custodem voluerint ad *Pirou* suarum rerum, seu monachum seu alium habere, & talem quietantiam in molta qualem charta dividit. Ex dono Rogerii de Albinneio & Willelmi patris ejus, ecclesiam de Folgeriis, cum decimis & eleemosynis eidem pertinentibus; & partem ecclesiæ de Givefossa, quam Osmundus clericus tenuit cum pertinentiis suis; & totam terram illam quam idem Osmundus tenuit in Kereavilla & in Francavilla, & LXIIII acras terræ in Livervilla, & quicquid filii E Ranulfi *Espec* tenuerunt de honore Albinnei in Alno & in Astella, sive in ecclesia sive in terra, & decimam feriæ sancti Christophori & de foro Albinnei; & in marchesio unum hortulanum cum terra sua, & quicquid Avicia uxor prædicti Rogerii dedit in Montesamelosо & in Mesnillo-Ogis: & ex dono ejusdem, & Anschetilli de Cleiis, & Roberti filii ejus, & *Aliz* filiæ ipsius Roberti, ecclesiam S. Patricii de Cleiis, & ecclesiam sanctæ Margaritæ de Baudrevilla, & ecclesiam *de Porbail*, cum omnibus decimis & eleemosynis eidem pertinentibus, de honore Albinnei, & libertatem & quietantiam ab omni servitio & redditu, sicut charta donatoris testatur, scilicet in terra de Monte-Catonis, & in quadam terra apud Criencias.

Ex dono Villelmi de Brikevilla dimidium molendinum *de Matun;* & ex dono Thomæ filii ejus, ecclesiam de Alno cum omnibus decimis & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus, & unam acram terræ in Alno, & alteram in Verleio, & partem quam habebant in piscaria *de Matun.* Ex dono Richardi *de Rollos* totam decimam de terra sua de Francavilla, & quicquid habebat in ecclesia de Ginefossa, & quicquid Thomas de Brikevilla & Willelmus de Aureavalle, & Rob. de Verleio cum Rob. filio suo, & Gaufridus Esturni cum Radulfo filio suo, dederunt in ecclesia sua *de Verli* cum terris & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus; & ecclesiam *de Waringebec*, quam Ric. de Haia & Mathildis uxor sua dederunt cum decimis & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus. Ex dono Rob. de Monasteriis & filiorum ejus Willelmi & Heberti, ecclesiam de Surevilla, & ecclesiam de Glatincio, cum decimis & eleemosynis eidem ecclesiæ pertinentibus, & XII acras terræ in Glatinneio, & quicquid Jordanus de Barnevilla ex dono patris sui & matris suæ concessit & confirmavit, scilicet totum feudum unius vavassoris in Britevilla, & quandam terram in Gerseio via quarteria frumenti reddentem; & confirmationem quam Rob. Bertramnus fecit de eleemosyna *de Sottewast*, quam sicut pater suus de omnibus servitiis & auxiliis liberam & quietam esse concessit, sicut ipse ab omni servitio & auxilio ad summum Dominum terræ pertinente in perpetuo acquietare concessit & confirmavit: & ex dono Radulphi *de Sotevast*, ecclesiam *de Sotevast:* & ex dono Willelmi de Ansnevilla, ecclesiam *de Ansneville* apud *Sarnes*, & quamdam domum juxta cimiterium, & totum mariscum a cimiterio usque ad aquam *Sares;* & ecclesiam *de Vitsel*, & ecclesiam *de Petot* cum pertinentiis suis: & ex dono Godefridi de Bussone ecclesiam sancti Martini de Gronvilla in Gerseio: & ex dono Richardi fratris Willelmi *Avenel*, tres acras terræ in Herevilla, & aliam terram: & ex dono Rog. *Foliot*, concedente Ricardo de Wavilla, ecclesiam de Osmunvilla: & ex dono Willelmi de Marcheio, masuram *Pantof* in Crienciis: & ex dono Engelgerii *de Bohon*, dimidium milliarium anguillarum apud *Bohon;* & conventionem quam fecerunt Willelmus de sancto Johanne, & Rob. frater ejus, & Oliva uxor Willelmi, de prioratu de Boxgrava cum omnibus pertinentiis suis, sicut cirographum determinat & testatur: & ex dono Gilleberti *de Campans*, duas garbas de terra quam tenet in Verleio de feudo *de Liteare:* & ex dono Simonis de Verleio, duas garbas de terra sua. Quare volo & firmiter præcipio, quod præfata ecclesia & monachi in eadem ecclesia Domino servientes, habeant & teneant omnes prænominatas donationes bene & in pace, & quiete, integre, plenarie, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus ad eas pertinentibus, in ecclesiis & decimis, in bosco & plano, in pratis & pasturis, in aquis & molendinis, in vivariis & stagnis, & in piscariis, in viis & semitis, & in omnibus aliis locis & rebus ad eas pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis consuetudinibus, sicut chartæ donatorum testantur. Testibus Johanne Ebroicensi episcopo, Henrico Bajocensi episc. Hugone *de Nunnant* electo *de Cestre*, Rob. de Novo-burgo decano Rotomagensi, Willelmo *de Humet* conestabulario, Willelmo filio Rad. senescalli Normanniæ, Roberto archidiacono *de Notingah.* Alvredo de S. Martino, Seero *de Kenci*, Hugone *de Cressi*, Thoma Bardulfo, & multis aliis. Apud Cæsaris-burgum.

X I.

Bulla pro institutione canonicorum regularium in cœnobio sancti Laudi Constantiensis.

Ex archivis abbatiæ S. Laudi Constantiensis. 1132.

INNOCENTIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Algaro Constantiensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Tunc ecclesia Dei suo ordine regitur, cum ejus regimen sapienti & religiosæ personæ committitur. Gaudemus admodum, carissime frater Algare episcope, quoniam te ad administrationem Constantiensis ecclesiæ divina dispensatio evocavit; ideoque tibi & ecclesiæ tuæ in posterum providentes, bona & possessiones, libertates & immunitates quæ usque ad hæc tempora quiete & legitime Constantiensis ecclesia noscitur possedisse, tibi & tuis successoribus privilegii nostri munimine roboramus. Præterea sancti Laudi quæ in civitate Rothomagensi sita est ecclesiam, & sancti Laudi in Constantiensi episcopatu cum pertinentiis & libertatibus suis, vobis ut ad canonicum ordinem redigatis assensu principis, concedimus. Audivimus enim ibi seculares irregulariter vivere, ita tamen ut decedentibus secularibus præbendæ & eleemosynæ eorum in usum regularium cedant; obeunte vero prælato, nullus ibi qualibet violentia præponatur, nisi quem canonici communi assensu secundum Dei timorem & statuta sedis apostolicæ providerint eligendum. Si quis igitur hanc nostræ constitutionis paginam ausu temerario, &c. . . . . . Datum Viennæ sexto nonas Martii, anno Domini 1132.

X I I.

Confirmantur bona Montis-burgi.

LUDOVICUS, Dei gratia, Francorum & Navarræ rex. Pietatis opus agi conspicitur, si per viros magnificos & in potestatis constitutos eminentia, sacrosanctis ecclesiis, præcipue religiosis, & personis in eis Deo servientibus favor impendatur benevolus, ac in suis juribus & libertatibus tueantur. 1136. Supplicaverunt itaque nobis religiosi viri monachi monasterii Montis-burgi, ut quamdam chartam antiquam claræ memoriæ dudum regis Angliæ fundationis suæ continentem initia & possessiones, quam quidem chartam in diversis locis ad suorum conservationem jurium frequenter habent necessario deportare, periculose tamen propter viarum discrimina & sigilli antiqui chartæ hujusmodi confractionem verisimiliter metuendam, sub nostræ visionis testimonio & sigilli nostri munitione, in scripturam novam redigi misericorditer juberemus. Nos igitur prædecessorum nostrorum, qui ad sanctas Dei ecclesias & maxime religiosas pie noscuntur semper egisse devotionis affectum, vestigiis inhærentes, ipsorum religiosorum precibus inclinati, dictam chartam in scripturam novam redigi mandavimus sub ejus tenore qui sequitur infra scriptus. Rex Anglorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, & omnibus filiis sanctæ ecclesiæ per Angliam & Normanniam constitutæ, salutem. Sciatis me concessisse & confirmasse Deo & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Montis-burgo, & abbati & monachis in ea Deo servientibus, in perpetuam eleemosynam, pro anima patrum & antecessorum meorum, & salute mea, & uxoris, & fratrum & filiorum meorum, & pro statu & incolumitate regni & ducatus mei omnes has subscriptas eleemosynas, quas antecessores mei & alii fideles eidem contulerunt ecclesiæ, & chartis & scriptis suis confirmaverunt, scilicet manerium *de Lodres* in Dorseta, & manerium Witam in insula Vectæ, cum omnibus ei pertinentibus: in Normannia quoque decimam molendinorum Ricardi *de Redvers* de eadem villa,

& duas partes decimæ totius terræ ipsius Ricardi in eadem villa, & terram Huberti sacerdotis, & decimam molendinorum *de Beurant*, & dimidiam Fulcardivillam, & dimidiam carrucatam in Escoguernevilla, & ecclesiam ejusdem villæ, & mansuram unius villani in Sebevilla, & decimam molendinorum & anguillarum de Ingellihulmo, & terram quam Willelmus *de Redvers* habuit in Monte-burgo, & decimam molendinorum de Gunnonvilla, & decimam molendinorum & forestæ *de Fermanbruil*, & decimam molendinorum de Turlavilla, & decimam vaccariarum Ricardi ipsius *de Bruis*, & terram quam habuit Adelis soror illius Ricardi & Ric. de Ansamilla in villa Benedicta, & terram & mercatum Montis-burgi, quam avus meus rex Willelmus eis dedit cum omnibus aisiamentis suis de lignis in foresta ad focum & B clausuram suam, & pastione porcorum & pastura animalium ceterorum, & in foresta *de Bruis* materiem ad ecclesiam & ad omnia ædificia sua, & unam mansuram apud Barbatum-fluctum & Maisnillum sancti Cyrici usque ad medium Fluvii villæ, cum ecclesia, & terram Ranulphi *de Scamescon* quæ est in *Coëres*, & etiam mansuras terræ in Sortoevilla, & terram Roseæ, & terram Carrucæ in eadem villa, quam tenet filius *Mascherel*, & triginta acras in Joganvilla, & terram carrucæ in Amundevilla, & dimidium moles de Aldivilla, & decimam de Gandinvilla, & decimam de Gatevilla de terra *Broc*, & terram de Fulcardivilla quam Rog. de Magnavilla eis dedit, & ecclesiam de Morsavilla cum feria & terris, & decimis, & omnibus ad eam pertinentibus, C quam Sanson de Morsavilla eis dedit concessu Roberti de Novo-burgo & fratrum ejus, & partem ecclesiæ Gattevillæ quam eis dedit Walterus *Broc* concessu comitis Ranulphi. Et ut hæc omnia superscripta, cum omnibus libertatibus & quietationibus suis, cum quibus ab antecessoribus meis & aliis fidelibus data sunt illi ecclesiæ, quieta & inconcussa in sempiternum remaneant, sicut chartæ regum & aliorum patronorum suorum testantur, regia hoc auctoritate confirmo, & sigilli mei impressione & subscriptorum testimonio, &c. Apud Bajoc. anno Incarnationis Dominicæ M. CXXXVI, regni vero mei secundo. Per hanc autem renovationem nolumus neque intendimus eisdem religiosis adversus quemcumque in proprietate vel possessione quomodolibet jus novum acquiri, nobisve aut nostris successoribus, D seu personis quibuslibet aliquod præjudicium generari. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud Vicenas anno Domini millesimo & trecentesimo quinto decimo, mense Junii.

XIII.

Bulla Eugenii III pro ecclesia Constantiensi.

1145. EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Algaro Constantiensi episcopo, ejusque successoribus instituendis in perpetuum. Ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres nostros episcopos, tam vicinos quam longe positos, debemus diligere, & ecclesiis in quibus Domino E militare noscuntur, suam justitiam conservare; ut quemadmodum patres vocamur in nomine, ita nihilominus comprobemur in opere. Hujus rei gratia, venerabilis frater in Christo Algare episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Constantiensem ecclesiam, cui, Deo auctore, præsides, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona inpræsentiarum juste & canonice possides, aut in futurum largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteris adipisci,

A firma tibi tuisque successoribus, & per vos eidem ecclesiæ illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Medietatem civitatis Constantiensis cum medietate telonei, & molendinis quæ in eodem loco habes, & parco, & terris pinceralarum; moltam Buinoldevillæ; medietatem piscariæ in Sena fluvio; ecclesiam sancti Laudi supra Viram fluvium, cum ecclesia sanctæ Mariæ in castro ejusdem loci; ecclesiam sancti Ægidii; ecclesias Verevillæ & Linnevillæ, cum omnibus appenditiis suis: ecclesiam S. Mariæ de Cæsaris-burgo, cum ecclesia sanctæ Trinitatis, & ecclesia sanctæ Mariæ de Tourbavilla, & capella de Flamengiis, & terris Angoti capellani, cum decimis omnibus & aliis ad easdem ecclesias pertinentibus; totam decimam telonei in præfato castro Cæsaris-burgi, cum mansura trium burgensium, & libertatibus & immunitatibus, tam in foro quam in forestis ejusdem castri, quæ hactenus rationabiliter habuisti; ecclesiam sanctæ Mariæ de Eccheldevilla, cum decimis, terris, domibus, & aliis appenditiis suis; ecclesiam de Alrenoio, cum terra quatuor boum; ecclesiam S. Salvatoris in Gersoio, cum terris, decimis, & aliis pertinentiis suis; ecclesiam d'*Essert*, cum decimis & terra ad eam pertinentibus; carrucatam unam terræ in Kravarreio; ecclesiam sancti Nicolai *de Barbe-fleur*, duas partes decimarum de Valoniis, & *de Yvetot*, & de Hubervilla; domos virgultuum; triginta acras terræ quæ habes in Valloniis, cum libertatibus & quietudinibus in foresta comitis, ad opus tuum & hominum tuorum, sicut hactenus & rationabiliter habuisti; ecclesiam sanctæ Mariæ de Pupevilla, cum cimiterio, decimis, terra Radulphi de Spalda, & aliis pertinentiis suis; ecclesiam sanctæ Mariæ de Bulmo; capellam S. Nicolai, & terram in eodem burgo quæ ad jus pertinet, & ex consuetudinibus & libertatibus quas in eodem loco juste habes; piscariam in Viria fluvio; apud *Merri* decimas linguarum cenarum, quæ capiuntur inter *Tar* & *Tarel* fluvios; decimas venationum in omnibus forestis comitis de toto Constentino & *de Damfront*; in palleis castrum sancti Laudi cum omnibus appenditiis suis; Blandevillam, cum molendino & aliis adjacentiis suis; Tellam cum appenditiis suis; Bonumfossatum cum pertinentiis suis; Caugiacum cum adjacentiis suis; sanctus Ebremundus cum pertinentiis suis; feudum Radulphi de sancto Ægidio; feudum Roberti quod est in aquis; feudum quod tenet de te Richardus; feudum quod tenet Hugo *Murdrac* in Broiliaco, feudum quod tenet Robertus de Salceio; in Haia, Fodevillam; terram aucupum in Zingrevilla; terram de Alodio, & terram *de Crapoltlucorum* cum appenditiis suis: in Cadomo quatuor acras prati. Præterea præsentis decreti auctoritate sancimus ut Constantiensis episcopatus fines quieti deinceps omnino, & tam tibi quam tuis successoribus conserventur, sicut tu ipse & prædecessores tui, hactenus quiete & legitime possedistis. Ad hæc adjicientes etiam, statuimus ut archidiacono Constantiensis ecclesiæ in curia alicujus laïci causam tractare ecclesiasticam liceat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur tuis ac pauperum Christi usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, sanctione canonica, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ

districtæ ultioni subjaceat: cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen.

X I V.

Ex chartulario.

Licentia data ab Algaro episcopo Constantiensi ædificandi cœnobii de Hambeia.

Circa 1145.

NOtum sit . . . quod ego Algarus Dei gratia Constantiensis episcopus, dilectorum filiorum meorum Willelmi Paganelli, & Hugonis, & Fulconis filiorum ejus petitione, & assensu nimirum & consilio cleri Constantiensis, pro dilectione Dei & animæ meæ redemptione, concessi fieri cœnobium monachorum secundum ordinem Tironensis monasterii Deo servientium apud Hambeiam, in honore Dei & sanctæ matris ejus Mariæ. Ad cujus loci ædificationem, & pauperum ibidem Deo servientium sustentationem, præfati Willelmi & filii ejus, in quorum feodo ædificatus est locus ille, me præsente & confirmante concesserunt . . . . teste Theoderico abbate de sancto Laudo, Rogero, Gilleberto & multis aliis.

X V.

Ex Arum.

Fundatio monasterii de Hambeia.

Circa 1145.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Willelmus Paganellus, consilio & assensu filiorum meorum Hugonis & Fulconis, & Thomæ & Johannis, unam abbatiam fundavi in propria hereditate mea apud Hambeiam, pro salute animæ meæ, & pro animabus patris & matris meæ, & animabus prædecessorum meorum; ad cujus ædificationem, & fratrum ibidem Deo servientium sustentationem, donavi ecclesiam de Hambeia cum pertinentiis suis in perpetuum possidendam; & duas carrucatas terræ in eadem villa, & decimas omnium redditDuum meorum totius terræ meæ quæ est in episcopatu Constantiensi, & lanam dimidiam arietum, & tria pondera ceræ in monte sancti Michaëlis, & totum meum sal de Verduno, & pasnagium porcorum ejusdem abbatiæ, & omnes homines abbatiæ immunes ab omni consuetudine sæculari, præterea sinum abbatiæ cum pertinentiis suis, & molendinum in eodem sinu, cum pertinentibus aquis hinc & hinc, & insulam, & quandam partem nemoris per monstratas divisas, & landas Meleii, & insuper unam cellam in nemore meo apud Monasteria Huberti, cum pertinentiis suis, videlicet cum quadam parte nemoris, monstratis divisis; & duas carrucatas terræ, & duas acras pratorum, & unum hortum, & omnes decimas redditPuum in castello de Monasteriis Huberti. Harum igitur donationum est terminus ad festum sancti Michaëlis. Ne autem alicujus prava machinatione valeat infringi, sigilli mei auctoritate roboravi; teste Algaro Constantiensi episcopo, cujus admonitione hoc opus incœpi, & teste Theoderico abbate de sancto Laudo, & Rogero, & Gilleberto, & Philippo archidiacono, Roberto de Hambeia, & Rogero de Lusoriis, & Hugone de Novavilla, & Silvestro & Thoma Paganellis, & Johanne Paganello, & Willelmo de Verduno, & Johanne de Gaureyo, & Willelmo *de Tresgoz*, & aliis multis.

X V I.

Dedicatio sancti Michaëlis de Nemore.

Circiter 1153.

DIlectis in Christo fidelibus universis ad quos præsens scriptum pervenerit, Richardus Dei gratia Constantiensis episcopus, in Domino salutem. Requisiti & rogati a pauperibus Christi ancillis
A monialibus sancti Michaëlis de Nemore, earum monasterium in honore & nomine sancti Michaëlis dedicavimus, & donationes parochianorum nostrorum factas ecclesiæ, quorum maxima multitudo ipsa die nobiscum adfuit, præsenti scripto & sigillo nostro confirmavimus; inprimis abbas Radulphus Exaquii dedit locum, quantum ad se pertinebat, S. Mariæ *de Moston* & sororibus loci, scilicet locum sancti Michaelis: Richardus de Haya dedit, &c.

X V I I.

Ex tabulario Blancalandæ.

Fundatio Blancæ-landæ.

1154.

RICARDUS de Haya & Mathildis uxor ejus, omnibus hominibus suis & amicis Normanniæ
B & Angliæ, salutem & dilectionem. Notum sit vestræ dilectioni, & omnium, tam præsentium quam futurorum, caritati, quod nos in propria hereditate nostra, in loco qui Blanca-landa dicitur, unum monasterium fundavimus in honore Dei & Domini nostri Jesu Christi, & B. genitricis ejus, & sanctissimi confessoris Nicolai, ibique conventum canonicorum ad serviendum Deo in ordine Præmonstratensi constituimus, quibus ad victum & vestitum pro redemptione animarum nostrarum & vestrarum, & omnium antecessorum nostrorum, de parvitate nostra hæc subscripta conferentes, in perpetuam eleemosynam, per manum domini Richardi Constantiensis episcopi, Domino consecravimus, Guillelmo de Vernone & Richardo filio ejus, & Radulpho de Haya nostro
C nepote concedentibus, & super altare præfati monasterii propriis manibus nobiscum offerentibus, ipsum videlicet locum in quo fundatum est monasterium, cum omnibus adjacentibus suis, a Bella-valle usque ad montem *Estenclin*, sicut eum a foresta separat terminorum appositio. In Haya Putei terram *Cernart*, in teloneo quadraginta solidos, & domum Hugonis de Nigelli humo, cum suo horto & prædio, ita quietam, quod homo qui in ea manebit, vendet & emet in domo & extra in foro, & ubique omnino quiete; & duas acras terræ juxta terram *Malconvenans*, & molendinum tanarium juxta parcum in *Ansfremesnil*, terram Radulfi clerici, & terram Gaufridi sacerdotis, & alias decem acras terræ; & in mari unam piscariam & salinam *Osbert*, & terram Richerii *de Fenouilleret*, & terram integram quam tenebat Radulphus *Chenevaht*
D pro uno quarterio avenæ in Bossevilla ad mensuram Roberti *Tilemand*; ad *Caudecoté* terram *Vase*, & in *Varenquebecq* terram *Gobé*; ad *Essart* duas masuras terræ, & cum altera earum costumas in foresta ad opus figuli; forestas autem nostras ubique & quandiu duraverint, ad omnia ædificia sua propria facienda & reficienda, similiter ad ignem & ad omnia domus necessaria, pasnagium porcorum suorum in eis quietum & suorum hominum ab ipsis hominibus persolvendum, & omnes sibi utiles & necessarias costumas forestæ; in parco autem suorum tantum porcorum quietationem & communem cum nostris, & similiter post nos cum porcis domini libertatem, & arbosturam boum, & coria cervorum & omnium bestiarum, & terram Rogerii Foresti integre sub chemino scilicet,
E & supra cheminum quem donaverunt eis; ipse & Paganus filius ejus, cum domo quæ in ea erat. In Chetevilla terram Hugonis Tauri, & pisces exclusæ quocumque modo capiantur, & assisiam retis in novio molendini ad capiendas anguillas, & si voluerint facere super illo piscariam, & unam masuram terræ ibi juxta ad hospitandum piscatorem. In Bosevilla terram *Parnier*. In Popevilla & Varevilla decimam grangiarum, videlicet cum ad illas currus attulerit garbas sive quadriga, vel quocumque modo afferantur, & undecumque novem in grangiis computentur, decima canonicis reddatur, & decimam garbagii & omnium denariorum, excepto teloneo, & omnium quæ ex illis dominiis exeunt, etiam fieri

& camparti, crassi piscis & feriæ campaniæ, excepto molendino de Vado. Ecclesias autem de Chetevilla & Bosevilla, & in ecclesia de Montegardo quidquid ad feodum de Haya pertinet, similiter per manum domini Richardi Constantiensis donavimus huic nostro monasterio, ita scilicet quod in ecclesia de Montegardo canonici in vita Radulphi *de Rotor* dimidias garbas decimæ tantum habeant, post mortem vero ejus integraliter totum ad canonicos redeant. Illam autem de Chetevilla Gaudefridus sacerdos, & illam de Bosevilla Gaufridus, quia tunc in illis erant personæ, in vita sua a canonicis requirentes susceperunt tanquam clerici obedientes, & de recognitione quod inter illos convenit annuatim reddentes; post mortem vero eorum integraliter & tota, excepta quadam parte decimæ garbarum quæ ad præbendam de Moretonio pertinet, & quiete ad canonicos redeant; prænominati sacerdotes Gaudefridus & Gaufridus omnem juris hereditarii acclamationem quam in illis faciebant, in manu domini episcopi resignaverunt, & super altare præfati monasterii propriis manibus ponentes omnino dimiserunt, quod similiter Radulphus *de Rotor* fecit de illa de Montegardo; & ecclesiam sancti Symphoriani cum omnibus ad eam pertinentibus, de quibus est decima molendini *de Caudecoté*, & decima piscium exclusæ ejus. In Anglia *Cambringueham* manerium cum omnibus pertinentiis suis, excepta ecclesia. Hæc itaque præscripta, præsente clero & populo approbante, donavimus huic nostro monasterio sancti Nicolai de Blancalanda, nihil omnino in omnibus his retinentes, sed ab omni jure & dominio, & secularium consuetudinum querela & exactione ad nos pertinentibus libera & absoluta super altare offerentes, per manum episcopi Domino consecravimus, excepto opere exclusæ in terra *Parnier* de Bosevilla, & in terra Hugonis Tauri de Chetevilla, quæ masura etiam costumas suas habet quietas in foresta, & excepta molta hominum de terra Radulphi clerici apud *Anfremesnil*, & opere exclusæ. Testibus Richardo Constantiensi episcopo, Valterio abbate Montisburgi, Radulpho priore Exaquii, Ricardo . . . . & Philippo Constantiensi archidiaconis, &c. anno ab Incarnatione Domini M. CLIV, in Blanca-landa.

Vide alias chartas Blancæ-landæ in Monastico Anglicano, tom. III, pag. o 15.

XVIII.

Ex archivio.

Richardus episcopus fundationem Blancæ-landæ confirmat.

1154. UNiversis sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, Richardus Constantiensis episcopus, salutem. Quoniam deficiente fide & succrescente malitia, multa quæ in sanctæ matris ecclesiæ sinu a nobis fidelibus ejus filiis fuerant collata, & ad usus pauperum Christi in sancta religione pie & simpliciter consecrata, eorum perversos heredes ad iniquitatis velle & conari reducere cognovimus, præcipue quæ nullius caracteris testimonio & authoritate fulta inveniebantur; idcirco nos fundationis & eleemosynarum ecclesiæ sancti Nicolai de Blanca-landa veritatem in quantum vidimus, fecimus & audivimus, hujus nostri scripti repræsentatione & testimonio corroborare, & sigilli nostri impressione fideliter apposita, totius nequitiæ commenta, sive dubietatis nubilum resecare & auferre curam habuimus. Volumus itaque ad omnium, tam præsentium quam futurorum, notitiam pervenire, quod Richardus de Haya & Mathildis uxor ejus hanc præfatam ecclesiam fundaverunt, & per nostram manum conventum canonicorum ad serviendum Deo in ordine Præmonstratensi ibi posuerunt, ad quorum usus necessarios de terrenis suis bonis, ista quæ subscribuntur contulerunt, sibi nihil omnino retinentes in illis, excepta molta, & opere exclusæ in terra Radulphi clerici *de Anfremesnil*, & opere exclusæ in terra Hugonis Tauri de Chetevilla . . . . . . ipsum videlicet locum qui Blanca-landa dicitur, cum omnibus adjacentibus suis a Bellavalle usque ad montem *Estenclin*, sicut eum a foresta separat signorum appositio, & ipsam forestam ubique & quandiu duraverit, ad omnia ædificia sua facienda & reficienda, & ad omnia domus necessaria, & ad ignem ad libitum, &c. Decernimus itaque ut nulli omnino hominum liceat unquam præfatam ecclesiam temere perturbare, quod ejus sit auferre, vel ablatum retinere, nec eam temerariis vexationibus fatigare, inquietare, sed omnia ei conserventur integra, regularium fratrum & pauperum usibus profutura. Si quæ igitur ecclesiastica secularisve persona contra hanc nostræ confirmationis & attestationis paginam venire præsumpserit . . . . . &c. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto.

XIX.

Ex tabulario.

Henricus II rex Angliæ confirmat fundationem abbatiæ Blancæ-landæ.

HENRICUS rex Angliæ, & dux Normanniæ & Aquitaniæ, & comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus & justitiariis omnibus suis, & omnibus fidelibus, salutem. Sciatis me concessisse & confirmasse in perpetuam eleemosynam Deo & ecclesiæ sancti Nicolai de Blanca-landa, & canonicis ibidem sub abbate in ordine Præmonstratensi Deo servientibus, quidquid eis rationabiliter & juste collatum; videlicet has subscriptas eleemosynas, quas Richardus de Haya & Mathildis uxor ejus prædictæ ecclesiæ fundatores, & Radulphus de Haya, Richardus nepos, & Willelmus de Vernone, & Richardus ejus filius eidem ecclesiæ contulerunt: ipsum videlicet locum qui Blanca-landa dicitur, in quo fundata est ecclesia, cum omnibus adjacentibus suis, terra fructuosa & infructuosa, landa & foresta a Bellavalle usque ad montem *Estenclin* . . . . In Anglia manerium *de Candbringueham*, cum omnibus ad illud pertinentibus. In Popevilla & Varevilla, quæ maneria ipse Richardus de me pro servitio suo habebat, concedo & confirmo illa quæ ipse Richardus præfatæ ecclesiæ contulit . . . . Ut autem hæc omnia subscripta, & quæcumque in futurum, & a quibuscumque rationabiliter & juste prædictæ ecclesiæ fuerint collata, firma & illibata permaneant, regia authoritate confirmo, & confirmata in regnum post me venturis protegenda & confirmanda commendo. Datum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo. 1157.

XX.

Ex chartis D. d'Hinneval.

Diploma Henrici II regis Anglorum, pro monasterio B. Mariæ de Voto juxta Cæsaris-burgum.

HENRICUS, Dei gratia, rex Anglorum, dux Normannorum & Aquitanorum, & comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, & omnibus ministris & fidelibus suis Francis & Anglis totius Normanniæ, salutem. Sciatis me dominæ matri meæ Matildi imperatrici concessisse capellam *de Vallonnes* cum omnibus appendiciis suis, ita bene, integre & plenarie, sicut unquam melius fuit tempore Henrici avi mei regis; præter hoc etiam quoddam membrum manerii de sanctæ Mariæ ecclesia, scilicet Novam Villetam ad dandum in perpetuam eleemosynam abbatiæ S. Mariæ de Voto, quæ est juxta Cæsarisburgum, ab ipsa domina mea fundata. Similiter & locum me concessisse sciatis, scilicet insulam Ulmi

in qua ipsam abbatiam sitam esse constat, pro animabus Henrici regis avi mei, & domini patris mei Goffridi ducis Normanniæ & Andegavorum comitis, omniumque antecessorum meorum, pro salute mea & statu regni mei. Volo itaque & præcipio, ut præfata abbatia ita honorifice, & quiete, & libere, cum omnibus consuetudinibus & libertatibus suis super scripta teneat, sicut ulla abbatia totius Normanniæ melius, & quietius & liberius tenet. Testibus Heiberto Abrincensi episc. Thoma cancellario regio, Man. *Beleiht* dapifero regis, Rogerio Calleïo. Apud Rotomagum.

Vide alia tria in Monastico Anglicano, tom. III, pag. 1009.

XXI.

Charta ejusdem pro eodem monasterio.

Post 1165. HENRICUS rex Angliæ, dux Normanniæ & Aquitaniæ, Richardo episcopo Constantiensi, salutem. Mando vobis & precor diligenter, quatenus pro amore Dei & pro anima dominæ imperatricis matris meæ, & pro dilectione & petitione mea, promoveatis negotium prioris & abbatiæ de Cæsarisburgo, quam ipsa imperatrix fundavit, confirmando ipsi abbatiæ & canonicis ibidem Deo servientibus, ecclesiam sanctæ Mariæ de Valsavilla, quam Eudo *de Sottevast* dedit eis in perpetuam eleemosynam, & in tantum faciatis quod grates vobis referre debeam, & quod percipiant preces meas erga vos sibi profuisse. Teste Henrico episcopo Bajocensi. Apud Buram.

XXII.

Ecclesia sancti Thomæ datur canonicis S. Laudi.

1174. ANNO ab Incarnatione Domini M. CLXXIV, v calendas Augusti, præsente & interventu domni Richardi Constantiensis episcopi, & Guillelmi abbatis sancti Laudi, dedicavit venerabilis Reginaldus episcopus Bathoniensis apud sanctum Laudum ecclesiam quamdam in nomine beatissimi martyris Thomæ Cantuariensis episcopi, ipso jam dicto Richardo præsente & Guillelmo abbate sancti Laudi, cum maxima parte cleri & populi, & in perpetuam parochiam assignatæ sunt eidem ecclesiæ illæ quæ erant de parochia sancti Laudi & sanctæ Mariæ de Castello, cum earum habitatoribus, salva sepultura cœmeterii sancti Laudi, a porta bali ex utraque parte usque ad domum Barboti, hamellum *de Lignerolles,* mansura Galterii Rozelli cum toto menilo *Croq* & *Campeuls* totum, cum fonte de menillo *Rouxelin.* Concessit autem supradictus episcopus Constantiensis, prænunciatam ecclesiam abbati & canonicis sancti Laudi in perpetuam, liberam & quietam ab omni exactione & consuetudine eleemosynam, suoque præsente sigillo fecit consignari, domnusque episcopus Bathoniensis suo. Testibus his Savarico, Guillelmo, Richardo, Roberto archidiaconis, Petro capellano, Richardo de Boylleio, Radulpho de Gersalia clericis. De laïcis, Roberto Nicera, Rogerio Serricico, Marino *de Periers* & Thoma filio ejus, Milleio & Silvestro, & multis aliis.

XXIII.

Bulla Urbani papæ III, pro abbatia Exaquiensi.

1186. URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Thomæ abbati monasterii sanctissimæ Trinitatis de Exaquio, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam posteritatis memoriam. Monet nos apostolicæ sedis auctoritas cui licet immeriti præsidemus, pro statu omnium ecclesiarum provida circumspectione satagere, & ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sanctissimæ Trinitatis de Exaquio in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis; locum scilicet ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ex dono Turstini *Haldup* & Eudonis filii ejus, & concessione & confirmatione Roberti de Haia, & Murieldis uxoris suæ, & Ricc. & Radulphi filiorum eorum, in villa sanctæ Opportunæ, in qua sita est præfata ecclesia, totam partem quam præfatus Turstinus & Eudo filius ejus ibi habebant in terris, silvis, aquis, molendinis, piscariis & salinis; & in villa de Favilleriis totam partem quæ fuit Adelaïs de Balta, & silvam quæ appellatur Cavilleium, cum omnibus terris & molendino, cum aqua & molta de manerio de Crienciis, exceptis tantum servientibus suis, & omnia quæ ad præfatam silvam pertinent, sicut ipsi eam habebant; & quicquid habebant in Orevilla & in Awarvilla & in omnibus maisnillis ad Orvillam pertinentibus. Apud Longamfamem terram ad unam carrucam; apud Coesnerios terram ad unam carrucam, & unum vavassorem cum eo quod tenet in eadem villa, & quicquid habebant in Bosevilla in plano, & in Appavilla, & in Osovilla, & in maisnillis ad Appavillam pertinentibus, in terris, silvis, & in omnibus aliis pertinentiis, & duas dimidias piscarias in vivia quæ est juxta Hulmum; & extra parcum de Plesseio omnibus bestiis & porcis monachorum, & animalibus servientum eos custodientium pastum & pasturam; & si infra parcum mittuntur porci ad pastum, habeatis in eodem parco centum porcos a festo sancti Martini usque ad Quadragesimam quietos; & si ibi non mittuntur porci de foris ad pasnagium, tantum habeatis quinquaginta quietos usque ad prædictum terminum, cum eisdem consuetudinibus in nemore de Foilleia, & extra parcum ligna ad ecclesiam & domos suas, & omnia necessaria facienda de eadem foresta, & homines animalia sua custodientes similiter; & in eadem foresta partem quamdam per loca & divisas quas inde habetis determinatas in chartis, cum ceteris terris & pertinentiis sicut præfati donatores habuerunt & vobis concesserunt; terram trium famulorum in Balteis, scilicet, Ravenoti & Wimundi porcarii & Saraceni quam ipsi de eis tenuerunt; apud Criencias unum vavassorem cum terra sua, & in eadem villa terram ad duas carrucas & tres salinas & unam piscariam in mari, terram duarum bercariarum, sex suburbanos cum alodiis suis, & de teloneo ejusdem villæ sexaginta solidos, in maresco *de Cressoneres*, sex acras terræ; apud Montem-catonis terram ad unam carrucam, liberam & quietam ab omni servitio & auxilio, & redditu, & saumones qui ibi capiuntur in noctibus sabbatorum totius anni; apud Argenceium terram ad duas carrucas cum masnagio de Rovreio cum suis pertinentiis; ea etiam quæ Hugo de Valseio apud Valseium de eis tenuit, quicquid idem Hugo apud Martringneium tenuit ab illis. Ex dono Roberti de Haia terram Pippini liberam & quietam ab omni

x auxilio, & unam bovariam terræ apud ...um. Ex dono Renaldi de Aureavalle clau... vocatur vinea, & totam partem landæ ...kenvillam, & pasnagium porcorum vestrorum ...um in silva sua, & ligna ad ædificia vestra apud ...anivallem, & ibidem communem pasturam ani...ibus vestris, & sagrimentum; in Guerevilla duas ...s terræ, in Lutearia unam acram terræ; tres acras ...æ de feodo Rogerii de Monasteriis, terram juxta clausum, terram Hersendis & Annoti, & clausum Lecelinæ cum domo sua. Ex dono Hugonis filii ejus *de Rikevros* terram quam dedit vobis Robertus *Baumer;* ex dono Roberti filii ejus terram apud Asambvillam; & in Baltesio unam acram terræ, & omnia quæ idem Renardus ecclesiæ vestræ dedit, & omnia quæ de kalengiis suis relaxavit infra burgum Exaquii & in vicinia tota, & in aliis locis & villis eidem pertinentibus, libera & quieta. Ex dono Willelmi de Aureavalle molendinum sanctæ Opportunæ cum omnibus consuetudinibus, & molta, & omnibus aliis ad idem molendinum pertinentibus. Ex dono Willelmi de Abrincis apud sanctum Salvatorem viginti & sex acras terræ, & hominibus ejusdem eleemosynæ communem pasturam & focum sicut suis; apud Vivefossam ex dono Gaufridi *Outremer* tres acras terræ, liberas & quietas ab omni servitio & auxilio, & unum mesnagium & terram ad id pertinentem. Ex dono Willelmi & Richardi *de Pirou*, & ex concessione & confirmatione heredum eorumdem Radulfi *de Pirou* & fratrum ipsius Gaufridi, Rogerii & Stephani, quadraginta quatuor acras terræ; & brociam juxta Landam, & unam piscariam in mari, & terram in qua domos ædificastis & hortos, pratum *de Broc*, pratum de Mela, unam acram terræ juxta crucem, & acram quam Robertus filius Osmundi & virgatam terræ quam Giroldus *de Pirou* vobis donavit, & concessione & confirmatione quam Radulfus filius & heres Ricardi *de Pirou* & fratres sui vobis fecerunt, videlicet ut in voluntate vestra sit decimas vestras & cetera beneficia ad abbatiam vestram deferre & expendere, & quemcumque custodem volueritis apud *Pirou*, vestrarum rerum habere, & talem quietantiam in molta quam charta dividit. Ex dono Rogerii de Albingneio & Willelmi patris ejus, totam terram quam tenuit in Kereavilla & Francavilla Osmundus clericus, & sexaginta quatuor acras terræ in Livervilla, & quicquid filii Radulfi *Espec* tenuerunt in Alno & in Astella, & in marcisseio, unum ortulanum cum terra sua, & quidquid Anicia uxor prædicti Rogerii dedit vobis in monte famelico & in maisnillo *Ogis*. Ex dono Willelmi de Brikevilla dimidium molendinum *de Matun*. Ex dono Thomæ filii ejus unam acram terræ in Alno & alteram in Verleio, & partem quam habebat in piscaria *de Matun*. Ex dono Roberti de Monasteriis & filiorum ejus Willelmi & Herberti duodecim acras terræ in Glatigneio, & quicquid Jordanus de Barnevilla ex dono patris & matris suæ, vobis concessit & confirmavit, scilicet totum feodum unius vavassoris in Bretevilla, & quamdam terram in Gerseio, & confirmationem Roberti Bertranni de libertate & quietantia quam vobis fecit de eleemosyna vestra *de Sotowast* quam perpetuo vobis concessit acquietare. Ex dono Willelmi de Asnevilla quandam domum juxta cimiterium, & totum marescum a cimiterio usque ad aquam. Ex dono Ric. *Avenel*, tres acras terræ in Frevilla & aliam terram. Ex dono Willelmi de Mercato, masuram *Pantof* in Crienciis. Ex dono Ricardi de Haia unam carrucam terræ in Ansgovilla & circa, & triginta acras terræ circa Haiam, & totam terram & redditum cum parte molendini quæ apud Turvillam habetis, & apud boscum Rogerii, & totam terram & redditum cum molendino quæ habetis apud *Sotowast*, & nundinas apud Exaquium in festo sanctæ Crucis. Ex dono Alex. de Lievilla, trecentas anguillas apud *Flamnigeart;* prioratum de Boxgrava cum omnibus pertinentiis suis, & tres marcas argenti quas tantum habetis; & ecclesiam *de Felingham*, & ecclesiam *de Rison*, & ecclesiam sanctæ Opportunæ cum decimis & pertinentiis suis; capellam S. Mariæ de Landa; ecclesiam de Crienciis cum decimis & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam *de Pirou* cum decimis & ceteris pertinentiis suis, & quicquid habetis in ecclesia de Ginefossa: ecclesiam de Torvilla cum pertinentiis suis; ecclesiam de Heugevilla cum pertinentiis suis; ecclesiam de Aurea-valle cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Rocca cum decimis & pertinentiis suis; ecclesiam de Felgeriis cum decimis & pertinentiis suis, & quicquid habetis in ecclesia sancti Salvatoris cum decimis & ceteris pertinentiis suis; ecclesiam de Folleia cum decimis & ceteris pertinentiis suis; ecclesiam de Cleis cum decimis & pertinentiis suis; ecclesiam de Plesseio cum decimis & suis pertinentiis; heremitagium sancti Hemelandi; ecclesiam *de Peretot* cum decimis & omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam S. Georgii de Palteis cum decimis & omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam sanctæ Susannæ cum decimis & aliis pertinentiis, & quicquid habetis in ecclesia de Appevilla cum decimis & ceteris quæ ibidem habetis; ecclesiam de Cogneis cum decimis & ceteris pertinentiis suis; ecclesiam *de Warengebech* cum decimis & aliis pertinentiis suis; ecclesiam sancti Michaëlis de nemore cum decimis & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Haia a puteo cum decimis & suis pertinentiis; ecclesiam de Gerevilla cum decimis & aliis ad ipsam spectantibus; ecclesiam de Alno cum decimis & omnibus appenditiis ejus; ecclesiam de Verleio cum decimis & ceteris pertinentiis ejus; ecclesiam de Ansgovilla cum decimis & aliis pertinentiis suis; ecclesiam de Bretevilla cum decimis & aliis pertinentiis suis: ecclesiam de Surevilla, & ecclesiam de Glattegneio, & ecclesiam de Baudrevilla, & ecclesiam de Osmunvilla, ecclesiam de Orvilla, & ecclesiam *de Merbec*, & ecclesiam *de Porbail;* ecclesiam sancti Georgii de Rivaria, & ecclesiam de Torgisvilla; ecclesiam de Maisnillo; ecclesiam de Aumevilla; hermitagium de sancto Jovino; ecclesiam *de Sotowast*, ecclesiam *de Wisel*, ecclesiam de Ansnevilla, ecclesiam de Revilla, ecclesiam de Gerovilla cum decimis & omnibus ad ipsas pertinentibus; ecclesiam de Agenceio, ecclesiam de Coesneriis, & quicquid habetis in ecclesia de Valseio, & in ecclesia de Martringneio cum decimis & omnibus ad ipsas pertinentibus. Præterea ecclesiam de Suavetona, ecclesiam de Bisvigetona, ecclesiam *de Karletum*, ecclesiam *de Berlinges*, ecclesiam *de Cambringham*, ecclesiam *de Brotebi*, ecclesiam *de Subroc*, cum decimis & omnibus ad ipsas pertinentibus; ecclesiam sancti Symphoriani de Haia cum decimis & pertinentiis suis; obedientiam de Aureavalle cum pertinentiis suis; decimam quam habetis apud Longamsanem & apud Vivofossam; decimam de nemore de Plesseio & de parco in venditione, in pasnagiis & venatione, in pecudibus & avibus, in molendinis & piscariis & aliis minutis decimis, & in omnibus lucris quæ ibi fiunt, & decimam de redditibus omnibus illius manerii; decimas quas similiter habetis in bosco de Fulleia; totam decimam de Crienciis, decimam tangue & molendini, decimam molendini de Fulleia, decimam redditus frumenti domini ejusdem villæ de Crienciis, & decimam salis & nundinarum, arietum, porcorum & anserum, & decimam de omnibus exitibus illius manerii; decimam molendinorum de Monte-catonis & piscariarum & de omnibus exitibus illius manerii; & decimam quam habetis apud Awarvillam, & apud Osovillam; decimam molendinorum de Monteacuto & de Bertavilla & Eudonisvilla; decimam telonei de Haia, decimam de parco, decimam molendinorum

desuper aquam *de Bo*, *de Hardi*, de Ceminio, *de Baril*, de Pelemusca, *de Surtran*, & decimam molendini de Vado; decimam denariorum quos habetis apud Brotebium & *Felingehan*, & *Risun* & Suavetona, & Lutona, & Scortona, & dimidiam decimam cujusdam molendini apud sanctum Salvatorem cum aliis minutis decimis; decimam frumenti & avenæ quam habetis in Brettevilla, & decimam quam habetis in *Pirou*, in garbis & molendinis, & in anguillis & in omnibus quæ contingit decimari; & decimam nundinarum de Albigneio & de foro ejusdem villæ, & decimam quam habetis apud Millerias; decimam molendinorum de Anschetervilla, & duas partes decimarum de feodo vestro de Torvilla, & viginti quartaria hordei quæ habetis de ecclesia de Groevilla; decimam molendini de Rocca, decimam quam habetis apud sanctum Sebastianum. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laïcos e seculo fugientes, liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis optentu discedere; discedentem vero sine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis janius, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus quoque ecclesiis quas habetis, liceat vobis clericos vel sacerdotes eligere, & diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Interdicimus etiam ne quis in vos vel ecclesias vestras novas & indebitas exactiones præsumat imponere, aut excommunicationis vel interdicti sententiam, sine manifesta & rationali causa proferre. Sepulturam præterea ipsius monasterii liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates etiam & immunitates ac rationabiles consuetudines in ecclesia vestra hactenus observatas, ratas habemus & eas futuris temporibus illibatas permanere sancimus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi cujuslibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam præviderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus fructum & hic bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Ego

A Urbanus catholicæ ecclesiæ episcopus. ✠ Ego Henricus . . . . episcopus. ✠ Ego Paulus Prænestinus episcopus. ✠ Ego Petrus sanctæ Susannæ presbyter cardinalis. ✠ Ego . . . presbyter cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim, cancellarius. ✠ Ego Pandulfus presbyter cardinalis sanctorum duodecim apostolorum. ✠ Ego . . . . presbyter cardinalis sanctorum Joannis & Pauli. ✠ Ego Adelardus sancti Marcelli presbyter cardinalis. ✠ Ego . . . cardinalis sanctæ Mariæ in Cosinedin. ✠ Ego . . . . sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis. ✠ Ego . . . . sancti Angeli diaconus cardinalis. ✠ Ego Gaufredus S. Mariæ in via lata diaconus cardinalis. ✠ Ego . . . sanctæ Mariæ in porticu diaconus cardinalis. ✠ Ego Petrus sancti Nicolai B in . . . diaconus cardinalis. ✠ Ego . . . sancti Georgii . . . . diaconus cardinalis. . . . . . per manum Alberti . . . cardinalis & cancellarii pridie calendas Decembris, indictione quinta, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXVI, pontificatus . . . Urbani papæ III, anno secundo.

XXIV.

Diploma Henrici II regis Anglorum, pro abbatia Cæsaris-burgi.

HENRICUS, Dei gratia, rex Anglorum, & dux Normannorum & Aquitaniæ, & comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, & C omnibus ballivis & fidelibus suis, salutem. Sciatis quod ego, de consilio Rotrodi, piæ recordationis Rothomagensis archiepiscopi, & multarum ecclesiasticarum, venerabilium & religiosarum personarum, conjunctionem duarum domorum canonicorum regularium, quæ ratione fundationis ad meam specialiter, nullo mediante, dominationem pertinent & ordinationem, sancti scilicet Elerii de Insulis, & sanctæ Mariæ de Cæsaris-burgo, jam pridem concessi, ea videlicet consideratione inductus, quod nulla illarum per se ad sustentationem conventus regulariter degentis sufficere posse credebatur. Et quia prædicta concessio mea ante tempora venerabilis viri Walterii Rotomagensis archiepiscopi ad plenum non fuerat effectui mancipata, de voluntate & assensu ejusdem D archiepiscopi, eam præsentis scripti annotatione & sigilli mei appositione confirmavi, firmiter præcipiendo ut in perpetuum in hunc modum conjuncte permaneat; scilicet ut in ecclesia sanctæ Mariæ de Cæsaris-burgo præcipua sedes sit abbatis, & in ea ordo beati Augustini juxta statuta sancti Victoris Parisiensis observetur; & in domo sancti Elerii de Insulis quinque canonici ad minus secundum dispositionem abbatis regulariter viventes Deo deserviant, qui modis omnibus potestati & voluntati abbatis prænominati loci permanebunt subjecti, & possessiones omnes, tam ecclesiasticæ quam aliæ, ad domum sancti Elerii pertinentes, in dispositione ejusdem abbatis consistant. Walterio Rotomagensi archiepiscopo, H. Dunelm. & Johanne Ebroicensi epi- E scopo, &c. Apud sanctum Petrum super Divam. 1187.

XXV.

Bulla Urbani III pro monasterio B. M. de Voto. *Ex chartulario.*

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati beatæ Mariæ de Cæsarisburgo ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam memoriam. Monet nos apostolicæ sedis cui licet immeriti deservimus auctoritas, pro statu omnium ecclesiarum provida circumspectione satagere; & ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium impertiri. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, 1187.

& præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ de Cæsaris-burgo, in qua divino estis obsequio mancipati, adinstar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio annuimus. Inprimis siquidem statuimus, ut ordo canonicus qui secundum Deum & beati Augustini regulam atque institutionem fratrum sancti Victoris in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, scilicet insulam Ulmi, in qua præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; Novam-villam cum omnibus pertinentiis suis ..... terram magistri Joannis in Coqueurdrevilla, tres partes molendini *Ihioul* in eadem villa ..... monasterium sancti Helerii de insula Gerseio, sicut idem monasterium & ecclesiæ vestræ a bonæ memoriæ Rotrodo Rotomagensi archiepiscopo est concessum, & tam suo quam venerabilis fratris nostri Gualterii successoris sui scripto authentico confirmatum assensu principis terræ in cujus eleemosyna .... mansuram quam Robertus miles dedit vobis apud Cæsaris-burgum ...... propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat: liceat quoque vobis clericos vel laïcos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ullus fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem possit de eodem loco, sine licentia sui abbatis, discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diœcesano episcopo præsentare, quibus si idonei sint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Inhibemus quoque ne in presbyteris præsentandis, aut ecclesiis ordinandis, quilibet vos absque manifesta & rationabili causa gravare aut molestare præsumat. Prohibemus insuper ne ecclesias aut terras, seu quodlibet beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dare, sive alio modo alienare, sine consensu totius capituli, aut majoris & sanioris partis ejusdem. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Inhibemus etiam ne infra parochias ecclesiarum vestrarum aliquis ecclesiam vel oratorium sine diœcesani episcopi & vestro assensu ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis Romanæ ecclesiæ. Interdicimus quoque ne aliquis in vos vel ecclesias vestras excommunicationis vel interdicti sententias sine manifesta & rationabili causa promulgare præsumat. Omnes præterea libertates & rationabiles consuetudines & immunitates, quas illustris rex Anglorum Henricus, & bonæ memoriæ Mathildis imperatrix mater ejus, advocatrix & fundatrix præfatæ ecclesiæ, aut eorum successores, vobis & ecclesiæ vestræ pia largitione donarunt, & scriptis suis authenticis firmaverunt, firmas & illibatas permanere sancimus. Præterea novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis vel episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisve omnibus ecclesiasticis personis omnino fieri prohibemus: pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, sacramentis a vobis aut solo obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo, nemo quidquam audeat postulare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres omnium consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, & diœcesani episcopi canonica justitia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam venire temere tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisve sui careat dignitate, reamque se Domini judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat ..... Cunctis vero eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, &c..... Ego Urbanus catholicæ ecclesiæ episcopus. Ego Henricus Albiensis episcopus. Ego Theobaldus Hostiensis episcopus. Ego Petrus de Bonna presbyter cardinalis tituli sanctæ Susannæ. Ego Laborans presbyter cardinalis sanctæ Mariæ trans Tiberim, tituli Calixti. Ego Rainerius presbyter cardinalis sanctorum Johannis & Pauli, tituli Pammachii. Ego Hyacinthus sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis. Ego Gratianus sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis. Ego Rollandus sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis. Ego Petrus sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis. Ego Radulphus sancti Georgii ad Velum-aureum diaconus cardinalis. Datum Veronæ per manum Alberti sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis & cancellarii, XI cal. Junii, indictione V, Incarnationis Dominicæ anno M. CLXXXVII, pontificatus vero domini Urbani papæ tertii anno secundo, sub sigillo plumbeo.

XXVI.

Fundatio prioratus beatæ Mariæ de Columba.

Ex chartul. S. Salvat. 1188.

NOverit universa generatio præsens & futura, quod ego Radulphus *Taisson* Jordani Taissonis filius, dedi Deo & beatæ Mariæ, & abbatiæ sancti Salvatoris, pro amore Dei, & pro salute animæ meæ & antecessorum meorum, heremitagium S. Mariæ de Columba cum redditibus ad locum pertinentibus, scilicet quarterium frumenti in molendinis meis de Roca & de Columba, & decimam omnis victus domus meæ, in pane, in carne, in pisce, dum ego dominus vel uxor mea apud Rocam morabimur. Concessi etiam, &c. .... Concessum autem est, & etiam confirmatum ab omni capitulo, quod ibi erunt semper ad minus duo monachi morantes, & quod consilio abbatis & assensu meo mittentur in locum. Actum anno M. CLXXXVIII ab Incarnatione Domini, in præsentia Roberti *de Veules* electione capituli & positione mea tunc præsentis abbatis ordinati & benedicti a Willelmo *de Tornebuse* Constantiensi episcopo, anno etiam quo Henricus rex Angliæ, & Philippus rex Franciæ, & ego Radulphus *Taisson* crucem Domini suscepimus. Testibus Roberto *Foliol*, Ric. d'*Asfinel*, Jordano *Taisson* fratre meo, Ric. capellano meo, Roberto de Agnevilla.

XXVII.

Chartæ pro Hospitali Constantiensi.

1209. UNiversis Christi fidelibus in Constantiensi episcopatu constitutis, Hugo, Dei gratia, Constantiensis episcopus, salutem in Domino. Considerantes attentius nostram & singulorum quorumque tenuitatem & defectum in operibus misericordiæ quæ ad salutem proficiunt animarum, & præsertim circa hospitalitatis gratiam, per quam multi placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis, ad quam nos omnes Apostolus invitat & hortatur, *Hospitalitatis*, inquiens, *nolite oblivisci;* & iterum, *hospitales estote:* attendentes etiam quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, nec propria communibus, sed communia propriis anteponit, de communi B fratrum nostrorum consilio, ad communem totius nostræ diœcesis utilitatem, in honore sancti Spiritus, & beatæ Mariæ, & beatorum apostolorum Jacobi & Johannis, & S. Antonii confessoris, hospitale quoddam ad susceptionem pauperum & peregrinorum de communibus pauperum Christi thesauris in finibus quorum Christi thesauri latitant & affluenter abundant, apud Constantias construximus, Domino annuente, de cujus misericordia plene confidimus, quod per S. Spiritus gratiam septiformem, septem ibi misericordiæ opera complebuntur, videlicet in esurientibus pascendis, potandis sitientibus, nudis cooperiendis, suscipiendis hospitibus, infirmis visitandis, incarceratis confortandis, & in sepultura mortuorum. Per hæc enim septem misericordiæ opera C præeunte Spiritus septiformis gratia, septem peccata criminalia in quibus animæ languent, post veram cordis contritionem, orisque confessionem credimus relaxari. Ut igitur quod ad communem utilitatem pie factum est, omnibus proficiat ad salutem, & ut in die tremendi judicii non timeamus a verbo aspero & terribili, quoniam malis post exprobrationem corporis & negligentiæ quam in hoc mundo erga misericordiæ opera prædicta habuerint, a summo judice dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum,* &c. si potius per misericordiæ opera liberati mereamur audire: *Venite benedicti patris mei,* &c. communi consilio ad prædictum hospitale regendum, & ad pauperes perpetuo ibidem sustentandos, in honore D sancti Spiritus omniumque Sanctorum fraternitatem constituimus, non solum nobis & vobis, verum etiam generationi posteræ profuturam. Confidentes autem de Dei misericordia qui dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis,* meritisque beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, omnibus illis qui prædictam confraternitatem intraverint & tenuerint, secundum suas facultates, eidem hospitali ad usus pauperum de suo aliquid conferendo, septimam partem injunctæ sibi pœnitentiæ misericorditer relaxamus: ad petitionem vero nostram capitulum Constantiensis ecclesiæ, & omnes abbatiæ Constantiensis diœcesis, cum fratribus ejusdem hospitalis & singulis ejus benefactoribus, omnium orationum suarum communem participationem benigne & liberaliter concesserunt; & quod pro confratribus & E benefactoribus defunctis in singulis ecclesiis per annos singulos unum facient annuale, quæ scilicet novem sunt, capitulum Constantiense unum, abbatia Cæsaris-burgi unum, abbatia Montis-burgi unum, abbatia S. Salvatoris unum, abbatia de Blanca-landa unum, abbatia Exaquei unum, abbatia sancti Laudi unum, abbatia de Hambeia unum, abbatia sancti Severi unum, quod quidem in eorum martyrologiis scribetur, ut per annos singulos ad memoriam revocetur. In signum autem hujus concessionis, cantor Constantiensis & singuli abbates capitulorum suorum sigilla apposuerunt, consensum suum munimine sigillorum confirmantes. Rogamus itaque vos & A exhortamur in Domino, ut nullus omnino se excuset, sed confratres Christi pauperum fieri festinate, ut quos vobis amicos feceritis de mammona iniquitatis, recipiant vos in æterna tabernacula, de collatione bonorum temporalium centuplum de bonis æternis recipiatis, & vitam æternam possideatis. Illis autem qui confratriam colligent fideliter & conservabunt, si tempore interdicti decesserint, ecclesiasticam in singulis parochiis concedimus sepulturam. Hæc autem confratria instituta est ex quo domus fundata fuit, videlicet anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nono, in capitulo Constantiensi, mense Julii.

XXVIII.

UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis ecclesiæ minister humilis, & fratres & pauperes Domus-Dei Constantiensis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos communi assensu instituisse ut omnes redditus ipsius domus in scripto redigantur sicuti venient, & summa omnium redditUum singulis annis ad festum sancti Michaëlis cunctis fratribus præsentibus audiatur; quidam etiam in domo illa sit truncus, in quo tres seræ ponantur: una autem illarum clavis per consilium domini episcopi custodiatur, prior vero alteram habeat, unus fratrum tertiam; omnes denarii ibi oblati, transmissi, delegati, ubicumque & a quocumque fratre recipiantur, in trunco illo ponantur; ita tamen quod aliqui aliorum fratrum sciant a quo fratre prædicti denarii ibi ponantur. Si autem prior vel aliquis fratrum convictus fuerit quod sex denarios vel amplius retinuerit, quos in trunco prædicto non posuerit, per tot dies quot denarios ipse retinuerit ad cellam comedat, nisi a domino episcopo communi assensu fratrum ejusdem domus ad pristinum statum misericorditer revocetur; prior tamen ad arbitrium domini episcopi & fratrum suorum punietur. Duo vero fratres per consilium domini episcopi & aliorum fratrum fideliter eligantur: unus autem omnes redditus prædictæ domus recipiat, alter vero omnia victui fratrum & pauperum necessaria emat; ita tamen quod ad festum sancti Clementis & Cathedræ beati Petri, sancti Urbani & sancti Symphoriani, domino episcopo vel illi quem ad hoc voluerit assignare, & priori & aliis fratribus de qualibet receptione, & de omnibus expensis bladi & omnium aliorum fidelem reddant computationem. De aliis vero expensis victui fratrum & pauperum pertinentibus, in qualibet hebdomada priori & tribus fratribus vel duobus ad minus, reddatur ratio de re qualibet divisim computata. Ille autem qui plenariam computationem non reddiderit, tali officio privetur, & ad cellam per tres menses comedat, nisi communi assensu domini episcopi & aliorum fratrum fiat ei dispensatio. Prædictus vero truncus in quolibet mense, si opus fuerit, a clavigeris duobus fratribus convocatis aperiatur. Prior autem de prædictis fratribus omnes denarios ibi inventos recipiet, & ipsi tenebunt in memoriam summam illorum usque ad diem computationis. Idem prior de prædictis denariis procuratoribus ejusdem domus ad expensas tradet prout necesse erit. Procuratores vero de omnibus quæ receperint domino episcopo, priori & aliis fratribus respondebunt, ut dictum est; prior autem de omnibus quæ recepit ad prædictum terminum, vel in prima hebdomada Septembris, Decembris, Martii & Junii, domino episcopo vel illi quem ad hoc voluerit assignare, & suis fratribus illis cum suis scriptis præsentibus qui viderint receptionem, fidelem reddat rationem. Si autem ipse plenariam non reddiderit computationem, tali officio privetur, & ei a domino episcopo & fratribus suis pensata quantitate delicti pœna rationabilis infligatur. Nullus 1217.

autem fratrem, aut sororem suam, aut ancillam, parentem vel consanguineam in prædicta domo, nisi de communi assensu domini episcopi & fratrum ipsius domus introducat. Si autem prior vel aliquis fratrum convictus fuerit, quod duos solidos alicui ad detrimentum ejusdem domus dederit, pœnam idem patiatur ut falsus procurator. Ego vero Hugo episcopus Constantiensis, omnibus meis successoribus supplico humiliter & devote, ut quod ordinavimus bona intentione, faciant perenniter observari, & revelationi Christi pauperum domus supra dictæ pie & misericorditer dignentur per compassionem condescendere fructuosam, semper affectuose omnibus Constantiensis ecclesiæ filiis hoc idem intimantes in visceribus charitatis. Ut autem hæc omnia in statu semper immobili perseverent, nec possint aliquo tempore importune aliquorum malitia revocari, præsentis scripti & sigillorum nostrorum testimonio dignum duximus confirmare. Actum est anno gratiæ millesimo ducentesimo septimo decimo.

XXIX.

1221. UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis minister humilis & capitulum Constantiense, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum ecclesia sancti Petri Constantiensis pleno jure in omnibus ad præbendas R. de sancto Michaële archidiaconi, G. *le Cheminant*, P. de Bosco, G. *de Hamdernesu* magistrorum, R. nepotis canonicorum Constantiensium pertineat, ipsi charitatis intuitu, assensu & voluntate nostra concesserunt hospitali Constantiensi ad sustentationem pauperum altalagium ejusdem ecclesiæ in perpetuam eleemosynam obtinendum; retentis eisdem canonicis & eorum successoribus decimis & carduvarantiæ, & aliorum fructuum crescentium in terris ubi fruges creverunt ab anno Incarnationis Domini millesimo centesimo nonagesimo. Fratres hospitalis de ipso altalagio prædictis canonicis & eorum successoribus annuam pensionem persolvent duodecim librarum usualis monetæ, videlicet sex libras ad synodum Paschalem, & sex libras ad synodum Autumnalem; & magister hospitalis præsentabit sæpe dictis canonicis & eorum successoribus presbyteros ministratores in prædicta ecclesia & capella hospitalis, qui jurabunt se servaturos dictis canonicis canonicam obedientiam, & de prætacta pensione responsuros: si vero necesse fuerit aliqua ex causa, sæpe dicti canonici potestatem habent universi singuli & eorum successores jure præbendarum in ipsam ecclesiam & capellam, & in personas sacerdotum justitiam ecclesiasticam exercere. Ut hæc firma & stabilia in posterum perseverent, præsentis scripti & sigillorum nostrorum testimonio confirmamus. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo primo.

XXX.

1221. UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis episcopus & capitulum Constantiense, salutem in Domino. Cum justum sit & honestum eleemosynas & virorum possessiones religiosorum sub sanctæ ecclesiæ custodia communiri, nos charitatis intuitu hospitali sancti Spiritus & beati Antonii Constantiensis ad sustentationem pauperum ibi commorantium, fructus ecclesiarum & alia beneficia in nostra diœcesi appropriavimus, & in puram & perpetuam eleemosynam confirmavimus. Eadem beneficia & benefactorum nomina rei gestæ veritas docet memoriæ commendando, sicut in sequenti scripto continetur. Ego siquidem Hugo Constantiensis episcopus, ad quem jus patronatus ecclesiæ de Campomotos noscitur

A pertinere, ex donatione & concessione domini Guillelmi de Sola, divinæ pietatis intuitu dedi & concessi dicto hospitali ad sustentationem pauperum ibi commorantium, in puram & perpetuam eleemosynam, duas garbas decimarum ejusdem villæ, cum medietate terrarum eleemosynæ & medietate domorum in ipsis ædificatarum. Dedi etiam & concessi eidem hospitali patronatum ecclesiæ S. Salvatoris de Pomeria ad me pertinentem, ex donatione Hugonis de Doilis & Mabiræ uxoris suæ, Guillelmi *Liece* & Joannæ uxoris suæ, Richardi de Spina & Thomasæ uxoris suæ, cum duabus garbis decimæ ejusdem ecclesiæ, retenta tertia garba . . . . . . sacerdotis in eadem ecclesia administrantis. Bag. *Borel* presbyter, charitatis intuitu, interveniente assensu B Guillelmi & Roberti fratrum suorum, dedit . . . . hospitali præsentationem ecclesiæ sancti Stephani *de Besmesnil*, cum duabus garbis decimæ ejusdem villæ, ecclesiæ salva redecima unius garbæ, quam pater ejus contulit ad dictæ ecclesiæ luminare. Robertus de Dangeio miles, de assensu filiorum suorum Guillelmi & Roberti, resignavit in manu nostra jus patronatus ecclesiæ de Dangeio in tertia garba & altelagio quod ad ipsum pertinebat, & obtulit illud supra majus ecclesiæ Constantiensis altare, ad opus pauperum sæpe dicti hospitalis. Fulcho Paganelli miles, dedit & concessit eidem hospitali in puram & perpetuam eleemosynam, duas garbas decimæ de suo dominio apud Bricuevillam, quas magister Guillelmus *Letheminant* vita comite possidebit. C Fulcho *Mirdart* miles, dedit & concessit sæpe dicto hospitali, duas garbas decimæ S. Petri de Mesnillo *Rogues* in perpetuam eleemosynam, retento sibi & suis heredibus jure præsentationis vicariæ ecclesiæ prædictæ. Herbertus de Morevilla miles, dedit & concessit sæpe dicto hospitali in puram eleemosynam, jus præsentationis medietatis ecclesiæ suæ de Morevilla, quod ad ipsum pertinebat. Robertus *Tesson* miles, dedit & concessit eidem hospitali in perpetuam eleemosynam, decem quartarios frumenti percipiendos annuatim die festi sancti Michaëlis, in molendinis suis de Prepo & *de Cheisfiesne*. Joannes de Porta dedit & concessit eidem hospitali in puram eleemosynam . . . . frumenti percipiendos annuatim in molendino suo de Sola, per manum suam vel illorum qui molendinum suum . . . . . D ejusdem villæ . . . . . . Fulcho . . . . . dedit & concessit sæpe dicto hospitali, totum nemus quod habebat apud vadum Herberti, cum terra in qua situm est, possidendum in puram eleemosynam, & pauperibus ibidem commorantibus. Joannes de Bosco filius Roberti de Bosco, Richardus & Guillelmus fratres ejus, dederunt & concesserunt dicto hospitali in puram eleemosynam, omne jus quod habebant & habere possent jure hereditario, & heredes eorum in bosco de Valle & . . . . scilicet a bosco canonicorum de Lucerna usque ad collem de Perella in longum, & una virgata terræ in eodem colle; & in latum a superiori terra arabili usque ad terram Michaëlis de Pro, quæ est in fundo dictæ vallis, & in undecim pedibus terræ E in superiori terra arabili: pro hac autem donatione & concessione dicti fratres receperunt de bonis ejusdem hospitalis, viginti septem libras Turonenses. Rad. *Jugan* miles, *Liegart* de Vandeleia, Alina & Laurentia sorores dictæ *Liegart*, donaverunt & concesserunt sæpe dicto hospitali, in puram eleemosynam, boscum qui nominatur *Lacoarde* apud Vandeleiam, cum terra in qua silva est, cum duodecim pedibus terræ adjacentis ad clausuram ejusdem bosci: dederunt etiam & concesserunt eidem hospitali boscum qui dicitur *Lacoardele* apud Vandeleiam, & terram in qua situs est. Pro hac autem donatione & concessione prædictus Rad. & prædictæ sorores receperunt de bonis ipsius hospitalis triginta quinque

quinque libras Turonenses. Item, prædictus Rad. *Jugan* dedit & concessit sæpe dicto hospitali pro sex libris, decem & octo solidis Turon. septem virgatas terræ & dimidiam, quas fratres ejusdem hospitalis intra fosseia sua Coardellæ incluserunt, exceptis duobus pedibus terræ, quos reliquerunt extra fosseia ad impartiendum ea prout necesse fuerit. Item, Michaël de Pro, Rob. fratres ejus, dederunt & concesserunt eidem hospitali in puram & perpetuam eleemosynam pro quinquaginta solidis Turonensibus, unam virgatam terræ de dominio suo, quæ terra adjacet bosco ejusdem hospitalis in vallibus de Sola, in qua sunt fossata ad clausuram ejusdem bosci; ita quod fratres hospitalis reddent inde annuatim dictis fratribus & eorum heredibus duodecim denarios usualis monetæ ad nundinas Montis-Martini. Concesserunt etiam eidem hospitali, ut in duodecima pertica muri sui qui claudit boscum prædictum a capite quod est versus occidentem, portam habeant per quam quadrigæ & plaustra cum opus fuerit intrare præfatum boscum & exire possint, & carreriam quadrigis & curris, hominibus & summariis ejusdem hospitalis, quam carreriam prædicti fratres & eorum heredes dicto hospitali garantizare tenentur ab ipsa porta præfata usque ad cheminum regium. Quod ut firmum & stabile in posterum perseveret, præsentis paginæ testimonio & sigillorum nostrorum munimine confirmavimus. Actum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo primo.

XXXI.

1224. UNiversis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo Constantiensis ecclesiæ minister humilis, & fratres & pauperes domus-Dei Constant. salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos unanimiter instituisse pietatis divinæ intuitu, quod nullus in prædicta domo prior assignetur, nisi quem mores & vita, observatio institutionum ipsius domus quas de se fideliter observabit & a cunctis fratribus domus firmiter faciet observari, ipsum tali officio comprobaverint esse dignum. Instituimus etiam, omnes successores nostros pie & misericorditer in domino exhortantes, ut qui ibi tempore succedente prior fuerit assignatus, antequam tale suscipiat officium, cunctis fratribus domus convocatis, bene instruatur super hoc & certificetur quia dominus episcopus semper ipsum ab eodem officio sine contradictione & appellatione qualibet amovebit, & alium instituet quando voluerit & viderit expedire, mediante tamen consilio fratrum dictæ domus. Hoc autem statuimus bona fide, ea auctoritate qua possumus, injungentes quatenus hæc omnia & aliæ institutiones ejusdem domus a nobis ordinatæ in custodia episcopali & in ipsa domo per scriptum perpetuo habeantur, & singulis annis ad dies computationum ejusdem domus statutos, & ad receptionem fratrum & sororum in ordine legantur & distincte, ne inimicus homo sub pelle ovina quasi per ignorantiam aliquo tempore præsumat, quod absit, in prædicta domo, super triticum Domini & zizaniam seminare, bona pauperum temere largiendo, vel ea in suos proprios usus diabolo instigante superflue convertendo. Insuper instituimus quod omnes fratres & sorores ejusdem domus, ut promiserunt, & eorum habitus postulat & ordo, sub obedientia semper maneant & vivant, & suis presbyteris & præcipue illi qui curam administrationis susceperit sub prioris nomine gerendam, reverentiam in omnibus exhibeant & honorem, prout religio sancta exigit & docet. Hoc idem clerici pro religionis honestate, liberaliter & benigne laïcis impendere debent, quia multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Hoc autem totum ordinavimus sano intellectu, ne aliquo tempore, indiscreto & indigno improvise quod absit, domus sæpe dictæ custodia committatur. Ego vero Hugo episcopus, omnes præsentes & futuros moneo diligenter in visceribus caritatis, & præcipue meis successoribus omnibus supplico humiliter & devote, ut quod a nobis divinæ pietatis intuitu incœptum est pro Christi pauperibus perpetuo sustentandis, omni amore carnali postposito & seculari, pie & misericorditer satagant de die in diem in melius promovere. Ut autem hæc omnia firma & stabilia in posterum perseverent, nec possint processu temporis, alicujus malo ingenio importune revocari, præsentis scripti & sigillorum nostrorum testimonio dignum duximus confirmare. Actum est hoc anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto.

XXXII.

UNiversis Christi fidelibus qui præsens scriptum viderint, Hugo Dei gratia Constantiensis ecclesiæ minister humilis, & humile capitulum ejusdem ecclesiæ, salutem in Domino. Cum divinæ pietatis instinctu ad susceptionem pauperum & peregrinorum hospitale quoddam fecerimus apud Constantias in honore sancti Spiritus & beatæ Mariæ & S. Antonii confessoris, considerantes attentius & paucitatem reddituum & pauperum multitudinem, communi assensu constituimus quamdam fraternitatem in singulis parochiis episcopatus nostri perpetuo duraturam, volentes ac præcipientes quod ad relevandam inopiam prædicti hospitalis, & ad sustentationem prædictorum pauperum singulis annis fiat quæsta in singulis parochiis per presbyteros earum parochiarum, cum omni diligentia & sollicitudine tribus dominicis ad minus tempore constituto, & per duos parochianos fideliter conservetur, donec prædicti hospitalis nuncio persolvatur, omnibus quæstis interim cessantibus per totum episcopatum, donec quæsta hæc persolvatur. Præcipimus etiam & in virtute obedientiæ firmiter injungimus singulis presbyteris & personis ecclesiarum, quod ad mandatum & citationem decanorum suorum semel in anno conveniant locis & temporibus constitutis, & omnibus decanis hoc idem præcipimus, quod presbyteros suos faciant convenire cum per nuncium hospitalis fuerint requisiti, ut de indulgentiis scilicet & orationibus quæ prædicto hospitali per nos & alios concessæ sunt, plenius instruantur. Nos enim omnibus decanis, presbyteris qui ad hoc convenerint, & omnibus illis qui cum ipsis sacerdotibus negotium hospitalis ejusdem verbo & opere sollicite & fideliter procurabunt, de injuncta sibi pœnitentia decem dies misericorditer relaxamus. Rogamus etiam successores nostros eo affectu, & ea qua possumus devotione obsecramus in Domino, ut quod a nobis pie incœptum est, pro amore illius qui pietatis auctor est & amator, satagant de die in diem prout Deus inspiraverit in melius promovere; illos autem omnes qui bona fecerint eidem hospitali, larga Dei benedictio semper & præveniat & sequatur, amen. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense Januarii in capitulo Constantiensi. 1225.

XXXIII.

Abbas Exaquiensis instituitur canonicus ecclesiæ Constantiensis. *Ex chartulario.*

H. Dei gratia Constantiensis episcopus & capitulum Constantiense salutem. Ego & capitulum nostrum Constantiense, ad vinculum dilectionis & familiaritatis inter nos & abbatiam firmius conservandum, communicato consilio, Deo volente constituimus, quod abbas Exaquiensis quicumque fuerit, successive sit canonicus ecclesiæ Constantiensis, & percipiat in eadem ecclesia sicut alii canonici beneficium commune si præsens fuerit, & 1222.

habeat stallum in choro & vocem in capitulo in A
omnibus agendis ecclesiæ, excepta electionis causa. Fructus autem ecclesiæ de Orvilla canonico isti constituimus beneficium præbendale, salvo in omnibus prædictis episcopali jure, sicut expedit, & archidiaconi. Hanc itaque ordinationem nostram communi consilio & assensu a nobis factam præsenti charta & sigillis nostris confirmavimus communiter. Actum est anno gratiæ M. CCXXII, mense Julio apud Constantiam.

XXXIV.

Concordia inter episcopum & capitulum.

1235. OMnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Hugo, Dei gratia, Constantiensis ecclesiæ minister humilis, æternam in B
Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod nos qui ad honorem Dei & beatæ Mariæ semper virginis divinum officium in nostra Constantiensi ecclesia cupimus propensius augmentare, & pensata ejusdem ecclesiæ utilitate & necessitate, dedimus & concessimus eidem ecclesiæ Constantiensi omnes decimas omnium novalium, quæ sunt vel futuræ sunt in quacumque parte diœcesis nostræ, extra metas cujuslibet parochiæ ad opus communiæ Constantiensis, in usus canonicorum ibidem Deo deservientium convertendos; & insuper dedimus eidem communiæ, quidquid percipiebamus in oblationibus in majori altari ejusdem ecclesiæ. Debet autem capitulum nostrum de bonis communibus dictæ ecclesiæ onera quædam quæ ad nos & successores nostros C
pertinebant in dicta ecclesia sustinere, videlicet in luminari de cera eidem ecclesiæ providere, incensum ministrare, custodibus ecclesiæ salarium constituere, ita tamen quod illud quod dictis custodibus antiquitus præstabamus, adhuc nos & successores nostri præstabimus in futurum. Item, tenetur in futurum capitulum prædictum ad minutas reparationes circa campanas, videlicet chordis & coriis, & unctura in flagellis, & batildis renodandis, item mundare ecclesiam, facere pannos lineos lavari, & eosdem & sericos ressuere, claves & seras omnes ecclesiæ facere, & catenas thuribulorum reficere, vinum ad missas invenire, natas emere, libros religare, & rotulos qui deferuntur per cathedrales ecclesias pro commemoratione abbatum defunctorum & hujusmodi perso- D
narum facienda pagare. Hæc autem acta sunt in capitulo nostro generali, dicto capitulo consentiente, & sigillum suum cum sigillo nostro huic scripto apponente, in crastino Assumtionis B. Mariæ, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto.

XXXV.

Altera inter eosdem concordia.

1248. CUM super diversis articulis contentio verteretur inter venerabilem G. Dei gratia, Constantiensem episcopum ex una parte, & capitulum Constantiense ex altera, tam super correctione cujuslibet singularis personæ de capitulo & de choro Constantiensi, quam super causis pecuniariis quæ moventur vel moveri E
possunt inter aliquos de capitulo, seu de choro, asserente D. venerabili G. episcopo, quod esset in possessione vel quasi possessione & consuetudine corrigendi & cognoscendi de omnibus supradictis: abjectis altercationibus, in hanc formam pacis unanimiter devenerunt, quod quodcumque religiosi fratres, videlicet prior & supprior de ordine Prædicatorum Constant. dixerint, utriusque partis utilitate prius diligenter inquisita per illos qui melius noverint, ratum habebunt & gratum, sive in præsentia, sive in absentia factum, ut animæ suæ saluti melius viderint expedire. Actum anno Domini M. CCXLVII, in conventu eorum, mense Januarii.

XXXVI.

Acta & statuta capituli generalis monachorum sancti Benedicti in monasterio beatæ Mariæ de Hambeia celebrati. Ex chartario.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. 1248.
Hæc sunt acta & statuta capituli nostri generalis apud Hambeiam celebrati in monasterio nostro de Hambeia, præsentibus filiis nostris dilectis in Christo Roberto abbate *de Lantenac*, P. abbate de Longis, P. abbate *de Valmont*, P. priore de Merula, P. priore de Buzone, & aliis vocatis qui fuerant evocandi, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, die tertia post festum sanctæ Crucis in Maio, & in crastino continuati a die præcedenti. Nos vero Hugo abbas monasterii de Hambeia, Dei miseratione, piis patrum nostrorum vestigiis inhærentes statuimus, quod sicut fuit in nostro ordine hactenus observatum, generale capitulum singulis annis in nostro monasterio de Hambeia solemniter celebretur tertia die post inventionem sanctæ Crucis vel alia die quam ad hoc assignabimus, si utilitati ordinis nostri videbimus expedire. Volumus etiam quod omnes prædicti abbates & priores conventuales personaliter accedant, nisi justa de causa & rationabili fuerint impediti, de cujus impedimento nos reddent per monachum sufficientem procuratorem cum literis eorum patentibus certiores. Et quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari; volumus & statuimus quod singuli conventus ad prædictum capitulum aliquem monachum discretum de communi assensu eorum electum cum abbate seu priore mittant cum suarum testimonio literarum sufficienter institutum, & de statu monasterii in spiritualibus & temporalibus, si aliquid fuerit corrigendum, vel in capite vel in membris, nobis fideliter exponatur. Inprimis siquidem statuimus, quod in celebratione capituli, antequam de aliquo tractetur, Spiritus sancti gratia flexis genibus invocetur cantando *Veni Creator Spiritus*, &c. cum versu *Emitte spiritum*, &c. & collecta *Deus qui corda*, &c. Statuimus etiam quod omnes infra abbatiam constituti, mox ut signum audierint, relictis omnibus secularibus rebus agendis, cum nil operi Dei sit præponendum, ad monasterium accedant, in choro cum aliis principium, medium & finem horarum necnon & missarum tenentes: nulli licere egredi, nisi de licentia præsidentis, sciens se velocius reversurum; qui aliter fecerit, coram omnibus in capitulo recognoscat delictum, prioris judicio disciplinarie puniendus. Quia vero beati Benedicti patris nostri regulam tenemus, in omnibus observare statuimus & volumus, quod tam in domo nostra quam in abbatiis & prioratibus nobis subditis, omnes consuetudines, constitutiones & observationes, si quæ sint Deo vel regulæ B. Benedicti contrariæ, penitus dimittantur, nec de cetero observentur. Statuimus etiam, quod quando regula in capitulo legitur, propter minores Gallice exponatur. Statuimus etiam, quod tam abbates quam ceteri monachi, nonnisi in dormitorio jaceant, sive de die, sive de nocte jaceant aut dormiant, exceptis infirmis; nec aliquis, excepto abbate, cameram habeat specialem. Ille qui præest præcepta non præcipitet, vel sententiam excommunicationis indiscrete. In infirmitoriis sint servientes idonei, qui secundum facultates domorum, cum benignitate & diligentia serviant infirmo, quibus de victu sufficienti alias provideatur quam de residuis infirmorum, cum ea velimus per manum eleemosynarii pauperibus erogari. Volumus etiam quod nullus infirmus portionem suam petat vel recipiat, nisi eam valeat comedere; & si eam forte recepit & non comederit, illud quod est residuum reddere cellerario non postponat: si quis talem infirmitatem habeat quæ ipsum non debilitet,

& appetitum non turbet, talis cibis refectorii sit contentus. Statuimus etiam, quod nullus de comedentibus refectorio exire præsumat, nisi de præsidentis mandato. Nullus in refectorio aliquam singularitatem faciat, non eleemosynam minuat aut defraudet, vel coquinam intret, vel ad fenestram refectorii accedat, exceptis servitoribus & illis qui ad coquinæ officium deputantur. Item, nulli monacho in monasterio residenti liceat aliquando comedere vel bibere extra refectorium, nisi de abbatis vel prioris licentia speciali, & etiam horis determinatis: si fuerit abbas absens, nullus se eximat a prima mensa, nisi certa occupatione fuerit impeditus, & hoc tamen de licentia præsidentis. Nulli abbati, priori vel monacho liceat infra leucam domus suæ comedere in domo sua vel in alia religiosa. Statuimus etiam quod si forte, quod absit, aliqui fuerint ebriosi, sive intus sive foris, ab officiis absolvantur, si in eis fuerint, & pœnæ subjaceant graviori; & alii similiter qui in officiis non existunt. Nullus vestes suas seu calceamenta stricta habeat, non vendere audeat, aut donare, nec nova recipiat, nisi veteribus restitutis, per manum abbatis seu prioris abbates non habentium, pauperibus erogandis. Item, nullus recipiat depositum in custodia sine abbate vel priore, nec abbas vel prior sine testimonio aliquorum. Omnibus prioribus seu obedientiariis sub pœna excommunicationis inhibemus, ne aliquis de nemoribus vendere aut donare præsumat, nisi de licentia conventus. Statuimus etiam, quod servientes superflui vel diffamati statim de monasterio, prioratibus & maneriis expellantur. Scriptores vero nullum pretium scripturarum accipient, nisi de licentia prælati, in usum monasterii convertendum. Statuimus etiam, quod omnes tabernas ac loca suspecta, necnon & personas suspectas caveant, & a potibus æqualibus omnes pariter abstineant. Sanguinis effusores & enormitatum actores usque ad nostrum generale capitulum reservamus judicandos, quarta & sexta feria singulis hebdomadis in pane & aqua interim jejunantes, & ab altaris officio abstineant, nisi interim ad nos venerint super his nostrum consilium recepturi; ita tamen venient cum suorum literis prælatorum. Si quis vero fratrum fratri objecerit crimen quod probare non poterit, aut de objecto se purgare non potuerit, pro actore criminis reputabitur, pœnamque actoris patietur. Delicta emendata passo pœnam improperantes, pœnam passorum patiantur. Prioratus & omnes administrationes gratis & absque venalitate idoneis monachis de quibus scandalum non oriatur, conferantur. Si quis autem pro hujusmodi aliquid dederit, vel receperit, vel promiserit, ipsum simoniacum reputamus. Nullus monachus quocumque loco sit, sive in domo religionis, sive intra, carnes comedat, nisi secundum quod in regula B. Benedicti continetur. Præcipimus insuper quod abbates & priores, cum consilio fratrum quibus præsunt, vel majoris partis & sanioris ipsorum quod faciendum est, mutandum aut etiam innovandum, hoc ita faciant, quod omnibus liqueat quanta summa quibusque creditoribus, & quibus terminis debeatur, & quos in usus contractum mutuum sit conversum. Statuimus etiam quod singulis tribus mensibus coram abbate & duobus discretioribus & honestioribus reddant officiales de suis officiis rationem, computationem de receptis & de expensis faciendo. Abbates etiam & priores bis in anno, mense scilicet Octobri collectis anni fructibus, & mense Aprili statum domus suæ in capitulo plenarie manifestent, quem statum quoque, dum visitabimus monasteria eorumdem, canonice, prout decet, nobis ostendi volumus manifeste. Nullus quoque abbas bona immobilia vendat, vel commutet, vel donet, sed sciat sibi omnium alienationem penitus interdictam. Si vero aliquis monachus cum aliqua muliere sine honestis testibus loqui præsumpserit, foras eundi licentia ei denegetur. Monachus etiam qui clausuras domus sine licentia exire præsumpserit, vel moram extra facere sine licentia, regulari pœnæ subjaceat, nec etiam claustrum exeat sine licentia speciali. Nolumus quod abbates seu priores præsumant discurrere seu evagari, volentes quod in claustro cum fratribus sedeant & divinis intersint, maxime vigiliis, capitulo, collationi & refectorio cum eisdem, nisi causa necessaria & utili fuerint impediti. Volumus etiam quod constitutio domini papæ de fugitivis & ejectis ordinis nostri requirendis in omnibus observetur. Excommunicamus etiam omnes proprietarios, qui post quindenam aliquod proprium præsumpserint retinere. Volumus etiam quod abbates nostri & priores, necnon & omnes alii sacerdotes semel in anno post celebrationem capituli generalis, præsentibus fratribus in suis capitulis excommunicent candelis accensis, pulsatis campanis, proprietarios supra dictos. Volumus etiam quod istius scripturæ exemplar abbates & etiam priores conventuales secum deferant, & in capitulis suis legant, Gallice exponentes. Actum anno & die supradictis, qua dilecti filii nostri abbates de Longis & *de Valemont,* præsente procuratore conventus de Longis nobis prædicto Hugoni tanquam presbytero, abbati & monasterio Hambeiensi & successoribus nostris obedientiam fecerunt in nostro generali capitulo, & solemniter promiserunt. In cujus rei testimonium una cum sigillo nostro prædicti abbates præsenti scripturæ sigilla sua apposuerunt.

XXXVII.

De electione abbatis sancti Salvatoris.

Ex chartulario. 1255.

JOHANNES de Haricuria miles ac dominus sancti Salvatoris vicecomitis Constantiensis diœcesis, salutem ..... Cum de cetero vacare contigerit monasterium S. Salvatoris quoquomodo a pastore, monachi qui pro tempore erunt ibidem de cetero eligant, vel postulent canonice quemcumque voluerint in abbatem ..... prius tamen a me & heredibus meis qui pro tempore erunt domini de sancto Salvatore jam dicto eligendi petita semel licentia .... quam licentiam ego & heredes mei dictis monachis de cetero non possimus denegare. ..... anno 1255, mense Aprili.

XXXVIII.

Abbas S. Severi die festo S. Andreæ in ecclesia cathedrali Abrincensi adesse tenetur.

Ex chartario ecclesiæ Abrincensis. 1258.

UNiversis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Petrus, miseratione divina, humilis abbas monasterii sancti Severi in diœcesi Constant. salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos & successores nostri abbates dicti monasterii qui pro tempore erunt, ratione bonorum quæ habemus in diœcesi Abrincensi, & de antiqua consuetudine, tenemur singulis annis in festo sancti Andreæ hiemali interesse in ecclesia beati Andreæ Abrincensis, vel non interesse cum literis nostris sufficientem excusationem cum assignatione rationis nostræ absentiæ, &c. Et nos P. promittimus bona fide nos de cetero servaturos & secuturos pro nobis, &c. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum sigillum duximus apponendum. Actum die Dominica proxima post festum sanctorum apostolorum Petri & Pauli in dicta ecclesia Abrincensi ad processionem, anno Domini 1258.

XXXIX.

Compositio inter episcopum & capitulum Constantiense.

1263. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis & audituris humile capitulum ecclesiæ Constantiensis, salutem in Domino sempiternam. Per præsens publicum instrumentum sigillo nostro sigillatum manuque subscripti publici notarii scriptum & ejus signo solito signatum ad majorem notitiam & certitudinem hujus rei, cunctis pateat evidenter quod hoc est transcriptum quarumdam literarum sigillo bonæ memoriæ Roberti quondam * & nuper episcopi Constantiensis, ac sigillo nostro prædicto sigillatarum, necnon & principii & finis quarumdam aliarum literarum confirmatoriarum supra contentis in literis supradictis & tenorem earumdem continentium sigillo reverendi in Christo patris domini, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopi sigillatarum; cui transcripto tamquam originali fidem volumus adhiberi, & ut transcriptum hujusmodi vim & robur originalium obtineat quæ penes nos retinemus, eidem transcripto auctoritatem nostram in quantum possumus, interponimus & decretum. Dictarum vero literarum tenor dignoscitur esse talis: Universis hæc visuris & audituris, Robertus, permissione divina, episcopus, & humile capitulum Constantiensis ecclesiæ, salutem in Domino. Notum facimus quod cum dudum super quibusdam articulis subscriptis inter bonæ memoriæ Joannem olim episcopum, & capitulum Constantiense orta fuisset contentio; tandem idem Joannes episcopus & nos capitulum, ducti bonorum virorum consilio, interveniente bonæ memoriæ Odone pro tempore archiepiscopo Rotomag. super eadem contentione in venerabiles & discretos viros magistros Matthæum de Esseio Constantiensem canonicum, & Joannem de Caromonte archidiaconum Bajocensem, ac Petrum de Maceriis rectorem ecclesiæ de Lingrevilla, pro parte compromisimus. Qui quidem arbitri, onere hujusmodi compromissi in se suscepto, & cognito de præmissis, suam arbitralem sententiam super dictis articulis protulerunt & ordinaverunt, prout in quodam instrumento super hoc confecto sigillis eorum sigillato plenius continetur, cujus tenor dignoscitur esse talis: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Cum inter reverendum patrem Joannem, Dei gratia, Constantiensem episcopum ex una parte, & viros venerabiles capitulum Constantiense ex altera, coram reverendo patre Odone, Dei gratia, Tusculano episcopo, a domino papa in curia dictis partibus auditore concesso, super diversis articulis contentis in libellis hinc & inde editis coram auditore prædicto quæstio seu contentio verteretur; tandem interveniente reverendo patre Odone, Dei gratia, Rotomagensi archiepiscopo, supra omnibus & singulis articulis contentis in dictis libellis, quorum tenorem de verbo ad verbum propter ipsorum prolixitatem præsentibus inserendum non duximus, in nos sub hac forma a prædictis partibus extitit compromissum, videlicet quod nos mag. Matthæus de Esseio Constantiensis canonicus, & Petrus de Maceriis rector ecclesiæ de Lingrevilla pro parte Constantiensis diœcesis, auditis hinc & inde rationibus, tam juris quam facti, pace, judicio vel amicabili compositione de plano, prout vellemus & expedire videremus procedentes, deberemus intra octavas Assumptionis beatæ Mariæ virginis una die, una sententia vel pluribus dictum nostrum vel arbitrium, sententiam, seu ordinationem proferre, sive terminare negotium, prout expediens videremus. Quod si discordes essemus in aliquo, vir venerabilis & discretus magister Joannes de Caromonte archidiaconus

A Bajocensis, tertius arbiter a dictis partibus communiter electus extitit & assumptus; ita quod partes prædictæ starent & stare deberent plurium sententiæ sive dicto. Verum quia nos duo prædicti Matthæus & Petrus dictum negotium non poteramus concorditer terminare; præfatum archidiaconum ad hoc juxta formam compromissi duximus evocandum. Nos igitur prænominatus Joannes archidiaconus Bajocensis, a jam dictis magistris Matthæo & Petro coarbitris propter eorum discordiam specialiter evocatus, & nos prædicti Matthæus & Petrus, vocatis partibus antedictis ad audiendum dictum nostrum arbitrium, sententiam sive ordinationem nostram super negotio de quo in nos extitit compromissum, ad diem Martis post Assumptionem B. Mariæ virginis a B nobis eisdem partibus ad hoc peremptorie assignatam, & eadem die sufficienter comparentibus coram nobis, prædictum negotium sub forma quæ sequitur, juxta dicti compromissi a nobis recepti tenorem, duximus terminandum. In primo itaque pro bono pacis ordinando injungimus reverendo patri Joanni, Dei gratia, Constantiensi episcopo, ne ipse procedat ulterius super facto præbendæ quæ fuit quondam prioris de Britannia ordinis S. Augustini in ecclesia Constantiensi, compellendo capitulum Constantiense ad receptionem abbatis de Troarno, ordinis sancti Benedicti, Bajocensis diœcesis, ad eamdem præbendam in canonicum & in fratrem, aut assignando seu assignare faciendo eidem abbati locum in capitulo & stallum in choro in ecclesia Constantiensi, vel C etiam juvando præfatum abbatem super * prædictis occasione dictæ præbendæ contra capitulum memoratum: inhibentes dicto priori Constantiensi ne executionem collationis dictæ præbendæ quantum in se est ulterius prosequatur. Item, ordinando injungimus prædicto reverendo patri episcopo Constantiensi, ut Guillelmum de Troarno nepotem suum, & ejus uxorem & familiam, intra festum sancti Michaëlis proxime venturum, a manerio de Templaria juxta sanctum Laudum omnino amoveat, ita quod ibi a festo prædicto de cetero non morentur, nec alius nomine eorumdem, ne exinde futuro successori dicti patris & dictæ ecclesiæ suæ Constantiensi possit in posterum præjudicium generari. Item, ordinando statuimus ut episcopus Constantiensis abbates Constantiensis diœcesis irrequisito capitulo Constantiensi, D ubi voluerit instituat, destituat & confirmet. Item, ordinando definivimus ut episcopus Constantiensis abbates Constantiensis diœcesis benedicat in ecclesia Constantiensi & non extra, nisi idem episcopus infirmitate fuerit impeditus, vel nisi de consensu capituli Constantiensis: & si aliquos benedixerit extra ecclesiam propter infirmitatem corporis, vel de consensu capituli Constantiensis, dominus episcopus mittet sic benedictos, antequam accedant ad monasteria sua, facturos professionem ecclesiæ Constantiensi & alia consueta. Facient autem abbates extra ecclesiam Constantiensem benedicti juramentum & professionem sub hac forma: *Ego talis abbas de tali loco obedientiam, reverentiam & subjectionem huic sanctæ ecclesiæ Constantiensi perpetuo me exhibiturum* E *promitto, & super hoc altare propria manu subscribo.* Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis sine consensu capituli sui non possit dare licentiam thesaurario & scholastico ecclesiæ Constantiensis absentandi se ab ecclesia memorata. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis canonicos Constantiensis ecclesiæ ad præsentationem capituli Constant. ad ordines promovebit. Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis clericos chori ecclesiæ Constantiensis promoveat ad ordines, si cantor eos in persona propria præsentet, vel per literas suas continentes salutem & reverentiam tanto patri debitam & devotam. Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis

de nemoribus suis, sine consensu capituli, utatur & faciat prout ipse & prædecessores sui consueverunt facere temporibus retroactis. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis solvet capitulo Constantiensi decem libras Turonenses distribuendas, prout moris est, pro conreio in Nativitate Domini, in festo Resurrectionis ejusdem, in festo Pentecostes, in festo Assumptionis B. Mariæ virginis, & in festo sancti Laudi, videlicet in singulis dictarum festivitatum singulas decem libras, quandocumque & quotiescumque in aliqua dictorum festorum absentem dictum episcopum a civitate Constantiensi fore contigerit. De illa vero medietate ecclesiæ de Nidocorvi, cujus medietatis dedit eidem episcopo Guirardus *de Cucvartot* miles jus patronatus, suam faciat voluntatem episcopus; & ad hoc præstabit assensum capitulum Constant. quantum in se erit, ad requisitionem episcopi memorati. Item, ordinando pronunciamus quod bona canonicorum ab intestato decedentium, tam simplicium quam personatus & dignitates habentium, per episcopum & capitulum disponantur, vel per deputatos ab ipsis. Item, ordinando pronunciamus quod assolarium ad usum fabricæ ecclesiæ Constantiensis gratis & libere sine reclamatione capituli ipsiusque contradictione perpetuo debeat remanere. Item, pro bono pacis absolvimus ab impetitione dicti capituli & procuratoris ejusdem super domo thesaurarii Constantiensis, cum inde fecerit compensationem thesaurario memorato. Item, ordinando pronunciamus super articulo de non solvendo pecuniam ad sigillum curiæ Constantiensis, pro sigillandis literis impetrandis a capitulo, fore hoc liberalitati dicti episcopi relinquendum. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus solvet capitulo Constantiensi XXV libras pro XL solidis Turonensibus annui redditus quas petebat capitulum ab eodem episcopo, pro manerio quod fuit quondam Radulphi *Norjot* sito ante portas majoris ecclesiæ Constant. & quod dictum capitulum in dicto manerio nihil reclamabit de cetero, & tradet episcopo chartas & munimenta quæ habet inde. Item, cum prædictum capitulum Constantiense proponeret contra dictum episcopum quod cum idem capitulum esset & fuisset in possessione vel quasi instituendi & destituendi vicarium in ecclesia B. Mariæ de Monte Constantiensis diœcesis, & visitandi, & hujusmodi jurisdictionem exercendi ibidem, idem episcopus in eadem ecclesia vicarium de facto, cum de jure nequiverit, contra justitiam instituit in ejusdem capituli præjudicium & gravamen, & aliter quominus dictum capitulum visitet in eadem, & in ejus vicarium seu plebem justitiam exerceat, impedit & perturbat; quare petebat dictum capitulum dictum vicarium a prædicta vicaria sententialiter amoveri, & quod erat factum per eumdem episcopum in hac parte, cassari, cassum & irritum nunciari, & eidem episcopo sententialiter injungi ut dictum capitulum permitteret prædicta libere exercere: nos dictum episcopum ab impetitione dicti capituli & procuratoris ejusdem super præmissis in hoc articulo contentis duximus absolvendum. Item, ordinando pronunciamus jus patronatus ecclesiæ de Bella-valle ad dictum capitulum pertinere, seu de cetero spectare debere, ita tamen quod institutus nunc per episcopum in ecclesia supradicta non amoveatur, sed per capitulum repræsentetur episcopo, & ab eodem episcopo ad præsentationem capituli admittatur. Item, ordinando pronunciamus quod recipiendus in canonicum in ecclesia Constantiensi juramentum præstabit in capitulo sub hac forma, videlicet fidelitatem ecclesiæ Constantiensi, & se antiquas & approbatas consuetudines servaturum. Item, cum proponeret dictum capitulum contra præfatum episcopum, quod cum idem capitulum fuisset aut esset in possessione vel quasi ponendi custodes in eadem ecclesia Constantiensi, & etiam

A amovendi eosdem una cum episcopo antedicto, idem episcopus quosdam custodes amovit & alios posuit dicto capitulo invito & irrequisito, quare petebat quod per eumdem factum erat cassari, cassatum & irritum nunciari, & sibi inhiberi quod talia sine capitulo non attemptaret, & ad prædictam possessionem vel quasi restitui & restituendum fore decerni; nos dictum episcopum in hoc articulo ab impetitione dicti capituli & procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Item, super eo quod dictum capitulum proponebat contra dictum episcopum, quod idem episcopus ecclesias & beneficia sibi seu mensæ suæ & aliis Constantiensis diœcesis, sine consensu dicti capituli appropriaverat, dictum episcopum ab impetitione dicti capituli & procuratoris ejusdem du- B ximus absolvendum. Item, ordinando pronunciamus quod canonici præbendarum de Manceleria, de sancto Sansone, *de Quibouc*, de Traleio, & de S. Laudulo super Siennam, de Mulle-villa & de Uruilla, in homines suos dictarum præbendarum habeant jurisdictionem temporalem & spiritualem, & dispositionem bonorum ab intestato decedentium; & si contingeret quod dicti homines citarentur vel traherentur in curia laïcali coram episcopo Constantiensi vel ejus allocatis, idem episcopus vel ejus allocati reddent reposcentibus canonicis dictarum præbendarum vel eorum allocatis curiam suam: si vero citentur vel trahantur in curia ecclesiastica coram episcopo vel ejus officialibus vel attornatis, excipient de foro & remittentur ad examen prædictorum canonicorum; si C autem ab audientia dictorum canonicorum per dictos homines contigerit in foro ecclesiastico appellari, erit appellandum ad capitulum, & a capitulo ad episcopum: hæc autem de prænominatis præbendis ordinamus, salvo jure aliarum præbendarum ecclesiæ Constantiensis, & etiam prædictarum si quæ alia jura habere dignoscantur. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis capitulo Constant. solvat singulis annis viginti solidos Turonenses pro decima molendini sui de Bono-fossato; decernentes ut dictum capitulum dictis viginti solidis Turonensibus eisdem annuatim solvendis pro dicta decima de cetero sint contenti. Item, super eo quod dictum capitulum petebat eidem episcopo injungi quod distributiones quas idem episcopus in sua absentia percepit & percipere consuevit, D quatuor clericis Constantiensis ecclesiæ per manum communicarii erogaret, & eis permitteret per manus dicti communicarii erogari, hoc per ordinationem nostram episcopi conscientiæ duximus relinquendum. Item, ordinando pronunciamus quod capitulum Constantiense de cetero rocheta puerorum chori de suo inveniat & procuret, & quod episcopus Constantiensis cruces novas inveniat, seu fieri faciat & procuret, & veteres reparari faciat. Item, ordinando pronunciamus quod canonici Constantienses ecclesias parochiales habentes in civitate vel diœcesi Constantiensi non annexas præbendis, tenebuntur exequi mandata episcopi Constantiensis per se vel per alium; dummodo idem episcopus tamquam rectoribus, & non tamquam canonicis, scribat eis. Item, ordinando E pronunciamus quod episcopus Constantiensis fabricam ecclesiæ Constantiensis, & bona fabricæ dictæ, prout consuevit, custodiat. Si tamen grande opus immineat in dicta ecclesia faciendum, episcopus illud faciat seu fieri faciat, requisito consilio capituli vel majoris partis præsentium in ecclesia supradicta. Item, super eo quod dictum capitulum proponebat contra prædictum episcopum, quod contra consuetudinem, in diversis locis Constantiensis diœcesis plures officiales instituit sine consensu dicti capituli, eumdem episcopum in dicto articulo ab impetitione dicti capituli, & procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Item, super articulo de consuetudinibus, statutis & usibus approbatis ab episcopo non servatis,

prout proponebat procurator dicti capituli, & in libello dicti capituli plenius continetur, dictum episcopum ab impetitione dicti capituli & procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Super eo vero quod prædictus episcopus Constantiensis contra dictum capitulum Constantiense proponebat quod ipsi non absque juris injuria, de facto, licet de jure non possent, supposuerant temere ecclesiastico interdicto cessantes a divinis & officiis consuetis, in injuriam, contemptum, & præjudicium prædictorum episcopi & ecclesiæ memoratæ, & peteret ejusmodi interdictum cassari & irritari, cassum, nullum & irritum nunciari, & eidem capitulo sententialiter inhiberi, ne de cetero præsumerent attentare, prout in libello ejus plenius continetur; pro bono pacis per ordinationem nostram taliter definivimus, ut per interdictum seu cessationem a solemnitate divinorum officiorum consueta in ecclesia Constant. interposita vel facta per capitulum seu canonicos Constantienses, anno Domini M. CCLXI, ab octo diebus ante Nativitatem Domini, vel circa, usque post Purificationem beatæ Mariæ virginis, nihil juris circa proprietatem vel possessionem dictis capitulo vel canonicis acquiratur, nec episcopo Constantiensi vel ejus successoribus aliquod præjudicium generetur; & si quid juris exinde prædictis capitulo & canonicis fuerit acquisitum, vel episcopo præjudicium generatum, una cum ipso actu dictorum interdicti seu cessationis a solemnitate solita divinorum, cassa & irrita penitus per ordinationem nostram pronunciamus, pro infectis penitus habeantur. Super inhibitione facta per dictum capitulum vel dictos canonicos, ut dicitur, clericis & vicariis ecclesiæ Constantiensis, ne ipsi episcopo celebranti in majori altari dictæ ecclesiæ Constantiensis assisterent, vel ipsum cantando vel legendo, in celebratione juvarent; necnon & super expulsione, ut dicebat idem episcopus, quorumdam ab ipsorum collegio pro eo quod dicto episcopo astiterant in dicta ecclesia celebranti divina, & super injuriis, interesse, damnis & expensis, quæ idem episcopus occasione prædictorum petebat, dictum capitulum & procuratorem ejusdem absolvimus. Item, super eo quod dictus episcopus contra dictum capitulum proponebat quod ipsi, ipsius episcopi consensu minime requisito, temere statuerant quod quilibet de seipsis semel in hebdomada possit abesse a matutinis officiis, & nihilominus de quotidianis distributionibus quæ communia dicuntur, possint recipere integram portionem, hujusmodi absentia non obstante; & quod statuerant quod illi canonici qui in qualibet septimana die Veneris ad capitulum convenirent, habeant duodecim denarios de communia; & quod singuli ex ipsis in certis defunctorum anniversariis, de quotidianis distributionibus seu communia duplicatam recipiant portionem: insuper & quod statuerant quod expensæ quæ per canonicos dictæ ecclesiæ incipientes antiphonas singulis annis in septem diebus ante Nativitatem Domini de bonis propriis ipsorum canonicorum fieri consueverant, de communibus distributionibus seu communia ministrentur; & quod singulis annis in die capituli generalis, & die sequenti, quilibet canonicus recipiat viginti solidos Turonenses; & quod concesserant cuidam laïco nomine *Norjot*, quod ipse perciperet singulis diebus quotidianas distributiones sicut unus de canonicis ecclesiæ memoratæ, prout in libello dicti capituli prædicta plenius continentur: ordinando pronunciamus ut prædicta statuta in suo statu remaneant, maxime cum nobis constiterit eumdem episcopum præsentem in aliquibus extitisse. Item, super collatione trium vicariarum majoris altaris, & institutione & destitutione vicariorum earumdem, dictum capitulum & procuratorem ejusdem ab impetitione dicti episcopi, sententialiter duximus absolvendum. Item, super articulo de jurisdictione

A omnimoda quam idem episcopus vendicabat in habentibus dignitates seu personatus, necnon in canonicis, & vicarias obtinentibus, ordinando pronunciamus quod dictum capitulum in causis pecuniariis habeat jurisdictionem in canonicos simplices, & personatus seu dignitates habentes, & vicarios ecclesiæ Constant. episcopus vero in causis criminalibus habebit jurisdictionem in prædictos, exceptis furto, adulterio, incestu, & aliis minoribus criminibus, atque sacrilegio, in ecclesia & in civitate Constantiensi commisso: episcopus vero in archidiaconos, in causis pecuniariis, necnon & contractibus & delictis ratione archidiaconatuum suorum initis & commissis jurisdictionem exerceat. Ratione autem præbendarum suarum respondeant coram
B capitulo in causis pecuniariis: in criminalibus vero respondebunt coram episcopo & capitulo, prout de canonicis simplicibus & aliis personatus seu dignitates habentibus superius est expressum. Per hanc ordinationem nostram quod inter dictos episcopum & capitulum Constantiense de vicariis in hoc articulo fecimus, nulli alii volumus præjudicium generari. Actum apud Constantias anno Domini M. CCLXIII, die Martis post Assumptionem B. Mariæ virginis.

Verum quia nos Robertus episcopus dicebamus sententiam & ordinationem prædictas esse personales nobis, capitulo contrarium asserentibus, ut dissentionis & dubitationis omnis materia tollatur, ac contentionis occasio amputetur, & ut pax & concordia in posterum observentur, composuimus super præmissis in modum taliter subsequentem: videlicet
C quod cum nos capitulum prædicti diceremus eumdem dominum Robertum episcopum teneri benedictiones in ecclesia Constantiensi abbatibus suæ diœcesis impertiri, Roberto episcopo contrarium asserente; demum inter nos Robertum & capitulum prædictos super hoc concordatum fuit, actum & conventum, & etiam ordinatum, ita quod nos Robertus episcopus & successores nostri, cum necesse fuerit abbates benedici a nobis, poterimus ubicumque voluerimus extra civitatem Constantiensis diœcesis abbatibus impertiri benedictiones, prout nobis visum fuerit expedire; quodque abbates hujusmodi cum & ubicumque fuerint benedicti, adire Constantiensem ecclesiam, & ibi eidem ecclesiæ facere fidelitatis debitum & solitum juramentum tenebuntur antequam
D possint ad sua cœnobia remeare, sicuti abbates ejusdem diœcesis benedicti perantea facere tenebantur. Et quod si contingat nos vel successores nostros benedictiones hujusmodi celebrare in civitate Constantiensi alibi quam in ecclesia memorata; illi qui extra eamdem ecclesiam fuerint benedicti, statim post benedictionem hujusmodi tenebuntur adire ipsam ecclesiam, & ibi prædictum facere juramentum. Et si qui abbates in eadem ecclesia fuerint benedicti, incontinenti facient ipsi ecclesiæ hujusmodi juramentum, prout extitit consuetum. Ac etiam quod nos episcopus & successores nostri tenebimur injungere abbatibus prædictis cum benedicti fuerint quovis loco, ut adeant Constantiensem ecclesiam supradictam, & ibi faciant prædictum fidelitatis & solitum
E juramentum priusquam valeant redire ad monasteria eorumdem; ipsosque abbates ad hoc, si opus fuerit, coercere: prædicta tamen sententia arbitrali in ceteris omnibus articulis remanente in suo robore perpetuo duratura. Præterea statuimus & ordinamus, & ex causa, quod nos episcopus ac capitulum non poterimus, nec successores nostri, in posterum vendere nemora in toto vel in parte, de nostro parco Constantiensi & de Bono-fossato, sine assensu & voluntate nostrorum totius capituli prædictorum, supra hoc ita solenniter sicut & pro electione episcopi vocandorum. Articulum autem in alia compositione contentum de literis singulis canonicis gratis concedendis, intendimus, declaramus & volumus, non

solum in nostra Constantiensi, sed etiam in Vallo- A niensi curia observari. Ceterum autem ut omnia præmissa per nos Robertum episcopum & capitulum, ut præmittitur, ordinata, utilitatibus nostris ac nostrorum successorum, & ecclesiæ prædictæ pensatis, consideratisque considerandis, & deliberatione super hoc præhabita diligenti, valeant in perpetuum inviolabiliter observari, & obtineant roboris firmitatem, una cum ceteris omnibus & singulis in prædictis articulis enarratis: nos Robertus episcopus & capitulum reverendo in Christo patri ac domino domino, Dei gratia, archiepiscopo Rothomagensi metropolitano nostro, tenore præsentium humiliter supplicamus, ut sic placeat sibi præmissa omnia & singula auctoritate sua metropolitana, modo debito confirmare, aliis compositionibus, usibus & consuetudinibus B Constantiensis ecclesiæ in suo robore duraturis. In cujus rei testimonium & munimen præsentes literas nostrorum sigillorum caracteribus fecimus roborari. Actum apud Constantias in capitulo Constantiensis ecclesiæ supradictæ, anno Domini M. CCCXIII, die Jovis post Assumptionem beatæ Mariæ virginis. Has vero dictiones, & capitulo Constantiensi beatæ Mariæ virginis abbates benedicti a nobis, ut interlinearum scriptas superius, necnon & tractum factum inter istam dictionem, trium, & hanc, vicariarum, factum in præsenti litera approbamus. Literæ vero prædictæ confirmatoriæ tenorem suprascriptarum literarum & seriem continentes, sic incipiunt. Universis hæc visuris & audituris, Ægidius, permissione divina, Rotomagensis archiepiscopus, salutem in Domino sempiternam. Patentes literas sigillis venerabilis fratris nostri domini Roberti, Dei gratia, episcopi, ac discretorum virorum capituli ecclesiæ Constantiensis, ut apparebat prima facie communitas, nos recepisse noveritis, & quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis: Universis hæc visuris & audituris, Robertus, permissione divina, episcopus, & humile capitulum Constantiensis ecclesiæ, salutem in Domino. Notum facimus quod cum dudum super quibusdam articulis subscriptis inter bonæ memoriæ Joannem olim episcopum & nos capitulum Constantiense orta fuisset contentio, idem Joannes episcopus & nos capitulum ducti bonorum virorum consilio, interveniente bonæ memoriæ Odone pro tempore archiepiscopo Rotomagensi, super eadem contentione in venerabiles & discretos viros magistros D Matthæum de Essejo canonicum Constantiensem, & Joannem de Caromonte archidiaconum Bajocensem, ac & Petrum de Maceriis rectorem ecclesiæ de Lingrevilla, pro parte compromisimus. Qui quidem arbitri, onere hujusmodi compromissi in se suscepto, & cognito de præmissis, suam arbitralem sententiam super dictis articulis protulerunt & ordinarunt, prout in quodam instrumento super hoc confecto, sigillis eorum sigillato, plenius continetur, cujus tenor talis esse dignoscitur: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen. Cum inter reverendum patrem Joannem, Dei gratia, Constantiensem episcopum ex una parte, & viros venerabiles capitulum Constantiense ex altera, coram reverendo patre Odone, Dei gratia, Tusculano epi- E scopo, a domino papa in curia dictis partibus auditore concesso, super diversis articulis contentis in libellis hinc & inde editis coram auditore prædicto quæstio seu contentio verteretur: tandem interveniente reverendo patre Odone, Dei gratia, Rotomag. archiepisc. super omnibus & singulis articulis, &c. item & sic terminatur: Verum cum præfatus episcopus pro se, & magister Guillelmus Rupelle, & Robertus de Bosco, alias *Bleton*, canonici Constant. pro capitulo memorato nobis archiepiscopo, tam per prædictas literas quam oraculo vivæ vocis, cum instantia duxerint supplicandum, ut nos contenta in præscriptis literis rata & grata habere, laudare & approbare dignaremur, ac etiam auctoritate nostra metropolitana confirmare: nos attendentes in hoc esse utilitatem utriusque partium prædictarum, ipsarum supplicationibus inclinati, prædictam ordinationem factam super benedictionibus abbatum Constantiensis diœc. per episcopum qui nunc est, & pro tempore fuerit, in posterum impendendis, & super nemoribus in præfatis literis nominatis, de cetero absque de assensu & voluntate dicti capituli non vendendis; maxime cum intellexerimus quod in dictis locis non sunt silvæ cæduæ seu forestæ antiquæ, quas si quis episcopus Constantiensis posset vendere pro suæ libito voluntatis, Constantiensis ecclesia damnificaretur in multum, cum prout ab eodem domino reverendo episcopo audivimus, multum sunt devastatæ aliæ forestæ circumquaque, ita quod pro maneriis & molendinis episcopalibus reparandis non posset sic convenienter de alio nemore recursus haberi; & etiam super literis, tam de Constantiensi curia quam de curia Valloniensi, gratis canonicis dictæ Constantiensis ecclesiæ concedendis, ratam & gratam habentes, ipsam laudamus, approbamus, & auctoritate nostra metropolitana tenore præsentium confirmamus, articulis aliis in suprascriptis literis expressatis, sicut usque ad hæc tempora observati fuerunt, in suo robore duraturis. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Datum Parisiis die tertia Martii, anno Domini M. CCCXIV, dictum capitulum Turonensis ecclesiæ datum est, & transcriptum istud anno Domini M. CCCXIII, C XVIII die Aprilis. Et ego Guillelmus de Ponte clericus, qui de Constantiis extiti oriundus, apostolica, necnon ad honorem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ ac sacri imperii, almæ urbis præfecturæ dignitatis publicus auctoritatibus notarius, prædictas literas vidi & palpavi, ut præmittitur, sigillatas, easque inveni sanas & integras, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua parte sui vitiatas, sed omni suspicione carentes, ac primo scriptas literas exemplari manu propria fideliter transcripsi de verbo ad verbum, nihil addendo, nihilque detrahendo, per quod intellectus varietur in aliquo vel mutetur, totum tenorem earumdem, cum principio & fine aliarum literarum confirmatoriarum prædictarum, redigens in hanc publicam formam. Et anno a Nativitate Domini M. CCCXVI, XVIII die mensis Aprilis, apostolica sede, ut dicitur, ad hoc per obitum felicis recordationis domini Clementis, quondam quinti, vacante, scilicet apud Constantias in hospitio meo prædicti notarii originalis prædicti * diligenter ausculiavi cum præsenti transcripto faciendo inde collationem legitime cum Nicolao *Lasnier* clerico Sagiensis diœcesis, præsentibus ad hoc Thoma de Aurelianis, & Simone de Siena clericis Constantiensis diœcesis, testibus vocatis super hoc specialiter & rogatis, ac instrumentum præsens super hoc confectum signo meo solito signavi rogatus in testimonium hujus rei.

* *f.* literæ.

X L.

Juramentum ecclesiæ Constantiensi præstitum pro comitatu Moritonii. *Ex chartis ecclesiæ.*

LUDOVICUS Francorum rex, baillivo Constantiensi, salutem. Cum in curia nostra fuerit ordinatum, dilecti & fidelis nostri Joannis episcopi Constantiensis interveniente consensu, quod baillivus noster Constantini qui pro tempore fuerit, ratione comitatus nostri Moritonii juramentum præstet in prima sui institutione, quod ecclesiæ Constantiensi fidelitatem præstabit, mandamus tibi quatenus facias hujusmodi sacramentum, & est statutum, quod si contingat comitatum Moritonii exire de manu nostra vel heredum nostrorum regni Franciæ, ille qui pro tempore dictum comitatum tenebit, ratione dicti 1269.

comitatus, prædictæ ecclesiæ illi faciet juramentum. Actum Parisiis die Veneris post Dominicam qua cantatur *Reminiscere*, anno Domini 1269.

X L I.

Ex Archivo.

Charta pro canonicis sancti Salvatoris.

1290. UNiversis præsentes litteras inspecturis, Robertus de Haricuria, dominus sancti Salvatoris vicecomitis, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus quod si capella nostra de castello nostro, quæ antiqua abbatia solet dici, nova constructione seu refectione indigeat, nos volumus & concedimus pro nobis & heredibus nostris, quod viris religiosis, abbati & conventui monasterii sancti Salvatoris prædicti, ad faciendum ligna, trabes & grossa mairrenia dictæ capellæ, tradatur de nostro nemore & etiam liberetur; pro coopertura vero, & modica reparatione non tenemur. Et ut hoc duret in perpetuum, præsentem chartam eisdem religiosis dedimus, & nostri sigilli munimine duximus roborandum. Datum apud S. Salvatorem vicecomitis, anno Domini 1290, die Sabbathi ante conversionem beati Pauli apostoli.

X L I I.

Claustrum a Philippo rege construendi veniam petunt canonici.

1293. PHILIPPUS, Dei gratia, Francorum rex, baillivo Constantiensi, salutem in Domino. Cum ex parte dilecti & fidelis nostri episcopi, & capituli Constantiensis requisiti fuimus, ut ad securitatem ecclesiæ & tuitionem canonicorum & personas ejusdem, salvo in omnibus jure nostro, eisdem claustrum concedamus, mandamus tibi quatenus ad dictum locum personaliter accedens, videas juxta quas metas petunt sibi construi claustrum, & certifices utrum nobis vel aliquibus aliis esset nocivum vel damnosum; & si aliqui circa hoc se opponunt, & de aliis circumstantiis universis, ut in parlamento nos scias super hoc reddere certiores. Datum Parisiis die Sabbati post festum sancti Dionysii, anno Domini 1293.

X L I I I.

Ex codice MS. Biblioth. reg. 5200.

Confirmatio fundationis ecclesiæ cathedralis Constantiensis, facta Parisiis anno Domini 1319, mense Martio.

PHILIPPUS Dei gratia, Franciæ & Navarræ rex. Inter ceterarum anfractus curarum, quibus sollicitudo nostra distrahitur, progenitorum nostrorum facta magnifica cunctis manifesta fidelibus ante nostræ considerationis intuitum revocamus, qui cunctos undique rebelles & æmulos in brachii sui fortitudine conterentes, in immensum regni sui fines & gloriam dilatarunt; quod eis a divina benignitate concessum credimus ob præcipuæ devotionis affectum, quem ad sacrosanctas Dei ecclesias, ecclesiarumque ministros & servos Dei continuatis temporibus habuisse noscuntur. Nostra nimirum tenet fiducia, quod ille qui in altis habitat, & humilia respicit, qui regibus dat salutem, beneficia & charitatis opera quæ per viros magnificos, suis sanctis ecclesiis & servis in ejus nomine liberaliter impendi considerat, sibi impendi considerat, sibi impensa testatur, & benefactores ipsos juxta suæ dispositionis literam gloria remunerat & honore. Sane dilectus & fidelis noster Guillelmus episcopus Constantiensis quoddam privilegium sive chartam antiquam ecclesiæ cathedralis beatæ Mariæ Constantiensi concessam præ nimia vetustate tam in scriptura quam membrana plicis imminutam aliquantulum vel corrosam nobis exhibuit, & eam renovari ac in scripturam novam redigi

A & a nobis confirmari humiliter postulavit, ne futuris temporibus propter vetustatem & corrosionem hujusmodi in bonis suis prædicta posset ecclesia dispendium sustinere. Dictum privilegium seu chartam plurimas possessiones, redditus, redibentias libertatesque & franchisias per antecessores illustris viri Guillelmi Normannorum ducis, illustris Roberti filii, jam dictæ ecclesiæ Constantiensi collatas, & per eum confirmatas, & ablatas restauratas, plurimum etiam per eumdem ducem eidem ecclesiæ adauctas munifice continebat, prout inferius denotantur. Noverit igitur præsentium fidelium universitas & successura posteritas futurorum, quod nos progenitorum nostrorum piam devotionem quantum cum Deo possumus imitantes, privilegium ipsum seu chartam renovari, seu in scripturam novam redigi mandamus
B sub ejus tenore, qui sequitur in hæc verba:

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Omnis nostra actio ab ea incipiat, & per eam cœpta finiatur. Generatio præterit & generatio advenit, terra autem in æternum stat, videlicet non illa de qua dicitur: *Cœlum & terra transibunt*, sed qua psalmista ait: *Portio mea in terra viventium*, ad quam nisi per sanctam ecclesiam verus non patet accessus vel ascensus, quæ utique si bene fuerit temporaliter in terris, fundatores suos æternaliter fovebit in cœlis. Hæc itaque intelligens Normannorum dux Willelmus, illustris Roberti illustrissimus filius, Constantiensem ecclesiam beatæ Dei genitrici Mariæ suo tempore dedicatam, & beneficiis ab antecessoribus suis eidem
C ecclesiæ collatis, quoquomodo imminuta fuissent, decentissime restauravit, & ex sua parte munificentissime augmentavit. Quæ etiam ne posteritatem in ævum venturam lateret, & a successoribus suis firma & immobilia servarentur, simul omnia conscribi & in chartam redigi præcepit, in qua quæ anteriore facta fuerant tempore, priore denotantur ordine, quorum nomina sunt hæc scilicet in præbendarum jure concessa, Blandevilla cum ecclesia, terra scilicet culta & inculta, & salinis; Trarliacum quoque cum ecclesia, & molendinis, & omnibus appendiciis suis; alia quoque villa quæ vocatur Sola, cum ecclesia & molendino, silvaque non modica, & cum omnibus ad illam pertinentibus; Curtiacum quoque cum ecclesia, & duobus molendinis, & pratis, omnibusque adjacentiis, Mullevillaque dimidia cum
D ecclesiæ medietate; mansum Aloii cum adjacentiis, villa etiam quæ vocatur sancti Laudi supra Siennam fluvium, cum ecclesia & duobus molendinis inibi consistentibus; in Constantiensi civitate, ecclesia quædam in honore sancti Petri fundata & decima quæ ad illam pertinet; sub præscriptam civitatem molendinum unum in fluvio Sola, villa etiam quæ vocatur Brevilla cum ecclesia, & salinis, & omnibus appendiciis: præterea præbendarios qui de terris præfatæ ecclesiæ pertinentibus non canonice apud sanctum Laudum Rotomagensem serviebant, prænominatus dux corrigere studuit, atque cum consilio episcoporum ecclesiæ cujus vicos obtinebant deservire statuit, quorum denominatio in promptu habetur; *Quibouc* cum ecclesia, & molendinis, &
E omnibus ad id pertinentibus; Manceleria cum ecclesia & omnibus appendiciis, & terra quæ dicitur *Caillou*; mansum *Tessaloi* quod dicitur Folimiceum, cum molendino uno & altero quod sedet in Baldra; mansum Osmundi, & mansum Johannis cum ecclesia, & molendino, & omnibus quæ attinent; necnon & medietas ecclesiæ illius villæ quæ dicitur *Agon*, cum medietate decimæ & terræ unius aratri. Præbendas igitur reliquas determinatas, & cetera quæ alio quolibet modo prædictæ ecclesiæ attributæ sunt, inferius denotantur, scilicet apud Rothomagum, ecclesia sancti Laudi, sicut antiquitus exstitit cum beneficiis omnibus sibi adjacentibus, & omnium exactionum quietudine. Deinde parochia S. Laudi super

super Viriam fluvium, integra cum omni exitu ad eam pertinente, & cum terris Martinivillæ & Petræfictæ, necnon & parochia sanctæ Mariæ consistens in castro prædicti sancti Laudi; præterea parochia sancti Georgii *de Montecoq*, & mansum *Rosselin*, & parochia sancti Audoëni *de Montecul. Agnels* cum ecclesia & aliis sibi pertinentibus; villa quæ vocatur sanctus Egidius & cuncta ad se pertinentia, altera quæ vocatur *Corphasour*, cum omnibus sibi attributis; sanctus Ebremondus cum parochia, terra etiam de Vaccaria plana & silvatica cum molendino uno; Bonum fossatum quoque cum ecclesia, & omnibus attinentibus; Mons Johannis, Canleiacum cum ecclesia & molendinis, & omnibus adjacentiis; adhuc terra Hayæ cum ecclesia sancti Andreæ & molendino, quem Richardus Moritunienſis comes sanctæ Mariæ pro anima sua contulit; terram etiam Rolphi de Fortivilla quam dedit *Gonnor* ancilla Dei cum primam posuerit petram in fundamentis ecclesiæ prædictæ; ecclesia Poupevillæ cum decima totius parochiæ, & una mansura; ecclesia Hollini cum decima telonei ejusdem villæ, & tribus mansionibus.; in Valloniis, duæ partes decimæ totius parochiæ; in *Yvetot* & in Hubervilla similiter; ceterum decima totius venationis omnium silvarum comitis Moritunienſis, excepta silva sancti Salvatoris; decima lignarum crassi piscis totius ripariæ maris & fluminis *Caredel*, usque ad flumen *Thar*, totiusque ejectini quod in illis finibus dicitur *Veresc*. Porro ecclesia *Carisboure* cum decima telonei ejusdem villæ, & altera Torlavilla cum terra quæ fuit Angoti capellani, & terra Eschedrevillæ cum terra ejusdem sacerdotis, necnon & decimis prædictarum ecclesiarum, & omni exitu earum. Huc usque descriptis hiis quæ tempore prædecessorum jamdicti comitis antedictæ ecclesiæ collata fuerant, addenda sunt deinde quæ ipse ex sua parte contulit, & propria manu firmavit, videlicet medietatem urbis Constantienſis, cum dimidio suburbio, & medietate telonei, & una generali feria, & duobus molendinis cum tota molta ad eos pertinente, & nominatim illius terræ quæ dicitur Grimonvilla; terram denique Richardi sui filii Firmarii, & terram Reginaldi filii Gilleberti, & terram Angoti filii Pipini. Hæc itaque omnia acquittavit optimus sæpedictus dux, sanctæ Mariæ ab omnibus illis hominibus qui tunc temporis ea tenebant: porro ecclesiam insulæ quæ vocatur *Aurenoy*, cum decima & terra quatuor boum, necnon & ecclesiam insulæ quæ vocatur *Serth*, cum decima & omnium rerum exitu ad se pertinente, & decem & octo acras terræ, & in insula *Gersoy* ecclesiam sancti Salvatoris cum decima quæ sibi adjacet, decimamque venationis omnium silvarum quæ pertinet ad castrum quod dicitur *Danfront*, & decimam coriorum ferarum bestiarum Constantienſium, & apud Cathonium, quinque agros pratorum. Præterea ipso die dedicationis quæ acta est VI idus Decembris, dedit prædictus dux medietatem piscationis aquæ Senæ quam antea tenebat in dominio præfatæ ecclesiæ, anno millesimo quinquagesimo sexto ab Incarnatione Domini. Item eadem die terram unius carrucæ in insula quæ vulgo dicitur *Gravaroy*. Adhuc etiam ipsa die aucta est ei præbenda quæ continet hæc, scilicet masuram unam in præfata urbe; & terram Hugolini *Troucheth*, & terram unius aratri in villa S. Salvatoris, quæ dicitur fuisse Odelinæ, & decimam duorum molendinorum; dedit quoque præfatus dux atrium octo perticarum in circuitu ejusdem ecclesiæ; præterea terram *de Beuvant*, quam Corbo de Simileyo cum uxore sua in maritagio accepit; porro terram aucupum de Lingrevilla, sicuti eam in dominio suo possidebat; terram quoque de Locellis, & *Putot*, & sancta Cruce, quam Hebertus de Agnellis in Bajocassino tenebat; terram etiam *de Crapolt*, quam Gausridus episcopus *de Solel* ad opus sanctæ Mariæ acquisivit, & terram de Verceyo, quam similiter præfatæ ecclesiæ attribuit, &c.

XLIV.

Ordinatio pro collatione beneficiorum capituli.

Universis præsentes litteras inspecturis, nos Guillelmus permissione divina episcopus, ac humile capitulum Constantiense, æternam in Domino salutem. 1336. Talis & tanta debet vera vigere caritas inter fratres in agendis omnibus, ut cesset prorsus detestandæ ambitionis voluntas, ac animorum unitas per incrementum continuum invalescat. Inter ea siquidem super quibus in præsenti capitulo Assumptionis beatæ Mariæ virginis habuimus conferre pariter & tractare, matura fuit consideratione loquutum quanta sæpe devenerat retroactis temporibus inter nos dissensio, cum de conferendis ecclesiasticis vacantibus beneficiis cum cura vel sine cura ad nostri capituli collationem vel præsentationem spectantibus communiter se in capitulo tractabatur: & igitur pro hujusmodi vitanda penitus & tollenda discordia, per præsentes assensu communi statuimus & ad perpetuam rei memoriam ordinamus, ut secundum modum & ordinem infrascriptos nos episcopus ut canonicus, nostrique similiter successores episcopi qui pro tempore fuerint, ut canonici, ac etiam singulares præbendati canonici successive cujuscumque status, ordinis aut conditionis extiterint, ad conferendum ecclesiastica beneficia, quorum ad nos capitulum in communi spectabat plena collatio, sex tamen vicariis majoris altaris Constantienſis, quorum ad nos capitulum in communi plena non sine causa rationabili spectabat perpetuo sicut prius collatio, duntaxat exceptis, necnon ad præsentandum jure canonici vice tamen & nomine capituli ordinario qui pro tempore fuerit, ad cetera quæcumque beneficia ad præsentationem nostri capituli pertinentia, cum beneficium ipsorum unum vel plura vacare de cetero contigerit, exnunc inantea dies quindecim computandos a tempore notitiæ in præfata ecclesia nostra Constantiensi habitæ publice super hujusmodi vacatione beneficii habebimus & habebunt. Ita tamen quod nos episcopus & quivis canonici præbendati, sive præsentes sive absentes fuerimus aut fuerint, in quorum vel cujus quindena vacatio beneficialis advenerit quovis modo, dies octo duntaxat computandos a tempore notitiæ vacationis ut supra, ad conferendum vel præsentandum habebimus & habebunt per ordinem, ut præfertur. Nec etiam poterit canonicus de hujusmodi vacanti beneficio aliquas lites ordinare, nisi propter hoc infra dies octo prædictos computandos ut super, semetipsum personaliter in dicta nostra Constantiensi ecclesia repræsentet, maxime cum secundum antiquum usum servatum ejusdem ecclesiæ, statim post vacationem beneficii absque vocatione seu expectatione quacumque canonicorum absentium, ad collationem vel præsentationem vacantis beneficii faciendam unicum pro libito terminum præfigebat. In casu quoque quo canonicus qui fuerit in quindena ad conferendum vel præsentandum, præsens tamen in ecclesia memorata sicut prætangitur non esset infra dies octo prædictos, extunc infra alios octo dies continue subsequentes vacantis beneficii collatio vel ad illud præsentatio alteri canonico qui in sua debebit per ordinem quindena proximo succedere, sine difficultate qualibet pertinebunt, qui de mora, defectu vel negligentia conferendi vel præsentandi, pœnam, si inciderit, incurret consimilem procul dubio sicut alter; quod etiam ad alios ordine suo beneficia collaturos aut ad ipsa præsentationem facturos, modo simili se extendet. Verum si forsan per capitulum contigerit ordinari, quod unus aut plures canonici positi in ordine conferendi vel præsentandi, pro quibuscumque

negotiis, uno vel pluribus, dictæ nostræ ecclesiæ vadant extra, ille vel illi tunc ad talia deputati ante cœptum iter suum pro sibi commissis negotiis vicarium certum ejusdem ecclesiæ canonicum constituere poterunt in capitulo vel in eadem ecclesia coram persona publica, unusquisque singulariter pro seipso ad conferendum vel præsentandum pro ipso constituente & loco ejus, si cujuscumque beneficii, unius aut plurium, ante suum reditum aliquod obvenire contigerit in illius vel illorum quindena: qui quidem vicarius taliter constitutus, si semper in dicta nostra ecclesia præsens esset, habebit penitus intra præfixum octo dierum terminum potestatem. Præterea si tempore vacationis alicujus beneficii unus aut plures clerici vel presbyteri, aut in alio quovis ordine constituti, ad collationem vel præsentationem capituli auctoritate apostolica fuerint exspectantes, per cujus aut quorum gratias vel processus propter periculum seu metum summarum disponi non possit de beneficio sic vacanti per canonicum qui fuerit in quindena conferendi vel præsentandi, præsertim cum mensem aut ..... plus vel minus de tempore habeant Romipetæ beneficium ecclesiasticum acceptandi a tempore vacationis ejusdem; contra canonicum ipsum non curret tempus aliquod in hoc casu, quominus si beneficium ipsum per exspectantem auctoritate qua supra infra debitum sibi tempus acceptatum non fuerit, aut si beneficium hujusmodi per quamcumque viam litigiosum extiterit, a quo tandem beneficio exspectans ipse qua supra auctoritate per competentis judicis in hoc casu ordinationem vel sententiam totaliter sit exclusus, præfatus canonicus qui tempore vacationis prædictæ fuerat in quindena conferendi vel præsentandi, habebit alios octo dies continuos ad conferendum vel præsentandum computandos a tempore quo de hujusmodi sic vacanti beneficio clare & sine periculo poterit ordinare, cujus quidem beneficii quamdiu litigiosum post istius vacationem fuerit, causam vel litem, si tamen justa capitulo videatur, idem capitulum usque ad finem causæ contra ipsius exspectantem tenebitur fovere & prosequi diligenter propriis ejusdem capituli expensis & sumtibus tanquam suam, & hoc idem similiter servabitur ac fiet si quoties & cum de jure patronatus alicujus beneficii cum vacabit per oppositionem cujuscumque contigerit litigiosam discordiam exoriri, & si lite ex causa pendente de beneficio contra Romipetam aut super jure patronatus contra quamcumque personam contigerit illum canonicum qui fuerit a tempore vacationis beneficii prior per ordinem in quindena conferendi vel præsentandi, quod cedens vel decedens ipse canonicus habuerat vel habebat post hujusmodi litis decisionem finalem, ut latius est præmissum, si cum Romipeta aut alter opponens in causa vel lite succumbant, ad alium canonicum primum post eum sequentem in ordine conferendi vel præsentandi spectabit & libere revertetur, qui sæpe dictum octo dierum terminum ad conferendum vel præsentandum observare tenebitur in hoc casu, alioquin ad alium per ordinem similiter subsequentem canonicum devolvetur penitus, ut profertur. Conferentes autem beneficia cum vacabunt, vel ad ea præsentantes, hic ita per ordinem perpetuis observandum temporibus conscribuntur.

Episcopus primo qui *Beatus vir*, &c. usque ad *Confitebor*, quotidianos ipsius psalmos habet, & qui etiam ultimos dies quindecim hujus mensis Augusti vice ista obtinet pro quindena.

Deinde ille qui præbendam de Ingronia, *Langronne*, obtinet, cujus psalmi sunt isti, *Confitebor*, &c. usque ad *Exaudi, Domine*.

Item, ille subsequitur qui præbendam habet de sancto Laudulo, *saint Louet*, cujus psalmi, *Exaudi, Domine*, usque ad *Domine, in virtute tua*.

Item, obtinens præbendam de sancto Sansone, cujus psalmi, *Domine, in virtute tua*, usque ad *Dominus illuminatio mea*.

Item, obtinens præbendam *de Quibou*, cujus psalmi, *Dominus illuminatio mea*, usque ad *Exultate, justi*.

Item, obtinens aliam præbendam *de Quibou*, cujus psalmi, *Exultate, justi*, usque ad *Noli æmulari in malignantibus*.

Item, obtinens præbendam de Traëlio, *Trely*, cujus psalmi, *Noli æmulari in malignantibus*, usque ad *Beatus qui intelligit*.

Item, obtinens præbendam de Esqueudrevilla, cujus psalmi, *Beatus qui intelligit*, &c. usque ad *Magnus Dominus*.

Item, obtinens præbendam de Mulle-villa, cujus psalmi, *Magnus Dominus*, usque ad *Dixit insipiens*.

Item, obtinens præbendam aliam de Traëlio, cujus psalmi, *Dixit insipiens*, &c. usque ad *Deus, repulisti*.

Item, obtinens præbendam de sancto Salvatore *de Lendelin*, cujus psalmi, *Deus, repulisti*, &c. usque ad *Exurgat Deus*.

Item, obtinens præbendam de sancto Egidio, cujus psalmi, *Exurgat Deus*, usque ad *Deus, judicium tuum regi da*.

Item, obtinens præbendam de Blainvilla, cujus psalmi, *Deus, judicium tuum regi da*, &c. usque ad *Voce mea*.

Item, obtinens præbendam de Constantiis, cujus psalmi, *Voce mea*, &c. usque ad *Deus, venerunt gentes*.

Item, obtinens præbendam de Bernevilla, cujus psalmi, *Deus, venerunt gentes*, usque ad *Inclina, Domine, aurem tuam*, &c.

Item, obtinens aliam præbendam *de Quibou*, cujus psalmi, *Inclina, Domine, aurem tuam*, usque ad *Domine, refugium*.

Item, obtinens præbendam de Manceleria, cujus psalmi, *Domine, refugium*, &c. usque ad *Cantate* primum.

Item, obtinens præbendam aliam de Manceleria, cujus psalmi, *Cantate* primum, usque ad *Benedic* primum.

Item, obtinens præbendam *de Ivetot*, cujus psalmi, *Benedic* primum, usque ad *Confitemini* 2.

Item, obtinens aliam præbendam de S. Egidio, cujus psalmi *Confitemini* 2, usque ad *Paratum cor meum*.

Item, obtinens præbendam de Eurevilla, cujus psalmi, *Paratum*, &c. usque ad *In exitu*, &c.

Item, obtinens aliam præbendam de Mulle-villa, cujus psalmi, *In exitu*, usque ad *Legem pone*.

Item, obtinens aliam præbendam de Constantiis, cujus psalmi, *Legem pone*, usque ad *Mirabilia*.

Item, obtinens aliam præbendam de Traëlio, cujus psalmi, *Mirabilia*, &c. usque ad *Sæpe expugnaverunt*.

Item, obtinens præbendam aliam de Manceleria, cujus psalmi, *Sæpe expugnaverunt*, &c. usque ad *Confitebor*.

Item, obtinens aliam præbendam de Constantiis, cujus psalmi *Confitebor*, usque ad *Benedictus*.

Item, obtinens præbendam de Hubervilla, cujus psalmi, *Benedictus*, &c. usque ad finem.

X L V.

Canonici Constantienses eximuntur a reparationibus urbis.

CHARLES, par la grace de Dieu, roy de France: Au bailly de Cotentin ou son lieutenant, salut. 1402.
Recu avons l'humble supplication de nos bien amés l'eveque, chantre, chapitre, chapelains & clercs de l'eglise de Coutances, contenant que comme icelle eglise de Coutances ait été anciennement fondée par nos predecesseurs & autres, de grandes rentes & revenus, de manoirs & habitations amorties par nos predecesseurs,

entre lesquels ils eussent joui & jouissent encore de plusieurs rentes & revenus assis tant sur maisons & manoirs, comme autres possessions en la ville & fauxbourgs d'icelle, lesquelles pour le fait de nos guerres & la cloture de la ville sont diminuées a plus de la moitié, voire des trois parts, & tant que de present tant pour l'occasion de la ditte cloture, comme desdictes guerres qui par longtems y ont duré, & jusqu'a n'a guerres que Cherbourg fut mis hors des mains de nos ennemis, pour les guerres aussi & pour la fortification de la ditte ville, les habitations & manoirs dudit chapitre ont été abbatus ou demolis, & les matieres converties en la cloison de la fortification de la ditte ville, & ne seroient pas refaits pour cinquante mille francs, dont ils n'eurent aucune recompensation de nous ni d'autres, pour laquelle cause il est convenu aux dits chantre & chapitre de reedifier d'autres habitations & manoirs, hors les lieux où étoient anciennement edifiées icelles habitations & manoirs, & encore a iceux supplians ou a aucun d'eux ait convenu faire & supporter moult grands frais & depens, & mises pour reparer & soutenir la ditte eglise, laquelle pour le fait des dittes guerres & durant icelles avoit été dommagée & moult empirée en plusieurs lieux, & tant que pour le siege que nos dits ennemis mirent devant notre ditte eglise qui pour lors etoit forte, & laquelle se tint & demoura toujours en notre obeissance, & les pierres d'engins qu'ils jetterent pour icelle prendre & avoir, & a eté en voie de choir en ruine, si ne fussent les grandes reparations & amendemens que y ont depuis fait faire continuellement iceux supplians, ou aucuns d'eux, ou autrement, & mesmement ont eu grand dommage iceux supplians en cette presente année pour cause qu'on leur a arreté tous les grains de leur dixme pour nos garnisons où ils ont eu dommage de trois a quatre cens livres, si comme il sera sçu clairement, ce nonobstant & que de tout tems les dits supplians ont été tenus francs, quittes & exemts des reparations de la fortification d'icelle ville, tant du temps des dittes guerres, & pour le tems que les Anglois & les Navarrois tinrent le dit siege devant, & furent par le pays d'environ que d'empuis, & ce sans qu'on leur ait demandé aucune chose, ny qu'ils contribuassent a taille, ni a taxe qui ait eté faite pour la reparation d'icelle ville: neantmoins sous ombre d'aucunes lettres de nous subrepticement impetrées en ce faisant, ce que dit est par devant notre loyal chevalier & chambellan Jean Painel capitaine & garde de notre ditte ville a vous adressées, il s'efforce & veut s'efforcer de faire contraindre les dits supplians a contribuer es reparations d'une tour & des murs de la fortification d'icelle ville, semblablement comme les gens laics, & avec les bourgois & habitans d'icelle ville, qui seroit moult dure & importable aux dits suppliants, attendues & considerées les choses dessus dittes, & les fraits & mises qu'il leur faut pour chacun jour supporter pour raison de leur ditte eglise & autres leurs affaires, si comme ils dient, requerant que ces choses ainsi considerées, & aussi que le dit capitaine pour obtenir les dittes lettres nous a donné subrepticement a entendre entre les autres choses que la ditte ville de Coutances est scituée en la frontiere, & près de Bretagne, & de Cherbourg, & de la mer, laquelle sauve ses graces est de Bretagne a plus de douze lieues, & de Cherbourg a plus de quinze, & a plusieurs villes assises au dit pays qui pourroient être prises & occupées de nos ennemis avant icelle, & lesquelles sont plus près de la mer, & toutesfois les gens d'eglise ne sont en rien contraints aux dittes reparations, & attendu que les dits supplians ont de tout tems joui de la franchise & liberté, & sans empechement aucun, nous sur ce leur voulons pourvoir de remede gratieux & convenable. Pourquoi nous ces choses considerées, vous mandons, & pour ce qu'on dit la ditte ville être assise en votre bailliage, commettons que si appellés ceux qui seront a appeller, il vous appert être ainsi, ne contraigniés, ne souffrés être contraints les suppliants, ni aucun d'eux a contribuer aux reparations de la tour ni des murs de la ditte fortification de la ditte ville avec les gens laics ne autrement en aucune maniere, mais les tenés & les faites tenir francs, quittes, exemts & paisibles, ainsi que d'ancienneté ils ont accoustumé, & si aucune chose avoit eté ou etoit pour ce pris ou arreté du leur, si leur mettés ou leur faites mettre du tout en pleine delivrance, en faisant en cas d'opposition entre les parties, icelles sur ce oüies, bon & bref accomplissement de justice: car ainsi nous plaist y etre fait, & aux supplians l'avons octroié & octroions de grace speciale par ces presentes, nonobstant les dittes lettres impetrées par ledit capitaine, lesquelles nous ne voulons avoir ni sortir au dit cas aucun effet, & quelquonques autres lettres subreptices impetrées ou a impetrer au contraire. Donné a Paris le 15 jour de Juillet l'an de grace 1402; & de notre regne le 22.

XLVI.

Testamentum Gaudefridi *Herbert* episcopi.

AU *nom du Seigneur,* amen. *Geffroy, par la misericorde de Dieu, eveque de Coutances, ou plutost humble ministre des fonctions episcopales, a tous ceux qui verront ce notre testament ou disposition de derniere volonté, salut. Me representant jour & nuit les suites de la mort, & meditant sans cesse avec saint Jerôme cette trompette dont parle le bienheureux S. Jean apotre en son apocalypse,* Levez vous morts, & venez pour être jugez, *& sachant qu'il n'y a rien en cette vie de perdurable, ni qui ne soit sujet au changement, rien de plus certain que la mort, ni de plus incertain que l'heure de la mort; c'est pourquoy sans attendre que nous soions certains de sa proximité, voulant rendre un compte exact a Dieu notre seigneur, pendant que nous sommes encore vivans des biens qu'il nous a fait durant le pelerinage de cette vie mortelle, nous avons fait & ordonné ce present testament de derniere volonté, étant sain de mémoire & d'esprit, ainsi que nous l'estimons de la maniere qui suit. Et premierement, pour n'etre pas ingrats des grands bienfaits que nous avons reçus de Dieu, qui jusqu'a present par son ineffable & immense pieté & clemence nous a soufferts & donné le temps de faire penitence & nous convertir, & nous a promis de nous pardonner si nous pardonnons aux autres, & crainte que nous ne soions trouvez semblables a ce fermier duquel il fut rapporté au maitre commun qu'il ne vouloit pas avoir pitié de son conserviteur, & jettez comme lui dans les tenebres exterieures, nous pardonnons toutes & telles offenses qui nous ont eté faites ou de paroles ou d'effet, ou de quelque maniere que se puisse etre de la part de nos ennemis, & nous supplions instamment le seigneur notre Dieu qu'il lui plaise leur pardonner. Nous offrons a Dieu notre Createur & redempteur, tous les talents que nous avons gaignez ou pour le moins qui nous ont eté confiés, c'est a sçavoir notre ame qu'il a creée a son image, & qu'il a retirée de la captivité de Babylone au prix de ses souffrances & de sa mort, laquelle etoit meme consacrée specialement pour le servir en cette vie, nous la lui recommandons pour etre eternellement a son service: nous lui recommandons aussi très-particulierement le troupeau dont il nous avoit commis la garde, lequel peut-etre est en mauvais etat ou par notre negligence, ou par le mauvais exemple que nous lui avons donné; nous le suplions tres-humblement soulager le poids de nos pechez, & qu'aïant egard a la foy & fidelité de l'eglize son epouze, il lui plaise recevoir mon ame & la placer, quoique nous ne le meritions pas, dans le sein d'Abraham, au nombre de ses fils ecclesiastiques, avec les saints patrons de notre eglize, de purifier par sa misericorde infinie & conserver notre susdit troupeau de maniere qu'il parvienne a une eternité bienheureuse: nous souhaitons que notre corps soit reçu & inhumé de notre mere & epouze l'eglize de Coutances dans le chœur, & notamment au coté*

1510.

fenestre du grand autel sous les reliques des Saints qui sont placées en ce lieu, comme nous sommes autrefois demeurés par ecrit avec nos confreres. Si nous avons fait quelque tort a qui que ce soit, ou si nous avons contracté quelque dette, nous ordonnons qu'on en fasse une ample reparation & toutte sorte de païement & de satisfaction sur tous nos biens, meubles & immeubles, & c'est ce que nous voulons & ordonnons qu'on execute tres-exactement. Et parce que toutes personnes, mais particulierement celles de notre condition ne doivent point oublier les bons services qu'on a reçus pendant un assés long temps, entre eux qui nous sont unis, outre leur service de parenté, doivent moins etre oubliés que les autres au point de notre mort, c'est pourquoy nous voulons que chacun d'eux de ceux qui nous ont servi & les autres, reçoivent quelques portions des biens que Dieu nous a donnés, en la maniere qui ensuit. Premierement a mes serviteurs domestiques, selon l'ordre que nous allons exprimer, pour recompense de leurs services, & afin qu'ils prient le Très-haut pour le salut de mon ame, & la remission de mes pechés, nous voulons que ce que nous leur leguons leur soit distribué par les executeurs de notre testament aussi tost après notre decez, lesquels executeurs seront & nous etablissons nos fideles & très-chers confreres le chapitre de Coutances, a l'effet de quoi nous obligeons tous nos biens, meubles & immeubles, & les mettons comme dès a present entre leurs mains, en la presence des temoins que nous avons apelez a ce sujet, & que nous avons fait jurer exprès de ne rien reveler de ce qui est contenu en ce present testament ou disposition de derniere volonté jusqu'après notre mort, & nous de vive voix en bon & entier entendement, quoique malade de corps, avons dicté & nommé le present ainsi qu'il suit. Nous laissons, donnons & leguons a maitre Jean Guillemot pretre, la somme de cinquante livres Tournois; a maitre Paschal Denon aussi pretre, cinquante livres Tournois; a maitre Guillaume Roze, aussi cinquante livres; a Robert du Val, cinquante livres; a Jean du Bois, cinquante livres; a Jean Boulay, dix livres; a Jean Robillard, cent sols tournois; autant a un nommé Ouen; a demoiselle Jeanne de Monvillers, cent livres; a la fille de demoiselle Jacqueline, vingt livres, a Michelle fille d'Isabelle la Telliere, cent sols; a Perrine de Longrais, cent sols; a Collette Lemmaliere, cent sols; a sa petite fille, vingt sols; a Jeanne la Benoise, femme de Josias Buisson, cent sols; a Philippine Cosville, cent sols; a Louis Buisson porcher, soixante sols; a Philippin Rouxelin muletier, dix livres; a Jean Leveillé qui demeure a la Motte, six livres; a sa petite fille Michelle, quarante sols; a un certain homme nommé Vacelin, soixante sols; a Roger Belet, soixante sols. Item, *nous donnons & leguons a nos deux freres Jean & François, notre baronnie de Courcy au diocese de Seez pour un d'eux, laquelle baronnie avec ses dependances & appartenances nous avons achetée dès nos premieres années, & la terre & fief de Sainteny dans notre diocese de Coutances, & dependante de ladite baronnie susdite, & celui auquel arrivera cettedite terre & fief de Sainteny, il aura sur tous nos biens meubles, deux mille ecus de recompense pour & a raison que ladite terre de Sainteny est de moindre valeur en comparaison de la terre & baronnie de Courcy.* Item, *nous donnons & leguons a Marie du Touchet, fille de noble dame Marie Douessey, du diocese de Rouen, trente livres de rente, laquelle rente est du dot de sa mere qui est maintenant en nos mains avec les arrerages desdites trente livres, courans & dus.* Item, *nous donnons & leguons a la meme dite Marie, toutes les hypoteques ou revenus hypotequaires dus & venants a raison desdites trente livres sans prejudice des autres rentes & revenus de ladite Marie du Touchet, acquis a son nom & au notre: nous voulons en outre & declarons etre de notre intention que celui de nos freres qui aura Sainteny, sera obligé de donner & donnera effectivement la somme de dix mille livres une fois payée a ladite Marie du Touchet, en faisant & parachevant*

A *le mariage proposé entre elle & le seigneur de Carnes, par messire Jean le Cointe son frere, chanoine de l'eglize cathedrale de Paris, du fils dudit seigneur de Carnes, ou sinon de lui, du moins avec quelqu'autre, dont & desquelles rentes & hypoteques nous n'entendons pas qu'elles soient moindres de vingt livres Tournois.* Item, *nous donnons & leguons a Grizine Cordiere l'heritage ou terre avec ses appartenances que nous avons acquise en la paroisse de Soulle en notredit diocese, lesdites terres & biens ainsi qu'ils appartenoient a un certain changeur nommé Jamar, se montant a la somme de trente livres de rente.* Item, *nous donnons & leguons a Gillette Ogier, fille de Thomas qui demeuroit a la Motte, vingt livres avec les rentes que nous doivent ledit Thomas Ogier, & ses aides Jean & Guillaume.* Item,
B *a Marie Ogier fille de ladite Gillette, cinquante livres qui seront reellement païées par les executeurs de notre testament, a sçavoir le chapitre de Coutances, lorsqu'elle sera en etat d'etre mariée.* Item, *nous donnons a perpetuité en aumone au college de Coutances en l'université de Paris, appelé le college de Harcour, la demie terre & le fief noble, vulgairement nommé le bois de Preaux, situé en la paroisse de saint Jean des Champs dans notre susdit diocèse avec touttes ses dependances & appartenances, avec soixante livres Tournois de rente que nous avons acquises sur les terres & fief de la haye Hedouviniere, de noble homme Jean du Mas, tant pour l'accomplissement de la fondation que nous avons faite recemment de douze bourses de grammairiens, que afin que chacun d'eux reçoive cinq sols Parisis chaque semaine pour son vivre & ses autres necessitez &*
C *augmenter le nombre & les bourses des artistes, créant de nouveau deux bourses & deux boursiers dont chacun aura chaque semaine autant que chacun des vingt-huit boursiers fondez autrefois par reverend pere en Dieu monseigneur Robert de Harcourt en son vivant eveque de Coutances, & par le seigneur Raoul de Harcourt son frere archidiacre de Cotentin, que aussi pour l'augmentation des bourses des artistes de quatre sols Parisis a chacun par chaque semaine, & encore pour l'augmentation des bourses des théologiens, lesquels n'aïant eu jusqu'a present que cinq sols la semaine, en auront trois de plus, ensorte que chaque semaine ils auront huit sols, aux charges neantmoins & conditions contenues en la chartre ou instrument qui en fut dressé le 7 du mois d'octobre 1509, entre nous Geoffroy eveque de Coutances, &*
D *messire Jean Boivin, proviseur dudit college, Guillaume le Sauvage, Robert Corbet & autres boursiers actuellement residents audit college, tant théologiens, artistes, que grammairiens. Nous supplions donc très-instamment nosdits executeurs de vouloir bien veiller avec soin a executer promptement & sans aucun delai ce notre testament & legs y contenus, attendant la recompense qu'ils en recevront dans le ciel. Fait & dicté au chateau de Courcy dans le diocese de Seez dans la chambre où nous demeurions durant notre maladie, en presence de messire Amauiy de sainte Marie, alors intendant de notre maison, messire Jean Greauline pretre & curé de Courcy, appelez a ce sujet pour etre temoins & jurez comme cy-dessus. L'an 1509 le premier jour de Janvier, ce testament a eté fait & passé devant moy Theo-*
E *baud de Fromentieres, pretre, licentié aux Loix, chanoine & penitencier de l'eglise de Coutances, & curé de saint Ebremond de Bonfossé, en presence desdits temoins, l'an & le jour susdit, en temoin de quoy nous avons apposé notre seing manuel. Ainsi signé de Fromentieres.*

XLVII.

De electione Renati *de Bresche*, episcopi.

F*RANÇOIS, par la grace de Dieu, roy de France, au premier huissier de notre cour de Parlement, ou* 1525.
notre sergent sur ce requis, salut. Comme sur certaine requête cejourd'huy presentée en notre dite cour de la

part de notre cher & bien amé maitre Jean Cadier A chanoine en l'eglize cathedrale de Coutances, narrative que la vacation avenue en l'an 1520 de l'evesché de Coutances, avions mandé aux chantre, chanoines & chapittre de la ditte eglise, qu'ils n'eussent à proceder au fait d'aucune election de leur futur pasteur, jusques à ce qu'ils nous eussent apporté & fait apparoir de leur privilege d'élire, si aucuns en avoient, suivant lequel mandement par ordonnance desdits du chapitre, ledit privilege nous avoit été envoyé par trois des chanoines de la ditte eglise, & aprés iceluy vu, avions renvoyé lesdits chanoines, lesquels suivant leur dit privilege avoient decerné mandement citatoire pour proceder au fait de l'election d'un futur eveque & pasteur, dont notre procureur general en notre Grand-conseil averti de ce, se soit porté pour appelant, laquelle appellation avoit B été signifiée & delivrée auxdits de chapitre sans Pareatis de notre ditte cour, de l'accord & consentement des bailly de Cotentin, ses lieutenans general & particulier, même de nos avocat & procureur en la vicomté de Coutances, qui étoit contre les libertés du pais au grand travail des sujets d'iceluy, & qui ne se devoit, ni doit souffrir, ni permettre, duquel exploit & autres torts & griefs les dits de chapitre s'étoient portés pour appelans en notre cour, & pris à partie les dits officiers, & contre eux obtenu plusieurs deffauts, depuis lesquels deffauts & exploits de la ditte appellation les dits de chapitre en contrevenant aux protestations par eux faites de jure eligendi, contre & au prejudice du procès pendant en notre dite cour, les droits & libertés de leur église, avoient reçu un nommé de Brêche à leur C eveque, & doute icelui suppliant que lesdits de Brêche & officiers pris à partie, ne le voulussent traiter audit Grand-conseil, pour ce qu'il entend lui seul soutenir & deffendre le droit de leur ditte église, même soutenir la ditte appellation contre lesdits officiers; en quoy faisant il ne doit souffrir aucunes pertes ne dommage, tendant & nous requerant à ces causes ledit suppliant deffenses etre faites audit de Brêche & ses officiers, & par semblable à nos officiers en la ditte vicomté, & autres qu'il appartiendra attenter, contre & au prejudice du procès pendant en notre ditte cour, & de non traiter le dit suppliant en la ditte matiere hors notre pays de Normandie, ne en autre lieu qu'en notre ditte cour, à peine d'amende & de perdition de cause, & etre mis en notre protection & sauvegarde de notre ditte cour, & au surplus compulsoire lui etre octroyé pour compeller D tous juges & officiers, notaires & secretaires royaux & apostoliques de quelque qualité qu'ils soient, a luy bailler à ses depends raisonnables tous & chacuns actes, instrumens & autres enseignemens qui pourroient servir au dit suppliant en la deduction de la presente matiere; notre ditte cour ait ordonné que inhibitions & deffenses seront & sont faites à tous qu'il appartiendra, d'attenter ou faire chose contre & au prejudice dudit procès entre les dittes parties en notre cour & dont dessus est fait mention, sous les peines au cas appartenans, même de traiter ni distraire ledit suppliant pour raison dudit procès hors notre dit pais de Normandie, & hors de notre dite cour, sur peine de perdition de cause & autres peines à la discretion de notre ditte cour, & aussi notre ditte cour a prins, mis & retenu le dit suppliant en sa protection & especiale sauvegarde de nous & de notre ditte cour, laquelle iceluy suppliant fera signifier à ses parties & a tous autres qu'il appartiendra, en leur faisant deffense d'attenter contre icelle sur les peines ou cas appartenant, & se ait notre ditte cour octroié mandement & compulsoire en forme au dit suppliant à la fin dessus ditte. Pour ce est-il que te commandons & commettons que lesdittes inhibitions, significations & deffenses tu fasses bien & dument selon l'ordonnance & appointement de notre dite cour; en surplus que tu fasses exprès commandement a tous juges, sergens & notaires, tabellions & greffiers, gardes de registres & autres personnes publiques de bailler & delivrer audit suppliant à ses depens raisonnables, les lettres, actes, instrumens & enseignemens qu'il requerra & dira lui estre necessaires à la conduite de son droit & procès, les vidimus, extraits ou copie d'iceux dument collationnés & approuvés sur les originaux, parties adverses dudit suppliant presentes & dument appellées à un voir faire la collation & approbation, & en cas de contredit & opposition, refus ou delay ajourne les opposans, refusans, ou dilayans a comparoir à jour competent en notre ditte cour, pour en dire les causes, sur ce repondre & proceder, & faire ce qu'il appartiendra, de ce faire te avons donné & donnons pouvoir, authorité & commission. Mandons & commandons à tous nos justiciers, officiers & sujets que à toy en ce faisant soit obei en certifiant de ce que fait auras. Donné à Rouen en notre dite cour de Parlement le cinquième jour de Fevrier, l'an de grace 1525, & de notre regne le onzieme. Par la cour, signé SURSEAN. Fait par copie sous le seing de moy Guillaume le Roy, sergeant royal à Coutances, aujourd'huy quinzieme d'iceluy mois de Fevrier, & an dessus dit. Signé LE ROY avec paraphe.

XLVIII.

Breve regis episcopum Constantiensem Nicolaum *de Briroy* renunciantis.

AUjourd'huy 29 Octobre 1588, le Roy étant à Blois, voulant gratifier monsieur le Mareschal de Matignon, suivant que sa Majesté avoit dès le 21 Decembre dernier en 1587 accordé de faire pourvoir l'un de ses enfans de l'evesché de Coutances, vacant par le decès de messire Artur de Cossé, sa Majesté a de nouveau en luy confirmant la ditte grace, voulu & eu pour agréable qu'en consideration dudit sieur mareschal, au lieu de son dit fils, messire Nicolas de Briroy licentié aux droits, archidiacre, grand-vicaire & official du dit Coutances, iceluy soit pourvu du dit evesché & lequel sa Majesté a aussi remis le droit à elle appartenant tant de la collation des prebendes, chanoinies & autres benefices du dit evesché par l'ouverture de la regale en iceluy, entendant que toutes lettres & collations luy en soient expediées, ensemble les autres lettres qui seront necessaires tant en cour de Rome qu'ailleurs, pour obtenir de notre saint pere le pape les bulles & provisions apostoliques, & cependant le present brevet qu'elle a voulu signer de sa propre main, & iceluy etre contresigné par moy son conseiller & secretaire d'état. Signé HENRY, *& plus bas*, REVOL. 1588.



APPENDIX.

ECCLESIARUM Normanniæ nonnullas edidimus chartas, multo plures omisimus, quæ sive in Neustria pia, sive in Monastico Anglicano cuilibet obviæ sunt; sed adeo deformes, ut eas recudere religioni habuerimus. Non quod eæ quas edidimus mendis careant, sed aut a Sammarthanis datæ, a nobis recudendæ erant, aut ipsa quæ vidimus authentica, quæ legimus, quæ manibus nostris contrectavimus, plurimis & ipsa mendis scatent seu notariorum incuria, seu temporum injuria, seu naturæ ipsius vitio. Et quid mirum ab avis nostris humanum non fuisse alienum, cum & ipsi qui lapsus eorum deprehendimus, ab iisdem non simus immunes. Consulantur quæ quotidie conduntur chartæ, diplomata, instrumenta, acta publica aut privata, monumenta quælibet, nullum fortasse est, in quo nullus sit nævus: aliter non scribitur. En tamen aliquot adhuc chartæ omissæ, neglectæ, seu quæ tardius ad nos pervenere.

A

I.

Fundatio prioratus Longævillæ.

Ex Sammarthanis.

1012. QUidam vir præpotens paterfamilias nomine Alfasius, possedit alodum in villa quæ vocatur Tortoniacus, & immissa est voluntas cordi ejus a Domino, ut ipsum alodum sibi pertinentem traderet Deo & S. Petro in venerabili Gemeticensi cœnobio. Concessit ergo, ut diximus, ipsam suam possessionem Deo & sancto Petro, videlicet tertiam partem ipsius villæ & totam ecclesiam, & totum flumen in ipso loco decurrens; hoc igitur donum dedit S. Petro pro redemptione animæ suæ. Deinde posthæc multi in eodem loco Tortoniaco viri terram possidentes, voluntate spontanea dederunt de ipsa terra possessionis suæ tantum, quantum eis bonum visum est, sancto Petro, qui colitur in venerabili Gemeticensi loco. Igitur post multa curricula annorum extitit nobilissimus comes Willelmus Rotomagensi civitate, qui uxorem habuit nomine Leyardam, cui dedit dotem in villa quæ vocatur Longavilla. Ipsa vero Leyarda habuit quandam filiam cujus est nomen Emma, cujus possessio tertiæ partis ipsius terræ in eadem fuit villa. Ipsa ergo suam partem ipsius villæ dedit Deo in loco qui nuncupatur Burgulio, ubi coluntur merita almi Petri. Igitur posthæc, temporibus Roberti humillimi abbatis Gemeticensis sacri cœnobii, & venerabilis abbatis Berni Burg.... almi cœnobii, eorum voluntate spontanea libentique animo ipsam terram ipsius villæ quæ vocatur Longavilla concesserunt sancto Petro in Gemeticensi cœnobio. Ex hac ergo re existunt testes Richardus comes inclytus, cujus imperio atque voluntate filii Richardi principis magni, &c. iterumque alii testes succedunt, scilicet filius ejus Richardus, & nobilissima mater Richardi comitis *Gunnor*, quæ tribuit pro redemptione animæ suæ triginta libras nummorum, & uxor comitis Richardi Judith. Hi sunt alii testes idonei Robertus archiepiscopus Rotomagensis, & Willelmus, & Malgerus fratres Richardi comitis, Willelmus Pictavorum comes, & uxor Prisca, Gislebertus episcopus, Radulphus vicecomes & uxor ejus, & mater ejus Heldiardis, & Gofredus frater ejus; nomine monachorum Robertus abbas, Albertus monachus, Gerardus, Bernardus, Odo, Gislebertus monachus, Berno abbas, Tedelinus abbas, Garnerus monachus, Robertus, Helgothus, Lambertus, Osmundus sacerdos, Kainus sacerdos, Walterus sacerdos, &c. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini M. XII, indictione X, epacta XXV concurrentes II: bissextus etiam eodem fuit anno, regnante Roberto Francorum rege gloriosissimo.

II.

Duæ ecclesiæ dantur canonicis sancti Quintini Veromanduensis.

Hemereus, Augusta Veromand. pag. 107.

RAtiocinatio actuum mundalium statusque juridicialium causarum exigit jugiter, ut res quæ legaliter definiendo determinatur, taliter chartulis scribendo veraciter inseratur, quatenus sophismate omnino scrupulosæ rei derupto, veritas clarius luce reserata cunctis enodetur probabiliter aperta. Quocirca comperiat Normannorum præsentium futurorumque, atque meorum successorum industria, quod accessit Dudo pretiosi martyris Christi Quintini canonicus, nosterque fidelis idoneus, ad me qui nuncupor Richardus, felicissimi comitis Richardi filius, dicorque gratia summæ individuæque Trinitatis Deificæ Normannorum, licet indignus, dux & patricius, deprecans per comitem Radulphum meum avunculum, multimodis & crebris supplicationibus per seipsum, ut ecclesias quas dedit pater meus supradictus ei in beneficio, concederemus pretioso martyri Christi Quintino, pro animæ patris mei & matris meæ remedio. Cujus petitionibus humillimis postulatibusque devotissimis assensum præbens & annuens, concedo præscripto martyri Quintino easdem ecclesias, in Cassis comitatu sitas, unam super fluviolum Dunum sitam, quæ dicitur Evrardi ecclesia & nominatur abbatia; alteram secus littus maris positam in vico qui dicitur Sotavilla, ad mensam fratrum inibi degentium, & sub tutela gloriosi testis Quintini Christo famulantium, ut post excessum Dudonis mei fidelis teneant, possideant, & usufructus accipiant, & quicquid facere voluerint canonici sancti Quintini, libere faciant, procurantibus Dudonis mei fidelis heredibus in pretiosissimi Christi assertoris Quintini servitio, & cum canonicis placuerit, & mihi promptis in obsequio. Et si superstes Dudo aliquid vobis largitus fuerit in sua vita pro animæ patris mei gloria, sit illi nostra & sempiterna gratia. Si quis contra præceptum mei dictaminis meæque dationis venerit, quin etiam si quis meorum heredum infringere istud maluerit, inprimis iram Dei omnipotentis incurrat, & quod injuste repetit non sibi evindicet, sed confusus, & damnatus, & excommunicatus, & anathematizatus recedat, persolvatque regi Francorum viginti libras auri, ducique Normanniæ similiter viginti. Actum est anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. XV, indictione XIII, regnantis Roberti XXVII: ita præceptum factum est in Rotomagensi civitate, in Nativitate genitricis Dei Mariæ, regnante Roberto rege. Signum Richardi qui hoc præceptum fieri 1015.

jussit, matris ejus *Gonnors*, uxoris ejus Judith, Richardi filii Richardi, Willelmi comitis, Sturtingi, Willelmi Radulphi filii, Hugonis Ebroicensis, Hugonis episcopi, Radulphi militis, Roberti archiepiscopi, Malgeri comitis, filiorum ejus, Hugonis, Hugonis episcopi, Hugonis Bajocensis, Rogeri episcopi Lexoviensis, Wilberti militis, Turchilimii, Radulphi, Rogeri. Odo cancellarius scripsit & subscripsit.

III.

Ex Sammarthanis. *Epistola Hugonis archiepiscopi Rotomagensis, ad Alfonsum comitem Tolosanum.*

1143. HUGO, Dei gratia, Rotomagensis archiepisc. sedis apostolicæ legatus, A. nobilissimo comiti Tholosæ, duci Narbonæ, marchioni Provinciæ, quidquid boni tibi mandare possumus & debemus. Quia Dominus, tam honore quam probitate personam tuam egregiam & sublimem constituit, decet omnimodis, ut bene facias ejus, in cujus manu honor & probitas tua consistit. Scripsit namque nobis tua liberalitas, quatenus aut Lugduni, aut Viennæ, aut Valentiæ tibi occurramus, sed pro tua reverentia magis apud Valentiam tibi obviam veniemus; nonis Martii, Domino ducente, pro tua petitione erimus Valentiæ. Speramus enim te plena fide sic velle prosequi, sicut venerabili fratri nostro Tricassino episcopo promisisti, & nobis per literas tuas idipsum promittendo significasti. Festina reconciliari matri tuæ ecclesiæ, ut crescas semper in honore, egregie princeps & domine.

IV.

Bulla Innocentii III pro Troarno.

1210. INNOCENTIUS, &c. Quotiens a nobis petitur quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum monasterium sancti Martini de Troarno, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; burgum Troarnense cum honore ac omnibus appenditiis suis, Joanvillam, S. Paternum, cum *Ramat*, *Toffrevill*, *Salnervill*, Lirrosa, *Bures*, cum mariscis, boscis, ferrariis, piscariis, pasnagiis, vineis, pascuis, pratis, guarandis, mercatis, teloneis, nundinis, molendinis, & aliis libertatibus, immunitatibus, consuetudinibus & pertinentiis suis; ecclesias de sancta Cruce, de sancto Ægidio Troarnensi, de Joanvilla, de sancto Paterno, *de Toffrevill*, *de Salnervill*, de Lirrosa, de Buris & de sancto Silvino; & capellas de Reinerii *Manill* & *de Folletot* ab episcopali jurisdictione per amicabilem compositionem exemptas; ecclesias *de Fontenet*, *de Varavill* & *de Castrovir*, & quicquid ex concessione venerabilium fratrum nostrorum S. Sagiensis & L. prædecessoris ipsius, ac bonæ memoriæ Bajocensis episcoporum habetis in eis; ecclesiam, decimam & burgum sancti

A Sansonis, prioratum de Deserto, maneria *de Tallevill*, de Diva, *de Olnebach*, de Cantapia, *de Clevill*, de Caigneio, *de Raimbhom* cum tota insula, de Goleto & *de Rigisvill*: & in Anglia maneria de Horseleia & *de Rogentoñ*, cellas, capellas, redditus & proventus, ac alia quæ scilicet prædictorum maneriorum ratione ad vestrum monasterium spectare noscuntur, cum omnibus libertatibus & immunitatibus suis; ecclesiam *de Airam*, ecclesiam de Lengronia, ecclesiam de Trumo, ecclesiam de Croceio, ecclesiam *de Piru*, ecclesiam *de Grantevill*, ecclesiam *de Gisnervill*, ecclesiam *de Dumovill*, ecclesiam *de Han*, ecclesiam de Calido-loco, ecclesiam de Agerneio, cum duabus garbis decimæ ipsius villæ, ecclesiam de Milleio, ecclesiam *de Champegnol*, ecclesiam de Benelo, ecclesiam B de Retuleio, ecclesiam de Praeriis, ecclesiam de Muscampis, ecclesiam sancti Hippolyti, ecclesiam de Burceio, & ecclesiam *de Caravill*, cum decimis, capellis, obventionibus, & aliis quæ habetis in ipsis; capellam sanctæ Margaritæ de Ponceio, capellam de Roca, capellam sancti Thomæ, capellam sancti Michaëlis de bosco, & capellam S. Blasii de Ulmo, cum adjacenti grangia & aliis pertinentiis earumdem; ecclesiam de Caigneio, cum quibusdam terris & decimis. In Anglia, ecclesiam *de Weneloch*, ecclesiam de Malpedra, & ecclesiam S. Andreæ *de Witteherst*, cum decimis & aliis pertinentiis suis; grangiam *de Malni*, grangiam *de Casteller*, & grangiam *de Clevill*; capellam de Deserto, cum decimis & aliis pertinentiis suis. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium C nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat: liceat quoque clericos vel laïcos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, de claustro vestro discedere. Discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis janiis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne ullus in vos vel monasterium vestrum, excommunicationis vel interdicti sententias D sine manifesta & rationabili causa proferre, seu novis & indebitis exactionibus vos aggravare præsumat. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & communionem & gratiam sacrosanctæ Romanæ sedis habuerit, & ea voluerit vobis sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem communionem & gratiam apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ nullus, sine assensu episcopi diœcesani & vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, E salvis privilegiis pontificum Roman. In parochialibus vero ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diœcesano episcopo præsentare; quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres

communi consensu vel fratrum pars major consilii sanioris, secundum Deum & B. Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica inhibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere; libertates quoque, & immunitates antiquas & rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, amen. Datum Laterani per manum Johannis sanctæ Mariæ in Cosmidin diaconi cardinalis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cancellarii, kalend. Junii, indictione XIII, Incarnationis Dominicæ anno millesimo ducentesimo decimo, pontificatus vero domini Innocentii papæ III anno tertio decimo.

V.

Ex Sammarthanis.

Philippus rex concedit archiepiscopo Rotomagensi quidquid habet in villa Poleto.

1283. PHILIPPUS, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam præsentibus quam futuris, quod nos contentiones & jurgia, quæ frequenter inter gentes nostras & gentes dilecti ac fidelis nostri archiepiscopi Rotomagensis, occasione eorum quæ in villa de Poleto & prope dictam villam habebamus in certis locis contentis inferius, oriebantur, volentes extinguere; quidquid in dicta villa de Poleto, cum alta justitia & focagio, cum hortis & jardinis, habebamus, & quidquid aqua maris cooperit & discooperit in dicta villa, & de dicta villa usque ad metas prioratus de Longa-villa, a parte *de Puys*, usumque sagenæ, eo modo quo illum habebamus in aqua Deppæ, concessimus & penitus dimisimus in perpetuum archiepiscopo memorato & successoribus ejus, ita videlicet quod ipse facere non poterit piscaturam in dicta aqua inter mare & villam de Archis: sed personæ utentes sagena, & etiam venientes piscari applicantes in villa de Poleto, poterunt suas sagenas ponere, & retia exsiccanda in sicca terra, sine dangerio garennariorum, absque tamen ingressu profundo in garenna, salvo in prædictis omnibus dangerio traversi de Archis, quod retinemus, concedentes inter cetera, quantum in nobis est, emptionem per prædecessorem ipsius archiepiscopi factam a patre Nicolai *de Hotot* militis, de alta justitia hominum ipsius existentium in villa Deppæ, & eam ipsi archiepiscopo & successoribus confirmantes, salvo jure quolibet alieno. Quod ut ratum & stabile permaneat in futurum, præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini M. CC. XXCIII.

VI.

Epistola abbatis sancti Ebrulfi, de obitu Matthæi abbatis sancti Dionysii in Francia.

REverendo in Christo patri ac domino Reginaldo, Dei providentia, abbati sancti Dionysii in Francia, frater Gaufridus eadem permissione abbas humilis monasterii sancti Ebrulfi Lexoviensis diœcesis, totusque ejusdem loci conventus, æternam in Domino salutem, & cum promptitudine servitii & honoris paratam ad ejus beneplacita voluntatem. Cum in officiis charitatis illis primo teneamur obnoxii, a quibus dignoscimur beneficia percepisse, ac piæ memoriæ D. Matthæus prædecessor vester, necdum solum vobis & monasterio vestro, sed aliis regni Franciæ ecclesiis tempore quo vivebat clypeus defensionis extiterit & bellator fortissimus, nobisque & monasterio nostro sæpius quamplurima consilia & auxilia, ac grata subsidia impenderit; dignum ac justum esse profitemur, ut quem dominum charissimum amisimus, lugeamus defunctum, ac nostris orationibus & precibus ad dominum ipsius animam, prout poterimus, sublevemus, si forte, quod absit, eum offenderit in aliquo dum vivebat. Idcirco prædicta ad memoriam reducentes, ut tenemur, donarium nostri capituli interveniente consensu, concedimus prædicto patri defuncto plenariam participationem omnium bonorum spiritualium quæ fiunt & fient de cetero in domo nostra, tam in capite quam in membris, & specialiter unam missam festivalem in conventu, & quod eo die habeat sicut unus nostrorum monachorum. De unoquoque sacerdote missam unam habebit, & L psalmos de unoquoque eorum qui non fuerint sacerdotes. Sciat tamen donata retinenda...... Ex quo obitum ipsius audivimus, unam missam pro ejus anima celebravimus in conventu: insuper autem statuimus quod amodo in capitulo nostro ipsius memoriam faciemus. In cujus rei testimonium præsentibus literis sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M. CCLXXXVII, die Dominica ante festum sancti Martini hiemalis. 1287.

VII.

Archiepiscopi eligendi licentiam petunt canonici ecclesiæ Rotomagensis. Ex Sammarthanis.

SErenissimo principi ac domino domino Philippo, Dei gratia, regi Francorum illustri, devoti ejus in omnibus A. decanus & capitulum Rotomagensis ecclesiæ, cum devota sui recommendatione, in illo vivere feliciter & regnare, qui regibus dat salutem. Vacante noviter ecclesia memorata per obitum bonæ memoriæ dom. G. quondam ejusdem archiepiscopi & pastoris, ipsiusque corpore tradito sicut decuit ecclesiasticæ sepulturæ; desiderantes ipsam avertere a dispendiis & jacturis, quæ ex diutinis vacationibus consueverunt ecclesiis provenire, mansuetudini regiæ supplicamus, quatenus eligendi nobis & dictæ ecclesiæ novum pastorem & archiepiscopum, Domino largiente, accommodum, consueta benignitas regia nobis licentiam largiatur. Et ecce venerabiles & discretos viros magistros Joan. Ducis cantorem, & Thomam de Baffyaco concanonicum nostrum Rotomagensem ad vestri culminis majestatem, propter hoc præsentium testimonio destinamus; ut sub illorum ministerio, sic concessam nobis gratiam, benignitas regia nunciare dignetur. Majestatem vestram amplificet & conservet in dierum longitudinem Dominus Jesus Christus. Datum sub sigillo capituli nostri, die Dominica qua cantatur *Quasimodo*, anno Domini M. CCCVI. 1306.

VIII.

VIII.

Pœnitentiario Lexoviensi duæ semiprabendæ annectuntur.

1317. IN nomine Domini, amen. Hoc est transumptum seu transcriptum cujusdam veræ originalis literæ sigillis reverendi in Christo patris & domini quondam domini Guidonis, permissione divina, Lexoviensis ecclesiæ ministri humilis, ac venerabilium & discretorum virorum decani & capituli ecclesiæ Lexoviensis, ac venerabilis viri quondam archidiaconi de Levino in ecclesia Lexoviensi, ut prima facie apparebat, sigillatæ, cujus literæ tenor de verbo ad verbum sequitur in hæc verba : Universis præsentes literas inspecturis, Guido, permissione divina, Lexoviensis ecclesiæ minister humilis, æternam in Domino salutem. Cum nos in suscepto regiminis pastoralis officio, cujus curæ sollicitudo continua ac meditatio assidua nos urget, licet juxta nobis traditæ dispensationis officium subditorum commodo, nostræque animæ saluti & ecclesiæ nostræ utilitati & honori intendimus, considerantes agrum, volentes eum emere de fructu manuum nostrarum, inibique vineam plantare ad perpetuam nostri memoriam, ecclesiæque nostræ sponsæ, Dei & beatorum apostolorum Petri & Pauli honorem, subditorumque nostrorum utilitatem successorumque nostrorum, quoad curæ sollicitudinem maximumve levamen, affectantesque zelum quem habemus ad ecclesiam sponsam nostram & honorem effective detegere, degustantes ac videntes negotiationem esse bonam & utilem, lucernamque ejus in nocte extingui non posse, de consilio & assensu nostrorum decani & capituli, ac voluntate discreti viri G.... de Pratis nunc archidiaconi de Levino, pro se & successoribus suis futuris archidiaconis, ac nostra, disponimus, constituimus, ac etiam ordinamus dimidiam præbendam liberam & vacantem, quam in ecclesia nostra Lexoviensi nuper obtinebat discretus vir magister Guillelmus Bernaci defunctus, una cum grossis fructibus & hactenus solita percipi parte media distributionum in nostra Lexov. ecclesia quotidianarum, onereque hactenus imposito dimidiis canonicis ad officiandum in ecclesia prædicta, ut prius, remanente exnunc, ad officium pœnitentiariæ in ecclesia nostra perpetuo dotandum assignamus, disponimus, constituimus, ordinamus, quod de cetero in ecclesia nostra sit officium pœnitentiariæ perpetuo simplex, nolentes ipsum haberi pro dignitate aut personatu, retenta nobis potestate & successoribus nostris pro tempore episcopis, ad nostri & successorum nostrorum beneplacitum limitandi illi de cujus officio provisum fuerit potestatem, cujus officii provisionem, collationem penes nos & successores nostros episcopos reservamus ac etiam retinemus, statuentes ut qui in officio prædicto de cetero constitutus fuerit seu etiam institutus, juret continuam ac perpetuam residentiam in ecclesia nostra, ac canonicam obedientiam nobis & successoribus nostris episcopis; & ne mendicitati subjiciatur qui in dicto officio fuerit institutus propter fructuum prædictorum tenuitatem in suo statu, addicimus duas partes decimæ fructuum grossorum decimalium in ecclesia de Pratellis in nostra diœcesi, quas acquisivimus, ab eo qui officium pœnitentiariæ geret pro tempore exnunc percipiendas & levandas, nisi per nos aut successores nostros alibi valore ad valorem vel etiam amplius per excambium fuerit ordinatum, de consensu prædicti nunc rectoris ac præfati archidiaconi pro se suisque successoribus futuris archidiaconis qui per nostram ordinationem, de consensu nostrorum decani & capituli exnunc percipient pro tempore nunc rectoris plenam & integram procurationem ratione visitationis sibi debitæ, prout alias percipere consuevit; & si contingat prædictam suam ecclesiam dimittere idem rector vel ipsum decedere, extunc inantea viginti solidos Turonenses singulis annis diminuendos & deducendos super pastu suo ratione visitationis ejusdem, necnon viginti solidos Turonenses pro tertia parte deportuum contingentium archidiaconis pro tempore, idem archidiaconus qui nunc est & ejus successores, exnunc percipient annuatim in termino feriæ prati Lexoviensis super domibus, videlicet Guillelmi de Bosto nunc civis Lexoviensis, & Johannis *le Melle* nuper defuncti, quas acquisivimus, de quibus fit mentio in literis excambii seu permutationis de redditu octo librarum Turonensium aut monetæ currentis, pro manerio in quo nuper inhabitabat Petrus Berardi canonicus Lexoviensis defunctus, ad nostros decanum & capitulum pertinens, quas habuimus, cum nostris decano & capitulo prædictis, sigillo nostro ac nostrorum decani & capituli sigillatis, prout liquidius, plenius ac in eisdem clarius continetur, percipietque idem rector duas garbas ecclesiæ suæ prædictæ, dum inibi rector erit, & inde reddet pœnitentiario qui pro tempore fuerit, quolibet anno quadraginta libras Turon. persolvendas ab eo dum & quandiu rector erit, terminis contentis in actis literas quas idem rector habet a nobis sigillo nostro ac sigillis nostrorum decani & capituli sigillatas continentibus : decimam nostram de Touqua eidem rectori dum erit rector ecclesiæ suæ prædictæ, anno quolibet perceptione quadraginta librarum Turonensium pro prædictis quadraginta libris Turonensibus, prædictis duabus garbis quas percipit in ecclesia sua prædicta, & percipiet dum erit rector ejusdem, ab ipso percipiendas & levandas, ut præfertur levasse, ac consilio & assensu nostrorum decani & capituli, & nostro, in perpetuum ad augmentationem prædictæ dotis & tituli confirmamus ac etiam assignamus, una cum manerio in quo præfatus Petrus Berardi nuper ecclesiæ nostræ pro tempore canonicus residebat, quod a nostris decano & capitulo acquisivimus ex causa permutationis, quod manerium ad dictum officium in futurum pertinere volumus cum sua libertate. In quorum omnium & singulorum testimonium, & ad perpetuam rei memoriam, sigillum nostrum literis præsentibus est appensum, una cum sigillo nostrorum decani & capituli, ac sigillo præfati archidiaconi pro se & suis successoribus. Constitutionem, dispositionem & ordinationem officii prædicti, una cum dotatione prædicta approbavimus & laudavimus, ac confirmavimus in his scriptis. Actum & datum anno Domini millesimo trecentesimo decimo septimo, die Jovis post Annunciationem beatæ Mariæ virginis, secunda die mensis Martii. Et ego Guillelmus de Cadmo civis Lexoviensis publicus auctoritate imperiali curiæque Ebroicensis notarius, ac testium executor juratus, de vera originali litera ad præsens exemplum seu copiam præsentem, anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo, die septima mensis Februarii, indictione quatuordecima, pontificis sanctissimi in Christo patris domini nostri domini .... divina providentia papæ septimi anno tertio decimo, diligentem collationem feci cum discreto viro Simone dicto *le Maignen* publico notario, ac curiæ Ebroicensis jurato; & quia ea concordare inveni, ideo hic me subscripsi & signum meum huic præsenti transcripto seu copiæ per alium scriptæ, me ad alia occupato, apposui requisitus interim videlicet officio, sub eodem signo approbavi.

IX.

Capitulum Lexoviense immune declaratur a militibus, &c.

1467. *LOUIS, par la grace de Dieu, roy de France, Au bailly de Rouen & d'Evreux, vicomtes desdits bailliages, & a tous nos autres justiciers & officiers ou a leur lieutenant, salut. Reçue avons l'humble supplication de nos chiers & bien amés les doyen, chanoines & autres gens d'eglise de Lisieux, contenant que feu notre très-chier seigneur & pere, que Dieu absoleye, en faisant & mettant sus les ordonnances, touchant les gens de guerre, voult & ordonna par sesdites ordonnances que tous les gens d'eglise de son royaume, affin qu'ils puissent mieux faire & celebrer le divin service, & prier Dieu pour luy & nos predecesseurs, fussent & demourassent francs, quittes & exempts de loger iceux gens de guerre, sinon que ce fust en cas d'urgente necessité, & qu'ils ne pussent logier ailleurs, & aussi les exempter de contribuer aux tailles d'iceux gens de guerre, & de leur querir & fournir ustanciles, desquels logis & ustanciles lesdits suppliants ont toujours esté par cy-devant tenus francs & exempts; ce non obstant puis nagueres aucun commis a loger nosdits gens de guerre, ou les bourgois, manants & habitans dudit Lisieux, ont logié certains nombres de nosdits gens de guerre es hotels desdits suppliants, & veullent contraindre iceux suppliants a fournir nosdits gens de guerre de ustanciles, qui seroit venu contre lesdites ordonnances & enfraindre les libertés par notredit feu seigneur & pere, & autres nos predecesseurs donnés aux gens d'eglise de notre royaume, & empeschier & troubler ledit service divin, humblement requerants notre grace & provision sur ce. Pourquoi nous, les choses dessusdites considerées, voullant lesdites ordonnances, faittes par notredit feu seigneur & pere, touchant lesdits gens de guerre estre entretenus & gardés, & lesdits gens d'eglise de notre royaume, estre entretenus en leurs libertés & franchises, & mesmement sur le fait dudit logis de nos gens de guerre, & de les fournir ou pourvoir de ustanciles affin qu'ils puissent mieux & en graigneur pacification vacquer a faire & celebrer ledit service divin, duquel nous desirons l'accroissement & augmentation auxdits suppliants. Pour ces causes & autres a ce nous mouvants, avons octroyé & octroyons, voullons & nous plait de grace especialle, pleine puissance & autorité royalle, qu'ils soient & demeurent dor en avant, francs, quittes & exempts du logis de nosdits gens de guerre, & aussi de leur fournir & querir ustanciles, sinon toutes voyes en cas de urgente necessité, & qu'il n'y eut autre logis audit lieu de Lisieux. Sy nous mandons, commandons, & expressement enjoignons a chacun de vous, si comme a luy appartiendra, que vous contraigniés & faites contraindre reaument & de faits lesdits bourgois, manants & habitans dudit Lisieux, a loger nosdits gens de guerre en leurs maisons & hotels, & a leur fournir lesdits ustanciles, & lesdits commissaires, a loger dor en avant nosdits gens de guerre es hotels desdits habitans, nonobstant oppositions & appellations quelleconques, desquels logis & ustanciles, en temps que mestier seroit, nous avons exempté & exemptons par cesdites presentes lesdits suppliants; de ce faire vous donnons pouvoir, autorité, commission & mandement especial; mandons & commandons a tous nos justiciers, officiers & sujets, que a vous, vos commis & deputés en ce faisant, obeissent & entendent diligemment. Donné a la Boulle le cinquieme jour de Juin, l'an de grace M. CDLXVII, & de notre regne le sixiesme, & en la marge de bas est écrit, par le Roy, Gaston du Lion, seneschal de Xaintonge, & autres presents. B. MEURIN.*

Le 8 Juin M. CDLXVII, le bailly de Rouen donna son mandement aux fins de l'entiere execution desdites lettres patentes, lesquelles furent signifiées le landemain, avec ledit mandement, a Guillaume de Gueriere ecuyer, lieutenant de la compagnie des gens de guerre logés en la ville & fauxbourgs de Lisieux, & auxdits bourgeois, manants & habitans d'icelle ville, avec sommation de les executer selon leur forme & teneur, & en consequence de vuider les maisons canoniales desdits gens de guerre, &c. . . . . ce qui fut executé.

X.

Officiariorum monasterii Beccensis, Rotomagensis diœcesis, augentur stipendia.

UNiversis præsentes literas inspecturis, Guillermus permissione divina abbas monasterii B. Mariæ de Becco Helluini, ordinis sancti Benedicti, Rotomagensis diœcesis, salutem in Domino. Pastoralis officii nobis incumbens debitum, cui nos licet immeriti, permittente Domino, præficimur, exorare credimus, dum nostræ cura sollicitudinis in his præsertim invigilat, in quibus & ex quibus divini cultus præstolamur augmentum, fidelium defunctorum salus animarum apud Deum piis suffragiis procuratur. Attendens igitur onera officiis magistrorum ordinis hujus monasterii incumbentia, supprioris videlicet, cantoris, tertii prioris, magistri novitiorum & succentoris ejusdem, qui fere majorem sollicitudinis diurni pariter ac nocturni servitii partem, aliorumque onerum & actuum religionis, ac personarum claustralium ejusdem dietim habent subire, quanquam stipendia & fructus eorumdem officiorum adeo modici sint & tenues, quod vix ex ipsis honeste, prout status & conditio eorumdem exigit, se valeant manutenere; hinc est quod nos ut eorum ad hoc facilius devotio ferventior existat, ipsique promptiores efficiantur, quo præmium amplius retributionemque majorem se senserint adipisci, illum ad hujusmodi officia & personas eorumdem dirigimus dilectionis affectum, quo & ipsorum confovere volumus honestatem, & earumdem personarum opportunis remediis indigentiæ præcavere, magna consideratione præhabita, præmissis & aliis causis, volumus, statuimus & ordinamus, ut ipsi officiarii & eorum successores in eisdem officiis pro tempore existentes, summam viginti duarum librarum Turonens. singulis annis quatuor terminis anni, videlicet in sanctorum Johannis Baptistæ, Michaëlis, & Resurrectionis ac Nativitatis Domini nostri, solemnitatum festivitatibus æqualiter super recepta cubicularii nostri posteris temporibus capiendam, una cum suis aliis stipendiis & emolumentis, quæ ab olim occasione hujusmodi officiorum aliunde recipere consueverunt, inter eos sic dividendam, videlicet ipse supprior octo libras, cantor centum solidos, & alii tres quilibet sexaginta solidos Turonenses percipiant, & in eisdem terminis in perpetuum habeant. Et propterea tenebuntur ipsi quinque officiarii suique successores, quinque missas annuatim in capella nostra sancti Nicolai, pro nostra, successorum, parentum, amicorum & benefactorum nostrorum animarum salute, in altero die jejuniorum singulorum Quatuor temporum anni quatuor missas, & quintam in secunda septimana cujuslibet Quadragesimæ, exnunc & quamdiu vita fruemur in humanis, ac etiam post decessum nostrum ab hac mortali vita, & extunc in perpetuum singulis annis præfatas quinque missas vicissim & alternative celebrare. Ut igitur hæc omnia & singula perpetuæ firmitatis robur obtineant, præsentes literas nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum in eodem monasterio nostro, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, die nona mensis Martii. 1494.

XI.

Ludovicus XII fundat duo anniversaria in ecclesia Lexoviensi.

1508. LUDOVICUS, Dei gratia, Francorum rex, ad perpetuam rei memoriam. Inter sollicitudines quas in susceptione diadematis nostri regni a Deo nobis commissas suscepimus, præcipuam illam censemus per quam ecclesiam suam per unionem divinæ naturæ ad humanam sibi desponsatam naturam, nostræ commisit protectioni, ut etiam & bona temporalia ipsius conservaremus, & delapsa nostra auctoritate & juvamine in statum prosperum reduceremus: non enim ignoramus quin per ipsam regnum nostrum, quod christianum fortitum est nomen, ecclesiæ triumphanti millia millium intulerit animarum. Nostrorum quoque progenitorum plures, Deo jubente, de hujusmodi nostro temporali regno ad æternum regnum sunt translati, & feliciter incrementa bonorum in dies suscipit militans ecclesia, pro salute ipsius preces supplicationesque indesinenter regi æterno porrigente; propter hoc benevolos nos exhibere decet, & magnificentia principali excitari, quanto majoribus beneficiis provocamur, nos ex nostra largitate vel pauca concedere, scilicet pro temporalibus æterna, pro prætereuntibus bonis sine fine permansura commutando. Intelleximus sane ecclesiam Lexoviensem tanto studio, tam sedula attentione & sincera devotione Christo regi nostro, suæ quoque matri virgini Mariæ, ac beatis apostolis Petro & Paulo, sub quorum nomine a nostris prædecessoribus fundata, constructa & donis magnificis dotata extitit, orationes effundere assiduas, ut nos & omnem catholicum christianumque populum præsertim nobis subditum, adversariorum etiam & malignorum hostium, tam visibilium quam invisibilium, potentiam, astutias atque fraudes vincere superareque faciant, & victores nostri imperii tempora in pace feliciterque ducere; cujus, inquam, ecclesiæ Lexoviensis tutores & patroni fuere gloriosi principes christianæ militiæ Petrus & Paulus, ac beatissimus confessor Ursinus, sub quorum tuitione plures inclitæ memoriæ pastores & rectores quos enumerare esset gloriosum, tamen nostris literis prolixum fortasse existeret, extirpatis errorum tenebris, lucernam catholicæ fidei sic in manibus suis ardentem gestarunt, ut quicumque fideliter ecclesiam prædictam ingredi voluerit, veritatis lumen intueri possit. His denique nostris temporibus huic sanctæ Lexoviensi ecclesiæ præest, inspirante sacro Pneumate, Joannes *le Veneur* noster consiliarius fidelissimus, quem vere Israelitam in quo dolus non est cognoscimus, cujus orationibus nos ad cœnam summi Regis invitatos, ubi volucres cœli & altilia pennata fessis viatoribus humanæ miseriæ esca parata sunt, ut sicut orante beatissimo Petro piscatore hominum pisces maris transfretantes hoc pœnitentiæ mare magnum & spatiosum illuc felices introduxit, sic quoque ipso consiliario nostro pro nobis & nostro regno orante, qui non inferiora hominum piscatione officia sequens, venationi animarum quotidie intendit, qua pontificalis benedictionis munus ut Jacob a patre suo obtinuit, æternis deliciis speramus admisceri, ac nobis regias dapes sapientiæ sale conditas præparari. Quid plura! Nobis fuit præfata ecclesia Lexoviensis commendabilis, cum Normanniæ nobis in minoribus agentibus gubernacula priusquam nostri regni diadema suscepimus. His considerationibus adducti, de nostra regia auctoritate, munificentia & largitate, ut ministrorum ipsius ecclesiæ status honorificentius sustentari valeat, venerabilibus viris decano & canonicis dictæ ecclesiæ residentibus & quotidianas distributiones percipientibus donavimus, & per præsentes manu nostra

A signatas donamus facultatem habendi, consequendi & percipiendi, ac eos habere, consequi, & percipere volumus de cetero in perpetuum per ipsos eorumque successores super & in horreis nostris salis in civitate nostra Lexoviensi, seu in navibus & navigiis eorum qui de cetero sal hujusmodi in dicta villa asportabunt, duo modia salis ad mensuram dictorum nostrorum horreorum prædictorum per officiarios nostros in dictis nostris horreis commissos & præpositos, scilicet granatarium & contrarotularem nostros, solvendo solum per eosdem decanum & canonicos pretium mercatoris, nihil exigendo ultra nomine gabellæ, aut alias quovis modo, aut colore quocumque, quod absit, quæsito: quæ duo modia prima die mensis Januarii jubemus atque præcipimus per eosdem B officiarios nostros eisdem decano & canonicis libere, ut dictum est, & absque dilatione aut difficultate tradi realiter & cum effectu. Volumus autem duplum harum nostrarum literarum sub sigillo nostro transcriptum semel duntaxat dictis officiariis nostris per prædictum decanum & canonicos, una cum singulis quittanciis sui notarii signo signatis annis singulis, & in camera nostri census seu compotorum Parisina tradi. Quo facto ipsos officiarios nostros pro tanto debere exonerari, prout eos præmissa adimplendo exoneramus de jure nostro concernente duo modia prædicta: licet autem duo prædicta modia nostrum censum non minuant, ipsis tamen decano & canonicis Lexoviensibus erit ad vitam degendam adjumento; proviso tamen quod in recognitionem prædictæ nostræ largitionis ipsi decanus & canonici C tenebuntur & debebunt singulis annis perpetuis temporibus celebrare in dicta eorum ecclesia duos obitus solemnes, primum videlicet duodecima die mensis Decembris, & alterum duodecima mensis Augusti, juxta morem in dicta ecclesia fieri solitum, ceremoniis observatis in pulsatione, luminaribus, ornamentis, vocis tractu, honestate, distributionibus, ceterisque in talibus requisitis, & ipsos duos obitus continuare & observare tenebuntur in perpetuum pro nobis, statu felici regni nostri & reipublicæ nostræ prospero cursu, eriinusque participes suarum orationum, vigiliarum, missarum, matutinorum, servitiorum & bonorum spiritualium ipsius ecclesiæ Lexoviensis. Mandamus propterea dilectis & fidelibus gentibus compotorum nostrorum Parisiis, D generalibus financiarum ceterisque justitiariis nostris, quatenus prædictos decanum & canonicos ecclesiæ prædictæ & eorum successores, nostris præsentibus dono, gratia & largitione uti, gaudere & frui faciant & permittant, sub conditionibus, & ut superius dictum est, impedimentis quibuscumque in contrarium cessantibus, quoniam sic fieri volumus, non obstante quod valor juris nostri dictorum duorum modiorum non sit specificatus, nec declaratus, quod exoneratio non levetur, & ordinationibus, restrictionibus & mandatis quibuscumque in contrarium facientibus. Et ut prædicta firma & stabilia perpetuis maneant temporibus, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum, salvo in ceteris jure nostro & in omnibus quolibet alieno. Datum Estampis in mense E Novembri, anno Domini millesimo quingentesimo octavo, & regni nostri undecimo. Signé *LOUIS*. *Et sur le pli est ecrit:* Per regem episcopo Lexoviensi, & aliis præsentibus. Signé *Robert, & un paraphe.* Item visa Contentor. *Maillart, un paraphe. Et scellé en laqs de soye d'un grand sceau de cire verde.*

XII.

Transactio episcopi Lexoviensis cum capitulo.

Extrait du registre de François Lores & Guillaume Namps, tabellions en la vicomté de Lisieux, ce qui ensuit:

1561. *DU Vendredy, vingt-quatrieme jour de Janvier l'an mil cinq cents soixante-un. Comme reverend pere en Dieu messire Jean le Haynuyer docteur en theologie, conseiller & premier aumonier du Roy, par la grace de Dieu, evêque & comte de Lisieux, ait entendu & connu a sa promotion audit evêché, que luy & ses predecesseurs evêques dudit lieu etoient tenus & obliges envers les sieurs doyen, chanoines & chapitre de l'eglise saint Pierre de Lisieux, de donner a diner a eux dignites & aux demi-chanoines & chapellains, vicaires & autres qui font le divin service de ladite eglise, appelles les douze livres, au fabriequier, aux clercs du chantre, du thresorier & chevecier, aux enfans de chœur, & deux sonneurs, deux batonniers & autres dediés audit divin service, meme au senechal, procureur, avocat, scribe & sergent dudit chapitre, aux quatre fêtes annuelles qui sont, Paques, Pentecôte, saint Pierre saint Paul & Noël, a chacunes d'icelles les traiter honnêtement selon leur état & qualité, & que de tout temps & ancienneté, telle qu'il n'est memoire du contraire, & plus que suffisante pour en avoir eu & aquis prescription, ils en étoient en bonne & pacifique possession; ledit sieur evêque auroit fait remontrer auxdits sieurs doyen, chanoine & chapitre, qu'il eut bien voulu lesdites redevances etre commuées & converties en autre chose, tant pour ce que esdits jours l'evêque doit le service a l'eglise & la predication, que pour plusieurs autres raisons qu'il leur avoit fait remontrer: a quoy ils ont bien voulu entendre, sçavoir faisons & furent presents ledit Haynuyer evêque, & lesdits du chapitre, par venerables personnes maitres Robert Bonenfant thresorier, Philippe de Nocy archidiacre de Lyevin, François l'Abbé archidiacre du Pontaudemer, Richard Trinité, Foulques Costard, Christople de Nocy, Guillaume Cricquet, Jean le Febvre, Nicolas Saintard, Nicolas de la Porte, Jaques Thiboult, Louis de Gripier, Thomas Duval, Thomas Chretien, Jean Mezieres, Louis du Bois, & Claude Ouldin, faisants le chœur dudit chapitre de ladite eglise pour eux & les autres sieurs dudit chapitre; & lesdits vicaires chappelains douze livres & demi douze livres par maitre Robert Letorey, Simon Bunel, Jean de la Roere vicaires, lesdits chappellains, par Christophle de la Roere, Denys de la Roere, Jean Fleury, Guillaume Thirel, Jean Mallet, Guillaume Clologe, Jean Gosselin notaire dudit chapitre, lesdits douze livres & demi douze livres par Martin Manneville & Pierre le Cairon, le tout pour eux & les autres, lesquels reconnurent & confesserent, c'est a sçavoir ledit le Haynuyer pour luy & ses successeurs evêques dudit lieu, que pour demeurer quitte & exempt desdits diners & banquets, il a voulu, consenti & accordé, veut, consent & accorde, promet & s'oblige payer par chacun an, a toujours, soit que luy & sesdits successeurs soient presents audit Lisieux, ou absents, a chacune desdites fêtes, c'est a sçavoir de Paques, Pentecôte, saint Pierre & saint Paul qui est le penultieme jour de Juin, & de Noël, a chacun desdits doyen, dignités & chanoines dudit chapitre, souchantre & penitencier, lesdits jours assistants au service de ladite eglise, un gallon de vin, vallant deux pots mesure dudit Lisieux, du meilleur qui pourra se trouver dans ladite ville, & un pain blanc, bon & loyal du meilleur bled qui pourra etre trouvé, du poids de quatre livres chacun; & affin que de ce, lesdits sieurs du chapitre n'ayent occasion de mecontentement, ils fairont faire ledit pain, par tel boullenger qu'ils trouveront bon être, chercher & prendre ledit vin a leur choix,* A *par telle personne qu'ils voudront commettre & deputer a cette fin, & ledit sieur evêque en sera faire le payement par ses receveurs ou commis incontinent & sans differer du jour au lendemain; & d'avantage promet & s'oblige payer & faire delivrer aux quatre vicaires a chacun cinq sols par chacune desdites fêtes, & autres pretres & chappelains appellés les douze livres; au fabriquier, aux clercs du chantre, du thresorier & chevecier, aux six enfans de chœur pour trois, a deux sonneurs, deux batonniers qui seront residents & assistants audit divin service esdits jours & festes, même au seneschal, procureur, avocat, scribe & sergent dudit chapitre, a chacun trois sols a chacune d'icelles fêtes, soit que ledit sieur evêque soit present ou absent dudit Lisieux; ce qu'il a promis faire, continuer, tenir & entretenir parce que lesdits doyen, chanoines & chapitre, même lesdits* B *vicaires, chappellains & autres dessus nommés ont quitté & affranchi, quittent, liberent & affranchissent pour l'avenir ledit sieur evêque & ses successeurs desdits diners & banquets, tant pour eux que leursdits successeurs, ont promis & se sont obligés n'en faire jamais aucune poursuite, ny aller au contraire en quelque maniere que ce soit, & y ont renoncé & renoncent, tout ce que dessus lesdites parties en tant que le fait leur touche, ont promis, voulu & accordé, & a ce faire tenir & entretenir lesdites parties contractantes en obligerent, c'est a sçavoir ledit sieur evêque, les biens & revenus dudit evêché, & lesdits du chapitre, chapellains & autres denommés en ce present, leurs biens & revenus de ladite eglise, le tout en tant que faire le peut chacune desdites parties. Passé audit Lisieux, en icelle eglise,* C *presents Nicolas le François apotiquaire, Robert Cottin, Jean Turnel, Gilles Heutes dudit Lisieux, & autres temoins. Collation faite sur ledit registre, par moy soussigné Procureur du roy en l'election de Lisieux, garde d'aucuns des registres & minutes de François Lores & Guillaume Namps tabellions en la vicomté de Lisieux, ce huitieme jour de Juillet mil six cents neuf.* Signé LE CAMUS, *avec paraphe.*

XIII.

Pœnitentiario Lexoviensi annectuntur canonicatus & præbenda.

IN nomine Domini, amen. Hujus publici instrumenti serie & tenore cunctis pateat & sit notum, 1573.
D quod cum reverendus in Christo pater & dominus dominus Joannes, Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia episcopus & comes Lexoviensis, ac venerabiles & circumspecti viri domini canonici & capitulum insignis ecclesiæ cathedralis ejusdem Lexoviensis, decano illius notorie absente, pro negotio infra scripto tractando pluries antea convenissent fuissentque debite congregati, videlicet de consilio inter eos captando seu matura deliberatione ineunda de modo & ratione constituendi & assignandi congruos & competentes fructus & redditus ipsius ecclesiæ cathedralis pœnitentiario, cui pro illius dignitate & qualitate proventus in eadem ecclesia assignati & attributi adeo tenues & exigui esse dignoscuntur, utpote valoris ad summum annui redditus centum
E quinquaginta librarum Turonensium, ut vix idoneus qui munus & onus ejusdem officii pœnitentiariæ in dicta cathedrali ecclesia rite & digne, ut par est, obire possit reperiatur. Præfatus itaque reverendus pater, præmissis diligentius perspectis & cum eisdem dominis canonicis & capitulo attente deliberatis, huic maximo incommodo mederi, ac præsens remedium afferre omnino desiderans, ut tandem in eadem ecclesia cathedrali perpetuis futuris temporibus pœnitentiariæ hujusmodi instituatur idoneus, qui scientia & virtute effulgeat ad Christi gloriam & populi christiani ædificationem singularem prout

bonum & utilitatem supra dictæ cathedralis ecclesiæ ac totius diœcesis Lexoviensis, de consensu & assensu prædictorum canonicorum & capituli ad id expresse intervenientibus, sub tamen sanctissimi domini nostri papæ beneplacito, & non alias, aliter nec alio modo, voluit, statuit, disposuit & ordinavit, vultque, statuit, disponit & ordinat per præsentes, ut deinceps pœnitentiarius in eadem ecclesia cathedrali pro tempore existens, ibidem adinstar aliarum ecclesiarum cathedralium hujusce provinciæ Normanniæ, præbendam integram cum plenitudine juris canonicatus, videlicet canonicatum & præbendam de Vallibus nuncupatos in præfata ecclesia fundatos, cum honoribus & oneribus, ac pertinentiis universis eidem canonicatui & præbendæ pertinentibus & incumbentibus, obtineat & assequatur; hoc uno duntaxat excepto, quod idem pœnitentiarius jure & privilegio annatæ canonicis ipsius ecclesiæ cathedralis ab antiquo concessis uti nullatenus poterit, sed postquam ab humanis discesserit, successor illius adinstar canonici theologalis in eadem ecclesia existentis, hoc respectu duntaxat statim fructibus ipsorum canonicatus & præbendæ de Vallibus nuncupatorum gaudeat & fruatur: ad quod pœnitentiarii officium, postquam eodem canonicatui & præbendæ unitum fuerit, quoties de cetero illud, sive per cessum vel decessum, aut alio quovis modo vacare contigerit, nullus in memorata ecclesia cathedrali instituatur & assumatur, nec idem canonicatus & præbenda possint conferri & de eisdem provideri, mandari ulli alii a pœnitentiario in dicta ecclesia pro tunc existente, qui quandiu pœnitentiariam hujusmodi habuerit, eisdem gaudebit, quam uni doctori theologo aut magistro licentiato, vel ad minus baccalaureo formato, qui in facultate theologiæ per decennium in Universitate privilegiata studuerit, & onus continuæ residentiæ in dicta ecclesia cathedrali requisitæ pro debito ejusdem officii laudabiliter exequendo & adimplendo subire voluerit, & quam primum idem pœnitentiarius hujusmodi canonicatum & præbendam de Vallibus nuncupatam adeptus fuerit, fructus, proventus ac redditus antea eidem pœnitentiario annexi & attributi, dempto manerio illius ipsi pœnitentiario & ejus successoribus pro sua propria & peculiari habitatione continuo remanente, vacare censeantur, & per eundem pœnitentiarium pro dimissis habeantur, cedantque extunc & assignentur atque sint efficaciter affecti fundationi & constitutioni alterius officii succentoris in eadem ecclesia cathedrali in modum sequentem fundandæ & constituendæ; nimirum quod idem reverendus pater summopere cupiens ut in prædicta cathedrali ecclesia omnia decenter & ornate fiant, præsertim circa divinum officium, & ut laudes divinæ per singulas horas non cursim & festinanter, sed tractim cum pausa & modulatione decenti, reverenter & devote ab omnibus ejusdem cathedralis ecclesiæ ministris persolvantur, de consilio & unanimi consensu ipsius capituli, sub tamen beneplacito ejusdem domini nostri papæ & non alias, aliter, nec alio modo, etiam voluit, disposuit, statuit & decrevit, vultque, disponit, statuit & decernit, quod duæ semiprebendæ in dicta ecclesia cathedrali ab antiquo fundatæ, creatæ & constitutæ, quarum alteram succentor, alteram pœnitentiarius supradictæ cathedralis ecclesiæ tanquam eisdem peculiares & attributas habere ac obtinere solent, quoties illas, sive præmisso vel alio quovis modo post hæc vacare contigerit, nemini alii quam duobus clericis bassas seu semissas & graves voces habentibus, succentoribus nuncupandis, quos lingua Gallica vulgo *basses-contres* appellant, ex utroque latere chori ipsius ecclesiæ cathedralis cantum & psalmodiam diebus festivis & feriatis quibus ad id tenentur & adstringuntur vicissim per hebdomadas levantibus & intonantibus conferantur, qui in cantu & musica

A periti & idonei, chorum ipsum sciant & teneantur regere in dicta musica quotiescumque opus fuerit cantare, singulisque horis canonicis interesse & in eisdem continuam residentiam facere, ac missam matutinalem prælibatæ cathedralis ecclesiæ alternis hebdomadibus juxta ritum & consuetudinem illius etiam dicere & cantare, ipsis tamen officiis pœnitentiariæ & succentoriarum ad collationem, provisionem & omnimodam aliam dispositionem ejusdem reverendi patris ac illius successorum episcoporum, pleno jure, sicut antea, perpetuo remanentibus, & his mediis & conditionibus præfati reverendus pater, pœnitentiarius & succentores, de consilio & assensu prædictorum dominorum canonicorum & capituli, statuta, ordinationes & decreta hujusmodi, modo, via & mediis prædictis facta, sub dicto domini nostri

B papæ beneplacito, & non alias, aliter, nec alio modo, rata & grata tenuerunt & habuerunt, tenentque & habent, ac eisdem directe vel indirecte nunquam contravenire promiserunt & se submiserunt. Noverint igitur universi & singuli hoc præsens publicum instrumentum inspecturi, quod anno ejusdem Domini M. DLXXIII, indictione prima, mensis vero Octobris die Veneris penultima, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii, divina providentia, papæ decimi tertii & moderni anno secundo, in nostri Joannis *Boevin* & Guill. *Morisset* ecclesiæ parochialis de Favilleio rectoris & curati, dicti capituli scribæ seu secretarii presbyterorum in civitate Lexoviensi commorantium, publicorum auctoritate apostolica & venerabilis curiæ episcopalis Lexov. notariorum juratorum ad officium

C notarii publici & apostolici in civitate Lexoviensi juxta edictum regium exercendum assumptorum, registratorum & immatriculatorum, ac testium infra scriptorum præsentia, personaliter constituti præfatus reverendus in Christo pater & DD. Joannes, miseratione divina & sanctæ sedis apostolicæ gratia Lexoviensis episcopus ex una, venerabiles ac circumspecti viri domini ac magistri Adrianus d'*Offay* cantor, Robertus *Bonenfant* thesaurarius, Petrus *Thierry* capicerius, Joannes *Racine* scholasticus, Franciscus *Lubey* archidiaconus de Ponte-Audomari, Michaël *de Nocy* archidiaconus de Lieuvino, Ludovicus *Gripieres*, Joannes *le Fevre*, Nicolaus *Saintard*, Nicolaus *de la Porte* præbendatus de Survilla, Jacobus *Thiboult*, Thomas *Chretien*, Joannes *le Villain*, Petrus

D *Chouard*, Ludovicus *Tragin*, Natalis *Noel*, Guillelmus *le Roy*, Michael *Hellot* & Claudius *Oudin*, omnes dictæ cathedralis ecclesiæ Lexoviensis canonici, primitus quidem ad sonum campanæ capitularis in eorum capitulo hora capitulari & more solitis congregati, postmodum vero ex eodem capitulo egressi illico & absque divertendo ad alia loca & negotia simul & semel ex decreto ejusdem capituli tunc primitus tenti, ut asseruerunt, facto & concluso ad fines infra scriptos in sacristiam seu revestiarium ejusdem ecclesiæ cathedralis, ubi tunc aderat præfatus in Christo reverendus pater, accedentes, convenientes, ibidem consistentes, totumque propterea ejusdem cathedralis ecclesiæ corpus facientes, tenen-

E tes, repræsentantes, ex altera; necnon venerabiles etiam & discreti viri magistri Michael *Piperey* pœnitentiarius de canonicatu & præbenda de Vallibus, vulgo nuncupatis, in eadem ecclesia fundatis, & Mathurinus *Coqu* ac Marinus *Chaucheys* presbyteri, de prædictis officiis seu semicanonicatibus & semipræbendis succentoriis nuperrime provisi ex reliqua partibus, prout ad eos & eorum quemlibet respective spectat, ex eorum certa scientia & animo deliberato omnibus melioribus modo, via, jure, causa & forma quibus melius & efficacius de jure potuerunt, debuerunt, possunt & debent, dilectos suos & fideles, videlicet dilectos & discretos viros magistros ac dominos . . . . . & eorum quemlibet in solidum

fecerunt, constituerunt, creaverunt, nominaverunt, & solemniter ordinarunt, tenoreque præsentium faciunt, constituunt, creant, nominant, & solemniter ordinant procuratores suos generaliter & alios nuncios specialiter actores, factores, & suorum negotiorum infra scriptorum gestores, ita tamen quod generalitas specialitati non deroget, & e contra, quodque non sit melior conditio primitus occupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus illorum incœperit id eorum alter prosequi valeat, mediare, terminare & finire cum effectu, videlicet specialiter & expresse ad ipsorum constituentium nominibus & pro eis prædicta statuta, ordinationes & decreta præfata sanctissimo domino nostro papæ præsentandum, & ab eodem ac per ipsum homologari, laudari & approbari petendum & supplicandum, necnon in eorumdem constituentium animas jurandum & affirmandum, quod in præmissis non intervenit nec interveniet fraus, dolus, malitia, simoniæ labes aut quævis alia pactio illicita, & generaliter omnia alia & singula circa præmissa necessaria & quomodolibet opportuna, faciendum, dicendum, gerendum, procurandum & exercendum quæ facere possunt & debent procuratores in talibus legitime constituti, & quæ facerent aut facere possent iidem constituentes si præmissis omnibus & singulis præsentes & personaliter interessent, etiamsi talia sint quæ mandatum exigant magis speciale quam præfati constituentes eisdem procuratoribus suis & eorum cuilibet in solidum bona fide, & sub hypotheca & obligatione omnium & singulorum bonorum suorum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum, habere ratum, gratum, stabile atque firmum totum id & quidquid per dictos procuratores suos aut eorum alterum dictum, actum gestumque fuerit in præmissis, seu quomodolibet procuratum, & e contra non venire quomodolibet in futurum; de quibus præmissis præfati constituentes petierunt a nobis notariis supra nominatis & subsignatis sibi fieri & tradi hoc præsens publicum instrumentum sive publica instrumenta, unum aut plura, si sit opus, in quorum omnium & singulorum præmissorum fidem, robur ac testimonium prælibatus reverendus in Christo pater dominus Lexoviensis episcopus, necnon capitulum Lexoviense, decreverunt & ordinarunt dictum præsens publicum instrumentum, per supra nominatum dominum *Chouard* Lexoviensem canonicum, ejusdem reverendi in Christo patris secretarium ordinarium, ac nos præfatos notarios publicos supra nominatos signari sigillorumque eorumdem appensione communiri; actaque fuerunt hæc in dicta sacristia sive revestiario dictæ cathedralis ecclesiæ, sub anno, indictione, mense, die, pontificatu prædictis, præsentibus discretis viris magistris Guillelmo *le Tellier* dictæ cathedralis ecclesiæ capellano, & Thoma *Grip* presbyteris Lexoviis commorantibus, testibus ad præmissa vocatis atque rogatis. Sign. Petrus *Chouard*, *Boevin* & *Morisset*, cum paraphis & duobus sigillis.

XIV.

Jesuitarum Cadomensium in commodum cedit prioratus sanctæ Barbaræ.

Extrait des registres de la Cour de Parlement.

1610. *SUR la requête presentée par le recteur du college des Jesuites établi a Caen, tendant a ce que les bulles a eux concédées par le pape le vingtieme Decembre 1607, & 27 Novembre dernier, concordat par eux fait avec les soufprieur & religieux du prieuré de sainte Barbe le sixieme Juillet 1609, & lettres patentes de confirmation a eux octroyées par le feu roy dernier décédé, du sixieme d'avril dernier, soient omologuées & registrées es registres de la Cour, pour du contenu en icelles jouir par les impetrants selon leur* A *forme & teneur, laquelle ensuit. Henry, par la grace de Dieu, roy de France & de Navarre. A nos amés & feaux conseilliers les gens tenants notre cour de Parlement a Rouen, salut. Nous avons cy-devant accordé pour le bien & commodité de nos sujets l'union du prieuré sainte Barbe en Auge au college des Jesuites de notre ville de Caen, & pour ce octroyé nos lettres de permission en vertu desquelles lesdits Jesuites ayant accepté ledit prieuré, ont traité avec les religieux d'iceluy sur leurs pretentions par concordat du sixieme Juillet 1609, lequel par notre brevet du dix-septieme Mars dernier nous avons agreé & voulu que toutes lettres necessaires pour approbation dudit concordat soient expediées, tant en cour de Rome qu'ailleurs; & pour ce, de nos certaine science, pleine puissance & autorité* B *royalle, vous mandons, commandons, & très-expressement enjoignons par ces presentes pour ce signées de notre main, que vous ayez a registrer ledit concordat, & du contenu en iceluy faire jouir & user lesdits Jesuites du college de Caen pleinement & paisiblement, sans permettre qu'il y soit contrevenu directement ny indirectement, ores ny a l'avenir sous quelque pretexte que ce soit; car tel est notre plaisir. Donné a Paris, le sixieme jour d'Avril, l'an de grace mil six cents dix, & de notre regne le vingt & unieme.* Signé HENRY, *& plus bas, par le roy, de Lomenie. Et scellé sur simple queue du grand seel en cire jaune, avec contreseel en marge.*

PAULUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali Lexoviensi, salutem & apo- C stolicam benedictionem. Debitum pastoralis officii nobis summa Redemptoris nostri benignitate commissi requirit, ut circa ea per quæ collegiorum quorumlibet præsentium Societatis Jesu ad juventutis piam & religiosam educationem, ac in bonis & salubribus disciplinis instructionem & publicam utilitatem proinde institutorum commoditatibus consulitur, propensis studiis intendamus, ac in his ejusdem officii nostri partes favorabiliter interponamus, prout locorum, temporum & personarum qualitatibus debite pensatis, conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque prioratus sancti Martini de Escajoleto, alias sanctæ Barbaræ in Algia, vulgo *sainte Barbe en Aulge* nuncupatus, ordinis sancti Augustini, Lexoviensis diœcesis, quem dilectus filius Robertus D *de la Menardiere* clericus, ex concessione apostolica in commendam ad ejus vitam nuper obtinebat, commenda hujusmodi ex eo quod dictus Robertus illi ac omni juri sibi in dicto prioratu, vel ad illum quomodolibet competenti hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens; & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Claudii Aquaviva præpositi generalis Societatis Jesu petitio continebat, novissime ex decreto charissimi in Christo filii nostri Henrici, Francorum regis christianissimi, in oppido Cadom. Bajocensis diœcesis, unum collegium Societatis Jesu ad juventutem in religione catholica bonisque mo- E ribus & disciplinis ac scientia erudiendam, ac verbum divinum in illis partibus prædicandum populo christiano, ad Dei omnipotentis gloriam, populique christiani ædificationem, ac ejusdem Societatis Jesu propagationem, canonice erectum & institutum sit, eidem tamen collegio de sufficienti dote nondum provisum fuerit. Si igitur dictus prioratus eidem collegio perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur; hoc pacto illi esset & collegialibus de satis opportuno subventionis auxilio provisum. Quare pro parte ejusdem Claudii præpositi asserentis dicti prioratus & illi forsan annexorum fructus, redditus & proventus, mille & quingentorum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem,

valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus prioratum prædictum dicto collegio unire, annectere & incorporare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem prædictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret; præpositum prædictum a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutum fore censentes, verumque & ultimum dicti prioratus vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, prioratum prædictum qui conventualis & vere electivus existit, cuique cura animarum, si quæ illi imminet, nonnisi per vicarium perpetuum exerceri solet, quovis modo, & ex cujuscumque persona, seu per liberam cujusvis resignationem de illo in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico & testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Joannis papæ XXII, prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabiles*, vel assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem apostolicam legitime devoluta, ipseque prioratus dispositioni apostolicæ specialiter reservatus existat, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super eo inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium, non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum, & dicti Henrici regis ad hoc accedat assensus, cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus, jurisdictionibus, decimis, bonis & pertinentiis suis eidem collegio sine alicujus præjudicio, apostolica auctoritate etiam perpetuo unias, annectas & incorpores, ita quod si unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi per te præsentium vigore fieri contigerit, postquam factæ fuerint, liceat rectori & collegialibus dicti collegii, nunc & pro tempore existentibus per se vel alium seu alios eorum & dicti collegii nominibus, corporalem, realem & actualem possessionem prioratus, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, propria auctoritate libere etiam ex nunc apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus & proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcumque in quibusvis rebus consistentia, & undecumque provenientia percipere, exigere & levare, ac in suos usus & necessitates convertere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia minime requisita, præsentes quoque literas semper & perpetuo validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos judicari & definiri debere dicta apostolica auctoritate decernas non obstantibus voluntate & ordinatione nostris prædictis, & Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, necnon piæ memoriæ Bonifacii papæ octavi etiam prædecessoris nostri, & aliis apostolicis constitutionibus, ac prioratus & ordinis prædictorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque,

A indultis, & literis apostolicis, illis eorumque superioribus & personis sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel specie quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provi-
B sionibus seu commendis sibi faciendis, de prioratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis aut legatorum ejus literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum vel alias quomodolibet sit processum; quas quidem literas & processus habitos per easdem & inde secuta quæcumque, ad dictum prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis & literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in
C nostris literis mentio specialis. Volumus autem quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, si illas per te earumdem præsentium vigore fieri contigerit, ut præfertur, dictus prioratus debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura si quæ illi immineat, ut præfertur, nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta, & insuper irritum decernimus & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septimo, tertio decimo kalendas Januarii, pontificatus nostri anno tertio; *& en haut vers la marge est ecrit*: pro illustrissimo & reverendissimo summatore, Lucius Duccius; *& en bas*, Scipio Cobellutius; *& sur le repli*, R. de Ursinis;
D *& scellé sur lacs de petit cordon ou ficelle en placard de plomb, sur l'un des cotés duquel est ecrit:* Paulus papa quintus; *& sur le dos desdites bulles est ecrit:* Registrata apud Scipionem secretarium; *& au dessus est encore ecrit:* Anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo septimo, die vero vigesima mensis Decembris, retro scriptus dominus Robertus per magnificum dominum Stephanum *Gueffier* cameræ christianissimi Francorum regis secretarium, ejus procuratorem, retro scriptæ cessioni ad effectum retro scriptum ac literarum expeditioni consensit, juravit. *Signé* Joannes-Baptista *Camus*, *& au dessous, Presentée par maitre Fleurent de Housey pretre, stipulant pour lesdits sieurs Jesuites denommez en l'autre part, insinuée & registrée au sixieme, de moy soussigné greffier*
E *hereditat des insinuations ecclesiastiques de la ville & diocese de Lisieux, l'onzieme jour de Septembre mil six cents huit.* Signé *A. Amiot*.

In nomine Domini, amen. Tenore hujus præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno ejusdem Domini millesimo sexcentesimo nono, die Lunæ sexta mensis Julii, pontificatus sanctissimi patris & domini nostri domini Pauli divina providentia papæ quinti anno quinto, coram Petro *le Cousturier*, publico auctoritate apostolica, venerabilisque curiæ episcopalis Parisiens. notario jurato debite juxta edictum regium descripto & immatriculato, ac Parisiis in vico Nucum com-

morante subsignato, ac testibus infra nominatis præsentes ac personaliter constitui & comparentes, venerandus pater Ignatius Armandus provincialis Societatis Jesu in provincia Franciæ, nunc domi professæ sancti Ludovici Parisiensis dictæ Societatis residens ex una, & venerandi domini Petrus *le Charpentier* subprior prioratus sancti Martini de Escajoleto, alias divæ Barbaræ in Algia, ordinis sancti Augustini, Lexoviensis diœcesis, Joannes *le Pipernier* prior prioratus *de la Motte*, & Petrus *Vattier* religiosi & canonici regulares professi dicti prioratus onus habentes, & se fortes gerentes pro ceteris aliis religiosis conventus dicti prioratus, in eodem degentes, nunc Parisiis negotiorum causa existentes partibus ex altera, dicentes quod cum alias placuisset domino nostro Francorum & Navarræ regi christianissimo collegium patrum dictæ Societatis Jesu institui & erigi in urbe Cadomensi, ac numero personarum idonearum ad divina ibi peragenda & juventutem bonis scientiis instruendam cum classibus, regulis & formis quæ solent observari in aliis collegiis dictæ Societatis hujus regni Franciæ, componi & dirigi, ac postmodum idem rex ratum & gratum habuisset, ut eidem collegio aliquo redditu annuo subveniretur, resignationem dicti prioratus sancti Martini de Escajoleto, alias S. Barbaræ in Algia, per reverendum dominum Robertum *de la Menardiere*, abbatem S. Columbæ, tunc dicti prioratus priorem commendatarium factam intuitu publicæ utilitatis ad effectum ut idem prioratus cum omnibus suis juribus & pertinentiis universis uniretur dicto collegio Cadomensi; præfatus sanctissimus dominus papa resignationem hujusmodi in manibus suis factam admittens, prædictum prioratum suaque jura adunavit eidem collegio per suas bullas seu literas de die vigesima prima Decembris anni millesimi sexcentesimi septimi, quarum executioni se opponentes dicti supprior & religiosi, suam supplicationem porrexerunt curiæ parlamenti Rothomagensis, & petierunt se tanquam opponentes recipi publicationi & executioni tam literarum patentium majestatis suæ mense Septembri anni præfati sexcentesimi septimi obtentarum, quam dictarum bullarum unionis ac possessionis in illarum consequentiam adipiscendæ, super quæ dicta curia senatusconsulto die decima septima Maii tunc sequentis prolato, decrevit dictas literas patentes quoad institutionem dicti collegii in dicta urbe Cadomensi factam, in registris ejusdem curiæ describi & registrari, quantum vero ad dicti prioratus divæ Barbaræ unionem, dictas literas patentes & bullas dictæ unionis eisdem canonicis regularibus per communicationem dari, quæ cum eidem patres exigi curarent, ac dictarum literarum apostolicarum unionis coram domino officiali Lexoviensi alio judicum deputatorum executionem & fulminationem peterent, idem officialis dictas bullas suum plenum & integrum sortiri debere effectum statuit, quod insequendo decretum volentes iidem patres possessionem prædicti prioratus apprehendere, dicti supprior & canonici regulares a sententia dicti officialis Lexoviensis & dictarum bullarum executione, tanquam ab abusu provocantes ad dictam curiam Rotomagens. suam relevarunt appellationem, ubi tandem partes comparentes suorum titulorum & prætentionum communicationem respective habuerunt, & ad suas causas judicialiter deducendas fuerunt assignatæ, unde non mediocri detentæ erant litium involutione; cupientes itaque iisdem litium anfractibus obviare, ac illarum dubios eventus evitare, pacemque & concordiam, ut probos decet religiosos, inter se conciliare & pacifice vivere, postquam dicti patres certiores facti sunt tam generaliter quam particulariter ex redditibus annuis & oneribus ejusdem prioratus, ad hanc infra scriptam nonnullorum proborum & egregiorum virorum communem

A partium quietem desiderantium consilio & sententia, sub tamen præfati sanctissimi domini nostri papæ, regiæ majestatis christianissimæ ac dictæ curiæ Parlamenti Rotomagensis beneplacitis, devenerunt & deveniunt ad concordiam; videlicet quod præfati patres rector & administratores dicti collegii Cadomensis præsentes & futuri, sint & remaneant priores perpetui dicti prioratus tanquam dicto collegio debite uniti, sed nullam tamen posthac habebunt jurisdictionem circa regularitatem & disciplinam monasticam dictæ domus divæ Barbaræ, quæ remanebit & spectabit ad religiosum qui pro tempore de cetero supprior dictæ domus de triennio in triennium, ut moris est, eligetur. Providebunt ipsi supprior & canonici regulares dictæ domus circa re-

B ceptionem novitiorum; dum & quoties opus erit, præfatus supprior sententia & consilio quatuor canonicorum regularium claustralium dictæ domus, qui ad eum finem eligentur per capitulum generale dicti conventus, nominabit ad beneficia regularia a dicto prioratu dependentia absque ulla reservatione aut exceptione, dempto prioratu de Cochera, vulgo *de la Cochere*, qui ad liberam dictorum patrum remanet dispositionem, quique eorum cura & cetera poterit cum suis juribus & pertinentiis universis in perpetuum uniri & consolidari dicto collegio Cadomensi, cui unioni dicti supprior & monachi ex nunc prout extunc, & extunc prout exnunc consenserunt & consentiunt pro se & successoribus suis; nominatio & præsentatio beneficiorum secularium

C *de Mirebel, Sequence, Ouville, Bray en Linglois, Marmouillé le Doux, Marest, sainte Croix, Aagy, saint Laurent du Mont, Pont-sol, saint Gervais des Sablons & le Menil-Mauges*, ad dictum suppriorem cum consilio dictorum quatuor canonicorum regularium spectabit: ad cetera vero beneficia secularia a dicto prioratu dependentia per presbyteros seculares deserviri solita, alia tamen quam supra specificata, iidem patres vacatione occurrente nominabunt & præsentabunt. Quoad bona temporalia dicti prioratus attinet, conventum est inter dictas partes, quod ipsi patres jure ac nomine proprietatis habebunt & possidebunt in perpetuum; primo terram nobilem & directum dominium de Vallibus Campanæ, vulgo *de Vaulx la Champaigne*, cum suis circumstantiis & dependentiis universis; item, terram & dominium

D de Caulda, vulgo *de la Caulde*, & sancti Crispini, dempta silva quæ vulgo appellatur *le bois de la Caulde*, quæ ad dictos religiosos canonicos regulares remanet; item omnem & totam partem & portionem quæ pertinet ad dictum prioratum in decimas dictas parochiæ de Caulda, & parochiarum *d'Ernes, Cauvicourt, de la Lande, du Tremblay, de Poussi, de Sentilli, d'Occagne*, cum pensione seu redditu annuo gravi debito per reverendum abbatem & religiosos sancti Andreæ super firma seu villa Becheti, vulgo *du Bechet*. In dicta parochia *d'Occagne* habebunt insuper iidem patres jura, nomina, rationes & actiones domus Cadomensis cum terris *de Vaucelles* in suburbiis Cadomensibus sitis, quæ quidem dominia, terræ, decimæ & alia jura quæcunque remanebunt proprie-

E tatis & fundi nomine unita dicto collegio Cadomensi, liberaque & exempta ab omnibus decimationibus & decimis ordinariis & extraordinariis dicti prioratus divæ Barbaræ, & ab omnibus aliis oneribus quæ & qualia sint aut esse poterunt in futurum, dempto tamen si posthac fieret alienatio temporalis ecclesiastici, iidem patres tenebuntur solvere tertiam partem taxationis dictæ domus divæ Barbaræ, demptis etiam oneribus realibus ratione fundi dictorum dominiorum & terrarum debitis quibus dicti patres tenebuntur satisfacere. Dabunt ipsi supprior & canonici regulares sufficienti descriptione seu inventorio, & in manibus dictorum patrum deponent chartas singulas, recognitiones feudales, vulgo *adveux*, contractus, titulos, literas

literas & documenta quæcumque, concernentia bona temporalia & possessiones dictis patribus, ut præfertur, dimissa & relicta per eosdem suppriorem & canonicos regulares: utentur & gaudebunt in perpetuum insuper ipsi patres jure proprietatis domo antiqua quam possidere solebant priores dicti prioratus usque ad cameram Paradisi dictam inclusive a fundo ad fastigium usque, residuo dictæ domus prioralis remanente ad dictos canonicos regulares, qui suis impensis murum lapideum construi curabunt pro separatione inter se facienda; habebunt etiam dicti patres & illis conceditur jus faciendi pomarium sive pirarium suum in torculari dictorum canonicorum regularium, absque ulla remuneratione tribuenda dictis canonicis, qui ultra tenebuntur tradere singulis annis dictis patribus trecentos fasciculos seu botellos fœni, & quinquaginta boissellos avenæ, ac denique possidebunt hortum qui est inter grangiam inferiorem & cimiterium Mesidonis, vulgo *de Mesidon*, cum domo vicina & adjacente dicto horto: reliqui vero & restantes redditus annui, prædia, terræ & dominia dicti prioratus, qualia & quanta ac cujuscumque sint valoris, absque ulla exceptione aut reservatione ad dictos canonicos regulares domus divæ Barbaræ remanebunt, spectabunt & pertinebunt, quæ posthac impendentur & convertentur, tam circa educationem & usus necessarios dictorum canonicorum regularium & ornamentorum emptiones quam eleemosynas, fundationes & reparationes necessarias ecclesiæ, domorum & ædificiorum peragendas, ac solutiones decimarum ordinariarum & extraordinariarum, ac singulorum onerum dicti prioratus, præter ea quibus dicti patres, ut supra, onerati sunt quibus opus erit faciendis. Redditus dictæ domus divæ Barbaræ regentur & ministrabuntur per religiosos ad id deputandos, qui rationem eorumdem reddent, juxta statuta dictæ domus: de terris vero, redditibus & prædiis dicti prioratus, quæ antea fuerunt alienata, licebit eisdem patribus Societatis Jesu recuperare & retrahere terras & dominia *de Benoix* & *de la Briere* ad eisdem utendum & illa uniendum dicto collegio, nec poterunt dicti canonici regulares posthac ad ea quidquam prætendere; ad quem finem dicti canonici dabunt & tradent ipsis patribus titulos & instrumenta dictas alienationes concernentia. Licitum erit dictis canonicis regularibus S. Barbaræ intra tres annos proxime venturos, a die præsentium computandos, recuperare & retrahere singulas alias terras, redditus & prædia quæ etiam antea distracta & alienata fuerunt a dicto prioratu, ut postea eorum mensæ conventuali perpetuo unita remaneant, absque eo quod iidem patres quidquam ad illa prætendere possint; si vero dicti supprior & canonici regulares dicta prædia, redditus & terras intra dictos tres annos proximos recuperare neglexerint, remanet in potestate dictorum patrum illa retrahere, ac eidem collegio unire, eisdem utendis & fruendis tanquam ad eos spectantibus & pertinentibus privative contra dictos canonicos regulares & alios quoscumque: canonici regulares beneficiati dictæ domus beneficia regularia a dicto prioratu dependentia possidentes, retrahere tenebuntur intra dictum tempus trium annorum, partes & portiones dominii seu prædiorum suorum beneficiorum antea alienatas & distractas; alias dictis tribus annis elapsis licitum erit ipsis patribus Societatis Jesu illa recuperare eisdem, ut præfertur, utendis pleno jure proprietatis. Poterunt nihilominus dicti canonici regulares beneficiati intra biennium a die retractionis per dictos patres factæ reddere & restituere dictis patribus Societatis Jesu pretia, impensas, misias, damna & interesse per eos facta & passa, retrahendo & recuperando dicta dominia dictorum beneficiorum, sed dicto biennio elapso, ipsi canonici regulares beneficiati ad dictam restitutionem amplius non admittentur: hisque

A præmissis mediantibus dictæ partes se ab omnibus litibus & differentiis amoverunt & destiterunt, amovent & desistunt, absque ullis expensis, damnis & interesse ab utraque parte; promittunt dictus pater provincialis præsentem concordiam ac omnia in ea contenta a reverendissimo patre generali dictæ Societatis, dictus vero supprior & canonici regulares prænominati per conventum dictæ domus divæ Barbaræ, & adhuc per primum capitulum generale ejusdem domus, quotannis celebrari consuetum, respective ratificare, confirmare, laudare & approbare facere, ac literas ratificationis & approbationis in bona forma expeditas, sibi invicem dare & tradere. Omologatio autem, confirmatio & approbatio præsentis concordiæ, tam Romana in curia a sanctissimo B domino nostro papa & sancta sede apostolica, quam a rege nostro christianissimo, si opus fuerit, & curia Parlamenti Rotomagensis, ac alibi, ubi & quando opus erit, obtinenda ad diligentiam dictorum patrum Societatis Jesu exposcetur & persequetur, impensis tamen dictarum partium communibus, quandoquidem sic voluerunt & expresse convenerunt dictæ partes, promiseruntque & voluntarie sese ac bona temporalia, tam dicti collegii Cadomensis quam dictæ domus & conventus divæ Barbaræ, obligant omnia & singula in præsenti concordia contenta inviolabiliter tenere & observare sub pœna omnium impensarum, damnorum & interesse, atque insuper ut hujusce præsentis concordiæ omologatio & approbatio prosequi & obtineri possit, ex eorum certis C scientiis & spontaneis voluntatibus fecerunt, constituerunt & nominarunt, faciuntque, constituunt & nominant procuratores suos irrevocabiles dominos & magistros, &c. absentes tanquam præsentes, & eorum quemlibet in solidum specialiter & expresse ad ipsorum dominorum constituentium nominibus, & pro eis Romana in curia, camera & cancellaria apostolicis, majestate christianissima, & dominis curiam Parlamenti Rotomagensis tenentibus, & aliis quibusvis dominis & personis, ubi & quando opus erit, sistendum & comparendum, ibique præsentem concordiam, ac omnia & singula in ea contenta laudari, confirmari, approbari & omologari cum supplicatione quorumcumque defectuum, si qui forsan intervenerint, dictasque partes & eorum successores ad præmissorum omnium & singulorum D observationem & complementum dici & decerni humiliter petendum & requirendum, literarumque de & super præmissis necessariarum expeditioni consentiendum, & consensum expressum præstandum necnon jurandum in animas dictorum dominorum constituentium dictis nominibus, quod in præmissis non intervenit nec interveniet fraus, dolus, simoniæ labes, aut quævis alia pactio illicita seu vitiosa, & generaliter omnia alia & singula circa præmissa necessaria & opportuna faciendum, dicendum & exercendum quæ ipsimet domini constituentes dictis nominibus facerent aut facere possent, si in præmissis præsentes & personaliter interessent, etiamsi talia forent quæ mandatum specialius exigerent quam præsentibus sit expressum. Promittentes dicti domini E constituentes nominibus prædictis se ratum, gratum atque firmum habere perpetuoque habituros, omne id & quidquid per dictos suos procuratores aut eorum alterum actum, dictum gestumve fuerit in præmissis, & contra non venire in futurum, renunciantes hinc inde omnibus & singulis exceptionibus, deceptionibus & allegationibus quæ contra præsentis publici instrumenti tenorem dici possent & objici, jurique dicenti generalem renuntiationem non valere, nisi præcesserit specialis. De quibus præmissis omnibus dicti domini constituentes nominibus præfatis petierunt a me dicto notario subsignato, actum seu publicum instrumentum unum vel plura sibi fieri atque tradi. Acta fuerunt hæc Parisiis in domo

professa sancti Ludovici dictæ Societatis, in vico sancti Pauli sitæ, præsentibus ibidem nobili domino Nicolao *le Maitre* regis præfati consiliario ac procuratore regis in electione Falesiensi, ibidem & magistro Petro *Cousin* clerico Senonensi in collegio Becodiano Parisiensi in Universitate respective commorantibus, dicto domino *le Maitre* pro tempore Parisiis existente, testibus ad præmissa vocatis, anno & die prædictis, in minuta cum dictis dominis constituentibus signatis. *Signé* LE COUSTURIER, publicus notarius supra nominatus.

PAULUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio officiali Lexoviensi, salutem & apostolicam benedictionem. Ad apostolicæ dignitatis apicem licet immeriti divina dispositione vocati, ex incumbenti sollicitudinis officio circa religiosorum aliorumque piorum locorum quorumlibet ac personarum in eis degentium statum solerti consideratione vigilare nos convenit, ut debitum ad ea respectum habentes, circa ea quæ divini cultus decentiam & augmentum respiciunt, sic vigilanti sollicitudine intendamus, quod personæ ipsæ ad juventutis educationem ac bonarum literarum instructionem institutæ, gratia favente superna, votiva lætanter & oblata incrementa, ac aliqua in suis necessitatibus subventionis suscipiant auxilia. Exhibita si quidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Claudii Aqua-viva generalis Societatis Jesu, & Ignatii Armandi provincialis provinciæ Franciæ ejusdem Societatis præpositorum, ac Petri *le Charpentier* supprioris, necnon conventus prioratus sancti Martini de Escajoleto, alias sanctæ Barbaræ in Algia, ordinis sancti Augustini canonicorum regularium, Lexoviensis diœcesis, petitio continebat, quod alias postquam nos per alias nostras literas tunc existenti officiali Lexoviensi dederamus in mandatis quatenus eumdem prioratum, qui conventualis & vere electivus existit, ac quem dilectus filius Robertus *de la Menardiere* clericus in commendam ad ejus vitam ex concessione apostolica obtinebat, commenda hujusmodi ex eo quod ipse Robertus illi ac omni & cuicumque juri actionique sibi in dicto prioratu vel ad illum quomodolibet competenti in manibus nostris sponte & libere cesserat, nosque cessionem hujusmodi duxeramus admittendam, per cessionem prædictam cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacantem, collegio ejusdem Societatis Jesu, jampridem in oppido Cadomensi, dictæ diœcesis, ex decreto carissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis christianissimi, erecto sub certis modo & forma tunc expressis, de consensu tamen ejusdem Henrici regis, ad quem vigore concordatorum dudum inter sedem apostolicam & claræ memoriæ Franciscum primum eorumdem Francorum regem, sub nominatione personarum certis modis qualificatarum ad prioratus conventuales & vere electivos regni Franciæ privilegio eligendi non suffultos, pro tempore vacantes, promovendarum, per ipsum regem facienda initorum spectat & pertinet, auctoritate nostra uniret, & annecteret & incorporaret, prout in dictis literis plenius continetur, cum Petrus & conventus præfati executioni præfatarum literarum coram eodem officiali ac certis illarum partium judicibus competentibus se opposuissent, & ad nonnullos actus citra tamen causæ conclusionem hinc inde deventum esset; Ignatius nomine dicti collegii, ac Petrus & conventus hujusmodi, cupientes litium anfractus & involucra ulteriora evitare, laboribusque & expensis in ulterioribus parcere, nonnullorum forsan communium amicorum interventu & pro bono pacis ad quamdam licitam tamen & honestam, ac sacris canonibus & constitutionibus apostolicis minime contrariam, super administratione dicti prioratus ac illius bonorum divisione, sub nostro & sedis apostolicæ

A beneplacito devenerunt inter se concordiam, prout in publico desuper manu dilecti filii Petri *le Cousturier* notarii publici, sub die sexta mensis Julii proxime præteriti, rogato plenius dicitur contineri. Quare pro parte amborum præpositorum & Petri *le Charpentier,* ac conventus hujusmodi asserentium dicti prioratus fructus, redditus & proventus mille & quingentorum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum quatenus dictam concordiam pro illius firmiori subsistentia & inviolabili observatione, approbare & confirmare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui dudum inter alia voluimus quod petentes beneficia eccle-

B siastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem præfatam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quique hodie causam ad nos avocavimus, & litem hujusmodi quoad Petrum *le Charpentier* ac conventum præfatos tantum extinximus, prout in supplicatione desuper manu nostra signata, cujus solam signaturam quoad id sufficere etiam volumus, plenius continetur, ambos præpositos & Petrum *le Charpentier* præfatos ac eorum quemlibet & conventus hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum,

C harum serie absolventes & absolutos fore censentes, necnon veriores literarum apostolicarum ac concordiæ & instrumenti publici hujusmodi, aliarumque unionum eidem collegio hactenus forsan factarum tenores, necnon verum & ultimum dicti prioratus vacationis modum, etiamsi ex eo quævis generalis reservatio & in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis ad id qui fuerint evocandi, ac constito tibi de præmissis, eandem concordiam, ac omnia & singula in dicto instrumento contenta, dummodo licita & honesta, ac sacris canonibus, necnon concilii Tridentini decretis minime contraria existant, illorumque vim, formam & teno-

D rem auctoritate nostra præfata perpetuo approbes & confirmes, illisque perpetuæ & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicias, omnesque & singulos tam juris quam facti, ac solemnitatum defectus, de jure, usu, consuetudine, necessitate aut alias quomodolibet requisitarum, in his forsan omissarum, cognitos vel non cognitos, si qui principaliter vel accessorie intervenerint, suppleas, ac concordiam & singula præmissa prædicta, valida & efficacia esse ac fore, viribusque & efficacia perpetuis etiam subsistere, ac per eos ad quos nunc spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, perpetuo firmiter observari debere, nec ab illis ullo unquam tempore resilire posse, sed ad illorum observationem obligatos esse & fore, ac ad id censuris ecclesiasticis & pecuniariis pœnis

E cogi ac compelli posse, sicque & non aliter ab omnibus & singulis censeri, & ita per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari & definiri debere eadem auctoritate nostra decernas; & insuper dictum prioratum quovis modo & ex cujuscumque persona super liberam cessionem cujusvis de illo in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico & testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem præfatam legitime devoluta, ipseque prioratus dispositioni apostolicæ specialiter

reservatus existat, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium non sit in eo alicui specialiter jus quæsitum, cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis eidem collegio dicti Henrici regis, ac dilectorum filiorum totius capituli generalis dicti prioratus ad hoc accedente consensu, ac servatis omnibus in dicta concordia contentis, auctoritate nostra præfata, unias, annectas & incorpores, ita quod si unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi per te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, liceat illius rectori & collegialibus nunc & pro tempore existentibus, per se vel alium seu alios eorum a dicti collegii nomine seu nominibus, corporalem, realem & actualem possessionem prioratus, & annexorum juriumque & pertinentiarum præfatarum propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta quæcunque percipere, exigere, levare, arrendare, locare & dislocare, ac in dicti collegii communes usus & utilitatem convertere diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita; præsentes quoque literas de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ vel quopiam alio defectu notari seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari seu invalidari, aut ad viam & terminos juris reduci, seu in jus vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque juris & facti, vel justitiæ aut gratiæ remedium intentari, impetrari vel concedi nullatenus unquam posse, sed eas adversus quascunque impugnationes validas & efficaces esse ac fore, ac ab omnibus inviolabiliter & inconcusse observari debere, sicque & non aliter ab omnibus & singulis censeri, & ita per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari & definiri debere, dicta auctoritate nostra decernas, non obstantibus voluntate nostra præfata ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, necnon felicis recordationis Bonifacii papæ octavi prædecessoris nostri, ac aliis apostolicis constitutionibus, necnon quatenus opus sit, prioratus & ordinis præfatorum juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque; aut si aliqui super provisionibus seu commendis sibi faciendis de prioratibus hujusmodi speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ sedis aut legatorum ejus literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem literas & processus habitos per easdem ac inde secuta quæcumque, ad dictum prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc iis quoad assecutionem prioratuum vel beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis & literis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, proviso quod propter unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi solitus canonicorum & ministrorum numerus in dicto prioratu nullatenus minuatur, & ex bonis pro mensa conventuali dicti prioratus assignatis, sustineri & sustentari possit: alioquin quidquid defecerit in mensa priorali dicti prioratus suppleri debeat: & insuper exnunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nono, quinto kalendas Decembris, pontificatus nostri anno quinto. *Et en haut vers la marge est ecrit :* Pro illustrissimo & reverendissimo summatore, Lucius Duccius; *& en bas,* S. Cobellutius; *& sur le repli*, S. de Ursinis; *& scellé sur lacs de petit cordon ou ficelle en placard de plomb; sur l'un des cotez duquel est ecrit :* Paulus quintus papa; *& sur le dos :* Registrata apud Scipionem secretarium; *& au dessus :* Anno a Nativitate Domini millesimo sexcentesimo nono, die vero vigesima septima mensis Novembris, retro scripti reverendi domini Ignatius præpositus provincialis, ac Petrus supprior, ac conventus necnon capitulum generale, retro scripti prioratus per magnificum Silvium de Paulis scriptorem apostolicum eorum procuratorem confirmationi & approbationi concordiæ ac unioni retro scriptis, ac literarum expeditioni consenserunt respective, jurarunt. *Signé* Jo. Baptista Cennus. *Et plus bas :* Deinde eadem die retro scriptus serenissimus princeps dominus dominus Henricus Francorum rex christianissimus, per suas literas sanctissimo directas sub data die octava mensis Octobris, millesimo sexcentesimo septimo, retro scriptæ cessioni ac literarum expeditioni consensit, juravit. *Signé* Jo. Baptista Cennus.

VEU par la Cour ladite requête, lettres de provision en forme de bulles expediées en Cour de Rome auxdits Jesuites dudit prieuré de sainte Barbe en Aulge, par la resignation a eux faite d'iceluy par messire Robert de la Menardiere, le vingtieme Decembre mil six cens sept, ledit concordat fait par lesdits Jesuites avec lesdits soussprieur & religieux dudit prieuré, du sixiesme Juillet mil six cents neuf, par lequel ils consentent & accordent suivant lesdites lettres l'union dudit prieuré au college établi par lesdits Jesuites en la ville de Caen, & jouissance du revenu d'iceluy au droit de ladite resignation, aux charges & conditions y contenues; brevet dudit seigneur roy du dix-septieme Mars dernier, par lequel il avoit approuvé & autorisé ledit concordat; lesdites lettres patentes sur ce expediées ledit sixieme Avril dernier par lesquelles est mandé a ladite cour faire jouir lesdits Jesuites du contenu audit concordat; autres lettres en forme de bulle expediées en cour de Rome auxdits Jesuites, d'autorisation dudit concordat, du vingtseptieme Novembre dernier; reponse baillée a ladite requête par le Boullenger procureur desdits soussprieur & religieux, par laquelle il n'empêche les fins de ladite requête; autre reponse baillée a icelle par l'evêque de Lisieux, par laquelle il declare qu'il n'empêche l'omologation dudit concordat, à la charge que lesdits Jesuites qui prennent la qualité de prieur perpetuel dudit prieuré de sainte Barbe ne pourront en consequence de ladite qualité avoir aucun droit de visitation, reformation ou jurisdiction & correction sur les soussprieur & religieux dudit prieuré & prieurs reguliers qui possedent les benefices reguliers qui en dependent; laquelle visitation demeurera audit evêque & à ses successeurs pour en jouir & user ainsi qu'il avoit accoutumé etre fait auparavant ledit concordat, & pareillement que ledit evêque en cas de discord pour la reception des novices ou rejection d'iceux, en aura la jurisdiction & connoissance, ainsi qu'il est accoutumé; demeurera ledit evêque maintenu aux droits de collation des prieurés reguliers & seculiers qui dependent de son evêché, comme les autres evêques en ce qui dependroit de leurs dioceses, tant pour le regard des benefices qui demeurent a la nomination desdits soussprieur & religieux que de ceux qui doivent être a la nomination desdits Jesuites; sera iceluy evêque maintenu aux droits de visitation sur les cures seculieres, reformation de jurisdiction, telle qu'il leur appartient, & pareillement lesdits soussprieur & religieux sur les prieurs curez reguliers qui sont dependants dudit prieuré de sainte

Barbe, & par appel la connoissance en appartiendra audit evêque même par prevention, ainsi qu'il est accoutumé; que lesdits Jesuites ne pourront unir a leur college aucun prieuré regulier, ni faire eriger en vicaireries perpetuelles, ou prendre pension sur les benefices seculiers desquels la nomination leur est reservée, pour fuir & eviter a ce que par la diminution des revenus desdits benefices, il ne se trouve a l'avenir personnes capables & suffisantes pour les exercer, & afin que ny ayant revenus suffisants pour entretenir les maisons en reparation, faire les aumônes, & exercer l'hospitalité requise, & vacquer a l'instruction des enfans, & d'autant que lesdits Jesuites retiennent partie des enclos de ladite maison de sainte Barbe, qu'ils seront tenus de les entretenir de reparation, & s'il survenoit quelque different ou debat entre lesdits Jesuites & religieux pour l'execution dudit concordat fait entre eux, la connoissance en demeurera audit evêque & ses successeurs, & en cas d'appel au metropolitain: ne pourront lesdits Jesuites sous pretention de ladite maison dans l'enclos dudit prieuré, s'attribuer aucun droit sur l'eglise dudit lieu, religieux ou autres qui y demeureront avec eux, ny s'immiscer en ce qui depend de la disposition du revenu du temporel d'autant qu'il en appartient auxdits souprieur & religieux, ny assister aux chapitres particuliers ny generaux, & que s'il survient ruine de l'eglise dudit prieuré par cas d'hostilité ou autre occasion, lesdits Jesuites seront tenus contribuer a la reedification au prorata du revenu qu'ils en perçoivent, comme aussi lesdits Jesuites seront tenus aux reparations & entretenements des chanceaux, des eglises, granges & autres lieux desquels ils perçoivent, ainsi qu'etoient tenus lesdits prieur & religieux avant ledit concordat; conclusion du procureur general du roy, & oüi le rapport du conseiller commissaire: Ladite Cour, du consentement dudit procureur general & desdits religieux & evêque de Lisieux, a ordonné & ordonne que lesdites lettres patentes du sixieme avril dernier, concordat & bulles des vingtieme Decembre mil six cents sept, sixieme Juillet & vingt-septieme Novembre mil six cents neuf, seront registrées es registres de ladite Cour, pour du contenu en icelle joüir par lesdits Jesuites, selon leur forme & teneur, sans prejudice de la jurisdiction dudit evêque de Lisieux, pour le fait de la discipline ecclesiastique seulement, & aux autres charges & conditions contenues en la declaration & reponse dudit evêque; & ordonne que les extraits ou vidimus desdites bulles, lettres patentes & concordat ensemble du present arrêt seront delivrez auxdits souprieur & religieux pour etre mis en leurs chartres, & leur servir & valoir ce qu'il appartiendra. Fait a Rouen en ladite cour de Parlement, le neuvieme jour d'Aoust, l'an mil six cents dix.

X V.

Regium diploma pro episcopo Lexoviensi.

1614. *LOUIS, par la grace de Dieu, roy de France & de Navarre, a tous presens & a venir, salut. Notre amé & feal conseiller en notre conseil d'état, messire François Rouxel de Medavy evêque & comte de Lisieux nous a remontré que nos predecesseurs, même le roy Charles VII, ont accordé aux evêques dudit Lisieux plusieurs grands, beaux & notables privileges, immunitez, droits & exemptions, tant en reconnoissance des services a eux faits, que particulierement pour la reduction & reprise de la ditte ville de Lisieux sur les Anglois, desquels privileges, immunitez & exemptions les evêques dudit Lisieux ont toujours joüi jusqu'a present; toutesfois parce qu'il y a longtems qu'ils n'ont été confirmez, il douteroit qu'a l'avenir on luy pourroit ou a ses successeurs contester lesdits privileges, a raison de quoy il nous a très-humblement supplié les confirmer; Nous, a ces causes inclinant liberalement a sa supplication & requeste, de notre grace speciale, puissance & authorité royale, avons audit sieur evêque & comte de*

A *Lisieux, pour luy & ses successeurs, continué & confirmé, continuons & confirmons tous & chacun les dits privileges, droits, immunitez, franchises & exemptions octroyez par nos dits predecesseurs, pour en jouir & user par luy & ses dits successeurs plainement & entierement, tout ainsi que ses predecesseurs & luy en ont cy-devant bien & duement joui & usé, jouissent & usent encore de present. Si donnons en mandement a nos amez & feaux conseillers les gens tenant notre cour de Parlement de Rouen, baillifs, seneschaux, ou leurs lieutenants & tous autres nos justiciers & officiers qu'il appartiendra, chacun en droit soy, que du contenu es presentes, & de tous & chacun les dits privileges, droits, franchises, libertez, immunitez & exemptions, ils fassent & souffrent le dit sieur evêque & comte de*
B *Lisieux & ses successeurs joüir & user pleinement & paisiblement, sans leur etre fait ou donné aucuns troubles ou empeschemens au contraire, & lequel si fait, mis ou donné leur etoit, ils le fassent incontinent reparer nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & autres choses a ce contraire; car tel est notre bon plaisir. Donné a saint Germain-en-Laye au mois de Juin, l'an de grace mil six cents quatorze, & de notre regne le cinquieme, signé sur le reply, par le roy, de la Font, & scellé en grand sceau de cire verte en lacqs de soye rouge & verte. Et sur le même repli est encore ecrit* Vifa, *& en outre ce qui suit: Registré es registres de la Cour, oüi & consentant le procureur general du roy, suivant l'arrêt de ce jour. A Rouen en Parlement, le vingt-trois Juillet mil six cent quatorze.* Signé
C *CUSSON, avec grille & paraphe.*

Extrait des registres de la Cour de Parlement.

SUR la requeste presentée par messire François de Medavi evêque & comte de Lisieux, conseiller du roy en son conseil d'état, tendante a ce que les lettres patentes de confirmation des privileges, immunitez, droits & exemptions octroyez a ses predecesseurs evêques & comtes du dit Lisieux par les feux roys, donnez a saint Germain-en-Laye au mois de Juin, an present mil six cent quatorze, soient verifiées & registrées es registres de la Cour, pour du contenu des dittes lettres jouir & user par le dit requerant selon leur forme & teneur. Vu par la Cour la ditte requete, les dites lettres de confirmation, lettres patentes en forme de chartres contenant
D *les dits privileges, immunitez, droits & exemptions concedés par le roy Charles VII aux predecesseurs evêques & comtes de Lisieux, données en la ville de Verneuil, au mois d'aoust mil quatre cens quarante-neuf: autres lettres patentes de confirmation d'icelles par le roy Charles VIII, donnez a Rouen au mois de Novembre mil quatre cents quatre-vingt sept; conclusions du procureur general du roy, & oüi le rapport du conseiller commissaire, il est dit que la Cour, du consentement du dit procureur general, a ordonné & ordonne que les dittes lettres patentes de confirmation seront registrées es registres de la ditte cour, pour par ledit evêque & comte de Lisieux jouir & user des droits & privileges a luy appartenants, & octroyez a ses predecesseurs evêques, contenus en ladite chartre du roy Charles VII, donnée*
E *audit Verneuil au mois d'Aoust 1449, confirmée par autre chartre du roy Charles VIII, donnée au mois de Novembre 1487, & selon que les dits evêques en ont cy-devant bien & duement joui & usé, lesquelles chartres seront pareillement registrées es registres de laditte cour pour y avoir recours quand besoin sera. Fait a Rouen en la ditte cour de Parlement, le vingt-troisieme jour de Juillet mil six cents quatorze.* Signé *CUSSON, avec grille & paraphe.*

XVI.

Testamentum Guillelmi *du Vair*, episcopi Lexoviensis.

1620. *AU nom du Pere, du Fils, & du saint Esprit. Je Guillaume du Vair, miserable pecheur, indigne eveque de Lysieux, puisqu'il a pleu a Dieu, & garde des seaux de France, admonesté non seulement par la condition des hommes, mais aussi par l'aage de 63 ans passez, & encor de tous les pechez dans lesquels je vois flotter ce pauvre estat, & freschement par l'accident de peste arrivé en ma maison, me dispose a quitter ce monde toutesfois & quante qu'il plaira m'appeller, & consigner ici ma derniere volonté toute escripte & signée de ma main que je veux valoir par testament ou codicille ou aultrement le mieux qu'elle poura, & ce de tant plus que le fais principalement pour la decharge de ma conscience. Nay que j'estois avec une santé fort infirme, avec un corps tel & un esprit peu laborieux, une memoire grandement imbecille, ayant pour toutes grace de nature une sagacité a la verité si grande, que je ne sache jamais depuis que j'ai esté en aage d'homme, d'estre arrivé rien d'important ni a l'estat publiq, ni a moi particulier, que je ne l'aye preveu, oultre cela mes pere & mere fort infortunement ne m'ayant laissé pour tous biens qu'un office de conseiller d'eglise, & une prebende de Meaux, chargé de la decrepitude de mon pere, & du soing de la maison grandement desolée au temps que l'on croyoit que l'estat s'en alloit tumber en ruine; Dieu neanmoins m'a si miraculeusement assisté & favorisé, que je me vois eslevé aux plus grands honneurs du royaulme avec des biens abondans, & quasi plus que je ne desire, & la reputation & bienvaillance commune, telle que je l'ay deub desirer; en quoy je reconnois que la divine bonté a voulu choisir mon infirmité pour faire paroistre sa puissance & beneficence, je la supplie & conjure par la sainte passion de notre seigneur Jesus Christ son fils, qu'il ne m'impute point tant de graces qu'il m'a faict, pour me condamner d'ingratitude, ains qu'il y adjouxte cette derniere, de vouloir quand mon ame partira de mon corps, la recepvoir dans le sein de sa sainte & incomprehensible misericorde.*

J'ay vescu & proteste de mourir en la communion de l'eglise catholique & romaine, en la participation des prieres de la glorieuse vierge, & de tous les Saints, & de tous les fidels vivans, aiant neantmoins tousjours eu un extreme regret, lequel j'emporteray dans le tumbeau, de veoir que la reformation de l'eglise de Dieu & de l'edification de ses peuples soit empeschée par l'avarice & ambition de ceux qui ont plus d'obligation a la promouvoir; je prie sa divine bonté de leur toucher vivement & efficacement le cœur pour cet effet. Si je decede a Paris ou aux environs, je veux mon corps estre inhumé dans l'eglise des Bernardins; si c'est a Lysieux, dans la grande eglise, avec les ceremonies de l'eglise, sans pompe superflue, toute fois le visage couvert dans un cercueil de plomb sans aultre inscription, sinon celle-cy dans un marbre noir: Guillelmus *du Vair* episc. Lexov. Franciæ procancell. hic expecto resurrectionem, natus septimo Martii 1556. obiit .... 1621. *Je laise a l'eglize où je seray ensevely cent soixante livres pour fonder un anniversaire & service solemnel tous les ans au jour de mon trepas; je laisse semblable somme a l'eglise saint André des Ars a Paris, pour fonder un semblable service tous les ans au jour de Notre dame de Septembre, pour l'ame de mes pere & mere, & de ma sœur de Verigni qui y sont enterrez; je veux que le jour de mon enterrement il soit distribué manuellement aux pauvres mandians la somme de mil livres; tous les biens que j'ay en ce monde, peuvent valloir quelque deux cents quarante mil livres, tant meubles, immeubles, que debtes, qui sont procedez, cent quatre vingt mille livres des offices que j'ay eu & dont j'ay disposé, le surplus je l'ay espargné de mes* A *appointemens ou des pensions que j'ai eu sur l'evesché de Marseille; j'en dispose donc ainsi pour la descharge de ma conscience; je laisse a l'hospital du saint Esprit de Marseille la somme de quatre vingt seize mil livres pour estre employées en rente au profict des pauvres qui seront audit hospital, a la charge que tous les pauvres qui seront audit hospital une fois le jour que l'on leur fera prier Dieu, priront pour moy en ces mots: Dieu fasse misericorde a un tel, me nommant; je laisse a l'hospital & hostel-Dieu de Meaux, quatre milie livres de rente constituée qui m'ont esté ceddée par monsieur Ricouart conseiller au Parlement, a prendre sur le clergé de France, & les arrerages qui s'en trouveront deux; je laisse a Pierre Lucas au cas qu'il eschappe de la maladie de laquelle il est attainct, la jouissance sa vie* B *durant, de trois cents livres de rente que j'ay a prendre sur le poisson de mer, & outre ce mil livres d'argent contant; si sa femme lui survit, je veux qu'elle en jouisse sa vie durant de la moitié de la rente, le fond de laquelle je donne & legue a l'hostel-Dieu de Paris; je laisse a Claude Martin mon homme de chambre, oultre ce que je lui ai donné & lui pourray cy-après donner, toute ma guarderobe, fors ma robe de velours cramoisy que je veux donner a mes heritiers; je laisse a Moreau cent cinquante livres; a François & Issautier mes valets de pied, chacun cinq cents livres; a Largilliere mon maitre d'hostel, cent cinquante; a mon argentier pareille somme; a chacun de mes aultres serviteurs & servantes, deux années de leurs guages, oultre ce qui leur pouroit estre deub; je laisse a Pierre le Long qui* C *m'a cy-devant & longuement servy de Cuisinier, cinq cents livres; je prie l'evesque de Vanes mon frere, & l'evesque de Riez mon nepveu de se contenter des biens que je leur ay procuré en l'eglise, dont je les exhorte de bien charitablement user; je laisse neantmoins audit evesque de Vanes, la moitié de ma vaisselle d'argent & deux tantes de tapisserie, & à mon nepveu tous mes livres & deux tantes de tapisserie, & mes ornemens episcopaux; & quant au surplus de tous & chacuns mes biens, je les laisse a damoiselle Antoinette du Vair, vefve du sieur Aleuaume, ma sœur, pour en jouir sa vie durant seulement, & après les restituer a mademoiselle Ribier ma niepce, & a ses enfans successivement: voulant que l'un de ses masles qu'elle voudra choisir, & faute de choisir, le second ait la terre de Villeneuve, a la charge de porter mon nom & armes; je prie ma sœur que s'il* D *se trouve que je doibve quelque chose, ce que je ne sçay point, ou qu'il se trouve encore quelque chose de deub de feu mon pere, autres toutefois que les responses qu'il pouvoit avoir faictes, de les acquitter & de faire autant qu'il luy sera possible du bien a nos pauvres parens; je veux que tout ce qui sera deub des fruits de mes benefices soit employé aux reparations s'il y en a a faire, sinon aumosner aux pauvres des lieux; je laisse executeurs de ce mien testament monsieur l'evesque de Riez mon nepveu, monsieur de Grieux saint Aubin conseiller en Parlement, & monsieur de Peyretz conseiller en Parlement de Provence, ou l'un d'eux qui se trouvera plus prez de moi lors de mon decez: je legue audit sieur de saint Aubin un diamant de cent ecus, & audit sieur de Peyretz toutes mes medailles; je revoque tous autres* E *testaments, codicilles ou disposition de derniere volonté que je pourois avoir cy-devant faicte, voulant celle-cy valloir pour testament ou codicille au mieux que valloir pourra comme dit est, & pour cest effect je l'ai escript & signé de ma main a Villeneufve le Roy ma maison, ce vendredi dixieme jour de Juin 1620. A l'honneur de Dieu soit & salut de mon ame.*

Guillaume du Vair, evesque de Lisieux, reveu & releu, m'en allant au voyage du Roy, ce Dimanche 5 Juillet 1620.

Mon dessein estoit de fere construire une honorable sepulture dans le cimetiere saint André en commun a

mon pere, ma mere, ma sœur de Verigny, s'il plaist a mademoiselle Aleuaume ma sœur de le fere, elle sera selon mon desir, ce que je laisse toutefois a sa discretion, pour en user selon les moyens qu'elle en aura, j'entens qu'en toutes façons la terre de Villeneufve luy demeure franche aux conditions de restitution portées par mon present testament, sans que par les autres legues elle soit diminuée, lesquels j'entens estre pris sur le reste de mes biens. Ceci adjouxté a mon testament, ce même Dimanche, cinq Juillet M. DCXX.

G. DU VAIR, *evesque de Lisieux.*

XVII.

Fundatio parthenonis de Novo-burgo in diœcesi Ebroicensi.

1638. FRANCISCUS *de Pericard,* Dei & sanctæ sedis apostolicæ gratia, Ebroicarum episcopus, universis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino perpetuam. Cum ecclesia Dei ex claris & sacris religiosorum institutis non mediocre in dies recipiat ornamentum, nos hujus Ebroicensis ecclesiæ regimini cui præsumus licet indigni, quantum possumus invigilantes, & civitatem de Novo-burgo nostræ diœcesis Ebroicensis paterno affectu prosequentes, illustrissimæ etiam & potentis dominæ Renatæ *de Tournemine,* marchionissæ *de Cœlinur,* viduæ ac dotariæ defuncti illustrissimi & potentis viri domini Alexandri *de Vieux-pont,* dum viveret ordinum regis equitis, marchionis de Novo-burgo, necnon illustrissimorum dominorum equitum regiorum Guidonis *de Rieux,* marchionis *de Sourdeac,* & ejus uxoris Ludovicæ *de Vieux-pont,* Joannis Baptistæ *de Crequy,* comitis *de Bernieulles,* mariti defunctæ Renatæ *de Vieuxpont,* Henrici *de Vieux-pont,* & Catharinæ *de Vieux-pont* ejus uxoris, dicti Alexandri marchionis heredum; discreti viri magistri Radulphi *Briard* presbyteri curati parochiæ de Novo-burgo, ac habitantium & civium ejusdem loci, a nobis ut in eadem civitate monasterium sanctarum monialium erigi permitteremus obnixe deprecantium precibus inclinati, visis a nobis & diligenter inspectis contractibus donationis prioratus, regiminis & administrationis domus hospitalis dicti loci de Novo-burgo, ac permutationis dictæ domus cum ecclesia & cœmeterio S. Joannis Baptistæ supra nominati loci, & contractu donationis ac fundationis a supra nominata domina marchionissa *dudit Neuf-bourg,* factæ in favorem erectionis dicti monasterii, necnon religiosæ sororis Joannæ de *Vieux-pont,* ordinis S. Bernardi, eorumdem marchionis ac marchionissæ *de Neuf-bourg* filiæ ac prædictarum dominarum sororis, eidem monasterio præficiendæ seu præpositæ & cum licentia superiorum sui ordinis reverendæ abbatissæ monasterii de Thesauro beatæ Mariæ egressæ & nobis dimissæ, hujusmodi monasterium monialium dicti ordinis, quæ secundum regulam beati patris Benedicti, prout in reformatis hujus regni & provinciæ monasteriis observatur, & cum clausura ordinaria, necnon sub nostra & successorum nostrorum episcoporum Ebroicensium jurisdictione, directione, correctione, visitatione & obedientia perpetuis futuris temporibus vivent, in honorem Dei & beatæ Mariæ semper virginis, & sancti Benedicti, ac sub invocatione & dominatione nostræ dominæ matris Dei semper virginis Mariæ, ac sanctorum Johannis Baptistæ & Evangelistæ fundandi, erigendi, construendi & ædificandi, & in dicto monasterio cum ecclesia nostræ dominæ de Novo-burgo nuncupando, &, Deo juvante, erigendo & ædificando, omnia & singula sanctarum monialium munia & officia adimplendi, Deo bene volente, quoad mundus stabit ad Dei optimi, maximi & salvatoris nostri Jesu Christi gloriam, & cum invocatione Spiritus sancti, imploA rato etiam Deiparæ auxilio, quod felix faustumque sit, licentiam omnimodam & facultatem per præsentes impertimur. Datum in castro de Novo-burgo, die lunæ XXVII mensis Decembris, anno ab Incarnatione Domini M. DCXXXVIII. Sign. ✠ Franciscus episcopus Ebroicensis. *Et plus bas, Langer.*

XVIII.

Institutio collegii in prioratu Belli-montis in Algia.

LOUIS, par la grace de Dieu, roy de France & de Navarre, à tous présens & à venir, salut. 1731. *Notre très-cher & très-amé oncle le duc d'Orleans,* B *premier prince de notre sang, nous a remontré qu'à cause de sa terre de Roncheville-le-Bertrand, première baronnie de Normandie, pays d'Auge, qui étoit échue à notre très-cher & très-amé oncle, monsieur duc d'Orleans, de la succession de notre très-chère & très-amée tante mademoiselle, duchesse de Montpensier, il est fondateur & patron du prieuré conventuel de Beaumont en Auge, membre de l'abbaye de saint Ouen de Rouen, avec obligation aux religieux de ladite abbaye dans le cas de vacance du prieuré, de presenter à trois differentes reprises au baron de Roncheville, s'il le requiert, jusqu'au nombre de douze religieux de leur abbaye dont il elit & choisit un qu'il presente à l'abbé, & auquel ledit abbé doit donner ses provisions & l'instituer prieur de Beaumont, ainsi qu'il resulte des titres de la possession* C *de tous les temps, en sorte que le roy François premier voulut bien s'assujétir à cette formalité en l'an 1530, à cause de la garde royale d'Adrienne d'Etouteville propriétaire de la baronnie de Roncheville, alors mineure, & qui fut mariée en 1534 à François de Bourbon, sa majesté ayant sur la presentation des religieux de saint Ouen, élû & nommé un desdits religieux, lequel obtint l'institution du cardinal Innocent Cibo abbé commendataire de saint Ouen. Cette manière de disposer du bénéfice, a continué jusqu'en l'année 1630, qu'un cordelier evêque de Madaure, l'impétra en commande avec le decret de retour en règle; cet evêque le résigna au sieur Victor Bouthillier depuis archevêque de Tours, & par la résignation de ce prelat il a passé au sieur ancien evêque de Troyes, & par une semblable resignation au deffunt sieur Bouthillier archevêque de Sens, toûjours* D *avec le même decret de retour en règle; c'est par la mort de ce prelat que le bénéfice a vaqué. Dans ces circonstances ce prieuré n'ayant point changé d'état, notre très-cher & amé oncle ne pouvoit se dispenser de suivre la loi établie par la fondation; & pour cet effet auroit nommé à ce prieuré Dom Jacques Veytard soûprieur de l'abbaye de saint Ouen, l'un des religieux presentés par la communauté de l'abbaye de saint Ouen, auquel le sieur archevêque de Cambray, abbé de saint Ouen a donné des provisions, & qui est en possession; mais étant informé que la petite ville de Beaumont est éloignée des villes où les colleges sont établis, que les religieux, quoiqu'en petit nombre, ont déja commencé à tenir des écoles pour l'instruction des enfans, notre très-cher & amé oncle a crû en usant des prérogatives de fondateur,* E *& les conservant, pouvoir abandonner l'exercice du patronage & sacrifier son droit honorifique de presentation à l'avantage & à l'utilité du public. Dans cette vûe, après avoir conferé avec les supérieurs de la congrégation de saint Maur, & les abbé & religieux de l'abbaye de saint Ouen, notre très-cher oncle a reconnu qu'en éteignant & supprimant la manse prieurale, & la réunissant à la manse conventuelle, il seroit avantageux pour la province d'y établir un collége pour l'étude des humanités, depuis la cinquième classe jusqu'à la rhétorique inclusivement; lesquelles classes seroient gratuites & tenues par des religieux dudit prieuré capables, choisis & nommés par le Général de ladite congrégation de saint Maur, de la manière dont ils en usent dans les colléges des*

abbayes de Tiron, de Pontlevoy & de saint Germer; & ledit Général promet & s'engage, tant pour lui que pour ses successeurs, de ne confier l'éducation de cette jeune noblesse qu'à des religieux sages & vertueux, dont il répondra personnellement, tant pour la doctrine que pour les mœurs; & à la première plainte de notredit très-cher oncle, il retirera les religieux qui ne seroient pas agréables, & ne les remplacera que par des sujets qui auront toutes les qualités requises, en leur imposant en outre l'obligation de recevoir à perpétuité dans ledit prieuré, collège de Beaumont, six jeunes gentilshommes âgés de sept ans au moins, que notre très-cher oncle choisiroit & nommeroit, & dont la nomination appartiendroit aussi à perpétuité à ses heritiers descendans & ses successeurs propriétaires de la baronnie de Rancheville, auxquels six gentilshommes lesdits religieux seroient tenus de fournir & de procurer gratuitement, & d'une manière convenable, depuis leur entrée jusqu'à l'âge de dix-sept ans accomplis, tout ce qui sera necessaire pour leur nourriture & leur entretien, leurs études & leur éducation; & qu'en cas de décès ou de sortie de l'un ou de plusieurs de ces gentilshommes, ils seront tenus d'en donner avis à notre très-cher & amé oncle & ses successeurs, pour faire remplir les places vacantes; & encore à condition que lesdits religieux ne pourront expulser, sous prétexte que ce soit, aucuns des gentilshommes qu'ils auront admis dans leur collège en vertu de la nomination de notre très-cher & amé oncle, ou de ses héritiers & successeurs barons de Roncheville, sans les avoir préalablement informés & obtenu leur consentement, à l'exception néanmoins des cas où le séjour desdits étudians seroit d'un danger pressant pour les bonnes mœurs, auquel cas lesdits religieux pourront les expulser sans délai, mais seront tenus d'en donner avis sur le champ, & de faire agréer les motifs de leur conduite; comme aussi que le Général de ladite congrégation sera tenu & obligé tous les ans, & même plus souvent si on l'exige, de présenter à notredit oncle & à ses successeurs, un catalogue exact où seront marqués les noms & surnoms, le caractère & le génie, les dispositions desdits gentilshommes; de faire connoître le progrès qu'ils ont fait dans la piété & dans les sciences, la classe où ils sont, le temps qu'ils ont passé dans le collège, celui qui leur reste à y demeurer pour finir leur rhétorique. Et comme on ne peut procéder par les voyes canoniques à l'extinction de la manse prieurale, & à son union & incorporation à la manse conventuelle, sans avoir préalablement obtenu nos lettres patentes, notre très-cher & amé oncle nous a très-humblement fait supplier de vouloir bien les lui accorder. A ces causes, voulant favorablement traiter notre très-cher & très-amé oncle le duc d'Orleans, & desirant contribuer en tout ce qui dépend de nous pour l'execution d'un établissement si utile & si favorable; de l'avis de notre Conseil, & de notre grace spéciale, pleine puissance & autorité royale, nous avons loué & agréé l'établissement, avons en conséquence permis & permettons à notredit très-cher oncle de poursuivre & de faire procéder pardevant le sieur évêque de Lisieux diocésain, ou pardevant les grands vicaires ou autres ecclésiastiques qui seront par lui déléguez, à l'extinction de la manse prieurale dudit prieuré de Beaumont, tant en ses circonstances que dépendances, & à l'union & incorporation de la manse conventuelle dudit prieuré, suivant les formes & les solemnités canoniques par nous approuvées, toutes les parties intéressées présentes ou dûment appellées, & aux charges, clauses & conditions proposées par notredit oncle, pour être ensuite ladite union par nous approuvée & confirmée, s'il y échet. Si donnons en mandement à nos amez & feaux conseillers les gens tenans notre cour de Parlement à Rouen, que ces présentes ils ayent à faire registrer, exécuter, garder & observer de point en point, selon leur forme & teneur: Car tel est notre plaisir. Donné à Versailles, au mois d'Octobre, l'an de grace mil sept cens trente un, & de notre regne le dix- A *septième.* Signé LOUIS; Visa, *Chauvelin: Et plus bas, par le Roy, Chauvelin, & scellé du grand sceau de cire verte. Et à côté est écrit: Lesdites lettres patentes ont été registrées ès registres de la Cour, pour être exécutées selon leur forme & teneur, suivant l'arrêt de la Cour, donné, la Grand'chambre assemblée, le troisième jour de Décembre mil sept cens trente-un.* Signé *Auzane, avec paraphe.*

Extrait des registres de la Cour de Parlement de Rouen.

VU par la Cour, la Grand'chambre assemblée, les lettres patentes de Sa Majesté obtenues par monsieur le duc d'Orleans, à Versailles, au mois d'Octobre B *dernier, à l'effet de faire l'établissement d'un college au prieuré de Beaumont-en-Auge, aux charges, clauses & conditions referées auxdites lettres. Requête présentée à ladite Cour par monsieur le duc d'Orleans, tendante à ce qu'il lui plût ordonner que lesdites lettres patentes seront enregistrées ès registres d'icelle, pour être exécutées selon leur forme & teneur. Ordonnance étant au bas d'icelle, en date du premier de ce mois, portant soit communiqué au procureur général du roy, lesdites lettres ci-dessus datées. Conclusions du procureur général, & ouï le rapport du sieur le Pesant de Boisguilbert conseiller commissaire, tout considere: La Cour, la Grand'chambre assemblée, a ordonné & ordonne que lesdites lettres patentes seront registrées ès registres de la Cour, pour être exécutées selon leur forme & teneur. A Rouen, en Parlement, le trois Décembre mil sept* C *cens trente-un.* Signé AUZANE, *avec paraphe. Collationné.* Signé FOUET, *avec paraphe.*

A Monsieur l'Evêque de Lisieux.

REmontre monsieur le duc d'Orleans, premier prince du sang, duc d'Orleans, de Valois, de Chartres, de Nemours, de Montpensier, & baron de Roncheville, &c. qu'à cause de sadite baronnie de Roncheville, il est fondateur & patron du prieuré conventuel de Beaumont, membre de l'abbaye de saint Ouen de Rouen, avec l'obligation que le fondateur a imposée aux religieux de cette abbaye, dans le cas de vacance du prieuré, de présenter à trois diverses reprises au baron de Roncheville, s'il le requiert, jusqu'au nombre de douze reli- D *gieux de leur abbaye, dont il choisit un qu'il présente à l'abbé de saint Ouen, qui doit donner des provisions: que ce prieuré ayant vaqué par la mort du sieur Bouthillier archevêque de Sens qui l'avoit obtenu & le possédoit en commande, avec le decret de retour en règle, monsieur le duc d'Orleans, en suivant la loi établie par la fondation, a nommé audit prieuré Dom Jacques Veytard sous-prieur de l'abbaye de saint Ouen, l'un des religieux présentés par la communauté de ladite abbaye, auquel le sieur archevêque de Cambray abbé a donné des provisions, & qui est actuellement en possession. Cependant monsieur le duc d'Orleans étant informé que la petite ville de Beaumont est éloignée des villes où les collèges sont établis, que les religieux du prieuré, quoiqu'en petit nombre, avoient déjà commencé d'établir* E *des écoles. il a crû devoir sacrifier son droit honorifique de présentation à l'utilité du public; & qu'en éteignant & supprimant la manse prieurale, & la réunissant à la manse conventuelle, il seroit avantageux pour la province d'établir un collège pour l'étude des humanités, depuis la cinquième classe jusqu'à la rhétorique inclusivement; lesquelles classes seroient gratuites & tenues par des religieux de ce prieuré, choisis & nommés par le Général de la congrégation de saint Maur, de la manière qu'il se pratique pour les collèges de Pontlevoy, Tiron & saint Germer, en leur imposant encore l'obligation de recevoir à perpétuité dans ledit prieuré, collège de Beaumont, six jeunes gentilshommes âgés de sept ans au moins, que monsieur le duc d'Orleans*

choisiroit & nommeroit, & dont la nomination appartiendroit aussi à perpétuité à lui, ses héritiers, descendans & successeurs propriétaires de la baronnie de Roncheville, auxquels six gentilshommes lesdits religieux seroient tenus de fournir & de procurer gratuitement, & d'une manière convenable, depuis leur entrée jusqu'à l'âge de dix-sept ans accomplis, tout ce qui sera nécessaire pour leur nourriture, leur entretien, leurs études & leur éducation, & aux autres clauses, charges & conditions inserées dans les lettres patentes de sa majesté que monsieur le duc d'Orleans a obtenues au mois d'Octobre dernier, registrées au Parlement de Rouen le trois Décembre suivant. A ces causes, & en conséquence desdites lettres patentes, monsieur le duc d'Orleans vous requiert & vous prie, monsieur, qu'il vous plaise faire procéder par-devant vous ou par-devant les grands vicaires ou autres ecclesiastiques qui seront par vous déleguez, à l'extinction de la manse prieurale dudit prieuré de Beaumont, circonstances & dépendances, & à l'union & incorporation de la manse conventuelle de ce prieuré, suivant les formes & les solemnités prescrites par les loix ecclesiastiques & celles du royaume, toutes les parties présentes, ou duement appellées, & autres charges, clauses & conditions acceptées & confirmées par lesdites lettres patentes. Signé **LOUIS D'ORLEANS**. *Et plus bas, par monseigneur, Matha.*

Soit la présente requête & les pièces y énoncées, communiquées à notre promoteur, ce vingt-six mars mil sept cens trente-deux. Signé ***HENRY*** *évêque de Lisieux.*

Le promoteur général du diocèse & évêché de Lisieux ayant pris communication de la requête présentée à monseigneur l'évêque & comte de Lisieux par monseigneur le duc d'Orleans premier prince du sang, duc d'Orleans, de Valois, de Chartres, de Nemours, de Montpensier, & baron de Roncheville, &c. tendante à ce qu'en conséquence des lettres patentes y énoncées, il plaise à monseigneur l'évêque procéder à l'extinction de la manse prieurale du prieuré de Beaumont en Auge, circonstances & dépendances, & à l'union & incorporation à la manse conventuelle de ce prieuré, suivant les formes & les solemnités prescrites par les loix ecclesiastiques du royaume, toutes les parties présentes ou duement appelées, & aux charges, clauses & conditions acceptées & confirmées par lesdites lettres patentes, le tout pour les causes contenues en ladite requête; ainsi signée Louis d'Orleans, & au dessous, Matha. De l'ordonnance de monseigneur l'évêque de cejourd'hui, portant que ladite requête & les pièces y énoncées nous seroient communiquées, ensemble des lettres patentes obtenues par monseigneur le duc d'Orleans au mois d'octobre dernier, par lesquelles le roy permet à monseigneur le duc d'Orleans de poursuivre & faire procéder par-devant monseigneur l'évêque ou par-devant les grands vicaires ou autres ecclesiastiques qui seront par lui déleguez, à l'extinction de la manse prieurale dudit prieuré de Beaumont, & à l'union & incorporation de la manse conventuelle dudit prieuré, suivant les formes & solemnités canoniques, & aux charges, clauses & conditions proposées par monseigneur le duc d'Orleans, pour être ensuite ladite union approuvée & confirmée par Sa Majesté, s'il y échoit, & de l'arrêt d'enregistrement desdites lettres patentes au Parlement de Rouen, le trois Décembre dernier, qui sont les seules pièces que monseigneur le duc d'Orleans ait fait joindre à ladite requête: Requiert qu'avant faire droit tous les interessés ou prétendus interessés au fait de l'extinction, union & incorporation demandez, soient assignez par-devant tel commissaire qu'il plaira à monseigneur l'évêque d'ordonner, pour procéder au fait de ladite extinction, union & incorporation, & faire sur ce tous actes requis, jusqu'au decret définitif exclusivement, aux jour, lieu & heure qui seront indiquez par ledit sieur commissaire, pour donner leur consentement à ladite extinction, union & incorporation, ou déduire leurs moyens d'opposition, A *si aucuns ils ont; & qu'en outre ladite requête, notre présent requisitoire & l'ordonnance qui interviendra, soient lûs, publiez & affichez par le premier huissier appariteur en l'officialité de l'évêché de Lisieux, aux principales portes extérieures, tant dudit prieuré que de l'église paroissiale dudit lieu de Beaumont, à ce que personne n'en prétende cause d'ignorance; pour le tout fait, à nous communiqué, requerir en plus outre ce qu'il appartiendra. Fait à Lisieux, cejourd'hui vingt-sixiéme mars mil sept cens trente-deux.* Signé ***J. LE PRÉVOST.***

Soit fait ainsi qu'il est requis par notre promoteur, à laquelle fin nous avons commis le sieur Henry Gerard notre grand vicaire official, pour procéder au fait de ladite union jusqu'à decret définitif exclusivement. A Lisieux, ce vingt-sixiéme mars mil sept cens trente-deux. Signé ***HENRY*** *évêque de Lisieux. Et plus* B *bas, par monseigneur, Fréard. Et scellé.*

A monsieur l'Official de l'évêché de Lisieux, commissaire en cette partie.

REmontre monseigneur le duc d'Orleans premier prince du sang, duc de Valois, de Chartres, de Nemours, de Montpensier, & vicomte d'Auge, que pour parvenir à l'extinction & suppression du titre prieural de Beaumont sur Auge, membre de l'abbaye de saint Ouen de Rouen, & être les revenus de ladite manse prieurale, & circonstances & dependances, unis, annexez & incorporez à la manse conventuelle dudit prieuré, il a obtenu du roi des lettres patentes, & présenté requête à monsieur l'évêque de Lisieux; elle a été communiquée C *à monsieur le promoteur, il y a mis son requisitoire, & monsieur de Lisieux vous a nommé & choisi pour commissaire, aux fins de faire tous les actes de procédures requis & nécessaires à cet effet. Ce considéré, monsieur, vû lesdites lettres patentes, ladite requête présentée à monsieur l'évêque de Lisieux, il vous plaise accepter ladite commission, & pour l'exécution d'icelle ordonner que vous vous transporterez audit prieuré de Beaumont en Auge, à tel jour & heure qu'il vous plaira marquer, pour dresser votre procès verbal & accorder votre mandement pour assigner, tant les parties intéressées que les témoins, audit lieu, jour & heure; & vous ferez bien. Présentée à Lisieux, ce vingt-six mars mil sept cens trente-deux.* Signé ***DE LANNET*** *porteur du* D *pouvoir de monseigneur.*

Nous acceptons avec respect la commission à nous adressée par monseigneur, & en conséquence, ordonnons que tous les interessés au fait de l'union dont est question, ou prétendus tels, seront assignez à comparoir par-devant nous en notre hôtel, nos affaires ne nous permettant pas de nous transporter sur les lieux, le Samedi vingt-six Avril de la présente année, deux heures de relevée, pour donner leur consentement à ladite union, ou déduire leurs moyens d'opposition, si aucuns ils ont; & qu'en outre il sera mis, tant sur les portes de l'église dudit prieuré de Beaumont en Auge, que sur celles de l'église paroissiale dudit lieu, des affiches du contenu en la requête présentée à mondit seigneur, de son ordonnance & de notre présente, à ce que personne n'en prétende cause d'ignorance. Fait à Lisieux, E *ledit jour & an que dessus; ainsi signé* ***GERARD*** *&* ***LE GENDRE***, *avec paraphes. Et scellé.*

XIX.

Decretum episcopi Lexoviensis pro unione prioratus Belli-montis.

Extrait des registres du secrétariat de Lisieux, ainsi qu'il suit.

HEnry-Ignace **DE BRANCAS**, *par la grace de Dieu & du saint siége apostolique, évêque & comte de Lisieux . . . . tout considéré & le saint* 1741.

le saint nom de Dieu préalablement invoqué, nous avons, conformément aux conclusions de notre promoteur, éteint & supprimé, éteignons & supprimons de ce jour à l'avenir à perpétuité le titre & manse prieurale du prieuré de Notre-Dame de Beaumont en Auge, ordre de saint Benoît, congrégation de saint Maur, circonstances & dépendances; ce faisant, nous avons uni & incorporé, unissons & incorporons pareillement de ce jour à l'avenir, les droits, domaines, & autres biens appartenants à ladite manse prieurale, consistants en outre le manoir prieural, en terres labourables, herbages, prairies, droits de dixmes & autres détaillés dans le vû des pièces, & montant ensemble aux termes des baux & autres pièces justificatives, à la somme de huit mille neuf cens trente livres dix sols de revenu par chacun an, à la manse conventuelle dudit prieuré, valant actuellement aux termes des baux & autres pièces justificatives, la somme de cinq mille cinq cens vingt-cinq livres de rente par chacun an; le tout aux charges, clauses & conditions suivantes, sans lesquelles ladite extinction, union & incorporation n'eussent été faites, savoir est au moyen & parce que lesdits prieur claustral, religieux & couvent dudit prieuré de Beaumont seront tenus de recevoir à l'avenir à perpétuité six jeunes gentilshommes âgés de sept ans au moins, qui seront choisis & nommés par S. A. S. M. le duc d'Orleans & par ses héritiers, descendans & successeurs propriétaires de la baronnie de Roncheville, auxquels six gentilshommes ledit prieur claustral, religieux & couvent seront tenus de procurer & fournir gratuitement depuis leur entrée jusques à l'âge de dix-sept ans accomplis, tout ce qui sera nécessaire pour leur logement dans ledit manoir prieural, leur nourriture, vêtement & entretien, même les remèdes & visites des médecins en cas de maladie, ensemble les maîtres nécessaires pour les élever dans la piété, & leur apprendre les humanités depuis la cinquième classe jusques à la rhétorique inclusivement, & tous les autres exercices convenables & nécessaires à des gentilshommes étudians; en cas de décès ou de sortie de quelqu'un desdits gentilshommes, lesdits prieur & religieux seront tenus d'en donner avis à S. A. S. M. le duc d'Orleans & ses successeurs barons de Roncheville, pour faire remplir les places vacantes, en la maniere que dessus, sans que lesdits prieur & religieux puissent expulser aucun desdits six gentilshommes sous tel pretexte que ce puisse être, sans avoir préalablement informé S. A. S. & ses successeurs barons de Roncheville des motifs de l'expulsion projetée, & sur icelle obtenu le consentement de S. A. S. & de ses successeurs barons de Roncheville; à l'exception néanmoins des cas où le séjour de quelqu'un desdits six gentilshommes seroit d'un danger pressant pour les bonnes mœurs, auquel cas lesdits religieux pourront les expulser, mais seront tenus d'en donner avis sur le champ & de faire agréer les motifs de leur conduite à S. A. S. M. le duc d'Orleans, auquel ainsi qu'à ses successeurs barons de Roncheville, le supérieur général de ladite congrégation de saint Maur sera tenu & obligé tous les ans, & même plus souvent si on l'exige, de présenter un catalogue exact où seront marqués les nom & surnom, le caractère, le génie & les dispositions de chacun desdits six gentilshommes, de faire connoître le progrès qu'ils auront fait dans la piété & les sciences, la classe dans laquelle ils seront, le temps qu'ils auront passé dans ledit prieuré, & celuy qui leur restera à y demeurer pour finir leur rhétorique; à l'effet de l'instruction desquels six gentilshommes dans la piété & les humanités comme dessus, ledit superieur général de la congrégation de S. Maur choisira sur le nombre des religieux qui composeront de ce jour à l'avenir à perpetuité, la communauté dudit prieuré de Beaumont, laquelle sera dorenavant de dix religieux au moins, y compris le prieur, tous & tels religieux qu'il jugera capables d'instruire lesdits six gentilshommes dans la piété & les humanités comme dessus, desquels religieux ledit superieur général répondra personnellement tant pour la doctrine que pour les mœurs, & sera tenu de les retirer dudit prieuré sur nos plaintes & celles de nos successeurs, ou de S. A. S. M. le duc d'Orleans & ses successeurs barons de Roncheville; lesquels religieux ainsi exclus n'y pourront être remplacés que par d'autres sujets qui auront toutes les qualités requises, & dont le supérieur général & ses successeurs seront également tenus de repondre personnellement; dans lequel prieuré lesdits prieur claustral, religieux & couvent ne pourront admettre aucuns autres pensionnaires ou écoliers externes du diocèse de Lisieux, que ceux originaires ou actuellement demeurants de bonne foy avec leur famille dans le bourg & paroisse de saint Sauveur de Beaumont, & dans les paroisses de saint Etienne & sainte Catherine de Honfleur, N. Dame & saint Leonard du même lieu, S. Michel de Pont-l'Evêque, saint Benoît d'Hebertot, Notre-Dame de Vieux-bourg, saint Germain de Bonneville-sur-Touques, saint Sulpice de Canapville, saint Pierre du Theil, saint Pierre de Fourneville, saint Gatien des Bois, saint Germain de Danestal, saint Nicolas de Roncheville, Notre Dame de Heulland, Notre-Dame de Tourville, & saint Ouen de Gemmeville, ensemble dans les paroisses de saint Etienne la Tillaye, saint Pierre de Turgeville, saint Germain de Drubec, S. André de Clarbec, & saint Martin de Vauville, à l'exclusion de tous autres; lesquels six gentilshommes & autres pensionnaires ou écoliers demeurants audit prieuré de Beaumont seront entièrement soûmis à notre seule autorité & jurisdiction, & à celle de nos successeurs, en tout ce qui concerne les devoirs de la religion, la doctrine & les bonnes mœurs, & seront tenus de s'acquitter exactement de tous les devoirs paroissiaux en ce qui concerne la confession & communion paschale, les sacrements de pénitence, de saint viatique & d'extrême onction en cas de maladie, & la cérémonie de leur inhumation dans la nef ou cemetière de l'église paroissiale dudit lieu de Beaumont en cas de decès d'aucun d'eux dans ledit prieuré, de l'acquit ou négligence desquels devoirs paroissiaux desdits six gentilshommes & autres pensionnaires ou écoliers demeurans audit prieuré de Beaumont, lesdits prieur & religieux répondront personnellement à nous & à nos successeurs, ainsi qu'il appartiendra, le tout sans préjudice des droits épiscopaux, curiaux & paroissiaux en autres choses & sauf en tout autruy droit; comme au moyen & parce que lesdits prieur claustral, religieux & couvent seront tenus & obligés en outre ce que dessus, de bien & dûement faire & acquiter de ce jour à l'avenir à perpétuité toutes les charges ordinaires & extraordinaires dont ladite manse prieurale a été ou pû être tenue jusques à present, telles que sont les decimes & autres impositions ecclesiastiques auxquelles ledit prieuré de Beaumont ou manse prieurale continuera d'être imposée comme auparavant au rôle du diocèse de Lisieux; les aumônes générales & particulières auxquelles ledit prieuré de Beaumont est tenu, obligé de droit ou de coûtume & autres charges de ladite manse prieurale, généralement quelconques, ensemble au moyen & parce que lesdits prieur, religieux & couvent seront tenus & obligés de fournir ou faire construire à leurs frais incessamment & dans un an de ce jour au plus tard une maison propre à tenir sous notre seule autorite & jurisdiction, & celle de nos successeurs, des écoles publiques & particulières pour les filles dudit lieu de Beaumont & des environs, & à y loger une des sœurs de la Providence de la maison de Lisieux qui sera choisie, nommée & envoyée par nous & nos successeurs audit lieu de Beaumont à cet effet, laquelle maison sera bâtie, sinon dans le bourg dudit lieu de Beaumont, du moins aux environs d'iceluy dans le voisinage de quelques autres maisons, & composée d'une grande salle propre à tenir lesdites écoles publiques, d'une autre salle ou chambre avec un cabinet, d'une cuisine, d'une cave ou cellier avec des greniers dessus; & au devant d'icelle maison il y aura une petite cour, & au derrière un petit jardin, le

tout bien & sûrement enclos de toutes parts; de laquelle maison ainsi construite, & bien & duement garnie des meubles necessaires en chacun desdits appartemens, ladite sœur de la Providence sera mise en possession par lesdits prieur & religieux, le jour même de son arrivée audit lieu de Beaumont, pour, par elle & les sœurs qui luy succéderont à perpétuité, jouir de ladite maison en exemption de toutes charges, rentes & faisances quelconques comme de tous droits qui pour raison d'icelle, ainsi que de la partie de rente ci-après, pourroient être demandés au nom & de la part de qui que ce soit; lesquelles rentes, faisances & droits si aucuns sont dûs, comme les réparations & réédifications à faire dans la suite à la maison ci-dessus, tomberont à la charge desdits prieur, religieux & couvent, lesquels seront en outre tenus & obligés de payer pour la nourriture & entretien personnel de ladite sœur & de celles qui lui succéderont à l'avenir, la somme de cent cinquante livres de rente par chacun an, payable de quartier en quartier par avance, dont le premier payement se fera le jour même de l'arrivée de ladite sœur audit lieu de Beaumont, & sera ainsi continué d'an en an à perpétuité; en conséquence desquelles extinction, union & incorporation ainsi faites aux charges, clauses & conditions ci-dessus exprimées, cessant lesquelles avons déclaré & declarons dès-à-present comme dès-lors, & dès-lors comme dès-à-present ledit decret d'extinction, union & incorporation, nul & de nul effet & valeur. Faisons très-expresses inhibitions & deffenses auxdits religieux de la communauté de saint Ouen de Rouen, aux barons de Roncheville, & aux abbés titulaires ou commendataires de ladite abbaye de S. Ouen de Rouen, de faire à l'avenir aucuns actes de nomination, présentation ou collation dudit prieuré de Beaumont. Donné à Lisieux, en notre palais épiscopal, le quinzième jour de Septembre, l'an de grace mil sept cent quarante-un. Signé *HENRY, evêque de Lisieux.*

X X.

Lexoviensis episcopi jurisdictio asseritur in decanum, canonicos aliasque Lexoviensis ecclesiæ personas.

1744. *LES Commissaires généraux du Conseil, députés par sa majesté par arrêts du Conseil des 22 Juillet 1740, 16 Janvier 1741, & autres arrêts subséquens, pour juger en dernier ressort les contestations & différends d'entre les sieurs évêque de Lisieux & les archidiacres, le chapitre, le doyen & les chanoines de l'église cathédrale de ladite ville, & les demi-chanoines, semi-prebendés & sous-chantres de ladite église. Vû par nous ledit arrêt du Conseil du 22 Juillet 1740, rendu sur la requête présentée au roy par Henry-Ignace de Brancas évêque & comte de Lisieux, tendante à ce qu'il plût à sa majesté évoquer à soi & à son Conseil le procès pendant au Parlement de Rouen entre lesdits sieurs du chapitre de l'église cathedrale de Lisieux, appelans comme d'abus des deux ordonnances rendues par le suppliant les 15 & 26 Juin 1739 d'une part, & lesdits sieurs archidiacres de la même église, intimés sur ledit appel comme d'abus par exploit du 3 Juillet aussi 1739, circonstances & dependances, d'autre part; ce faisant, donner acte au suppliant de ce qu'il méconnoît & conteste formellement la prétendue exemption de jurisdiction desdits doyen, chanoines & chapitre de son église cathédrale, & en conséquence le recevoir partie intervenante audit procès, d'entre lesdits sieurs du chapitre & lesdits sieurs archidiacres; & ce faisant, ordonner que lesdits sieurs doyen, chanoines & chapitre seront tenus, avant de passer outre, à l'instruction de leurdit appel comme d'abus, produire devant sa majesté & son Conseil, les titres & pièces sur lesquelles ils prétendent fonder leur exemption & jurisdiction particulière, pour, par le suppliant, en prendre communication, & les contester, s'il y a lieu; faute par eux d'y satisfaire dans le délai du réglement, icelui passé, ordonner que le suppliant sera maintenu au droit & possession d'exercer toute jurisdiction, visite & correction, sur les doyen, chanoines & chapitre de son église cathédrale, &c. Le tout réuni par-devers le sieur Joly de Fleury, chevalier, conseiller du roy en ses conseils, maître des requêtes ordinaire de son hôtel, commissaire à ce député: Oüi son rapport, & tout considéré: Nous, Commissaires généraux susdits, en vertu du pouvoir à nous donné par sa majesté, faisant droit sur le tout, sans avoir égard à l'appel comme d'abus interjetté par lesdits du chapitre de Lisieux, des ordonnances dudit sieur évêque des 15 & 26 Juin 1739, disons qu'il n'y a abus. Ayant aucunement égard aux requêtes & demandes dudit sieur évêque & desdits du chapitre, avons maintenu & maintenons ledit sieur évêque au droit & possession d'exercer toute supériorité, visite, jurisdiction & correction dans l'église de Lisieux, & sur les doyen, dignités, chanoines & chapitre de ladite église, bénéficiers & officiers servans en icelle, sans préjudice néanmoins de la jurisdiction correctionnelle & premier degré de jurisdiction contentieuse appartenante auxdits du chapitre; ce faisant, avons maintenu & maintenons lesdits du chapitre au droit & possession d'exercer ladite jurisdiction correctionnelle & ledit premier degré de jurisdiction contentieuse dans ladite église, & sur les doyen, dignités, chanoines & chapitre de ladite église, bénéficiers & officiers servans continuellement en icelle; à la charge néanmoins, & non autrement, de la dévolution & de l'appel, tant à l'évêque qu'à son official, ainsi qu'il appartiendra. Ordonnons que pour l'exercice de ladite jurisdiction contentieuse, lesdits du chapitre seront tenus de nommer un official & un promoteur ordinaires, conformément aux ordonnances & usages du royaume; comme aussi que l'official du chapitre sera tenu d'informer dans trois jours des délits commis dans ladite église, ou par les dignités, chanoines, bénéficiers ou officiers servans continuellement en icelle, & d'instruire & juger les procès dans les délais de l'ordonnance; sinon & à faute de le faire dans ledit délai, & icelui passé, pourra ledit sieur évêque ou son official, informer, instruire & juger lesdits procès, sans que les accusés ou lesdits du chapitre puissent en demander le renvoi: avons maintenu & maintenons lesdits le Mercier & le Coq au droit & possession de se dire & qualifier demi-chanoines, semi-prebendés, sous-chantres de ladite église, sans qu'à raison de ladite qualité ils puissent prétendre aucune voix délibérative dans le chapitre de Lisieux en aucun cas, ni entrée audit chapitre, si ce n'est aux chapitres généraux, suivant & ainsi qu'il s'est pratiqué par le passé, ni s'attribuer de plus grands droits que ceux dont ils étoient en possession avant la présente contestation; leur donnons acte de la déclaration & consentement desdits du chapitre, porté par leur requête du 2 Août 1742; en conséquence, ordonnons qu'ils continueront de jouir des distributions de sel, de pain & de vin: & en ce qui concerne le surplus de leurs demandes, qu'ils seront tenus de se conformer aux titres de leur établissement, & aux usages de ladite église observés avant la présente contestation, sauf, en cas de difficulté, de se pourvoir à l'effet de tel réglement qu'il appartiendra, suivant l'exigence des cas. Et à l'égard des demandes dudit sieur de la Bastie & consorts, ordonnons que les statuts, réglemens & délibérations dudit chapitre, seront exécutés selon leur forme & teneur: condamnons lesdits du chapitre en tous les dépens envers les sieurs archidiacres, lesdits dépens liquidés à la somme de trois cens quatre-vingt livres & en la moitié des dépens envers ledit sieur évêque, laquelle moitié nous avons liquidé à la somme de quatre cens livres, l'autre moitié compensée. Les dépens faits entre lesdits le Mercier & le Coq, & entre lesdits du chapitre, ceux faits entre lesdits sieur de la Bastie doyen & consorts, & lesdits du chapitre, demeurans compensés: ordonnons que lesdits sieurs archi-*

diacres ne seront tenus de contribuer aux frais & dépens faits par lesdits du chapitre sur l'appel comme d'abus, ni lesdits le Mercier & le Cocq à ceux faits contre eux par lesdits du chapitre; ni pareillement ledit sieur de la Bastie doyen, & consorts, à ceux faits par lesdits du chapitre contre eux personnellement; & seront tous les autres frais & dépens faits par lesdits du chapitre en la présente instance, supportés par la manse commune. Et en ce qui concerne les demandes dudit sieur evêque, à fin d'être maintenu au droit & possession de la pleine & entière jurisdiction sur l'étendue de la ville & banlieue de Lisieux, sur les maisons & territoires dépendans des prébendes desdits du chapitre, & généralement sur tout le peuple & clergé du diocèse de Lisieux, avant faire droit sur lesdites demandes, ensemble sur les conclusions prises à cet égard par la requête du sieur de la Bastie doyen, & consorts, du 7 Juin 1742, & par celle desdits sieurs archidiacres du 23 Février 1743: ordonnons que lesdits du chapitre seront tenus de déclarer dans quinzaine, à compter du jour de la signification du présent jugement, s'ils entendent ou non contester lesdites demandes; pour ce fait, ou à faute de ce faire dans ledit temps, & icelui passé, être par nous statué sur lesdites demandes, ainsi qu'il appartiendra; sur le surplus des demandes, fins & conclusions des parties, les avons mis & mettons hors de cour. Fait & arrêté en l'assemblée desdits sieurs Commissaires généraux, tenue à Paris, le dix-septième Août mil sept cent quarante-quatre. Collationné. Signé THURIN. *Collationné à l'original par nous écuyer, conseiller secrétaire du roy, maison, couronne de France & de ses finances.*

XXI.

Lexoviensi episcopo asseritur omnimoda jurisdictio in territorio Lexoviensi.

1745. *LES Commissaires généraux du Conseil, députés par sa majesté par arrêts du Conseil des 22 Juillet 1740, 16 Janvier 1741, & autres arrêts subséquens, pour juger en dernier ressort les contestations & différends d'entre les sieurs évêque de Lisieux & les archidiacres, le chapitre, le doyen & les chanoines de l'église cathédrale de ladite ville, & les demi-chanoines, semi-prébendés & sous-chantres de ladite église. Vû par nous notre jugement rendu le 17 Août 1744, par lequel il auroit été entr'autres choses ordonné qu'en ce qui concerne les demandes du sieur évêque, à fin d'être maintenu au droit & possession de la pleine & entière jurisdiction sur l'étendue de la ville & banlieue de Lisieux, &c. Oui le rapport du sieur Joly de Fleury, & tout considéré; Nous, Commissaires généraux susdits, en vertu du pouvoir à nous donne par sa majesté, donnons acte audit sieur évêque de Lisieux, des déclarations faites par les doyen, chanoines & chapitre dudit Lisieux, & par le sieur de la Bastie doyen de ladite église, par leurs requêtes des 29 Janvier & 4 Février 1745, ensemble de la déclaration faite par lesdits sieurs archidiacres, par leur requête du 23 Février 1743, en conséquence, avons maintenu & gardé, & maintenons & gardons ledit sieur evêque au droit & possession de la pleine & entière jurisdiction, visite & correction sur toute l'etendue de la ville & banlieue de Lisieux, & sur les maisons & territoires dépendans des prébendes desdits du chapitre, & généralement sur tout le peuple & clergé du diocèse de Lisieux. Faisons défenses, tant auxdits du chapitre qu'audit sieur de la Bastie doyen, en sadite qualité de doyen, de l'y troubler; sans préjudice neanmoins audit sieur doyen & à ses successeurs, de pouvoir visiter par lui-même, ou de faire visiter par un ecclésiastique par lui commis, & agréé par ledit sieur évêque, les églises de la ville & banlieue de Lisieux, & celle de saint Germain-de-Livet, ainsi & en la manière que les sieurs archidiacres visitent celles du reste du diocèse, le*

A *tout sous l'autorité dudit sieur évêque de Lisieux; & à la charge par ledit sieur doyen ou ecclésiastique par lui commis, de rapporter au secrétariat de l'evêche les procès verbaux desdites visites, un mois après qu'elles seront achevées, conformément à l'article XIV de l'edit de 1695, & sans que l'exercice dudit droit par le doyen, puisse empêcher ledit sieur evêque de faire par lui-même, ou en cas de négligence dudit doyen, de faire faire par tel ecclésiastique qu'il voudra nommer, les visites desdites paroisses, & sauf les autres droits utiles ou honorifiques qui peuvent appartenir audit sieur doyen dans lesdites paroisses, si aucuns y a; tous dépens entre les parties compensés. Fait & arrêté en l'assemblée desdits sieurs Commissaires généraux du Conseil, tenue à Paris, le douzième jour du mois de mars, l'an de grace mil sept cent quarante-einq. Collationné.* B

Signé THURIN.

XXII.

Donationes factæ parthenoni Villariensi.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex. Universis præsentes literas inspecturis salutem. Notum facimus nos quamdam antiquam cartam non sigillatam ex parte abbatissæ & conventus monasterii Villaris nobis exhibitam vidisse & inspexisse, formam quæ sequitur continentem. 1035.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Robertus divina auctoritate Normannorum dux & rector, omnibus Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris notum esse volumus, qualiter divinæ auctoritatis C instinctu locum sanctæ Mariæ Dei genitricis & perpetuæ virginis, qui dicitur monasterium Villare, nostrorum petitionibus fidelium consentiendo decrevimus ordinare, & ad pristinæ facultatis amplitudinem de qua jam peccatis exigentibus ceciderat elevare. Audivimus enim a sapientibus historiarum memorias recitantibus supradictum locum sancto Philiberto a Vuaratone duce esse concessum, eo rationis tenore ut illic in honore sanctæ Mariæ monasterium construeret & virgines sub regulari disciplina Domino militaturas & multis terrarum possessionibus beneficiatas ordinaret, tantam vero loci auctoritatem frequenter audiendo ædificationem viri sanctissimi cum oblationibus fidelium perditum iri, & sanctarum virginum conversationem manu prædatoria violentorum adnullatam esse D doluimus, & ablata restaurare & restaurata firmare defensionis vi auctorisare statuimus. Hoc vero ut disposuimus omnibus nostris fidelibus consentientibus, & maxime quadam amita mea nomine Beatrice id agente & studente, quæ postea habitu mutato Domino illic militare elegit, præsentis cartæ privilegio confirmamus, ut sine contradictionis molestia ea quæ infra memorantur vel a me, vel a patre meo comite Ricardo dedita sive concessa supradicto monasterio perpetualiter serviant. Imprimis eamdem sanctæ Mariæ ecclesiam cum aliis subtus scriptis ecclesiis ab omni episcopali consuetudine absolutam, immunem & omnino liberam constituimus in omni tenetura, sicut tenet Fiscannensis ecclesia. Quod donatione, voluntate & concessione domini Roberti Rotomagensis archiepiscopi constituitur & confirmatur. Hæ sunt E aliæ ecclesiæ quietæ, ecclesia de Sancta-Cruce, ecclesia S. Germani, ecclesia *de Herosfluet*, ecclesia de Rorivilla, ecclesia Octavilla, ecclesia Espovilla, ecclesia Petitonvilla, ecclesia *de Sanwic*, ecclesia de Guttavilla, ecclesia *de Vuashuic*, ecclesia de Rotuelle, ecclesia *de Mancire*, cum terra sacerdotali, in eadem villa monasterii Villaris suburbium totum cum teloneo & cum omnibus consuetudinibus, & portus *de Herosfluet*, cum teloneo & sedibus navium cum sanguine & licentia Denam, Sigesfridivilla in Oismeis la Haya *de Teilled* medietatem terræ *de Luisourez* cum medietate ecclesiæ necnon & molendini sylvæque & prata, terras cujusdam Ansgoti *le Maisnil* Galchiæ de

Comitevilla & ecclesiam *de Guasvic*, & ecclesiam de Stabelvilla. In terra Alberici V hospites, in *Carolo Mesnil* quatuor & dimidium. In *Mesnil* Richardi III hospites & dimidium & tres bordarios. In *Rodulflot* XIII hospites & tres bordarios & terram ad unam carrucam, & ecclesiam cum terra sacerdotali. In *Herosfluet* ecclesiam Sancti Martini, & capellam S. Albini cum terra & VIII bordarios. In Vuiuridivilla IIII hospites. In Radevuella tres hospites & sex bordarios, & ecclesiam cum terra sacerdotali. In *Daniel Mesnil* sex hospites. In Fredivilla quinque hospites. In Beatavilla septem & dimidium, & unum bordarium. In Olbevilla XIIII hospites & unum bordarium. In Petitunvilla XVI hospites & dimidium & tres bord. & ecclesiam secus Viuridevillam viginti sex agros. In Rorevilla viginti unum hospites & 18 bordarios, & ecclesiam 2 hospites ad Coldetrum. In villa *del Manoir* ecclesiam S. Martini immunem ab omni episcopali consuetudine, ecclesiam S. Martini de Octovilla cum terra sacerdotali, & ecclesiam S. Dionysii de Espovilla, in Rorivilla quatuor molendinos, ad Espovilla unum, in monasterio Villari duo, Saline sexdecim viginti & octo agros de pratis, omnem vero decimam totius suburbii ejusdem loci, & quæ in circuitu villarum habentur, ecclesiam quoque Guitisvillæ in honore sancti Samsonis constructam, & ecclesiam *Sancturic* super mare sitam. In villa autem quæ vulgo *Beccherel* appellatur tres quarterios vineæ supra Sequanam sitæ, medietatem quoque vini quod est Asselini ejusdem villæ, in vadine tredecim arpenta vineæ. In Rotomago ecclesiam sancti Pauli cum aliis quæ pertinent, omnia ad usus suos in silva Juliæ-bonæ dedit Ricardus comes. Hæc omnia ut diximus nostræ concessionis jure ad locum memoratum pertineant, & ne quis hanc donationem delere præsumat, hoc inscriptionis privilegium sub ecclesiæ testimonio confirmamus, & annuli nostri impressione roboramus, neve in eodem loco alterius sexus ordo habeatur præter suprascripti, quod si inimico humani generis instigante, status sanctæ regulæ depravatus, quod absit, aliquando defecerit, eodem sexu eodemque ordine reparetur, aliter ne fiat nostra authoritate sub horum præsentia ac subscriptione anathemate feriatur æternæ damnationis, testium patrui mei videlicet Roberti archiepiscopi, Hugonis quoque Eboracensis, alteriusque Hugonis episcopi Abrincacensis, Herberti Luxoviensis episcopi, Johannis etiam Fiscannensis abbatis, Gradulphi abbatis Fontinollensis, comitis Balduini, Engelramni comitis, Osberni, Nigelli vicecomitis & Gosselini vicecomitis & Ricardi, cæterorumque nobilium facta est hæc privilegii auctoritas, Fiscanni in conventu celebri idus Januarii octavo, anno regni nostri quarto, quo Hierusalem petiturus, ibi licentiam eundi a Domino & sanctis ejus petii anno ab Incarnatione Domini millesimo tricesimo quinto regnante Francorum rege Henrico anno quarto indictione quarta.

Hæc vero postscripta dono Richardi atque Roberti comitis ad memoratum locum pertinent. Quæ autem sequuntur a victoriosissimo rege Anglorum, invictissimoque duce Normannorum Guillelmo data, sive ab abbatissis, seu a monialibus tempore suæ conversationis eo permittente sunt concessa. Emit vero abbatissa Beatrix a conjuge Vualterii, quæ dicitur Lescelina, annuentibus filiis suis Guillelmo, Roberto & Gilberto partem terræ, quam habebat in villa, quæ dicitur Helnis, sub testimonio quidem suorum & nostrorum hominum, quorum nomina hæc sunt, Robertus capellanus, Ansgotus & Raynaldus & alii plures, & hoc siquidem auctoritate & licentia comitis actum est. Emit eadem abbatissa Calvelvillam centum libras a Normanno *de Larbelliere*, concedente Hugone *de la Ferté* & Hugone *de Gornay* & Varnerio suo consanguineo, sub testimonio Guillelmi comitis de Archis, & Hugonis Luxoviensis episcopi aliorumque plurimorum, videlicet Osberni, Guillelmi eadem beneficia tenentium. Emit adhuc universam terram Anschilli, filii Ansgerii, quæ est in hac parte Sequanæ a comite, sub testimonio Guillelmi *d'Eu*, & Rodulphi *Tesson*. Vuimardis Anfredi senescalli conjux, loco sanctæ Mariæ dedicata sub horum testimonio scilicet Roberti, Hugonis Luxoviensis episcopi, Johannis abbatis, Gilleberti, Crispini, annuente Guillelmo comite & faventibus suis filiis, beneficium quod dicitur *Eschetot* largita est. Notum sit omnibus concessisse Hadvidem sanctæ Mariæ cœnobio medietatem terræ de hoc, ecclesiamque cum decima dum præsens seculum desereret, Deoque dicata extremum vitæ suæ in ejus famulatu exercere cuperet. Firmatur autem hæc concessio favente filiorum auctoritate, videlicet Hugonis, Bernardi atque Roberti, roboratur insuper subscriptis testium nominibus, Osmundi *Basset* ac fratrum suorum Guillelmi de Luiforeis, Roberti atque Fuscilini, Raynaldique *de Nonant*. Si quis vero id detraxerit, anathematis feriatur jaculo, quia secundum antiquorum patrum præcepta de beneficiis ecclesiarum caritas vidisse recolimus. Conventionem Adele Flandrensis comitissæ & abbatissæ Elisabet de Villari-monasterio, quasi prælibando subnotare disponimus. Nam cum prædicta comitissa annis vergentibus vitam debilem adeo in ævum protenderet, ut suimet & cunctæ familiæ gubernationem postponeret, sanctæ Mariæ de monasterio Villari villam *Magneville*, quam in prædium sibi emerat, ea conditione attribuit, ut quamdiu viveret a beneficiis tractaretur ejusdem cœnobii, quod cum auribus comitis insonaret, jussit ut abbatissa sibi emeret centum libras & comitissæ impenderet, quas ea gratia illi attribuit, ut in perpetuum terra sit ejusdem cœnobii; quin etiam si de rebus ejusmodi a comite concessis aliquis S. Genitrici vim intulerit, a fidelibus sanctæ ecclesiæ se excommunicatum noverit, annuente Guillelmo comite cum Mathilda conjuge & filio ejus Roberto comite, Rogerio comite de Montegomerico. Guillelmo Osberni filio, Ricardo Turstini filio, Rodulpho de Conchis Rogeri filio cum aliis quampluribus. Guillelmus nutu Dei comes Normannorum nimia deprecatione abbatissæ accepto calice aureo Villarensis ecclesiæ ad victum monialium addidit medietatem octo ecclesiarum Giriacensis insulæ, videlicet ecclesiæ S. Clementis, sanctique Martini Vetuli, & alterius ecclesiæ sancti Martini, & sancti Heleri, & sancti Petri, & sancti Broladrii, & sancti Audoëni, sanctæque Dei genitricis Mariæ, sub testimonio conjugis suæ Matildæ, necnon & Rogerii de Montegomerico, & Guillelmi Osberni filii & Radulphi camerarii. Elizabet abbatissa emit ecclesias Juliæ-bonæ cum decima annonæ & telonei, quæ omnia tenet Raynaldus capellanus de eadem abbatia, excepto dimidiam decimam telonei, quam in proprietate retinuit a Guillelmo Normannorum comite. Habebat etiam locus S. Mariæ decimam bestiarum silvæ Juliæ-bonæ dono Richardi comitis, ipse idem Guillelmus comes dedit sanctæ Mariæ cœnobii Villarensis decimam nemorum vicecomitatus Fiscanni, teste Rogerio de Montegomerico, & decimam silvestrium bestiarum sive leonum, annuente filio suo Roberto & conjuge coram baronibus suis. Terram quam Herfridus in Thumelhinvilla tenebat, emit abbatissa a Guillelmo d'*Eu*, favente illo Herfrido, teste Odone Hugonis filio, Bernardo presbytero atque Roberto permittente comite. Ecclesiam sanctæ Mariæ de Fiscannensi silva, quæ cognomento juxta vocatur, dedit Guillelmus comes Reginæ virginum, testificante Rogerio de Montegomerico, pluribusque aliis, Roberto, Ruffo, atque Roberto presbytero. Item præfatus comes divino instinctu tactus, huic ecclesiæ ad usus sanctimonialium de reditibus præpositurae Cadomi per singulos annos centum dedit solidos, teste Rogerio de Montegomerico, & Osberni filio Guillelmo multisque aliis.

Ego soror Clera filia Valterii, consanguinea regis Guillelmi totam terram quam habeo in Vauterio do ecclesiæ Genitricis Dei Villarensis monasterii, eodem rege annuente, in qua sub regulari jugo militaturam me ipsam voveo. Ego soror Adeleia do terram de Bellomonte, quæ mea probatur esse jure hereditario, favente viro meo Giraldo *Bofloy*, ecclesiæ Villarensis monasterii, ubi votum habeo converti, & hoc per manum comitis Normannorum Guillelmi, cujus est hoc signum ✠, testibus his Guillelmo filio Osberni, Guillelmo *Maleth*. Radulfus dedit terram de Witrevilla cum filia sua Rohaide sanctæ Mariæ, concedente Normannorum duce & filio ejus Roberto, testimonio suorum militum nostrorumque videlicet Roberti, Rufi, Gisleberti, Raynaldi; & illam portionem quam illic habebat frater ejus Gofredus, dedit Rogerius de Montegomerico dono sanctæ Mariæ, annuente comite, sub testimonio Roberti filii Jeroldi, episcopi etiam Luxoviensis Hugonis. Ecclesiam vero cum decima de Pulchrafovea dedit Radulfus Gyphardus favente filio suo Guillelmo *Runce*, teste Normanno *Tenar.* Raynaldo milite & Roberto capellano, insuper etiam comite Ebroicensi annuente, cum XII acris terræ quam abbatissa emit de proprio ecclesiæ, Bencellina vero Radulphi Giffardi uxor, cum monachilem vitam sumpsit, ecclesiæ Dei suæque castissimæ matri Mariæ quidquid in Salomonis villa habebat, sive in ecclesiis, sive in decimis, seu in pratis, vel in aquis æterno jure sancivit, & in villa quæ dicitur *Cheveron* concessione Gauffredi filii sui quidquid tenebat tradidit. Raynaldus autem *de Gratepance* contra Bencellinam tantumdem terræ tenuit in illis duabus supradictis villis, quantum sanctæ Mariæ præbuit, cum filiam suam regulari jugo commisit. Abbatissa igitur centum acras terræ emit de proprio suo in villa quæ dicitur *Fontenes*, ad opus ecclesiæ sanctæ Mariæ. Ipsa eadem Bencellina dedit huic ecclesiæ medietatem unius molendini apud *Angon*, teste Rogerio viro suo, & Radulpho ejusdem filio, necnon Roberto prædicti castri comite. Robertus *de Moias* precatu suæ matris dedit sanctæ Mariæ terram quam tenebat Anfredus *Anrouret*, teste Raynaldo telonario ac Riculfo *Graverme*. Hugo *de Grantemesnil* IV acras prati concessit sanctæ Mariæ, *Ancenelley* . . . . . pro sororibus suis. Robertus de Insula cum uxore, & filiis Radulpho & Roberto concedit decimam Magnævillæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Villarum, pro Adeleia filia sua, annuente rege Guillelmo cum uxore Matilda, & filiis Roberto & Guillelmo. Wascha Uhasta filia Raimerii, annuente fratre suo Hilduino, dedit sanctæ Mariæ de monasterio Villari pro anima sua, & quia ibi monacha facta est quinque arpennos vineæ in Longavilla & carrucaturam terræ, concedente rege Guillelmo, cujus signum est hoc ✠, sub testimonio horum Hugonis Pincernæ regis, de cujus feudo erant terra & vinea, quæ omnia concessit Hugo prædictæ ecclesiæ, annuente Raynaldo regis capellano & Raynaldo de monasterio Villarensi & Alunedo, & Gilleberto *de Ceveron*, & Guillelmo nepote ejusdem Hugonis, & Vuimondo *Gaillard.* A Beviredan unum molendinum cum terra molendinarii dedit Tetbaldus pro filia sua Advenia, receptis quindecim libris denariorum de abbatissa Elisabeth. Dedit etiam Robertus de Espofvilla filius ejusdem Tetbaldi, sanctæ Mariæ decimam de Albunvilla pro filia sua Rohaide, annuente Valterio Giffardo, coram his testibus videlicet, Guillelmo *Talbot*, Waltero Alberici filio, Roberto de Novilla. Ego Haduidis filia Nicolai de Baschelvilla, uxor Hugonis *de Varhan* filii Griponis, do laude, consilio & consensu sponsi mei manerium Waldunæ ecclesiæ sanctæ Mariæ Villarensis monasterii pro salute animæ meæ & sponsi mei, amicorumque meorum, annuente magno rege Guillelmo, coram baronibus suis, videlicet Odone Bajocensi episcopo & comite Rogerio de Montegomerico, Waltero, Giffardo, Guillelmo de Varenna & Gaufrido Martello, fratre supradicti Hugonis, & Gilleberto Chalvello, & Roberto de Novilla aliisque quampluribus. Ego Guillelmus dux Normannorum & rex Anglorum concedo monasterio beatissimæ Dei genitricis Mariæ ea quæ pater meus dux Robertus concessit, & ea quæ ipse ducatus sui tempore, vel alii contulerunt, vel abbatissæ emerunt, & manu propria firmo sub testimonio istorum Roberti filii mei atque Guillelmi, Johannis archiepiscopi, Rogerii de Bellomonte, Michaelis episcopi, Vitalis abbatis *de Bernay*, Osberni, Fulconis de Alno, Rogerii vicecomitis, Roberti vicecomitis ✠. Annulus Guillelmi ducis Normannorum, regis Anglorum ✠ ✠ ✠ signum Michaelis episcopi. Est hoc signum Guillelmi filii regis ✠, signum Raignaldi *d'Alnou* ✠, signum Ansberti senescalli ✠, cujus visionis & inspectionis, eorum quæ legi potuerunt & sciri testimonium præsentibus literis nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisiis decima quarta die Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo quarto.

XXIII.

Bulla Urbani III pro Lucerna.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Angoto abbati sanctæ Trinitatis de Lucerna, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter sustinendis in perpetuam memoriam. 1186.
Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri ut & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus & præfatam ecclesiam sanctæ Trinitatis de Lucerna, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensium fratrum in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste & canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Johannis de Castro-Willelmi cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Rochella cum pertinentiis suis, ecclesiam *de Campeaux*, ecclesiam de Angeio, ecclesiam *de Monviron*, ecclesiam de Sulligneio, duas garbas decimarum de terra Allani militis in parochia sancti Petri, totum manerium quod habetis apud Crolum cum pertinentiis suis, totam terram quam habetis apud Lucernam cum molendino & nemore, totam terram quam habetis apud Abrincas cum vineis & torcularibus, terram quam habetis apud Sublineium & Nigram-Paludem, & apud Landam & apud Rosigneium, terram Osberni dapiferi apud Marceium cum dimidia acra terræ quæ fuit *Juclin*, terram quæ fuit Willelmi filii Emmæ & prata quæ ibi habetis, decimas omnium molendinorum Alani de S. Petro, decimam molendini Henrici de S. Petro, decimam molendini de Caranceio, sextam partem molendini de Nigra-Palude, vineas & terram & piscariam quas habetis apud S. Johannem, terram & prata quæ habetis apud S. Ligerium, tertiam partem molendini cum terra quam habetis apud Cambas, præbendas decedentium canonicorum Abrincensium per annum sicut cartæ inde factæ testantur, dimidiam partem decimarum totius parochiæ *Domville*, duas garbas decimarum de toto feodo

Willelmi de Sancto-Johanne apud Grimovillam, in Constantiensi episcopatu ecclesiam sanctæ Mariæ de Tourvilla cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Georgii *de Raiz* cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Martini *de Tribehou* cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Petri de Mesnileio *Guildouin*, decem acras terræ apud Tsinanvillam, ex donatione R. de Altevilla; apud Cambas, duas masuras terræ de donatione G. de Cantepia; apud Clincampum, unam masuram ex donatione Dionysii; apud Angeium in feudo Gaufridi de Bosco, decem solidos Andegavenses, ex donatione R. filii Radulphi & Philippæ uxoris suæ; apud Abrincas, unam acram vineæ cum pressorio in Messiomore de dono Willelmi Abrincensis archidiaconi; apud Moncatum, septem quarteria frumenti in masura R. de Pratis, cum una acra terræ *au doit Wasine*, septem quarteria frumenti apud Grimovillam in masura Radulphi de Monasterio cum una acra terræ & quinque perticis ad magnam Crucem, ex donatione W. de S. Johanne & G. uxoris suæ, unum quarterium siliginis in decima Dominici Rogerii de S. Georgio, ex dono ipsius R. apud Curvam-fossam, decimam totius nemoris ejusdem loci, sive in pascuis, sive in venditione lignorum cum quadam parte nemoris in Dominico sicut divisæ demonstrant; apud Grippum decimas omnium redituum ad idem castrum pertinentium, cum decima feriæ ejusdem villæ, ex dono Asculfi de Suligneio; apud Viriam, unum quarterium frumenti in masura Regeri de campis extra portam, ex dono Albini; in terra Ogeri de Nuilleio, unam minam frumenti de dono *Geldoin Cati*; apud Dragouillam, unum quarterium frumenti in masura *Penerel*, de dono Roberti de Perseio; apud Rochellam, septem quarteria frumenti, ex dono Roberti *Heriz* & Rogeri filii sui post decem prima reddenda vobis apud montem Aquilam, unam acram terræ de dono Malesonti & fratrum suorum; apud Crolum, tres solidos Cenomanenses de dono Willelmi de Magneio, quos & annuatim reddere solebatis; apud Canceium, tria quarteria frumenti de terra quam solet tenere G. Mandarius in Manerio sancti Nicolai; in bosco Rogeri, unam minam frumenti de dono Willelmi de Albigneio comitis; apud *Fornes*, duo quarteria frumenti in masura Johannis filii Arnulphi de Rua, & in masura Richardi Israel, de dono Radulphi de *Fornes*, apud sanctam Trinitatem de nemore, duas masuras terræ; ex dono T. Sancti-Pancratii & H. filii sui apud Novam-villam, duos campos terræ, campum Marinum & campum Castellensem, ex dono Bertrandi & Philippi filii sui; apud Longam-Villam, tres acras terræ, ex dono R. de Sancto-Leodegario; apud Nigram-Paludem, totam moutam de terra *Pellevilain*, ex dono ejusdem R. filii sui; apud Grimovillam, unam acram terræ, ex dono Alani; apud Torvillam, unam masuram trium acrarum & dimidiam virgatam de dono Willelmi de Sancto-Johanne; apud Heenvillam, decimam feriæ ejusdem villæ & piscariæ; apud Torvillam, totum dominium suum de inter duas valles; apud Sanctum-Loct, unam minam frumenti, ex dono Jordanis de Sancta-Villa in molendino suo; apud Mortuam-Feminam, totum feudum Gaufridi *Maugier*, ex dono Willelmi de Angervilla & B. uxoris suæ; apud Cortis, decimam salis totius reditus Radulphi de Fulgeriis, de dono ejusdem; apud Meurdracheriam decimam molendini ex dono Roberti *Murdrac*; ex dono Hugonis de Sancto-Dionysio, tria quarteria frumenti in molendino ejusdem villæ; apud Grimovillam, duas garbas decimarum totius terræ Willelmi de Sancto-Johanne; in eadem villa, ex dono ejusdem, apud *Tribeho*, masuram Willelmi Vassalli cum duabus acris terræ & unam piscariam adveiulam & duas garbas decimæ totius feudi sui apud *Tribou*, de dono Ambrosii; apud Romeiam, duas garbas decimarum totius dominii Willelmi & T. de

A Piris & G. uxoris suæ; juxta Lucernam collem abbatiæ Lucernæ imminentem, ex dono Roberti abbatis de monte Sancti-Michaelis, compositionem quoque inter vos & monachos montis Sancti-Michaelis de periculo maris super ecclesia de sancto Johanne & aliis tenementis vestris habitam, sicut sine pravitate facta est, & ab utraque parte recepta atque in instrumento publico facto exinde continetur auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos a sæculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. In parochialibus autem B ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres de canonicis vestris ponere, quorum unum diœcesano episcopo præsentetis, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus & de ordinis observantia debeant respondere. Prohibemus insuper ne aliquis infra fines parochiarum vestrarum sine diœcesani episcopi & vestro assensu de novo ecclesiam vel oratorium ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis Romanæ ecclesiæ. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Ad hæc auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis archiepiscopus vel episcopus aut eorum officialis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam sine manifesta & rationabili causa C audeat promulgare, aut in vos vel ecclesias vestras novas, aut indebitas exactiones imponere. Sepulturam præterea ecclesiæ vestræ liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem & beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes; auctoritate apostolica D prohibemus ne aliquis infra fines locorum seu Grangiarum vestrarum violentiam vel rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, hominem capere vel interficere audeat. Prohibemus etiam ne alicui fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Libertates vero & immunitates, & rationabiles consuetudines, & dignitates in ecclesia vestra hactenus observatas, ratas habemus, easque perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Prohibemus etiam ne beneficium ecclesiæ vestræ collatum personaliter alicui, sine abbatis & capituli licentia conferatur. Decernimus ergo ut nulli omnino E hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate & diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris

nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen. Ego Urbanus catholicæ ecclesiæ episcopus, ego Chunradus Sabinensis episcopus & Mogontinensis archiepiscopus, ego Theodericus Portuensis sanctæ Rufinæ sedis episcopus, ego Henricus Albanensis episcopus, ego Theobaldus Hostiensis & Velligerencis episcopus, ego Johannes presbyter card. tit. sancti Marci, ego Pandulphus presbyter card. tit. duodecim Apostolorum, ego Albinus presbyter card. tit. sanctæ Crucis in Jerusalem, ego Melior presbyter card. sanctorum Johannis & Pauli, tit. Pagmachii, ego Adelardus tit. sancti Marcelli presbyter card. ego Ardino diaconus card. sancti Theodori, ego Gratianus sanctorum Cosmæ & Damiani diac. card. ego Soffredus S. Mariæ in via lata diac. card. ego Rollandus sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ego Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ego Radulphus sancti Georgii ad Velum-aureum diac. card. Datum Verone per manum Transinundi sanctæ Romanæ ecclesiæ notarii III idus Januarii, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ anno M. C. LXXXVI, pontificatus vero domni Urbani papæ III anno primo.

Ex cartulario Lucernensi.

XXIV.

Charta hæc ad Fontanetum spectans, at mutilata col. 96 & seqq. hic integra datur.

1217. UNIVERSIS Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus filius Erneisi, nepos Radulfi Taxonis, filii Jordani Taxonis, perpetuam in Domino salutem & pacem. Noveritis quod cum mota esset controversia & diu fuisset ventilata coram venerabili patre nostro Roberto de Ablegiis Bajocensi episcopo, tanquam judice ordinario, inter me ex parte una, & abbatem Alexandrum & monachos de Fontaneto ex parte altera, super decimis quorumdam nemorum meorum, quæ non sunt in cartis antecessorum meorum nominatim expressa, & super rebus aliis, tandem mediante Dei gratia, quæ mentes hominum mutat quando vult & quomodo vult, adhibito etiam amicorum meorum & aliorum prudentum virorum consilio; tota contrarietas illa hunc finem sortita est, videlicet quod ego Robertus concedo prædictis monachis bona fide & confirmo quidquid continetur in charta, quam habent de antecessore meo bonæ memoriæ Roberto filio Erneisi secundo, quæ crucibus est signata secundum antiquam consuetudinem, & habet hunc tenorem: Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ Catholicis filiis de salute animæ suæ sollicitis expedit ad ablutionem peccatorum suorum & emendationem vitæ, loca sancta venerari, & eleemosynis operam dare, ut per temporalia bona quæ sibi subtrahunt, promereantur gaudia æterna quæ nunquam deficiunt. Felici enim commercio ditatur, cui pro terrenis cœlestia, pro perituris sine fine mansura restituuntur. Hujus rei veritate cognita, ego Robertus filius Erneisi, filii Radulphi Andegavensis & Alpaidis, & filius Hacvisæ sororis antiqui Fulconis *de Alnou*, & nepos Radulfi Taxonis, qui fuit frater patris mei Erneisi, & filius Radulfi Andegavensis & Alpaidis, concedo huic ecclesiæ S. Stephani protomartyris, quam fundavit idem patruus meus in territorio Fontanetensi, unum molendinum Coisellarium juxta ædificia ecclesiastica, quod Robertus pater meus ad victum unius monachi dedit huic ipsi ecclesiæ & monachis tunc temporis ibidem præsentibus & futuris, in die qua societatem illorum recepit. In ea quoque die statuit & confirmavit, quod ubicumque moreretur, ad istam ecclesiam afferretur & sepeliretur. Fecit autem eleemosynam istam pro salute animæ suæ & animæ uxoris suæ Hacvisæ matris meæ & pro animabus omnium parentum suorum, antecessorum videlicet & successorum. Eodem vero patre meo in Anglia occiso, & sicut pepigerat, jussu Willermi regis & executione Radulfi filii Erneisi patrui mei inde allato, atque in cimiterio illius ecclesiæ sepulto, necnon etiam & prædicto Erneisio avo meo qui antea mortuus fuerat a cimiterio S. Martini sublato, & in loco isto juxta patrem meum honorifice posito, consilio & nutu prædicti Villermi regis, & Mathildis reginæ, & etiam optimatum, atque prudentum hominum patris mei, præscripta Hacvisa mater mea, & jam dictus Radulfus filius Erneisi patruus meus dederunt huic ecclesiæ S. Stephani protomartyris quindecim acras terræ in hoc Fontanetensi territorio, & medietatem ecclesiarum Fontanetensium; ecclesiæ scilicet S. Martini & ecclesiæ S. Andreæ, atque decimas & omnes consuetudines eisdem medietatibus ecclesiarum pertinentes, decimamque vineæ & pomerii atque vitulorum & & porcellorum agnorumque & caseorum ac lanæ. Dederunt quoque decimam molendini, quod in Olna situm est, & illius molendini Coisellarii, quod ad orientalem partem hujus abbatiæ est positum, atque decimam piscium. Adhuc autem dederunt omnem decimam cunctarum redditionum partis meæ Cingalensis sylvæ; hoc est totius census forestæ, & denariorum & porcorum, pasnagii atque avenæ, arietumque & gallinarum, atque tantum lignorum, quantum duo asini quotidie inde afferre possent, ad appreciandum pisces ad opem Monachorum, sive ad quod eis placeret faciendum. Et si qua inveniri possent in eadem silva ædificiis Monachorum necessaria & congrua, concessum est ab illis ut hoc manifestato domino silvæ caperentur libere & licite. Et si placeret alicui heredum patris mei quod constitueret in eadem silva vaccarias, aut equarias, vel porcarias, seu caprareas, sive ovilia, dederunt similiter omnes decimas fructuum & aliorum reddituum. Aut si eadem silva quandoque redigeretur in planum, & hospitarentur ibidem villani, vel bordarii, sive alicujusmodi homines, concesserunt huic ecclesiæ omnes decimas eorum, & alias ecclesiasticas consuetudines, atque statuerunt, ut ipsi homines apponerentur ecclesiæ illi, cui placeret monachis. Decimam vero equariæ quæ erat apud Cidernaium dederunt ratione simili. In Toircio autem dederunt decimam telonei foriæ & mercati, atque denariorum censuum hominum suorum, & decimam molendini *de Betdaniel*. In Culeio quoque dederunt decimam duarum mansurarum terræ. Hoc est mansuræ Roberti Capreoli & mansuræ Gervasii. Quin etiam dederunt medietatem ecclesiæ de Cleceio, quæ pertinebat ad hereditatem patris mei, atque omnes decimas & consuetudines ad eam pertinentes, triginta quoque acras terræ in eleemosynam, & decimam molendini quod est in Olmo, atque molendini Coisellarii, quod est in villa, & decimam telonei. Certitudinem firmamque veritatem donationis molendini, quod dedit pater meus, & omnium eleemosynarum istarum, quæ pro ipso & omnibus parentibus meis factæ sunt, sicut prædictæ sunt, comprobavi ego Robertus filius Roberti, filii Erneisi, testimonio & assertione Hacvisæ matris meæ, atque Radulfi patrui mei, filii Erneisi, hominumque meorum mihi fidelium quorum nomina hæc sunt. Robertus filius Rogerii filii Sarlonis *Cornart* de Cleceio, & Robertus *Cornart* filius ejus, Willelmus *Bruolt* de Cueleio, *Halebost* de Fontibus, Cheisnellus de Fontaneto. Ipsi quoque testificati sunt hæc omnia facta fuisse consilio & nutu Willermi regis & Mathildis reginæ. Proinde quia non est de illorum fide dubitandum, ego Robertus qui possessiones paternas hereditario jure possideo, & Gersendis uxor mea, filia Roberti Marmionis, ista omnia quæ prædicta sunt firmiter concedimus, irrevocabiliter confirmamus, atque concedendo &

confirmando perpetua stabilitate munimus. Adjicimus quoque benefacere huic ecclesiæ, atque damus ei pro salute animarum nostrarum & omnium parentum nostrorum, mansuras duorum rusticorum liberas & quietas ab omnibus serviciis & consuetudinibus, atque gersinnis & aliis querelis: mansuram scilicet Rogerii & mansuram Grentonis. Horum mansiones sitæ sunt ad dexteram partem viæ quæ descendit in Olnam, & ad septentrionalem partem hujus ecclesiæ sunt positæ. Terram vero quam Goicelinus forestarius concedente Sarlone filio suo pro salute animæ suæ & animæ uxoris suæ dedit huic loco, & nos concedimus, & immunem & quietam ab omnibus serviciis & aliis exactionibus facimus. Dedit enim omnem terram quam habebat in hac Fontanetensi valle inter molendinum meum & pomerium hujus abbatiæ. Simili ratione concedimus unam acram terræ, quam dedit huic ecclesiæ Ansgotus, filius Goisfredi pro salute animæ suæ & animæ Orieldis uxoris suæ. Adhuc etiam damus & concedimus, sicut ea quæ supra ecclesiam de Ciderneio cum omnibus decimis & consuetudinibus suis & decem acras terræ in eleemosynam decimamque molendini. Hoc eodem modo tribuimus ecclesiam S. Mariæ *de Cueleit* & omnes decimas atque consuetudines illius, & omnem terram Roberti sacerdotis, filii Hugonis presbyteri, terramque ipsam facimus liberam & quietam ab omnibus serviciis & consuetudinibus atque gersinnis & aliis querelis. Hoc vero facimus deprecante & consulente Radulfo filio Erneisi patruo meo, qui aviam meam, matrem suam Hacvisam, sororem Fulconis *de Alnon* a cimiterio ecclesiæ *de Cueleit*, in quo sepulta fuerat, sublatam ad abbatiam istam afferri, & juxta Erneisum avum meum fecit sepeliri. Adhuc autem donamus huic ecclesiæ dimidiam ecclesiam S. Medardi, & quidquid ad eam pertinet. Insuper damus & concedimus huic ipsi abbatiæ omnes episcopales consuetudines ecclesiarum quæ de feudo meo sunt, quas consuetudines tenuerunt in feudum antecessores mei a Bajocensibus episcopis, & ego teneo. De omnibus vero rebus, quas nos & heredes nostri adquisituri sumus in terris, vel aquis, sive forestis, damus ecclesias & eleemosynas omnesque decimas. Quicumque vero de hominibus nostris voluerit aliquid de possessionibus suis dare, aut vendere, vel in vadimonium ponere, auctoritate nostra faciat hoc libere & licite, nisi forte tanta fuerit res, quod postea non possit nobis servire. Quidquid vero illud fuerit, ab omnibus serviciis & aliis exactionibus quietum & absolutum sit quandiu in possessione abbatiæ fuerit. Hæc igitur omnia quæ prædicta sunt, ego Robertus & Gerlendis uxor mea, damus & concedimus libera & quieta, & ab omnibus querelis & exactionibus omnino absoluta, & etiam corroboramus subscriptione nostra, ne unquam retrahantur heredum nostrorum malevolentia. Ego Robertus, qui facio donationes istas, confirmo. Ego Gerlendis uxor ejus. Rogerius *Suhart*. Radulfus Traversus. Rogerius de Merlaio. Rogerius de Fontibus. Walterius de Caleto. Robertus de Mantevilla. Robertus *Cornart* de Cleceio. Hubertus de Rennalaso. Paganus de Monte-aureo. Robertus *de Credon*. Cheisnellus præpositus de Fontaneto. Ricardus canonicus Luxovii. Alanus de Plaxecio frater ejus. Willelmus filius Haleboldi. Hi omnes fuerunt de parte Roberti. Qui sequuntur, fuerunt de parte abbatis & monachorum sancti Stephani Fontaneti. Willelmus de Insulis. Goisfredus de Barbereo. Giraldus Carpentarius. Rainaldus de Monte. Ersastus *Conceus*. Hunfredus dapifer. Ascelinus de Molendinis. Alveredus filius Goisleni. Rogerius *Mordant*. Anchitillus de Almannia. Donatio vero & confirmatio chartæ hujus facta est in tempore venerandi Hugonis abbatis, qui cognominatus est Deodatus. Hic autem abbas secundus extitit in hac Fontanetensi ecclesia. Hanc chartam ego Robertus filius Erneisi, sextus a Roberto filio Erneisi primo, nepos Radulfi Taxonis, filii Jor-
A dani Taxonis, ratam habeo modis omnibus & acceptam, & insuper specifico omnia loca forestæ meæ quomodocumque nominentur, & maxime Olivetum, Fretnum, *Banqueteit* & Londam de Fontaneto, in quibus omnibus volo & concedo ut prædicti monachi habeant sine contradictione plenariam decimam omnium earum rerum, quæ ad manum domini possunt devenire. Volo etiam & concedo ut capiant in nemoribus illis lignamina ædificiis suis congrua si forte non potuerint infra silvam Cingalensem invenire æque bona. Concedo etiam eis equos pro asinis ad ligna quotidie deferenda & quindecim ligatas lignorum circa Natale Domini singulis, sicut longo eas tempore perceperunt. Præterea concedo eis & confirmo, quantum ad me spectat, capellam S. Georgii de Cueleio
B cum omni jure suo & pertinentiis suis, quam habent de donatione memorati Roberti, filii Erneisi secundi. Concedo etiam eis & confirmo medietatem capellæ S. Jacobi de Verreriis, quam habent de donatione Roberti filii Erneisi tertii, qui occisus fuit apud Andreium. Concedo etiam eis & confirmo quatuordecim acras terræ, quas dedit eis avus meus Robertus filius Erneisi quartus, pro anima ejusdem patris sui, quæ sitæ sunt apud Fontanetum in tostro, unde pars sita est infra Herbergagium *de Belveer*, & subtus culturam illam novem acras. Item dimidiam insulam Olnæ fluminis, & subucam Roberti fabri, & tres acras terræ in campo *Failli*, quos dedit eis idem avus meus pro anima matris suæ Adeliciæ. Concedo etiam eis & confirmo de donatione patris mei lau-
C dabilis memoriæ Roberti filii Erneisi quinti, in territorio de Barnevilla acram sancti Richerii & in territorio de Fontaneto tres acras terræ in via de Verreriis datas pro anima matris suæ Rohasiæ de Corceio. Item de donatione ejusdem patris mei in tertro de Fontaneto quinque acras, & supra viam de Icio duas datas quando Restondus factus est monachus. Item in Anglia de donatione ejusdem ecclesias *de Wellis* & *de Warham*, cum terris & decimis, & omnibus pertinentiis earum, & decimam totius dominii mei *de Hammgebi*. Item in Normannia ecclesiam S. Petri de Grinbosco, cum terra eleemosynata & decimis suis, & capellam S. Margaritæ *de Tosteval* cum terra ad eam pertinente. Item in territorio de Fontaneto quinque acras terræ, quæ sitæ sunt ad dexteram partem viæ, quæ ducit ad arborem de Icio quas memo-
D ratus pater meus eis moriens delegavit. Concedo etiam eis & confirmo de donatione Oliveri filii Erneisi in Anglia medietatem molendini *de Hasfoiff*. Concedo etiam eis & confirmo terram quam dedit eis Radulfus Traversus in territorio Fontanetensi, quando Ricardus *Campion* suscepit habitum monachalem. Concedo etiam eis & confirmo culturam decem acrarum, quæ sita est super ripam Olnæ fluminis, & in capite culturæ illius quatuor acras, & supra S. Andream quinque acras. Item ad crucem Mazelinæ septem virgatas terræ, unde tres virgatæ datæ fuerunt pro excambitione domus Walteri de Toreio. Item in Ronchereto acram unam de feodo Willelmi de Feugeriis. Item supra Bellum-montem in duabus pectiis septem acras terræ de donatione Willelmi de Villariis pro
E anima Willelmi filii Erneisi. Item subter Londam de feodo Gaufridi de Conbraio quinque virgatas terræ quas emit Ricardus *de Rourou* ad opus monachorum. Item in latere Londæ quinque virgatas. Item subter Londam tres acras terræ, quæ emptæ fuerunt & datæ pro morte Gocelini *Picot*. Item in angulo Londæ quinque virgatas. Item in capite culturæ Erchenaldi septem virgatas. Item in campo Harduini duas acras. Item in capite campi Herberti de feodo *Boet* tres virgatas. Item ibidem quinque virgatas datas pro anima Rogeri *Boet*. Item in via de Icio acram unam de feodo *Boet*. Item supra Londam sex acras terræ quæ datæ fuerunt pro anima filiæ Radulfi de Cambraio.

Item

Item ante portam *de Belveer* duas acras terræ datas pro anima Gilleberti de Alneto. Item ante *Belveer* quinque virgatas terræ datas pro anima Radulfi de Mesnillio. Item ad caligam prædictam de feodo Clarenbaudi de Merlaio quinque acras terræ, quas dedit eis Rogerius de Noerio. Item ad Fossata Erneisi quatuor acras terræ de feodo Willelmi de Villariis. Item in Perreto Guetæ tres acras terræ, & in Pantera *Soquerel* duas acras terræ. Ista omnia, sicut bene & rationabiliter donata sunt, & omnes possessiones, & eleemosynas monachorum de Fontaneto, quas habent de feodis meis, ubicumque sint, sive ex donatione, sive ex emptione, seu aliis quibuscumque rationabilibus modis, in ecclesiis & decimis, in hominibus & terris, in aquis & molendinis, & in bosco & plano, & rebus aliis, ego Robertus filius Erneisi sextus, nepos Radulfi Taxonis, filii Jordani Taxonis, concedo sæpe dictis monachis de Fontaneto, bona fide, & sine ulla cavillatione, & volo ut teneant & possideant bene & pacifice, honorifice & quiete, & ut hæc concessio mea rata & stabilis perseveret in posterum, ego eam præsentis scripti testimonio, & sigilli mei novi valitura in perpetuum appensione confirmo. Actum anno gratiæ M. CCXVII.

X X V.

Episcopus Abrincensis tenetur adire ecclesiam S. Gervasii antequam possessionem adipiscatur.

1370. *A TOUS ceulx qui ces lettres verront ou oiront, Johan Covillaut clerc, garde des sceaulx des obligations de la ville & vicomté d'Avranches, pour Monsieur le Roy de Navarre, SALUT. Comme il soit ainsi que dès long-temps a que contredit & empeschement, sur quoi procès d'effet & d'escors avoit été meu par entre homme sage & discrept Monsieur Robert Porte, par permission divine, évesque d'Avranches, d'une part; & Messire Henry Regnault escuyer, seigneur des Regnauldieres & de Romyre & sergeant héréditál des ressorts de Bretaingne, fils & seul héritier de feu Monsieur Sanson Regnault escuyer, capitaine de Baieulx, sieur des Regnauldieres & de Rochefort, & du manoir de sainct Gervese assis en la cité d'Avranches, fils de feu Messire Guillaume Regnault chevalier, sieur du Chasteau-Regnault & des Regnauldieres, de la Boussac & Espincac, & du Moutier, & de la Pignellaye au pays & duché de Bretaingne: & Pierre des Touches escuyer & Damoiselle Philippotte de Touchet jadis sa femme, fils de Pierre des Touches escuier, signeur en partie de la ville de Montmartin sur la mer, & de Damoiselle Johanne Regnault sa femme, appelée Dame Johanne des Touches, sœur dudit Henry Regnault escuier, présence de Monsieur Berthault le Gabellier rectour & vicaire de la chapelle de sainct Gervese, & de Perrot Lange clerc & servitour de ladite chapelle, & de Massé Onom & de Michelot Ozsane trésoriers, & de tous les parroissiens de ladite chapelle touls venus & assemblés d'autre part: & touls lesquels dessus dicts disoient, maintenoient & soubtenoient contre ledict sieur Porte évesque, que du contredict & empeschement pour lors & au temps qu'il avoit voulu prendre la possession & entrée de son éveschè, ainsi qu'il a esté montre par touls les dessus dicts par lours lettres & chartres & droicts de ladicte chapelle audict Porte evesque, qu'il estoit tenu & subget venir descendre de cheval à la porte de ladicte chapelle, & y descendre de dessus son mullet ou mulle sur lequel ledict sieur Evesque est monté acoustré de sa robe & saion & chausses, housses & carcaires ou digarts, comme la plus antique chapelle de long-temps, jadis fondée par Messires Gervese Regnault & Prothais Regnault chevaliers sous Judicael roi de Bretaingne, prédecessours dudict Henry Regnault escuier & de ladite Dame Johanne Regnault, appellée Dame Johanne des Touches, pour estre recen ledict Porte à faire sa réception pour prendre la possession de sondict évesché, & est tenu & subget ledict Porte evesque partir les pieds nus sortissant hors de ladicte chapelle dempuis icelle a venir jusques en l'église cathedrale Monsiour sainct Andrieu d'Avranches, où touls les prédecessours evesques d'Avranches ont de toult temps & toultiours mes accoustumé faire, ainsi que avoit faict Monsiour Aubert évesque d'Avranches en l'an de grace sept cens & oict & aultres évesques du dempuis auroient ainsi faict, comme il est dict & déclaré par lesdicts droicts & ensegnemens de ladicte chapelle; & à laquelle réception ledict Regnault & sesdicts predécessours, comme fondatours, sont subgets & tenus y assister, présence dudict maistre Berthaut rectour & clerc de ladicte chapelle, & ainder à descendre audict Evesque; & laquelle monteure doibt demourer au profict dudit trésor, ou bien payer trente francs d'or pour icelle monteure, & ladicte robe & saion, chausses & housses, digarts, doibvent demourer au singullier profict dudict clerc & de sesdicts predécessours. Sçachent touls que pardevant Don Richard Meincent clerc, prêtre, tabellion juré pour mondit sieur le roi de Navarre, fut présent ledict Monsieur Robert Porte évesque d'Avranches, lequel, soit pour lui que pour ses prédécessours évesques, soi est desisté & departi de l'empeschement par lui mins, & a cogneu & confessé audict Messire Henry Regnault escuier & de ses hoirs, mesmes audict maitre Berthaut le Gabellier rectour, & audict clerc de ladicte chapelle, que sans cause ny raison il avoit contredict & empesché lours droictures acoustumées, & que à bonne cause ils auroient soustenu contre ledict sieur Porte, suivant qu'il est mins & monstré par lours droicts de ladicte chapelle, en accordant ledict Evesque aux dessus dicts, de jouir desdictes droictures pour le temps à venir, sans y mettre aucun empeschement en aucune maniere, ainsi qu'ils ont jure par leur foy & ame, présent ledict Juré, de tenir & avoir ce présent pour agréable, sans aucun empeschement; en tesmoing de ce, à la relation dudit Juré, ces lettres sont scellées saouf autri droict. Ce fut faict l'an de grace mil CCC soixante-dix, le mardi avant la sainct Michel.*

Passé par *R. MEINCENT.*



INDEX GENERALIS.

A

B

Bartholomæus

Brion,

C

F

Dd ij

Franciæ

G

Huet

K

L

Malidumi

N

O

P

Q

R

Romani

S

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM.

A

C

D

Senonenſi

I

K

LANDERICUS

L

M

Normanniæ

S

T

V

INDEX DECANORUM, CANTORUM ET PRIORUM
ECCLESIARUM CATHEDRALIUM.

A

B

Freauville

INDEX ABBATUM ET ABBATISSARUM, PRIORUM ET PRIORISSARUM.

Bretel

C

D

Dunot

E

G

Gillebertus

H

K

L

M

Martinus

Petrus

Romé

S

T

Tregos

V

INDEX ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM

AD ALIOS TOMOS PERTINENTIUM,

quorum in præsenti fit mentio.

F

G

K

L

M

Paulus

DECANI IN HOC TOMO MEMORATI

AD ALIOS TOMOS PERTINENTES.

ABBATES, ABBATISSÆ ET PRIORES

AD ALIOS TOMOS PERTINENTES,

quorum hìc fit mentio.

A

B

C

G

H

I

L

M

Majoris-monaſterii,







